BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIV
D
6
NAPOLI



XLV
D
6

Digitized by Google

Digitized by Google

XXIV

D

1–6

Digitized by Google

IACOBI BRVCKERI

REG. SOC. SCIENT. BEROLIN. MEMBRI

HISTORIAE CRITICAE PHILOSOPHIAE

APPENDIX

ACCESSIONES, OBSERVATIONES
EMENDATIONES, ILLVSTRATIONES
ATQVE SVPPLEMENTA

EXHIBENS

OPERIS INTEGRI
VOLVMEN SEXTVM

LIPSIAE
IMPENSIS HAERED. WEIDEMANNI ET REICHII
MDCCLXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Quod in praefatione nouae editionis hiſtoriae criticae philoſophiae promiſimus, rationem nos Lectori beneuolo reddituros, cur opus in ſe ſpiſſum et prolixum atque voluminoſum noua tractatione ſupplementisque auxerimus, id eo magis non noſtra tantum, ſed Lectoris quoque intereſſe rati cauſſas enumerabimus, quae nobis perſuaſerunt, vt non ſine improbo labore, et ingraueſcentis ſenectutis moleſtia nouam editionem cum ſupplementis in vulgus prodire iuſſerimus. Nempe noûam quidem tam prolixi operis editionem nunquam valde ſperaueramus, praecipue quod poſt editas inſtitutiones ſtrictiores iuuentutis ſtudiis dicatas, et auctiores excuſas, nihil quod valde poſtulari porro poſſet, deſiderari videbamus: annotauimus

Digitized by Google

tamen, quae inter legendum nobis occurrebant, et clariori luce perfundi poſſe iudicabamus, et vel minus recte ſcripta, vel obſcura et non ſatis euicta, aut monita et reprehenſa a viris doctis erant, et vel limam vel auctarium poſcebant. Quae tamen inter tot labores alios, quibus cingimur, neglecta et abiecta in ſcriniis noſtris iacebant, cum edendi conſilium nunquam concepiſſemus, et memoriae iuuandae cauſſa tantum in literas retuliſſemus. Vbi vero praeter ſpem et expectationem diſtracta Operis H. C. P. editione prima nouam a nobis bibliopolae poſcerent, amicorum conſilia autem et voces eam vehementer vrgerent, et vltimam limam flagitarent, ſchedas noſtras et obſeruationes reſumſimus: cumque plurima eſſent, quae vel emendari vel illuſtrari et explicari clarius, multa quae in vſum Lectoris augeri poſſe videbamus, animum ad recognoſcendam, quam bibliopola meditabatur, editionem adiecimus, eo potiſſimum fine atque ſcopo, vt emendatius et perfectius prodiret opus, cuius primam editionem non ſine aſſenſu et beneuolentia exceperat totque publicis teſtimoniis paſſim comprobauerat orbis literarius. Probe enim experientia docti eramus, diem docere diem, idque ſi vlla in re, certe in hiſtoria philoſophica euenire, cuius ſtudium tot difficultatibus cinctum emergere

Digitized by Google

emergere atque perfici non poteſt, niſi ſtrenuus accedat labor, multorum annorum lectio, caſtigataque meditatio quotidie priores labores lambat quaſi et perficiat. Cui fini obtinendo cum ex obſeruationibus noſtris haud pauca, nouae editioni vtilia et proficua accedere poſſe, eſſemus perſuaſiſſimi, manum huius operis augmento admouimus, ſperantes fore, vt hiſtoria philoſophica, non ſine eruditionis diſpendio et iactura hactenus neglecta valde et depreſſa, non inutilem inde acceſſionem et incrementum poſſit capere. Quam rem quanquam ſine improbi laboris patientia non poſſe nos exſequi videbamus, omnem tamen moleſtiam libenter deuorauimus, modo iucundiſſima et vtiliſſima haec literaturae veteris atque recentioris pars, humani intellectus hiſtoria augmenta inde acciperet. Hoc ſcopo nobis propoſito totum opus, licet vaſtum, accurate relegimus et recognouimus, ad omnia attenti, quae vel emendationem poſtulare, vel rectius definiri atque explicari poſſe videbantur. Vnde factum, vt re probe penſitata et ad hiſtoriae leges atque fidem iterum exacta quaedam refingenda, multa certius demonſtranda, plurimis noua et clariora lumina accendenda, breuiora latius extendenda, obſcura illuſtranda, dubia explicanda, maxime vero ſyſtematum expli-

cationes (quod imprimis philoſophia barbarica poſcebat,) clarioribus rationibus confirmandae, obiectiones virorum doctorum ſoluendae et refellendae, nouis autem rationibus complura roboranda; nonnulla, quae in priori editione memoriam noſtram effugerant, vel poſt eam nobis innotuerant, addenda et ſupplenda viderentur. Quo pacto ſpes erat, non inutilem huic operi hiſtorico-philoſophico ſarcinam fore collectionem acceſſionum, obſeruationum et emendationum, augmento nobiliſſimae literaturae partis deſtinatarum, qua et noua lumina accenderentur, et philoſophicae hiſtoriae latifundia amplificarentur, et haberet intellectus humanus, ex quo porro diſcere, et facultates ſuas acuere, immo augere quoque ſcientiarum pomoeria queat. His tandem omnibus acceſſere non iniuſta amicorum monita et deſideria, praeſertim, qui extra Germaniam degunt eiusque linguam non callent, quibus ſubinde nos flagitabant, vt paulo prolixius et diſtinctius pluſcula explicaremus, quae in Germanicis ſcriptis noſtris tantum hominibus obuia, ad quae paſſim prouocauimus, a peregrinis legi et in libris noſtrae literaturae ab ipſis quaeri non poſſunt. Quibus ſe iunxerunt alii expoſtulantes quaſi cum noſtra diligentia, quod ſaepenumero ex rariſſimis, quibus vel noſtram ſupelle-

Digitized by Google

ſupellectilem librariam non ſine ſingulari felicitate augere licuit, vel ab amicis ſuppeditata erant, monumentis rarioribus, ſingulares obſeruationes afferentes, nimis parci interdum fuerimus, ea tantum nominando et ad fontes breuitatis cauſſa ablegando, quae αὐτοψεὶ legere cupiebant, illis tamen deſtituti ob raritatem, interdum maximam conſulere non poterant. Quorum aequiſſimis deſideriis cum ſatisfacere ſtatuiſſemus, ea loca haud raro in hac appendice vel ipſis auctorum verbis vel ex verſione fideli adduximus, ſine quibus de propoſito argumento iudicare non licet. Vbi tamen, vt ſcribendi modus certique fines eſſent, ea, quae prolixiora erant, quam vt pagina caperet, libri autem, quamuis magni et voluminoſi vbique occurrerent inſpicique poſſent, vel a ſcopo noſtro longius diſtarent, ad fontes ſuos remiſimus, quod imprimis in hiſtoria philoſophiae exoticae nobis obſeruandum erat, quae vt pauca tantum fragmenta et exilia philoſophiae veſtigia oſtendit, quae magna farragine nugarum ſuperſtitioſarum et ad barbaros ritus pertinentium obruta non ſine inutili et taedioſa prolixitate enarrari poſſunt. Nihil autem eorum, quantum doctrinae et lectionis noſtrae modulus ſuppeditabat, negleximus, quae ex hiſtoria quoque literaria recentiori lucem afferre potuerunt.

tuerunt. Et his quidem ſtudiis hac contentione praeſens nouum hiſtoriae criticae volumen enatum eſt, cui ſi eadem orbis literarii beneuolentia, iiſdemque virorum doctiſſimorum ſuffragiis, quae publicis teſtimoniis et innumeris fere epiſtolis ad nos datis de hoc opere confirmata ſunt, frui licuerit, laeti, integrum, quod neminem ante nos praeſtandum ſuſcepiſſe inter memorabilia ſeculi noſtri referebat ὁ πάνυ HEVMANNVS, hiſtoriae philoſophicae campum ſeculo noſtro aperuiſſe, calamum tandem aliquando in his ſtudiis per L. annos exercitatum et defatigatum ponimus valeque his literarum ſtudiis quaſi dicimus: horasque ſenectutis increſcentis ſacris et diuinis laboribus, quantum licet, deſtinabimus. Gratias autem quantas poſumus maximas et immortales diuino Numini referimus, quod longam hanc viam et ingredi, et poſt tam longam annorum periodum feliciter abſoluere tandem nos clementer adiuuerit, vitam viresque conſeruauerit, et opus hoc non inutile eſſe ciuitati eruditae iuſſerit. Cuius gratiae, et Lectoris beneuolentiae canos noſtros et labores ſacros atque literarios ſumma qua par eſt deuotione et humanitate commendamus. Scrib. Auguſtae Vindelicorum Idib. Sext. A. S. R. cIↃIↃCCLXVII.

IACO-

Digitized by Google

IACOBI BRVCKERI

HISTORIAE CRITICAE PHILOSOPHIAE

APPENDIX

ACCESSIONES, OBSERVATIONES,
EMENDATIONES, ILLVSTRATIONES,
ATQVE SVPPLEMENTA
EXHIBENS.

Digitized by Google

ACCESSIONES
ET OBSERVATIONES AD HISTORIAM CRITICAM PHILOSOPHIAE.

TOM. I.
AD DISSERTATIONEM PRAELIMINAREM.
§. 1. pag. 4. lin. 2.

Omnem ſui temporis encyclopaediam deſignauit. Non hoc ita intelligendum, quod in encyclopaediae circulo ipſam ſapientiam concluſerit, quicquid vetuſto tempore paulo ſobrie magis rerum pondera aeſtimabat, et quod artes quoque mechanicas ſapientiae titulo cohoneſtandas eſſe ſtatuerit: ſed totius intellectus humani operationum chorum quaſi quendam inſtituentes, quicquid ad ornandam mentem, etaugendam atque perficiendam ingenii pulchritudinem facere cognouerant, omne illud vno circulo ſapientiae comprehenſum gradibus ſuis veteres diſtinxerunt, et liberarum artium atque diſciplinarum cultura perficiendo, atque praeparando, gradus illos oſtenderunt, quibus ad philoſophiam, et per hanc ad ipſam ſapientiam animus poſſet aſcendere. Vno itaque ſapientiae titulo, non tam organa illa mechanica, quibus teneri quaſi infantum artus coërcentur, *προπαιδεύματα* ſcilicet primamque literaturam, et poſt hanc liberales artes, ſuperbire poſſe, innuerunt, nec perducere eos animum ad virtutem, ſed expedire tantum, fatente SENECA [a] ſtatuerunt: et *τὰ ἔξωθεν μαθήματα praeparare animum et ad philoſophiam mentes attollere* rati, adiutrices has manus ſapientiae titulo

a) Ep. 88. conf. ep. 89.

non proprio ſed commodato cohoneſtarunt. Enata inde, vbi paulo curatius diſtinguendum erat, diſtinctio inter *προπαιδίαν ἐγκυκλίων μαθημάτων, φιλοσοφίαν, καὶ σοφίαν*, quae maxime in ſcholis Alexandrinis commendabatur quamque multis argumentis inſtruxerunt, CLEMENS ALEXANDRINVS [b] atque PHILO [c] *πολυμαθέστατος* laude celeberrimi. Quorum vterque non niſi his praeparationibus ad ſapientiam iter patere contendit, et ad ſacram quoque diſciplinam hos gradus accommodat. Qua in re veterum Pythagoreorum et Platonicorum veſtigia illos preſſiſſe, ex illis cognoſci poteſt, quae ſuo loco diximus [d]. Mereturque imprimis ea de re legi iucunda PHILONIS *περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου* diſſertatio, qua allegoria ab Abrahamo deducta, qui ancillas in thorum receperat, vt familiam augeret, luculenter expoſuit, quo pacto inito quaſi matrimonii vinculo cum his artibus praeparatoriis, velut ancillis, tandem ad legitimum ſapientiae thorum, acceſſus mediante philoſophia pateat [e].

pag. 4. lin. 12. *Sapientum titulo afficientes.* Non obiecti autem ſolius, Dei, principiorumque diuinorum contemplandorum cauſſa ita dicti ſunt; ſed reſpexerunt quoque, qui honorabili nomine ſapientiae virorum de rebus coeleſtibus differentium choros cohoneſtabant ad opera diuina, quibus res diuinae totiusque mundi generatio, ortus atque conſtitutio debentur. De his enim eloqui, cum ſublime eſſe et diuinitatis plenum intelligerent, et hac via animum ad vnionem cum fonte ſuo ex quo effluxit, felici *ἀνόδῳ* redire ipſamque ſummam felicitatem conſequi poſſe ſibi promittebant, non altius ſapientiae culmen, quam theogoniae et coſmogoniae conſiderationem eſſe, ſtatuebant. Vnde pulchre CICERO [f] *nec vero Atlas ſuſtinere coelum, nec ſtellatus Cepheus cum vxore, genero, filia, traderetur, niſi diuina coeleſtium cognitio nomen eorum ad errorem fabulae traduxiſſet. A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione ſtudia ponebant, ſapientes et habebantur, et nominabantur.* Quae ratio eſt, cur notitia ſapientiae barbararum gentium, his potiſſimum capitibus abſoluatur, vt familiarum diuinarum enarrationes atque emanationes, mundique naſcentis et conſtituti rationes exponantur. Et haec potiſſima cauſſa eſt, cur philoſophia barbarica, quamuis tantum non tota traditiua ſit, et rerum tantum ſpiritualium atque diuinorum principiorum explicatione a maioribus accepta abſoluatur, locum tamen capiat in philoſophiae hiſtoria, et vetuſtiſſimae philoſophiae placita, quae theologiam barbaricam et exoticam, ipſamque religionis hiſtoriam et theologumena conſtituunt, ab hiſtoriae philoſophicae tractatione non queant excludi.

pag. 4. lin. 4. a fin. *Ad humanae mentis felicitatem comparandam et augendam aliquid conferre aptum eſt.* Tantum autem abeſt, vt felicitatis humanae

b) Stromat. L. I.

c) De congreſſu quaer. erud. gratia, p. 436 ſeqq.

d) T. I. P. II. L. 2. c. 10. p. 1044. c. 6. p. 670.

e) Comparandus cum his Io. WOWERIVS, de polymath. c. 26. p. 234 ſeqq. quibus dicta latius poſſunt illuſtrari.

f) Tuſcul. L. V.

Digitized by Google

manae ſcopum atque finem plerique philoſophi excluderent, vt ad hanc vnam potiſſimum reſpexerint, indeque philoſophiae ſtudium commendauerint; idque inde ab aliis artibus diſtinxerint, quod hae quidem non alium habeant finem niſi opus conficiendum, ſola autem philoſophia finem ſuum conſideret, qui ſit veritatis cognitio et honeſtatis virtutisque contemperatio, ex qua vera mentis tranquillitas naſcatur, et deſiderata humanae menti felicitas exſurgat. Quo ſenſu dixit METRODORVS [f]: *μηδεμίαν ἄλλην πραγμάτων ἐμπειρίαν τὸ ἑαυτῆς τέλος συνορᾶν, ἢ φιλοσοφίαν, nullam aliam rerum experientiam*, (*μηδεμίαν τέχνην* mox vocat) *conſiderare ſuum finem quam philoſophiam*, id eſt obiecto ſuo ad conſtituendum finem ſuum, qui eſt mentis tranquillitas et felicitas, vti. Eleganter de ea re ſapientiſſimus philoſophorum Socrates, cum de conſtituendis philoſophiae limitibus ageret, nullius rationem habendam eſſe voluit, nec diſciplinas atque *μαθήματα* addiſcenda, quae ad bene beateque viuendum non pertinerent. Id quod ſuo loco adductum [g] omnino hic repetendum eſt. Eandem rationem tenuit Epicurus, qui philoſophiam dixit *ἐνέργειαν λόγοις καὶ διαλογισμοῖς τὸν εὐδαιμόνα βίον περιποιοῦσαν, eſſe operationem quae rationibus et diſputationibus vitam parat beatam* [h]. Quod quo pacto ſit intelligendum, malumus CICERONIS verbis explicare, quam noſtris: *philoſophia*, inquit, *nos primum ad Deorum cultum, deinde ad ius hominum quod ſitum eſt in humani generis ſocietate; tum ad modeſtiam magnitudinemque animi erudiuit, eademque ab animo tanquam ab oculis caliginem diſpulit, vt omnia ſupera, infera prima, vltima media videremus* [i]. Immo nec philoſophi illi, qui in veritatis cognitione ſummum bonum poſuere, felicitatem excludere auſi ſunt, cuius exemplum poteſt eſſe Ariſtoteles, qui finem philoſophiae poſuit, in vita perfecta, et felicitatem dixit plenitudinem ex tribus maxime bonis conſtantem, iis nimirum, quae in animo ſunt, tum, quae ad corpus pertinent, ac tandem quae extrinſecus adueniunt [k]. Ipſe etiam, quanquam ſcientiam actioni praeferret, Thaletem tamen et reliquos Ionicae ſcholae viros, ait, fuiſſe *σοφὲς μὲν, φρονίμους δὲ*, quod eximia quidem atque admiranda et difficilia ac diuina quaedam callerent, ſed interim bona, humana vtiliaque non quaererent [l]. Pythagoram, Platonem, Cynicos tacemus, ſuis locis dictos. Non itaque primus fuit LEIBNIZIVS, qui felicitatem finem eſſe philoſophiae dixit, quod contendit cel. GOTTSCHEDIVS [m], ſed veterem ſobriamque definitionem ſeruauit et in luce clariore poſuit. Faſſus hoc eſt MICHAEL HANSCHIVS [n].

f) Apud SEXT. EMPIRIC. adu. Mathem. L. I. ſ. 61. quem locum pulchre illuſtrat GASSENDVS, Opp. T. I. pag. 3. dignus, qui conſulatur.

g) P. II. L. II. c. 2. §. 4. p. 559. conf. GELLIVS L. XIV. c. 3. XENOPHON. Mem. L. IV. pag. 815.

h) Apud SEXT. EMP. adu. Math. L. XI. ſ. 169. conf. quae dicta ſunt T. I. L. II. c. 13. p. 1255.

i) Tuſc. Quaeſt. L. II.

k) Ita LAERTIVS L. V. ſ. 30. ipſe ARISTOTELES Ethic. L. I. c. 12. *τὸ ἀνθρώπινον ἀγαθὸν ψυχῆς ἐνέργεια γίνεται κατ' ἀρετὴν ἐν βίῳ τελείῳ.* Conf. quae T. I. P. II. L. II. c. 7. p. 836. dicta ſunt.

l) L. I. Rhet. p. 670.

m) In Proo-m. Inſtit. Hiſt. phil.

n) In principiis philoſ. Leibnizii more geom. demonſtratis p. 44. finis enim et felicitas coincidunt.

Ibid. p. 4. not. f. *Eleganter hac de re differit.* Plura quae huc pertinent, veterum philoſophorum loca cumulauit, GASSENDVS [n] qui meretur cum his comparari.

pag. 5. lin. 24. *Exponente* CICERONE. Extat locus Tuſc. Qq. libro quinto, cuius narrationem aliorum quoque ex Veteribus fides confirmat [o].

pag. 6. lin. 6. *Poſtquam totus eruditionis humanae campus in quatuor facultates diuiſus eſt.* Factum id, poſtquam ſeculo octauo poſt C. N. atque nono ſcholae publicae Caroli M. potiſſimum liberali cura atque ſtudio erectae ſunt, cum antea in monaſteriis latuiſſent, et imprimis ſchola Pariſienſis caput coepit erigere. Cum enim in monaſteriorum ſcholis ſeptem hactenus artes liberales traderentur, quibus pars quaedam diſciplinarum philoſophicarum explicabatur [p], publica ſapientiae profeſſione ad academias ſcholaſue publicas traducta, ratio quoque artium liberalium habita eſt, quique eas docebant, artiſtarum nomen acceperunt [q], quod idem ſonat, quod hodie adhuc in promotionibus philoſophicis artium liberalium magiſtri ſiue doctores ſonant. Cum autem in hoc triuii et quadriuii curſu nobiliores philoſophiae partes exularent, Ariſtotelis autem auctoritas Auguſtinum et Caſſiodorum, quos hactenus duces caterua philoſophantium ſecuta erat, expuliſſet, factum inde vt naturalis et moralis philoſophiae praecepta in cathedris traderentur [r]. Quoniam autem callido conſilio ſapientiae cultoribus inculcabatur, non niſi ſeruilem et miniſtram operam reliquis ſapientiae diſciplinis praeſtare philoſophiam [s], quam ex Peripato ab Arabibus acceperant, theologiae, iurisprudentiae, artique ſalutari, diſtingui humanae eruditionis ſiue ſapientiae capita ſumma in quatuor facultates coeperunt, theologicam, iuridicam, medicam, philoſophicam, et ad hanc poſtremam ampliori complexu relatum eſt, quicquid inferioris, quod quidem iudicabant, dignitatis inter diſciplinas referebatur, quo pacto a facultate philoſophica, ne hiſtoria quidem et poëſis excluſae ſunt. Quod quo emolumento vel detrimento factum ſit, alio loco, qui ad hiſtoriam literariam medii aeui pertinet, eſt diſpiciendum et enarrandum, conſulenda autem ſunt celeberrima CONRINGII [ff] et IACOBI THOMASII [t] nomina.

Ibid.

n) Syſtem. phil. prooem. c. 2. T. I. Opp. p. 4.

o) DIOG. LAERTIVS, L. I. ſ. 12. EVSEBIVS de praep. ev. L. X. c. 4. QVINTILIAN. L. XII. c. 1. LACTANTIVS L. III. c. 14. quorum loca pulchre illuſtrauit IACOBVS THOMASIVS, progr. 55. de vocabulo philoſophia, edita a filio CHRISTIANO THOMASIO diſſertationum nomine Hal. 1693. p. 647 ſeqq. Dictus autem Pythagoras ſenſu eminentiori philoſophus, quod Porphyrio quoque euenisſe monet L. HOLSTENIVS ad vit. Pythag. p. 33. ed. Rom.

p) Diximus ea de re ex inſtituto T. III. P. III. L. II. c. 2. p. 195 ſeqq. conf. Obſ. Hal. ſel. T. I. Obſ. IV.

q) Ib. T. VI. Obſ. XIV. p. 122 ſeqq. quae obſeruatio eſt IACOBI THOMASII.

r) Ex inſtituto id a nobis T. III. l. c. p. 678 ſeqq. enarratum eſt.

s) Conf. ill. WOLFIVS Diſſ. de philoſophia non ancillante, quae exstat in horis ſubſeciuis Marb. 1729. trim. auct. p. 425 ſeqq.

ff) In Antiqq. Academicis, quibus de hoc argumento HEVMANNVS praefationem praemiſit.

t) Il. cc.

Digitized by Google

Ibid. *Aſcetae quoque philoſophorum nomine inſigniti ſunt.* Legenda ea de re ſunt, quae in tertio hiſtoriae criticae philoſophiae Tomo ex inſtituto diſſeruimus, et quanto id philoſophiae et religionis ſanctioris detrimento euenerit manifeſtum fecimus.

pag. 10. lin. 8. 9. *Ita vt his illa reuera inſeruiant.* Prolixe partitionem philoſophiae ex mente veterum philoſophorum expoſuit SEXTVS EMPIRICVS *adu. math. L. VII.* qui eſt *contra logicos* [a] ad quem illuſtrem locum conferenda eruditiſſimi FABRICII diligentia [x] comparandaque tum quae GASSENDVS ad *inſtitutiones philoſophicas* praefatus [y] copioſe diſputauit, tum quae nos in ſingularum ſectarum hiſtoria diligenter attulimus, quae ſuis locis et capitibus quaerenda ſunt. Multum logomachiae ineſſe huic de philoſophia veterum diuiſione fatebuntur, qui eorum mentem paulo curatius explorant: vtinam ab hac ingenii ſcabie abeſſent, qui philoſophiam tractarunt, recentiores omnes. De ſubdiuiſionibus philoſophiae non aeque ſollicitos fuiſſe veteres, quam qui recentiori, maxime noſtra aetate de augendis diſciplinis philoſophicis curioſius cogitarunt, ex enarratione ſyſtematum veterum in hac philoſophiae hiſtoria facili attentione quilibet poteſt intelligere, et cum noſtrorum temporum curioſitate comparare.

pag. 13. §. 6. lin. penult. *Fatalis ignis plurimam ſcriptorum philoſophicorum partem perdidit.* Ignotum illud bibliothecarum et librorum fatum nemini eſſe poteſt, qui literariam hiſtoriam vel a limine ſalutauit: conſulere autem, qui exempla ſingularia cupit, poteſt ſcripta eorum, qui de libris combuſtis egerunt [z], et imprimis, qui celebriores bibliothecas incendiorum infelicitate in cineres redactas enumerarunt [a]. Nos hoc loco e multis exemplis vnum tantum alterumue in ſcenam adducimus, ex quibus intelligi poteſt, codices philoſophicos praeſtantioris notae, quales imprimis veteres reges inter theſauros ſuos literarios cariſſimos habebant [b], fatali incendio fuiſſe deletos. Bibliothecam Alexandrinam, Ptolemaeorum Aegypti regum immenſa fere et incredibili liberalitate omnis antiquitatis codicibus fuiſſe inſtructiſſimam et refertiſſimam, in quam etiam Attalica Pergamenorum ab Antonio illata eſt, teſtes ſunt veteres omnes, qui regios hos theſauros vel viderunt, vel eorum mentionem fecerunt [c]. His vero praefecti erant magni nominis viri docti, maxime

a) f. 1-23.
x) p. 370 ſeqq.
y) T. I. Opp. p. 26 ſeqq. Recentiores diuiſiones philoſophiae enarrat Cel. HOLMANNVS, Introd. in phil. vber. P. I. p. 33 ſeqq.
z) Fuſius ea de re in hiſtoria literaria vniuerſali agendum eſt, conſulendaeque tractationes IO. SCHMIDII et GVIL. SCHVZII de combuſtione librorum varii generis, ANDR. WESTPHAL. de libris publica auctoritate combuſtis, et imprimis πολυμαθέστατα SCHELHORNII diſſertationes duae de libris combuſtis quae in Amoenit. liter. T. VII. pag. 75 ſeqq. et T. IX. p. 752 ſeq. extant.
a) Michaelem Neandrum, Ioannem Lomaierum, Thomam Bartholinum, Andream Weſtphalum hoc nomine laudat cel. SCHELHORNIVS l. c. T. VII. p. 79. quibus STRVVIVS, MORHOFIVS aliique, qui hiſtoriam bibliothecariam tractarunt, poſſunt addi.
b) Libros Ariſtoteles ſuos Theophraſto tradiderat; et is Neleo Scepſio, qui Ptolemaeo Philadelpho vendidit. Ita ATHENAEVS dipnoſ. L. I. p. 3.
c) Conſule quaeſo SENECAM de tranquill. c. 9. vt intelligas, quantum oſtentationis reges Aegy-

Digitized by Google

maxime philoſophi, inter quos Demetrius quoque Phalereus, eminuit [d], qui his regibus literariae rei, quae apud Graecos florebat, et imprimis philoſophiae Graecanicae ſtudio valde accenſis optimorum codicum Graecorum et imprimis philoſophorum αὐτογράφων magno aere comparandorum auctores fuerunt. Aſt inferali illo incendio, cum Alexandria vrbs in bello Alexandrino a militibus auxiliariis diriperetur, non conſilio quidem, et conſulta opera, fato vero triſtiſſimo inuidendae hae aeuo priſco gazae literariae conflagrarunt, et innumera optimorum codicum copia periit [e]: vnde factum, vt cariores poſtea et rariores eſſent maxime codices philoſophici et immenſo ſtudio Romani imperatores reſarcire damnum et codices philoſophorum, qui aliis locis ſuperſtites erant, colligere ſtuderent, qui in Apollinis templo poſtea ſeruabantur, cuius maxime conſilium debetur Auguſto, qui templo Apollinis in Palatio addidit porticus cum bibliotheca Latina Graecaque, vnde etiam Palatinae dictae ſunt [f]. Quod exemplum alii poſtea imperatores ſecuti ſunt, alio loco vbi hiſtoria aeui Romani literaria enarranda eſt, enumerandi. Verum nec his quoque theſauris ignis pepercit, adeo vt Domitianus, parum cetera liberalia ſtudia in initio imperii curans, opus haberet, bibliothecas incendio abſumtas impenſiſſime reparare, exemplaribus vndique conquiſitis, miſſisque Alexandriam, qui deſcriberent emendarentque [g]. Quamuis enim, quod ſupra dictum, in ea vrbe bibliothecam a Ptolemaeis regibus conquiſitam flammae deuorauerant, fuit tamen praeter illam, alia in Serapeo aedificata [h], quae prioris ſoror vocabatur, et quae Tertulliani adhuc aeuo ſuperfuit [i]: ex quo theſauro deſcripſerunt poſtea codices, qui reſtituendis et augendis bibliothecis operam addixere ſuam. Nec illa tamen fortuna diu fuit laetabilis. Commodo enim imperante Capitolina bibliotheca conflagrauit [k]. Ex quo incendio quamquam libri haud pauci eriperentur, et inſignes illae veteris orbis reliquiae velut ſparſa et diſiecta corporis membra colligerentur, effecit tamen Gregorii M. inconſultus et praepoſterus feruor, vt quoscunque libros Palatinus ille Apollo adhuc ſeruauerat, incendio traderentur [l]; quod memorabile deplorandi fati literarii exemplum ſuo loco in hiſtoria philoſophica medii aeui ex inſtituto tetigimus, eiusque veritatem contra Baylii et Barbayracii dubitationes roborauimus [m]. Nec laetiores ſucceſſus habuere imperatorum Byzantinorum de erigendis bibliothecis et colligendis reliquiis literariis conſilia. Quibus

Aegypti in hac bibliotheca colligenda prodiderint. Conf. GELLIVS L. VI. c. 17. conf. LIPSIVS de Biblioth. c. 2. Opp. T. II. p. 1124.

d) Seriem eorum explicat IONSIVS de Script. Hiſt. phil. L. I. c. 18. p. 859. qui conſulendus.

e) GELLIVS l. c. IOSEPHVS Antiq. Iud. L. XII. c. 2.

f) Eam exſtruere Caeſar deſtinauerat, vid. SVETON. in Caeſ. c. 44. perfecit Auguſtus, IDEM in Aug. c. 29.

g) IDEM in Domit. c. 29.

h) EPIPHAN. de ponderibus, et menſ. T. II. p. 168. AMMIANVS L. XXII.

i) In ea ſacros codices Hebraicis literis ſuo tempore aſſeruari, tradit TERTVLLIANVS in Apolog. c. 18.

k) EVSEBIVS in Chron. ad an. 190. OROSIVS L. VII. c. 16. conf. LIPSIVS de Biblioth. c. 7. T. II. Opp. p. m. 1133.

l) IOAN. SARISBERIENSIS nug. curial. L. II. c. 26. p. 125. metal. L. VIII. c. 19. p. 646.

m) T. III. L. II. c. 2. §. 3. p. 560.

Digitized by Google

Quibus cum primi fuiſſent auctores Conſtantinus magnus, eiusque filius Conſtans [n], et Iulianus quoque maxime in eam rem curam intenderet, vt in vrbe pariter Byzantina, et Antiochiae publicae bibliothecae patecent [o], et a doctiſſimis viris, qui illis praeficiebantur, curarentur [p], ſucceſſoribus aliis ab eo exemplo non deſciſcentibus, fatales tamen flammas effugere non potuere deſtinatae poſteritati diuitiae literariae. Nam et illam bibliothecam Iouianus, concubinis inſtigantibus totam cremauit [q]. Et Baſiliſco tyrannidem exercente, ingens Conſtantinopolitanam vrbem depauit incendium, quod in foro aerario exortum, cum vicinia omni, ipſam quoque baſilicam vna cum bibliotheca abſumſit, in quo incendio centum viginti millia librorum perierunt [r]. Sidus tamen aliquod literis amicum cum exoriretur, ex cineribus refurgere coepere literae, refuſcitataque baſilica, et addito virorum doctorum duodecim collegio, qui ſub doctoris cuiusdam, quem oecumenicum appellabant, auſpiciis peruntes et fugientes literas retraherent, et theſauros literarios iterum colligerent. Reſtitit tamen et priſtino malo inuoluit fati malignitas. Cum enim viri iſti docti Leonis Iſauri ſententiae de tollendis imaginibus ſubſcribere recuſarent, ipſas aedes cum bibliotheca, et doctis iſtis viris noctu comburi iuſſit imperatoris crudelitas [s]. Tandem vt ipſum veteris literaturae iugulum peteretur, et euerteretur, quicquid reliquiarum doctrinae in bibliotheca ſupereſſet, Saracenorum barbaries, ſub Ommiadarum imperio effecit [t]. Qui cum ſecundum Muhammedis legem non niſi Corani lectionem tolerandam eſſe ſtatuerent, adeo in delendis Graecis libris, maxime philoſophorum inſaniuerunt, vt cum Alexandriam expugnaſſent, inque ea vrbe plurimae bibliothecae, propter vetuſtiſſimos codices, qui fatorum crudelitatem euaſerant, vehementer illis commendarentur, ferali conſilio omnes illos per balnea Alexandriae diſpergi atque illis calefaciendis comburi iuſſerint [u]. Quod nec Almamon, princeps

n) THEMISTIVS Orat. B. Conſtantinus tamen magis ad libros ſacros reſpexerat, quos perſecutiones antea ex plerorumque manibus excuſſerant, Conſtans filius latius bibliothecam' inſtruxit addito praefecto.

o) ZOSIMVS ann. L. III. c. 11.

p) Eam Iulianus ex Georgii Cappadocis, aerarii Conſtantinopolitani quaeſtoris bibliotheca amplifſima, miſere diſcerpta et diſiecta collegit, o quod multa in ea eſſent philoſophica et rhetorica: vid. IVLIAN. ep. 9. 36. conf. ALLATIVS de Georgiis, p. 307. et FABRIC. Bibl. Gr. Vol. X. p. 600 ſeq. eam Bibliothecam imperator in fano Traiani ab Adriano exſtructo rexerat.

q) Narrat famoſam inſaniam Ioannes Antiochenus, cuius reliquias conſeruauere excerpta Valeſiana p. 845 ſeqq. itemque SVIDAS in Iolianus T. III. p. 121.

r) ZONARAS ann. T. III. in Baſiliſco, p. 43. ed. H. Wolfii. CEDRENVS, et ex his LIPSIVS l. c. §. p. 1128.

s) ZONARAS in Leone Iſ. T. III. p. 84 ſeq. qui integer locus legendus eſt, eius enim temporis hiſtoriae literisque multam lucem accendit. Fuiſſe in ea Bibliotheca multos quoque codices humanae ſapientiae τῆς ἔξωθεν σοφίας, id eſt, philoſophicos monet Zonaras.

t) Vt haec recte intelligantur, legenda ſunt, quae de odio Muhamedis et Saracenorum in Graecas literas et philoſophiam T. III. H. P. L. III. c. 2. §. 3. p. 135 ſeqq. diſſeruimus.

u) ABVLPHARAIVS dynaſt. IX. p. 116. cuius ipſa verba l. c. L. III. c. 1. §. 5. p. 30. adduximus. Complures tamen libros Graecos flammis ſubduxit clandeſtina virorum doctorum, qui in exercitu Saracenico degebant induſtria. conf. FREIND hiſtoire de la Medecine P. II. p. 5 ſeqq. Non tamen ita priſtina feliciras literis librisque Graecorum philoſophicis redit. Verſiones enim Arabi-

ceps cetera literis fauentiſſimus mutauit, ſed factis prius librorum Graecorum, qui ad philoſophiam artesque ſpectabant, verſionibus Arabicis, Graeca αὐτόγραφα igne deleri iuſſit [v]. Ex quo breui ſpecimine, quod ex faſtis literariis veteris mediique aeui valde augeri poſſet, ſi id ageremus, facile iudicari poteſt, vnde magna illa veterum codicum, Graecorum maxime, penuria orta ſit, et quo pacto non philoſophorum modo celeberrimorum αὐτόγραφα maximo olim ſtudio atque cura et immenſis ſumtibus ab imperantibus et proceribus bibliothecis publicis illata amplius non inueniantur, ſed et reliquorum librorum philoſophicorum manu exaratorum ea copia non deprehendatur, quam nos expectare iubebat inſignis veterum in his diſciplinis ſcripto explicandis diligentia. Recentiora exempla, v. c. Scorialenſe, tanquam nota breuitatis cauſſa praeterimus.

§. 6. p. 15. lin. 1. *Ad linguam loquendique modum quam maxime attendendum.* Huius cautelae vſus ampliſſimus eſt in comparatione doctrinarum philoſophicarum non inter ſe modo, ſed quam maxime etiam cum ſcriptura S. et religione Chriſtiana. Seducti enim multi viri docti et in lectione philoſophorum veterum exercitatiſſimi, vocibus et ſententiis haud paucis, quae eandem cum ſcripturae verbis conſonantiam produnt, harmoniam ſibi inueniſſe viſi ſunt inter puriora diuinae reuelationis dogmata et ſyſtemata philoſophorum veterum, quae tamen ſi ſyſtematis ipſius ſenſum et connexionem conſideres, longo alio et deteriori ſenſu, at ſubdola tamen imitatione, falſitatem produnt, et ſtudium gentilium philoſophorum ſuae ſectae placita Chriſtianorum vocibus pingendi et ornandi manifeſtant. Qua in re tum eclecticos Alexandrinos fuiſſe ſedulos deſideratiſſimus MOSHEMIVS [x] demonſtratum dedit; et Stoicos ſimilia auſos mugas ſuas iſtis coloribus commendatas vendidiſſe, peculiari tractatione fecimus [y] euidentiſſimum.

Ib. p. 14. lin. vlt. *Suo loco erit manifeſtiſſimum.* Inde vero ratio petenda, cur in philoſophiae hiſtoria, non dogmata tantum philoſophorum, ſed eorum quoque vitae actorumque hiſtoria critico examine expendenda ſit, ſine qua face in intelligendo vero et genuino dogmatum ſenſu ſaepe caecutimus. Quod vt in omni dogmatum hiſtoria cauendum eſt ſollicite, ita mirandum, eſſe viros doctos, qui philoſophorum res ex philoſophiae hiſtoria proſcriptas cupiunt, vnamque dogmaticam conſiderationem poſcunt: quam tamen nemo critica accuratione traditurus eſt, qui non dogmatum natiuitatem et ortum, occaſionem, finem, et aſſertiones partium aduerſarum intellexerit, riteque comparauerit. Ex hoc autem conſtare quoque poteſt, videri interim quaedam minuta et facile prae-

Arabicae ex Graecis confectae horum vſum adeo ſuppreſſerunt, vt neglectae tantum non omnes euaneſcerent.

v) LEO AFRIC. de vir. illuſtr. Arab. in FABRICII Vol. XIII. B. Gr. p. 260.

x) Diſſ. de ſtudio ethnicorum Chriſtianos imitandi Syll. Diſpp. ad H. E. pert. Vol. I. p. 331 ſeqq.

y) Miſcell. hiſt. philoſoph. P. I. Obſeru. 9. p. 225 ſeqq.

Digitized by Google

praetereunda, quae tamen in illuſtrandis veterum placitis vſum praebent expectatione maiorem. Exemplum qui cupit, eum ad Stoicam philoſophiam, vbi apud Iureconſultos in vſu eſſe cepit, amandamus, qualem tomo ſecundo H. C. P. deſcripſimus.

p. 16. m. VII. lin. 5. a fine. *Deforme philoſophiae aedificium extruunt.* Conqueſtus eſt ea de re et luculentum eius exemplum ſuppeditauit PORPHYRIVS in *vita Plotini* [z], narrans: progreſſos eſſe ex Chriſtianis haereticos, Adelphii, Acylinique ſectatores, qui Alexandri Libyci, Philocomi, Demoſtrati, Lydi plurimos libros circumtulerint, et reuelationes quasdam Zoroaſtris, Zoſtriani, Nicothei, Allogenis Meſi aliorumque eiusmodi palam oſtendiſſe, aſſerentes Platonem intelligibilis eſſentiae profundum minime penetraſſe. Gnoſticos veteres intelligit, orientalem quandam philoſophiam a Zoroaſtre aliisque orientis philoſophis acceptam iactantes, atque ſuam philoſophiam Graecanicae opponentes: quos mire omnia confudiſſe, et miſcuiſſe quadrata rotundis, ipſe PLOTINVS [a] contra hos homines monuit, de quibus ad orientalis philoſophiae hiſtoriam digreſſis plura monenda ſunt. Haec enim iſtorum hominum confuſio in cauſſa fuit, cur iſtud philoſophandi genus inter Graecos pleriſque ignoraretur. Certe, qui hoc philoſophiae genus ideo negant, quod Graecis fuerit indictum non recordantur, eius veram cauſſam eſſe, quod pro ſuppoſitio illud foetu habuerint, indignam, qui inter ſucceſſiones philoſophicas enumeretur. Extitiſſe tamen, vel vnus hic locus manifeſte euincit, quo παλαιᾶ λέγει nomine Graecanicae philoſophiae opponitur. Sed Pythagoreos quoque et Platonicos ipſos, quorum contubernio Plotinus potiſſimus auctor fuit, in eodem luto haeſiſſe, non negat IAMBLICHVS [b], et in horum hominum hiſtoria ex inſtituto infra probatum eſt. Antiquiſſimus autem hic ſupponendi mentiendique mos eſt, quem miramur potuiſſe IACOBVM MAVSSACVM [c] virum doctiſſimum illi demum tempori tribuere, quo Ptolemaeorum regum, Alexandriae et Attalorum regum Pergami induſtria bibliothecas publicas conſtruendi inualuit, illique magnam aeris vim in comparanda priſcorum ſapientium ſcripta erogarunt. Quanquam enim facile nobis perſuademus, regiam hanc liberalitatem accendiſſe librariorum auaritiam et fingendi aſtutiam; ante haec tamen tempora longeque prius hanc ipſam fingendi ſupponendique licentiam effloruiſſe, vel vnus Aegypti mos probat, omnia ſua Hermeti ſiue Mercurio inſcribendi. Quod auctoritatem ſuis ſcriptis et placitis conciliandi artificium apud Aegyptios Mneuem regem potiſſimum in vſum adduxiſſe refert DIODORVS SICVLVS [d].

pag. 19. lin. 25. *Inter omnes conſtat.* Heic vero et illud cauendum, ne quod in ſtudio philoſophiae ſectariae toties factum eſt, et hodie quo-

z) Cap. 16. p. 119. Vol. II. Bibl. Gr. Fabr.

a) Opp. En. II. L. IX. in quo etſi Gnoſticos nomine non appellet, Porphyrius tamen contra hos librum ſcriptum eſſe prodidit, et ipſe, contra Gnoſticos, inſcripſit.

b) Prooem. de myſt. Aegypt.

c) Diſſ. crit. ad Harpocrationem p. 97.

d) Biblioth. L. I. p. 84.

que interdum fieri videmus, ſyſtemata ſectae vel praeceptoris pro veriſſima et vna veritatis regula habentes, putemus omnem philoſophorum ordinem, etiam vetuſtiſſimum, et a nobis tota fere orbis parte diſtantem in eandem opinionem conſenſiſſe, quam ſecta iſta eiusque conditor definiuit. Hoc enim vbi fit, omnia confundi, incerta pro certis obtrudi, ſuppoſititia pro genuinis haberi, veteribus nouos ſenſus affingi, et hoc pacto miſerabile philoſophiae pariter atque eius hiſtoriae chaos nomine hoc indignum condi neceſſe eſt. Nec ſi cuncta quidem erudite ornentur, aliud inde enaſcetur, niſi vt intelligamus, quid optemus, vt veteres noſtrae ſectae vel opinionis cauſſa docuerint. Quod a philoſophica hiſtoria merito arcendum, quae ea tantum enarrat, quae inito examine ſecundum fidei hiſtoricae leges veriſimilia deprehenduntur, ſiue veritati conſentanea ſint, ſiue errores foueant. Valde contra hanc cautelam turpiter neglectam peccauerunt, qui theologiae naturalis hiſtoriam ſcripſerunt, vel ex eius ſcriniis religionis reuelatae cauſſam defenderunt. Hi enim cum rectiores de Deo deque rebus diuinis ſenſus ſibi merito concepiſſent, vel ad reuelatorum dogmatum traditionem ratiocinationis ope decreta philoſophorum exegiſſent, atque emendauiſſent, rectius inde placitorum veterum aedificium exſtructuri, vetuſtiſſimorum hominum barbarorum, Graecorum, Orientalium decreta atque mentem miſere peruerterunt, et vbique ſana, pulchra, commendanda viderunt, illis indignati, qui craſſos veterum errores detexerunt, ſtatueruntque cum D. Paulo, eos in ſapientia ſua inſaniuiſſe. Quo pacto nuper cl. OETTINGERVM [e], virum doctiſſimum potuiſſe vetuſtos cabbaliſtarum errores non ad ſenſus tantum ſanos reuelationis reuocare, ſed cum Leibnizianis, Malebranchianis, Newtonianis, quin cum omni παραδεξοφιλέντων cohorte comparare, merito ſtupuimus. Aliorum exempla, qui eadem chorda, ſed venuſtius et magna ſpecie oberrarunt, cum chara nobis ſint nomina, et ob eruditionem ſingularem ſuſpicienda, praeterimus. Qui ſi hoc vnum cogitauiſſent, omnem veteris theologiae naturalis orthodoxiam euerti, hoc principio abſolute admiſſo: ex nihilo nihil fit, quod cardinis et fundamenti loco in hoc aedificio omnem philoſophiam gentilem poſuiſſe, certiſſimis teſtimoniis in hoc opere hiſtorico philoſophico demonſtrauimus, indeque eos vel materiam emanationis lege et ordine ex Deo deriuauiſſe, vel eam Deo coaeuam ſtatuiſſe, vel vniuerſum vnum totum non eſſentia, ſed φαινομένοις tantum diſtinctum aſſeruiſſe, ita vero omnia, quae ſana videri queant principia miſere corrupiſſe, ab ineptiente iſta interpretatione philoſophiae veteris abſtinuiſſent. Vtrum autem in depraedicanda et cum ſuo ſyſtemate concilianda Confuciana ſapientia, noſtra aetate non ad eundem lapidem offenſum ſit, lectori examinandum relinquimus. Verum quis non ad lapidem in medio poſitum incautus inter-

e) In explicatione tabulae Cabbaliſticae doctrinam Sephirothicam exhibentis, in qua quadrata rotundis miſceri ſtupuimus.

nterdum offendat, maxime ſi rerum ſuarum interſit, in hac via inceſſiſſe?

pag. 19. not. f. *Epiſt. Leibniz. T. II. p. 121.* Et hunc tamen heroem nter philoſophorum choros incomparabilem, ad hunc lapidem haud fenel impegiſſe omnino ſatendum eſt, et vel vna *ἐντελεχείας* explicatio uculenter probat, quam clara luce inſtruendo caecutienti Ariſtoteli vium, quem non habuit, dedit. Hic enim, quid ſibi iſta voce velit, non ntellexit. Annon idem acciderit facundo et veteris philoſophiae peritiſimo ſcriptori, cl. GERDILIO, Pythagoreae et Ionicae ſcholae placia, longe acutius, quam priſcum illud aeuum ſolebat, rimanti et explicanti [f], infra inquirendi commoda magis dabitur occaſio.

pag. 23. lin. 6. 7. *Si erroris fontes et propaginem didiciſſent.* Laudanlus ideo candor et eruditio clariſſimi Io. CASPERII, qui licet in media uuanienſi, quae vnius Romanae eccleſiae decreta ſe ſequi ambitioſe iatat, academia ſcriberet, attamen anno cIↃIↃCCXLI. ſub ficto *Adriſidaemonis Philoromaei* nomine *Vindicias aduerſus ſycophantas Iuuauienſes* edidit, et ex penitioribus hiſtoriae ſacrae ſcaturiginibus demonſtratum dedit [g], ſanctorum in coelo ciuium in genere et imprimis S. Matris Virginis, qui in ea eccleſia vel ex lege eccleſiaſtica, vel ex neceſſitate tamen morali obtrudlitur *ὑπερδουλείας* et *δουλείας* cultum non ſacras literas nec puriorem antiquitatem, ſed has putidas ſcaturigines produxiſſe, immanemque et imprimis a D. AVGVSTINO [h] reprobatum errorem Platonicorum Alexandrinorum, de variis bonorum geniorum et daemonum claſſibus, quibus velut mediatoribus ad Deum vtendum ſit, progenuiſſe: quod imprimis a Pſeudo-Dionyſio ad D. Thomam et ab hoc ad reliquos ſcholae doctores traductum eſſe eleganter demonſtrat.

pag. 28. lin. 4. *Saepius animaduertet.* Mirandum virum cetera doctiſſimum, verum ad ſcribendam hiſtoriam philoſophiae criticam, nec animi, qua par eſt ſinceritate, nec doctrinae, quam illa requirit auxiliis ſatis paratum maluiſſe in alios, quorum labore et veritatis ſtudio innumeros errores ſuos potuiſſet detegere et ſic lectori ſuo atque famae etiam et exiſtimationi parcere, indignis modis debacchari et elegantiarum Gallicarum in ciuilitatis humanae ſtudio non ſine ſuo pudore obliuiſci, quam ad vnum veritatis propagandae ſtudium cuncta reuocare. Quod tamen cur aliter euenerit, illis iudicandum relinquimus, qui huius viri, in annalibus literariis non ignoti rationes viuendi et ſtatuendi norunt, et vel vnicam illepidam *de arte ridendi et iocandi in ipſo mortis articulo* differtatiunculam legerunt. Quibus generis hominibus nihil peſtilentius accidere poteſt hiſtoriae philoſophicae.

p. 27. §. XI. lin. 4. *Prolixius explicata alibi quaerenda ſunt.* Laudanda hac in parte eſt virorum celeberrimorum ex gente Britannorum diligentia,

f) In eleganti introductione ad ſtudium religionis, lingua Italica Taurini 1756. edita.

g) C. 7. p. 42 ſeqq.

h) De C. D. L. IX. c. 16. L. X. fere toto.

tia, ex quorum commentariis in scripturam sacram *catena* illa *exegeseos biblicae* constructa est, quam optimo consilio nunc quoque in vernaculam suam translatam legunt Galli Germanique nostri. Illorum nempe haud leuis in eo versata est industria, vt si quid textui sacro lucis ex doctrinarum veterum historia accendi posset, ex penu suo abundanti liberali id manu conferrent. Quod imprimis in annotationibus cl. WHITHBII obseruari potest. Fatendum tamen, non multa tantum illos praetermisisse, egregiam sacris paginis lucem accendere apta, sed et nonnulla vel audacius quam par erat allata, vel incerta fide perperam applicata adhibuisse, quae emendationem postulant, exemploque esse possunt, quam caute hoc in campo versandum sit. Quapropter cum istius catenae exegeticae partes illae, quibus noui Testamenti paginae explicantur, nobis recensendae, complendae et examine critico emendandae, nouis vero, vbi opus erat, obseruationibus augendae in Germanica editione obtigissent, ad hos quoque philosophiae historiae vsus, diligenter respeximus, cuius exemplum suppeditare illa loca possunt, vbi diui Apostoli inuenustam orientalis philosophiae tot tantarumque haeresium foecundam matrem iugulant, eiusque inter Iudaeos subrepentis decreta euertunt, quod imprimis ab Apostolo Paulo in epistolis ad Colossenses et Timotheum factum esse luculentis testimoniorum exemplis confecimus.

pag. 31. lin. 29. ante §. XI. *Veri cupido animo feratur superetur*que. Hunc improbum indagandae historiae philosophicae laborem non immerito inter praecipuas causas referimus, cur non aeuo tantum medio, quo omnis literaturae honos emarcuit, vixque vnus atque alter, e. g. Ioannes Sarisberiensis similesque pauci eminuerunt, qui vltra vulgus triuii saperent, et veterum sententias rite tenerent: sed cur nostro quoque tempore, quo ad elegans et iucundum hoc historiae genus exempla magnorum virorum ingenia inuitarunt, pauci sint, qui hunc campum ingrediantur, pauciores, qui emetiri cupiant, et in omni veteris disciplinae circulo, quo ne minima quidem particula veteris supellectilis et antiquitatum leuissimarum negligitur, philosophiae historia postremo habita loco sit et tantum non abiecta: curque in tanto renouatarum literarum meliorum et elegantiorum lumine tam paucos habeamus historiae philosophicae iustis legibus circumscriptae scriptores, cum tamen aliud nos docuerit tanta veterum diligentia, vt integro tractatu bonae frugis pleno scriptores historiae philosophicae veteres enarrare potuerit IOANNES IONSIVS. Cum enim non parum sudoris, industriae, meditationis, et imprimis patientiae requirat philosophiae historia, nostri autem temporis nescio quae curiositas ad finem et extrema studiorum praepostero cursu properet, mirum non est, contemni haberique insuper nobilissimam eruditionis historiae partem, et ob impatientem diuturni laboris animum nimiamque festinationem praetermitti: sic vt felici fato fieri censendum sit, si in ἐγκυκλοπαιδείας circulo, qui hodie obtinet, non plane

Digitized by Google

plane nulla hiſtoriae philoſophicae ratio habeatur, ſaepeque inter academicos doctores deſit, qui viam monſtrare queat, quamuis aliarum diſciplinarum, quarum olim nomina vix audita ſunt, profeſſores lautis hodie ſtipendiis alantur; et ſi vnus alterque bonarum literarum ſtudioſus repetiatur, qui ſano conſilio inductus ad haec ſacra animum attendat, ita tamen vix ſemeſtre illis ſpatium tribuatur, quo facile poteſt intelligi parum, quod ſaplat, poſſe diſci, et ne externos quidem philoſophicae hiſtoriae vultus poſſe ſatis conſiderari. Id quod aliter viſum veteribus, quos, auctore Ariſtotele non latuit, annis ſcientias naſci et hiſtoria rerum, quae ſcientiis ſunt ſubiectae; illud vero non menſium ſed annorum opus eſſe. Quapropter Chion Platonis auditor [i] cum a ſuis vrgeretur, vt ne longo tempore in diſcendis philoſophorum placitis et decretis vellet occupari, reſpondit, minimum ſibi decennio opus eſſe, priusquam abſoluat. Quod non mirabitur, qui ampliſſimum eius campum, qui percurrendus eſt, animo paulum curioſo cogitet: quanquam iuſtis auxiliis adiuto non impoſſibile putamus intra biennium tantum diſciplinae huius diſcere, quantum ad philoſophiam encyclopaedia continendam pertinet, quo ſpatio Proclum hoc ſtadium emenſum tradit MARINVS [k]: modo iuſta praeparatione, et imprimis literaturae veteris non prorſus ignarus accedat. Aſt haec noſtro tempore rara auis eſt, quo ex veteri praeiudicio omnis ſapientiae circulus in quatuor facultates diſtribuitur, et fugacia atque ad τελετὴν ſtudiorum properantia adoleſcentium ingenia non diſciplinis propaedeumaticis exercentur atque praeparantur, ſed ad ſcientias, quas vulgus inepto praeiudicio ſuperiores vocat, admittuntur, vel trahuntur quoque interdum, mala ſaepe doctorum publicorum fide, et quod ad hunc ſcopum non facit, pro otioſo labore et ingenioſo habetur otio, eo quod nec honores et titulos, nec opima praemia atque munera ita conciliare licet, mentes autem iuueniles inferiorum ſcholarum vitio adeo ignauam ſtudiorum operam addiſcunt, vt, quo euolare commodo et ſuperficiario conatu non poſſunt, eo eniti contentioſe et cum cura plerique ſpernant. De qua tamen ingeniorum ſcabie ab academiarum ſtadiis arcenda merito ſolliciti debebant eſſe, quibus cura demandata eſt, vt ad rempublicam vtramque rite ornandam omni labore et conatu formetur iuuentus academica. Verum haec quamuis neceſſaria, nec a noſtris circulis aliena latius hic exquirere non licet, ſed virorum cordatorum et de humana ſocietate bene mereri cupientium meditationi commendanda ſunt. Cauſſam tamen hanc potiſſimum fuiſſe, cur tot annorum curam in hoc ſtudium rite expoliendum tandemque ſuis

i) Chion Heracleenſis cum Leonida Platonis diſcipulus fuit IVSTIN. L. XVI. 5. extant ſub eius nomine epiſtolae editae a STEPHANO et CASELIO in quibus potiſſimum demonſtratur, philoſophiam non reddere homines inertes, verum ad negotia publica non minus, quam privata idoneos. Reperiuntur Chionis Epiſtolae etiam in collectione Aldina et Geneuenſi 1606. fol. edita. Conf. FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. I pag. 407.

k) In vita Procli, c. 8.

ſuis limitibus conſtituendum adhibuerimus, fateri publice non erubeſcimus.

pag. 32. lin. 6. a fin. *Alibi prolixius dicendi locus erit.* Dedimus ſcriptori de hac eruditionis parte praeclare merito, ſine cuius diligentia in innumeris rebus ad eam pertinentibus coecutiremus locum eiusque res, pro inſtituti ratione ſatis prolixe enarrauimus in hiſtoria ſectae Epicureae poſt C. N. vigentis *l*: non quod ipſum fuiſſe Epicuri ſequacem putemus, quod nullibi prodidit, neque nomen huic ſectae ſe addixiſſe manifeſtauit, quamuis viri paſſim docti hanc coniecturam ſequantur, ſed quod hominis vere eclectici, et qui in nullius ſectae caſtris militauiſſe videtur, propenſa magis erga Epicurum, cuius nobis *αὐτογεάφων* partem conſeruauit voluntas fuit, quam erga alios, quibus appendicis loco, cum alibi collocari vix potuerit, hunc locum aſſignauimus.

Ib. lin. penult. *Suo loco monebimus.* Factum illud infra Tomo II. in Plutarchi Chaeronenſis hiſtoria *m*.

pag. 32. lin. 20. *Scriptores, qui in hoc ſtadio cucurrerunt, enumerabimus.* Non tacenda hoc loco eſt laudabilis induſtria, celeberrimi olim academiae Ienenſis ICti BVRCARDI GOTTHELF STRVVII, qui condita, more ſuo, *bibliotheca philoſophica*, poſt Friſii, Spachii, Bolduani, Lipenii aliorumque labores, ſuperficiarios et parum, quod dignum eſſet afferentes, eos ſcriptores cum cura enarrare ſategit, tum qui fontes philoſophiae, per omnes fere ſectas diſperſos aperuerunt, tum, imprimis *capite tertio*, ſcriptores, qui hiſtoriam philoſophicam in ſpecie expoſuerunt: quo pacto enata illi occaſio dicendi de ſcriptoribus philoſophiae barbaricae, Indorum, Perſarum, Sinenſium, Arabum, Turcarum, Ebraeorum, Aegyptiorum, Suecorum, Gallorum, Germanorum, Graecorum, et ſpeciatim de ſcriptoribus philoſophiae Pythagoricae, Socraticae, Platonicae, Ariſtotelicae et Scholaſticae, Stoicae, Epicureae et Scepticae; quibus iuniores ſectae Ramaea, Carteſiana, Wolfiana, et Henoticorum conatus ſimul indicati ſunt. In quibus ſyllogis cum non ſatis plena eſſent enarrata omnia multaque noua acceſſiſſent, nonnulla quoque emendationem poſcerent, laudatiſſimo ſtudio V. C. LVDOVICVS MARTINVS KAHLIVS Profeſſor Goettingenſis in animum induxit vtiliſſimi libri vltra dimidiam partem aucti nouam nobis editionem dare, vt annales philoſophicae hiſtoriae literarii ex illis condi poſſent *n*. Quae editio cum prae-

l) Per. II. P. I. L. I. c. 2. ſ. 8. §. 8. p. 622 ſeqq. vnde heic dicta poſſunt ſuppleri.

m) P. I. L. II. ſ. 3. §. 12. p. 180.

n) Prodiit liber vtilis et iucundus cum augmentis Kahlianis Goettingae 1740. 8. Quamquam autem naeuis non caret, poterantque quaedam dilucide et copioſe magis dici, omitti quaedam et diſcerni, quae huc nun pertinent, et critico cuncta iudicio illuſtrari, vt nihil eſt ab omni parte perfectum, contentos nos tamen hoc labore oportet, isque priuato ſtudio poliendus et perficiendus, donec vir aliquis doctus exſurgat ingenii, lectionisque variae atque criticae facultatibus ſatis inſtructus, qui criticam bibliothecam hiſtoriae philoſophicae condat. Tale quid in animo erat τῷ πάνυ HEVMANNO cum acta hiſtoriae philoſophicae conderet, qui tamen a conatu mature manum retraxit, cum improbum, quem poſcit, laborem ſentiret.

Digitized by Google

praeſtantiſſima ſit, recte facient hiſtoriae philoſophicae ſtudioſi, ſi ad eam colligent, quae praetermiſſa, dicta tamen inuenient ab aliis. Quo pacto ex hac ipſa hiſtoria critica philoſophiae in vſus et laboris ſupplementum adhibita largiſſima bibliotheca, hiſtoriae philoſophicae collectio poſſet inſtitui.

pag. 33. lin. 7. *Lux in hiſtoria philoſophica oriatur.* Iungit his hiſtoriae philoſophicae ſcriptoribus veteribus STRVVIVS [o] Eunapium Sardianum propter libellum *de vita philoſophorum et ſophiſtarum.* Verum ipſum eum librum non inſpexiſſe ſuſpicamur, alias vidiſſet, non occupatam fuiſſe diſerti Sophiſtae calamum in enarrandis philoſophorum veterum rebus, ſed in laudanda et extollenda ſchola Plotini et ſequacium, quos eclecticos vocamus, quorum res fuſe, aſt nec candide, nec plene ſatis exponit, de quo ſuo loco [p] ex inſtituto dictum eſt. Meliori iure huc vocandus eſt HESYCHII illuſtris libellus, *de his, qui eruditionis fama claruerunt*, inter cuius editiones MEVRSIANA eminet [q]. Ille enim plurimorum philoſophorum *βίωνας* exhibiturus, maxime e Diogene Laërtio [r] aliisque corraſit, quae ſcopo ſuo inſeruire poterant, quae tamen pleraque apud alios quoque leguntur. Philoſtrati autem vitae Sophiſtarum huc non referendae erant STRVVIO [s], qui non ad philoſophos ſed ad rhetores pertinent, in Philoſtratorum autem operibus ab eruditiſſimo G. OLEARIO editis nitide illuſtratae leguntur. Quanquam philoſophi et ſophiſtae nomen antiquo tempore non adeo differebat, vt non in philoſophiae quoque annalibus eorum mentio fieri poſſet. Id quod ipſe cenſuit PHILOSTRATVS monens [ſſ]: *τὴν ἀρχαίαν σοφιστικὴν ῥητορικὴν ἡγεῖσθαι χρὴ φιλοσοφῆσαι· διαλέγεται γὰρ ὑπὲρ ὧν οἱ φιλοσοφοῦντες· ἃ δὲ ἐκεῖνοι τοὺς ἐρωτήσεις ὑποκαθήμενοι, καὶ τὰ σμικρὰ τῷ ζητουμένῳ προσβιβάζοντες ὅπῃ φασὶ γνώσεσθαι, ταῦτα ὁ παλαιὸς σοφιστὴς ὡς εἰδὼς λέγει. Priſcam ſophiſtarum artem rhetoricam ſtatuere par eſt philoſophantem; nam de iisdem rebus, quibus philoſophi, diſputare ſolet. Quae tamen illi inter rogatiunculas ſubornantes, et identidem ei quod interrogando elicuerant aliquantulum adiicientes ſe quidem ignorare dicunt, haec antiquus ſophiſta tanquam certo cognoſcens profert.* In quibus verbis Philoſtratus ad primam aetatem magiſtrorum eloquentiae reſpicit, qui argumenta philoſophica ſibi excutienda ſelegerunt [t], cum

o) l. c. c. I. §. 3. p. 7. Optandum autem eſſet, vt libelli illius noua prodiiſſet editio, quam meditatus erat I. ALB. FABRICIVS, narrante cl. REIMARO in vita Fabricii p. 209. et non abieciſſet laborem, cuius iam aliquot folia erant impreſſa. Similiter etiam dolemus Max. reu. Abbatis I. BENED. CARPZOVII laborem in eundem ſcriptorem in ſpongiam incubuiſſe. Dici enim non poteſt, quam vellitatem in hiſt. phil. et eccl. Sec. IV. et ſeqq. libellus afferat.

p) Per. II. P. I. Lib. I. cap. 2. ſ. 4. §. 29. p. 101 ſeqq.

q) Lugd. Bat. 1613. 8. De reliquis editionibus videndus FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. VI. p. 242.

r) Adeo preſſe eum ſequitur, vt verba quoque haud raro repetat. Multa tamen habet, de quibus Laërtius nihil. Conf. HANCK. de Script. rer. Byzant. P. I. c. 4. p. 142 ſeq.

s) loc. cit. p. 9.

ſſ) In prooem. L. I. p. 480. edit. Olear.

t) Comparandus cum his locus PHILOSTRATI de vit. Apollonii L. I. c. 17. quanquam et ille a Socratico more in philoſophando atque diſputando recedebat.

cum Socraticis philosophis ideo perpetuis bellis commisti, qua de re praeter ea quae OLEARIVS ad h. l. annotauit, ea imprimis legenda sunt, quae de indignorum philosophi nomine hominum indole in Socratis historia scripsimus [y], quem deduxisse quoque iuuenes ab inanibus dialecticae dissertationibus horum hominum et ad seueram philosophiam reuocauisse alio loco [z] monuimus. Relinquenda itaque sophistarum historia suis cancellis nec cum historia philosophica miscenda est, quanquam veteris Graeciae literaturam non intelligent, et in philosophorum quoque gestis non satis proficient, qui sophistarum veterum historiam ignorant. Imperatorum autem post C. N. tempore philosophorum et sophistarum nomen saepe coaluisse, Eunapii historia satis demonstrat [a].

pag. 33. lin. 16. *Obseruationibus illustrauit.* Accurate et ex instituto de egregio libello egimus in vita Origenis.

p. 33. not. o. lin. vlt. *Collatio nos docuit.* Expectaulmus nouam editionem vtilissimae collectionis a desideratissimo viro B. Io. CHRISTOPHORO WOLFIO, qui cum eius nobis indicium feciset, codicem Augustanum ad eum transmisimus, spe facta collatum cum aliis quoque msc. edendi. De quo quid sperari poterat, viri optimi et πολυμαθεστάτου, et imprimis in veteri literatura versatissimi monumenta literaria testantur. Verum Aiax ille in spongiam incubuit, et expectat adhuc Stobaei collectio obstetricem manum, quae lacunas suppleat, loca veterum indicet, medicam atque criticam manum corruptis adhibeat. Dedimus nos quoddam manuscripti codicis, qui in Bibliotheca Augustana asseruatur, specimen [z], quaque ratione Germanica interpretatione, quam inepte satis ausus erat FROELICHIVS, archigrammateus Augustanus [a], ad huiusmodi labores prorsus imparatus, ex nostra sententia exemplum exhibuimus, obseruationibus criticis et historico-philosophicis insigne opus illustrandi augendique saliuam illis mouere cupientes, qui meliori, quam nos apparatu ingenii, et doctrinae delectu, otioque literario instructi sunt. Sed incassum nos speraisse euentus hactenus docuit.

pag. 34. lin. 9. *In sequenti tractatione notabimus.* Maxime ideo Suidas in philosophiae historia notandus est, quod complures scriptores veteres hodie deperditos, qui de philosophia eiusque rebus scripserunt excerpsit, modo id attento magis feciset oculo, et quod probe notandum, non tam misere habitus et corruptus fuisset. Et multa quidem emendauit atque restituit KVSTERI industria, reliquit tamen non pauca medicam adhuc manum expectantia. Vnde merito optandum, vt viri docti et necessariis ad id auxiliis instructi de noua editione cogitent, in qua suppleantur, quae reliquit intacta, vel etiam curis secundis annotata ante mortem Vulcano tradidit Kusterus, quaeque ex diligenti veterum comparatio-

y) T. I. P. II. L. II. c. 2. §. 10. p. 549. 559.
z) In Antisthenis vita p. 863.
a) T. II. P. II. L. I. c. 3. §. 15. p. 437 seqq.
b) Vid. Collect. ad hist. crit. linguae Germ. Vol. V. p. 349 seqq. Vol. VI. p. 71.
a) Dictus alias LAETVS. Prodiit liber rarissimus Basil. 1551. conf. FABRIC. Bibl. Graec. Vol. VIII. p. 689.

Digitized by Google

paratione lucem foenerari textui Suidae ſubinde aegro apta ſunt, iteratis ſtudiis Kuſterianis adiiciantur. Cuius ſplendida editio Cantabrigienſis rara hodie eſt, et in tabernis librariis tantum non diſparuit [b]. Molitos eſſe iam anno cIↃIↃCCCXXXVI. viros doctos Cantabrigienſes eiusmodi nouam editionem; operam imprimis commodante ſuam bibliothecae Trinitatis praefecto cl. Hudginſono, narrat nobis tunc αὐόπτης KAIILIVS [c]. Hactenus tamen nihil eiusmodi laboris vidimus, et emendatam auctamque vtiliſſimi ſcriptoris editionem adhuc expectamus.

pag. 34. lin. 10. *Inter tenebras et barbariem.* Monet nos temporis ratio, et medii aeui conditio de ſcriptore, de philoſophiae et philoſophorum hiſtoria bene mereri cupiente, a quo, niſi fatorum illius temporis iniquitas, quae denſa omnia nube obtexit, vt nullum recte ſidus illuceſceret, obſtitiſſet, aliquid in hoc ſtudiorum genere expectari potuiſſet, quod noctem iſtam potuiſſet ſuo modo illuſtrare. Eſt is IOANNES VALEIS ſiue Walleys, i. e. Waliſius, Wignoriae Minorita, vir ſuo tempore, quod in annos CIↃCCLXX. et ſequentes, ex ſcriptorum literariorum teſtimonio [d] incidit, doctrinae opinione maximus, quem TRITHEMIVS, ait, *fuiſſe in diuinis ſcripturis eruditiſſimum, qui in gymnaſio Pariſienſi multo tempore theologiam glorioſe docuerit, tantaeque eruditionis et eloquentiae fuerit, vt arbor vitae ſit appellatus.* Quamuis autem tam praeclara fama percrebuiſſet, vt, monente BALEO [e], *iſtud cognomen non absque inſigni ſeruatoris blaſphemia diceretur, isque ea ingenii promtitudine ac cognitione praeditus eſſet, vt de quacunque re potuerit diſſerere, multaque diſputare, eloquentiae tamen laudem* ei denegat BALEVS, taſſus, non ornate potuiſſe dicere, additque his: *in ſcholis ſaepiuſcule diſputabant hi turgidi phariſaei, de virtutibus, immo de ipſa perfectione Euangelica, non ex corde vt inde fierent meliores, ſed potiſſimum, vt ſpectarentur coram hominibus.* Cuius iudicii veritatem de hoc ſcriptore ipſa quidem eius aetatis indoles et natura prodit, fidem autem potiſſimum facit ſequens opus, cuius titulum ob argumentum et inſignem raritatem hic adſcribimus: *Iohannis Valenſis ſumma de regimine vi-*

b) Vid. biblioth. Solger. cat. T. I. p. 447.

c) Ad STRVVII biblioth. philoſ. c I. not. s. p. 10.

d) Claruiſſe ſub Rudolpho I. ait TRITHEMIVS, de Script. eccl. c. 481. p. 119. bibl. eccl. Fabric. is autem electus eſt imperator anno 1273. Alii annis 1263 ſeq. ad an. 1290. adſcribunt, LELANDVS, PITSEVS, BALEVS in catalogis ſcriptorum Britannorum notiſſimis anno 1368. autem LVCAS WADINGVS Bibl ord. min. an. 1368. quem ſequitur CASIMIRVS OVDINVS, de Script. Eccl. T. III. p. 495. quos tamen Trithemio et ſequacibus opponere non audemus. Sequuntur eundem annum IOSIAS SIMLERVS, bibl. vniu. p. 423. et ante eum PHIL. BERGOMENSIS in chron ad an. 1476. FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. III. p. 318. Videndus quoque de hoc Valenſi REIMMANNVS, hiſt. lit. Germ. T. I. ſ. 3. §. 60. p. 72.

e) Profit TRITHEMIVS l. c. ſe hunc librum non vidiſſe, praeter communiloquium enim ſe nihil eius de caeteris reperiſſe fatetur. BALEVS autem qui Cent. IV. c. 26. p. 317. libros eius quos vidit, recenſet, alios longe titulos, e. g. de virtutibus antiquorum, hiſtoriarum collectanea, etc. memorat, margaritae doctorum nullam mentionem facit. SIMLERVS l. c. p. 423. titulo quoque et inſcriptione variat, ita enim refert, vt in rubro leyerat: *Summa de regimine vitae humanae ſ. margarita doctorum, id eſt loci communes ad omne propoſitum*, cum ind. locupl. Lugd. 1511. Reliqui quae vno faſciculo et titulo continentur, diuerſa ſcripta faciunt, e. g. Oudinus et Fabricius, ex quo recte concluditur, libellum ipſis viſum haud eſſe, quem barbaries et canities annorum tenebris damnauit.

tae humanae ſeu margarita doctorum ad omne propoſitum in quatuor partes diuiſa, quarum prima communiloquium de republica et informatione perſonarum, ex quibus conſtituitur: ſecunda compendiloquium de philoſophia et de vitis illuſtrium philoſophorum; tertia breuiloquium de philoſophia ſeu ſapientia ſanctorum et virtutibus antiquorum principum et philoſophorum; quarta alphabetum vitae religioſae, cuius tres ſunt partes diaeterium, locarium et itinerarium. Prodiit opus typis quoque impreſſum Lugduni clɔlɔxi. 8. adeo autem rara auis eſt, vt pauciſſimis viſum ſit, et plerique in eo recenſendo hallucinentur. Quare, cum ex bibliotheca publica Auguſtana [f] praeſentem habeamus, nonnulla in paginae fine [g] in lectoris gratiam adiiciemus. Quam-

f) Vid. Ehingeri Cat. Bibl. Aug. p. 605. n. 24. vbi titulus recenſetur qualem ſupra dedimus; ipſum tamen, quem praeſentem habemus librum inſpicientes, deprehendimus Ehingerum ſingularum partium titulos deſcripſiſſe, cum in ipſa libri fronte tantum legatur: *Summa Iohannis Valenſis de regimine vitae humanae ſeu Margarita doctorum ad omne propoſitum, prout patet in tabula.* Clauditur opus hac inſcriptione: *explicit inſigne hoc atque praeclarum opus ordinarium ſine alphabetum vitae religioſae* (haec vltima operis pars eſt) *a fratre Iohanne Valenſi editum*, impreſſum Lugd. clɔlɔXI. 8. Characteres ſunt Gothici.

g) Exhibet hoc compendiloquium, (epitomen ſolemus appellare) partem ſecundam huius ſyſtematis philoſophici, ſi nomen meretur, haberque inſcriptionem: *Incipit prologus in compendiloquium de vitis illuſtrium philoſophorum, et de dictis moralibus eorundem, ac exemplis imitabilibus, editum a fratre Ioanne Valeſi, ordinis fratrum minorum*, conſtatque partibus decem, quarum prima agit de philoſophia in generali, ſecunda de hoc nomine philoſophus et de profeſſione philoſophica in communi, tertia de ſucceſſione philoſophorum illuſtrium et principalium ac vita eorum, quarta de vita aliorum quorundam philoſophorum minus famoſorum, ac dictis eorum, quinta de multiplicibus perfectionibus philoſophicis, ſexta de tribus ſectis principalibus philoſophorum, ſeptima de ſeptem artibus triualibus et quadriualibus in generali, octaua de poëtis et apologorum inuentoribus, nona de abutentibus ipſa philoſophia, decima de locis, in quibus ſtudia philoſophiae ſpecialiter floruerunt. Scopum autem ſibi fuiſſe profiteretur auctor, *ad imitationem apis colligere dicta philoſophorum gentilium illuſtrium notabilia et praedicabilia, exempla imitabilia, quae ſunt quaſi quidam flores dimittendo et praecauendo nexios errores in hac collectione.* Vnde recte colligimus, non tam hiſtoricum opuſculum, quam ethicum voluiſſe auctorem conſcribere, et tantum ſecundam, tertiam, quartam ac decimam opuſculi partem ad philoſophiae hiſtoriam pertinere. Agit enim P. II. c. 1. de nomine philoſophus et eius origine c. 2. de philoſophica profeſſione, c. 3. de philoſophica veſte et indumento, P. III. Sect. I. c. 1. de ſucceſſione philoſophorum in communi, c. 2. de Diogene et eius vita c. 3. de Socrate et vita eius, c. 4. de Platone, c. 5. de Ariſtotele et eius vita, c. 6. de Pictagora, Sect. II. c. 1. de ſeptem ſapientibus, et eorum ſucceſſione c. 2. de Solone et legibus eius ac ſtudio. c. 3. de Anaxagora et eius virtutibus Sect. II. c. 1. de Antiſthene magiſtro Diogenis, c. 2. de vita Diogenis et eius virtutibus, c. 3. de reſurrectione munerum Alexandri, c. 4. quod fuit ſimilis diis immortalibus, c. 5. de voluntate reuocandi ſeruum, c. 6. de patientia eius in iniuriis ſuſtinendis, et ſimilibus virtutibus, quas vsque ad c. 14. exponit, in quo, vt inſigni anachroniſmo ignorantiam rerum veterum prodat, de eius honore et legatione ad ſenatum Romanum agit, Diogenem Cynicum cum Peripatetico miſere confundens. Et ſimili quidem tractatione etiam Socratis hiſtoriam luſtrat, et virtutes eius multis proſequitur, tum de ſpiritu eius comite, de contemtu Deorum pro quo paſſus eſt, de ſono ante mortem, de honoribus poſt mortem, de punitione accuſatorum, de eius aetate, tempore natiuitatis et mortis tractat. Sectionem ſiue Diſtinct. IV. dicauit Platoni, vbi de eius educatione, peregrinatione triplici, aduentu in Siciliam, virtutibus, tempore et aetate, veritate in libris eius contenta, ſententiis, amore emendi libros alienos, morte et honoribus poſt eam rhapſodiam miram conſtruit. Sect. V. vitae Ariſtotelis deſtinat, eius originem, parentes, diſciplinam apud Platonem, honores apud principes, prolem et diſcipulos, ingenium et ſtudium, virtutes, abſconſionem librorum ſuorum in morte, aenigmata et dicta moralia mortemque ſuo more enarrat, hisque alios diſcipulos Platonis, Apuleium, Xenocratem, Phaedrunem, Gorgiam, Theophraſtum ſubiungit. Sect. VI. de vita Pictagorae tractat, deque eius origine et ſecta Italica, peregrinatione, auctoritate, muſica, dogmatibus, dictis moralibus, profectu diſcipulorum, contemtu Deorum et morte differit. Tum. P. IV. alios philoſophos recenſet, Canaydem (Carneadem) Demoſtenem, Iſocratem, Democritum, Ipocratem, Zeronem (Zenonem) Thauſum, Publium, Fauorinum, Chilonem, Marcum Tullium, Senecam, Boethium. In ſequenti autem P. VI. de ſectis philoſophorum agendo de Peripateticis, de Stoicis, de Academicis, de Epicureis, eorumque dogmatibus quaedam ſpargit magis quam docet. Et haec nobilis illa Sec. XIII. hiſtoria philoſophica

Quamuis autem laude pro iſtius temporis conditione, quo omnia torpebant, non careat, res veterum philoſophorum non plane ex hominum memoria excidiſſe, fatendum tamen, ſcriptorem ab iis, quae ad ſcribendas philoſophorum vitas requiruntur, imparatiſſimum quique non poma arboris vitae, ſed ſenticeta quisquiliarum ſcholaſticarum ſuppeditat, attuliſſe plane nihil, quo iuuari philoſophica hiſtoria poſſit, tutoque in ſuis latebris obliuioni traditum et cum tineis luctantem relinqui, ad noſcendam tamen ſeculi XIII. quo vixit eruditionis philoſophicae faciem maxime commodus liber eſt, ex quo luculento exemplo conſtat, quam foede et inhumaniter eo tempore tractatae ſint literae, et quid in iſta barbarie ſcholaſtica de philoſophiae hiſtoria fuerit relictum: quare ad ea, quae tomo III. de hac putida barbarie diximus, illuſtranda commode poteſt adhiberi, et ad examinandos illos in vſus vocari, qui ex vnius alteriuſue ſtellae nebuloſae in hoc coelo philoſophico radiis barbariem iſtorum ſeculorum negant, eamque fictam eſſe, obtrudunt; quod cum contendiſſet LYSERVS [h], ad eiusmodi ſpecimina, qualia attulimus non attendit, ſolis forte poëtis contentus.

pag. 34. lin. 15. *Tum depreſſae iacuerint elegantiores literae.* Actum de Burlaeo eiusque conatu hiſtoriam philoſophorum ſcribendi infra *T. III. Per. II. Lib. I. c. 3. ſ. 2. §. 41. p. 856.* conf. quae l. c. attulit Heumannus. Cum contemtu de hac hiſtoria philoſophica recte iudicat cel. SCHELHORNIVS [i], adeo lutulenta ſunt omnia: quamuis excuſandum putemus Burlaeum, qui more aetatis ſuae tantum compilatorem egit [k], non ex fontibus ſed ex riuulis aeui fere medii, ſi Ciceronem, et Senecam excipias, et magis ad ſententias morales, quam ad narrationem hiſtoricam reſpexit: vnde in iis philoſophis copioſe recenſendis totus eſt, ex quibus moralia dicta et praecepta poterat colligere, e. g. c. 119. de Seneca, cum de aliis plerisque vix tribus lineis aliquid dicat vel balbutiat magis, e. c. c. 36. de Euripide, c. 65. de Polyſtrato et Hypoclide Epicureis, c. 90. de Callidio, c. 99. de Plautio oratore, c. 101. de Lucio, c. 111. de Apollonio, etc. Quamuis autem Laërtium legiſſe videatur, quem more

 ſuo,

phica eſt digna, ſi Diis placet, quae in bibliothecarum publicarum ſorulis aſſeruetur, teſtis barbariei eius temporis futura. Quanquam enim pro eruditione eius aetatis multum lectionem prodat, adeo tamen ignarus Graecae linguae eſt, vt ne Pythagorae quidem nomen ὀρθῶς ſcribere potuerit, cunctaque fere non ex fontibus, ſed riuulis Latinis, Iſidoro, Caſſiodoro, Martiano Capella, Boethio, Auguſtino, et his inferioribus aliis qui tunc legebantur, hauſerit, et miſerando rerum chao ita inter ſe confundat, vt cum amphora inſtitui coeperit, currente rota vrceus exeat. Commiſcet perſonas, ſectas, dogmata, tempora, et quadrata rotundis. Digna arbor vitae in deſerto ſcholaſtico, vbi triſte lolium ſterilesque dominantur auenae. Sed ſatis de eo, quem nacuiſſe, niſi extrema libri raritas nos tantiſſet.

b) De ficta medii aeui barbarie, de quo argumento ſuo loco in hiſtoria medii aeui dictum eſt, quantum ſatis.

i) Amoenit. liter. T. V. §. 7. p. 14. et tamen ſplendidiſſimo carmine librum commendauit poëta, vbi inter alia:

Maximus exiguo theſaurus venditur aere,
Quo nullum toto maius in orbe ſophos.

k) Fatetur id ipſe auctor in praef. *ſe de vita et moribus philoſophorum veterum tractaturum, multa quae ab antiquis auctoribus in diuerſis libris de ipſorum geſtis ſparſim ſcripta reperit, in vnum colligere laboraſſe: plurima quoque eorum reſponſa notabilia et dicta elegantia huic libro inſeruiſſe, quae ad legentium conſolationem et morum informationem conferre poſſent.*

ſuo, id eſt ſupine et negligenter exſcripſit, tantam tamen Graecae linguae ignorantiam in ea probauit, vt vix putemus, proprio eum Marte Graecum iſtum auctorem legiſſe. Venia tamen cum Valenſi, eiusdem generis homine dignus eſt, quod in iſta literarum barbarie voluiſſe, ſatis magnum ſit: vnde iudicii nos de hoc ſcriptore l. c. dati non poenitet. Miramur autem, librum ſeculi tantum ſcholaſtici ſtabulo dignum potuiſſe poſt redeuntem literarum auroram denuo excudi, quin, teſte LABBEO [l], ab ANTONIO A SALA, Monbellenſi Iurisconſulto, nullius pudoris plagio pro ſuo Caſali in Italia apud Bernardum Groſſum impreſſorem ducalem, tanquam ingenii ſui partum publicari, exciſis quibusdam in fine, ne plagium prodatur.

pag. 34. lin. 18. *Excolendae viri docti.* Primi fere poſt renatas literas, qui de philoſophicae hiſtoriae cultura puritati et nitori ſuo reſtituenda cogitarunt, ſunt Graeci fugitiui, qui Muſas expulſas ex Oriente in Italiam tranſtulerunt. Hi cum plerique reformatae Platonicorum ſectae, quam Alexandrinam diximus, eſſent addictiſſimi, illa vero ſine veteris philoſophiae cognitione non poſſet conſiſtere intra monaſteriorum angulos [m], vnus quoque atque alter in ſplendore aulae Conſtantinopolitanae [n], Graecae philoſophiae eiusque hiſtoriae notitiam conſeruare ſtuduerunt. Hi expulſi a Turcarum feritate patria inuitante potiſſimum Mediceae gentis liberalitate in Italia tanquam in tutum nidum recepti ſunt, ibique cum reliquis diſciplinis et philoſophia ipſa, eius quoque hiſtoriam tradiderunt, ſcriptisque haud leuibus argumenta ex ea varia illuſtrare ſunt aggreſſi. Exemplum eſſe poſſunt Georgius Gemiſtus Pletho, Beſſario cardinalis, Georgius Trapezuntius ſimilesque, qui deinde ad diſcipulos Ficinum, Picum aliosque idem ſtudium propagarunt. Ex quorum ſcriptis, ſi quis recte illis vti nouerit, haud contemnenda hiſtoriae philoſophicae, maxime quae dogmata veterum enarrat, lux poteſt accendi. De quorum ea in parte induſtria cum ſuo loco [o] ex inſtituto actum ſit, in praeſentia plura dicere nihil attinet. Inter Latinos autem, vertente Seculo XV. et circa auſpicia Sec. XVI. ſaxum hoc voluere conatus eſt, vt

l) In Biblioth. bibliothecarum, p. 87.

m) Factum id ſeculo nono atque decimo, imperatoribus Barda, Conſtantinoque Porphyrogenneta, qui philoſophiae Graecae, maxime Alexandrinae lucem tantum non extinctam accendere iterum conati ſunt, PHOTIO aliisque poſt eum laudabili induſtria ſuccenturiantibus. Qua de re conſulenda ſunt, quae T. III. Per. II. P. II. L. II. c. 1 ſeqq. p. 535 ſeqq. ex inſtituto enarrauimus, et ad expugnationem vrbis Conſtantinopolitanae vsque deduximus.

n) Supra iam ad p. 13. not. N. ex Zonara obſeruarum, Leonis Iſauri tempore eiusmodi philoſophorum collegium in aula imperatoria floruiſſe, qui diſperias veteris philoſophiae lacunas colligerent. Idem poſtea ſtudium in aula Conſtantinopolitana emerſit, cum philoſophorum collegia publica in ipſius aulae conclauibus erigerentur, iis praeficeretur philoſophus, qui ob directionis eminentiam dictus eſt ὁ ὑπάτος τῶν φιλοσόφων. Horum philoſopherum omnium ſtudium cum in explicanda philoſophia Graecanica, maxime ſecundum diſciplinam Alexandrinae ſectae conſiſterit, facile intelligi poteſt, plurimum eos ad conſeruandam veteris philoſophiae Graecanicae memoriam attuliſſe. Exemplum qui cupit, eum VITELLI et THEODORI METOCHITAE illa in re conſilia et labores conſiderare iubemus, vel ſi placet comparare cum his, quae T. III. Per. II. P. II. L. II. c. 1. adducta ſunt.

o) T. IV. Per. III. P. I. L. I. c. 8. p. 41 ſeqq.

Digitized by Google

vt memoriam veterum philoſophorum poſteritati relinqueret RAPHAEL MAFFEVS DE MAFFEIS a patria dictus Volaterranus ſcriptor ſuo tempore haud indiligens et ob eruditionis varietatem valde celeber [p]. Ille enim praeter multa alia ingenii documenta, *Vrbanorum commentariorum libros XXXVIII.* [q] ex mille vtriusque linguae auctoribus, quod ipſe docet, congeſſit, diuiſoque in tres tomos opere, aliquoties edito [r], in ſecundo anthropologiam ſiue viros illuſtres, eorumque fata ac facta copioſe enarrauit, et hoc pacto celebriorum philoſophorum hiſtoriam atque dogmata enarrauit. Qui ſi eandem iudicii vim, quam lectionis copiam attuliſſet, ſi vel ornate vel cum cura ſcripſiſſet, ſi Graecae linguae, quam prae ſe fert, accuratam magis notitiam habuiſſet, dignus cenſeri poſſet, qui in hoc hiſtoricorum de philoſophia choro, primas duceret. Aſt pridem obſeruatum PAVLO IOVIO [s], eum *in hac altera commentariorum ſuorum parte diſciplinas omnes in acerruum coniecciſſe, vtili potius in aliena deſidia, quam ad explicatae doctrinae decus nobili opere. Non multo enim cum ſale, et ſine ornamento latinae orationis, cuncta adſtricto ordine, vt alibi quaerenda legentibus indicare videantur.* In quo, de Volaterrano, iudicio viri docti plerique conſentiunt [t], resque ipſa teſtatur, fuiſſe eum ex huiusmodi ſcriptorum numero, qui riuos magis ſectantur, quam fontes. Quare eum in compilatorum catalogo relinquimus, nec commendare magnopere hiſtoriae philoſophicae cultorum iuduſtriae audemus.

pag. 34. lin. 25. *Imperfectum et iuſto breuiorem.* Laudandus imprimis Viues eſt, quod cum ducem ante ſe neminem haberet, effecto ad veterum exempla vultu, maxime Ciceronis, philoſophicam hiſtoriam non ad tradendas ſententias morales, quod hactenus factum erat, ſed ad emendandas artes atque diſciplinas, iudicio magis, quam eloquentia inſtructus adhibuerit, et neglecto minutiarum ſtudio, quae hiſtoriam philoſophicam ſcientiarum decori ſubtraxerant, valere iuſſo pragmaticam conſiderationem reuocauit, oſtendendo, quid philoſophia olim fuerit, et hucuſque eſſe deſierit; ex qua praeclarae diſputationes eius *de corruptis artibus, et tradendis diſciplinis* enatae ſunt, ab iis legendae, qui iudicio practico de encyclopaediae vera ratione et vſu ad veterum mentem iudicare cupiunt. Pari vero ratione iucundo exemplo philoſophicam hiſtoriam ad eccleſiaſticam illuſtrandam in commentariis bonae frugis plenis in AVGVSTINI libros de *ciuitate Dei* adhibuit, vnde hodie quoque hi eius libri ab hiſtoriae philoſophicae ſtudioſo diligenter legi merentur atque expendi.

pag.

p) Conf. POPPELOVNT. Cenſ. cel. auct. 515 ſeq. qui epitaphium exhibet.

q) Vrbanos vocauit, quia in Vrbe Roma conſcripſerat.

r) Edita ſunt Volaterrani opera Lugd. 1599. Ianou. 1603. fol. conf. Giorn de letter. d. Italia, T. XV. p. 315. KAHL. ad STRVV. biblioth. phil. p. 13.

s) In elogio Volaterrani.

t) Vid. VOSSIVS de hiſtoricis latinis, L. III. p. 672. cuius iudicio libenter ſubſcribimus.

Digitized by Google

pag. 34. lin. 29. *Leui opera confecta.* Non omitti hoc opuſculum inter hiſtoricos philoſophiae Sec. XVI. debet, propter collectionem non inutilem ſcriptorum aliquot, qui in hoc campo cucurrerunt. Continet enim non tantum GVIL. MORELLII, celebris typographi viri cetera docti *tabulam compendioſam de origine, ſucceſſione, aetate et doctrina veterum philoſophorum*, et D. CHYTRAEI *ſeriem philoſophorum et ſectarum praecipuarum*, itemque DESIDERII IACOBI VANDOPERINI libellum *de philoſophorum doctrina*, in quo ex Cicerone loca fere de philoſophia veteri collecta ſunt omnia; haec enim σκιαγραφία tantum ſunt et prima philoſophicae hiſtoriae lineamenta: ſed notabilis quoque eſt propter HIERONYMI WOLFII annotationes, quibus Morellium illuſtrauit, addita HERMIAE *irriſione philoſophorum* cum obſeruationibus ſuis, bonae frugis plenis. Et has quidem lucubrationes non indoctas quidem, attamen ſcholaſticas modo, et facile in catalogum librorum deperditorum referendas iudicant REIMMANNVS [w], et qui huius collectionis hiſtoriam non indiligenter collegit HEVMANNVS [x]; ſed αὐτοψίᾳ et lectione libri rarioris [y] conuicti, eum contemtum has annotationes Wolfianas non mereri lubenter fatemur. Quamuis enim is ipſe non neget, *rudem eſſe indigeſtamque molem, cum hoc tempore, vtriusque linguae theſauri eiusmodi, tot omnium bonarum artium methodi accurate ornateque conſcriptae extent, vnde longe et facilius et felicius velut e copiae cornu multa et plura et meliora peti poſſint;* excuſandus tamen non modo eſt, quod haec opuſcula eo tantum fine collecta edidit, vt *et doctos eorum quae olim legerant recordantes delectarent, et ſtudioſos multis de rebus diligentius vt cogitent*, admonerent [z]: quo imprimis fine commotus iſtas obſeruationes diſcipulis dictauit, concedent tamen, qui hiſtoriae philoſophicae gnari eas inſpicient, auctorem lectione varia in veterum ſcriptis exercitatiſſimum in his annotationibus pluſcula propinauiſſe, non pueris ſed viris doctis ſcripta dignaque, quae in deſcribendis veterum philoſophorum placitis attentionem mereantur, altiusque cogitandi occaſionem, maxime comparatione cum ſacris oraculis inſtituta, ſuppeditent. Quod autem ad dogmata tantum attenderit, in iſta breuitate culpandum haud eſt. Loca quoque veterum interdum emendat feliciter.

pag. 34. lin. 5. a fine. *Nec diligenter in ea re verſatus eſt.* Fundamentum ſuae tractationis, cui nec lectione nec iudicio par erat, poſuit FRISIVS in hac *bibliotheca philoſophorum* claſſicorum MORELLII tabulam ſupra dictam, quam cum augere vellet, intactam reliquit, confudit multa, eruditionem cum philoſophia miſcuit, et magnam rerum literariarum ignorantiam prodidit, dudum detectam a PETRO LAMBECIO [a].

pag.

w) Idea ſyſtem. antiquit. lit. n. 14. p. 27 ſeqq.
x) Act phil. Vol. III. p. 439 ſeqq.
y) REIMMANN. l. c. fecit haec raritas ei locum in theſ. Gronou. T. X.
z) Commode id-o monuit HEVMANNVS, poſſe illis lucubrationibus vti doctores academicos in praelectionibus habendis. Etiam IACOTII libellum theſ. ſuo inſeruit GRONOVIVS, qui tamen indigno nomine ſuo modo hanc editionem commaculauit. vid. REIMMANN. l. c. qui libellum ex merito laudat.
a) Praef. ad prodrom. hiſt. liter.

Digitized by Google

pag. 35. lin. 1. *Non tamen ineleganter propoſuit.* Conſtare id pôteſt ex ſumma huius diſſertationis rarioris, quam dedit HEVMANNVS [b]. Facile autem perſpicient harum literarum intelligentes nec iudicium nec lectionem defuiſſe Piſauro, in hoc argumento diſcutiendo, ſed obſtitiſſe breuitatem, tredecim enim plagulae totum abſoluunt opuſculum.

Ibid. lin. 2. *Verſatum eſt Seculum XVII.* Non omittendus hic erat philoſophus ſummum magnumque iſtius aetatis ornamentum PETRVS GASSENDVS. Is enim, vt hiſtoriae philoſophicae ſcientia eo tempore neminem ſibi ſe habuit priorem, ita in vaſto *Syntagmatis philoſophici* opere [c] non tantum praecipuarum de dogmatibus plerisque ſententiarum hiſtoriam pandit, et dogmaticam quandam hiſtoriam philoſophiae maxime ex Graecis ſuppeditat; verum etiam in libro prooemiali, bonae frugis pleno, quo de philoſophia in genere tractat, c. 5. exponit, qui praecipue philoſophati praeter Graecos olim fuerint, vbi omnis barbaricae philoſophiae ambitus exponitur c. 6. quam variae apud Graecos fuerint philoſophandi rationes et ſectae, enarrat; c. 7. de ſecta Ionica eiusque propaginibus, c. 8. de ſecta Italica, ad quam praeter ceteras Epicurea relata, breuiter quidem et ſtrictim, ſed more ſuo concinne nec ſine adhibito iudicio diſſerit, in omnibus autem ſcriptis ſuis eam philoſophicae hiſtoriae cognitionem ſpargit, quam fruſtra alibi quaeras, quaeque ad veram veterum philoſophorum mentem indagandam plurimum poteſt conducere. Et ſimillum quidem virorum doctorum, qui de veteri literatura in genere, et de philoſophia in ſpecie circa hoc tempus bene mereri ſtuduerunt, et haud parum veterum notitiam ſuis luminibus illuſtrarunt, plures poſſent nominari, ſi id ageremus, quod IONSIVM [d] *de ſcriptoribus hiſtoriae philoſophicae*, ſuſcepiſſe monuimus, vt eiusmodi catalogos virorum doctorum conſignemus, qui in hoc ſtadio haud infeliciter cucurrerunt. Quod ne absque exemplo dictum ſit, ad CHR. DREIERI diſſertationem *de origine et progreſſu philoſophiae*, quae prima eſt eius *ſapientiae primae* et ad PAVLI LEOPARDI, viri in veteri literatura exercitatiſſimi *vitas et Chrias Ariſtippi, Diogenis, Demonactis, Stratonis, Demoſthenis et Aſpaſiae* prouocamus, in quibus de horum philoſophorum hiſtoria praeclare nec ine laude meruit [e]. Alios, qui hac ſpeciali ratione eandem viam ingreſſi iunt, hoc loco praetermittimus, quod eos ſuis quemque locis nominaſſe recordamur [f].

pag.

b) Act. phil. Vol. II. p. 631 ſeqq.

c) T. I. Opp. p. 11 ſeqq.

d) Hiſtoriam literariam viri doctiſſimi, et elogia ſcriptorum de eo vide apud TRISSINVM. Tom. II. p. 296 ſeq. Laudari imprimis in eo debet firma et iudicio ſtipata ἀγχίνοια, qua nihil debet eſſe in hiſtoria philoſophica prius et praeſtantius, conf. Io. A. FABRICIVS hiſt. bibl. naae T. I. p. 376.

e) Prodiit opuſculum Antuerpiae 1596. 8. paſſimque laudatur.

f) Similis collectio noſtra aetate prodiit hoc rubro: Abregé des Vies des anciens philoſophes, avec un recueil de leurs plus belles maximes par M. D. F. Paris 1726. 12. quae a nonnullis Fenelonio archiepiſcopo Cameracenſi tribuitur, neſcio quam recte exhibentur in ea Solonis, Pittaci, Biantis, Periandri, Chilonis, Cleobuli, Epime-

pag. 36. lin. 1. *Placitis lucem intulit.* Quantum in philoſophiae hiſtoria viderit, qua mentis acie in nexum ſyſtematum veterum penetrauerit, quamque caute ab inepto ſibi inter tenebras et lucem paciſcendi, et doctrinas diuerſiſſimas ſub vnum ire lugum cogendi ſtudio cauerit, quam variam in philoſophorum veterum mediique aeui ſcriptis lectionem et exercitationem poſſederit IACOBVS THOMASIVS, praeclarum libris et liberis in ciuitate erudita nomen, ſcripta eius plena obſeruationum criticarum de philoſophiae veteris capitibus ſatis loquuntur, et nunquam non ſine delectatione et iucunditate eius meditationes legent hiſtoriae philoſophicae cultores. Qua de re cum alio loco ſtrictim quidem, at tantum tamen, quantum ad noſcenda eius de philoſophicae hiſtoriae amplificatione merita ſufficere poteſt, differuerimus [g], lectorem, ſi vacat ad ea relegenda ablegamus. Certe ſi quae meditatus erat [h], ſcriptis potuiſſet exſequi omnia, nec pudor et modeſtia, quae diuitias ſuas cognoſcere illi non permittebant, obſtitiſſent, non abundantiores theſauros in hoc eruditionis genere ſcriptis Thomaſianis haberemus. Quibus qui recte vti nouerit, habebit ex Germania noſtra, quod Gaſſendis, Menagiis hisque ſimilibus pleno iure opponat. Dignus, qui magnum Leibnizium diſcipulum educauerit et formauerit [i].

pag. 36. lin. 3. *De magiſterio antiquorum philoſophorum.* Scripſiſſe ſe catalogum, ſiue Onomatologiam ſcriptorum philoſophicorum ait auctor in praefatione, quem tamen non vidimus. *Captus autem philoſophicae hiſtoriae iucunditate atque oblectatione et fructu libellum de magiſterio philoſophorum ante annum aetatis XVIII. digeſſerat, ſed rudem plane ac craſſa Minerua in partes ſuas et membra ſub ea, qua nunc potitur, opella coactum; cum autem non poſſet colophonem imponere, poſt alios labores et tempus tandem hanc lucubrationem abſoluit* [k]. Iudicandum inde, qua iudicii maturitate et elegantia id ſit factum. Itaque cum iuuenilis ille labor fuerit, meliora ſperari non poterant, quam compilationes iuueniles. Et veriſimile quoque eſt, hanc libelli conditionem neglectum eius et contemtum peperiſſe, indeque eius raritatem eſſe deriuandam. Nec eximit ſe plagiariorum auctor numero, ratus, *eſſe obnoxii animi et infelicis ingenii, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere, vnde ſe debitorem eſſe fatetur, non furem*, lectorique relinquit, *vt inter chartas hoc opuſculum ſeponatur ineptas, quibus thus et piper amiciuntur, ſeque hilum ideo non iratum iri ſpondet.* Ex hoc vngue leonem

Epimenidis, Anacharſidis, Pythagorae, Heraclidi, Anaxagorae, Democriti, Empedoclis, Socratis, Platonis, Antiſthenis, Ariſtippi, Ariſtotelis, Xenocratis, Diogenis, Cratetis, Pyrrhonis, Bionis, Epicuri, Zenonis biographiae vid. Bibl. françoiſe 1726. p. 205-215.

g) In templo honoris Germ. liter. n. 29. pag. 120 ſeq. et prolixius quod ad hiſtoriam philoſophicam attinet T. IV. Per. III. P. I. L. II. c. 3. §. 18. p. 335 ſeqq.

h) Videndus Index in B. I. Thomaſii meditationes mſc variis generis, magnam partem ad hiſtoriam philoſophicam et eccleſiaſticam pertinentes, qui ſuffixus eſt eius Originibus philoſophicis et eccleſiaſticis. Multa tamen edidit in variis collectionibus filius Chriſtianus Thomaſius.

i) Conf Epiſt. Leibniz. a KORTHOLTO editarum T. I. ep. 170. p. 270.

k) Ita auctor ipſe in praefatione, in qua characterem ſuum haud obſcure prodit.

Digitized by Google

leonem cognoſce. Exemplum qui cupit eum vel vnum de Ammonio Sacca capitulum oportet legere [l].

pag. 36. lin. 21. *Quam tum temporis Angli theologi de philoſophia Platonica fouebant, impeditus.* Conferenda hic ſunt, quae de Platoniſmo ſuperiori ſeculo in Britannia florente ſcripſimus [m], vbi obſeruatum, Hobbeſii impietati Platonica placita fuiſſe oppoſita. Idem etiam dicendum de *Abrahamo Grauio*, de cuius libro ſupra in hoc ſcriptorum elencho nominato conſuli poteſt cl. FREYTAGIVS [n].

pag. 37. lin. 10. *Demonſtratio euangelica et Quaeſtiones Alnetanae.* Poterant in hunc cenſum alii quoque viri docti referri, qui multiuaria doctrina atque lectione inſtructi hiſtoriae philoſophicae cognitionem, quam praeclaram poſſidebant, eum in finem adhibuerunt, vt dogmatum hiſtoriae, et imprimis reuelationis diuinae vindiciis inſeruiret: quo pacto innumerae obſeruationes ex philoſophiae hiſtoria enatae ſunt, ex quibus rerum veterum et argumenti probe gnarus elegantem poteſt doctrinarum ex veteri philoſophia cognitarum hiſtoriam conſtruere. Deſudauerunt in hoc campo vires praeter Huetium, qui commendandae religioni Chriſtianae hanc hederam ſuſpenderunt, POSTELLVS, MVTIVS PANSA, AVGVSTINVS STEVCHVS EVGVBINVS, TOB. PFANNERVS auctor *hiſtoriae philoſophiae gentilis*, ad quem obſeruationes in *Otio Vindelico* edidimus aliique, quos commodiori loco [o] inter ſyncretiſmi patronos nominauimus. GASSENDVS autem et TH. GATAKERVS, dum Epicuream ille [p], hic [q] Stoicam philoſophiam illuſtrat, praeclara multa ad hiſtoriam dogmatum philoſophicam afferunt, et materiarum quaſi παν-δοχεῖον inſtruunt. Verum cum hic noſter ſyllabus eos tantum complectatur, qui ex inſtituto philoſophiae hiſtoriam ſcripſerunt, iſtos nominaſſe, literaturae veteris non imperito ſufficiet. De poſteriori longo vſu nobis cognito quid videatur eodem [r] loco candide diximus.

pag. 37. lin. 19. *Dignus qui legatur.* Dictum, quantum fatis de Petro Syluano Regis philoſopho Gallo T. V. [s] huius operis; hoc autem loco monendus nobis lector eſt, emendanda pauliſper ea eſſe, quae hoc loco de compendio iſto hiſtoriae philoſophicae diximus. Quod non ipſum Regiſium ſcripſiſſe, ſed alium, qui introductionis loco nouae operum philoſophicorum editioni illud praefixit, non tantum ex editione illorum Lugdunenſi anni CIↃIↃCXCI. patet, in qua longa quidem et erudita tractatio deprehenditur, philoſophicae autem hiſtoriae nihil; ſed ex ipſa

l) L. I. c. 7. p. 75.

m) Per. III. T. IV. L. II. c. 4. §. 15 ſeqq. pag. 433 ſeq. vbi etiam de Theophilo Galeo ex inſtituto dictum eſt.

n) Anal. libr. rar. p. 396.

o) Per. III. P. I. L. III. c. 4. T. IV. p. 735 ſeqq.

p) Non tantum in ſyntagmate philoſophiae Epicureae ſed potiſſimum in Inſtitut. philoſophicis, quae Tom. I. et II. opp. viri magni et πολυμαθεστάτου comprehendunt, vbi in ſingulis dogmatum capitibus veterum ſententias docte referunt.

q) In ampliſſimis Comm. ad M. AVREL. ANTONINVM de ſe ipſo, veteri literatura plenis.

r) l. c. p. 755. et quae h. l. in not. x. y nominauimus.

s) p. 281. not. m. quacum comparanduin et FONTENELLII elogium hiſt. de l'Academie des Sciences 1707.

quoque hac dissertatione historico-philosophica euidenter potest colligi, qua diserte de Regisio, qui vnus ex illustrissimis Cartesii discipulis vocatur, tanquam de tertia persona differitur: refugit autem auctor multa de eius philosophia differere, quod aegerrime eius vulgandae auctoritas tum obtenta, premente scilicet, Cartesianas partes Iesuitarum, et qui illorum auctoritatem sequebatur Huetii, Regisio infensi, inuidia. Vnde auctor contentus eum inter illustriores philosophos retulisse, et a sectario Cartesiani nominis horrore liberauisse narrationi finem imponit. Dolemus autem, nos in Lugdunensi, quam inter reculas nostras possidemus, editione hanc dissertationem non habere, quam in Batauia *ff* extare docet nos Niceronius, vnde contentos nos esse oportebat versione Latina, quae clɔlɔccv. sine loco et anno prodiit, et barbaro ore aures laedit. Ex NICERONII autem obseruatione ' nouimus P. COSTEO versionibus Gallicis haut incelebri " hanc dissertationem deberi.

pag. 37. lin. penult. *Expleuisse expectationem merito crederetur.* Compleuit opusculum auctor paulo ante mortem, quae nescio iocando et ridendo ei, vt in Epicuri schola decebat, anno clɔlɔccLvi. accidit, edito *quarto historiae philosophicae volumine*, eiusdem commatis, lectionis et iudicii, quo reliquam compilationem ingenti ausu et impudentia corraserat. Vnde nec mutare sententiam pridem dictam, nec meliori elogio hederam libro suspendere possumus, cum dudum ea virorum doctissimorum sententia de hoc opere fuerit, non versauisse diu auctorem quid ferre recusent, quid valeant humeri sed superficiaria lectione magnaque cum oscitantia ea confarcinauisse, recte obseruante cl. KAHLIO *, non ex fontibus, sed ex riuulis quae commoda ipsi videbantur, vt philosophiae veteris historia in gratiam inimicorum religionis posset corrumpi, nec testimoniis eum roborare quae dixerat, potuisse. Immo nec stili elegantiam et Veneres Gallico sermoni natiuas, quas laudaueramus, ei concedi posse obseruauit accuratus eius rei iudex cel. Voltarius *. Quae cum consentiente ciuitatis eruditae sententia ita se habeant, non miramur auctorem, more huius generis hominum adeo moleste tulisse hoc nostrum de eius opere iudicium, vt maluerit canino historiam nostram philosophicam dente arrodere, atque impudenti latratu deprimere, quam vel vnam eius particulam examinare cum cura, et quid sit reprehendendum, iustis demonstrare rationibus, quod illi necessario doctrinae apparatu destituto impossibile fuisse ipsa libri eius, tanta foeditate pudendi, vt ne pueris quidem, et qui nondum aere lauantur tot errores et insignis oscitantia possint ignosci, lectio nos potest conuincere. Ergo non mirabitur lector, quod eius male-

f) Amst. 1691. in 4. P. III. et in Parisiensi iam comparuisse ait KAHLIVS, de quo tamen vehementer dubitamus, nam annus quoque editionis illius perperam positus est.

r) Biograph. T. VII. p. 91. ed. Germ.

s) Gallica veste is amiciuit LOCKII tr. de intellectu humano.

t) Ad STRVVII biblioth. philosoph. c. 3. §. 1. not. r. p. 160.

x) Vid. Cel. FORMEY l. citando, vbi auctor a Voltario nominatur, un vieil Ecolier precieux, commoda digneque appellatione.

Digitized by Google

maledicentiae, qua inhumanius homineque philoſopho indignius euomi potuit nihil, reponendum eſſe quicquam non putemus, et nec operis noſtri nec patriae, quam in conuicium et ſcomma adhibuit ſcriptor miſerabilis, vindicias exhibeamus, huius enim generis homines, qui ipſi reuelationi et religioni inſidias ſtruunt, contentione cum viris doctis et honeſtis prorſus eſſe indignos, bonos quosque iudicare ſumus perſuaſiſſimi. Quia tamen non nobis tantum ſed Germaniae quoque in qua nati ſumus, et per Dei gratiam ſpiritum hactenus hauſimus, dicam propter noſtram in hoc argumento operam ſcripſit, lectorem, exorata prius patientiae venia ad ipſorum virorum in Gallia celeberrimorum, ad quos incautus ipſe prouocat [y], iudicia et ſententiam ablegamus, vel, quae rem iuſta lance ponderatam ſuppeditat, ad cel. FORMAYI etiam gente Galli cenſuram [z] dimittimus, qui impudentiam hominis fato viuis erepti, nobis quidem inſciis, quo eſt optimo de literis ſenſu et amore, repreſſit. Quare in his noſtris acceſſionibus ad tot errores vbique ſparſos in iſto opere non attendimus, vel eos emendare, ſpongia non litura dignos, ſtudulmus:

pag. 38. not. e. *Cura generi S. R. WALCHII Hal. Sax. 1731. 8.* Animus erat viro doctiſſimo Io. IACOBO LEHMANNO profeſſori olim lenenſi luculento hoc compendium hiſtoriae philoſophicae Buddeanum commentario illuſtrare: qui qualis futurus fuiſſet, ſi hunc fata nobis non inuidiſſent, ex ea parte, quae typis prodiit [a], conſtare poteſt. Verum hunc laborem ob diligentiam in colligendis veterum narrationibus non contemnendam fata viri beati vltima nobis ſubtraxerunt.

Ibid. lin. 16. *Plurimum meritos taceamus.* Ex quo in Halenſi potiſſimum apud Saxones academia, circa praeſentis ſeculi auſpicia eclectica philoſophia caput coepit attollere, et in hunc finem viri illi magni qui ſe erectis ad audenda noua et meliora animis duces praebebant, hiſtoriam philoſophicam quoque excolendam et nouis obſeruationibus ornandam ſuſceperunt, complures id ſatagerunt, vt quas nouas edebant, philoſophiae inſtitutionibus hiſtoriam praemitterent. Quod exemplum laudabile, quod potiſſimum Chriſtiano Thomaſio patriis ſchedis abunde ad hunc finem vrgendum inſtructo et Ioanni Franciſco Buddeo debemus, poſtea complures ſecuti ſunt, quorum compendia hiſtoriae philoſophicae ab iſta aetate legimus: nec ignota ſunt Gundlingii, Langii, Gentzkenii, ſuo iam loco memorata nomina, quibus ſuo merito addendi ſunt conatus HEVMANNI [b], REINHARDI [c], WALCHII [d], SYRBII [e],

y) Auctores dictionarii encyclopaediae vniuerſalis, qui ex hoc noſtro opere pluſcula transtulerunt, quod auctori vehementer diſplicuit; Auctores Memor. literar. Trivoltii M. Mart. 1754. p. 199. Alios tacemus, lectori forte non ignotos.

z) Hiſtoire abregée de la philoſophie, p. 20 ſeq.

a) I. I. LEHMANNI obſeruationes, in quibus I. Fr. Buddei hiſtoria Pythagorae, quae hiſtoriae philoſophiae barbaricae appendix eſt, illuſtratur, augetur ac confirmarur Fr. 1731. 4.

b) In actis philoſophorum tomis III.

c) Lipſ. 1724.

d) Introduct. in philoſ. 1727. 8.

e) Initit philoſ. primae len. 1720.

STOLLII [f], HEINECCII [g], LAMEZANI [h], CORSINI [i], GOTTSCHEDII [k], et similium sua laude non priuandorum, qui tamen cum lineamenta magis dixerint, quam integram historiam philosophicam iusta comprehensione descripserint, iuuenum magis studiis, quam vtilissimae scientiae amplificationi inseruiisse, censendi sunt. Quod cum nostra aetate THOMAS STANLEIVS [l] post tot aliorum conatus initos perficere tentauisset, sed nec ad finem perduxisset, nec criticam philosophiae historiam exhibuisset, occasio inde nobis enata fuit, hoc opus historiae philosophiae criticum iteratis laboribus ab anno cIↃIↃccXXXI. ad annum cIↃIↃccXLVIII. vrgendi et per Dei gratiam absoluendi, cuius nouam nunc editionem lectori exhibemus. Quo pacto signum nos sustuliisse viris doctis ad similem iuuandae historiae philosophicae laborem merito gaudemus. Inter quos primus fuit, qui eandem viam ingressus est, celeberrimus hodie academiae Iuliae apud Helmstadienses theologus, Io. ERNESTVS SCHVBERTVS, cuius historiae philosophicae partem primam cum orbe literato communicauit annus cIↃIↃccXLII. [m]. Is aliam, quam hactenus viri docti, qui in hac arena desudarunt, viam elegerant, sibi ineundam ratus est, quod obseruauisset, *plerosque recentioris aetatis scriptores horrendos errores, nihilque veritatis in omni fere antiqua philosophia inuenisse, et male audire plurimos, qui mitius de antiquissimis gentibus sentiunt, imo haereseos patrocinii postulari, qui illarum caussam agunt, easque vel ab atheismi, vel a polytheismi, vel ab idololatriae crimine temere iis imputato absoluere connituntur: sibi autem persuasum habuit, istam quidem, quae orbem afflauit, impietatis pestem, quam iam diu ante Christi tempora mortalium genus infecisse non negat, ad primos gentium doctores non pertinere, eosque qui sapuerunt in his gentibus, maximam partem dissensisse a populi superstitione, nec concludendum esse ab absurdae plebis opinionibus ad philosophorum sententias, sed mutationibus temporum, locorum, hominum factum esse, vt cum vulgi errores extirpari non possent, sed variis praeiudiciis communirentur, callidissimi homines, populo se quidem accommodarent, illius locutionibus, imaginibus et symbolis quidem vterentur, sed secus ea intelligerent, quam populus: Inde apud plerasque gentes duplicem fuisse philosophiam monet, arcanam et exotericam, et philosophos, qui plerumque sacerdotes esse solebant, aliter populum aliterque eos docuisse, qui se totos sapientiae studio dederant, hisque veritates istas distincte exposuisse, quae sub tot inuolucris, imaginibus, metaphori-*

f) Intr. in hist. liter. P. II. c. 1.

g) In fronte Elementorum philosophiae ex principiis admodum euidentibus iusto ordine ordinatorum, quorum editio secunda prodiit Amstelod. 1733. 8. ea postea in praelectionibus explicuit, quae et ipsae in vulgus prodierunt.

h) ADRIANI LAMEZANI elementa philosophiae veteris ac nouae, quo breuis historia philosophiae et philosophorum dicta factaque et opiniones continentur. Viennae 1730. 8.

i) EDVARDI CORSINI institutionum philosophicarum ac mathematicarum ad vsum scholarum piarum. Florent. 1733. 8. Tomo I.

k) In instit. philosoph. vernacula editis.

l) Diximus de eo T.I. p. 36. hoc loco addendum est primam libri editionem prodiisse Lond. 1655. fol. secundam 1687. fol. tertiam 1701. Belgicam, a SAL. BORRIO, 1702.

m) Ienae. 8.

phoricis allegoricisque dictionibus obſcurae et occultae manebant populo. Hac ſe potiſſimum ratione ductum, ita pergit vir doctiſſimus, *cum in philoſophorum placita inquireret, et ipſa illorum ſcripta perlegere non liceret, aliorum autem relationes de antiquarum gentium religione multis abſurdis referta eſſent, haec ita interpretatum eſſe, vt commodus inde ſenſus erueretur. Quod vbi fieri non poſſe intellexerit, errorem ſe quendam ſuppoſuiſſe, in quem, qui rationem ceteroquin ſecuti ſint, incidere per praecipitantiam facile potuerint. Si externa doctrina, ſi ritus ſolennis, ſi denique vulgi opiniones cum hoc errore conuenerint, eandem quoque philoſophis imputare ſe auſum fuiſſe: quando vero ſcripta philoſophorum ſuperfuerint, aut aliorum antiquiorum teſtimonia de doctrina illorum arcana haberi potuerint, et verbis peruerſus ſenſus, non niſi per detorſionem effingi potuerit, ſaniorem ſenſum praeferre ſemper ſe maluiſſe. Sic ſe longe aliam antiquae philoſophiae faciem deprehendiſſe, quam alii ſe vidiſſe ſibi videantur: atque ſic factum eſſe, vt plerosque gentium philoſophos maximam partem orthodoxos fuiſſe, demonſtrare potuerit.* Enarranda haec ipſius viri celeberrimi verbis, quamuis longiuſculis, erant, vt conſtaret, qua ratione ipſe longe aliam, quam quae hactenus comparuerat philoſophicae hiſtoriae faciem effingere coeperit, nempe non hiſtoriam criticam placitorum veterum, ſed apologiam hypotheticam veteris phyſiologiae et theologiae condendo, quo pacto mirum non eſt, aliam illi viſam ſaepius eſſe veterum doctrinarum faciem, quam nobis ſiſtit hiſtoria critica, ab omni hypotheſeos praeiudicio libera, et ſolo veterum teſtimonio accurato examine logico excuſſo hauſta et explicata. Quod quo euentu factum ſit, ex hac prima parte ſatis lectori conſtare poteſt, in qua ordinem, tractationis lucem, doctrinam merito laudandam eſſe exiſtimamus, quamuis nobis hanc excutiendae hiſtoriae philoſophicae viam non perſuaſerit. Dolemus autem virum egregium et πολυμαθέστατον ſtadium, quod decurrere coeperat, non abſoluiſſe. Cum enim barbaricam philoſophiam modica tractatione vix edidiſſet, ex academia Ienenſi vbi tunc priuatim philoſophiam docebat, ad ſuggeſtum ſacrum, et poſtea ad cathedram theologiae academicam translato maiora et meliora, quibus vigilias dicauerat, Graecae philoſophiae hiſtoriam quam pari methodo proniſerat, eripuerunt. Ceterum in hoc inſtituti genere, habuiſſe eum multos magnosque anteceſſores, nec hodie deeſſe, qui ſaniora, quam putantur, vetuſtiſſimis philoſophis placuiſſe, ſibi videantur, nemo veteris literaturae adeo ignarus eſt, vt neſciat.

pag. 38. lin. 26. *Totum laborem curamque abiecit.* Non defuerunt, poſt hos noſtros labores, qui in eundem campum, quem ſpatioſiſſimum peragrauimus ingreſſi breuiore via hiſtoriae philoſophicae noſcendae curioſum deducere ſunt conati. Adeo enim longa eſt via iſta critica, vt plerosque iter deterreat, vnde non improbandi labores virorum doctorum ſunt, qui ad eiusmodi breuitatem reſpiciunt. Egimus id nos ipſi poſt

poſt abſolutum magnum H. C. Philoſophiae opus, vt iuuentutis academicae ſtudiis inſeruituri iuſtum iſtius diſciplinae compendium, cui tamen nihil deeſſet, quod omitti in ea non poſſet, exhiberemus. Quapropter non tantum *elementa hiſtoriae philoſophicae*, poſt abſolutas *quaeſtiones ex Hiſt. Phil.* vernaculas edita noua editione refinximus, et ſecundum maioris operis oeconomiam emendauimus, ſed ex hoc quoque *inſtitutiones hiſtoriae philoſophicae* Latinas ſcripſimus, quarum alteram editionem, auctiorem et fontibus indicatis locupletatam nobis extorſit libri academici apud iuuentutem deſiderium. Cum autem nec Latina ab omnibus legantur, qui ſi non imbui, tingi tamen elegantioris literaturae cognitione cupiunt, laudabili ſtudio de orbe erudito, quod ſemper totiesque ſolet, praeclare meritus eſt, vir elegantiſſimi ingenii et doctrinae maxime reuerendus SAMVEL FORMAY *) academiae ſcientiarum Berolinenſi ab epiſtolis et chartaphylacio, qui cum dicendi venuſtatem, ordinemque cum philoſophiae cognitione haud vulgari iunxiſſet, Gallico ſermone *hiſtoriae philoſophicae epitomen* edidit, eo euentus felicitate vt in hoc ſcribendi genere omnes ſuperauiſſe ne inuidia quidem negare audeat, habeantque etiam illiterati, vnde ſitim in hoc eruditionis genere affatim poſſint reſtinguere.

pag. 45. not. n. *Tabulas hiſtoriam philoſophicam deumbrantes.* Abſolueramus dudum totum hiſtoriae philoſophicae campum, cum paſſim viri doctiſſimi, non Germani tantum, ſed et Itali multoties peterent, vt vaſti et voluminoſi operis Sciagraphiam aliquam ederemus, qua tabulis quibusdam mnemoneuticis, vniuerſa philoſophicae hiſtoriae facies atque ſumma exhiberetur, eaeque indicis loco in tam vaſto itinere eſſent, vt commodius lector in eo progredi poſſet. Quanquam autem voluntate et iuuandi, quacunque occaſione id liceret, nobiliſſimae partis literaturae conatu ne hunc quidem laborem refugiebamus, difficultatibus quidem plurimis ſeptum et ipſius tabularum methodi taedio moleſtum; occaſionem tamen fauentem diu fruſtra expectauimus. Ea vero felici ſidere euenit, cum celebris vrbis noſtrae Chalcographus, et S. Caeſ. Mai. Geographus MATTHAEVS SEVTERVS, de Geographiae imprimis praeclare meritus ad eiusmodi conſilium paſſim a viris doctis ſibi ſubminiſtratum mentem aduerteret, ſuaque ex officina geographica edere tabulas hiſtoriae philoſophicae aeri inciſas et coloribus quoque ad iuuandam memoriam diſtinctas conſtitueret. Quod conſilium eo magis ab eo conſulti probabamus, quod experientia docti eramus; nihil magis ſtudio huius diſciplinae nobiliſſimo atque praeſtantiſſimo obſtare, quam prolixitatem per immenſa actorum philoſophicorum ſpatia diffuſam, et memoriae valde moleſtam, cui medicinam afferri hoc potiſſimum reme-

*) Hiſtoire abregée de la philoſophie, Amſt. 1760. 12.

Digitized by Google

remedio poſſe nobis erat perſuaſiſſimum. Auctores itaque fuimus, vt noſtro conſilio et auxiliis totius operis accurata et dilucida diatypoſis delinearetur, vniuerſaeque hiſtoriae philoſophicae periodi veteris, mediae et recentioris aetatis, methodo ſynoptica diſtinctis tabulis deſcriberentur, et tum ſcholarum ſucceſſiones, et philoſophorum nomina, tum potiora dogmata, maxime characteriſtica et propria, paucis quidem, at dilucide tamen delinearentur, ita vt aliquot tabularum intuitu philoſophicae hiſtoriae ſtudioſus ea poſſet comprehendere omnia, quae ex hac eruditionis parte a nemine poſſunt ignorari, qui encyclopaediae ſtudia ſua attemperare cupiat. Quibus ita delineatis, ipſi quoque in margine obſeruationes criticas generales adiecimus, quibus iuuentus potiſſimum harum literarum curioſa ad pragmaticam philoſophiae hiſtoriam poſſet praeparari. Et hunc denique in modum laudatus SEVTERVS forma maxima, quam Atlanticam vocant, edidit *philoſophiae vniuerſae origines et ſucceſſiones a mundi ortu ad praeſens ſeculum iuxta obſeruationes recentiſſimas, quas in hiſtoria critica philoſophiae excuſſit Iacobus Bruckerus ſuccincta Diatypoſi aere exhibitas* [o]. In qua hexade tabularum aenearum, Tab. I. deſcribitur hiſtoria philoſophiae barbaricae vniuerſae, Tabula II. hiſtoria philoſophiae Graecae, in infantia et adulta aetate ex propagine Italica, Tabula III. Hiſtoria philoſophiae Graecae ex propagine Ionica, Tabula IV. hiſtoria philoſophiae a Romanae monarchiae initiis ad repurgatas literas, Tab. V. hiſtoria philoſophiae emendatae ſectariae, Tab. VI. hiſtoria philoſophiae recentioris eclecticae et exoticae. Auide excetum eſt hoc conſilium, maxime apud Italos [p], inter quos eminentiſſimum cardinalem Paſſioneum, dignum et accuratum harum rerum iudicem vehementer labores hos probauiſſe, ipſe qua viuus nobis auebat, humanitate teſtatiſſimum fecit. Sed celeberrimus quoque FORMAEVS, hanc potiſſimum diatypoſin elegit, quam in compendio hiſtoriae philoſophiae Gallice edito, cuius ſupra mentionem fecimus, ducem ſequeretur [q]. Neque tamen hac quoque induſtria, toties hoc ſaxo a nobis volutato factum eſſe ſatis hiſtoriae philoſophicae ſtudioſis, et has quoque tabulas nimis eſſe amplas et prolixas viſum eſt viris quibusdam doctis, qui in vnica tabula totam ordinis et ſucceſſionis philoſophicae adumbrationem poſcebant, vt vno quaſi oculi ictu velut in orbe quodam generali tota philoſophiae omnis facies compareret. Quod permouit virum quendam eleganter eruditum, qui tamen non niſi ex literis nominis initialibus I. C. B. nobis innotuit.

o) Titulis praefixae ſunt celebriorum veteris philoſophiae antiquitatum atque virorum imagines ad archetypa efformatae.

p) Conf. ROTHFISCHER. in anno Iubil. Rom. P. II. §. 228. p. 521. Vehementer ideo ſtomachatus eſt DANIEL CONCINA praef. theol. Chr. T. VI.

q) l. c. praef. p. 19. is tamen, quae ad narrationem ſuam neceſſaria iudicabat, ex diuite penu ſua adiecit, vid. p. 20.

innotuit, quemque cetera totum ignoramus, vt, nobis inſciis eiusmodi *tabulam mnemonicam hiſtoriae philoſophicae, iuxta ordinem noſtrum* Francofurti CIↃIↃCCLIX. duobus foliis ederet, in qua ſolas ſectarum, ſcholarumque ſucceſſiones et philoſophorum nomina, omiſſa omni dogmatica et critica narratione, eleganti, et luculento ordine recenſuit. Quae cum admodum apta ſit ad complectendam animo vniuerſi operis noſtri, quod ſatis accurate refert, imaginem et oeconomiam, eam Lectori hoc loco, quamuis nihil eius nobis debeatur, nosque hodie adhuc auctorem ignoremus, inuidere noluimus.

(*Videatur in fine.*)

AD

Digitized by Google

AD PARTEM I.

DE PHILOSOPHIA BARBARICA,

LIBER I.

DE PHILOSOPHIA ANTEDILVVIANA,

CAPVT I.

DE PHILOSOPHIA BARBARICA IN GENERE.

pag. 47. not. c.

FABRVM et CELLARIVM ad eos. Collegit CICERONIS loca, vbi vocem *barbarus* adhibet, varia significatione STEPHANVS DOLETVS in rariſſimis *Comm. de L. L.* [a] quae cum loco STRABONIS [b], qui luculentus eſt, debent comparari. *Feſto auctore*, is ait, *barbaros omnes praeter ſe Graecos vocauiſſe, quod exterae nationes minus ornate, minusque articulate et ſuauiter loquerentur, neque eam haberent ſermonis iucunditatem et lautitiem, quam Graeci.* Hodie cum vox iſta vel ad ſermonis ac linguae ornatum, vel ad animi habitudinem et mores, vel ad nationis diuerſitatem ſoleat referri, ab homonymia ſibi potiſſimum in denominanda philoſophia barbarica cauendum eſt, qua quidam PP. et in his imprimis TATIANVS, et Chriſtianam religionem, et orientalem philoſophiam inter ſe commiſcentes, philoſophiam barbaricam Graecanicae oppoſuerunt. Qua de re ſuo loco pluſcula monuimus [c], hoc loco non negligenda propter illos viros doctos, qui dum barbaricae philoſophiae appellatione Chriſtianam fidem apud PP. nonnullos, maxime Clementem Alexandrinum et Tatianum indigitari legunt, nomen hoc ad iſtam orientalem philoſophiam non pertinere putant, et hoc barbaricae philoſophiae genus veteribus indictum eſſe contendunt. Qui ſi modo hanc homonymiam ſe non decipi paterentur, facile viderent, iactatam iſtam philoſophiam Chriſtianam non aliam eſſe, quam orientale illud doctrinae genus, quod ex Zoroaſtreo varie immutato ad nonnulla Chriſtianae religionis capita explicanda adhibitum eſt.

pag. 48. lin. 19. *Quod quidem non magnopere miramur.* Emolliuit quidem hanc Epicuri ſententiam GASSENDVS [d], ratus haec tantum de philoſophandi occaſione, qua ſola Graecorum ingenia adiuta ſint, intelligenda eſſe. At perperam id dici, ex natura philoſophiae Epicureae,

a) T. II. p. 530.
b) L. XIV.
c) T. II. Per. II. L. I. c. 3. p. 380, ad quam obſeruationem potiſſimum ad euitandam logomachiam attendendum eſt.
d) Syntagm. phil. inſt. L. I. c. 4. Opp. T. I. p. 8.

Digitized by Google

omnes traditiones deridentis, et ſacerdotum παραδόσεις auitas exſibilantis, quibus tamen principiis philoſophia barbarica nixa eſt, intelligitur. Nec excuſat Epicurum, ipſum Aegyptios diſcipulos admiſiſſe, hoc enim argumentum illi eſſe potuit, philoſophiam non in barbaro ſolo naſci, ſed a Graecis petendam eſſe. Certe communem eam Graeciae perſuaſionem fuiſſe, ex LACTANTIO *e* poteſt intelligi, qui ne Anacharſin quidem Scytham excipit, eo quod philoſophiam ne ſomniaſſet quidem, niſi et linguam et literas Graecas ante didiciſſet. Adeo vero contemta fuere Graecis ingenia barbara, vt teſte LAERTIO *f* Thales fortunae gratias egerit, quod Graecus non Barbarus natus eſſet. Quod equidem ſuperbam Graecorum gentem intuentes non magnopere miramur, qui eo tempore quo philoſophia inter eam coepit adoleſcere, contemnebant, quicquid ſeruilem barbarorum morum characterem prodebat, et imprimis ferre non poterant ingenia erectiora ad patriarum opinionum obſeruantiam velut ad legem quandam ſacram conſtringi, rationes autem cupiebant, cur hoc vel illo modo decernendum eſſet, ex ipſa re ratiocinatione petitas. Quod magna poſtea incrementa cepit, vbi philoſophi ſyſtematica ratione coeperunt philoſophari, et peculiaria philoſophiae aedificia extruere: inter quos ſi non primus, primorum certe vnus fuit Ariſtoteles, qui tamen, quamuis omnia conuelleret, quae ab antiquis accepta more barbaro videri poterant; non tamen ſe hos fontes potuiſſe negligere, multoties prodidit. Ceterum cum hodierna adhuc philoſophiae facies Graecanicum characterem ſeruet atque referat, facile inde intelligi poteſt, cur certior hiſtoriae philoſophicae periodus a Graecorum demum ſapientia queat conſtitui, quamuis illi et cogitandi et ſentiendi occaſionem a barbaris, maxime ab Aegyptiis accepiſſent.

e) L. III. c. 24. *f*) L. I. ſ. 33. Tribuitur hoc dictum a quibusdam Socrati.

CAPVT II.

DE PHILOSOPHIA ANTEDILVVIANA.

pag. 52. lin. 24.

Rem SVIDAS expoſuit. Memorabilis hic Suidae *g* locus eſt et in hiſtoria philoſophiae antediluuianae non negligendus, quoniam clauis eſt illius ſententiae, quam PP. eccleſiae de originibus philoſophicis tenuiſſe, et quam mox Deo ipſique λόγῳ, mox diabolo philoſophiam, qualis tunc erat tribuiſſe, ex inſtituto ſuo loco *h* probauimus. Ita enim de Adami

g) Extat T. I. voc. Adam. p. 4 ſqq. ed. Kuſter. nec coniectura aut mſc. aliquo deregi hactenus potuit, ex quo ſcriptore Suidas deſcripſerit, qui more ſuo in hoc articulo, excerpta duo vna ſerie exhibuit, quae inter ſe confundenda non ſunt. Scripſiſſe auctorem, circa imperii CP. inferiorem aetatem facile ex dictione et eloquentia affectata periti iudicabunt.

h) T. III. Per. II. L. I. c. 2. toto.

Digitized by Google

Adami philoſophia ſcriptor iſte eccleſiaſticus, quem Suidas excerpſit, et cuius ignotum nomen eſt, differit, vt vtriusque ratio facile poſſit explicari, modusque concipi, quomodo diuerſiſſimae ſententiae et opiniones vnum ſub iugum potuerint cogi. Damus, cum prolixus locus ſit, verba eius tantum ex verſione, quae tamen paſſim emendationem poſtulat: *Adamus primus ſapiens* (philoſophum eodem nomine eum intelligere ex tota tractationis ſerie diſpaleſcit) *iure appellari poteſt, vt primo conditum ſimulacrum, et imago diuinitus facta, vt omnium gratiarum plenus, et omnes animi corporisque ſenſus puros et incorruptos circumferens. Radii enim quidam, vt ita dicam, ex illius animo effulgentes et diuinarum cogitationum et actionum plani per omnem naturam penetrabant, ſagaciter et ſine errore proprium cuiusque et praecipuum bonum* (τὸ οἰκεῖον ἑκάστῳ πλεονέκτημα) *anteuertentes.* Quod vbi auctor elato dicendi genere tumens ex impoſitis ab Adamo ſeris omnibus nominibus, et vi cuique animanti inſita veluti penicillo expreſſa probauiſſet, pergit: *Sed et ſeminum et plantarum diſcrimina, et radicum et herbarum vires et quaecunque ad auxilium vnicuique animali natura attribuit, diſtinxit et dilucide explicauit - - hic eſt ille qui probauit omnia, et omnibus regulas et amuſſes exquiſitas et limites minime dubios aſſignauit. Huius ſunt ſcientiae tam liberales quam illiberales,* (λογικαὶ καὶ ἄλογοι) *huius ſunt prophetiae, ſacrificia, luſtrationes et leges, tum ſcriptae tum non ſcriptae. Huius ſunt omnia inuenta, et diſciplinae* (διδάγματα) *et quicquid ad vitam degendam eſt vtile et neceſſarium. Hic eſt illa prima ſtatua et ſimulacrum, cui diuinum nomen ineſt,* (θεόκλητον ἄγαλμα) *a quo omnes humanae ſimulacrorum fingendorum artes* (ἀγαλματουργίαι, idearum origines ſine dubio innuit) *diriguntur - - Eam ſtatuam ſceleſtus apoſtata et impoſtor diabolus de ſua ſede et ſtatu deiecit, et praecipitem deturbauit ad profunda quaedam et obſcura triſtibusque orci latebris vicina loca. Hinc autem coepit hominum natura,* (intellectum intelligit) *deprauari, et adulterari, et huius tyranni formis et figuris ſignari: hinc autem initium duxit adulterina ſapientia, poſtquam illa diuina ex terris aufugit, et in coelum ſublimis auolauit, vnde prius deſcenderat,* (nempe ad λόγον, fontem ſuum reuerſa). Vt vero plenam diabolicae ſeductionis eſſe omnem ex hoc fonte philoſophiam gentilem demonſtraret, addit porro: *hinc ortae ſunt illae Aegyptiorum de Oſiride, Typhone et Iſide* (μαγγανεύματα) *praeſtigiae et Perſarum magicae impoſturae, et Brachmanum gymnoſophiſticae phantaſiae, et lubrica Chaldaeorum aſtrologia, et Graecanicarum nugarum fabuloſa pompa. Hinc etiam Orpheus, et Homerus, et qui impias Deorum generationes ſcripſit Heſiodus. Hinc illa Thaletis gloria et inclytus Pythagoras, et ſapiens Socrates et Plato, Parmenidae, et Protagorae, et Zenones, hinc porticus et areopagi et Epicurei - - -* His poſtea, vbi monuiſſet, Diabolum redactis in ſuam potestatem hominibus iſta pſeudophiloſophia ſolium ſupra coeli nubes voluiſſe ponere ſeque altiſſimo facere ſimilem, addit: *vnigenitum Dei filium et τὸν λόγον προαιώνιον miſeratum hominem ex Patris ſinu ſe ipſum demiſiſſe, et aſſumta carne per crucem proſtrata in infimas terrae partes deſcendiſſe,*

et inde prolapſum illum primum hominem eduxiſſe, prima pulchritudine imagini reſtituta et naturae priſtina dignitate. Hinc autem abolitum eſſe omnem huius tyranni principatum et ditionem, poſtquam vera religionis lux omni creaturae illuxit. Ex hac luce diuina ſapientia (ἡ κατὰ Θεὸν σοφία) diuinior illa philoſophia reſplenduit, et linguas piſcatorum acuit, et inſipientes ſapientes doctores effecit; hinc tonitrus filius: IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, *omnem orbem terrarum illuſtrauit* etc. Hactenus Graeculus orator anonymus. Quem exiguo iudicio praeditum quidem fuiſſe et vere de eo dici poſſe prouerbiale illud: flumen verborum et gutta mentis, concedimus doctiſſimo Suidae editori KVSTERO [h], hanc autem ineptam diſſertationem non ſcriptori tantum huic apocrypho tribuimus, ſed plerisque veterum doctorum eccleſiaſticorum, qui philoſophiae illius, quam deperire, et illinere fuco chriſtianae doctrinae coeperant, fontem λόγον diuinum eſſe ſtatuebant, qui hoc donum coeleſte in Adamum cum imagine diuina transfuderit, diabolum autem in lapſu protoplaſtorum, eam coeleſtem παντοφίαν corrupiſſe indeque exortam philoſophiam illam gentilem atque diabolicam, qua omne errorum genus in philoſophia gentili intelligebant; radios tamen reliquiarum illius ſapientiae ex λόγῳ emicantis depreſſos et inter gentes relictos reſtitutos eſſe, cum Verbum Dei ſubſtantiale in carne appareret, et primaeuam ſapientiam per euangelium reſtitueret. Cuius mirae hypotheſeos argumentum in plerisque eccleſiae primitiuae doctoribus deteximus, cum eorum philoſophiae conſiderandae occaſionem tractationis ordo popoſciſſet. Hi itaque fere omnes, inter illos referendi ſunt qui non tantum Adamum πάνσοφον et perfectiſſimum philoſophum, ſenſu etiam Graeco, et non mere eccleſiaſtico dicant, ſed omnem quoque philoſophiam barbaricam et Graecam, quatenus veritates praeclaras exhibet, diuino Verbo ſ. filio, reliqua omnia adſcribunt diabolo.

p. 55. lin. 31. *In conſortium vitae non recipiendas.* Supponitur iam veteribus eccleſiae PP. admiſſa hypotheſis, ideo Deum animantia ad Adamum deduxiſſe, vt naturae eorum intime gnarus, impoſitis nominibus rerum nomina et fundamenta conſtitueret, id quod nullibi ex hiſtoria Moſaica apparet. Rectius illi inſtituunt, qui adductionem animalium ad Moſen, et nominum impoſitionem, ſignum fuiſſe imperii in illa, more Orientali coniiciunt [i].

pag. 59. not. d. lin. vlt. *Dubium haeſiſſe, an haec fabula reiicienda ſit.* Mirum videri queat pauliſper curioſius meditanti, quomodo aniles eiusmodi fabulae tantam non tantum fidem apud veteres obtinere, ſed et recentiorum virorum doctorum haud paucorum criticae artis peritorum ſoloque antiquitatis praeiudicio impeditorum attentionem mereri potuerint. Omnia enim quae de columnis Sethianis hieroglyphicis, aſtronomicis,

h) l. c. p. 4. n. 9.
i) Auctores hiſt. vniu. T. I. Sect. 2. §. 148. p. 127. ed. Germ. et B. BAVMGARTEN ad h. l. conf. c. 2. §. 335 ſeqq. p. 314 ſeqq. qui auctores quoque de primaeua lingua p. 317. indicat.

Digitized by Google

micis, vel quodcunque argumentum inscriptum fuisse dicitur traduntur, ita comparata sunt, vt nec obiter intuentis fidem queant obtinere. Non monebimus, principium quaestionis petere, qui talia nobis obtrudere conantur, et ea quorum fidem probare et certitudinem euincere debebant, ex nouis fabulis in auxilium excogitatis petiisse: sed ipsius fabulae argumentum tale est, vt iustissima suspicio sit, ipsos eius conditores, nescio quo rumusculo deceptos nesciuisse, quid esset affirmandum. Quod facile deprehendet lector paululum attentus ad totam istam narrationem, cuius argumentum plerique, qui veteris orbis reliquias exposuerunt intactum non reliquerunt, videndum apud DODWELLVM [k], SIMONIVM [l], VRSINVM [m], aliosque. Ipsa Siriadae regio adeo incerta et obscura est, vt ne de nomine quidem satis conueniat [n], et ex diuersissima eius regionis descriptione apud veteres certum sit, eos de illa plane fuisse incertos. Quodsi concesserimus, terram istam Siriadicam in Aegypto quaerendam esse [o], quae eiusmodi monumentis hieroglyphicis abundabat; manibus tamen palpari potest, Aegyptiacis stelis, a Mercurio erectis sacrisque signis notatis homines ista fabula recentiores, maxime Iudaeos, et in his imprimis Iosephum, in antiquitatibus gentis suae saepiuscule nugiuendum voluisse auctoritatem sacram conciliare, vt sacrae Aegyptiorum antiquitates ex hoc Hebraeorum fonte promanasse viderentur [p]. Quod eo facilius fieri potuit, quoniam Sethi siue Sothi nomen apud Aegyptios non ignotum fuit [q]. Reliqua omnia quae viri docti ad ostentandam quamcunque lectionis et eruditionis copiam de hoc argumento afferunt, cuiusmodi coniecturas esse, sola saepe nominum affinitate quadam nixas, mediocri attentione lectori prouido constare potest [r]. Vnde merito fabula ista ex historia philosophica proscribenda est.

pag. 62. lin. 10. *Simplici cognitione affecuti sunt.* Non attendunt ad hanc obseruationem, qui pro philosophia primi orbis et imprimis patriarcharum primorum ante et post diluuium ante condita imperia multis disputant, accuratam autem philosophiae definitionem, quam in limine exhibuimus, negligunt, qua scilicet cognitionem solidam meditatione rationali ex principiis rationi humanae connatis et quibus omnes scientiae philosophicae innituntur, veritates de rebus diuinis et humanis tanquam necessarias consequentias deducentem designat. Ita vero non de sapientia siue notitia primo parenti, pilsque aliis viris diuinitus et per reuelationem collata sermonem esse patet; nec de rerum vtilissimarum et

k) In append. ad Dissert. Cyprian. p. 29. 36.
l) Bibl. crit. Vol. II. p. 34. Vol. III. p. 347.
m) Exerc. sacr. p. 214.
n) Vid. HAVERCAMP. ad Ioseph. Vol. I. pag. 11. 12.
o) Ita plerique, vid. DODWELL de Sanchun. pag. 26. 36. FABRIC. bibl. Gr. Vol. I. p. 73. STILLINGFLEET orig. Lib. I. c. 2. p. m. 71 seqq. qui recte monet ad poetarum magis figmenta quam ad historiae fidem istas fictas adlegandas esse, cuius rationes dignae sunt, quae expendantur.
p) Luculenter fidem Iosephi euertit HUET ap. loc. cit. p. 73.
q) Typhonis nomen apud Aegyptios fuisse ait PLVTARCHVS de Iside et Osir. p. 351. 357.
r) Conf. Hist. vniu. Britannorum T. I. p. 171. not. Z. vers. Germ. T. I. p. 249 seqq.

et Imprimis neceſſariarum experientia et vſu, immo nec de ſimplici notitia eorum quae in orbe fieri et accidere prima quoque hominum aetas vidit, obſtupuit, et admirata eſt; nec de omnimoda rationis cultura haec enim iſtis mundi incunabulis non negant, qui philoſophiam illis non tribuunt, quod non ſolam veritatum et concluſionum notitiam, ſed cauſſarum quoque conſiderationem et demonſtrationem ex principiis veritatis deductam ad philoſophiam requirunt. Vidit id, quo erat acumine PETRVS GASSENDVS [r], qui poſtquam de originibus philoſophiae multa erudite diſſeruiſſet, ad incunabula naſcentis et adoleſcentis mundi pertinentia, recte tandem infert, *non agi de illa ſapientia ſeu philoſophia piis viris diuinitus collata, ſed quae ſolo lumine naturae parari poteſt ab homine, qui intellectu naſcitur tabula raſa exiſtente, quaerendumque inde proprie eſſe, quid facere illi occaſionem originemque potuerit.* Quam ille cum PLATONE [s] et ARISTOTELE [t] in admiratione eorum quae ignorantur et de quibus dubitatur, ponit: *ratus hanc philoſophiae originem ſeu occaſionem conſentaneam eſſe fini philoſophiae: quoniam licet poſterior ſit appetitu felicitatis, ipſius tamen proſequutioni ea ratione intermiſta ſit, vt admirationem exuere velimus, quo oblectatione* NOTITIAE CAVSSARVM *prius incognitarum beemur, tranquillioreque animo ſimus.* Quibus limitibus hiſtoria philoſophica circumſcribenda eſt, niſi in immenſum vniuerſalis alicuius rerum notitiae pelagus immergi cupimus, in quo omnes hactenus, qui eruditionis vniuerſalis hiſtoriam condere aggreſſi ſunt, naufragium fecerunt. Et hoc pacto atque iuxta hanc obſeruationem reſpondere nos poſſe putamus illis, qui nos limites nimis arctos philoſophiae poſuiſſe, et definitionem aequo ſtrictiorem ſuppoſuiſſe iudicarunt [u]. De quibus tamen omnibus ex diſcurſu praeliminari ſtatuent, qui rem recte aeſtimare et ad accuratas rationes reuocare in animum inducent [v]. Luculenter nos mentem ea de re noſtram aperuimus [w].

p. 66. lin. 19. *In tanta rerum canitie incertiſſimis commendatus.* Adhibenda hic Io. ALBERTI FABRICII diligentia, qui de hoc argumento fere omnia collegit et *codici apocrypho V. T.* inſeruit. Quorum vel obiter inſpectorum conſideratio lectorem haud obeſae naris poteſt conuincere, quae ſomnia omni veriſimilitudine carentia, quae calx ſine arena adhibita ſit, vt Noachicae ſapientiae monumentum erigi poſſit. Quod vno halitu difflabit ſimplex, donec rite cuncta probentur, negatio, id enim in tanta incertitudine impoſſibile.

Ibid.

r) Syſt. phil. prooem. T. I. opp. p. 7.
s) In Theaetero. t) Metaphyſ. L. I. c. 2.
u) Eruditi memoriarum literariarum Triuoltinarum conditores 1754. Mai p. 191. STOCKMAVSEN delin. critica bibliothecae ſelectae Ep. I. p. 10 quamquam cetera hiſtoriae huic philoſophiae praeclare fauent.

w) Conferenda quae de philoſophiae nomine prudenter differit cel. HOLLMANNVS Introd. in philoſ. vber. P. I. prol. §. 4. 5. p. 6. 7. Cl. GOTTSCHED. hiſt. phil. c. 1. §. 4. p. 5.

v) c. 1. §. 3. pag. 49. eam mutandi rationes nullas habemus.

Digitized by Google

Ibid. not. l. *Annotationibus ſecundae editioni adiectis.* Ea comparanda ſunt cum illis quae vir beatus, in tuendis opinionibus, quas non ſatis firmas cognouerat, minime pertinax, in *hiſtoria eccleſiaſtica veteris teſtamenti* [w] attulit: vbi ipſe, mentione de diſtinctione inter animalia munda et immunda facta *optimam*, fatetur *hinc ſe expediendi rationem eſſe, ſi dicatur, munda aut immunda hic dici animalia, reſpectu legis diuinae, aut ſacrificiorum, Deumque ſacra inſtituendo ſimul homines, quaenam munda quae immunda ſint, animalia condocuiſſe.*

pag. 68. lin. 31. *Quam Noacho circumſtantiae omnes denegant.* Pluribus e his praeceptis Noachiticis tradunt, qui hiſtoriam iuris naturae enarrarunt, quae tamen omnia vna doctorum Iudaicorum affirmatione nituntur, quorum ea de re traditiones IOANNES FRISCHMVTHVS, diligens antiquitatum Iudaicarum collector, duabus diſſertationibus academicis attulit [x]. Ante Noachum vero patres antediluuianos, his legibus vitae normam definiuiſſe, minime eſt dubitandum, quos nemo ideo philoſophos fecerit.

Ibid. lin. 4. a fin. *Et eximendus eſt ex philoſophorum caterua Noachus.* Si Beroſus ANNII [y] audiendus eſt, Noachus poſt diluuium filios et nepotes *iam antea edoctos theologiam et ſacros ritus coepit etiam erudire eos humanam ſapientiam; et quidem multa naturalium rerum ſecreta mandauit ſilens, quae ſolis ſacerdotibus Armenii commendant - - Docuit item illos aſtrorum curſus et diſtinxit annum ad curſum ſolis et XII. menſes ad motum lunae, qua ſcientia praedicebat illis ab initio, quid in anno et in cardinibus eius futurum contingeret, ob quae illum exiſtimauerunt diuinae eſſe naturae. Poſtea in Italiam delatus, vbi finiuit et docuit et regnauit, naturaliumque atque diuinorum, quae eos erudiuit libros pleniſſime illis conſcriptos reliquit: vnde* (Armenii et Italici) *venerantur ſimulque cognominant coelum, ſolem, chaos, ſemen mundi patremque deorum maiorum et minorum animam mundi, mouentem coelos et mixta, vegetabiliaque et hominem: Deum pacis, iuſtitiae, ſanctimoniae, excellentem noxia, et cuſtodientem bona* etc. Habes philoſophiae, ſi Diis placet, Noachicae compendium, eiusdem commatis, quo ipſe Beroſus ab Annio euulgatus, id eſt impoſtoris et nugatoris. Ab eiusmodi enim hominum genere, quod imprimis inter Arabes poſt N. C. caput coepit erigere, plerae eque illae fabulae atque putida commenta excogitata ſunt, quibus hiſtoria patriarcharum conſpurcata eſt [z].

pag. 77. lin. vlt. *In conſeruanda regni annona eius egregium ſpecimen deſiſſe omnino concedendum.* Intelligi ſatis haec non poſſunt, niſi cognitum ſit

w) T. I. p. 176.

x) Extant quoque in theſauro philologico theol. T. I. p. 150 ſeqq. addi autem poſſunt et conferri, quos excitat FABRICIVS l. c. p. 268 ſeqq. Hoc legum naturalium compendium fundamenti loco poſuit Io. SELDENVS de I. N. et G. ſecundum diſciplinam Hebraeorum.

y) De antiquitate Iani patris I. III. p. m. 23. Conf. CVMBERLAND de legibus patriarcharum in originibus gentium antiquiſſimarum.

z) Multa ex eiusmodi ſentina hauſiſſe Annium vel nugantem vel imponentem veriſimillimum. Haud obſcure id prodit ipſe Annius in annot. ad h. l.

Digitized by Google

fit clima regionis Aegypti coelique atque foli conditio, propter vicinitatem tropicorum et aequatoris mire in iſtis terris varians. Aliter enim in ſuperiori Aegypto, aliter in inferiori anni tempora ſe habent, variatque inde fertilitas. Quae diſci poſſunt ex peregrinantium narratione, qui has terras curioſo perluſtrarunt oculo et phyſicam eorum fertilitatem examinauerunt, quales MAILLETVS, POCOCKIVS, SHAW alii. Vetus incolarum traditio eſt, Ioſephum patriarcham ex paludinoſa parte Aegypti inferioris eam regionem fertiliſſimam prudenti adminiſtratione effeciſſe, quae Delta a canalium et foſſarum ſitu dici ſolet [a].

pag. 82. not. y. *Fidem eleuauit Buddeus.* Quaecunque de Moſis ſapientia ad Graecanicam encyclopaediam attemperata nugari ſolent Iudaei, quae vix ferri poſſunt, quaeque ideo recte iam contemſit GVIL. VORSTIVS [b] ea debentur omnia Iudaeis Aegyptiacis Ariſtobulo, Philoni et ex parte Ioſepho et ſimilibus; hi enim homines innata gentis ſuae iactantia tumentes cum philoſophiae gloriam gentilibus inuiderent, Aegyptios autem veteris ſapientiae promos condos fuiſſe, teſtatum ab omnibus ſciuiſſent, magnis animis in eum ſcopum coniurarunt, vt haec gloria ſi non plane a Moſe deriuata eſſe, certe is partem eius haud exiguam ſibi vindicare poſſe videretur. Qua in re tamen viri cetera doctiſſimi at Apellae tamen iactabundi, adeo turpiter ſe dederunt, vt recentioris Aegypti philoſophiam totamque encyclopaediam poſt Alexandri M. mortem ad mores et conſuetudines Graecorum reformatam et effictam Moſi quoque adſcriberent, et hoc pacto non origines tantum hiſtoriae ſacrae, ſed Aegyptiacae quoque mire conturbarent. Caecum eſſe oportet, qui in *Philone*, cuius inſano Platonicae philoſophiae amori ineptiſſimum errorem debemus, haec non palpat, et reclamat tota veteris hiſtoriae fides, qua diſcimus, aliquot ſeculis ſerius, quam Moſis tempora ferunt, Graecanicam encyclopaediam Aegypto illatam et ſapientiae hieroglyphicae attemperatam fuiſſe. Quod non plane latuit veteres eccleſiae DD. a Iudaeis quidem iſtis mendaciis deceptos, aſt qui tamen cum omittere et abiicere ineptum figmentum nollent, quod cauſſae religionis Chriſtianae fauere poſſe crederent, maluerunt errorem errore augere, et Moſen omnis eruditionis Aegyptiacae conditorem et auctorem facere, quam fateri, falſum fuiſſe Philonem, eique ſimiles aliosque ſecurius fidentes fefelliſſe. Adeo haec hodie manifeſta putamus, vt lectoris patientia nos abuti credamus, ſi argumentis h. l. in textu allatis vel ſyllabam adiecerimus, perſuaſi non niſi turpi auctoritatis vel ſectae praeiudicio in hunc veterum eccleſiae doctorum errorem, quem vnus ab altero, primus forte Clemens Alexandrinus a Philone deſcripſit, hincque pro vnico omnes teſte, nullis requiſitis inſtructo ideo habendi ſunt, poſſe ſeduci, dolemusque viros non-

a) Conf. Hiſt. vniuerſ. Britannorum T. I. §. 419 ſeqq. p. 368 ſeqq. verſ. Germ. et BAVMGARTENIVM ad haec loca, quosque ille porro laudat.

b) Ad MAIMONID. fundam. legis c. I. §. 11. pag. 9. 10.

Digitized by Google

nonnullos doctiſſimos et nec a iudicandi facultate, nec ab eruditionis auxiliis imparatos in hoc tamen luto haerere, quam veritati victas manus porrigere faterique maluiſſe, nullam eſſe in eo argumento PP. auctoritatem nihilque eam probare, quamuis cetera eorum laudibus et praeſtantiae propterea nihil detrahendum ſit. Quod recentiſſime etiam poſt peroratam fere et diiudicatam cauſſam fieri potuiſſe, ſtupuimus, rem autem inuidia plenam ob honorem, quem viris doctis et de literis egregie meritis debemus, nouo examine in ſua nuditate lectori oſtendere, ſuperſedemus. Conferendus autem qui nonnulla ea de re dudum monuit VRSINVS [c], et quae hac de re erudite diſputauit IAC. FR. REIMMANNVS [d], qui pudendam Philonis iactantiam veterum narrationi, et imprimis DIODORI [e] et HERODOTI [f] fidei contradicere demonſtrauit: alia praeclara de hoc argumento multa lectoribus vehementer commendanda monuit B. BAVMGARTENIVS [g].

pag. 84 not. d. lin. penult. *CONRING. ad Hermet. Med. Lib. I. c. 3.* His adiiciendus magnus BOCHARTVS [i], qui cum Conringio certum putat ante Iulium Firmicum imperatori Conſtantino *σύγχρονον* ne nomen quidem chemiae inueniri apud quemquam. Alium locum *ὑποβολιμαῖον* ex EVSEBIO [k] denudauit IDEM, ex quo ſolet Hebraeorum alchemia confirmari [l]. Vehementer autem veremur, ne quae de Moſis quoque ſcientia aſtronomica nobis ſolent enarrari, eodem iudicio cadant, quae imprimis miro ingenio et doctrina incruſtauit V. C. FERD. GVIL. BEERIVS in *obſeruationibus chronologicis* [k]. Non ſunt ea huius loci, in hiſtoria chronologiae ſacrae curatius examinanda. Nos hoc vnum monemus, omnem tabernaculi conſtructionem, qualem multo ſupra aetatis illius inter principia aſtronomiae haerentis conditionem aſſurgentem nobis vir doctiſſimus depingit, non obſeruationibus Moſis aſtronomicis et architectonicis, vel chronologicis deberi, ſed reuelationi diuinae: adeoque, ſi concedamus quoque ea omnia quae miro ingenio de ſtructura tabernaculi cycloque et Iubilaeo Iſraelitarum ei innixo excogitauit vir celeberrimus, Deo immediate iſta Moſi tradenti adſcribenda eſſe patet, quo pacto Moſis eruditio aſtronomica et philoſophica, ex hac eius obſeruatione ingenioſe demonſtrata concidit. Ad definienda vero tempora et rationes annorum et feſtorum ſolisque atque lunae conuerſiones et viciſſitudines facile concedi poteſt, tantum Iſraelitas ex Aegypto profugos ex eius diſciplina ſciuiſſe, quantum ad hunc finem, non ex noſtro ingenio, ſed rerum circumſtantiis definiendum pertinebat.

c) De Zoroaſtre, Trismegiſti etc. ex. 2. ſ. 9. p. 172 ſeqq. ad quem locum multa harum naeniarum exempla collegit CHR. ARNOLDVS p. 25.
d) Antiqq. lit. Aegypt. §. 8. p. 15 ſqq.
e) L. I. p. 61. 86.
f) L. II. p. 53.
g) Ad hiſt. vniuerſ. orbis T. I. not. 329. p. 416 ſeq.
i) Geogr. S. P. I. L. IV. c. 1. p. m. 834 ſeq.
k) Chron. L. I. p. 43.
l) Et hunc tamen potuiſſe renouare REIMMANNVM l. c. p. 82. teſtis fide prius non examinata, nobis vix fuit credibile.
k) c. 2. §. 96 ſqq. p. 79 ſqq.

pag. 85. lin. 19. *Peruenisse amissa ista scripta ad Pythagorae Platonisque notitiam.* Accurate, nisi nos post iteratum examen omnia fallunt, id demonstrauimus suo loco [i], vbi de Platonis auctoritate et disciplina disputatur. Potuisse autem hac rei luce non obstante veteri praeiudicio inhaerere Huetium, et antiqua omnia Mosi attribuere, non magnopere miramur, qui viri eruditissimi at lectionis copia iudicii aciem supprimentis indolem norunt. Ast esse inter viros nostrae aetatis doctos, qui veteri opinione hominum praeclare quidem de religione Christiana meritorum, qui vero nec iudicandi arte nec sobria praeiudiciorum antiquitatis, sectae, partis etc. fuga nuntium illis mittere poterant, seducti horum nobis auctoritatem contra regulas fidei historicae logicas criticasque nescio qua fronte, nec sine supercilio opponunt, capere nos satis non posse, fatemur. Non enim, quam nuper quoque cl. GERDILIVS [ll] viam ingressus est, sectari posse rationalis artis peritos, vt pro Mose antiquae philosophiae fonte, Iustini, Clementis Alexandrini, Origenis, Eusebii, Ambrosii, Augustini, et quod mireris, Seldeni, Natalis Alexandri aliorumque nomina nobis opponant, ad ipsam viri doctissimi et artis ratiocinandi non imperiti iudicium prouocamus, cum omnes illi testes nec potuerint, nec praeiudiciorum mole impediti voluerint, testimoniorum fidem interponere. Rogandi itaque viri docti sunt, vt, fascinari se amplius sectae partisque studio non passi, testes prius examinent, nec ideo ineptas traditiones veteribus deamatas recipiant, quod religioni faueant. Suis radiis veritas diuina emicat, nec his tricis opus habet. Nec multum interest, rectene an secus ratiocinatus sit Huetius, Mosi tanquam fonti omnia tribuens, et annon particulari inductione probari possit, multa a Mose gentiles recepisse. Sed ad testimoniorum fidem cuncta redeunt, qua fallente, omnis etiam pro religione Christiana eius argumenti contentio et disputatio infelici euentu euanescit. Et haec quidem semel monuisse sufficiat. Norunt, qui res Ebraeorum perspexerunt, nec contemtius quicquam fuisse gente Iudaica populis, nec secretius habitum fuisse quicquam eorum doctrina et fide. Quid inde in nostra arua deriuabimus, quo fine id faciemus?

pag. 91. lin. 32. *Vix elegantius exemplum allegoricae methodi.* Merentur cum huius loci explicatione, quae heic traditur, conferri, quae in *ratena exeget. bibl. n theol. Britannis editorum* afferuntur [mm]. Inde enim constare potest luculenter, quam incertae sint eiusmodi locorum allegoricorum interpretationes, et quam sedulo cauendum sit, ne nostros conceptus et coniecturas vetustae aetati supponamus. Neque negligendum in his et similibus est, allegorica scripturae S. loca non adeo premenda esse, vt vel minimarum circumstantiarum et similitudinum ratio sit demonstranda; cum saepiuscule multa ad ornandam tantum et perficiendam allego-

i) T. I. Per. II. L. II. c. 6. §. 6. p. 635 seqq.
ll) In erudito tr. de religione p. 268 seqq.
mm) T. VII. p. 631 seqq. ed. Germ.

Digitized by Google

llegoriam ſint adhibita, quae rei ſignificationem non habent. Ceterum liam longe philoſophiam horum temporum apud Hebraeos fuiſſe, quam pud Graecos, recte obſeruatum ex Euſebio GASSENDO, qui eam *in ıpeſſendis ſanis ſermonibus, hiſtoriis grauibus, concinnis carminibus, propoſi-s eleganter aenigmatibus et allegoriis, quibus a pueritia imbuerentur, conſti-ſſe* aſſerit [n].

pag. 100. lin. 10. *Iobi philoſophiam probant.* Idumaeum Iobum fa-iunt, qui cum Iobabo eundem putant, vix alia ratione, quam nomini-ſinitate ducti. Quare etiam audiendi non ſunt, qui ex locis libri Iobi, t aſteriſcorum nonnullorum nomina occurrunt, philoſophiam Edomi-ırum ſideralem exſculpunt, quod placere potuiſſe illuſtri Neutono et ius *συμπατριώταις* [o] merito miramur. Nam ſi etiam concedimus, quod ımen longe eſt incertiſſimum, terram Vz Iobi cum Edomitica eandem ſſe, et habitaſſe in hac regione et loco, Iobum, iuſtitiae et patientiae ıude inter Iſraëlis poſteros in ſacris pandectis celeberrimum, quod ta-ıen multi negant [p], certum tamen eſt, non aliam eius ſideralis ſcientiae otitiam ei genti tribui poſſe, quam quae Aegyptiis atque Arabibus tri-ıitur, quae vt nationes fuere antiquiores, ita horum fuiſſe praecepto-:s dubitandum non eſt. Eam vero praeter popularem vulgaremque ſi-ɛrum nonnullorum notitiam nihil philoſophiae nomine dignum exhibere ıo loco probatum eſt. Idem de Arabum fabulis de ſancto viro, ſed pra-:icae magis vitae quam theoreticae ſpeculationis laude, celebrando, ſta-ıendum, qui ſuae terrae Iobum vindicant [q], non improbante cl. ALB. CHVLTENS: omnia enim nec probari ſatis teſtimoniorum fide poſſunt, : ad philoſophicam hiſtoriam referenda non ſunt, ſed ad vetuſtiſſimo-ım populorum origines, quae quam ſimplices, plebeiae et vulgares fue-nt, et prima tantum ſcientiarum rudera, quae vſu et experientia inno-ıerunt, comprehenderint, annales priſci orbis perluſtrantibus ignotum ſe non poteſt, et de aſtronomia quoque eorum dicendum eſt [r].

n) De logica c. I. P. I. opp. p. 55.
o) Hiſt. vniu. T. II § 63. p. 57. verſ. Germ.
p) Aliis enim veteris traditionis fide vrbs Pa-ılm e fuiſſe videtur. Tacemus difficultates ·mologicas. Conf. quae CALMETVS et VMGARTENIVS Comm. in Iob. §. 7 ſeqq. itemque Hiſt. vniu. Auctores Britann. T. II. §. 415. p. 374. aliique monuerunt, adducti WOLFIO Bibl. Hebr. P. II. p. 102 ſeqq.
q) Conf. HERBELOT bibl. or.
r) Conf. qui aſtronomiam Iobi tangit WEIDLERVS hiſt. aſtron. c. 2. §. 13. p. 24.

AD LIB. II. CAP. II.

DE PHILOSOPHIA CHALDAEORVM.

pag. 104. lin. 20.

Quod Perſicum appellatur. Plura dabunt geographi veteres, et his accuratiores recentiores, inter quos ſatis lectoris curioſitati faciet CHRIST. CELLARII diligentia [a] quocum comparanda *hiſtoria vniverſalis Britannorum* [b], nam haec ex inſtituto hoc loco tractare, eſſet extra oleas vagari, hi autem ſimilesque auctores in omnium manibus ſunt. Cum incerta ſint veterum monumenta omnia, quorum fide Chaldaeorum hiſtoria deſcribi ſolet, recte facient, qui de eius antiquitate, et de quaeſtione vtrum eruditionem ab Aegyptiis, vel hi a Chaldaeis acceperint, ſententiam certam nec inſuperabilibus difficultatibus circumſeptam dicere non ſuſtinent [c]. Quas vero ſuae eruditioni et philoſophiae origines gens Chaldaea tribuerit, quam ab animali quodam ex mari ſubito apparente didicerint, ex fabula de Oanne, (hoc enim eius nomen fuiſſe dicitur,) diſcendum [d]. In qua ſi quid verum, recte concluditur, omnem Chaldaeorum ſapientiam a peregrino quodam ad eos fuiſſe delatam. Verum de his incertiſſimis, nugari Chaldaeorum tantum ingenio dignum eſt, quos ignotum hoc animal ζῶον ἄφρονον fuiſſe, rationis expers, dixiſſe tradit Beroſus, cum tamen ratione vti Chaldaeos homines docuerit. Forte Oannes et Mylitta Babyloniorum et Aſſyriorum, quam Aſtarten etiam, Veneremque magnam vocant, ab Aegyptiorum Iſide et Oſiride non valde diuerſi ſunt, de quo alibi diſpiciendum eſt [e].

pag. 105. not. q. *PLOTINVS contra Gnoſticos.* Conſulenda heic diligentiſſimi I. A. FABRICII *bibliotheca Graeca* [f], vbi de ſcriptis Zoroaſtris agit.

pag. 110. lin. 1. *Nulla certa ſententia errare compellunt.* Transmiſit hoc praeiudicium omnem philoſophiae fructum impediens, et ingentium errorum mater philoſophia barbarica ad mixtum illud philoſophorum genus

a) In notitia orbis antiqui Tom. II. c. 15. 16. p. 708. 762.

b) T. III. c. 9. ſect. I. quae Babyloniae ſiue terrae Chaldaeae deſcriptionem continet. §. 702 ſeqq. p. 625 ſeqq.

c) Forte non procul a ſcopo ferient, qui communes, ſi non in omnibus, certe in multis origines habuiſſe ſuſpicantur.

d) Eam narrat ex Alexandro Polyhiſtore Beroſus apud SYNCELLVM p. 28. cuius locum inſeruit FABRICIVS Cod. Pſeudepigr. V. T. T. I. p. 55. VOSSIVS qui de LXX. Interpret. quoque ſub Oannis nomine Noachum tradit, et hunc etiam, cum Puoncuo eundem eſſe perſuader, quem incerta incertioribus illuſtrare, et vetus praeiudicium de Noacho omnium gentium doctore ſupponere, quilibet vider.

e) Nempe a peregrino in naui ad has terras delato, qualia etiam in Yncarum hiſtoria de conditore ſapientiae Peruanae, Capo Manca affirmatur. Vnde non plane quidem reiicienda videtur haec coniectura, quam magno NEWTONO chronol. p. 210. 211. debemus, cuius coniecturis ſi ſtamus, ex Aegypto hi homines in Chaldaeam translati ſunt. Verum in his maiorem coniecturae veriſimilitudinem deſideramus, quam valde dubiam eſſe recte obſeruauit B. BAVMGARTEN. l. c. n. 454. p. 673.

f) Vol. I. c. 36. p. 847 ſeqq.

Digitized by Google

enus, quod in Aegypto ſub Ptolemaeis regibus, enatum eſt poſteaque tiam in eccleſiam irrepſit. Cuius vt memorabile exemplum adducamus, egendum ſuademus CLEMENTEM ALEXANDRINVM, qui prolixo *tromatum* loco[f] multa more ſuo de hac re differit. Dabimus eius verba ıntum Latina: *Sed neque antiquiſſimi philoſophi ad contendendum ferebantur dubitandum, nedum nos, qui amplectimur eam, quae vera eſt, philoſophiam, uas aperte inuentionis cauſa ad perſcrutandum quaerere iubet Scriptura. Recentores autem Graecorum philoſophi inani laudis cupiditate refellendo ſimul et ntendendo ad nugas deducuntur inutiles. Contra autem barbara philoſophia, nnem expellens contentionem, quaerite inquit, et inuenietis.* Non hoc loco ıonebimus eclecticae ſectae patrocinium ſcripturae titulo praefixo Clementem vrgere, et oppoſuiſſe haec imprimis Scepticis reliquisque philoſophis contentioſis; haec enim infra T. II. et III. fuſe iam declarata ınt, ſed id tantum tenendum eſſe putamus, traditionis fidem ſine argumenti examine ad nudam auctoritatis appellationem verum barbaricae hiloſophiae fontem conſtituiſſe. Quod a conditae creaturae conſtitu-eque ciuitatis ſiue ſocietatis humanae initio, paulo poſt deplorandam us corruptionem locum quendam habere potuiſſe facile viris doctis lar-mur, qui pro reuelationis et traditionis neceſſitate in primo quoque undo pugnant; nihil autem ad excuſandum hoc, quod configimus, ıctoritatis paternae praeiudicium poteſt efficere. Mature enim et mox primis gentium initiis, traditionis reuelatae (in qua benedicti ſeminis omiſſio cardinem rei conſtituebat) puritas infandis humanorum figmenrum erroribus corrupta, et gloria Dei miſere conſpurcata fuit, ad usmodi inſanas opiniones deſcendendo, quae innatam ipſius Dei notiam euertunt[g]. Quae cum humanorum ingeniorum vitiis miſere corıptorum et ſceleribus diffluentium cupiditatibus callidorum hominum tutia attemperarentur, infandae inde theologiae vel ſuperſtitionis poıs gentilis aedificia extructa ſunt, quae loco diuinae traditionis atque uelationis, ſtultitiam mentis humanae in throno collocarunt, auctorite inde obtenta, quod a patribus ad filios iſtae ſententiae fuerint progatae, ideoque ſine examine recipiendae: quo pacto traditio falſae et ſpectae philoſophiae phaenomenon euaſit.

pag. 116. not. k. *In hiſtoria religionis veterum Perſarum.* Adeo ſe ımmendauit liber hicce, vt vix in Anglia poſſet comparari, in Gerania autem pauciſſimorum manibus tereretur, et fruſtra in plerisque bliothecis, monente Ven. VOGTIO[h], quaereretur, quod nobis ipſis enit, aegerrime noſtris reculis hunc librum vindicantibus. Vnde non ıe vtilitate orbis eruditi nuper celeberrimus et doctiſſimus liber recuſus t, quam tamen editionem nondum vidimus. Quamuis autem magnam inter

f) L. VIII. init.
g) Obſeruauit id D. PAVLVS Rom. I. 21. 22. 23. od ad hypotheſin Ven. SCHVBERTI in prolog. Hiſt. Phil. imprimis attendendum eſt.
h) Cat. libr. rarior. p. 357.

inter ſuos famam obtinuerint Hydeani labores, quos ex Perſicis chartis ſe deſcripſiſſe tradit, hincque multi viri docti eum ſecuti ſint, caſtiores Perſarum ſenſus et doctrinam Zoroaſtris commendantes, inter quos imprimis HVMPHREDVS PRIDEAVX vir longe doctiſſimus in eleganti vtiliſſimoque opere *connexionis hiſt. veteris et noui teſtamenti cum hiſtoria Iudaeorum vicinarumque gentium* [i] conſulendus eſt, quem preſſo pede ſequuntur *auctores Hiſt. vniu. Britanni* [k], tantum tamen abeſt, vt Hydeus omnibus fidem et perſpicaciam in hoc opere probauerit, vt potius EVSEBIVS RENAVDOTIVS [l] eum notauerit, *quod teſtimonium vnius auctoris obſcuri atque ſordidiſſimi, qui non niſi gryphos et aenigmata loquitur, et ante annos CXX. ſcribebat, praeferre non dubitet omni antiquitati.* Alios multa in Hydei libro notantes, et in his BAYLIVM [m], PHILIPPVM A TVRRE [n], I. A. FABRICIVM [o], BERN. de MONTFAVCON [p], S. I. BAVMGARTENIVM [q], I. L. MOSHEMIVM [r], aliosque praeterimus. Exhibet epitomen ſiue recenſionem libri *bibliotheca Thomaſiana* [s], et ephemerides literariae aliae, de quibus hoc loco dici non poteſt.

pag. 117. lin. 23. *Facile rationes iniri poſſunt.* Nondum huius nos ſententiae noſtrae poenitet, quanquam viri doctiſſimi et rerum orientalium callentiſſimi in diuerſas de ea opiniones diſceſſerint. Herbelotum, Hydeum, Pocockium, Prideaux aliosque, orientali literaturae valde fauentes ſi audias, orientalium teſtimonia Graecorum fidei praeferenda ſunt, quia domeſtica, domique magis nota, et a fabulis magis aliena narrant, quam Graeci, quibus rationibus pugnat BEAVSOBRIVS [t]. Contra RENAVDOTIVS [u] monet: *vbi comparentur certa antiquorum monumenta cum orientalium imperfectis commentariis, ſtatim agnoſci, ſi quid veri iſti contineant, id demum factum fuiſſe, cum ex Graecis aut Latinis aliquid transtulerunt; ex ſe ipſis nihil ferme niſi nugas producere.* Fauet Graecis deſideratiſſimus MOSHEMIVS [x], *quod cognitum ſatis ſit, orientales plurima, quae in patria eorum contigerunt, fide valde incerta et dubia tradere, quod exemplis ſupra omnem controuerſiam poſitis poſſet demonſtrari; monet quoque, vt nihil de orientalium ſuperſtitione et naturali credulitate dicatur, ſolos Perſas res in patria ſua geſtas poſſe narrare, non item Syros et Arabes.* Non negat tamen, *ancipitem quaeſtionem eſſe, vtri veriſimiliora narrent, Graeci an Orientales, conſtituendumque prius eſſe, cuiusnam ex Orientalibus narratio Graecorum rela-*

i) L. IV. p. 412 ſeqq. verſ. German.

k) T. IV. c. 11. §. 147. not. A. p. 132. Verſ. Germ. ad quem locum B. BAVMGARTENIVS videndus, qui alios huic ſcriptores ſubiicit.

l) Vid. TH. RVINARTI acta Martyrum ſincera p. 567. vnde haec repetit FABRICIVS bibliogr. ant. p. 31. ed. primae. Ipſe autem RENAVDOTIVS videndus, anciennes relations des Indes et de la Chine, conf. Act. erud. Suppl. T. VII. ſ. 5. art. 8.

m) D ct. art. Zoroaſtres p. 555.

n) In monumentis veteris Antii.

o) loc. cit.

p) Antiquité expliquée T. II. P. II. L. IV. c. 6.

q) Ad Hiſt. vniuerſ. Brit. T. IV. n. 75. p. 133.

r) Ad CVDWORTHI Syſt. int. c. IV. §. 16. n. 28. p. 327. et in hiſt. Chr. ante c. M. pag. 18. conf. infra p. 144. not. a.

s) P. III. art. II. Vitam Hydei recenſet in app. hiſt. Reginae Angliae, Annae A. BOYER, Lond. 1722. fol.

t) Hiſt. Manich. T. I. p. 155 ſeq.

u) Hiſt. patriarch. Alexandrin p. 48.

x) Ad CVDWORTH Syſt. intell. p. 327 ſeq.

Digitized by Googl

elationi anteponenda ſit, et quibus teſtibus concordibus ea dicantur. Facile ridet lector, mirifice his virorum doctiſſimorum contentionibus diuerisque iudiciis ea confirmari quae hoc loco diximus, et imprimis teſtium idem examinandam eſſe, cum ex vna parte Graeci in narrationibus ſuis aepe de orientis rebus concordes ſint, ex altera autem Orientales proius fontes ipſos potuerint conſulere. Vnde ſequitur non niſi probe et ttente audita et explorata vtraque parte aliquid decernendum, et imprinis ad logicas fidei hiſtoricae regulas prouide reſpiciendum eſſe in hiſtoia orientis, maxime philoſophica et dogmatica, in multis quoque nos ircumſtantias iubere iudicium ſuſpendere.

p. 118. lin. 30. 31. *Placita veterum pariter atque recentiorum de eo enaraturi.* Praeter eos, quos in annotationibus nominauimus ſcriptores de oroaſtre, quaeque de Hydeo in antecedentibus annotauimus, doctiſſini quoque *hiſtoriae orbis vniuerſi* conditores BRITANNI hiſtoriam Zoroſtris dignam iudicarunt [y] quam ſingulari diſſertatione, a reliquo narratiis tramite auulſa, excuterent. In qua veſtigia Hydeana, quae tota ſeuitur doctiſſimus PRIDEAVX, prementes ea quae de Zoroaſtre relique-unt nobis ſcriptores Graeci pariter atque Arabes ita inter ſe comparaunt, vt poſthabita totius fere antiquitatis fide, iactatam Orientalium arrationem tanquam certam et indubitatis teſtimoniis nixam vnice fere equerentur, cunctaque quae de Zoroaſtribus variis referunt veteres, vni erſarum Zerdushto vindicarent, obtorto haud raro collo tantopere mnia in rem ſuam rapientes, vt elogium magis impoſtoris, quam hiſtoiam eius criticam ſcribere voluiſſe videantur. Quod inuita veritate ieri facile deprehendent, qui obſeruationis antecedentis memores fidem rius teſtium examinant, antequam de narrationum veritate ſtatuunt, et um demum certum a veriſimili, et hypotheſin a rei veritate diſtinguunt. Quod qui ſine praeiudicio agunt, nullo negotio perſpicient, orientalium criptorum hiſtoriam prae Graecorum maiore fide non excellere, et meeri attentionem acutiſſimi BAVMGARTENII [z] obſeruationem, obiectionibus GVIL. MOYLES [a] firmatam, monentis: „hiſtoricorum orienta-lium narrationes, qui omnia fere quae de Zoroaſtribus a veteribus traduntur, ad vnum Zerdushtum Perſarum trahunt, ſubleſtae fidei aeque ſuſpectas eſſe, nec eius hiſtoriam meliori fundamento niti, quam Zoroaſtris Chaldaei, reliquorumque qui veteribus, imprimis Graecis hoc nomine et appellatione laudantur. Veriſimile quippe eſſe, omnem illam Orientalium traditionem ſerius multo, quam iſtorum temporum canities prae ſe fert, corraſam ideo eſſe, vt haberet orientis religio, Perſarum placitis adhaerens, quem reliquis religionum conditoribus oppo-„neret;

y) T. IV. §. 492 ſeqq. p. 379 ſeqq. Verſ. Germ.
z) Not. 152. h. l. p. 381.
a) PRID. Tom. VI. Hiſt. Iud. vbi extant epiſtolae eius mutuae cum WIL. MOYLE, ep. 2. p. 141 ſeq. p. 161 ſeq. p. 178 ſq.

„neret; id quod facile fieri potuiſſe exiſtimandum, cum materiarum co„piam ſatis magnam ſuppeditarent narrationes Graecorum, Iudaeorum, „Muhammedanorum, ex quibus haud difficile fuerit eiusmodi Zerduſthia„nae religionis hiſtoriam condere, qualem de veterum Perſarum rebus „politicis conſarcinauerant.“ Cui obſeruationi fidem conciliant, irreconciliabilis fere et male cohaerens narrationum orientalium diuerſitas, contradictiones, et circumſtantiae, medicinam non facile admittentes. Quae viri doctiſſimi et poſt fata ob iudicii aciem ſuſpiciendi obſeruatio, ſi non tota amplectenda, et ſi non omnis orientalibus ſcriptoribus fides deneganda, quam apud Graecos quoque ſaepe claudicare ſupra faſſi ſumus, faciet tamen lectores cautos, vt quam circa barbaricam philoſophiam omnem, maxime autem, Chaldaicam atque Perſicam adhibendam eſſe cautam prouidamque explorationem et examen teſtium, tenendamque ſemper monuimus, tanquam filum Ariadneum e manibus non dimittant, et quae fidem non ſatis probant, ſuſpenſo iudicio in acta philoſophorum referant. Quo pacto ſperamus fore, vt nos iſtius prouidentiae, quam in ſcribenda huius orientis philoſophiae hiſtoria adhibuimus, poenitere non debeat, quamuis rei prolixitas et inſtituti noſtri, et imprimis harum curarum poſteriorum limites non permittant, ad peculiarem atque criticam circumſtantiarum inquiſitionem deſcendere, ne in generali philoſophicae hiſtoriae campo ſpecialibus digreſſionibus extra oleas vagari videamur. Quae hoc loco ſemel monuiſſe, contenti lectori humanitatis et literaturae atque hiſtoriae orientalis non plane imperito reliqua diiudicanda relinquimus. Nobis cum omnium tutiſſimi agere videantur, qui Chaldaeum Zoroaſtrem a Perſico Zerdushto diſtinguunt, at nec vtriusque res ſatis certas et perſpicuas eſſe ſimus conuicti, ea quae de vtroque traduntur, indicatis auctoribus adduximus, iudicium lectori cauto et a praeiudicio antiquitatis, auctoritatis itemque cupiditatis exoticam eruditionem iactandi vacuo ſeruantes. Ceterum inter ſcriptores de Zoroaſtre notandus quoque GABRIEL NAVDAEVS [b], ipſe tamen recentioris, quam veteris literaturae, callentior. Comparanda autem cum his ſunt, quae capite ſequente de Perſarum Zoroaſtre diſputantur.

Ibid. lin. 3. a fin. *Quaeque ad primam aetatem aſſurgunt.* Mirum hoc eſſe nemini debet, qui non ignorat, quam diuerſae inter varias gentes mutationes literarum etiam in cognatis linguis obtinuerint. Poteſt hoc ex ipſo Zoroaſtris nomine cognoſci, ſi cum linguis Orientalibus, maxime quae gutturalibus literis abundant, comparetur, vnde mirum non eſt, nomen Zoroaſtris, quod in Oriente natum fuit, a Graecis iuxta linguae ſuae genium fuiſſe transformatum, idque non accurate ſatis, quod multis probare contendit HYDEVS [c]. Qui tamen cum fateatur [d], *apud ipſos orientales nomen Zoroaſtris fuiſſe* πολύμορφον, *et aliquem quaſi in religione Pro-*

b) In Apologia pro viris magnis, magiae ſuſpectis c. 8 ſeqq.

c) l. c. c. 24. quo Zoroaſtris vitam exponit, p. 307 ſeqq.

d) loc. cit. p. 309.

Digitized by Google

roteum prodere, non habebat, quod Graecis magnopere obiiceret. Vna aec inde lectori cautela enascitur, ne sub diuersis nominibus diuersos ox viros quaerat, cum haec nominum orientalium exploratio, maxime ad antiquitatem referenda est, sit incertissima. Sed significationes quoue huius nominis adeo incertae sunt, vt ipse HYDEVS necesse habuerit teri [e], pleraque quae de Zoroastre populi orientales tradunt, nisi quod num tantum huius nominis constituant, mirifice dissentire, nec certum icere posse de patria, origine etc. et similibus. Quod vt probe apud unc scriptorem tenendum est, praeter modum nimiumque recentioris Orientis scriptoribus fidentem, ita prouidum lectorem facit, vt in hac oroastris historia lento et suspenso pede, et non nisi praeuio examine cedat.

pag. 128. lin. 6. *Quae quidem viro cuidam docto.* Idem visum esse eruito auctori, cui *concordiam naturae et scripturae siue de literis et numeris primis* dissertationem [f] debemus, quemque elegantis literaturae veteris romum condum Io. GEORGIVM WACHTERVM fuisse nouimus, qui on secus, ac ille, Chaldaeos antiquissimam esse Aegypti coloniam a elo deductam motus auctoritate DIODORI [g] statuit. Caussam autem igrationis fuisse coniicit nouum Deorum cultum a Belo inuentum; uem cum aegre ferrent Aegyptii, vtpote patriis institutis contrarium, alum reipublicae in herba oppressérint, pulsis omnibus qui nouae religionis antistitem scitabantur. Cui rei fidem conciliare nititur ex circumstantiis quae partim de origine sacrorum apud Chaldaeos, partim de so Belo traduntur, cuiusmodi sunt, quod Assyrii doctrinam de Diis ab egyptiis acceperint, et quod Belus Ioui Babylonio templum exstruxerit : vtrumque de suo nomine appellauerit. Quorum tamen testes non ios habet, quam LVCIANVM [h] et PAVSANIAM [i], neutrum, si quid dicamus, in testium numero ponendum, quod apertum sit vulgi rumobus et Aegyptiorum iactantiae totam hanc traditionem deberi, qua eceptus quoque est DIODORVS, qui ipse satis alio loco prodidit, on nisi vulgi rumoribus se suam de ea narrationem deberi [k]. Beli quoue nomen, non quod vult inuita antiquitate vir doctus, Aegyptia ngua oculum significat, sed Chaldaica et Phoenicia, Deum siue Domium, vnde Baalis cultus in Oriente fuit celeberrimus. Quod non obure ipsum quod Belus extruxisse fertur templum prodit, quod Ioui Belo, abyloniorum numini conditum fuisse dicitur. Quo nomine non Phule Pul, patrem Nimrodi, conditorem monarchiae, quod historiae vniersalis conditoribus [l] placuit, sed solem aliudue Numen intelligi, adeo-

e) loc. cit. p. 311.
f) c. 3. §. 1. 2. p. 213 seqq.
g) L. I. p. 17.
h) De Dea Syria.
i) L. IV. c. 23.
k) pag. 51. Chaldaeos quoque in Babylonia Aegyptiorum colonos esse, et a sacerdotibus astrologiam edoctos asserunt.
l) T. III. §. 738. p. 645. conf. §. 674. p. 587. et quae h. l. annotauit B. BAVMGARTENIVS n. 392. 424.

que ſubleſtam HERODOTI [l] in hac re relationem eſſe, illis facile ſubolebit, qui Baalis cultum longe eſſe antiquiorem his temporibus norunt, id quod viris doctis dudum eſt obſeruatum. Verum itaque Aegyptiorum iactantiae de antiquitate ſua et colonlis tribuendum, quam inde originem ſuam accepiſſe coniicit RICHARDVS SIMONIVS [m], quod ad aucupandam literaturae ſuae antiquitatis celebritatem et exiſtimationem eò tempore, quo Ptolemaeorum in erigenda bibliotheca et colligendis libris vetuſtiſſimis diligentia eminuit, vetuſtiſſimas origines effingendo, ſuas res aliis nationibus praeferre conati ſint. Verum de his curatius, in hiſtoria harum gentium diſpiciendum eſt, nec ea proprie huc pertinent [n]. Nobis ſufficit monuiſſe, Belum Chaldaeorum inter ſumma orientis numina relatum, omnem, quae de Belo rege et cultus diuini auctore apud Chaldaeos traduntur, ſuſpecta facere et incertiſſima, et pro nugis habenda eſſe, quae de ſubordinationibus numinum minorum ſub loue Belo, ſiue is ſol ſit, ſiue ſumma numinis maieſtas, veteres et recentiores fabulantur [o].

pag. 130. lin. 6. 7. *Deceptum fuiſſe virum ſanctum, quilibet videt.* Potuit ipſum oraculorum huius Sibyllae (quam Chaldaicam vocat Iuſtinus [p], et Cumanam quoque, quod ex Babylone Cumas Italicas delatam iuſſu Dei ibi oracula edidiſſe, ſibi perſuaderi paſſus erat) argumentum oculos aperire beato martyri, praeclare quidem de re ſacra merito, ſed parum in iudicandis rebus veterum videnti, quod tam luculenter de Chriſto Deo eiusque in carnem aduentu tradidit plurima, vt nonnulli ſecurius γνησιότητα horum χρησμῶν admittentes, cum viderent in Babylonia tanta veritatis lumina non potuiſſe exoriri, eam Sibyllam Hebraeam dicerent, eiusque proprium nomen Sambetha Noë fuiſſe traderent [q], quae vero ne γρὺ quidem certiora ſunt ceteris, et excogitata omnia per impoſturam, quod erudite probauit FABRICIVS [r]. In fumos vero abeunte fama de hac Sibylla Chaldaea, euaneſcit etiam Beroſus parens eius, quem ſatis craſſo temporis errore cum Beroſo Beli in Babylone ſacerdote confundunt Tatianus, Iuſtinus, et recentiores alii [s]. Nec PAVSANIAS [ſſ] quoque et SVIDAS [t] auctores ſunt huius eam fuiſſe Beroſi filiam, ſed tantum a Beroſo quodam, et Erimanthe, nobili muliere prognatam, quod diu ante Alexandri M. tempora eueniſſe oportebat, ſi vera iſta traditio eſſet, quae tota cum Sibyllinis oraculis omnibus inter pias quorundam veterum fraudes referenda eſt.

Ibid.

l) L. I. p. 82.
m) Biblioth. crit. T. II c. 23. p. 348.
n) Comparandi cum his, qui veteris idololatriae origines ſcrutati ſunt SELDENVS, VOSSIVS, alii.
o) Conferunt ea AVCTORES hiſt. vniu. T. III. §. 336 ſeq. p. 647 ſeq. Conf. SAM. SCHVCKFORD. harm. Scr. S. et hiſtor. prof. L. VIII. Vol. II. p. 158 ſqq.
p) In admonit. ad gentes c. 39. p. 34.
q) Vid. ONVPHR. PANVINIVS de Sibyllis in coll. OPSOPAEI p. 19. ed. Paris. 1599.
r) Bibl. Graec. Vol. I. c. 33. §. 15. p. 223 ſeqq. et quos laudat.
s) Vid IDEM l. c.
ſſ) In Phocicis. c. 12. p. 828. ed. Kuhn.
t) T. III. v. Sibylla p. 309.

Digitized by Google

Ibid. lin. 10. *Teſte VITRVVIO diſciplinam aperuit.* Exponit eodem loco VITRVVIVS [w] hypotheſes eius aſtronomicas. Incertum autem, vtrum Beroſus ille, cuius hiſtoria laudatur, idem ſit cum aſtronomo ſto, quod negant RICCIOLVS [x] aliique, eo quod HERODOTVS [y] Graecos polum, gnomonem partesque diei duodecim a Babyloniis didiciſſe ſcribit, quae ad hunc Beroſum aſtronomum pertinere ſibi perſuadent, Beroſus autem hiſtoricus Alexandro M. contemporaneus fuiſſe veteribus tradatur. Nihil tamen in hac coniectura eſt, quod nos cogat admittere, a Beroſo hoc Chaldaeo aſtronomo Graecos aſtronomica illa problemata didiciſſe, quod vetuſtioribus temporibus ab iis fieri potuit, quo iam aſtronomiae cognitio ex his orientis regionibus [z] ad Graecos tranſiit. Verum de his pluribus in aſtronomiae hiſtoria agendum eſt, conſulique poteſt WEIDLERI induſtria [a].

pag. 131. lin. 11. *Verum etiam a Iudaeis.* Inſpiciendus eſt locus DANIELIS et conferenda quae ſupra [b] ad eum allata ſunt. Recentiores nominat HEVMANNVS [c].

Ibid. lin. 20. *Graecorum diligentia ſeruauit.* Quae hodie genuina diperſa inueniuntur, ex ſcriptis Beroſi collegit diligentiſſimus FABRICIVS [d], ex quibus obſeruata poſſunt confirmari, viderique, quam parum ſit, quod philoſophia naturalis Beroſo debuerit, et quam iuſta ſuſpicio ſit, alium Beroſum fuiſſe [e], quam qui apud Graecos aſtronomiam Chaldaicam docuit, Athenis ſtatua honoratus [f]. Pleraque enim hiſtorica ſunt, quae ab antiquis deſcripſit, quaeque ad haec arua noſtra non pertinent.

pag. 132. lin. 9. *Vetuſtis monumentis edoctus tradit EVSEBIVS* [g]. a paſſim non haec modo, quae a barbaris Graecos accepiſſe iactat, ſed et alia eiusdem argumenti tradit; fatemur tamen, nobis non tantum firmitatis ineſſe Euſebii teſtimonio videri, quam is cupit. Rurſum doctiſſimi praeſulis locum conſulentibus manifeſtum mox fiet, deceptum virum in veterum lectione exercitatiſſimum, at critico examine non ſatis munitum, a Platonicis Alexandrinis, reliquisque qui nugis ſuis antiquitatis fucum induxerunt, et idcirco innumeras fabulas et ſcripta ſuppoſititia excogitarunt, (a qua ſcabie ne Chriſtianos quidem doctores quosdam, cetera meritorum zelique laude conſpicuos, immunes fuiſſe, nemo fere hodie eſt inter eruditos, qui praeiudicia eiurauere, qui negauerit) nobis carbones pro theſauris vendere, quod in egregiis cetera *praeparationis et demonſtra-*

w) Lib. IX. c. 4.
x) In Almageſto, p. 195.
y) Euterpe p. 68.
z) Etiam ex Aegypto.
a) In hiſt. aſtronom. c. 3.
b) c. 1. §. 13. p. 93. c. 2. §. 8. p. 114 ſeq.
c) Act. philol. T. II. p. 152. 174.
d) Bibl. Gr. Vol. XIV. p. 177 ſeqq. SCALIGER de emend. temp.
e) Vidit id VOSSIVS pater de hiſt. Gr. L. I. c. 13. p. 89. vbi de Beroſo agit, fruſtra autem Iuſtinum excuſat, quod aliam Sibyllam Cumana recentiorem intellexerit, melius excuſandum, quod rumorem vulgi ſecutus ſit, quod ipſe B. Martyr non negat.
f) PLIN. hiſt. nat. l. c.
g) Per Graecos Euſebium Platonicos Alexandrinos intelligere, vel ex ſolis c. 8 ſeqq. et adhibito imprimis Porphyrii teſtimonio colligi poteſt.

Digitized by Google

monſtrationis libris multoties euenit. Quare hoc loco eius teſtimonium non alio ſcopo adhibendum eſt, quam quod rem ipſam a vetuſtioribus relatam, confirmat. Id vero in hoc quidem argumento de plerisque etiam PP. teſtimoniis dicendum eſſe, fatebuntur omnes, quibus potior veritatis cuſtodia quam auctoritatis veneratio eſt, a qua lepra immunes eſſe debent, qui ratiocinandi artem callent, et quibus mens laeua ad incruſtandos errores veteres non eſt. Ceterum minime negari poſſe hanc, quam vetuſtiſſimis Chaldaeis de Deo tribuimus ſententiam, illorum animis inſediſſe, facile largimur, quam a prima aetate totius orbis ſententiam fuiſſe, facili inductione poſſet probari, ſi id ageretur. Certe vetuſtiſſimos philoſophos potuiſſe eam videre, in qua tamen poſtea coecutire maluerunt, vel vnius Pauli apoſtoli teſtimonio conſtat. Aſt cogitandum quoque eſt, mature hunc doctrinae articulum corruptum fuiſſe introducto emanationis ſyſtemate, animaque mundi excogitata, eo quod ex nihilo fieri nihil poſſe abſoluto ſenſu ſibi perſuadebant, quo pacto, quae ſatis pura de Deo videri poterant, in theologia barbarica, pleraque corrupta et depraua̅ta ſunt, ipſa vero Dei eſſentia ad materiales conceptus, ſine quibus cogitari emanatio rerum ex vno fonte non poteſt, tracta puritatem doctrinae a prima patriarcharum traditione acceptam corrumpendi occaſionem exhibuit. Quod imprimis propter eos notandum eſt, qui contra impietatem ſeculi noſtri religionis antiquitatem vindicare conati, omnia vetuſtiſſimarum gentium dogmata ratiocinationibus magis quam teſtimoniorum fide excuſare, et colorem orthodoxiae inducere non ſine eruditionis praeſidio ſunt anniſi, quorum voluntas vehementer laudanda, ratiocinandi modus autem probandus haud eſt. Quo pacto autem dogma adeo hominum animis infitum et euidens mox in corruptionem abierit, ex illis nullo negotio intelligi poteſt, quae h. l. prouide monuimus, quae fuſe poſſent probari niſi alium campum ea res poſceret. Itaque ſufficiet haec *ὡς ἐν παρέδῳ* monuiſſe.

pag. 133. lin. 15. *Nec alium intelligi poſſe per Iouem Belum.* Conferenda hic ſunt, quae in *hiſt. vniu. Britannorum* [h] de hoc Numine diſſeruntur, quae, etſi multa doctrina cumulata ſunt, attamen cum incerta innumera contineant, facile intelligi inde poteſt, a ſcrutatoribus veteris religionis parum praeſidii in noſcendis horum hominum opinionibus expectari poſſe, qui plerumque meditationes ſuas orbi priſco affingunt lucemque inter et tenebras paciſcuntur. Quod et hoc loco euenit: qui enim primum Monarchiae Aſſyriae regem ſub Beli nomine quaerunt, iis facile argumentis refelluntur, quibus viri alii ingenio pares contendunt, Belum Solem repraeſentaſſe; certe id ſequens aetas ſibi perſuaſiſſimum habuit; id quod ex Dei Heliogabali cultu his orientis populis ſolenni poteſt iudicari,

b) T. III. §. 740 ſeqq. p. 647. Incertum autem, vtrum Babylonii ipſum ſolem pro ſummo Deo habuerint, vel eius tantum imaginem in ſole quaeſiuerint. Prius viſum Vossio de idol. L. II. c. 4. p. m. 324 ſeqq. et Seldeno de Diis Syris Synt. II. c. 3. p. m. 193 ſeqq.

Digitized by Google

icari, vbi imprimis ad HERODIANI ſcriptoris grauis narrationem ttendendum eſt, ex qua patet non humanam imaginem, ſed ſolis iſtas entes coluiſſe.

pag. 135. lin. 6. *Spiritus materia craſſiori indutos malos eſſe bonisque tuerſantes.* Fluit hoc quoque ex ſyſtemate emanatiuo, quod vniuerſus re orientalis orbis recepit, indeque enata eſt illa ſyſtematis Chaldaici cies, quam STANLEIVS nobis delineauit [k]. Quanquam enim luben- r viris doctis aſſentimur, monentibus, pleraque haec ex fontibus Pla- nicis atque Gnoſticis, eſſe hauſta, nec ſufficere ad deſcribendam Chal- aicae philoſophiae theologiam [l]; illud tamen certum eſſe putamus, vi- uiſſe inter veteres quoque Aſiae incolas hoc ſyſtema emanatiuum, quod aterlam quoque, quique illi commixti ſunt malos ſpiritus, ex Deo deri- uit, eademque fere ſyſtematis phyſiologici ratione aſſeruit, quod ſuo co Orientalem philoſophiam delineantibus dudum eſt obſeruatum. nde non omnia huius generis Chaldaeis diſplicuiſſe ſtatuendum eſt, uae poſterioribus ſeculis in ſyſtemate orientali inualuerunt [m]. Nec diſ- ntiunt, quae paſſim Chaldaicas doctrinas tangunt ſacrae paginae [n], uarum ob aetatis viciniam omnium hoc loco maxima fides eſſe debet, uamuis in his tenebris palpare tantum et coniecturas afferre poſſibile ſit.

Ibid. lin. 3. a fin. *Vsque ad extremos ipſiusque Americae terminos.* Legi primis ad h. l. et expendi merentur, quae in viri eruditiſſimi LE PAGE VRATZ *hiſtoria regionis Americanae, Ludouicianae* [o], ex narrationibus digenarum referuntur, et cum migrationibus et coloniis Aſiaticarum ntium comparantur, inde enim diſci poteſt, quomodo per vaſtiſſimum ceanum ex Aſia in Americam hic cultus ſolis transferri potuerit. Quod Phoenices ille refert, nos malumus Chaldaeis tribuere et Aſſyriis, im inter Phoenicum colonias veteres Americae mentionem non fa- ant, niſi magnam illam in mari Atlantico inſulam plurimorum dierum uigatione a Libya diſſitam intellexerimus, quam a ſe occupatam Car- aginenſes in aſylum ſibi deſtinabant, ſi ſuae vrbi quid accidiſſet ſecus. uae obſeruata quoque magno BOCHARTO [p], ad vetuſtiſſimas iſtas igines Americae ob temporis rationem non poſſunt referri, cum co- nias non prius emiſiſſe Phoenices ſit verſimile, quam terra Chanaan ne vniuerſa ab Iſraëlitis occupata, quod effecit, vt cum tantae multi- dini Phoenicia et Syria non ſufficeret, pars Phoenicum multo maxima terra ſua exules mari ſe committere, nouasque quaerere ſedes cogere- r, ex Chaldaea autem poſt diſperſionem gentium per totum Orientem oloniae migrauerint. Ita enim facillime licet difficultatibus ex diuerſis de

) Hiſt. Lib. V. c. 5. vbi imprimis notandum aginem ſolis nullam fuiſſe, praeter lapidem rmem.
) Hiſt. vniuerſ. T. I. §. 31, p. 35 ſeqq.
) Quanquam autem huic obſeruationi aſſen- non facile negari poteſt, impoſſibile tamen eſſe putamus, de definita huius rei ſententia ſtatuere.
) L. I. ſ. 1. c. 2.
) Expendendus locus Pſalmi XCI, 3 ſeqq.
) Hiſtoire de la Louiſiane Tom. III. c. 15. p. 61 ſeqq.
) Vid. Geogr. S. P. I. L. I. c. 2. p. m. 357 ſq.

de Belo traditionibus enatis medicinam afferre, ratioque adduci, quomodo Hercules Indicus Beli cognomentum habere potuerit [p]. Qua de re tamen a Bocharto, Seldeno, Marshamo [q] et recentioribus aliis fuse disputata, cum heic loci tractari non possint, ea geographiae veteris scriptoribus, maxime qui de Americanarum gentium originibus solliciti esse solent [r], disceptanda relinquimus.

p. 138. lin. penult. *Vnumquodque animal Zodiaci in triginta partes, pars in sexaginta minuta.* Zodiaci signa illustre vetustissimae scripturae exemplum, primos inuenisse Aegyptios, tradit MACROBIVS [s], quo loco multus est, vt explicet, quomodo Aegyptii Zodiacum inuenerint. Magis tamen Sexti Empirici auctoritate standum esse, qui Chaldaeos astrologiae parentes facit, recte obseruatum est I. G. WACHTERO [t]: quod a primis post reparationem orbis in diluuio pereuntis in terra Sinear colonis, ex veterum suffragio originem accepisse sint censendi. Aliter PLVSCHIVS [u], a proximis, qui ex diluuio emerserunt hominibus ad primos Aegypti incolas peruenisse coniicit. Quorum vtrumque suo modo inter se conciliari posse putamus, si statuatur, diu ante diluuium in tanta hominum longaeuitate obseruato siderum Zodiaci cursu, signa homines eorum inuenisse et posteris tradidisse, sine quibus nec de anni conuersionibus nec quae inde pendere solet, de agrorum cultura quicquam constitisset, quanquam definiri nullo modo queat, quibus illa signis et imaginibus distincta fuerint. Haec transmissa a Noachi filiis ad posteros, et imprimis Sinearis incolas, his dispersis per omnem orbem a variis coloniis in varia loca fuisse ducta, et sic Chaldaeis pariter atque Aegyptiis hanc duodecim signorum partitionem potuisse innotescere. Quam tamen cum paulo elegantius astrologiae studium postea coleretur, serius has imagines, signa et nomina accepisse, verisimile ex iis, quae hodienum vigent, siue Aegyptiis debeantur, quod virginis spicam manu tenentis signum suadere videtur, quae Isidem refert, si Graecorum interpretatione standum [x], Cererem esse tradentium; siue veteribus Graecis, quod a PETAVIO [y] quoque admissum mythologia Graeca confirmare videtur. Quam coniecturam, Zodiaci partitionem, qualem Graeci habuere, illorum inuentioni tribuendam esse, et habuisse barbaros alia istorum siderum signa vir quidam doctus ex Iesuitarum sodalitio [z] potissimum

p) CICERO de nat. Deorum L. III. ex India orientali autem per Oceanum meridionalem homines Asiaticos olim in Americae regiones penetrasse, veterum traditiones dubitare non patiuntur.

q) Conf. SCHROEER. de imperio Babylonis et Nini Sect. I. §. 23. p. 69 seqq.

r) Pertinent huc quoque qui de Atlantide insula disputarunt, quo nomine Americam multi quaerunt, quique origines Iudaicas in hac orbis parte sibi inuenisse visi sunt, quos nominat FABRICIVS bibliogr. ant. p. 17 seq.

s) Somn. Scip. L. I. c. 21.

t) Comm. de literis ac numeris primaeuis c. 4. §. 2. p. 35.

u) Hist. coeli c. 1. p. 17. 30.

x) Vid. IABLONSKY Panth. Aegypt. P. II. p. 7. 18 seq.

y) Rationar. temp. L. II. c. 5. Diss. de Vranolog. I. pag. 68.

z) Memor. ad hist. scient. pert. Iun. 1740. p. 1151.

Digitized by Google

num ex ACHILLIS TATII teſtimonio [a] roborat, tradentis, in Aegy-
tiaca ſphaera, neque draconem, neque vrſam, neque Cepheum inter
iderum imagines occurrere, neque etiam in Chaldaeorum aſtrologia,
ed alias eſſe ſimulacrorum formas. Verum huic ſcriptori, Manetho,
extus, aliique ſcriptores veteres recte opponuntur. Fatendum autem,
Graecos more ſuo barbaricam aſtrologiam mire conturbaſſe, multaque
obis noua commenta reliquiſſe, barbaris gentibus incognita, vt omnem
ere philoſophiam barbaricam corruperunt.

pag. 141. lin. 4. a fin. *DIODORVS auctor eſt.* Intelligi ex allatis
ogmatibus Chaldaeorum aſtronomicis poteſt, quam rudis et tenuis fue-
it Chaldaeorum ſcientia aſtronomica [b]. Quod vel inde rerum peritus
acile coniiciet, quia Hipparchus et Ptolemaeus, nihil quod in vſus ſuos
ertere potuerint, in obſeruationibus Chaldaeorum inuenerint, ſeculis
uatuor victoriam Alexandri M. ſuperantibus, vt obſeruatum cel. HAL-
EIO [c]. Adderemus, inde quoque Chaldaicae aſtronomiae pueritiam
oſſe intelligi, quod DIODORVS SICVLVS [d] refert: Belum Neptuni
lium ex Aegypto in Babyloniam delatum ſacerdotum collegia more
Aegyptiaco inſtituiſſe, cum veram anni rationem primum Aegyptii in-
eniſſent, qua vetuſtiſſimarum gentium obſeruationes ſiderales niti debe-
ant, niſi ſuſpicio nos premeret, iactantius haec ab Aegyptiis excogitata
ſſe, cum de imperii et ſcientiarum antiquitate cum Chaldaeis ſ. Babylo-
niis diſceptarent, quod a veriſimilitudine non prorſus abludere ſupra iam
bſeruauimus. Vnde ingenioſas quoque SHVCKFORDI [e] coniecturas,
ua ratione Belus notitiam ſideralem Babyloniorum amplificauerit, et
uod pyramides Aegyptiacas obſeruationibus ſideralibus deſtinatas imi-
ando, in eosdem vſus turrim illam celebratiſſimam aedificauerit, et aſtro-
omiam Aegyptiacam ad Chaldaeos et Babylonios traduxerit, annorum
ationibus non ſatis cohaerentibus, in medio relinquimus. Ex his iudi-
anda ſunt, quae vir ſummus Is. NEWTONVS [f] de originibus eruditio-
nis Chaldaicae, et imprimis aſtronomiae differit, hypotheſin chronolo-
icam adiuturus, conſtringendam eſſe in arctum veterem temporum ra-
ionem, vnde Chaldaicae eruditionis origines ad tempora Seſoſtris de-
rimit; qua in re ab ipſis ſacris literis diſſentire viſus eſt, omnemque fere
Orientis traditionem ſibi habet aduerſam, quae vel ad Abrahamum, vel
d ipſum Noachum [g] et filios harum ſcientiarum origines refert. Quae ta-
nen ipſa quoque licet magna Orientalium ſequioris aetatis fiducia pro-
lata,

a) Iſagog. in prol. Arati.

b) Eam autem caue cum aſtrologia apote-
ſmatica confundas, vid. FABRIC. ad SEXT.
MPIR. adu. math. L. V. p. 338.

c) vid. WOTTON reflexions upon ancient
nd modern Learning. c. 24. p. 320.

d) L. I. p. 17. 84.

e) Harmon. Scr. S. et prof. L. VI. Vol. II. p. 156. Chaldaeos eruditionis et ſcientiarum ſemina ab Oanne, animali maritimo accepta iactaſſe, et domeſticas origines ſibi vindicaſſe ſupra iam monuimus.

f) Chronol. vet. p. 210 ſeqq.

g) Conf. Hiſt. vniu. T. III. §. 578 ſq. p. 669 ſeq. vbi Baumgartenii obſeruationes n. 453. 454. conſiderandas commendamus.

lata, ſi ad lydium lapidem examinentur, incertiſſima ſunt, omnemque eam diſputationem dubiam relinquunt [h]. Ceterum multum infantiae, incertitudinis et nugarum in hac Chaldaeorum diſciplina fuiſſe, ex dictis quilibet paullo attentior intelligit. Cetera, quae ad Chaldaeorum mathematicam, geometriam, opticam, architectonicam etc. pertinent, vt conlecturis pleraque conſtant, ita in peculiari harum ſcientiarum hiſtoria enarranda et quaerenda ſunt.

pag. 142. lin. penult. *Orientales etiam Indos percrebuit.* Quae hoc loco obſeruata ſunt, ad omnes coſmogonias veterum referandas pertinere putamus. In quibus explicandis vix erroris deuia vitabuntur, niſi coſmologia vetus a theologia priſcarum gentium diſtinguatur, quae cum rerum origines ex patria traditione ad poſteros propagare vellet, de mundi natalibus magis, quam de ſyſtemate theogonico ſollicita fuit, ita tamen, vt iisdem coloribus coſmologiam et coſmogoniam pingeret, et ex iisdem fontibus deducendo, vtramque confunderet. Perperam itaque agunt, qui vetuſtas barbaricae philoſophiae traditiones de rerum ortu enarrantes, theologicas rationes a coſmologicis non ſatis caute diſtinxerunt, aſt errarunt quoque, qui nimium eas inter ſe diſtinguunt. Illud ex Chaldaico coſmogoniae ſyſtemate non negari poſſe putamus, cenſuiſſe eam materiam eſſe aeternam, et in chaus, ſiue noctis profunditate latentem ſuppoſuiſſe, incertum qua ratione, ſummo quidem Numine admiſſo, aſt intra eius viſcera materia quaſi latente, vel, quod vir quidam doctus [i] conlecit, Deo in gremio ſuo materiam intra ſe complexo, donec in mundi creatione ex ſuo ſinu eum eiiceret. Quod tamen ſyſtemati partim Eleatico partim emanatiuo affine, vehementer timemus, vt totum cum vetuſtiſſimi aeui ſimplicitate ſatis conueniat. Neque Manichaei ſyſtema idem illud vetus fuiſſe, quod Chaldaeis placuit, audemus cum τῷ πάνυ BEAVSOBRIO [k] ſtatuere, eo quod, recte monente BVRNETIO [l], *res ipſas et rerum certitudinem loci et temporis antiquitas aboleuit:* quanquam materiae aeternitatem cum numinis ſupremi exiſtentia connexam fuiſſe, ſibi perſuadere potuerint, quod occaſionem praebuiſſe videtur, vt quidam Chaldaeos in coſmogonia Deum negaſſe crederent [m].

b) De Abrahamo ſupra dictum in hiſt. phil. Hebr. de Noacho originum ſapientiae Chaldaicae parente, videndus Is. VOSSIVS de LXX. Interpr. p. 469. qui non tantum Puoncuum Serem, ſed et Oannem Chaldaeorum putat eſſe Noachum, et eosdem vno nomine contineri, vnde etiam in textu Syncelli pro ζῶον ὄφεως legit, ζῶον ἀρσεν et opponi putat Omorocae eius foeminae. Vnde occaſio illi enata totam coſmologiam Chaldaicam de Noacho interpretandi.

i) IAC. THOMASIVS de exuſt. mundi Stoica.
k) Hiſt. des Manichées L. V. ch. 6. p. 256 ſeqq.
l) Archaeol. philoſoph. c. 4. p. 550 ſeqq.
m) Conf. hiſt. orbis vniuerſ. T. I. §. 31. p. 35.

AD

Digitized by Google

AD LIB. II. CAP. III.

DE PHILOSOPHIA PERSARVM.

pag. 144. lin. 7.

Sibi pro antiquiſſimis hiſtoricis veritatibus propinari aduertit. Pertinet hoc non ad ſolos tantum Arabes ſcriptores, quos veteris Perſiae ſtatum, religionem et placita enarrantes, ſe ad ſui temporis circumſtantias compoſuiſſe, nemo paulo attentior ad iſtorum temporum hiſtoriam facile negauerit [a]: ſed ad ipſos quoque Perſarum ſucceſſores, qui nec hodie quidem in terris Indiae meridionalis exſtirpati ſunt. Gaurorum ſiue Ghebrorum nomine πυρολάτρας iſtos nominari, veterisque Perſarum religionis a Zoroaſtre emendatae tenaciſſimos aſſeclas eſſe nemo ignorat, qui res Orientis vel a limine ſalutauit [b]. Hi cum odio et perſecutione Muhammedanorum patriis finibus pulſi eſſent [c], in interiores pariter atque maritimas Indiae regiones ſeceſſerunt, veterumque Perſarum religionem in eas tranſportauerunt. Hos attuliſſe veteres Perſarum libros liturgicos, ſacros, morales, conſtans gentis traditio eſt [d], qui tamen cum a multis ſeculis dira perſecutione preſſi, et in angulos Indiae confugere coacti eſſent, quo pacto vetuſtiſſimorum temporum traditionem conſeruare potuerint, quantisque rerum et opinionum mutationibus ſubiecti fuerint, paulo ad res Orientis attentior facile deprehendet. Eadem ratio eſt Parſſarum, quos Perſiae veteris propaginem eſſe hodie in Hinduſtanae regionibus viuentem, ipſum nomen prodit. Haec enim colonia Indica ſuis ſedibus A. C. 651. electa ab Arabibus, Muslamiſmi ſequacibus, ad euitandam perſecutionem et Muhammedanorum inuidiam in Indiam confugit, Surataeque pedem figens ex ea vrbe per reliquas Indiae meridionalis vrbes atque loca diſperſa eſt, omnemque, preſſa bellicis inuaſionibus et diſiecta veteris religionis Zoroaſtreae memoriam amiſit, quam non prius recuperauit, quam fratres in Perſia relicti et latenter viuentes, miſſis doctoribus librisque Zoroaſtreis ſacris, veteris apud eos religionis cultum reſtaurarent. Vnde intelligitur Parſſas ſiue, Perſas hos a Gaurſs, quo nomine hos infideles Muhammedani nominant, neque Zoroaſtreae religionis confeſſione, neque ſacrorum, quos iactant librorum, poſſeſſione proprie differre, qua de re videndi, qui Indorum regna et hiſtoriam nobis enarrarunt [e]. Viderunt ſcripta nonnulla inter hos homines ſacro-

a) Conf. quae ſupra ad p. 117. 118. monuimus.

b) LE BRVYN itin. T. V. p. 163 ſeqq. verſ. Gall. P. DE LA VALLE itin. T. III. p. 25. Hiſt. vniu. T. IV. c. 11. p. 133. IAC. MARTIN Diſſ. de la religion des Perſes connus auiourdhui ſur le nom de Gaures et de Parſis T. I. p. 3. de ceremonies et cotumes religieuſes, TAVERNIER itin. L. IV. c. 8. p. 181.

c) Accidit id poſt mortem vltimi eorum regis Iezdogerdis, v. Hiſt. vniu. l. c. p. 133. ab eo tempore imperantes omnes Muhammedis legi addicti fuerunt, conf. ex ipſa relatione Ghaurorum TAVERNIER l. c.

d) HYDE rel. ver. Perſ. paſſim.

e) LORD. relig. de Parſis ch. 1. hiſt. vniu.

ſancta habita *Pocockius* et imprimis *Hydeus*, ſed pleraque priuatam tantum auctoritatem tuentia [f], quae ſi non plane ſuppoſititia, veterique Perſarum aeuo afficta, interpolata tamen et ad praeſentem reliquiarum gentis Perſicae aultam religionem tenentium ſtatum accommodata et picta alienis opinionibus videri, imo ad emolliendam apud Islamiſmi ſequaces inuidiam alterata et mutata recte habentur [g]. Quae cauſſa quoque viris nonnullis [h] haud obeſae naris perſuaſit, vt has reliquias Perſicae religionis omnes in gentis miſerae, et innumerabilibus cladibus tantum non penitus extirpatae ſolatium et ſecuritatem confictas eſſe ſtatuerent, cum non tantum innumera prae ſe ferant, cum vetuſtioribus relationibus non conſonantia, ſed et ſatis luculentas recentioris aetatis et imprimis in Muhammediſmi gratiam excogitatas doctrinas contineant [i]. Ex quo iudicium fieri poteſt, non contemnendam prorſus, ſed probe examinandam et expendendam coniecturam eſſe, quam ſupra recenſuimus, quae incertiſſima et lubricis fundamentis nixa iudicat, quaecunque a ſcriptoribus non tantum Arabibus, ſed Perſis quoque de Zoroaſtreae religionis ſumma, libris authenticis et ſacris, dogmatibus etc. traduntur, excogitatis tum demum, cum, perſecutionibus Muhammedanorum, crudeliſſime hos homines vexantium coacti, pellem quaſi vertere, et magis orthodoxe ſentire de rebus ſacris et diuinis cogerentur. Ex quo iam demum intelligi poteſt, quantum fidei hiſtoricae tribuendum ſit libris, qui in hac gente ſacroſancti habentur, et ad ipſum Zoroaſtrem ab ea ſolent referri, quos diu abſconditos hominibus Europaeis fata tandem auguſtae ſuppellectili librorum exoticorum quam ſeruat bibliotheca regis Galliae intulerunt, de quibus infra ad Zoroaſtris ſcripta delatis nonnihil adhuc dicendum eſt.

p. 144. not. a in fin. *Accurate de eo iudicat cel. MOSHEMIVS.* Dictum de Hydei libro ſupra quantum ſatis. Ex ea autem obſeruatione colligere lector cautus et ad fidei hiſtoricae leges attentus facile poteſt, non inane deſiderium eorum eſſe, qui hiſtoriam criticam Zoroaſtris ſiue Zerduſthi Perſae optant; in qua accuratis rationibus traditiones Perſarum et Arabum cum relationibus Graecorum inter ſe comparentur, ineuitabiles difficultates tum chronologicae tum hiſtoricae exponantur et in clara luce collocentur, ἀσύγκρατα innumera maleque in his narrationibus cohaerentia demonſtrentur, quidque excuſſis omnibus circumſtantiis probabilem nobis celeberrimi impoſtoris hiſtoriam exhibeat, explanetur. Quam indu-

T. XXIII. p. 174. Voyage de M. ANQVETVS DV PERRON. vid. Iourn. de Sav. 1762. Mars.

f) Vid quae infra de libris Zoroaſtri tributis commodiori loco dicentur.

g) Qualem eſſe librum Sadder cuius excerpta hiſtoriae rel. Perſ. adiecit HYDEVS infra monebimus.

h) RENAVDOTIO ſupra cit. et BAVMGARTEN. et quos hic laudat.

i) Dicendum de hac quoque re infra vbi de libris Zoroaſtri tributis diſſeritur. Conſuli autem ſcriptores rerum Indicarum, maxime Hinduſtanarum poſſunt, quos nominant Hiſt. vniuerſ. auctores, T. XXIII. p. 174 ſeqq. Inter libros Perſicos in bibliotheca regis Chriſtianiſſimi extat hiſtoria breuis carmine ſcripta de fuga Parſiarum in Indiam, quae accidit A. C. 766. Heg. 149. quo appulerunt ad ora Malabarica, vid. Iourn. des Savans l. c. p. 26.

Digitized by Google

induſtriam mereri huius philoſophi acta atque facta, nomen, fama, auctoritas eius in Oriente et celebritas nominis, quod poſt Xekiam et Muhammedem tertium omnium Orientalium impoſtorum celeberrimum iure conſtituere poteſt, demonſtrant. Eam vero hactenus fruſtra expectauimus: quanquam enim ex Perſarum Arabumque potiſſimum ſcriptis Zerdushti vitam prolixe ſatis tradiderit THOMAS HYDE[k], eumque preſſius ſecutus HVMPHREDVS PRIDEAVX[l] ex quorum potiſſimum ſcriniis *Auctores hiſtoriae vniuerſalis Britanni* [m] ex inſtituto elogium Zerduſthianum compilarunt, fatendum tamen ingenue, doctam ceteroquin et laudabilem horum ſcriptorum diligentiam lectori veritatis cupido minime ſatisfacere, nec iudicium criticum ab exoticae eruditionis admiratione vacuum ſatis eos adhibuiſſe, ſed Perſarum Arabumque recentiorum fidei cuncta tribuendo, neque ad fabulas et figmenta, a Perſarum veterum poſteris excogitata, vt ſuae religionis auctori inter Muhammedanos, hoſtes et perſecutores ſuos, auctoritatem conciliarent, ſatis attendiſſe, neque innumeras interpolationes vetuſtiſſimae hiſtoriae, ex qua Zerduſthianae memoriae colorem et inuentionem hauſerunt, animaduertiſſe, neque recentiorem auctorum aetatem a veteri, ſatis diſtinxiſſe. Qualis hiſtoria critica Zoroaſtriana hodie faciliori labore poterat conſcribi, poſtquam libri ſacri gentis in noſtras regiones delati ſunt, inter quos vitam quoque Zoroaſtris poëmate comprehenſam eſſe, ex catalogo mſc. quae Zoroaſtri tribuuntur, et in bibliotheca regis Chriſtianiſſimi aſſeruantur, diſcimus [n]. Etſi vero in his quoque mendacem Orientalium nugatorum fidem fabulas innumeras propinare, vel ex miraculis Zoroaſtris vaticiniis ibi enarratis colligi poteſt, inſeruire tamen eiusmodi ſcriptiones poſſunt, vt comparatis inter ſe narrationibus, quid falſum ſit et ſibi contradicat, quid veriſimile, quid incertum, propius queat definiri. Verum haec virum orientalium linguarum peritum, et in ratiocinandi arte exercitatum, a praeiudiciis autem peregrinitatis et ineptae admirationis rerum exoticarum vacuum deſiderant.

pag. 145. lin. 1. *Indorum quidam Zoroaſtreis placitis adhaerentes, ita hanc vocem interpretati ſunt.* Monuit tamen HYDEVS [o], hanc explicationem horum hominum in hac parte ignorantiam prodere, cum rationibus grammaticis linguae Perſicae aduerſa ſit. Fatetur autem candide, huius nominis originalem ſignificationem exquirere, eſſe difficillimum, ſeque in Perſica lingua rimando, nullum vnquam commodum eiusdem ſenſum

k) Hiſt. veter. Perſar. c. 24. p. 307 ſq.

l) Connex. hiſtoriae S. et prof. L. IV. p. 212 ſeqq.

m) T. IV. §. 493 ſeqq. p. 379 ſeqq. ad quem locum legenda ſunt, quae B. HAVMGARTEN. n. 182. obſeruauit, qui in genere notat, hanc Zerduſthi hiſtoriam cum hiſtoria orientis comparatam, ſatis prodere, excogitatam Zerduſthi fabulam recentiori, quam prae ſe fert aetate, vt haberet Perſica religio auctorem veterem, miraculis et diuina miſtione clarum, quo auctoritatem inter Muhammedanos poſſit obtinere. Quales conatus etiam in hiſtoria imperii Perſici poſſunt obſeruari.

n) Vid. Iournal des Savans l. c. p. 25. n. XIII. D Hunt habuiſſe etiam huius biographiae Zerdushtianae exemplum, ib. traditur.

o) loc. cit. p. 308.

appellatiuum potuiſſe inuenire. Quod ſi recte ſe habet vt Perſicae literaturae gnariſſimo Hydeo facile poteſt credi, concidit Beauſobrii coniectura, nomen hoc non proprium ſed appellatiuum de religione ignis cultum tradente exponens, quia nihil de ignis cultu appellatio Zoroaſtris continet, quae varietate pronuntiationis ſatis prodit, ipſis veteribus nihil certi de hoc nomine conſtitiſſe.

Ibid. lin. 11. *De aetate philoſophi certatur.* Diuerſiſſimas de aetate Zoroaſtris ſententias magno labore collegit P. Bayle [p], eo potiſſimum fine, vt nihil quod cohaereat, quodque confuſionem extremam non ſpiret, ineſſe demonſtret, et non niſi Pyrrhoniſmi medicina Zoroaſtris hiſtoriam ſaluari poſſe pateat. Quod quidem acute ſatis et erudite ab eo factum eſt; non autem inde ſequitur, totam de Zoroaſtre traditionem veterum figmentum eſſe, cum in eo tamen omnes conueniant, fuiſſe olim virum aliquem ſapientem, qui doctrinae diuinae et humanae auctor inter Chaldaeos et Perſas vixerit: quare eorum ſententiam nimis praecipitatam eſſe iudicandum eſt, qui ab hac incertitudine concludunt, nihil in hiſtoria Zoroaſtris eſſe verum.

Ibid. lin. 15. *Quod alium longe virum vetuſtiſſimae diſciplinae orientalis auctorem tangant.* Omnium maxime probabilem hanc ſententiam de Zoroaſtribus eſſe, non tantum apta cum plerisque veterum traditionibus conſpiratio, ſed et mos veterum ſuadet, qui, recte monente Th. Stanleio [q] eximiorum virorum, alicuiusque vtilis humanae vitae inuenti auctorum nomine ſolebant poſtea appellare omnes, qui in eodem rerum genere eminebant. Qui prudenter addit, Zoroaſtrem cum inuentor fuerit magicarum atque aſtronomicarum diſciplinarum, cauſſam fuiſſe, cur aliis, qui easdem diſciplinas in alias regiones intulerunt, quod fecit, auctore Plutarcho Zoroaſter Perſa, imitatus Chaldaeos, et ſimilibus, qui iisdem artibus eminuerunt, quales fuerunt Bactrianus, Proconneſius, et Pamphylius, attributum fuerit nomen Zoroaſtris. Quae in tanta circumſtantiarum confuſione et obſcuritate hoc loco poſſunt ſufficere: clariora enim non ſpondemus.

Ibid. lin. 5. a fin. *Vt ſcrupulus nullus ſuperſit.* Fatentur hoc omnes, qui res Zoroaſtris ſunt edocti, qui in tanto Perſarum diſſenſu neſciunt, quo pedem figant. Quanquam enim Hydevs [r] contendit, omnes Zoroaſtris populares de eius tempore concordare, vnum tantum conſtituentes Zoroaſtrem, eumque in hoc ſeculo ponentes, ex Herbeloti [s] tamen obſeruatione nouimus, quosdam ſcriptores Perſas eum cum Dohako vel Zohako, ex principum Piſchdadiſchorum numero eundem habere qui Perſarum tyrannus diu ante Darii Hyſtaſpidis tempora floruit, immo eius tempori anteponere [t], quo pacto innumerae difficultates de aetate

p) Dict. T. IV. art. Zoroaſtre not. B.
q) Hiſt. phil. Orient. S. I. c. 2. p. 1114. ed. Olear.
r) loc. cit. p. 311.
s) Biblioth. Orient. v. Zerduſht.
t) Factum id a Mirchondo Perſicae hiſtoriae ſcriptore.

aetate Zoroaſtris oriuntur, quas ipſae Perſarum narrationes non ſoluunt, ſed intricant, et plurima figmenta velut infelix lolium ſpargunt, quibus rationes chronologicae contradicunt, de quibus tamen et ſimilibus in hiſtoria Perſarum diſpiciendum eſt, et examinandum, quomodo Orientalium narrationes, quae eum ad Darii Hyſtaſpidis aetatem deprimunt, cum antiquiorum ſcriptorum traditione queant conciliari.

Ibid. lin. 3. a fin. *Sinam enim recentiores Perſae apud Indos degentes faciunt.* Patrem faciunt Eſpintaman, matrem Dodo, quae nomina Sinica non ſunt. In libro *Sadder* [u], proſapia eius ita enarratur: *Zaratusht ortus eſt a Puſſhab, cuius genus a Piteraſp deinde ab Hitcheraſp, qui a Tchechſúneſh, qui ab Eſpintaman fuit.* Itaque, qui filium Eſpintaman faciunt, tantum de tritauo eum deriuare voluiſſe cenſendi ſunt, eximio exemplo, quam parum in his fabulis ſuis iſti homines ad rationes chronologicas attendere ſoliti ſint. Quod ſi hae origines Zoroaſtreae verae ſunt, cadit traditio eorum, qui Iudaeum natione faciunt. Sed non eſſe antiquam libri *Sadder* auctoritatem qua illa nititur infra monebimus. Ipſa vero traditio, de ortu et miniſterio Zoroaſtris inter Iudaeos quam Arabes plerique ſequuntur, Graecis ignota eſt, quos tamen res Perſarum a Cyri aetate minime latebant, quosque tam celebrem nouae religionis auctorem vel reformatorem ſilentio inuoluiſſe, ſi eo tempore inclaruiſſet, non eſt veriſimile. Sed vita quoque Zoroaſtris inter Iudaeos recentioris inuentionis eſſe videtur, eo fine excogitata, vt prophetiae auctoritatem apud Muhammedanos mentiretur, quos ad Iudaeos conſtat prophetarum origines retuliſſe, id quod ex relatione Megidi ſcriptoris Perſae Muhammedani itemque *Rhondemiri in vita Guſchtaſpi* [x] apud HYDEVM [y] facile ſubolebit lectori aliquantulum acutiori et mores Arabum Muhammedanorum non ignoranti. Certe cum patria Perſam fuiſſe ipſae ſuae gentis ſcriptores tradant, licet de patria et parentibus in narrationibus ſuis varient, ipſa illa narratiuncula de origine et mora Zoroaſtris inter Iudaeos concidit. Cuius argumentum ipſe ſuppeditat HVMPHR. PRIDEAVX [z], qui tamen fabulae illi vel mendacio potius Ghaurorum, a quibus conficta videtur, fidem adhibuit, monens, a moribus et conſuetudine Iudaeorum plane abhorruiſſe, vt alienigenae fidei ſuae, adeoque multo magis doni prophetici ſecreta aperirent, quos ſacroſanctam habuiſſe myſteriorum religionis cuſtodiam, profanosque et incredulos ſollicita cura ab iis arcuiſſe inter omnes conſtat. Tacemus rationes chronologicas, quae hanc narratiunculam euertunt. Si enim ſub Dario Hyſtaſpide Zoroaſter impoſturam religionis ſuae emendatae propagauit, nec Eliae, nec Ieremiae, nec Ezechielis famulus eſſe potuit, quorum aetas annos vitae Zoroaſtris longe ſuperat, immo nec Danielis quidem, quem ad Cyri aetatem

u) Apud HYDE p. 312. x) Ibid. p. 317. p. 319 ſeqq. itemque Shareſtani l. c. p. 500 ſeq.
y) loc. cit. p. 315. quocum conferendus locus Bundari ibid. pag. 114. et libri Shahnâma-neſr. z) Conn. Hiſt. V. T. cum hiſt. Iud. et Gent. L. IV. p. m. 213.

tem vixiſſe non eſt veriſimile. Vnde alii ad Eſram eum referunt, non feliciori coniectura, quia Edzrae tempora ſerius, quam Zoroaſtris in Chronologia ſacra locum inueniunt. Vnde non dubitamus totam eam traditionem de Zoroaſtre inter Iudaeos educato inter naenias recentiorum ſcriptorum Arabum et Perſarum referre, ideo excogitatas vt miraculorum, quam prophetae ſuo tribuebant, fidei auctoritatem conciliarent, ex quo fonte totam Zoroaſtris hiſtoriam, ſi non plane confictam, adulteratam tamen et ex ingenio aſſeclarum religionis Zoroaſtreae immiſtis commentis Iudaicis pictam atque comtam eſſe, qui naſum habent, facile ſibi perſuadebunt. Totum vero doctrinae et coſmologiae Zoroaſtreae aedificium huic traditioni repugnare, ex eius argumento ipſum lectorem iudicare iubemus. Quibus ſi addantur illa quibus in ipſo H. P. opere [a] hoc commentum confiximus tela, nullum ſperamus dubium ſuperfore, vt ex hiſtoria philoſophiae barbaricae haec fabula, ingeniis tantum Arabum et Parſarum ſimiliumque, qui teſtimonia tantum numerant, fidem autem eorum non ponderant, eliciatur, quam ſententiam repetita induſtria iterum examinatam nos iam olim amplexos fuiſſe nondum poenitet.

pag. 146. lin. 29. *Fidem ſibi conciliarent.* Addendum merito, inſtruxiſſe Zoroaſtreae doctrinae alumnos, attemperato meliori interpretationi ſyſtematis Zoroaſtrei ſenſu ipſaque conditoris hiſtoria ita ſcenam, vt inuidiam Muhammedanorum euitarent, qui eos tanquam idololatras et peruerſos purioris doctrinae euerſores non odio tantum ſed ferro quoque et gladio perſequebantur, dirisque bellis et innumeris calamitatibus, tantum non penitus ex orbe eiiciebant. Ex quo fonte ſupra iam monuimus totam Zoroaſtris diſciplinam aliam faciem accepiſſe, cum a Iudaeis multa mutuum ſumſiſſent, ipſis Muhammedis cultoribus non ingrata futura.

pag. 148. lin. 27. *Cum Deo ex flamma colloquente ſermones miſcentem reuelationes accepiſſe.* Ita quidem DIO CHRYSOSTOMVS [b], quem tamen ſua habuiſſe ab impoſtoribus illis, qui Zoroaſtrem alterum Moſen eſſe cupiebant, aperta Moſaicae apparitionis Dei imitatio loquitur.

pag. 148. lin. 36. *In finibus Perſidis conſedit.* Conferri hic omnino debet viri elegantiſſimi ingenii THEOPHILI SIGFR. BAYERI nimis mature hiſtoriae orientalis literaturae morte erepti *hiſtoria regni Graecorum Bactriani* [c].

Ibid. lin. vlt. *Inſtituta publice reciperentur.* Pertinet huc longus miraculorum catalogus, quae Perſae Arabesque enarrant, etiam qui Muhammedis placitis addicti Zoroaſtream doctrinam erroribus et impietate refertam eſſe contendunt, qualis eſt Rhondemirius Shareſtanius aliique, qui diabolicis impoſturis ea adſcribunt. Exhibet horum hominum relationes

a) pag. 14. quae cum his illuſtrationis cauſſa conferenda.
b) Orac. Boriſthen. quaeſt. n. 36.
c) §. 6 ſeq.

Digitized by Google

tiones HYDEVS [d], quae cum fupponant, *Zoroaſtrem ex lege Moſaica ei bene nota didiciſſe, Deum promiſiſſe Iſraelitis, quod eis ſuſcitaturus virum ad inſtar Moſis, cui auſcultaturi eſſent, nimia arrogantia et vanitate inflatum, ſe illum virum eſſe opinatum eſſe, idque inſinuare aliis voluiſſe, quaſi ex ſtellis hoc didiciſſet:* malam totius narrationis cauſſam produnt, quae aut fabulas ex fabulis vanisque narratis cuſas eſſe, aut inſigni fraude et impoſtura a Zoroaſtre et ſectariis excogitata omnia eum inter famoſiſſimos impoſtores referendum eſſe euincunt. Quodcunque ſequaris, inutilem tamen faciet apologiam pro Zoroaſtre, quam ingenioſe *hiſtoriae orbis vniuerſalis conditores* [e] ſuſceperunt, quorum conatum locum habere non poſſe doctiſſimus commentator [f] luculenter euicit.

pag. 150. lin. 6. *Cum omnibus ſacerdotibus templi patriarchalis interfecit.* Totam interitus Zoroaſtris hiſtoriam ex libro Perſico *Sahnama-neſr* fuſe recitat HYDEVS [g]. Graeci fulmine periiſſe, quod praedixerat, aſſerunt, quos tamen alium cum Perſa confudiſſe veriſimile eſt. Vltra quinque annos hanc religionis emendationem Zoroaſtrem morte praeuentum vrgere non potuiſſe, iidem ſcriptores Orientales tradunt, quamuis ea poſt mortem diu durauerit, ab Islamiſmi tamen cultoribus vbique preſſa et eiecta, nec hodie cultoribus careat.

pag. 151. lin. 19. *Si recentioribus itinerariorum ſcriptoribus.* Conferenda cum his, quae ſupra ad p. 144. paulo curatius annotauimus, ex quibus colligi poteſt, in diuerſas regionum Perſicarum et Indicarum partes diſperſos fuiſſe Zoroaſtreae religionis aſſeclas, et ſi hiſtoricorum Indiae fide ſtandum, in extremos Indiae meridionalis et orientalis angulos infelicibus cladibus compulſos eſſe [h].

pag. 152. lin. 6. *Tamerlanis infenſiſſimi tam ignicolarum quam Zoroaſtrianorum hoſtis.* Cum haec, quae ex epiſtola Moshemiana adducta ſunt, ad nos ſcripſiſſet Vir πολυμαθέστατος, nobisque, dum viueret, amiciſſimus, rogauimus eum, vt pleniorem eius rei fidem nobis ex ſcriptoribus Orientalibus faceret; ad quae tamen, innumeris, qui eum occupabant, laboribus ſine dubio diſtractus nihil amplius regeſſit, vnde, qua fide iſta attulerit, ignoramus. Dicamus tamen, quid nobis hiſtoriam Perſicam perluſtrantibus, in qua multos Zoroaſtris aſſeclas in India orientali conſediſſe, et maxime in montanis vrbibus et latebris ſyluarum habitaſſe conſtat, in mentem ea de re venerit. Horum annales et praecipue, qui Tamerlanis ſiue Timar Bek res tangunt, multa quidem enarrant [i], quae propitio Marte et non ſine ingentibus victoriis contra Gheuros

d) l. c. ex libro Mugi, et Rhondemirii vita Guſtaſpi. Repetunt quoque hiſt. vniu. orbis auctores T. IV. §. 498. p. 394 ſqq.

e) T. IV. p. 387.

f) n. 186. 187. qui recte obſeruat, auctores cetera doctiſſimos nec iuſta ratiocinatione nec animo a partis et ſententiae ſtudio alieno in hoc argumento fuiſſe verſatos.

g) c. 24. p. 325.

h) Chronic. Alexandrinum p. 89.

i) Compendium huius rei dederunt Hiſtor. orbis vniu. ſcriptores Tom. XXII. pag. 356. 384. 388. 389.

Gheuros ſiue infideles Ignicolas magnus ille Aſiae conquaeſtor edidit, clades, quibus totam fere iſtam gentem ad internicionem deleuit, et inimica conſilia, quibus religionis odio ductus eorum fortunam totam fere extirpauit: peculiares tamen ignicolae a Gheuris diſtincti nobis quidem nondum occurrerunt, adeoque ex quo fonte ſua Moshemius hauſerit detegere non potuimus. Hoc autem ex loco Shareſtanii in libro *de religionibus Orientis*, quem HYDEVS [h] adducit, hoc ſcriptore Ambe auctore nouimus, ſectam apud Maguſaeos, id eſt Magianiſmi ante Zoroaſtris „aetatem vigentis aſſeclas fuiſſe, quibus peculiaris fuerit dualitas, adeo „vt ſtatuant, ductores ſeu gubernatores duos aeternos, qui diuidantur „in bonum et malum, et probitatem atque improbitatem, emolumen„tum ac nocumentum. Horum vnum nominari lucem, et alterum „tenebras, *Jezdan* ſeu Deum et *Ahreman* ſeu diabolum, eorumque „religionem eſſe ſecundum hanc diſtinctionem, verſarique in expli„catione liberationis cauſſae miſtionis lucis et tenebrarum, et liberatio„nis lucis ex tenebris.“ Quod ſyſtema dualiſticum emendaſſe, et controuerſias has diremiſſe; non autem iſtis principiis adhaeſiſſe Zoroaſtrem ſuo loco annotauimus. Et hos quidem Maguſaeos, qui originem ſectae ad Kayomarum et Zesuanum referunt, vehementer exoſos fuiſſe apud Muhammedanos, maxime Omeris inter Saracenos ſucceſſores, annales orientis multis locis teſtes ſunt; praecipue autem memorabile quod HYDEVS alio loco [i] obſeruat, inter montis Libani et Curdiſtaniae incolas, qui ad „Noachum vel Sethum (hos enim Kayomari nomine indigitari credunt) „religionem ſuam referunt, inueniri Curdorum ſectam, quae vocatur „*Yezidi* ſiue Yezidael, qui nigrum canem et quiduis nigrum multum „aeſtiment propter colorem Diaboli, quem venerentur: horumque Yezi„daeorum ſacerdotem, qui pullatus incedat, ab illis nominari Murid Al„Yezidi, id eſt diſcipulum Yezidaei. Et hos quidem gentis homines a „Muhammedanis et Chriſtianis vocari Seithanos, id eſt Satanicos vel Dia„bolicos, quia profiteantur Satanam eſſe doctorem ſuum. His hominibus, qui negent reſurrectionem, et ſint mediae opinionis inter Muham„medanos et paganos, ſolere vehementer illudere Chriſtianos Mauſilen„ſes et Turcas, etc.“ Et hanc quidem Maguſaeorum ſectam innuere voluiſſe Moshemium, nobis quidem valde eſt veriſimile; aſt hoc pacto non ad Zoroaſtris religionem ſed veterum Magorum Yezidaei, referri debent, nec in huius impoſtoris hiſtoriam immiſcendi ſunt. Verum de his alii accuratius diſpicient, quibus occaſio fauet digna fide monumenta Orientis inſpiciendi.

pag. 152. lin. 9. *Partim archimagus conſcripſiſſe fertur.* Anceps et incerta de libris Zoroaſtris diſputatio eſt, eo quod *αὐτόγραφα* fide certa digna hodie non ſuppetunt, quaeque hodie inter Parſſas, Gheuros aliosque Zoroaſtreae religionis aſſeclas etiam in publico religionis exercitio et in

h) loc. cit. c. 22. p. 294 ſeqq. i) Append. p. 491.

Digitized by Google

et in templis adhibentur, ſerius multo, quam prae ſe ferunt, ad diſperſos per Tartariam et Indiam πυρολάτρας peruenerunt. Horum aliquot exemplaria ad Anglos et Gallos peruenerunt, quorum mentionem faciunt Britanni HYDEVS, PRIDEAVX, LORDIVS alii [m], qui tamen cum auctoritatem fidemque horum ſcriptorum ad criticae lapidem Lydium non examinauerint, ſed exoticae literaturae amore faſcinati ſeduci ſe paſſi fuerint, vt ea pro genuinis agnoſcerent, parum hiſtoriam philoſophiae et religionis Perſicae iuuare apti ſint. Et mira quidem fortuna accidit, vt nuper libri mſc. magno aere a Parriſis redemti, in theſaurum literarium regis Galliae deportarentur, quorum catalogum exhibuit ANQVETIL DV PERRON [n], quemque repetunt *ephemerides literariae Pariſienſes* [o], quae cum in plerorumque manibus ſint, eum hoc loco non exſcribimus ſed lectorem ad itinerarium Perronianum ablegamus. Hoc vero ſine obſeruatione praetermittendum haud eſt, plerosque hos libros lingua partim Zendica, ſiue ſacra, partim vulgari Perſica ſcriptos non eſſe dogmaticos, ſed rituales, et miracula, praecepta religionis et vitae, non vero doctrinas religionis fundamentales, ſi paucos excipias, continentes, et reuelationibus turgere, quas a Deo et ab Angelis ad formandum religionis cultum accepiſſe Zoroaſter traditur. Vnde merito ex philoſophicae hiſtoriae limitibus in campos hiſtoriae religionum relegantur. Sunt tamen in illis nonnulla, quae ad capitalia dogmata Zerdushticae theologiae pertinent, de eſſentia diuina, de rerum creatione, de origine lucis, de cultu ignis, de actione morali, de reſurrectione et iudicio extremo, de verbo Dei, de eiiciendis impuritatibus Diaboli, de pugna Ormuſdae cum Arihmanio eiusque victoria etc. Quae omnia digna quidem ſunt, vt a viro quodam linguae inter ignicolas ſacrae perito, et rerum apud eos liturgicarum gnaro in ampla luce collocentur, vt quae hodierna horum hominum religio ſit, cognoſcatur: fatemur autem graues nobis rationes obſtare, quo minus pro antiquis et genuinis, quae ad Zoroaſtrem eiusque aetatem pertineant, eos habeamus, quamuis non nudius tertius, ſed eo potiſſimum tempore excogitatos et deſcriptos, ſit veriſimile, quo Zoroaſtreae religionis aſſeclae coeperunt per omnem terram orientalem a Muhammedanis diſpergi, et in extremos Perſiae atque Indiae angulos reptare, ne ſic quidem ſatis tuti cum et in his latebris miſeris eos caedibus, rapinis, occiſionibus tantum non ad internecionem deleret Timar Beckii ſiue Tamerlanis ſaeuitia. Quarum rationum momenta, praeter ea quae in *H. cr. P. h. l.* attulimus, 1. ex ipſo argumento et placitis in his libris diſſeminatis deriuamus, quae adeo diſtant ab iis, quae vetuſtiores ſcriptores Zoroaſtri tribuunt, vt ſuppoſititiam diligentiam valde prodant. Cuius vt exemplum addamus, reuocanda huc eſt in memoriam Zerdushti doctrina: ex ſu-

 premo

m) ll. cc.

n) Suite du voyage de M. ANQVETIL DV PERRON; Liſte de mſc. quiſdans Inde et dans la Kirman ſont attribue a Zoroaſtre, et des ouvrages qui ont rapport a la religion des Parſſes diſpoſez a la bibliotheque du Roi, l. 15. Mars 1762.

o) Journal des ſavans. Iuil. 1762.

premo Deitatis oceano [p], duplex principium emanauiſſe, lucem atque tenebras, quam ſuo loco ſatis, niſi fallimur, tanquam Zoroaſtream, probauimus, oſtendendo, tenebrarum, priuationis, materiae, mali originem eum ad Mithram, ſummumque Deum emanationis lege, non cauſſalitatis origine retuliſſe; quod imprimis dogma tantam ignicolis ignominiam et inuidiam contraxit, vt pro haereticis eos Muhammedani, Chriſtiani, Iudaei haberent [q]. Haec quomodo conſentiant cum definitione Dei, quam in libro *Ieſcht* Zoroaſtri tradidiſſe dicitur [r] Ormuſd, videant, qui non lippi ſunt, qua praeter reliqua perfectionis abſolutiſſimae et puriſſimae attributa „de Deo dicit, eſſe eum omnipotentem, puriſſimum, coeleſtem, germen „omnis boni, conſeruatorem omnium quae pura ſunt, intelligentiam ſu„premam, eam omnibus impertientem, ſcientiam, eiusque largitorem, „regem puriſſimum, ſcaturiginem boni ſummi, eum in quo plane non eſt „malum, ſortem qui non laſſetur, omnia cernentem, iudicem iuſtiſſi„mum, Deum remuneratorem etc." Nunquam vel per tranſennam inſpexiſſe theologiam Muhammedanam oportet eum, qui non manibus palpat totam hanc definitionem, non a Zoroaſtre, vel quocunque alio Magianiſmi doctore eſſe profectam, ſed ſapere aperto indicio ſcholas Saracenicas, ſimiles de Deo definitiones tradentes, et ideo terminis quoque metaphyſicis et ab indole orientalis philoſophiae remotis eſſe excogitatam, vt primarium inuidiae Muhammedicae obſtaculum, quod impuritatem et tenebras eos in Deo ponere obiiciebat, euitarent. Alia non minus luculenta et ab iis quae vetuſtiores ſcriptores Zoroaſtri tribuunt [s], multum deuiantia, maxime reſurrectionis dogma ad ideam Muhamediſmi totum effictum et ſimilia quae hic locus non capit, tacemus. 2. Idem autem de reliquis libris dogmaticis et de ipſo quoque Zendaueſta, ſtatuendum eſſe, nobis manifeſtae opiniones, placita, et narratiunculae perſuadent, quae in iis occurrunt, quae manifeſto indicio a Iudaeis et Muhammedanis mutuum ſumta, et vt his tolerabilior et magis orthodoxa videretur Perſica religio, conſuetudinibus, dogmatibus, ritibus domeſticis infarta ſunt, quae Zoroaſtris aeuo nondum audita, certe ad Perſarum notitiam non erant delata, immo nondum extabant. 3. Impoſſibile nobis eſſe videtur, vt hi libri Perſarum ſacri Graecos plane latuiſſent, ſi tunc extitiſſent; cum Graeci ſub Alexandri et ſucceſſorum imperio non tantum omnes Perſiae angulos et myſteria quoque perquiſiuerint, ipſeque Alexander in concordiam redigere religionem Perſicam et magorum diſciplinam conatus ſit. Aſt tacent omnes, hosque libros eorumque myſteria

p) Mithram eum vocaſſe l. c. fecimus manifeſtum: aſt hi libri methrem angelum bonum hominum contra Arihmanium cuſtodem et defenſorem, vid. l. c. p. 16.

q) Vid. ſupra hiſt. cr. phil. p. 167.

r) Journ. des ſavans l. c. p. 13.

s) Vid. Hyde p. 292. 535. cum quo comparandus Moshemius diſſ. ad H. E. pert. in Vol. II. pag. 638 ſeqq. qui ad Gabriel de Chinon. relations nouvelles du Levant. L. III. p. 441 ſeqq. lectorem remittit, probeque p. 641. obſeruat Gheuros reſurrectionis nomen a Muhammedanis fuiſſe mutuatos.

Digitized by Google

ſteria ignorant, quae demum poſt tot ſecula, per ſcriptores Arabes, Perſasque fugitiuos innotuerunt. Vel ſi rebus Perſarum adhuc florentibus extitiſſe [t] dicendum, quod in dubio relinquimus, vltra Sec. III. non ponendi ſunt, quo ſub regno Saporis Aderbad, trigeſimus a Zoroaſtre Perſarum theologus, legis reſtauratae fama floruit. 4. Sed haeretici quoque veteres, qui in Perſiae regno et vicinia innumeras haereſes, ex Zoroaſtris ſyſtemate excogitauerunt et per omnem Aſiam diſperſerunt, maxime Gnoſtici, qui ad Zoroaſtris libros et auctoritatem prouocabant, non libros ipſi excogitaſſent impoſtori Perſae ſupponendos; ſed ad libros hos αὐτογεάφους et ſacros prouocauiſſent, ſi tum quidem iam in hominum manibus fuiſſent verſati. Tacemus alia prolixiora quam vt hic locum capiant. Ferenda itaque nec obliquo oculo intuenda eſt ſententia virorum aliorum doctorum, quae hiſtoriae Zoroaſtrianae religionis magis conueniens ſtatuit: πυρολάτρας infenſiſſimo odio a Muhammedanis, quibus frigidam ſuffundebant Iudaei et Chriſtiani inter eos viuentes, preſſos, quod puritatem doctrinae de Deo labefactarent, et haereſeos nefandae ſuſpicionem fouerent, ad amoliendum odium non emendaſſe tantum ſyſtema Zerdushtianum et ad Muhammedanorum placita reformaſſe [u], ſed tranſſumtis quoque multis traditionibus ex Gentilium et Iudaicorum doctorum commentariis hos libros paulatim publice prodeuntes comſiſſe, et cum lingua Perſica vetus plerisque eſſet ignota, conſcripſiſſe, et confinxiſſe quaecunque e re ſua eſſe videbant; quae apud imperitum vulgus ſacerdotum huius gentis (quos ſuperſtitione et ignorantia omnes vincere plerique orientis ſcriptores tradunt,) auctoritatem αὐτογεάφων nacta, ſacroſancta habita et antiquitatis colore plebi imperitae et ſuperſtitioſae commendata ſunt. Certe in hiſtoria critica philoſophiae barbaricae examen non ſuſtinere, qui non obtuſo eſt ingenio, mox palpabit, et ad libros ſuppoſititios, et fraudis atque interpolationis ſuſpectiſſimos, quales innumeros Orientalium audacia excogitauit, ablegabit.

pag. 153. lin. 11. *Colligit eruditiſſimus FABRICIVS.* Confirmat hoc catalogus librorum Perſicorum gallicus. Quem Hydeus [x] edidit, liber *Sad-der* non integer eſt, ſed in fruſta ab editore diſſectus. Quamuis autem auctorem Muhammedis aſſeclam fuiſſe EVSEBIVS RENAVDOTIVS [y], male et ſine teſtimonio, vel probabilitate [z] contendat, ipſa tamen Hydei confeſſio eum facit recentem, et duobus ſeculis non ſuperiorem, fabulae autem Muhammedanae paſſim inſperſae, coniecturam noſtram ſupra adductam mire confirmant, vnde ex hoc libro in hiſtoria philoſophiae et religionis Perſicae teſtimonium afferre validum non licet.

pag. 158. lin. 25. *Circumlatas eſſe in oriente ſacras quasdam ſententias Zoroaſtri tributas.* Id eo potiſſimum tempore eueniſſe veroſimile eſt, quo

t) PORPHYRIVS in vita Plotini, c. 16. vid. in hiſt. crit. p. 155.

u) Conf. MOSHEM. l. c. BAVMGARTEN. ad hiſt. orbis vniu. T. IV. not. 190. p. 405 ſeqq.

x) loc. cit. p. 24.

y) Collect. liturg. oriental. T. II. p. 278.

z) Vid. BAVMG. Hiſt. orb. vniu. Tom. IV. n. 79. p. 141.

ex ſyſtemate emanatiuo, quod in Oriente ad Zoroaſtris mentem tam lucem, quam tenebras ex ſupremo diuinitatis oceano artis gradibus et legibus prodiiſſe dicebat, nouum aliquod ſapientiae Chaldaicae vel Orientalis genus coepit efformari, et antiquae atque Zoroaſtreae philoſophiae nomine commendari [a]. Id quod paulo ante Chriſtum natum accidiſſe, luculenta noui foederis loca, vbi illud tangitur nos dubitare non ſinunt [b], et in Aegypto, inualeſcente ſub Ptolemaeis ſyncretiſmo theologico, enatum, poſtea autem ſub Ptolemaeo Phyſcone in Aſiam dilabentibus philoſophis Alexandrinis translatum eſt, vt alio loco probatum. Tum enim nouo ſyſtemate caput attollente, quod Hermetico-Zoroaſtreum eſſe iactabant, et cum Graecorum theologia et phyſiologia miſcere coeperant, excogitatis libris ſcriptisque ſuppoſititiis, illa nomina prae ſe ferentibus, facillima occaſio fuit, eiusmodi λόγια (qualia multa tunc temporis circumferebantur), Zoroaſtri affingendi, ſicque orientalis iſtius ſapientiae nomen commendandi. Quae cum philoſophi Alexandrini poſt C. N. ſibi commodiſſima eſſe deprehenderent, auctus inde, comtus et ad ſua placita conformatus oraculorum iſtorum numerus eſt, qui paulatim vires eundo acquiſiuit, donec ſeculo ineunte III. ſcholaque eclecticorum caput erigente nouam auctoritatem acciperet, cum ab his philoſophis illa ad placitorum ſuorum imaginem reformarentur, et Platonicae, vel ſyncretiſticae potius philoſophiae vultui aſſimilarentur. Cui cum ſe doctores eccleſiae Chriſtianae, qui Alexandrinam iſtam ſapientiam didicerant, tradidiſſent, non potuere non ad augendam horum oraculorum fidem multa admiſceri et infarciri, Chriſtianis dogmatibus et vaticiniis oraculorum ſacrorum ſimilia, ex quibus tum boni illi viri Chriſtianae religionis veritatem poſſe roborari credebant, tum haeretici, et fanaticum illud hominum genus, quod philoſophiam μυϛικωτέραν crepabat, fucum deliriis ſuis illinebant. Quos veros fontes horum λογίων eſſe, facile ſibi perſuadebit, qui ſtatum philoſophiae in Aſia et Aegypto paulo ante et poſt natum Chriſtum attente conſiderauerit. Qua de re tamen in hiſtoria eccleſiae Chriſtianae adhibito lydio lapide artis criticae ſine praeiudicio antiquitatis vel auctoritatis pluribus eſt diſpiciendum.

pag. 159. lin. 2. *Rectius Arabes, qui nobis hiſtoriam Zoroaſtris deſcripſerunt.* Verum hi quoque adeo inter ſe de aetate, ortu, regno Hyſtaſpidis diſſident, vt non facile inter ſe, multo autem minus cum Graecorum et Romanorum narrationibus queant conciliari, alii enim eum cum Guſtaſp regis Lohraſp filio eundem faciunt, alii diſtinguunt [c], et quae *Ammianus* de ſtudio eius philoſophico in ſolitudine montana Brachmanum refert, de

a) Vid. PORPHYRIVS in vita Plotini, c. 16. p. 118 Bibl. Gr. l. A. Fabr. T. IV. Hiſt. crit. phil. T. II. p. 644 ſeqq.

b) Vid. imprimis memorabilis locus Col. II, 8 ſeqq. et quae ad eum obſeruauimus in Catena exeg. N. T. theol. Britannorum, T. V. n. 368. p. 175 ſeqq. et alibi paſſim. Conf. MOSHEM. de rebus Chriſtian. ante C. M. c. II. §. 18. p. 58.

c) Conſulendi annales hiſtoriae vniuerſalis orbis a Britannis conditi, qui T. IV. c. 11. fuſe res Perſarum veterum ex hiſtoricis Perſicis et Arabibus enarrarunt. Iaepte hic perſonas confundi obſeruauit HAVMGARTEN. l. c. n. 193. p. 413.

Digitized by Google

de filio Guſtaſpi Baſhuten, quem Piſithum quoque appellant, intelligenda eſſe contendunt, huicque, tradunt, conceſſum fuiſſe interceſſione Zerdushti a Deo, vt in hoc monte Dumauand immortalitate donatus vna cum ſatellitibus triginta pariter immortalibus, in inacceſſibili loco Elyſaeo iſta quiete philoſophica frueretur. Quae tamen omnia ex ſcriptoribus Perſicis ab HYDEO [d] excerpta, incertiſſima fide conſtare, et traditiones horum hominum omnes, atque fabellas eiusmodi excogitatas eſſe, vt philoſophos ſuos, vel ſi mauis prophetas magoſue, non minori apud Deum gratia floruiſſe, quam Iudaeorum, Chriſtianorum, Muhammedanorum viros maximos, Moſen, Eliam, Chriſtum, Muhammedem credatur, manibus palpari poteſt, et contradicentes ſibi rationes Chronologicae, in quibus nihil eſt, quod cohaereat, produnt. Certe TH. HERBERTO auctore [e], qui in iſtum montem aſcendit, totumque tranſiit, penetrabilem eum nec a ſalis ammonici transhalationibus, quod quidem fabulae architecti mentiti ſunt, impeditum eſſe conſtat, vnde ipſe Hydeus, toties cetera fabulis Perſarum et Arabum fidem dans, inter fabulas hanc referre coactus eſt, quibus totam Hyſtaſpidis hiſtoriam plenam eſſe, Graecorum Arabumque et Perſarum inter ſe comparatae de hoc famoſiſſimo heroe notitiae teſtantur. Ceterum facile credimus ſcriptoribus iſtis, floruiſſe ſub hoc rege eruditionem Perſicam atque Orientalem, theologicam, ſymbolicam, aſtrologicam, fauente nempe viris doctis et philoſophantibus ipſo rege his ſacris innutrito, et praeſidio atque patrocinio ea dignante. Inter quos celeberrimum titulum *Hakim*, id eſt, ſapientis nomen retuliſſe, et philoſophorum albo κατ' ἐξοχήν adſcriptum fuiſſe, *Giamaſpum*, inter decem ſapientes [f] Perſiae primo fere loco numeratum ex libro *Mugi* narrat HYDEVS [g]. Inſignem hunc fuiſſe aſtrologum, facile his ſcriptoribus largimur, eaque ſcientia conſiliarii dignitatem apud Hyſtaſpidem obtinuiſſe credimus. Quod vero addunt, ſcripſiſſe iudicia aſtrorum, in quibus planetarum coniunctiones interpretatus eſt, et in quo libro indicium fecit, tum Ieſu noſtri in carne apparentis, tum Muhammedis, et abolendae magorum religionis, ortus Turcarum et deſtructionis mundi, id luculentum ſpecimen eſſe putamus pudendorum figmentorum, quibus recentiores ſiue Perſae, ſiue Saraceni atque Arabes, veterum virorum celebrium memoriam contaminarunt. Vnde non puduit illos, effreni mentiendi audacia hunc Giamaſpum dicere Danielis vatis filium, quamuis ipſe, quem hi nugiuenduli ſequuti ſunt, hiſtoriae Perſicae ordo temporum hanc narratiunculam refutet. Quare plura huius generis atque commatis hic deſcribere ſuperſedemus. Id vnum notamus, totam hiſtoriam Zerdushti hunc Giamaſpem ſuſpectam reddere,

d) Rel. vet. Perſ. c. 23. p. 306. vnde repetunt Hiſt. orbis vniu. auctores l. c. p. 412.
e) Itiner. p. 112. ap. HYD. l. c.
f) Decem hos ſapientes Perſiae, cum ſapientibus ſeptem Graeciae, ſuo modo comparandos enumerat HYDEVS l. c. c. 31. p. 385. et diſtinctius in praef. p. 12.
g) c. 31. p. 385 ſeq.

reddere, quippe, qui ſi eo tempore apud Guſtaſpum vixit, et ſe Zoroaſtris tamen ſequacem profeſſus eſt, quo illi ſcriptores tradunt, hunc Perſarum philoſophum vel ſi mauis prophetam longe priorem fuiſſe imperio Guſtaſpis, adeoque falſa eſſe, quae eius apud Guſtaſpum auctoritate plenis buccis decantant, neceſſario euincit. Quae forte ratio eſt, cur quidam notante HERBELOTO [h], hunc philoſophum ad primam claſſem regum Perſicorum, generis Piſchdadici referunt, quo pacto, ſi Zerdushti ſectator fuit, hunc longe antiquiorem eſſe, quam Perſae tradunt, quilibet poteſt concludere.

pag. 160. lin. 18. *Aetas Oſtane multum inferior fabulam detegit.* Fabula haec excogitata tantum et a Graecis inferioribus [i] audaci commento ſuppoſita Democrito debetur ſtudio nugiuendulorum hominum arti alchemiſticae mendaciis antiquitatem et auctoritatem quandam conciliare cupientium [k], id quod pulchre obſeruatum doctiſſimo PAVLO ERN. JABLONSKYO in *prolegomenis panthei Aegyptiaci* [l], qui videndus.

pag. 160. lin. 26. *Quem hodienum inter ſcriptores oneirocriticos legimus.* Hoſthanem, Typhonem, Dardanum, Damigeronem, Nectanebin et Berenicen, celebriores magos nominat TERTVLLIANVS [m], incerta et obſcura fide, et confuſis quoque veteribus nominibus.

pag. 161. lin. penult. *Fundatorem Perſicae monarchiae.* Magno conſenſu hoc tradunt Perſicae hiſtoriae ſcriptores Orientales, ex quibus imprimis *Mirkhondus*, quanquam fabulis et ſubleſta fide turgidis narratiunculis repletus ſcriptor [n] videndus. Hos licet Perſicae monarchiae origines deſcripturos hiſtoriam magis Romanenſem, quam vocant, quam rerum vere geſtarum annales condere voluiſſe, ipſae nobis narrationum ab illis nobis relictarum apertae et innumerae contradictiones perſuadent, nec ab ingenio orientalium populorum id alienum eſſe omnes norunt; in eo tamen plerique concordant, Dynaſtiae primae conditorem ex Piſchdadiorum genere, fuiſſe Kaiomaram, ſiue Caiumaratum, quem ob ingenii aciem et virtutis moderationem, atque eruditionem pro gentis iſtius vetuſtate tum vigentem poſt anarchiam populo grauem, regem ſponte electum, maieſtatem prudentia regni architectonica, et oeconomica optimisque regnandi artibus per longiſſimum et incredibile aliquot ſeculorum ſpatium tueri perrexiſſe multis elogiis affirmant, veterum legislatorum et monarchiarum conditorum laudes in hunc Perſicae monarchiae regem primum cumulantes. Qui, etſi ex aliorum quoque regnorum,

h) pag. 393.

i) Vid. SYNCELLVS in Chronographia p. 240. EVSEBIVS in Graecis Scaligeri, PSEVDO SYNESIVS epiſt. ad Dioſcurum Serapidis Sacerdotem apud FABRICIVM bibl. Gr. Vol. VIII. pag. 233.

k) Hinc in ſcriptis Graeculorum chemicis plurima mentio fit Oſtanis, et Democriti, et Mariae, et Pamenis. Hi tanta impudentia vſi, non erubuerunt Oſtani doxologiam ad S. S. Trinitatem tribuere vid. FABRIC. bibl. Gr. Vol. XII. p. 763.

l) Proleg. §. 62. p. 144 ſeq.

m) De anima c. 57.

n) Vid. WIL. MOYLE lettr. crit. p. 147. cuius verba repetit BAVMGARTENIVS ad hiſt. orbis vniu. T. IV. p. 323. n. 155.

Digitized by Google

rum, maxime Aſſyriae et Aegyptiacae monarchiae initiis et originibus veriſimilitudinem aliquam nanciſcuntur, adeo tamen in enarrandis eius rebus diſſentiunt, et ſi dicendum, quod res, nugantur, vt omnem plane fidem amittant. Non tamen ab omni veri ſpecie alienum eſt, quod contendunt, virum illum quicunque ille fuerit, et ingenio atque doctrina magnum, ita regendi populi arte et prudentia inſtructiſſimum non rempublicam tantum ordinaſſe, artesque populares introduxiſſe, ſed cultus quoque publici et religionis certae et ſuis principiis nixae, quod fulcrum imperiorum eſſe veteres legislatores recte cenſuerunt, vſum atque modum praeſcripſiſſe, adeoque et principem populi et doctorem ſimul ſe praeſtitiſſe, huncque in finem collegia ſapientum ordinaſſe, et religionis fundamenta expoſuiſſe, cultum autem numinis, quem gens auitis moribus tenuerat, ſolemque venerando exercuerat, ad philoſophicam magis faciem reuocaſſe. Quo pacto, magorum ordinem ab eo eſſe introductum, et ſolis venerationem ſuis limitibus circumſcriptam et religionis ceterae orientalis rudimenta tradita ab eo fuiſſe, pertinaciter non negabimus, cum fide hiſtoriae antiquiſſimae certe conſtet, inter alias quoque gentes has ſapientiae et religionis origines deprehendi [o]. Reliqua quae de eo referunt, et ſpecialia, inter ſomnia orientalium gentium numeranda eſſe, et imprimis aetatem mille annorum, atque regiminis annos ſexcentos inter oſtentationes gentis et ad iactantiam antiquitatis pertinere, lectori palpandum relinquimus. Certe exſibilandi ſunt, qui vel Adamum vel Noachum, vel eius ex filio Semo nepotem Aramum fuiſſe mentiti ſunt, vt inconditis quos inepte compilauerant, monarchiae annalibus, quibus temporum notationes tam aperte contradicunt, ſuppetias ferrent. Seruauiſſe autem ſibi callidum imperatorem locum in doctorum ſiue ſapientum vatumque ordine ſupremum, vt haberet, quo effrenem prius populum religionis capiſtro honeſtatis et obſequii limitibus circumſcriberet, id ex moribus vetuſtiſſimorum heroum nemini eos rite perſpicienti poteſt eſſe dubium, immo haec eius de iſto regno merita originem dediſſe, vt diuina, praeclara, ſapientia omnia ad eum auctorem referrentur, nobis quidem, etſi indubitatis veterum teſtimoniis in tanta ſeculorum canitie deſtitutis, minime eſſe dubium, lubenter fatemur. Imperauit autem Kaiemaras in prouincia Aderbayagian, imperium autem longe lateque extendiſſe dicitur [p], certe magorum religio et ordo in iſta prouincia antiquiſſimus fuit, et maximus: immo prouinciam nomen ab ignis cultu accepiſſe, ſunt qui exiſtimant, eo quod in monte altiſſimo Albor, coeleſtem ignem reſidere incolae ſancta ſimplicitate crediderint, quae ſuis auctoribus probanda relinquimus [q].

pag.

o) In compendio ex orientalium ſcriptorum relatione origines has Monarchiae Perſicae exponunt Hiſt. orbis vniu. auctores Tom. IV. c. 11. §. 430 ſeqq. p. 323 ſeqq.

p) Ibid. §. 439. p. 350.

q) Gauri hodie adhuc ignem iſtum elementarem in hoc monte reſidere, credunt, narrante CHARDIN. itiner. T. I. p. 283.

pag. 162. lin. 5. *Sed principium aliquod diuinum.* Minime id mirandum, cum consuetudo priscorum hominum, etiam inter alias gentes fuerit, magnorum virorum, et heroum, quos ex mundi anima diuino spiritu animatos et possessos credebant; nomina ad ipsa illa principia nominanda adhibere. Quo pacto inter Assyrios Belum, inter Aegyptios Osirin, Isidem, Typhonem et inter ipsos Persas Ormusden siue Orimasden et Arihmanium antiquissimorum heroum nomina fuisse infra monebimus.

Ibid. lin. 4. a fin. *Cum per totam Persidem ad fungendum sacerdotio vacandumque ignis cultui dispersi fuerint.* Ille tamen ignis cultus in montibus, montanorumque locorum cacuminibus exercebatur vsque ad Zoroastrem Persam, qui Pyrea, id est, ignis templa et sacella introduxit: vnde recte colligi potest, Magos, huic igni perpetuo et nunquam delendo, nutriendo praefectos ante Zerdushtum in montanis habitauisse. In prouincia Aderbayagian Magos primariam sedem habuisse supra iam monuimus.

pag. 163. not. a. *PRIDEAVX l. c. p. 223.* Collegit praecipua ex Persarum relationibus quae ad Pyrea eorumque vsum et ministerium pertinent, HYDEI diligentia [r], vbi tamen probe cogitandum est, relationes ipsorum Persarum a Ghaurorum genere et populo, hodie in Asia florente desumtas, omnes post introductum Muhammedismum scriptas esse, adeoque iustam esse suspicionem, multa ex moribus hodiernis his memoriis esse immixta, et recentiora quoque cum priscis consuetudinibus et ritibus confusa, quae incertam totam Magorum historiam reddunt. Certiora quidem sperari possent ex libris Persicis in bibliothecam regis Galliae illatis, quorum multi sunt liturgici, et officia cultumque religionis sacerdotibus pariter ac laicis praescribunt, nisi supra iam monuissemus, antiquitatem horum librorum suspectissimam videri, cum manifesta recentioris temporis vestigia compareant, quae vel ex Iudaeorum vel Graecorum vel ex Muhammedorum scriptis admixta sunt. Vidit id doctissimus pararius huius thesauri literarii, qui iam ab EVSEBIO [s] librum Zoroastris adduci obseruat, cum Zoroastrico Ormusd Iescht conuenientem; in quo in definitione Ormusdi siue Dei is dicitur ἀμερὴς, indiuisibilis, vbi pulchre monet, *hunc terminum esse philosophiae mediae aetatis* [t]: (addere poterat a Muhammedanis contra Parsas, Ghauros et infideles quoscunque adhibitum [u]) *cuius conceptus longe abhorreat a modo ratiocinandi philosophorum antiquissimorum Orientis; qui Deum in magnitudine essentiae suae considerantes et in relatione ad creaturas intuentes, de eo a compositione eximendo non cogitauerint, nec examinauerint, vtrum partes suscipere valeat.* Cuius

q) c. 29. p. 359 sq. vbi etiam imago cuiusdam Pyrei exhibetur.

r) De praepar. euang. L. I. c. 10. p. 42. qui locus in Graeco textu ipse inspiciendus est.

t) Journ. des Savans 1762. M. Iuil. p. 14.

u) Comparandus hic est conspectus theologiae Muhammedicae ex Algazele Tom. III. p. 158. cum hac definitione, vt fons queat detegi vnde illa hausta est.

Digitized by Google

Cuius obſeruationis veritatem intelligent, qui cogitant, ipſum auctorem ſecundarium lucis, Ormuſden, ſiue Oromaſden iuxta diſciplinam Zoroaſtris a ſummo Deo, Mithra, Yazdan aliisque nominibus inſignito non ex nihilo creatum, ſed ex ſe ſummo perfectionum fonte, emanationis lege fuiſſe productum, imo Arihmanii quoque ſiue tenebrarum, quae materiale principium indicant, non poſſe origines explicari ſaluo ſyſtemate Zerdushtiano, ſi abſoluto ſenſu Deus dicatur ἀμερὴς, qua de re infra ſuo loco diſputauimus. Potuiſſet addere, ipſum locum ex *Ieſcht Ormuſd*, quem eundem cum loco *Euſebii* non ſine veriſimilitudine vir doctiſſimus, et Parſicorum librorum atque linguae ſacrae vtriusque intelligentiſſimus, putat, manifeſta veſtigia tranſumti ex Pſalmo nonageſimo textus referre, et quo demum tempore compilatus ſit, attento manifeſtari. Verbotenus enim ibi dicit Ormuſd interrogatus a Zoroaſtre, „quid ſit „verbum illud ſublime et dulce, de quo dixerat, quod victoriam largiatur, „et expandat lucem ad abigendos et deſtruendos ſpiritus malignos? Hoc „verbum eſſe nomen ſuum, patrem hominum et animalium, omnipoten„tem, puriſſimum, coeleſtem, germen omnium bonorum, conſeruato„rem eorum, quae pura ſunt - - Hoc nomen ſuum perpetuo tenendum „in ore, *ne timeat a timore arcus, vel ſagittae, vel gladii* etc.“ Quae ipſiſſima verba ſancti vatis ſunt: *non timebis a timore nocturno — a ſagitta volante in die, a negotio obambulante in tenebris, ab incurſu et daemonio meridiano* [x]. Quem et ſimiles locos alios ex pſalmis in ſcriptis Zoroaſtri tributis occurrentes, Hydeus quidem et qui illum ſequuntur [y], Zoroaſtrem habuiſſe e codice ſacro, cum inter Iudaeos verſaretur, ipſi noto et lecto, iactant; aſt commentum hoc eſſe recentiorum Zoroaſtreae religionis cultorum, ex ipſis veterum ſcriptorum Perſarum, maxime qui in Sinarum vicinia habitant, et a Chriſtianorum et Iudaeorum, quin et Muhammedanorum commercio fabulisque inde hauſtis remotiores ſunt, teſtimoniis ſupra demonſtrauimus. Quae hic ſemel monuiſſe, ne ſplendida Orientis cimelia antiquitatis ſpecie in hiſtoria religionis Perſarum nobis obſtent, ſufficiat.

pag. 166. lin. 3. a fin. *TH. HYDEVS, infeliciter tamen.* Secuti ſunt virum doctiſſimum, et in orientalis literaturae lectione verſatiſſimum, ſed a recentioribus ſcriptoribus Parſis et Arabibus deceptum et ad leges fidei hiſtoricae non ſatis attentum ex gente Britannorum HVMPHREDVS PRIDEAVX [z] qui tamen non negat, impoſtoris characterem in Zoroaſtre reſplendeſcere, et *auctores hiſtoriae vniuerſalis*, qui data opera eius apologiam hiſtoriae ſuae inſeruerunt. Refutauerunt plures, et inter hos quoque *χριτικώτατος* MONTEFALCONIVS [a]. Qui potiſſimum apologetis obliciunt, quod contra vniuerſale antiquitatis teſtimonium, quod theo-

x) Debemus hanc obſeruationem indicio illuſtriſſimi Franciſci Ludouici Comitis ab Oettingen exotica literatura ad miraculum imbuti.

y) PRIDEAVX, hiſt. orbis vniu. auctores, alii.

z) Loca ſupra excitauimus.

a) Antiquité expliquée T. II. p. 2. L. IV. c. 6. p. 408 ſq. Cui addendus B. BAVMGARTENIVS, qui ſtricturas narrationibus hiſt. vniuerſalis adiecit.

logia gentium vniuerſalis confirmat, recentiorum Perſarum conatu, patriam theologiam cum orthodoxia Iudaica, Muhammedica, Chriſtiana in doctrina de Deo et coſmogonia conciliandi ſeduci ſe paſſi ſint, vt purioris et ſanioris doctrinae gloriam vetuſtiſſimis Perſis tribuerent. In quo virorum doctorum diſſenſu ad momenta atque leges hiſtoricae fidei, quas philoſophia rationalis praeſcribit potiſſimum attendendum eſt, quibus iudicibus apologetas Perſarum veterum cauſſa cadere fatendum eſt, cum et omnem antiquitatem contra ſe teſtem habeant, et harmonia theologiae gentilis vniuerſalis poſt amiſſam mature patriarcharum de Deo et diuinis traditionem, per omnes fere terrarum partes omnem probabilitatem iſti apologiae deneget, quae ſyſtema animae mundi ſiue Deitatis per vniuerſum mundum diffuſae omnibus fere gentibus priſcis placuiſſe indubitatis rationibus teſtatur. Quo pacto intelligi poteſt, quomodo ſalua, quam numini ſe debere fatebantur, reuerentia atque cultu ſolem pro ſummo Deo habere potuerint, quod non ad hoc ſidus ipſum ſed ad inhabitantem in illa diuinitatem retulerunt. Ita vero tamen nec prudentiores iſti, qui ſolem pro throno tantum reſplendeſcentis maieſtatis habuerunt (quod paullo magis, quam vulgus attento facile in mentem venire potuit) ab omni idololatriae labe liberari poſſunt, cum non tantum veram numinis ideam excogitata mundi anima corrumperent, et in partes ſiue ſpiritus innumeros diuiderent, emanationis via recepta, ſed et ita ſpiritum iſtum diuinum et immenſum cum ſolis ſidere copularent, vt exhibendo illi diuinum cultum hoc ſimul coluiſſe potuerint videri. Id quod per omnem fere Orientem et Aegyptum, (quibus ſuo iure Americae partem maximeque regna meridionalia, addimus,) ſimili modo euenit. Certum autem, et inuictis veterum atque concordibus argumentis atque teſtimoniis conſtat, in cultu ſolis publicam eamque popularem Perſarum religionem conſtitiſſe, quae tamen, hoc Deitatis ſigno non obſtante ad diuinitatem in ſole reſplendeſcentem et habitantem reſpiciebat, quod pro Graecorum calumnia ex contrariis Parſſarum et Geuhrorum ſententiis habere, apertam ſapit δειλίαν τῆς ὑποθέσεως.

pag. 167. lin. 14. 15. *Hunc Mithram primum, vt recte Heſychius, apud Perſas Deum eſſe.* Omnis fere antiquitatis teſtimonio id dudum allatis locis veterum probauerunt, qui de religione veterum Perſarum tractarunt, cultumque apud eos Mithriacum exponere conati ſunt, quos non exſcribimus. Intercedunt autem quidam viri docti, qui Mithrae nomen non Dei ſummi eſſe, ſed Deitatis alicuius ſubordinatae, adeoque non maſculinum ſed foemininum eſſe habendum contendunt. Inter hos ſunt eruditi auctores *memoriarum literariarum Triuultinarum* [b], qui, mentione huius loci, ad quem hanc annotationem ſcribimus, facta, melius eſſe ſtatuunt HERODOTVM ſequi, qui nos doceat, cultum Mithriacum non nouum eſſe, ſed ab Aſſyriis et Arabibus ad Perſas delatum, eumque pro obiecto

b) 1754. Mart. p. 192.

Digitized by Google

obiecto habere non ſolem, ſed Venerem coeleſtem generationis omnis principium. Qua in re ad FRERETI diſſertationem [c] de hoc argumento prouocant. Nos hoc loco Freretianas explicationes non moramur, illae enim patentiorem campum poſtulant, dicemus autem, quid in ea re verum ſit, quid falſum, ſaltem male intellectum, nec accurate explicatum. Dabimus primo locum HERODOTI [d] lectori legendûm, quoniam explicatione opus habet. Ita vero hiſtoricus: „Non quemadmodum Graeci, „ſentiunt Perſae Deos ex hominibus eſſe ortos; moris habent editiſſimis „quibusque conſcenſis montibus Ioui hoſtias immolare, omnem gyrum „coeli Iouem appellantes. Soli lunaeque ſacrificant, et telluri, igni, aquae „atque ventis, hisque ſolis ſacra faciunt iam inde ab initio. *Vraniae quo-* „*que ſacrificant, ſic nimirum ab Aſſyriis Arabibusque edocti. Vocant autem* „*Aſſyrii Venerem Mylittam, Arabes eandem Alittam appellant, Perſae Metram.*“ Poteramus in genere Herodoti teſtimonium relicere, quod apertum ſit, Graeca eum numina cum Perſicis male confudiſſe, quod Graeci ſaepenumero ſolebant. Cum enim vim gignendi a Perſis Mithrae non elogio tantum, ſed imagine quoque tribui cognouiſſet, iſtam autem procreandi virtutem a Graecis Veneri adſcribi noſſet, temere iudicauit Mithram et Venerem idem nomen ſideris eſſe, cuius gignendi vim Perſae pariter atque Graeci colant. Sed non opus eſſe hac reſponſione monuit B. MOSHEMIVS [e], poſt IACOBVM GRONOVIVM [f] obſeruans, Herodotum hoc numen non dicere Mithram maſculino genere, ſed Mithran foeminino, adeoque hanc ab illo longo interuallo diſtare. Vrania enim, non maris, ſed foeminae nomen eſt, Mithras Solis nomen ſemper maſculino genere exprimitur, vt in inſcriptionibus: INVICTO MITHRAE. Itaque non dubitandum, per Mithran inter coeleſtia Perſarum numina idem eos ſidus intellexiſſe, quod Graeci per Vraniam, nempe Venerem. Quod an recte dixerit Herodotus vel perperam, hoc loco diſputandum non eſt, vbi Herodoti [g] teſtimonio ſolo non ſtamus, facileque admittimus acutiſſimi Moshemii coniecturam, Mithrae foeminae nomine Perſas potius intellexiſſe lunam, quam ſemper in rerum generatione Mithrae mari tanquam vxorem marito ſoliti ſint Perſae adiungere: veteres autem Venerem coeleſtem lunam quoque dixiſſe et ſolis vxorem. Quod ſi aliae rationes deeſſent, ex ſolis imaginibus Mithriacis poſſet probari. Aſt nec ita tamen conſtare Herodoto fidem manifeſtum eſt, qui diſerte ſatis lunam a Venere diſtinguit. Nobis attentius paulo imagines Mithriacas conſiderantibus, eam ſaluam eſſe credimus. In illis enim maxime, quas mathematice (coſmogonice, mallemus dicere) effictas eſſe, HYDEVS [h] recte

c) Vol. XIV. diſſ. acad. reg. eleg. liter.
d) l. c. 25 ed. Henr. Steph.
e) Ad CVDWORTHI ſyſtem. intell. c. 4. §. 16. n. 22. p. 327.
f) Obſ. ad Herodot. p. 536.
g) c. 4. p. 113. vbi figuras antri mithriaci depingi curauit.
h) Conferri hic volumus, quae de Veneris cultu apud Perſas diſſerit HYDEVS c. 3. p. 93. loco huic lucem foenerantia: et apud alias gentes TARLONSKYVS in Panth. Aegypt. Vol. I. L. I. c. I. §. 6. p. 7 ſeqq.

recte monet, non tantum solis lunaeque, sed et aliarum planetarum signa appinguntur, maxime Martis, Mercurii, Iouis et Veneris, quam ex imagine generationis satis obscoenâ, quae proxime adiecta est, tanquam certo indicio licet declarare. Manebit hoc pacto Herodoti fides, afferentis vim foecundantem atque generantem a Mithra foemina, id est Vrania dependere. Et ita quidem scriptor Graecus, numina sua cum barbarorum numinibus more populi sui comparare et conciliare solitus. Quid vero ex mente Persarum illa Mithra, foecundaque mater significauerit, ex systemate cosmogoniae Persicae haud dubia fide iudicari potest. Cum enim Mithras Oromasden tanquam primam omnis lucis emanationem ex se produxisset, addidit illi emanationes lucidas alias, quas recentiores Persae angelos vocant. Inter hos animae mundanae spiritus, qui in stellis potissimum, vt Mithras in sole, thronum atque sedem habent, angelus Mithra, siue Persico nomine Meder, est, siue Methrem, lingua Zendica, de quo describemus bona cum venia lectoris narrationem curiosissimi librorum Zendicorum inquisitoris ANQVETIL DV PERRON [i]. Is ex collectione Zendiana *Irschts sadé*, primi voluminis argumentum esse preces sacras, „refert, forma elogii directi ad angelum solis, ad Meher, ad lunam, ad „aquam et ignem, inque his alloquiis Zoroastrem primo quidem se „humiliare coram Ormusd, et peccatis omnibus, quotquot cogitatione, „voce, facto commiserat, nuntium mittere. Tum conuersum ad plures „angelos, maxime ad *Meher*, *socium angeli solis praesidentis, quem Deus splen-* „*didiorem fecerit, quam ceteros spiritus coelestes - - - Tum post solis elogium* „*ad angelum conuersum, eum dicere praesidem terrarum et villarum, eum ex-* „*pellere et abigere aeterna clana Diabolos, habere oculos auresque mille, occu-* „*patum continuo circa legem et salutem hominum, nunquam quoque obdormire.*“ Addit vir doctus, qui hos libros inspexit, nomen Meher in Zendicis esse Methrem, vnde formatum nomen Mithra; quod iuxta Persarum opinionem hic angelus solis angelo sit proximus, eumque in operationibus suis adiuuet, apud Persas autem singularem venerationem meruisse, ob insignia ministeria, quae humano generi praestet. Haec quanquam recentiora putamus temporibus Zoroastris, et serius excogitata, atque ex veterum Persarum traditionibus compilata, ex instituta tamen comparatione cum loco Herodoti intelligi posse putamus, Mithram, spiritum solis, et Mithran, spiritum terrae hominisque custodem Persas iunxisse, quae scriptor Graecus more suo Graecis nominibus expressit. Ita vero luculento quoque exemplo confirmari potest, systema emanationis eo ordine Persis placuisse quo illud exposuimus. Et hinc ratio dari quoque potest, cur Persarum rex Veneris cultum introduxerit [k], nisi has fuisse reliquias Sabaismi dixeris. Sed aliam quoque de Mithra coniecturam addimus;

μετὰ-

i) Loco supra cit. Diar. Paris. p. 16.

k) Vid. quae ex veterum testimoniis de cultu Veneris inter Persas dixit HYDE c. 3. p. 90. Inde responderi potest ad difficultates PELLOVTIER hist. des Celtes ch. 3. p. 27. ch. 16. p. 297.

Digitized by Google

μεσίτην siue mediatorem dici Mithram ex loco PLVTARCHI constat, quem p. 173. ipsis eius verbis excitauimus. Qui, nisi nos omnis oculorum animique acies fallat, non nisi de mediatore inter lucem et tenebras potest explicari, saltem ex Plutarchi mente ita explicandum esse interpretationis leges postulant. Sed quo sensu μεσίτην vocauerit Chaeronensis philosophus, non aeque perspectum est. Non falli eos, qui hoc ad communem vtriusque principii, lucis et tenebrarum fontem, summum numen referunt, et origines vtriusque ita ex Mithra, a Plutarcho indicari, putant, ex iis quae p. 177. fuse allata sunt, rerum intelligens facile deprehendet. Sed fatemur tamen ita μεσίτης nomen non exhauriri totum, quod intercedentem inter duas partes aduersas significat. Vnde prona via in eam opinionem deducimur, aut Mithram esse mediae naturae inter Oromasden et Arimahnium, id est, ex luce atque tenebris suo modo conflatum, aut muneris illud nomen esse et principium aliquod diuinum, spiritumque talem coelestem referre, qui intercedendo inter lucis et tenebrarum pugnam in mistione vtriusque id agit, ne hoc illud vincat et tenebrarum princeps Arihmanius imperium suum amplificet, et vt animarum a luce abstractarum reditum ad Deum hoc modo adiuuet. Et prior quidem vocis explicatio cum descriptione Mithrae summi Dei constare non potest, quem purissimum et ab omni tenebrarum obscuratione longe remotissimum numen esse, Persae pariter veteres atque recentiores Parsae Gheurique ad vnum omnes pleno ore clamitant. Itaque si nomini huic ratio fidesque sua constare debet, altera intelligenda est. Ita subduxit rationes acutissimus, eheu olim! MOSHEMIVS noster[l], qui vt rationem redderet, quomodo Manes potuerit Christum mediatorem in systema Persarum theogonicum intrudere, ad hanc potissimum Mithrae significationem confugit, et postquam ex IVLIO FIRMICO[m] obseruasset, *Persas Iouem diuidere in duas potestates, naturam eius ad vtriusque sexus referentes et viri et foeminae simulacra ignis substantiam deputantes, solis et lunae imaginem simul hunc μεσίτην repraesentare coniicit, in quo duplex potestas, virtutis habitantis in sole, sapientiae in luna indicetur.* Non refragabimur, si quis huic coniecturae calculum adiicere velit, speciem enim habet et verisimilitudinem, quamuis ad mediatorem Christianorum, quem Manes admittebat, difficulter applicari possit, qui ex suae gentis disciplina, quam probe tenebat, satis nouerat, Mithram, summum nomen, supremamque mundi naturam hanc mediationem ex natura sua refugere, cum non sit compositus ex spiritu siue mente et ex materia siue corpore sed summum et purissimum ens referat, quod ad mediatorem Christianorum Deum atque hominem, non quadrat. Nobis, quod pace piorum, quos post funera magni viri veneramur, manium Moshemii fatemur, coniectura ista atque explicatio displicet. Nam perperam supponit, Mithram summum Deum,

l) Histor. Christ. Sec. III. § 43. p. 787. m) De errore profan. religionum, p. 413. edit. Gronou.

Deum, cuius ſedes atque thronus ſol eſt, et Mithran, quam lunam repraeſentare ad locum Cudworthi ſupra adductum putabat, vnum numen eſſe, nominis appellatione idem, et muneris applicatione atque operatione tantum diuerſum; et reuera ſummum Perſarum numen contra totius gentis iſtius religionem, non condere tantum lucem, ſalutemque ex fonte ſuo communicare, ſed mediatorio nomine adiuuare quoque, et Oromaſdis, quod ſecundarium et dependens a Mithra numen eſt, partes tueri, affirmat, quod ſalua Mithrae Perſici definitione plane erit ἀσύγατον, et cum ſyſtemate Zoroaſtreo non poteſt conciliari. Quare vel plane abiicienda eſt viri ſummi coniectura, vnde Manes mediatorem ſuum habuerit, et cur Mithram Plutarchus μεσίτην dixerit: aut confugiendum ad obſeruationem noſtram ſupra de Mithra foemina eiusque ſignificatione allatam, qua principium aliquod diuinum, lucidum, ſpirituale, potentiſſimum, quod ex Oromaſde, et per hunc canalem ex Mithra mare emanationis lege ortum eſt, indicari, probauimus, quod cum natura ſua inferius Mithra ſummo ſit, muneris ratione effectus Mithriacos in deſtruendis operibus tenebrarum et expandenda lucis ſalute efficit. Quo pacto omnia, niſi fallimur rectius cohaerent, et tunc facile ratio dari poterit, cur Manes ſalua patria religione mediatorem Chriſtum ſuo ſyſtemati haeretico inſarſerit. Plutarchum autem in hac nominis μεσίτης ſignificatione falſum eſſe, Mithramque ſummum numen cum Mithra mediatore confudiſſe, adeoque quem ſuperiorem eſſe Oromaſde atque Arihmanio probe perſpexerat, medium tamen nullo vero ſenſu et determinata ſignificatione feciſſe, nemo mirabitur, qui cogitauerit, in theologia barbararum gentium explicanda ſcriptores Graecos et Latinos plerumque aut lapſos fuiſſe aut offendiſſe tamen et ceſpitaſſe. Poterant haec latius deduci et lux haud contemnenda variis antiquorum ſcriptorum locis accendi, maxime autem Manetis ſyſtema illuſtrari et nonnulla in eruditiſſimi *Beauſobrii* explicatione Manichaeiſmi emendari, niſi timendum eſſet, ne limites ſupplementis poſitos excedamus, vnde haec vberius expendenda et definienda, doctioribus et acutioribus, imprimis qui hiſtoriam Chriſtianae ciuitatis condere aggrediuntur, relinquimus, pedemque ad noſtrum campum referimus.

pag. 173. lin. 6. a fin. *Inter eos Abulfeda refert.* Plura Perſarum et Arabum loca recitat HYDEVS *), vbi tamen caute incedendum, cum ſcriptores adducti plerique Muhammedani ſint, quorum intererat, ita Perſarum religionem delineare, prout eius temporis circumſtantiae huic genti non valde fauentes poſtulabant. Maxime id cauendum ne tenebras veterum Perſarum cum diabolo Iudaeorum, Chriſtianorum, Muhammedanorum eſſe cenſeamus: quo errore veterem Perſicae religionis hiſtoriam miſere corruptam eſſe, eius acta loquuntur. Illa enim de diabolo doctrina tum demum Perſico Arihmanio ſiue tenebrarum principio applicata eſt,

*) c. 22. p. 290. vbi imprimis locus ex Shareſtanio Arabico ſcriptore inſpiciendus eſt.

Digit. ed. by Google

eſt, quo cupiebant Perſarum reliqui ad euitandam perſecutionis moleſtiam videri aliis ſectis viciniores et ἐρθοδοξότεροι, eo quod tenebrarum ſiue Arihmanii doctrinam ipſos erroris dualitatis ſuſpectos facere, re ipſa eſſent experti. Quae niſi diſtinguamus, cetera incerta erunt et obſcura. Magnum autem inter diabolum et tenebras Perſarum diſcrimen eſſe, quilibet deprehendet, qui has ex Mithra productas dici, id eſt emanauiſſe, illum bonum a Creatore numine ex nihilo creatum libere defeciſſe cogitat. Quod ſemel monuiſſe, ne nos ſcriptores rerum Perſicarum recentiores decipiant, ſufficiet.

pag. 174. lin. 16. 17. *Malo daemone mundum malum cum malo ſibi ſeruante.* Hoc non de Zoroaſtreo, ſed dualiſtico magorum vetuſtiorum, quos Keiomari et Zeruani aſſeclas vocarunt, ſyſtemate intelligenda ſunt, qui, ſi Graecis vocibus vel philoſophicis de ea re loquendum eſt, Iouem (Yezdan Perſae nominabant) materia grauidum eam a ſe ex ſinu ſuo expuliſſe, hancque omnis mali tum materialis tum moralis fontem factum principio puriſſimo, lucido, actiuo contrariam naturam habuiſſe crediderunt, nunquam plene ſubiugandam, ſed rebus naturalibus ex commercio et inquinatione materiae ad lucis puritatem reſtitutis emendandam. Quem errorem vetuſtiſſimum mundum corrupiſſe fere omnem, traditionis reliquiae hodienum ſuperſtites loquuntur. Probe viderunt theologi veteres, in hac coſmogoniae explicatione inſuperabiles difficultates ſe prodere; inde factum, vt de cauſſa miſtionis lucis et tenebrarum variis opinionibus veteres Perſae inter ſe diſſentirent. Verum cum ſinceram creationis ortuſque rerum hiſtoriam non rite tenerent, et primorum patriarcharum de ea traditionum eſſent obliti, in haec ἀσύρατα non incidere non potuerunt e). Quod ideo monendum putamus, ne abſurditas opinionis l. doctrinae huius nobis occaſionem ſuppeditet, veterum ſyſtema aliter, quam res poſtulat interpretandi, et meliores ei ſenſus affingendi.

Ibid. lin. 7. a fin. *Mithrae nulla datur ratio.* Hinc veteribus magis Ormuſdh et Yezdan, cum Mithra idem vnus puriſſimus lucis oceanus eſt, quem Zerdushtus demum vt difficultatibus ſe extricaret ita diſtinxit, vt a Mithra ſiue Yezdan, Oromaſden effluxiſſe, et per hunc lucem introductam eſſe in materiam, quae antea in Deo latuerat, ſtatueret. Certe, ſi ante Zoroaſtrem magi ita ſtatuerunt, quod ſectam quandam inter eos tenuiſſe Arabes hiſtorici dicunt, aliter intelligi non poteſt.

pag. 179. poſt fin. §. 12. *Luculenter probant.* Ex dictis de viri docti, IACOBI MARTINI, Congregationis Benedictinae S. Mauri apud Gallos ſocii explicatione Mithriacorum myſteriorum iudicium ferri poteſt, quam peculiari ſchediaſmate, quod: *explicationem diuerſorum monumentorum ſingularium, quae ad religionem vetuſtiſſimorum populorum pertinent*, inſcripſit,

e) Vid. idem p. 295. quo loco obſcuris Shareſtanii verbis ex hac explicatione noſtra clara lux poteſt accendi.

ſcripſit, et cum orbe erudito communicauit p. Is, cum minime ſibi placere omnia, quae de Mithra cultuque Mithriaco dixerunt celeberrimi viri Philippus de la Turre et Scipio Maffeius, fateretur, antri cultusque Mithriaci nouam ipſe dare explicationem conſtituit, ſupponens, Mithriaca ſacra, qualia ad Romanos perlata ſunt, non tota eſſe Perſica, ſed a piratis Phrygibus ad ſuae religionis normam attemperata, nec totam Mithrae religionem exhibere aliud, niſi imaginem ſolis eclipſin patientis et ab eo conflictu victoriam reportantis, congratulantibus reliquis ſtellarum planetarumque conſtellationibus, quae hunc hoſtem vinci gaudeant: ceremonias Mithriacas autem ex Iudaiſmo et Chriſtianiſmo eſſe deſumtas. Quibus innixus, dicam viris celeberrimis ſatis grauem ſcripſit, qui aliam explicationem ſequuntur, et imprimis Porphyrium inſectatur, quod rerum vniuerſi cauſſam Mithram ſignificare, tradiderit. Nos in viro docto, ſed coniecturarum leuiſſimarum fidem libenter ſequente, (quem characterem etiam in opere *de religione veterum Gallorum* prodidit) variae eruditionis ſpeciem laudamus, potuiſſe autem patrum coniecturis et explicationibus fidere, et licet noſſet, eos omnia ad partes ſuas rapere, quae Chriſtianis fauere credebant, ſiue vera eſſent, ſiue falſa, eorum tamen interpretationes ſequi et his fulcris vere ficulneis nouam iſtam interpretationem Mithrae inaedificare, merito miramur. Non examinabimus totam diſſertationem; facient id, qui ſibi conſtitutum habent, veteres ritus explicare; praeterire tamen hoc loco non poſſumus ea, quae noſtrae quam de Mithra dedimus, explicationi obſtare videntur. Et I. quidem diligenter monemus PP. ineptos prorſus in hoc argumento iudices eſſe, eo quod arcanos veterum gentilium cultus et religiones ſatis explorare nec potuerint, nec voluerint, cum ita ſibi propoſuiſſent, omnem religionem gentilium exponere, vt conſtaret, aut Hebraeis ſurrepta eſſe quae ſaniora ipſis videbantur, aut innumera abſurda comprehendere, id quod ſuo loco ex inſtituto demonſtrauimus, et in PP. lectione non ignaua opera verſato ignotum eſſe, vel negari a quoquam non poſſe confidimus, niſi ab eo, qui coeca veneratione viros pietate magis et doctrina quam iudicii critici acumine et accuratione claros proſequitur. II. Romanos quoque aeque ineptos eſſe Orientalis religionis iudices, nemo inficias iuerit, qui cogitauerit, eos ad patria placita illius ceremonias plerumque retuliſſe, hincque innumera aliter expoſuiſſe, quam Orientalium mens fuit. Quae obſeruationes quamplurimis exemplis facile probandae vbi ſupponuntur, vt negari a veterum rerum perito non poſſunt, ita vno ictu viri docti explicationem ſubuertunt. Ea enim tota nititur teſtimonio *Lactatii*, ſcholiaſtis Statii q, qui cultum Mithriacum ita delineat: *Perſae in ſpelaeis coli ſolem primi inueniſſe dicuntur, et hic ſol proprio nomine vocatur Mithras, quique eclipſin patitur, ideoque intra antrum colitur, eſt enim in ſpelaeo Perſico habitu, leonis vultu cum tiara, vtrisque manibus bouis cornua compri-*

p) Paris 1739. 4.

q) Ad STATII Thebaid. L. I.

comprimens, quae interpretatio ad lunam dicitur: quam indignita, sequi fratrem occurrit illi et lucem subtexit; sol enim lunam minorem sua potentia et humiliorem esse, docens, taurum insidens cornibus torquet. Non excipiemus quod facere poteramus contra hunc testem, eum et Latinum esse atque peregrinum, et aetate adeo ab ista veteri religione remotum, vt eius interpretatio ex ingenio nata potius, quam Persarum ex relationibus accepta videri queat. Concedemus potius, eam explicationem apud Romanos mysteriorum Persicorum ignaros obtigisse, velut facilem et obscurissimo dogmati leuem significationem et popularem sensum affingentem; maxime cum vidissent, stellarum signa solis atque lunae imaginibus in istis spelaeis fuisse adpicta; audiuissentque, Zoroastrem in hoc cultu Mithriaco planetarum rationem habuisse. Hoc enim facile nobis persuaderi patiemur, modo certiora quam attulit, eius rei testimonia attulisset. Ast veram esse, testatam veterum Mithrae explicationem, qualem dedimus, mentique Persarum conformem ipsa nos eius conuincit dissertatio, ea suppeditans, ex quo confutari posset. Ipse enim obseruat [a] Mithram a sole saepe distingui, ad inscriptionem apud Gruterum prouocans:

D. I. M. ET SOLI SOCIO

id est, *Deo inuicto Mithrae et soli socio.* Addere potuisset, Mithram in eo ipso monumento, quod aere expressum est, a sole distingui: vnde recte explicuit adiectam inscriptionem:

DEO SOLI ET INVICTO MITHRAE.

Quod si Mithras a sole distinguendus est, qua ratione sol eclipsin patiens dici potest? quo tamen sensu omnia haec esse intelligenda magna confidentia statuit? Et annon haec ipsa nos eo deducunt, vt dicamus, Mithram aut plane diuersum a sole esse aut hunc eius tantum sedem atque imaginem? Viderit itaque, cui interpretatio doctissimi monachi placet, qua ratione soli eclipsin patienti et in hac sola, quod vult relatione considerato et Mithra vocato, eam nominis significationem tribuere queat, vt innuat dominum, protectorem, patrem; aut qua ratione sol in hoc statu eclipseos dici possit mediator inter bonum et malum, ex vtriusque influxu participans, eumque cum inferioribus communicans. Haec enim aut nullum, aut ineptum sensum stante hac explicatione admittunt. Neque reliqua meliorem assensum merentur, quae afferuntur. Et facile quidem concedimus, Porphyrium in explicando cultu Mithriaco falli potuisse, licet comprehendere nequeamus, quomodo consentiant, quae auctor habet vno loco, Porphyrium hanc explicationem ideo excogitasse, vt Christianos eo melius refelleret, cum alia non haberet, quae illis opponeret; et altero, eum a Gnosticis hanc explicationem didicisse, at deprehendisse, se ab iis deceptum esse; prius enim cum posteriore stare non potest. Quaecunque autem esse potest Porphyrii auctoritas, certum tamen est, non ad ipsum modo solem velut simulacrum et habitationem

a) pag. 240.

aeterni et diuini ignis, ſed et ad hunc ipſum imprimis Perſas veteres Mithram retuliſſe, quod in ſuperioribus nos extra dubitationis aleam poſuiſſe ſumus perſuaſiſſimi. Quamuis itaque ſol Mithrae nomine velut ſymbolum eius interdum occurrat, aſcendendum tamen altius, et diuinus ille ignis fons aeternus omnis emanationis cogitandus eſt, quem ignis ſymbolo Perſarum philoſophi, (nam de his ſermo eſt, non vero de religione plebis) adorabant. Et hinc ſine dubio Mithras ex petra prognatus ſymbolice dictus eſt, quod prouocatus ex ſilice ignis ſymbolum eſt ignis diuini ſeu Mithrae, qui ex ſe emanare facit omnia. Prorſus autem ἀπροσδιόνυσον eſt, Mithram ad mediatoris dignitatem ex homine euectum eſſe, hoc enim doctrinae Perſicae repugnat, quae Mithram Oromaſdi et Arihmanio praeponit, vt ſuo loco probatum. Nec mediator aliter dici poteſt, niſi quod vtriusque principii ex ſe emanantis auctor fuerit, vel mediatoris titulus plane non ad Mithram ſummum numen pertinet, quod Plutarcho perperam viſum, ſed ad ſpiritum quendam emanatiuum, qui in Veneris ſidere reſidet, vt ſupra ex ſcriptis Zendicis probatum. Ex quibus conſtare putamus, Martinianam Mithrae explicationem neque cum vulgari neque cum philoſophica et ſymbolica veterum explicatione concordare. Illa enim ſoli Mithrae nomen interdum tribuit, ſed vt ſummo et diuino ſideri, influxum vi animae diuinae inhabitantis largienti. Haec Mithram primum aeterni diuinique entis fontem eſſe ſtatuit, ex quo actiuum et paſſiuum principium illud ſpirituale, hoc materiale, lucis nimirum et tenebrarum, effluxit. Reliquae Mithriacae imagines atque ſymbola facile accommodari huic explicationi poſſunt, ſi emanationis ſyſtema adhibeatur, nec opus eſt ad eclipſin confugere: quam meliori veriſimilitudine expoſuiſſet auctor, ſi ad pugnam inter Oromaſden et Arihmanium lege emanationis ex Mithra factam prouocauiſſet, illo tandem hunc vincente, et cunctis in lucidum fontem primaeuum redeuntibus. Ceterum vtrum verum ſit, quod auctor afferit, Zoroaſtrem fuiſſe fundatorem religionis magorum, nec Mithriacum cultum ab eo proficiſci potuiſſe, eo quod teſte Iuſtino, is natus ſit ex locis Iſaiae et Danielis male intellectis, hi vero prophetae multis ſeculis priores ſint Zoroaſtre, Lectori, ea quae de Zoroaſtris aetate copioſe attulimus, expendenti dilucidanda relinquimus. Indubitatum ſane eſt, Magorum religionem ipſumque Mithrae cultum Zoroaſtre antiquiorem eſſe, nec eum eſſe primum auctorem, quamuis poſſibile ſit, vt myſteria Mithriaca in ſpelaeis celebrata ſi non primus inuenerit, ſaltem in vſum ſenſumque philoſophicum traduxerit, et ad ſyſtema ſuum incruſtandum adhibuerit, quemadmodum Mithriacum ſyſtema non ex male intellectis Iſaiae et Danielis locis excogitatum eſt, ſed ab initiis monarchiae Perſicae iam in vſum deductum. Facile haec omnia, et meliora ſuis auctor vidiſſet, et quam dubia Iuſtini narratio ſit, expendiſſet, ſi vel vnius Hydei librum euoluiſſet, et teſtimonia veterum expendiſſet,

Digitized by Googl

diſſet, quem ignorauiſſe miramur, cum vel ex ſolo BAYLII articulo, *Zoroaſtres*, eum cognoſcere potuiſſet.

pag. 179. §. 13. lin. 34. *Haec enim ex diſputatis clara eſſe putamus.* Cauendum autem eſt, ne Magorum ſectam quandam, quae Principiorum abſolutorum dualitatem ſtatuebat, hic cogitemus, de qua memorabilem locum Shareſtanii affert HYDEVS [r], ex quo patet, communem magorum ſententiam hanc dualitatem in diuinis, Lucis et tenebrarum abſolutam reieciſſe, et a primo magici ordinis antiſtite Keyomarath ita edoctam ſtatuiſſe: „Eſſe quidem rerum omnium principia duo, Yezdan et Ahreman, „aſt hoc tamen diſcrimine, vt fuerit Yezdan ſine initio aeternus, Arih„man productus ab eo et creatus.“ Videbat contradictionem latentem Zarduſchtus cum explicari non poſſet, quomodo Yezdan produxerit Arehmanium, ſ. lux diuina et immenſa atque ſpiritualis tenebras, et quae inde orta eſt materiam, ſuae naturae aduerſam, de qua quaeſtione maximas controuerſias inter Maguſaeorum ſectas fuiſſe enatas idem ſcriptor ait, „cum de duobus capitibus cardinalibus diſputarent, quorum vnum „erat cauſſa miſtionis lucis et tenebrarum, alterum explicatio liberatio„nis lucis a tenebris. Itaque huic quaeſtioni dirimendae, ſupremum „principium ita poſuiſſe Zerdushtum, vt diceret, Mithram ſiue Deum „ſummum creaſſe lucem et tenebras, et vtriusque auctorem eſſe vnicum, „ſine ſocio, ſine pari aut ſimili, nec tamen ad eum referendam eſſe ex„iſtentiam tenebrarum, ſicut dicant Zeruanitae, ſed bonum et malum, in„tegritatem atque corruptionem, et puritatem ac ſpurcitiem exiuiſſe ex „miſtione ſeu commiſtione lucis et tenebrarum [s].“ Accurate expendenda ſunt ipſa ſcriptoris Arabis verba ſatis luculenter ſenſum myſticum ſiue latentem eorum exponentia, quae Zoroaſtres ſymbolice et impropriis figuris olim ad poſteros propagauerat, vt habeat clauem, qua reſerari poſſit ſyſtema Zoroaſtreum theogonicum et coſmogonicum, quaque Graecorum pariter ac Perſarum relationes de eo claro ſenſu poſſunt exponi, modo caueatur, ne creationis vocem, a recentioribus ſcriptoribus ex Iudaeorum, Chriſtianorum et Muhammedanorum ſchola adhibitam ſenſu, quo hi ſumunt, pro productione ex nihilo, habeant, ſed emanationem productricem intelligant, qua quicquid reale eſt, et re ipſa exiſtit, ex ſuo fonte prodiit, diuino omnibusque realitatem et exiſtentiam impertiente, quod diuerſiſſimum eſſe a creatione ſenſu Iudaico et Chriſtiano quilibet intelligit, et ex explicationibus Orientalium euidenter poteſt probari [t]. His diu expenſis, ſyſtematis Zoroaſtriani explicationem illam

r) c. 22. p. 295 ſeq.

s) Dedimus integra verba Shareſtanii l. c. p. 178. quae tota legenda ſunt, vt modificatio ſyſtematis Dualiſtici vel commutatio potius in emanatiuum intelligatur.

t) Teſtes damus veteres omnes, quotquot duo principia abſolute prima non aſſeruerunt. Hi enim aut in Deo fuiſſe omnia, et ab eo in tempore ſeparata, aut modo emanatiuo iuxta limitationum et priuationum ordines conſtituta, ſalua tamen eſſentiae origine ex Deo ſtatuere cogebantur, cum ſemel admiſiſſent principium: ex nihilo fieri nihil, adeoque creationem rei ex nihilo nec capere, nec ad rationes coſmogonicas expli-

dedimus, quae noſtro quidem philoſophandi modo atqüe verbis accommodatior, ſenſum tamen illum ſyſtematis emanatiui refert, quem ſolum hic ſequendum nec ad recentiores voces, emanationis etc. offendendum vel alienas opiniones veteribus tribuendas eſſe prouide monemus. Quo pacto conſtabit, nihil nos ex ingenio finxiſſe, ſed ad mentem ſcriptorum veterum exhibuiſſe, ſepoſito pauliſper velamine narrationis allegoricae et ſymbolicae, de bellis duorum iſtorum regum, de exercitibus ab iis eductis eorumque ducibus, de contentione inter eos in creato mundo, de tempore et duratione regnorum vtriusque, de debellatione et deletione Arihmanii vniuerſali, de paradiſo, loco lucido et felici, de reſurrectione non hominum tantum ſed omnium realium rerum, ſiue de reditu earum ad primam originis felicitatem, quas traditiones omnes, nec Porphyrio, nec Plutarcho, nec Theodoro Mopſueſteno, nec aliis Graecis ignotas, Parſis autem atque Gheuris, ſiue Gauris in libris Zoroaſtri tributis et apud eos ſacris familiares, hoc loco quamuis non adeo arduum id opus fuiſſet, exponere noluimus, ne ex philoſophiae hiſtoria, religionis Perſicae enarrationem exſculpere voluiſſe videremur [x]. Non deſunt autem inter acuta noſtrae aetatis ingenia, qui hanc, quam hoc loco damus explicationem ſyſtematis Zoroaſtrei, verisimillimam putarunt, ſuoque adprobauerunt calculo. Inter quos immortali, LEIBNIZIO primum merito locum aſſignamus, qui in acutiſſimi ingenii opere, quod *Theodiceam* inſcripſit [y], hanc Zoroaſtrei ſyſtematis explicationem dudum dedit. Adſcribemus ipſius verba, cum lectoris venia, quoniam magnam argumento noſtro lucem inferunt. Ita vero philoſophus incomparabilis: „L'ancienne erreur des deux principes, que les Orientaux diſtinguoient „par les noms d'Oromaſdes & d'Arimanius, m'a fait eclaircir une con„jecture ſur hiſtoire reculée des peuples; y ayant de l'apparence que „c'étoient les noms de deux grands Princes contemporains, l'un Monar„que d'une partie de la haute Aſie, où il y en a eu depuis d'autres de „ce nom: l'autre roi de Celtes-Scythes, faiſant irruption dans les Etats „de premier, & connu d'ailleurs parmi Divinitez de la Germanie. Il ſem-

„ble

explicandas adhibere poſſent. Vidit id eruditiſſimus GERDILIVS introduz. alle ſtudio della relig. Vol. I. p. 339. ſed putat emanationem idem veteribus populis fuiſſe quod creationem ex nihilo, et verbis tantum differre, rem et doctrinam ipſam eos habuiſſe ex traditione et reuelatione. Sed quod pace doctiſſimi viri dictum volo, inſigniter fallitur, dum quaeſtionem ex quaeſtione probaturus circulum committit. Tota theologia vetus reſtis eſſe poteſt, traditionem primaeuam de rebus omnibus ex nihilo ſolo verbo DEO creatis ab initio fere conditarum rerum publicarum periiſſe, et mutatam ſapientiam de diuinis naturalem in ſtultitiam, pronuntiante diuo PAVLO Rom. I, 21. 22. excogitaſſe dogmata athea, vel pantheiſtica, gloriam Dei ſubuertentia: cum ſcilicet orthodoxo dogmati, cuncta ἐκ τῶν οὐκ ὄντων ex ſolo verbo Dei apparuiſſe Ebr. I, 3. ſucceſſiſſet aut Dualiſticum, aut Spinoziſticum, aut Pantheiſticon ſyſtema, qua voce emanationis dogmata ſolemus nuncupare. Itaque ab intempeſtiua apologia orbis vereris in articulo de Deo delirantis praeſtat manus retinere, quam inter lucem et tenebras inuita hiſtoriae antiquae fide paciſci, quod religionis et traditionis primaeuae cauſſam minime adiuuat.

x) Inuenient tamen eas, qui cupiunt in cel. SCHVBARTI hiſt. phil. c. 2. p. 49. Nihil tamen h. l. de Mithra inueniri, Oromaſdi et Arihmanio ſuperiore miramur, ſed eum tantum pro ſymbolo DEI haberi.

y) Prel. p. m. 39. in fin.

„ble en effet que Zoroaſtre a emploié ces noms des ces Princes comme „des ſymboles des Puiſſances inviſibles, aus lequelles leurs exploits les „faiſoient reſſembler dans l'opinion des Aſiatiques. Quoi-que d'ailleurs „il paroiſſe par les rapports des Auteurs Arabes, qui pourroient mieux „informés que les Grecs, de quelques particularités de l'ancienne hiſtoire „orientale, que ce Zerduſt, ou Zoroaſtre, qu'ils font contemporain du „Grand Darius, n'a point conſidere ces deux Principes, comme tout a „fait primitifs & independans, mais comme dependans d'un principe uni„que ſupreme: & qu'il a cru conformement a la coſmogenie de Moiſe, „que Dieu, qui eſt ſans pair, a crée tout, & a ſeparé la lumiere des tene„bres, que la lumiere a été conforme a ſon deſſein original, mais que les „tenebres ſont venus par conſequence, comme l'ombre ſuit le corps, & „que ce n'eſt autre choſe, que la privation." Ad quae vltima verba intelligenda legi debent quae Leibnizius in ipſo *Theodiceae* opere de priuatione differit [z], quas tamen ſpeculationes metaphyſicas nec veteribus Perſis, nec recentioribus tribuere audemus, ne plus lucis veterum philoſophiae intuliſſe videamur, quam habuiſſe ipſos eſt veriſimile. Alterum addimus, non minoris auctoritatis in explicandis veterum opinionibus interpretem et arbitrum B. Moshemivm [a], qui iisdem, quibus nos, rationibus ductus eandem Zoroaſtri ſententiam tribuere non eſt veritus. Hunc tertius ſecutus eſt eruditiſſimus Bavmgartenivs [b], qui allatis variis ſyſtematis Zoroaſtrei explicationibus noſtram quam hic dedimus, veritati iudicat eſſe longe ſimillimam. Tandem quartum ſuo iure adiicimus virum S. R. Io. Ernestvm Schvbertvm [c], qui adhibitis iisdem Arabum relationibus Zoroaſtreum ſyſtema eodem modo exponit, et cum recentioribus hypotheſibus de origine mali, ex priuatione et limitatione metaphyſica comparat, quos tamen conceptus mentis metaphyſicos vtrum Orientalium ingenia conceperint, vel phyſice magis fuerint philoſophati, lectori cogitandum atque expendendum relinquimus.

pag. 182. lin. 15. *Satisfacere poſſe, ſumus perſuaſiſſimi.* Dignum eſt labore attento, orientalem philoſophiam, qualis tempore naſcentis Saluatoris Aſiam peruagata eſt et Aegyptum quoque occupauit, itemque Aegyptiaci ſyncretiſmi placita cum hoc ſyſtemate conciliare, quoniam filiae matrem ſimilitudine ex aſſe refert. Tentauit id Beavsobrivs in *hiſtoria Manichaeiſmi*, ſed praeiudiciis nonnullis impeditus non perfecit.

pag. 183. lin. 7. a fin. *Etſi ex priuatione lucis originem traxerit.* Hoc vi ſyſtematis emanatiui neceſſario concludendum eſt, in quo nihil ex ſe, vel ex nihilo eſt, ſed omnia ex ſuo fonte oriuntur, eiusque indolem ſequuntur, priuatio autem limitesque extra rem ſunt illique accedunt. Quare in doctrina de finitate materiae, qualem hodie philoſophi adhibent, iſta orientalis philoſophia locum habere non poteſt.

pag.

z) Theod. I. §. 30.
a) Ad Cvdwòrthi ſyſt. intell. p. 249. 328.
b) Ad hiſt. orbis vniuerſ. P. IV. p. 148. n. 84.
c) Hiſt. phil. c. 2. § 79 ſeqq. p. 48 ſeq. vbi tamen tria iſta principia non ſatis diſtinguuntur.

pag. 184. lin. 14. *Mithran Perſarum cum Venere Graecorum male confundi.* Videnda, quae ſupra ad p. 167. prolixius diſſeruimus; veriſimile eſſe oſtendentes, Venerem Graecorum eatenus poſſe eſſe Mithran foeminam, quatenus per eam ſpiritus quidam intermedius generationis cuſtos, qui in hoc planeta ſedem habet, intelligitur. Talem eſſe Mithran, ex teſtimonio libri Zendici demonſtrauimus. Coincidere iſta cum numine Veneris coeleſtis, quod velut matrem Deorum coluerunt populi Syriae, Phoeniciae, Aſiaeque minoris, ex locis Procli, Plutarchi, Simplicii, Apuleii ſatis luculenter intelligi poteſt, quae incomparabilis IABLONSKII diligentia [d] adduxit, quaeque explicationem noſtram mire confirmant. Ita ſalua manet explicationis ratio, quam hoc loco dedimus. Syſtema enim planetarum et Zodiaci in choro ſpirituum emanatiuorum, quos angeli recentiores Perſae vocant, cultum Mithriacum praecipue expreſſiſſe, ſpelaei Mithriaci adumbratio oſtendit clariſſime. Quo pacto intelligi quoque poteſt, quo ſenſu Platonici Zoroaſtrea placita ad ſyſtema Alexandrinum ex orientali philoſophia pingendum et ornandum adhibuerint. Videtur autem vero admodum ſimile Zoroaſtrem emendato iſtorum ſiderum cultu ſuoque ſyſtemati adaptata vulgi opinione ἀϛρολάτρας, quorum tum inter Perſas plena erant omnia, conciliare ſibi voluiſſe, vt eo facilius nouam religionem reciperent. Quem ſcopum in toto ſuo ſyſtemate habuiſſe, comparatio inſtitutorum veterum Perſarum cum Zoroaſtreis confirmat.

pag. 189. lin. 19. *Adeoque et antiquis placere potuerit.* Praeter ritualia nonnulla pluſcula moralia praecepta continet liber *Sad-der*, ex quibus nonnulla decerpſit cl. SCHVBERTVS [e]. Quia vero liber recentior eſt, et duobus ſeculis vix antiquior, deſcribere eius regulas morales hoc loco, vbi de vetuſtorum Perſarum ethica agitur, noluimus, virtutem, honeſtatem, caſtimoniam, veritatem commendauiſſe Perſas et imprimis ſacerdotibus iniunxiſſe facile credimus: neque tamen quae hodierni Perſae praecipiunt [f], cum veteribus confundenda ſunt. Vnum gentis huius doctrinam moralem contaminauit, inceſtus cum matre aut ſorore, quem tamen mores magis gentis, quam philoſophia Zoroaſtrea fulſiſſe eſt credibile [ff].

d) In Pantheo Aegypt. P. I. c. 1. §. 6. p. 7. 8. quae conferri merentur.

e) loc. cit. c. 2. ſ. 2. §. 60 p. 54 ſeqq.

f) Quinque regulas cuilibet Laico apud Perſas praeſcriptas recitat LORDVS l. c. repetunt hiſt. vniu. orbis auctores T. IV. p. 134.

ff) Accuſat tamen Zoroaſtrem, hiſtoricus Arabs *Abu Muhamed Maßapha* apud HYDVM c. 24. p. 313. improbauit eum caput quoddam Zerduſthaeorum, Chuaph, narrante *Shareſtanio* loc. cit.

AD

Digitized by Google

AD. LIB. II. CAP. IV.

DE PHILOSOPHIA INDORVM VETERVM.

pag. 191. lin. vlt.

Edidit Edoardus Biſſaeus eques auratus. Vtiliſſimo inſtituto huic editioni auctor praefixit loca veterum, Strabonis, Ciceronis, Plinii, Plutarchi, Arriani, Apuleii, Clementis Alexandrini, Porphyrii, Philoſtrati, quae de rebus Indorum ſacris eorumque religione, moribus ſapientibus ex vetuſtioribus ſcriptoribus mutuum deſumtis narrationes nobis reliquerunt. Nam hoc pacto magno lectoris commodo is ad haec veterum teſtimonia recurrere, et quid antiquis Graecis et Romanis de hac Indica ſapientia notum fuerit, poterit requirere. Non ignoramus, multa nobis prolixiora pariter atque lucem magis foenerantia retuliſſe tum peregrinantium curioſitatem, tum miſſionariorum, et ad praedicandum genti euangelium, in has Aſiae meridionalis partes a principibus delegatorum induſtriam, qua ex ipſis nationum Indicarum ſacerdotibus origines earum et imprimis religionem, dogmata, placita et traditiones *πατροπαραδότους* expiſcari laudabili ſtudio annili ſunt, in quo prae reliquis Ieſuitarum ſocietatem fuiſſe diligentem, nec minori induſtria Daniae regis miſſionarios in hoc campo pulchre eſſe verſatos, candide eſt fatendum. Aſt quamuis hae narrationes itinerariae curioſitate et inſtructiore lumine multum ſe commendent, non auſi tamen ſumus, eos in ſubſidium vocare, et ita eruditionis ſacrae atque philoſophicae Indorum compendium hoc loco exponere, rationibus haud leuibus prohibiti. Nam 1. pleraque illa, quae viri iſti docti a ſacerdotibus Indorum acceperunt, (haec autem rudis admodum rerumque ſuarum ignara gens eſt) non tam philoſophiam quam theologiam et religionem, ſiue capita de Deo, mundi ortu, Deorum apparitionibus, rerum ordine, gentisque originibus et ſimilibus exhibent, et ad hiſtoriam religionum, non autem philoſophiae, maximam partem referenda ſunt. 2. qui iſta tradiderunt, vel ipſi impudentiſſimis fabulis impliciti, quid dicerent ſalua veriſimilitudine non intellexerunt, vel nugis inſolentiſſimisque mendaciis, narrationibus, contradictoriis, et figmentis audaciſſimis ſtudio excogitatis omnia repleuerunt. 3. ſtudium hoc autem vindicatis ſibi gentis et religionis ſuae originibus diuinis atque religionis et traditionum auitarum antiquitate gloriam et admirationem conciliandi, ad ingentia mendacia fecit audaciſſimos. 4. methodus quoque orientalis, quae populis craſſioris Mineruae et plerumque ſub deſpotico monarcharum imperio ſine ingenii libertate gementibus, et rerum, quam quae diuitias regionum iſtarum promittunt, aliarum parum curioſis placebat, mythologica, fabulis innumeris *τὸ θαυμαστὸν* prae ſe ferentibus, omnem veritatis ſpeciem alta nocte premit. 5. peregrinantium autem

fides saepe aut facilis nimis et credula, aut festinatione decepta res peregrinas non comprehendere satis potuit, nonnullorum autem narrantium e re fuit, ita relationibus suis accommodare traditiones Indicas, prout eas praeoptabant: 6. libri et documenta gentis adeo clam habiti sunt hactenus, vt ex domesticis fontibus nihil fere fide dignum potuerit hauriri. Quae nobis rationes fuerunt, cur reiecta ad finem operis tractatione exoterica, de philosophia gentium Indiae, hoc loco in iis tantum commorati fuerimus, quae ex veterum, Graecorum Latinorumque fide constant, quanquam exigua sunt, et vix digna quae in philosophicae historiae theatro compareant.

pag. 192. lin. 29. *Cum nugatore GVIL. POSTELLO.* Locum heic allatum praefixit collectioni suae cum aliis BISSAEVS, et poterat vtcunque ferri, tanquam coniectura inde nata, quod cum filiis ex Ketura in Orientem ab Abrahamo dimissis, philosophia quoque Chaldaica et Aegyptiaca (vtriusque enim si non parentem, certe primarium doctorem faciunt veterum multi) istud quoque disciplinae genus in Indiam dimanauerit. Ast quae homo cum ratione insaniens alio loco [a] ea de re dixit, ita deliranti nugatori potuisse excidere, vt pro mysteriis venditaret, id mirari satis nemo potest, qui ingenii Postelliani characterem non intus et in cute nouit, adeo absurda, inania, omnique rationis sensu carentia sunt, quae hoc loco disputat, vt quadrata rotundis miscendo, ipse quid sibi velit, nesciat. Non excitabimus insanientis philosophi somnia, qui historiam nugarum in philosophorum actis occurrentium collectionem non scribimus: legant, qui curiositate et patientia satis instructi sunt integrum locum ex libro, vt sunt Postelliana fere omnia, rariori excerptum et integre adductum a diligentissimo FABRICIO [b]. Nos vt ex vngue „leo possit dignosci, hoc vnum afferimus, Brachmanes veterum a quibus „Braminae hodierni a Postello deriuantur, nomine ad hanc vsque diem „seruato suae originis testari fontem Abrahames apud quos disciplinae „filiorum Orientis delitescunt. Quum enim vidisset Abraham, suos fi„lios tam in familia Ismaëlis ex Hagar, quam ex Ketura natos nolle Isaaco „fratri ad propaginem Messiae electo subiici, tunc pacis domesticae gra„tia Ismaëlem versus Aegyptum et Arabias habitare, et commercia con„nubiaque exercere permisisse, vt potissimum disciplinis Aegyptiacis im„bueretur, timore diuino prius imbutus: allos autem libris rerum coele„stium donatos in totum orientem dimisisse: et hoc esse, quod ait scri„ptura: Isaaco quidem dedit totum seu omne aut totale, filiis vero con„cubinarum dedit munera. Plura describere ineptientis ingenii deliramenta pudet: sufficiunt haec vt intelligamus, etiam in historia critica philosophiae posse homines nugiuendulos delirare, sine quo nemo Brachmanes nomen habere quasi Abrahames dixerit. Verum haec Postello condonanda sunt. At potuisse virum eruditionis per omnes scientias diffusae

a) De originibus c. 15. b) Cod. apocryph. V. T. T. I. p. 121. p. 405 sqq.

Digitized by Google

fusae laude illustri, et a rationalis philosophiae regulis non imparato, imo eius ratiociniis incaute adhibitis vsque ad Scepticissimum timido et dubitanti, PETRO DANIELI HVETIO [c] excidere; *tam manifestis et illustribus insignitam esse Brachmanum sectam Mosaicae historiae et doctrinae monumentis, vt nulli dubium esse possit, quin ex iis expressa sit*, id nemo sibi persuadebit, nisi qui arcanam ingenii et eruditionis Huetianae historiam et characterem nouerit, quem cum alio loco [d] fuse indicauerimus, ad eum lectorem amandamus, rogamus autem Huetium, qua fide historica, quo testimonio fide digno, qua verisimilitudine critica probauerit: *Brachmanes de mundi, et primi hominis, primaeque mulieris creatione eadem differere deque primae horum progeniei vitiositate, exitio, et reparatione quam Mosen; narrareque Deum de coelo delapsum in montem Meropurbateum, luce et radiis circumfusum Bremanio patriarchae legum suarum codicem Chaster de nube tradidisse, quia videlicet Mosen a Deo sic legem in Horebo monte acceperint?* Quae omnia aut excogitata et adscripta esse Brahminis hodiernis a peregrinantibus, obiter et negligenter traditiones Indicas cum sacris historiis comparantibus, aut a sacerdotibus Indicis post sparsam cognitamque per Indiam vtramque legem Islamismicam et Iudaicam postliminio recepta et antiquorum fabulis et mythologiae adaptata esse, omnes norunt, quotquot res Indicas attentiore paulisper oculo perlustrauerunt. Traditiones quoque vniuersales omnibusque gentibus communes non meliori fundamento huc referuntur, quam ad Americanas nationes [e]: *de origine mundi eadem ipsos credidisse, quae credenda esse Mosis docuit, a Deo videlicet conditum, ab eodem regi, et olim interiturum:* quam traditionem ad vniuersum orbem peruenisse facile posset probari, si id ageremus, et quae quandam cum rebus Mosaicis similitudinem habent, inepto ratiocinio, quod pace tanti viri dictum volumus, ad origines Mosaicas probandas adhibentur, cum aliam longe originem, caussam, significationem habeant. Quo pacto etiam ad ea responderi potest, quae hac de re ex Ziegenbalgicis memoriis monuit CROSAEVS [f].

pag. 193. lin. 16. *Ex cuius familia se esse ortos gloriantur* etc. Concinunt cum his, quae LORDIVS, ROGERVS, TAVERNIERIVS aliique [g], qui cum Brahminis Indiae meridionalis cis Gangem conuersati sunt, nobis referunt, ex Hinduanorum, siue incolarum regni Hindustan traditione, Bramanum nomen descendere vel a Brammon, quem filium natu primum hominis protoplastae fuisse dicunt; vel a Brema vel Bremais, quem demiurgum secundi mundi, a quo legem accepit, faciunt:

c) Demonstrat. euang. Pr. IV. c. 6. §. 1. p. 97.
d) Hist. crit. phil. T. IV. P. I. p. 568 seqq.
e) Ibid. vbi ad Megasthenem et Strabonem prouocat, Calani responsionem ad Alexandrum narrantes, quae tota Graecorum mendacia spirat.
f) loc. cit. p. 596.
g) Vid. hist. orbis vniuersalis conditores T. XXIII. p. 148. qui cum suam narrationem ex itinerariis virorum fide dignorum consarcinauerint, eorumque loca diligenter indicent, compendii caussa ad hos solos prouocamus, et loca aliorum testium indicata lectorem quaerere apud eos iubemus. Conf. Lettres edif. Tom. XXVI. DANIELIS lettr. P. I. p. 29.

ipſi certe, cum diuinae originis ſe eſſe iactent, et idcirco ſupra regiam maieſtatem multoties ſe attollant, adeo diuerſi in indicandis originibus ſuis ſunt, vt non niſi ad mythologiam Indicam recurrere liceat, quem originum fontem eſſe incertiſſimum, quilibet fatebitur.

pag. 195. lin. 3. *Eandem philoſophorum ſpeciem referre, cum viris doctis putamus.* Recte hoc a viris doctis ſtatui [h], non ex collatione tantum narrationum Strabonis qui Megaſthenem ſequitur, cum Porphyrio patet, ſed ex deſcriptione quoque vtriuſque generis philoſophorum horum, quae apud omnes, qui gymnoſophiſtarum mentionem fecerunt, eas in duas tantum claſſes diuidit, et Brachmanes in homines πολιτικὲς et ὑλοβίους, id eſt, in hominum conſortio viuentes, et in ſolitudine atque ſyluis degentes diſtinguit. Nominum autem diuerſitas, in tanta peregrinitate linguarum Indicarum miranda valde non eſt. Nec diſſentiunt recentiorum teſtimonia, qui a Malabaricis hominibus edocti nobis tradunt, Sammanas ſiue Sarmanas priſcos Indiae incolas fuiſſe, et ante Bramanas ſiue Brachmanas in regionibus cis Gangem vixiſſe: hos habuiſſe Indos iſtos meridionales artium et ſcientiarum magiſtros, hodieque eorum ſcriptis atque monumentis ab ea gente claſſicam auctoritatem tribui. Habuiſſe inter ſe ſectas duas Buddergueulos et Shammanergueulos, id eſt cultores Buddae, et ſectatores Sammanarum ſpeciales. Fuiſſe autem Brachmanum hoſtes eorum infenſiſſimos, quorum libros ſacros reliciebant, et cultum numinum Wiſthnu et Iſuren (de quo ſuo loco) publicum improbabant. Inde rixae atque bella vtriuſque partis, Brachmanis tamen euentu felicioribus, qui cum genti Malabaricae ſua tandem placita partesque perſuaſiſſent, Sammanas ex citeriori India trans Gangem migrare nouasque ſedes quaerere coëgerunt, principibus terrarum iſtarum in partium ſtudia pertractis, vt caedibus et cruentis perſecutionibus eas ex ſuis regnis extirparent [i]. Quam veterum Indorum de duabus his ſectis traditionem eſſe veriſimillimam, Illi mediocri attentione deprehendent, qui ad ea cupiunt reſpicere, quae de religione et Θεολογεμένοις Malabaricae gentis, et de ſyſtemate Buddae, ſiue Foë, eſoterico quod Sammanae ſecuti videntur, ſuo loco [k] adduximus. Certe Sammanaeos vel Sammanas pro atheis haberi a Brachmanibus, ſiue Braminis in Indiarum regionibus ſummam ſacrorum dogmatum tuentibus, relationes Indicae nos dubitare non ſinunt [l]. Et hos quidam Sannias Indiae monachos eſſe, auſteritate vitae et morum hodie adhuc inter Indos celebres, ſiue eremitas orientis Indici recte niſi fallimur iudicauit ὁ πάνυ CROSAEVS [m], qui ſua ex relationibus miſſionariorum Danicorum, praecipue B. Ziegenbalgii accepit, qui de his Sammanis pluribus videndus. Accidiſſe iſtam Sammanaeorum ex

h) BAYLE art. Brachmanes Tom. I. p. 652. nor. F. Hiſt. vniu. T. XXIII. p. 672. conf. p. 516.
i) Hiſt. vniu. l. c. Lettres edifiantes T. XXVI. p. 247. LA CROZE Chret. des Indes p. m. 614. 637.
k) T. IV. Hiſt. crit. phil. P. II. p. 614.
l) Ibid. p. 643.
m) Ibid. p. 613.

ex India meridionali extirpationem ante fexcentos circiter annos, inde nonnulli [m] ex libris horum hominum, hodienum fuperſtitibus colligunt, quia in oris Malabaricis terrae Choromandel reliquiae eorum eo tempore ſuperfuiſſe dicuntur. Ex hac ſecta prodiiſſe Sommonacodomum, celebrem Siamenſium legislatorem et Idolum, coniiciunt viri docti, qui *hiſtoriam orbis vniuerſalem* in Britannia ediderunt [n], quod tamen vtrum praeter nominis affinitatem fundamento probabili nitatur nec ne, ex traditionibus Indorum de hoc ſuo idolo iudicandum inque Orientis Indici hiſtoria ſacra inquirendum eſt [o]. Ex his manifeſtum eſt falli eos, qui Brachmanas a Germanibus ſiue Sammanaeis in eo tantum diuerſos fuiſſe putant, quod Brachmanum decreta magis conſentanea, teſte Megaſthene [p] habebantur, Brachmanes veſtimentis vſi ſunt, Germanes non item, denique quod Brachmanes vnius eiusdemque generis aut familiae eſſe oportebat, Germanes vero ex quacunque familia colligebantur [q]. Quanquam enim refragari veterum teſtimoniis nolimus, in his diſcrimen aliquod inter vtramque ſectam interceſſiſſe, ex iis tamen, quae de Sammanarum religione ex miſſionariorum fide retulimus, conſtare poteſt, in ipſis ſummis atque primis capitibus de diuinis, eos inter ſe fuiſſe diuerſiſſimos, et inuidiae atque perſecutioni aduerſae partis expoſitos, Sammanaeis a Brachmanibus pro impiis, haereticis, immo atheis habitis, cum hi religionis ſtudio arderent. Quod dicere voluiſſe Strabonem, ſcribentem τὺς Βραχμάνας ἐυδοκεῖν, μᾶλλον γὰρ καὶ ὁμολογεῖν ἐν τοῖς δόγμασιν, conſicimus. Male itaque Foeanum ſyſtema Brachmanibus tribuit P. BAYLE [r] ſeductus a C. GOBIENO Ieſuita [s], qui pariter quietiſticum dogma Indorum, ſectam Foë ſiue Xekiae ſequentium cum Braminarum religione confudit.

pag. 196. lin. 27. 28. *Varia horum hominum inſtituta fuiſſe, variosque mores.* Quanquam hoc veriſſimum eſt, diuerſitas tamen harum narrationum potiſſimum illi cauſſae adſcribenda eſſe videtur, quod ciuile gymnoſophiſtarum collegium, ab eremitico atque ruſtico non ſatis diſtinctum fuit, et anceps nudorum philoſophorum appellatio confuſioni patentem portam aperuit. Qui recentiorum Braminarum mores cum veterum Brachmanum conſuetudinibus et vita atque inſtitutis comparabit, facile inueniet, in quo omnes conuenerint, quid ad poſteros tranſmiſerint, quid temporum rationes, imperiorumque viciſſitudines mutare coëgerint, quique mores veteres ſint, a vetuſtis ſcriptoribus in genere tantum et ſatis obiter deſcripti, nec ſatis cum peculiarium nationum inſti-

m) l. c. p. 673.
n) loc. cit.
o) Id vero inuincibili difficultate laborat, adeo de Sommonacodomo ſuo mentiuntur et ineptiunt Siamenſes.
p) Apud STRABONEM l. c.
q) Cel. SCHVLTENS hiſt. phil. ſ. 6. §. 87. p. 96 ſeq. qui ipſe obſeruat ex Palladio, Brachmanes quoque interdum nudos fuiſſe philoſophatos, quod tamen certo tantum tempore eos feciſſe coniicit. Id vero prius erat probandum, vt taceamus totum diſcrimen inter vtramque ſectam ita ſubuerti.
r) l. c. not. K. p. 653.
s) Hiſt. de l'edit de l'Empereur de la Chine, in praefat.

tutis conſentanei. Ita enim vera demum eaque critica philoſophorum Indicorum hiſtoria poteſt exſurgere. Qua rite tractata manifeſtum fore, putamus, pleraque quae de gymnoſophiſtis Indiae referunt veteres ad ſolos Eremitas iſtos pertinere, a quibus biographos aſcetarum et eremitarum veterum inter Chriſtianos exemplum ſumſiſſe, et, vt admirandorum et inſolitorum ex India omnia plena eſſent, figmentis piisque mendaciis ſuas vitas auxiſſe, et ornaſſe, lectio *Vitarum PP.* a doctiſſimo viro, HERIBERTO ROSWEYDO [a] editarum nos ſatis conuincere, aſt docere quoque poteſt, Graecos vt ex itinere Indico θαυμαστὰ et incredibilia afferrent, multa ſimiliter de gymnoſophiſtis Indiae mentitos Graecam fidem nobis prodidiſſe. Certe PALLADIVM *de Brachmanibus* legenti, et ſophiſtarum ſubſellia ſpirantem intuenti, iſtae cogitationes et ſuſpiciones legitimis titulis ſubrepunt.

pag. 203. lin. 6. *Hunc Buddam ſectae peculiaris inter Hylobios conditorem fieri, diuinis honoribus affectum.* Incerta eſt omnis de Budda Indorum philoſophorum antiſtite traditio. Et fuiſſe quidem illum celeberrimum quendam in India Occidentali philoſophum ſectaeque vel religionis magis nouae auctorem dudum veteribus celebratum, qui iam ante natum Chriſtum has terrarum partes peculiari doctrina repleuerit, vnanimi tum veterum tum recentiorum teſtimonio conſtat, vt negari non poſſit; vtrum autem ille ipſe impoſtor ſit, qui ſub Xekiae atque Foë aliisque nominibus totam Indiam, Chinam, Iaponiam pudendo enthuſiaſmo, et quietiſmo potius faſcinauit, vtrum idem ille ſit, qui a Siamenſibus tanquam antiquiſſimus religionis auctor, ex diuino genere ad eos delatus, quem Sommonacodomum nominant, habitus eſt, an hoc quidem impoſtore antiquior, ex ea, quae hodie ſupereſt de famoſiſſimo philoſopho, notitia diſcernere non licet, vnde fruſtra ſunt, quae viri docti ea de re in vtramque partem diſputant [x]. Indorum de eo traditiones et fabulas in hiſtoria philoſophiae huius gentis enarrauimus, quae conſulenda. Habuiſſe autem hunc Buddam natales alio ſub ſole calentes valde eſt veriſimile, praecipue ſi cum Sommonacodomo idem habeatur. Antiquiſſimum numen inter has gentes fuiſſe, tot ſeculorum teſtimonium euincit, tempus deſignari nequit. Forte ex Aethiopia vel Aegypto talis quidem impoſtor ad Indos delatus eſt, forte diuerſi Orbi Indico impoſuerunt, nomen ab vno emendicantes, quae tamen omnia certiorem demonſtrationem refugiunt, ſolasque coniecturas ſapiunt. Buddas autem, quem SVIDAS [y] ex Cedreno facit Manetis praeceptorem, cum hoc Budda confundendus poſt Suidam non erat IAC. THOMASIO [z], is enim ex Magorum Dualiſtarum ſchola prodiit, nomenque Terebinthi geſſit, et a Brachmanibus, totus diſcernendus eſt.

pag.

a) Nam hi quoque ſuo modo et ſenſu ad philoſophos Indiae practicos pertinent.

x) Vid. adducti T. IV. P. II. p. 814. Hiſt. orbis vniu. Tom. XXIII. p. 673. LA CROZE l. c. p. 645. MOSHEM. hiſt. eccleſ. c. 3. §. 6. p. 137.

y) T. II. v. Μάνης.

z) Hiſt. ſap. et ſtult. T. I. p. 38.

Digitized by Google

pag. 204. lin. vlt. *Pythagorica inſtituta commendatum.* Totam ineptiſſimam de Iarcha gymnoſophiſtarum Indiae principe ſcenam a Philoſtrato impudentiſſimis mendaciis inſtructam, vt Pythagoram hoc ſuperiorem ſuper omnes efferret, haberetque, quem Chriſtianorum magiſtro opponeret, T. II. [a] in vita Apollonii Tyanei expoſuimus, et quam incaute, quam turpiter hi homines, maxime Pythagoreae diſciplinae ſequaces de rebus Indicis ſoleant nugari, in aprico poſuimus, ex quibus certi ſumus atque perſuaſi, Iarcham gymnoſophiſtam nullibi quam in cerebro Damidis, hiſtoriographi Apollonii, vel Philoſtrati ſophiſtae deblaterantis extitiſſe.

pag. 207. lin. 3. *Non omnem hanc theſin Indis affictam credimus.* Habuiſſe Indos profundas de Deo cogitationes easque ad humanam felicitatem retuliſſe, relationes de veterum Indorum Θεολογμένοις et praeceptis moralibus, ſi cum recentioribus comparentur, qui idem argumentum continent, ſatis teſtantur [b]. Vnde quae ſobrie de Deo dixerunt vel ex primae traditionis reliquiis, naturali rationis luce praeeunte accepiſſe, vel meditatione ad naturam diuinam traducta collegiſſe videntur, quibus cum commercium et conuerſatio cum aliis gentibus accederet, mirum non eſt, veritatem hanc vniuerſalem, inter eos late fuiſſe diffuſam, inſigni exemplo, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ non potuiſſe malum genium totum ex mentibus gentilium extirpare. Qui tamen quod vi non potuit, peſtilentiſſimis poſtea hypotheſibus diſſeminatis perficere tentauit.

pag. 207. lin. 5. a fin. *Qua de re dicemus ſuo loco.* Reſurrectionem mortuorum, qualem Chriſtiana fides tradit, cuiusque veritas etiam Iudaeis atque Muhammedanis probata eſt, huc non aduocandam eſſe, ex ſyſtemate emanatiuo, Deum eſſe conditorem et adminiſtratorem mundi, qui eum, cum ſphaericus ſit, totum peruadat (διαπεφοίτηκεν quod Indorum philoſophis STRABO tribuit) conſtat: illud enim cum cuncta ex Deo per mundi ambitum educta deriuet, neceſſario cuncta quoque, quae in mundo σφαιρειδῆ ſunt, ad fontem ſuum vnde egreſſa ſunt, reuocet, neceſſe eſt. Quae potiſſimum ratio fuit, cur hoc loco ex παλιγγενεσία mundi vniuerſali et periodica, hanc reſurrectionem, ſiue vitae reſtitutionem quae Gymnoſophiſtis tribuitur, explicuerimus. Interceſſit huic explicationi acutiſſimus MOSHEMIVS, qui in diſſertatione erudita bonaeque frugis plena, *qua Ieſum Chriſtum reſurrectionem mortuorum corporum, qualem Chriſtiani credunt, in lucem reuocaſſe et demonſtraſſe* euicit [c], demonſtrare aggreſſus eſt, multo magis hic intelligendam eſſe reſtitutionem vitae felicioris apud Deum, facta animae ſolutione ex corporis vinculis: Ita vt παλιγγενεσία in loco Clementis Alexandrini indicata, veram renaſcentiam animae ad vitam felicem pace atque gaudio repletam indicet, quo ſenſu, PHILONEM παλιγγενεσίας vocem accepiſſe, ex loco

a) pag. 111 ſeqq.

b) Digna ſunt, quae ex Mſc. Miſſionariorum Danicorum fide affert CRUZIVS, p. 585 ſeq. vt cum veteribus comparentur.

c) Vid. II. Diſſertt. ad H. E. pertin. §. 8. p. 603 ſeqq.

loco quodam memorabili [d] adſtruit. Poteramus haec cum viro ſummo, modeſtiam cum eruditione pulchre iungente lectoris arbitrio permittere. Non negamus enim, vi ſyſtematis emanatiui, animas corpore ſolutas ad optimum fontem ſuum reuerti, et meliori parti vniuerſi adhaerere, et ſic ad veram vitae felicitatem, ſi probae fuerint renaſci, materiae inquinamentis non amplius mergendas, niſi nos Strabonis teſtimonium obſtare videretur, quod mundum eſſe ſphaericum, inque eo Deum latere et cuncta peruadere aſſerit, quo pacto ad veram iſtam vitam, beatam et felicitatis, reuiuiſcentiam non anima tantum tanquam pars nobilior et melior reuocanda, ſed corpus quoque ex eodem vniuerſo a Deo illud animante productum ad ſinum primum, ex quo egreſſum eſt, reuocari neceſſario ſequitur, quo in periodica mundi reſtitutione, et anima et corpus iterum viua compareant. Quamcunque interpretationem ſequaris, manet tamen reſurrectio iſta gymnoſophiſtarum longo interuallo a Chriſtiano dogmate remota, cum vtraque ex illorum philoſophorum ſententia ſupponat animas, immo cuncta in Deum ex quo omnia effluxerunt, iterum iri reſorptum, et ex nouis poſt infinitas periodos, expurgationes, claſſes, gradusque ſtaminibus vniuerſi iterum in priorem vitam reditura. Quod dogma per vniuerſam Aſiam diuagatum varia temperamenta et modificationes paſſum eſt; vnde de vera veterum philoſophorum mente nihil definiti certique poteſt decerni.

pag. 210. lin. 18. *Nuſchiruanum Perſarum regem.* Adeunda de eo Perſarum hiſtoria, cuius ſummam exhibet *hiſtoria orbis vniuerſalis* [e], quae videnda.

pag. 211. lin. 27. *Hanc vitam habendam eſſe.* Conferenda quae de παλιγγενεσίᾳ ſupra ad p. 207. annotauimus, et diſtinguenda eſoterica ab exotericis et ad vulgus dictis.

pag. 212. lin. 17. *Quae tamen cum emanationis indeque oriundi enthuſiaſmi fundamentum ſupponat.* Cum extra hunc mundum nec Deus nec aliud quicquam extet, ſi hos homines audimus, qui Deum in hunc vniuerſitatis circulum concluſerunt, omnis illa felicitas tantopere depraedicata, ad ſola φαινόμενα mundi reſtringenda eſt, omnisque ita moralis felicitas exſpirat, immo animae ad illam reſurrectionem ſpiritualem perductae corpori, animae moleſto, ſi hos audias, amplius non alligantur, quod, valde veremur, vt Orientalium genio ſatis accommodatum ſit, qui beatitatem poſt hanc vitam in ſenſitiuis gaudiis et felicitate corporali ſolent quaerere. Ceterum poſt Graecorum ſub Alexandro M. Indiae gentibus admixtorum aetatem haud pauca ex Graecanica diſciplina Indicis attemperata eſſe, recte et prudenter monuit et probauit TH. SIGFR. BAYERVS [f].

d) De Cherubim et flammis gladii.

e) T. IV. p. 330 ſeq. T. IX. p. 692. et quae B. BAVMGARTEN ad vtrumque locum annotauit. Memorabilis iſte rex Coſru Nuſchirruan propter inſignem beneuolentiam qua philoſophos et ipſorum opera excepit. vid. ASSEMANI Bibl. Or. T. III. P. I. p. 400 ſeqq.

f) In hiſt. regni Bactriani §. 48 ſqq.

AD

Digitized by Google

AD LIB. II. CAP. V.

DE PHILOSOPHIA VETERVM ARABVM.

pag. 213. lin. 10.

De Arabum philoſophia iuſtam potius tractationem inſtituere in animo habeamus. Executi ſumus pro inſtituti viriumque conditione prolixe et quantum pote accurate in *hiſtoria philoſophiae Saracenicae*, quae Arabum medii aeui res philoſophicas maxime ex Muhammedorum ſcriptis cum hiſtoricis tum philoſophicis enarrat *Parte prima, Periodi II. Lib. III.* [a] huius operis. In qua tractatione ad praeſens caput ea imprimis expendere Lectorem iubemus, quae *capitis primi paragrapho tertio* de ſtatu literarum et philoſophiae ante Islamiſmi tempora ex ipſis ſcriptoribus Arabicis congeſſimus. Ex quibus conſtare poteſt, gentem vere barbaram et viuendi conſuetudine ab omni literarum vſu atque elegantia retractam nihil valde poſſediſſe, quod locum in annalibus philoſophiae mereatur, et reſpiciendum tantum ad ea doctrinarum capita eſſe, quibus religionem quandam ſpecialem eſt complexa. Quod propterea monendum erat, vt antiquitatis praeludicio, quo faſcinari potuiſſe magnae alioquin literaturae atque eruditionis virum PETRVM DE LVDEWIG [b], exterminato, diſcant imprimis viri docti, nondum diu in hoc ſtadio commorati, vanae rerum exoticarum admirationi nuntium mittere, alii autem intelligant, inter veteres populos ſapientiam parce fuiſſe ſparſam.

pag. 222. lin. 14. *Setho atque Abrahamo tribuebantur.* Conferenda cum his notitia libri nugacis et ſuppoſititii, *Libri Adam apud Sabios*, de quo nonnulla habet Io. ALB. FABRICIVS [c], ſed hi Sabii vel Sabaei a veteribus multum differunt, ſuntque Chaldaei Baſſorae degentes, qui Chriſtiani S. Ioannis vocantur, et cum Sabaeis ſ. Sabiis veteribus confundendi non ſunt, de quibus poſt HERBELOTVM [d] ſcriptores conferri poſſunt, quos nominauit FABRICII diligentia [e]. Vocantur illi homines etiam Mendaei [f], dolemusque B. THEOPH. SIGFR. BAYERI commentarium de his hominibus praematuro eius fato in ſpongiam incubuiſſe. Ceterum Sabios Perſarum veterum cum Magianiſmo caue confundas, quod accidit doctiſſimo BASNAGIO [g].

pag. 223. lin. 28. *Arabes et Iudaei, qui inter Arabes vixerunt, depingunt.* Ad hos ſcriptores de Zabiis pertinet *Thabet Ebn Korra*, *Ebn Merwan Sabius* Harranenſis, qui Bagdadi ſub Almo'tadedo ſcripſit. Ille enim, teſte ABVL-

a) pag. 8 ſeqq.
b) Hiſt. philoſ. rationalis apud Turcas.
c) Cod. Pſeudepigr. V. T. T. I. p. 27.
d) Bibl. Orient. p. 726. ASSEMAN. Bibl. Orient. T. III. P. II. p. 609.
e) loc. cit. p. 28.
f) Conf. laudatos in Hiſt. orbis vniu. T. XX. §. 451. p. 655.
g) Hiſt. des Juifs T. IV. ch. 13. p. 287.

Digitized by Google

ABVLPHARAIO [h] Syriaca lingua ſcripſit de iis, quae ad Sabiorum religionem ſpectant, de eorum conſtitutionibus, praeceptis et ritibus, de mortuis inuoluendis et ſepeliendis, de munditie, et immunditie, quaenam animalia ſacrificiis idonea, quae inepta, de temporibus cultui diuino deſtinatis, de ordinanda lectione inter orandum.

pag. 225. lin. 19. *Tribuitur illis quoque ab ABVLFEDA.* Adſcribemus denuo ſimilem locum ex ABVLPHARAIO [i], quoniam eius hiſtoria dynaſtiarum non in omnium manibus eſt. Ita vero ille: *Illud quod apud nos conſtat de ſecta Zabiorum, eſt, profeſſionem eorum eandem prorſus eſſe cum Chaldaeorum antiquorum profeſſione, Keblamque ipſorum polum arcticum: quatuor virtutibus intellectualibus illos diligenter ſtudere, illis vt ter orent, iniunctum eſſe, primo ante ortum ſolis, ſemihora aut minus, quo, oriente ſole, fiſſiantur octo incuruationes, quarum ſingulae tres contineant adorationes; ſecundo ita vt finiatur oratio meridie declinare incipiente ſole, conſtetque quinque ingeniculationibus, quarum vnaquaeque tres contineat adorationes; tertio oratione ſimili ſecundae, et finienda occidente ſole. Ieiunia illis iniuncta eſſe, triginta dierum, quorum primus eſt octauus Adari, dein nouem dierum, quorum primus eſt nonus Alcanoni prioris, nec non ſeptem dierum, quorum primus Shebati octauus. Stellas inuocare, multa offerre ſacrificia de quibus non comedunt, ſed penitus igni abſumenda tradunt. A fabarum et allii vſu abſtinere, nonnullos etiam a phaſeolis, braſſica, crambe et lentibus. Dicta eorum affinia ſunt dictis philoſophorum, argumenta eorum ad probandam DEI vnitatem firmiſſima ſunt. Autumant animas ſceleratorum, nouies mille ſeculis cruciari, deinde ad miſericordiam DEI redire.* Quis centonem ex variis Orientis ſectarum, quarum plurimas ea aetas produxit, placitis conſutum, manibus non palpauerit? quis non ſuperſtitionem magis quam philoſophiam illa propinare iudicauerit? Habuiſſe autem hanc ſectam doctos viros maxime aſtrologiae et geometriae peritiſſimos Thebeth Ebn Korrae exemplo confirmatur, de quo cum ſuo loco [k] ex inſtituto dixerimus, ille adeundus eſt.

pag. 228. lin. 15. *Qualia exempla hiſtoria literaria complura nobis ſeruat.* Adeo diuerſae ſunt virorum doctorum inter Arabes et Chriſtianos de Lockmanno ſententiae [l], vt vel hoc vno argumento hariolari liceat, incertiſſimam eſſe huius mythologi hiſtoriam, eamque ex Graecis Aeſopi confictam. Aeſopum enim inter Graecos fabulis clarum eminuiſſe nemo fere dubitat. Vnde non vana coniectura colligimus, fabularis ſapientiae famam inuitaſſe Perſam vel Arabem ſcriptorem quendam, vt ſelectis fabellis ſapienti cuidam ſuae gentis tributis Graecanicae ſapientiae celebritatem nationi ſuae vindicaret. Cuius haud contemnendum argumentum nobis eſſe videtur, quod fabulae Lockmannianae non in lingua Perſica antiqua, quae dudum exſpirauit, ſed in recentiore ſcriptae dicantur, adeoque ad eam aetatem minime aſſurgant, quae Lockmanno tribuitur, quem

h) Dynaſt. IX. p. 184. verſ. Pocock.
i) loc. cit. p. 184 ſeq.
k) T. III. Per. II. P. I. L. III c. I. §. 12. p. 70 ſeq.
l) Biblioth. Or. L. I. c. 3. p. 68 ſeqq.

Digitized by Google

quem ſupra Moſis aetatem collocant. Pleraque etiam quae de eo tradunt Perſae atque Arabes, adeo inſulſis narratiunculis repleta ſunt, vt apud HOTTINGERVM aliosque [m] legentibus facile perſuadeatur, totam Lockmanniam hiſtoriam Graecis ſurreptam longe ſerius, quam vixit Aeſopus, eſſe confictam, vt haberet ea gens, more Orientali fabulari methodo deditiſſima quem Graecorum in hoc philoſophiae genere hiſtoriae opponeret et praeferret. Certe ſi ex Lockmanni hiſtoria, quam Perſae et Arabes tradunt, Aeſopica hiſtoria conflata eſt, ſequitur neceſſario, linguae Perſicae vſum longe lateque iam in iſta temporum antiquitate etiam inter Graecos inualuiſſe, quod veterum teſtimoniis prorſus eſt aduerſum. Tacemus alia, et imprimis honorificam Lockmanni mentionem, quae in Alcorano [n] inuenitur, et quam veriſimile eſt, cauſſam eſſe, cur hodierni Perſiae incolae, qui omnes fere Muhammedis legem ſequuntur, tantopere hunc mythologum extollant. Inde enim probabili ratione conſicimus Lockmannum non Perſicum ſed Arabicum ſcriptorem eſſe, in qua ſola lingua eius fabulae extant et in omnium manibus verſantur, et ab anonymo Muhammedis ſequaci Lockmanno fuiſſe eas ſuppoſitas gentique tanquam ſuis gazis inſtructae commendatas. Haec enim et certiora et veriſimiliora ſunt, quam quae de Lockmanno antiquiſſimo, quem ad tempora Key-Choſrau, vel Kai-Koſru referunt fabulis Perſicorum hiſtoriographorum plena, ſine teſtimonio ſine calculo a nugacibus ſcriptoribus, quales Mirekondus aliique ſunt, traduntur. Vnde miramur, eruditos hiſtoriae *orbis vniuerſalis auctores* [o] maluiſſe Perſas quam Graecos ſequi, rectеque putamus rationibus haud reliciendis B. commentatorem [p] eorum argumenta in dubium vocaſſe. Quod ſi ſententiam in vtramque partem lector verſauerit, in eo certus decernet, Lockmannianas Arabum traditiones eſſe incertiſſimas, meliusque eſſe, ſi iudicium de eo ſcriptore ſuſpendatur. Nos Perſicum *αὐτόγραφον* Lockmanni poſteritati ſuiſſe conſeruandum, iudicamus, ſi ſcriptor Perſicus fuiſſet, eum in fabularis literaturae genere excolendo Perſae iuniores multum ſtudii collocauerint, vt *Perſici roſarii* exemplo conſtat, quod lingua Perſica ad nos peruenit; fabulae Lockmannianae autem nunquam in Perſica lingua apparuerunt, et ex Arabica eas CHARDINVS [q] quoque, qui in Perſia fuit, *itinerario ſuo* in Gallicam linguam translatas inſeruit.

m) CHARDIN voyages de Perſe P. III, p. 227 ſeq.
n) c. III. integro.
o) T. IV. §. 482. p. 369.
p) BAVMGARTEN. h. l. obſ. 177.
q) loc. cit.

Digitized by Google

AD LIB. II. CAP. VI.

DE PHILOSOPHIA PHOENICVM.

pag. 235. lin. 3. 4.

Et recte quoque, ſi veteres audiendi ſunt. Nemo id negabit, qui Bocharti argumenta et teſtimoniorum ab eo adductorum fidem expendit. Hoc tamen non obſtante non deferenda penitus eorum opinio eſt, qui cum Marshamo Aegyptum patriam Cadmi fuiſſe, et hunc ſiue filium regis Agenoris fratremque Thaſſi et Europae ſiue regiae culinae praefectum ex Aegypto ad quaerendas nouas ſibi ſuisque ſedes profectum tandem in Syria coloniam conſtituiſſe putant, modo ponamus, quod Edomi ſiue Eſaui poſterorum hiſtoria poſcit, Idumaeos ſiue poſteros eius, ab eo cognominatos primam ſedem habuiſſe in Idumaea, ab Edom ſiue rubedine dicta, quae mari rubro adiacet, quod nomen inde ab Erythraeo rege accepiſſe, eſt veriſimile. Hinc accolae ſinus Arabici diuerſis eiusdem ſignificationis nominibus Idumaei, Phoenices, Erythraei, id eſt, homines rufi ſiue rubicundi, quo faciei colore ab Aegyptiacis diſcernebantur, vocati. Vnde non improbanda coniectura STEPHANI MORINI [a], veterum teſtimoniis comprobata, Phoenices ex maris rubri vicinia originem ducere et coloniam eorum ex illa fuiſſe profectam, primum in Aegyptum, vbi in Thebaide fratres germani Agenor et Belus popularibus ſuis imperabant [b]. Et Agenor quidem filiam habuit Europam, filios tres, Cadmum, Phoenicem, Cilicem, Belus Aegyptum et Danaum. Hi cum omnes Phoenicio ſanguine creti inque Aegypti parte circa mare rubrum educati eſſent, facile Phoenices pariter atque Aegyptii potuerunt nominari. Vnde pulchre obſeruatum erudito *Concordiae naturae et ſcripturae auctori* [c], *variationem quandam in ſtylo hiſtorico ortam eſſe; modo enim vocari Phoenices a patria prima, modo Aegyptios a patria ſecunda, ipſumque Cadmum non tantum nominari pluries a DIODORO SICVLO Phoenicem, ſed aliquando etiam ἐκ τῶν Θηβῶν τῶν Αἰγυπτιῶν Thebis Aegyptiacis* oriundum [d]. Sed et reliqua legenda ſunt, quibus auctor acutus obſeruat, propter diuerſos ſacrificandi ritus hos alienigenas ab Aegyptiis bellis ciuilibus pulſos [e] et ad quaerendas nouas ſedes coactos, primo quidem in loca vicina ſinus Arabici ac priſcam ſedem confugiſſe, et poſt demum collectis viribus et exercitu inſtructos in tractum maritimum Syriae promouiſſe, Agenore nouum de nomine ſuo regnum condente [f]. Quae cauſſa eſt, cur quidam ex

a) De L. primaeua exerc. I. c. 12. p. 107.

b) APOLLODOR. Bibl. L. III. qui tamen reges Aegyptios vocat, cum ſuis tantum popularibus imperauerint.

c) c. 7. p. 244. d) L. I. p. 14.

e) Locum DIODORI ex L. XL. ſeruauit PHOTIVS in eclogis ex eodem, cod. 244. p. 260. ed. Hoeſchel. praeſtantiſſimae. De ſacrificiis humanis Aegyptiorum, quibus homines mactabant, vid. Hiſt. vniu. T. I. §. 394. p. 445 ſeq. et quae ibi annotantur.

f) APOLLOD. Bibl. L. II.

Digitized by Google

ex Aegypto, alii a mari rubro Phoenices in Syriam veniſſe memorent. Quod facile poteſt in concordiam cum illis [g] redigi, qui putant, Phoenices gentem Canaanaeam fuiſſe, et temporibus Ioſuae ex priſcis ſedibus circa Arabiae terminos et ſinus Arabici littora cedere et vlteriores in tractu maritimo Syriae ſedes quaerere coactam eſſe, ſi primae gentis Phoeniciae ab habitationibus ſerius quaeſitis, et tempora inter ſe diſcernantur, Chanaanitarum autem gentis latifundia vſque ad marium littora extendantur, de quibus tamen alio loco, aliaue occaſione agendum eſt.

pag. 239. lin. 32. *In eorum ſcriptis verſatum latere nequit.* Eandem cum his defenſoribus Sanchuniathonis tibiam inflat ED. STILLINGFLEET [h], qui prolixe auctoritatem notitiae Sanchuniathonianae tuetur, et SAM. SCHVKFORDVS [i], qui monent, detecturos fuiſſe hanc ſuppoſitionis fraudem a Porphyrio commiſſam, Apollinarium et Methodium, maxime vero Euſebium in veteri literatura exercitatiſſimum, ſi eam deprehendiſſent. Verum quod pace tantorum, quae in ſcenam adducuntur, nominum dictum volo, tam curta fuit his ſcriptoribus eccleſiaſticis ſupellex artis criticae, tamque lippi fuerunt in perſpiciendis et dignoſcendis veterum ſcriptorum veris a falſis, et genuinis a ſuppoſititiis, vt haut raro antiquitatis praeiudicio decepti, ea pro ſinceris admiſerint, quamuis ſuppoſita, ex quibus religionis Chriſtianae veritati aliquid vtilitatis accedere putabant. Neque vero pro his Sanchuniathonis fragmentis allegari poteſt, ea rite intellecta cum Moſaicis amice poſſe componi. Facile enim peruident, qui oculos habent, id ſiculneis argumentis, vi contortis fieri, et in ſyſtemate coſmogonico Sanchuniathonis, ſecus longe quam in Moſaico, excludi Numen, virtutemque diuinam productricem, cuncta vero ad ſpiritum quendam brutum, nec ſui nec aliorum intelligentem referri, quem chao, principio materiali tenebroſo et paſſiuo adiungat, quemque adeo nec liberum nec actiua vi agentem, ſed a ſummo Deo diſtinguendum eſſe putet: quare nec creatio nec conſeruatio mundi, quam tam pulchre coſmogoniae ſuae inſeruit Moſes, conſtare poteſt. Vt taceamus, quae de Zophaſemim Sanchuniathon narrat, aperte prodere, aut aſtrolatriae, aut ſuperſtitionis et idololatriae incruſtandae cauſſa iſtam coſmogoniam fuiſſe excogitatam. Id quod recte viderunt atque demonſtrauerunt RICHARDVS CVMBERLAND [k], BANIERIVS [l] aliique [m].

g) BOCHART. P. I. L. IV. c. 34. p. m. 341. vbi putat, Phoenices a mari venientes, eſſe Iſraëlitas, qui mare rubrum transgreſſi ex Aegypto venerunt in terram Canaan, quod ex argumento quodam valde infirmo apud Herodotum probare contendit. Quamuis autem Phoenices priſci haberi potuerint pro gente Chanaanaea, quod teſtimoniis conficere nititur; poſſunt illa tamen vel de primis eorum ſedibus ad meridiem Chanaan ſitis, et forte huic interſperſis intelligi, vel de reditu coloniae Phoenicum Aegyptiacae in vetares ſedes cum ab Aegyptiis pellerentur. Certe qui Phoenicum origines deſcripſerunt de colonia tantum Syriae, non Aegypti intelligendi ſunt. vid. Hiſt. orb. vniu. T. II. c. 6. f. 2. p. 213 ſeqq.

h) Orig. S. L. I. c. 2. p. m. 50 ſeqq.

i) Harmon. Script. S. et prof. Vol. I. p. 12. concinunt Mem. de Trevoux. 1714. p. 76. WACHTER. de conc. nat. et Script. c. 6. §. 4. p. 122.

k) Obſeruat. in Coſmogoniam Sanchuniathonis.

l) Mythologie expliquée L. II. ch. 1. Tom. I. pag. 131.

m) MOSHEM. ad Cudw. ſyſt. intell. c. 1. §. 22. n. 7. diſſ. de creat. ex nihilo §. 26. Hiſt. orb. vniu. T. I. §. 26. 27. p. 28. 29. BAVMGARTEN. ad h. l. n. 25.

AD LIB. II. CAP. VII.

DE PHILOSOPHIA AEGYPTIORVM.

pag. 244. lin. 11.

Falſumque eſſe demonſtrauimus. Multum incertitudinis hiſtoriae vetuſtiſſimarum gentium, earumque originibus rite definiendis intulit ambitioſum illud ſtudium, ſuae gentis res ad primam ſi non naſcentis, certe renaſcentis et adoleſcentis mundi aetatem referendi. Quo pacto factum eſt, vt ſe primos homines fuiſſe, prima regna et imperia condidiſſe, prima artium et ſcientiarum ſemina ſparſiſſe magnis ſaepe fabulis mentirentur, vt vicinarum nationum, aequalem famam et antiquitatem aemulantium gloriam anteuerterent. Inde contentio quoque de antiquitate enata, qua Aegyptii ad fabuloſa priſci atque primaeui mundi tempora rerum ſuarum origines referentes, cum Chaldaeis [a] pariter atque Scythis [b], qui antiquiſſimi ſemper a plerisque populi habiti ſunt, diſceptarunt. Quam diſſenſionem huius hoc loco enarrare, et quam lubrica ſint, quae pro Aegyptiis afferri ſolent, exponere inſtitutum vetat, et in hiſtoria vniuerſali examinandum eſt, in qua viri docti paſſim laudabilem operam praeſtiterunt [c]: illud tamen praeteriri nequit, ad fabuloſa gentis Aegyptiae tempora, quae vltra *παναληθείας* mundi aetatem exſurgunt, nihil quod magnopere fidem mereatur, poſſe referri in hiſtoria philoſophica, quamuis magnifica ſint, quae iſta fabuloſa aetate Aegyptii ambitioſe iactarunt. Quicquid enim Graecorum potiſſimum diligentia de Aegyptiorum narratione accepimus, hique ex ſacerdotum traditionibus [d] expiſcati ſunt, innumeras, ſi cum reliquarum gentium vetuſtiſſimarum hiſtoria comparentur, dubitationes, incertitudinem, immo haud leuem fingendi et mentiendi licentiam prodit, certe fidei hiſtoricae legibus nunquam faciet ſatis, praecipue cum annales a Moſe indubitatae et diuinae auctoritatis hiſtorico ſcripti in vſum vocentur. Vnde recte obſeruatum viro doctiſſimo et in antiquitatibus et hiſtoria Aegypti magna laude et doctrina verſato PAVLO ERNESTO IABLONSKIO, cui praeclarum *panthei Aegyptiaci* commentarium debemus [e]: *oſtendi non poſſe regem, cui fabulae de Oſiride adoptari legitime poſſint, quamuis monente* PERIZONIO [f] *nihil ſit facilius, quam in tot tantisque fabulis de Oſiride et reliquis Diis aliquid reperire circumſtantiarum, quod ad hunc vel illum regem accommodes; Eſſe etiam in iis, quae de Oſiride, Iſide, et Acro in fabulis tradebantur talia, vt hiſtorice et proprie accipi*

a) Videndi, quos c. 2. §. 1. not. a. p. 102. nominauimus.

b) IVSTINVS ex Trog. L. II. c. 1.

c) HERM. CONRING. in aduerſ. chron. de Aſiae et Aegypti antiquiſſimis Dynaſtiis, c. 16 ſqq. quae extat in I. G. GRAEVII Syntagmate diſſ. rar. diſſ. III. IAC. PERIZONIVS in Origin. Aegyptiac. inueſtigatione, c. 2.

d) Ex. c. ex Manethone, ſimilibusque.

e) Prolegom. §. 19. p. 40 ſeqq.

f) loc. cit. c. 5. p. 79.

Digitized by Google

cipi nullo modo queant, et non aliam, quam allegoricam et ſymbolicam explicationem admittant, etſi in fabula illa, qualem Plutarchus prolixe narrat, ad priſcas et genuinas ſacerdotum traditiones multae acceſſerint aeui poſterioris. Quod non magnopere quidem mirandum eſt, cum ſimilem hiſtoriam fabularem fictaque vel allegorice magis attemperata imperia, diluuii tempus anteuertentia, vetuſtiſſima Phoenicum, Phrygum Graecorumque theologia ſubminiſtret, luculento exemplo, ſacerdotes gentium vetuſtiſſimarum, eodem ingenio, ilsque artibus rebus ſuis auctoritatem conciliaſſe, et fortaſſe ex vno fonte hauſiſſe.

pag. 245. lin. 22. *Hae imprimis notandae ſunt.* Diligenter cum his comparandae ſunt eruditiſſimae Iablonskianae obſeruationes, quas, cum haec noſtra ſcriberemus, nondum praeſentes habuimus. Hae enim, quae hic carptim et ſtricte dicta ſunt, pluribus adductis veterum teſtimoniis, roborant. Non allegabimus ſingula loca, totam enim incomparabilem tractationem eos legere oportet, qui rerum Aegyptiacarum priſcarum notitiam habere cupiunt; quanquam et in his commentariis proprio oculo et iudicio diſpiciendum et definiendum eſt. Noſter etiam hac ex parte eſt B. Bavmgartenivs, qui potiora pulchre breuiterque eſt complexus *ff*. Potiſſimam incertitudinis iſtius cauſſam reiicit ven. Schvbertvs *g* in incendium Alexandrinae bibliothecae, quo domeſticorum teſtium monumenta, adeoque genuini fontes, vnde hauriri poſſet ac deberet antiquiſſima Aegyptiorum doctrina, deleta ſunt, totque vetuſtiſſimi aeui documenta conflagrarunt. Quod non totum quidem negabimus, conteſtando, nihil ex cana iſta antiquitate, vel pauca ſaltem in iſtam bibliothecam regiam fuiſſe congeſtum; et fortaſſe nonnulla Graecorum, theologorum et philoſophorum ſtudio, qui veteris ſapientiae Aegyptiacae poſſeſſionem ſibi vindicabant, ad faciendum regibus, ſub quibus viuebant Graecis fucum, fuiſſe ibi repoſita et ex ſacerdotum collegiis illata: aſt antiqua illa monumenta, quae ſacroſancta Aegyptia gens cuſtodiuit, et ad quorum teſtimonia prouocant Manetho, Herodotus aliique, in bibliothecam regiam fuiſſe tradicta vt credamus, non poſſumus a nobis impetrare, quia adeo ſecreta habebant et ſacroſancta iſta cimelia, vt in vulgus exire non paterentur, et, quicquid ex iis innoteſcebat, ex ſolis ſacerdotum relationibus conſtaret, qui haut raro falſa, inepta, contradictoria, et auctoritatem non meritura Graecis ſciſcitantibus pro theſauris vendiderunt, a qua culpa ne Manethonem quidem vacuum eſſe, eius de dynaſtiis Aegyptiorum commentarios conſulentibus facile poteſt ſubolere *h*. quicquid in contrarium ſtatuat Marshamus ſimilesque. Quodſi vero concedamus, haud pauca Aegyptiaca in bibliothecam Alexandrinam fuiſſe congeſta, ea tamen non alia ſunt, quam adulterata, Graecoque minio illita, atque ita picta,

ff) Ad Hiſt. vniu. P. I. p. 416. n. 295.
g) Hiſt. phil. c. 2. ſ. 8. §. 113. p. 190 ſq.
h) Vid. Conringivs, Perizonivs ll. cc. Iac. Cappell. hiſt. S. et exot. ad A. M. 22. 69. Stillingfleet Orig. S. L. I. c. 2. §. 20 ſq. Iablonskivs prol. §. 28. p. 67 ſq. alii.

picta, vt placere Graecis regibus possent, quod studium cuncta veteris sapientiae Aegyptiacae monumenta ad hunc scopum adhibendi, vt fauorem principum illi pararent, plurimum antiquae theologiae atque philosophiae Aegyptiacae puritatem commaculasse, nouamque eius faciem exhibuisse dudum viris doctis obseruatum est [i]. Quare non audemus cum viro doctissimo asserere, Graecos scriptores nonnullos authentica scripta vidisse, vel fragmenta quaedam possedisse, nisi id de scriptis sub Ptolemaeis lucri caussa a sacerdotibus suppeditatis, suppositiis et adulteratis intelligamus. His reliqua a nobis allata si iungantur, quam exigua spes sit, genuina, antiqua Aegyptiaca intelligendi, quilibet potest colligere. Quare vir ille doctissimus ipse heic loci nostrae sententiae subscripsit, summamque Aegyptiacarum notitiarum incertitudinem fassus est.

pag. 246. lin. 28. *Aliterque Thebani Saitanique sacerdotes, aliter Memphitani docerent.* Ostendit id, ex theologia Aegyptiaca inter Thebanos reliquosque Aegyptios diuersa I. G. WACHTERVS [k], qui videndus, et cum IABLONSKIO [l] comparandus. Quod mirum videbitur nemini cogitanti, allegoriae beneficio quamlibet sectam, immo quemuis sacerdotem potuisse veteribus principiis nouos sensus supponere, nouaque affricare nomina. Quam incontinentiam sententiarum in Aegyptiis reprehendit Philo Biblius apud EVSEBIVM [m].

pag. 249. lin. 5. *Incendio perierunt.* Id de illis tantum theologiae et religionis Aegyptiacae scriptoribus intelligendum est, qui eo tempore vixerunt, quo sub regibus Aegypti Graecis Graecanica philosophia ad theologiam Aegypti reformata, et nouo schemate aliud longe doctrinae genus introductum est, vt supra iam monuimus. Dubium enim non est, munificentiam atque liberalitatem Ptolemaeorum sacerdotes Aegypti inuitasse illisque extorsisse, vt magno aere monumenta librosque veterum nominibus insignita regibus illis omnem Orientis sapientiam in istud ἰατρεῖον τῶν ψυχῶν corradentibus venderent: quae tamen adeo a priscis gentis placitis et traditionibus dissentiunt, vt dolo fallere voluisse hanc regiam curiositatem sit in conspicuo [n]. Quod cogitare debebant, qui vetera Aegyptiaca adulterata et efficta ad Graecanicam faciem, et a priscae aetatis simplicitate multum abeuntia nobis tanquam genuinos theologiae et philosophiae Aegyptiacae fontes obtrudunt, et Iamblichum, Porphyrium similesque commendant. Quod potuisse facere acutissimos viros THOMAM BVRNETIVM [o], et IOAN. GEORGIVM WACHTERVM [p], qui-

i) Iablonsk. p. 151 sq.
k) Concord. rationis et scripturae Sect. III. §. 20. p. 198 seqq.
l) Panth. Aegypt. prol. §. 29. p. 71 seq.
m) L. l. c. 9. p. 32.
n) Etiam philosophorum Graecor. tunc viuentium fides et syncretismi studium suspectum est.
o) Archaeol. philos. p 394.
p) l. c. p. 105. vbi obiter monemus, virum doctum de Aegyptiis materiam ex Deo deriuantibus monentem: Hic se intelligere rem tam vilem, quae semper fit, nunquam exstitit (materiam, more Alexandrinorum, intelligit) non posse a se esse, sed necessario nos ad Deum ducere, quia sine creatore concipi nequit; genuinum Platonis systema verus, quod Dualisticum fuit, et vbi materia Deo συναΐδιος est, turpiter confudisse cum recentiori.

Digitized by Google

quibus veterum rerum philoſophicarum rationes non ignotae fuerunt, merito miramur, vixque oculis noſtris credidimus, haec poſterioris verba legentes: „Dicere Iamblichum philoſophiam Platonicam Aegyptiae „accommodare, et ex odio Chriſtianae religionis Mercurii doctrinam „ſupra meritum extollere, eo quod alia ab aliis dogmata praedictis con„traria, Aegyptiis attribuantur, eſt effugia quaerere, et non inuenire. „Nam eorum quae ſunt nobiliſſima et praeſtantiſſima in genere philoſo„phandi Platonico, vera patria non eſt Graecia, ſed terra Nilotica. Aegy„ptus ab antiquo Graecorum academia fuit, non Graecia Aegyptiorum. „Nihil vnquam Aegyptii, vt HERODOTVS teſtatur, mutuati ſunt a Grae„cis quicquam. Ex aduerſo Graeci omnia debent Aegyptiis, quaecun„que ſanam doctrinam ſpirant. Hinc illi, qui ex hoc vel illo Platonico „dogmate ſtatim inferunt, ergo non eſt Aegyptium, videntur mihi ratio„cinio vti, in quo nulla ratio eſt. Inuertendum potius argumentum, „*niſi aliae adſint cauſſae, quae nos aliter determinent*, quia in iſto monumen„torum defectu alia via ad inueſtigandam Aegyptiorum ſapientiam non „datur, niſi per diſcipulos.“ Quae verba nollemus viro cetera docto, aſt ſuis rationibus ſaepiuſcule nimium fidenti et ad earum fundamenta atque nexus non ſatis reſpicienti excidiſſe, adeo vbique principium petunt, et probationem aſſertionis ex ipſa quaeſtione illicito ratiocinandi circulo deriuant, id eſt, probant prorſus nihil. Quod enim praeter Iamblichum, ad alios Platonicos, Simplicium, Procopium, Gazaeum ſimilesque prouocat, vnum nobis tantum teſtem dare voluiſſe, qui ſectae nomine idem nobis ogganniat quod ab aliis accepit, cenſendus eſt. Non probari hoc in praeſenti loco opus eſt, cum Alexandrinae ſectae, quae eclectica videri voluit mendacia, impoſturas, fingendi artes, maxime ſi ad conciliandam ſuis nugis auctoritatem contra Chriſtianos doctores aliquid conferre videbantur, in prolixa huius ſectae hiſtoria *p)* palpanda lectori dederimus, quae relegere oportet eum, qui ab hoc errore in philoſophiae et Chriſtianae ciuitatis hiſtoria valde noxio vult liberari. Vt taceamus fateri virum eruditum Iamblichum ſuum ſtylo tam perplexo et obſcuro theologiam Aegyptiacam deſcribere, vt mentem eius ſemper aſſequi non liceat. Quod equidem mirandum non eſt, ſemper enim ita euenit, vbi male cohaerentia copulantur et in vnum ſyſtema conflantur, non tamen adeo perplexum eſſe credimus, quam putauit Wachterus, modo teneamus, ſyſtema emanatiuum quod ſub Ptolemaeis regibus in Aegypto inualuit, caput atque cardinem reformatae philoſophiae Aegyptiacae fuiſſe, conflatum et receptum ex placitis Orientalibus in Aſia a Maglaniſmi aſſeclis et poſtea a Zoroaſtris diſcipulis et in Aegypto poſtea Hermetis ſacerdotibus ipſique ſapientiae Aegyptiacae fuiſſe inſcriptum, qua

p) T. II. Per. II. P. I. L. I. c. 2. ſ. 6. §. 45. p. 358 ſeqq. vbi etiam monuimus Chriſtianis et Iudaeis Alexandrinis hunc ſyncretiſmum non diſplicuiſſe.

qua de re cum ex ipsa hac schola habeamus confitentem PORPHYRIVM [q], id in Gnosticis reprehendentem, quia Platonem, et quidem merito a concordia cum Hermetica theologia excludebant, eamque orientalibus theologis et philosophis vindicabant, quod suae sectae vitium erat, plura hic in meridiana luce afferre suo loco iam occupata [r] nolumus, oramus autem lectorem, vt ea attente legat, quae ἐ πάνυ MOSHEMIVS [s] attulit, nostram hanc obseruationem mire confirmantia. Qui recte quoque monuit, *Platonicos et Pythagoreos*, (sub hoc enim vexillo vtraque secta in vnam conflata militauit,) *Hermetianorum nomen potuisse assumere, si potuissent, sed vt ab aliis, praecipue Gnosticis paria ausis se distinguerent, maluisse a Pythagora vel Platone nomen sibi sumere, indicantes, hos philosophos omnium optimos Hermetis interpretes esse sibique ideo duces in explicanda obscurissima et aenigmatica Aegypti philosophia duces videri, quia Platonem et Pythagoram antiquas Mercurii columnas inspexisse, indeque philosophiam constituisse suam credebant* [ff]. Quae sufficere posse putamus, heic loci in compendium contracta, quae alio loco fusius demonstrauimus, vt quam inepti interpretes Alexandrinae sectae philosophi in Hermetica theologia et philosophia sint, constare possit. Alia et imprimis Pythagoreum pariter atque Platonicum systema philosophicum ab Hermetico in ipsis principiis diuersum tacemus. Ad reliqua a Wachtero adducta nihil reponimus, ne lectoris iudicio et eruditioni in tam imbecilli argumentationis modo diffidere videamur. Sufficit rimam elabendi sibi virum cetera perspicacem seruasse, monendo, nisi *aliae adsint causae quae aliter nos determinent*, quanquam lubrica et dubitationibus pleniſſima sint Platonicorum interpretamenta, haud obscure prodidit. Ceterum praestat in philosophiae historia, incertitudinem fateri, quod nos supra fecisse non poenitet, quam in monumentorum defectu ad discipulos supponendi et mentiendi doli et audaciae suspectos prouocare, vbi alia via ad inuestigandam Aegyptiacam sapientiam non datur. Certe maiori cautione dixit Burnetius, qui philosophiam Aegyptiorum non aliunde repeti posse putat, quam ab eorum discipulis, philosophis Graecis: idque potissimum antiquissimis, nempe Orphicis, Ionicis, Pythagoricis, Platonicisque. Addit: *patrum imagines in filiis et nepotibus intuemur, et ab his alumnis disciplinae Aegyptiacae ipsius effigiem* QVALITERCVNQVE *licet depingere vel adumbrare.*

pag. 249. lin. 13. *De re literaria bene meritos suo loco memorabimus.* Inter hos, Virum, dum viueret, doctrinae et ingenii laude excellentissimum, PAVLVM ERNESTVM IABLONSKIVM theologum Francofurtanum merito primo fere loco ponimus, quia commentarium *de Diis Aegyptiorum*, quem *Panthei Aegyptiaci* nomine, tribus partibus cum prolegomenis editum ea eruditione, iudicio, perspicuitate instruxit, vt magnam

q) In vita Plotini c. 16. p. 118. ed. Fabr.

r) T. I. P. II. L. II. c. 15. §. 5. p. 1355 seqq.

s) De turbata per Platonicos recentiores eccl. Synt. diss. H. E. Vol. I. p. 110. 111.

ff) Ita IAMBLICHVS de myst. s. 1. c. 2. p. 3.

Digitized by Google

magnam ſagacitatem et ingentem doctrinae apparatum vehementer laudet MOSHEMIVS [c], cuius iudicio lubentes ſubſcribimus.

pag. 249. lin. 20. *Theſauris heri antiquis illata eſt.* Conferendae de huius tabulae, quam Bembinam quoque dicere moris eſt, fato iucundae IO. GEORGII KEYSLERI *epiſtolae hodoeporicae* [n], BANIERIVS, *mythol. et les fables expliquées* [x] aliique, qui poſterior tamen falſo putat eſſe amiſſam.

pag. 250. lin. 14. *Mire variaret.* Si quid tamen coniiciendum, maxime ad ſyſtema phyſicum et coſmologicum eam pertinere, ex adductis paſſim a IABLONSKIO [y] explicationibus poteſt colligi, quibus illuſtrari poteſt conlectura Fabricii ſuo loco allegata, Zodiaci ſigna eſſe, hieroglyphice depicta, ſed non nuda ſignorum atque ſtellarum configuratione, ſed ſpirituum quoque ex anima mundi diuina in iſtis habitantium eaque regentium directione, quibus augeri, moueri, ereſcere omnia ex hoc influxu diuino credebant. Vnde ſigna Deitatis appicta ſunt. Quae difficili et incerto aenigmati intelligendo ſufficere poſſe putamus, modo caueatur, ne Graecorum *εὑρήματα*, ſerius et ſub Graecis regibus in Aegypto caput attollentia cum antiquiſſimis temporibus confundantur, quod non Porphyrio, Iamblicho, ſimilibusque, ſed Herodoto quoque et Diodoro Siculo accidit, qui aut fabulas Aegyptiorum ſacras eorumque dogmata theologica interpolabant, aut ſuam theologiam cum Aegyptiaca commiſcebant, et confundebant, cuius probandi neceſſitate nos liberauit laudati IABLONSKII diligentia [z], quae erudite in hoc argumento verſata eſt.

pag. 254. lin. 34. *Et primum Pana fuiſſe mundi ſpiritum omnem vniuerſi molem agitantem, cum hoc coniunctos ſeptem planetas praeſides.* Diligenter hac de re more ſuo diſſeruit IABLONKIVS [a], qui vbi de Deorum *αἰσθητῶν* cultu apud Aegyptios egerat, et VII. planetas in hunc locum ſucceſſiſſe probauerat, ad Cabirorum quoque cultum prouocauit, qui ab vltimis temporibus apud Aegyptios et Phoenices obtinuit. Erant enim Cabiri (vtrum a fortitudine an a ſocietate, quod RELANDO [b] et WACHTERO [c] placet, dicti, noſtra parum refert) numero ſeptem, patre Sadyko, id eſt, iuſto, progeniti, quibus deinde acceſſit octauus dictus Eſmunus. Quanquam autem hos fabulares Deos ad Phoenices plerique ſuo loco nominati duce Sanchuniathone apud EVSEBIVM [d] referunt, indubitatum tamen eſt, veſtigia eorum in vetuſtiſſimis Aegyptiorum mo-

c) Hiſt. Chriſt. ante C. M. p. 12. prodiit autem demum anno CIↃIↃCCL. quare eius luminibus tunc vti non potuimus Reimanniano labori, colligenti magis et conſarcinanti, quam examinanti et ſeligenti multis paraſangis eſt ſuperior.

n) Ep. XXVI. p. 265.

x) T. II. L. VI. c. 1 ſeqq.

y) l. c. P. I. p. 79. 80. 119 ſq. 143 ſeqq. 195 ſq. P. II. p. 32 ſq. 173. 185 ſeqq. P. III. p. 127 ſeqq. 163 ſeq. etc.

z) l. c. P. I. c. 2. p. 43. 51. 69. 139. 161. 191. 288. P. III. p. 42 ſeq. 49. 52. et paſſim.

a) l. c. prolez. §. 26. p. 59 ſeqq.

b) Diſſ. de Diis Cabiris miſc. P. II. n. 5. §. 8.

c) l. c. c. 8. p. 137. 148.

d) Praep. euang. L. I. c. 10. p. 36 ſeq. conf. DAMASCIVS in vita Iſidori apud Photium.

numentis reperiri. Illud teſte HERODOTO [e] ſcimus, templum Cabirorum Memphiticum in Aegypto, quod nemini fas erat ingredi niſi Sacerdoti, extitiſſe; nec minus certum Aegyptios non minus, quam Phoenices, ſeptem Cabiros Deos coluiſſe, hisque addidiſſe octauum. Quod facile admitti poteſt, cum Phoenices aut ipſi fuerint Aegyptii, aut in Aegyptum delati ante migrationem gentis ſuae in Phoeniciam, diu in Aegypti terris conſederint, et ita communem horum Deorum cultum habuiſſe credi poſſint, quanquam Cabirorum nomen Phoenicium eſſe videtur, Deosque magnos, fortes et potentes ſignificat. Omnia enim in eo concinunt, habuiſſe has gentes in antiquiſſima Aegypto degentes numina ſeptem, iisque praefectum vnum, qui reliquis praeſidendo, vniuerſam ſocietatis huius diuinae monarchiam rexerit: ſiue illi reges antiquiſſimi antediluuiani habiti fuerint, quorum per Noachi nepotes memoria fuerit conſeruata [f], ſiue coeleſtia per ſe ſidera intellexerint, ex quibus ortos eſſe et ad regendam ſocietatem humanam ex coelo deſcendiſſe fabularentur; vtrumque enim, ad antiquiſſimum idololatriae fontem, ἀστρολατρείαν, tandem reuocari poteſt. Quare valde verisimiliter Iablonskium conieciſſe putamus, Deos Cabiros Aegyptiis fuiſſe planetas ſeptem, octauum, vniuerſi moderatorem, ſpiritum illum mundi per vniuerſum diffuſum, cuius partes vel emanationes fuerint Dii Cabiri, quemque dictum fuiſſe in Aegypto Phtha, Graecis Vulcanum Deorum parentem, omnia ordinantem et decernentem erudite comprobat, huncque eundem cum Eſmuno Sanchuniathonis eſſe ingenioſe coniicit, quamuis nugiuendulus ſcriptor, Eſmunum non directorem, ſed fratrem Cabirorum fuiſſe nugatus ſit. Quae omnia quidem ad idololatriae vetuſtiſſimae hiſtoriam, non vero ad annales philoſophicos pertinent, hic autem afferenda tamen fuerunt, vt conſtaret, quam longe a veriſimilitudine aberrauerint, qui Thoytum ad Cabirorum Deorum miniſteria eleuauerunt. Et fortaſſe fabula inde orta eſt, quod antiquiſſimi Aegypti theologi crediderunt, ex felici planetarum conſtellatione, fauente mundi, ex quo magnas animas effluere cenſebant, ſpiritu hunc Thoytum Aegyptum velut coeleſtis fauoris pignus accepiſſe, illumque ex conſilio coeli primo Aegyptiorum regi ex hominibus conſiliarium datum, tantis beneficiis gentem inſtruxiſſe, quae tantum a natura quadam, humana origine maiori poterant expectari. Hoc pacto impedita Deorum Cabirorum fabula in hiſtoria Thooti ſiue Mercurii poteſt ſecure praetermitti, et interpretationis noſtrae hoc loco traditae veriſimilitudo iuſto conſtare fundamento. Qui audaciorem paulo coniecturam ea de re cupiunt, his vir ſummus G. G. LEIBNIZIVS legendus eſt [g], cui Hermes Aegyptiorum, Hermin ſiue Arminius Germanorum ſiue Celtarum Arihmanius fuiſſe

e) Lib. III. c. 37.
f) Conf. CVMBERLAND. diſſ. de Sanchun. quem tamen multa confundere recte obſeruarunt Auctores hiſt. orb. vniu. Tom. I. §. 329 ſq. p. 297 ſeq.
g) Theodic. §. 142.

Digitized by Google

fuiſſe et ex vltima ſeptentrione in Aegyptum deſcendiſſe videtur; quam tamen, etſi magna eruditione ornatam, cum rebus Hermetis componi poſſe non videmus. Arminius enim ſiue Arimanius vaſtator bellicoſus fuit, Hermes ἀγαθοδαίμων, et infinitis beneficiis de humano genere meritus. Vnde reliqua quoque quae ex quadam agnatione nominum inter Theut, ſ. Mercurium et Theutatem ſiue Thuiſionem Germanorum vir ſummus ludit, omittimus.

pag. 257. lin. 7. *Artem ſcribendi ante Moſis tempora non excogitatam fuiſſe.* Facile hoc ex ipſa Moſis hiſtoria et, quas nobis reliquit, originibus gentis ſuae poſſet probari, ſi hic locus eſſet. Certe illam ſola tantum orali traditione ad Moſen peruenisse, nec habuiſſe diuinum ſcriptorem patriarcharum notationes chartasque Iſraëliticae gentis mnemoneuticas, nemini perſuadebitur, qui praeiudicio hypotheſeos occupatus haud eſt. Tacemus argumenta alia, a magno NEVTONO [h] aliisque [i] adducta, quae alio loco expendi debent.

Ibid. lin. 23. *Quem alterum Mercurium dici.* Anubin comitem et pediſſequum Iſidis hunc Mercurium fuiſſe Graeci plerique ſtatuunt. Nam et huic ſimiles inuentiones tribuuntur, qua de re eximius locus extat in *Chronico Alexandrino* [k], quem poſteriores ſcriptores exſcripſerunt, in quo auctor et inuentor conflandorum metallorum dicitur, ideoque χευσόγραπις ab HOMERO [l] dicitur. Legenda omnino ſunt, quae de hac re fuſe more ſuo et curioſe diſputat IABLONSKIVS [m], demonſtraturus, eſſe Anubidem, quod quid ſignificet, longam diſſertationem inſtituit, quam huc non pertinentem praetermittimus. Nihil haec omnia ad Thootum, ad quem caduceus Mercurii ex mente Aegyptiorum non pertinet; vnde ficulneae ratiunculae ſunt, quas cel. HEVMANNVS [n] inde excogitauit, quae hiſtoriae theologiae Aegypti non reſpondent. Ceterum quae pag. ſeqq lin. 10. 11. coniecimus, Mercurium ſecundum filium Vulcani dici, quod adulatio vel mutandi homines in Deos ſtudium peperiſſe coniecimus, facilius ita expediemus, vt confuſa duorum Hermetum ſiue Mercuriorum nomina ſimplicius et clarius poſſimus dicere.

pag. 260. lin. 18. *Rationes frigidas et non cohaerentes operoſe et ſine veri ſpecie corradere.* Recte ita iter in tam tenebroſa Aegyptiacae ſapientiae hiſtoria inſtitui, quilibet intelligit, qui incerta, fabuloſa, diuerſis ſententiis conſtantia, in multiplices ſenſus contorta, et innumeris variationibus, dolis, mendaciisque expoſita veterum de Aegyptiaca theologia narrata ſine antiquitatis praeiudicio expendit, quique cenſuerit, non veterum tantum fabellas et narratiunculas corradere, ſed examinare quoque qua veritatis conſenſione, quo veriſimilitudinis et fidei hiſtoricae gradu

h) Chronol. antiq. reg. p. 210.
i) Hiſt. orb. vniu. T. II. §. 41. p. 35.
k) pag. 44. 45.
l) Iliad. Ω. v. 340. Odyſſ. L. I. v. 56.
m) l. c. P. III. p. 21 ſeqq.
n) Act. phil. T. II. p. 647 ſeq. Ceterum hanc quoque fabulam incruſtaſſe recentiores Graecos, artis conuertendi metalla cupidos, non pertineciter negabimus.

Digitized by Google

cohaereant. Ita vero diuerſiſſimas veterum traditiones de vtroque Aegyptiorum Mercurio tot diuerſis inter ſe opinionum diſſenſionibus inter eruditos diſputatas, ad quandam tamen certitudinem non tantum poſſe reuocari, intelligique, quid credere par ſit, quid non? ſumus perſuaſiſſimi, ſed haud difficulter quoque, rite penſitata vetuſtiſſimae gentis conſuetudine Θεολογέμενα ſua cum rerum naturalium hiſtoria connectendi, clariora paulo promitti poſſe putamus, vt in concordiam aliquam tot diuerſae traditiones poſſint deduci. Itaque non adeo difficilem putamus cum his noſtris conciliationem eorum, quae acutiſſimus *Panthei* auctor de vtroque Mercurio more ſuo erudite coniecit, et rationibus ex veterum teſtimoniis petitis confirmauit [a]. Hunc ſi audis, (audiendum eſſe ſcriptorem adeo luculentum et diſertum putamus) TERTVLLIANO [b] nomen dandum afferenti, *Mercurium illum Triſmegiſtum magiſtrum omnium phyſicorum fuiſſe.* Quoniam vero doctrina de rerum natura olim apud gentes plerasque, certe cultiores et artium ſtudiis expolitas fuit fundamentum omnis theologiae, ſequi inde concludit, ipſi deberi, quicquid theologi vetuſtiores de Deo rebusque diuinis, populis tradiderunt ac praeceperunt. Illud certum, ſacerdotes Aegyptios aſſeueraſſe, ſcientias, diſciplinas ac artes omnes inueniſſe Mercurium, easque omnes recte vocari ab AELIANO [c] τῷ Ἑρμῇ τὰ νοήματα, *Mercurii placita atque philoſophiam.* Quae facile ex aliis veterum locis [d], ex parte ab ipſo eruditiſſimo ſcriptore allatis poſſent probari, niſi ſuo ſupra loco extra dubitationis aleam id poſuiſſemus. Mirum autem, ita recte porro conlicit, non eſſe, ſi talis homo vnquam fuit, eum a ſuperſtitioſis creaturarum cultoribus ipſi Deorum ſuorum choro additum, aut certe viris diuinis, omniumque ſeculorum admiratione ac veneratione dignis annumeratum fuiſſe: adderem, animam humana maiorem, exque ſidereo animae mundanae pelago profuſam et in corpus humanum ad impertienda hominibus diuinitatis beneficia immerſam illi fuiſſe tributam. Quo pacto locum quoque fieri poſſe putamus coniecturae ingenioſae, quam penitius explorandam nobis propinat, quaeque ad ſoluenda hiſtoriae Hermeticae aenigmata mirum quantum confert; cum de patria Thoth ſiue Mercurii, deque eius aetate ac dignitate omnia incertitudine mira laborent, ipſi autem attribuantur, quae ab vno homine proficiſci omnino non potuerunt, quippe quae complures ſociata opera aut in curriculo eodem ſibi inuicem ſuccedentes praeſtare non poſſint, mirum non eſſe, viros ingenii perſpicacis, variaque doctrina ornatos ancipites in hoc argumento haeſitaſſe, et in ſententias admodum diuerſas diſtractos fuiſſe. Sunt inter eos [e], quibus nomen Aegyptii Thoth vel Hermetis Triſmegiſti, totum fabuloſum, ſeu potius myſticum eſſe videtur, quo non homo aliquis, qui vere in his

a) L. V. c. 5. §. 8 ſeqq. T. III. p. 166 ſeqq.
b) Adu. Valentinianos c. 15.
c) Var. Hiſt. L. XII. c. 4.
d) Vid. CYRILL. Alex. L. I. adu. Iul. p. 30.
e) Vid. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. I. p. 47.

his terris aliquando vixerit, familiarisque genti adminiculo, ita eminuerit, vt Deus ipse siue sapientiae diuinae vis significetur. Quam sententiam, cum prae reliquis omnibus sibi semper perplacuisse vir eruditissimus fateatur, parumque a vero abesse visa sit, merito eius rationes paucis heic attendi merentur. Obseruat autem Thoth numen aliquod fuisse symbolicum, cuius nomini adscribebatur, quicquid in literis et disciplinis esset inuentum, etsi re ipsa ex ingenio et calamo sacerdotum et philosophorum in Aegypto esset profectum. Prouocat ea de re ad IAMBLICHI [s] confessionem, testantis, non vnum aliquem re ipsa fuisse Thoth, tot voluminum auctorem, qui literarum vsum inuexerit, et scientias plurimas inuenerit, verum sacerdotes et philosophos Numini cuidam Thoth in acceptis retulisse, quicquid aut ipsi inuenissent, aut ordinassent, ac praecepissent, aut denique literis mandassent. Hinc tam stupendus ille Hermeticorum librorum numerus, qua de re legenda sunt, quae THOMAS GALE ad *prol. Iamblichi* [t] annotauit. Non inepte ex his infert doctissimus IABLONSKIVS [u], Thoth proprie fuisse numen sacerdotale, quod sacerdotibus eorumque collegiis, omnibus itidem eorum inuentis, ac scientiis cunctis praeesse credebatur, cuique omnia ad vtilitatem reipublicae, religionis ac scientiarum, solerter excogitata, scripta denique omnia eximia, et laude aliqua digna tanquam auctori vni et vero in acceptis ferebantur. Iucunda autem prorsus sunt, et singulari attentione atque examine digna, quae diligentissimus rerum Aegyptiacarum commentator porro disputat: numen illud, quod sacerdotum collegiis ac scientiis omnibus praeerat, et a quo scientiae omnes et proficisci et perfici credebantur, fuisse ipsum Phthan, Vulcanum Aegyptiorum, spiritum infinitum, rerum omnium creatorem et conseruatorem, ipsorumque Deorum patrem atque principem [x]. Qua in re auctorem sequitur DIOGENEM LAERTIVM [y], referentem, Aegyptios tradidisse, Vulcanum Nili filium fuisse, qui philosophiae aperuerit principia, cuius antistites sacerdotes ac prophetae appellentur. Hic nempe praeses istis philosophis ac sacerdotibus fuisse credebatur, ab hoc inspiratos eos fuisse, ac eius Numine plenos scripsisse asserebant. Obseruat porro vir ingeniosus, quicquid antiquitus a philosophis egregie inuentum aut compositum erat, solitum fuisse columnis inscribi, siue στήλαις, hancque consuetudinem antiquissimis populis receptam, imprimis in Aegypto obtinuisse, illique ab vltima antiquitate receptam et quodammodo propriam fuisse et peculiarem. De qua re nos quoque suo loco ad Manethonem prouocauimus [z]. Stelas autem istas, quae doctrinam Aegyptiorum quondam omnem sacram et profanam complectebantur, a Thoth vel Mercurio nomen accepisse. Qua de re testimonia IAMBLICHI [a] atque THEOPHILI ANTIO-

s) Init. libri de myster. Aegyptiorum.
t) L. l. pag. 5. u) l. c. §. 11. p. 170.
x) Vid. L. I. c. 4. §. 7.
y) L. I. f. 1. p. 2.
z) Apud Syncell. p. 40.
a) De myster. Aegypt. L. I. c. 2.

Digitized by Google

ANTIOCHENI [b] nobis reſtant, ſupra quoque a nobis dudum allata. Et has quidem Stelas Syringias ab ipſo Thoth ſiue Mercurio diuerſas non fuiſſe vir doctiſſimus inde coniicit, quia ex his magiſtris mutis omnem ſe ſapientiam didiciſſe Aegyptii ſacerdotes iactabant. Ita vero fabulam Mercurii enatam putat diligens panthei Aegyptiaci ſcrutator, vt per σωματοποιίαν genti illi valde familiarem, ſtelas has aut diuinitate donauerint, aut ſtelis ſuis ſacerdotes praefecerint. Numen aliquod, idque a Phtha vel Vulcano Deo Aegyptiorum principe non potuiſſe eſſe diuerſum: huncque Phthan, quatenus ſcientiarum et ſtelarum, quae illas complectebantur, ſigillatim praeſes eſſet atque patronus, dictum fuiſſe lingua Aegyptiaca Numen ſtelarum vel columnarum. Quae omnia magna eruditione et perſpicuitate ornat vir diligentiſſimus. Nos haec omnia, cum iis, quae in ipſo opere H. P. hoc loco de ſapientia Hermetica diximus, facile componi poſſe iudicamus, modo paulo magis ad veriſimilitudinem inflectantur. Et primum quidem Mercurium apud vetuſtiſſimas Aegypti, ac finitimarum terrarum gentes Thoothum ſiue ſapientiae omnis atque doctrinae auctorem habitum fuiſſe, intellexiſſe autem ſub illo nomine diuinam iſtam Numinis virtutem animamque diuinam omnia permeantem, huiusque emanationi ſiue radio alicui literarum et ſapientiae inuentionem Aegyptios tribuiſſe, vero videtur ſimillimum, certe ita fabulae omnes de iſto Mercurio primo in ordinem redigi poſſunt. Hac virtute auctos homines, forte antediluuianos, cum ſapientiae documenta ſtelis, columnis, lapidibus ſingulari ſcribendi genere ſacro et arcano inſculpſiſſent, ad obtinendam auctoritatem diuinam harum columnarum originem illis adſcripſiſſe, facile nobis perſuaderi patimur. Poſt hanc vero aetatem populorumque vitam cum deletae eſſent vel diluuio vniuerſali, vel ſaltem frequentibus magnisque cataclyſmis, gentes huius terrae, vel coactae ſecedere in terras alio ſub ſole calentes, noui autem hoſpites in iſtis ſolitudinibus poſtea conſediſſent; veriſimile eſt, tempore naſcentis monarchiae Aegyptiacae, quam ad Menam veteres hiſtorici referunt, circumſpexiſſe ſummos principes, qui rudia et aſpera ſubditorum ingenia a morum et inſcitiae aſperitate reuocari et miteſcere cupiebant, de viro quodam magni ingenii atque ſapientiae, huncque traditis populo ſcientiarum rudimentis, vt auctoritatem nanciſceretur, ſe venditaſſe animae mundi diuinae filium, traductaque ex ſtelis reſiduis fabula ad inuentiones ſuas id obtinuiſſe, vt adiutus a callidis, quos in ſocietatem conſilii adſciuerat, ſacerdotibus, pro diuino quodam Numine ſiue emanatione diuina ex Vulcano, i. e. anima mundana, haberetur, ſicque humana conditione ſuperior Numen quoque ipſe aliquod fuiſſe, et in iſtas Deorum ſedes tandem rediiſſe crederetur. Quae omnia, vt ex Iablonskianis obſeruationibus mire poſſunt confirmari, ita traditiones Hermeticas tot capitibus inter ſe diſſentientes haud difficulter in ordinem redigunt, modo metho-

b) Ad Autolyc. L. III. §. 2.

methodus priſcarum gentium omnia ad theogonias referendi rite adhibeatur. Quod autem ὁ πάνυ Iablonskius putat, nec alterum Mercurium, certum quendam hominem maximi ingenii fuiſſe, ſed numen aliquod ſtelarum tutelare repraeſentaſſe, id tot veterum teſtimoniis, qui vno omnes ore Mercurium inter homines viuentem nobis referunt, nimium contra dicere et diuinitatis auctoritatem non accurate ſatis ad negandum humanitatem adhiberi iudicamus.

pag. 261. lin. 4. a fin. *Omnia propria commentaria Mercurii nomine inſcribentes.* Recte id et ex vero Iamblichum ſcripſiſſe omnino conſentimus; in eo enim cardo auctoritatis ordinis ſacerdotalis vertebatur, vt crederetur, omnia ſibi a Mercurii numine, tutelari illo ſapientiae Deo reuelari et inſpirari, vt hos merito ex ſuae lactantiae opinione Θεοπνεύστους vocare liceat. Hoc ſibi numen rite inuocatum apparere, et coeleſtem doctrinam atque reuelationem ſuppeditare ſtrenue mentiebantur: vnde plena illa oſtentatio, poſt rite ſuſcepta ſacra, et inſtituta ſacrificia, videre ſe Deum, afflatumque eius inſinuare ſe ipſorum animis, et ita myſteria communicari, quae non minus Mercurii numinis habenda ſint, quam quae, cum in terris in humano corpore habitaret, ſcripta reliquit [c]. Hanc τῶν θείων θεωρίαν καὶ θέαιν, rerum diuinarum cognitionem Deorumque viſionem primarium ſacerdotum ſuae gentis ἔργον eſſe, fidenter aſſerit Chaeremon, additque, ἀεὶ συνεῖναι τῇ θείᾳ γνώσει καὶ ἐπιποίᾳ ſemper Deorum cognitionis ſtudio et afflatui vacare. Inde praeſumtio vaniſſimorum hominum, apparere Deum ſuum rogantibus et myſteria reuelare. Qua de re memorabilem locum ex *apophthegmatibus patrum* [d] annotauit Iablonskivs [e], quo haec leguntur: *Sacerdos gentilium deſcendens aliquando in Seetin, venit ad cellam meam, ibique pernoctauit. Videns autem monachorum viuendi rationem, ait mihi: ita agentes nihilne conſpicitis a Deo veſtro? Dico, nihil. Excipit ſacerdos: certe nobis ſacrificantibus Deo noſtro, nihil ille a nobis abſcondit, ſed ſua myſteria reuelat.* Poteſt tota haec Dei viſio atque Θεοπνευσία, vtramque enim iungebant, ſibique vindicabant, inter impoſturas et mendacia gentis, quae dudum in eiusmodi rebus fidem decoxerat, referri, niſi et ſyſtemati eorum eos confidenter ea dixiſſe, adeoque reuera ſibi perſuaſiſſe iſtam cum numine ſuo communionem, eſſet apertum, quem Vulcanum eſſe, vel Phthan, ſpiritum vniuerſi omnia permeantem, infinite perfectum, omnibus ſe inſinuantem, perque varias emanationes hominum animos et corpora occupantem, ſupra iam eſt oſtenſum. Hac enim ſyſtematis ſacri opinione ad extremum amentiae gradum prouocatis, facile accidere potuit, quod toties emotae mentis hominibus accidiſſe nouimus, vt in varias ἐφάσεις, apparitiones et ἐκφάσεις rapti videre ſe numen ſuum, audire vocem, accipere

c) Apud Porphyrivm de abſtin. §. 6.
d) l. c. P. III. L. V. c. 5. §. 12. p. 174.
e) In Cotelerii monum. eccleſ. Gr. T. I. p. 584.

pere myſteria crederent. Quod Aegyptiorum ſacerdotum θεῖον et coeleſte priuilegium arroganter ſibi quoque adſcripſiſſe Alexandrinos philoſophos, Plotinum, Iamblichum, Porphyrium ſimilesque, in eorum hiſtoria propriis teſtimoniis demonſtrauimus [f]. Immo valde veriſimile eſt, homines impoſtores, adhibitis remediis mentem emotam cientibus, et naturali quadam virtute extra ſe rapientibus, ſe ad eiusmodi viſiones et apparitiones praeparauiſſe. In qua coniectura valde confirmamur, loco quodam Michaëlis Pſelli [ff], diligentis ſapientiae Aegyptiacae admiratoris et indagatoris, quo teſte *Aegyptii, vel farro, ſic enim vocant, oculos oblinentes vel thuris liquore, vel bdellio - - ſubſtratum illud in corporeis copiis lumen conſpexerunt.* Talia enim remedia Aſſyrios quoque ſacerdotes adhibuiſſe ſimiliter, narrat, et in vetuſtiſſimae ſuperſtitionis hiſtoria, ne Americana quidem excepta multoties exempla occurrunt. Quibus omnibus cum accederet imponendi et deciplendi ſtudium, et intolerabilis gentis oſtentatio, quid mirum innumera tandem ſcripta, libros enim non niſi ſenſu latiſſimo vocare licet, Mercurialia prodiiſſe, Θεοπνευστως ſi Diis placet, ab eo ſacerdotibus inſpirata. Hoc enim remedium ſuperſtitionis ſemper fuiſſe, vt ſomniorum ſuorum origines ad numinis alicuius irradiationem et inſpirationem referret, coelumque atque terram ideo moueret, hiſtoriam idololatriae non ignorantibus dudum manifeſtum eſſe credimus. Aegyptios autem ea in re largius et audacius aliis inſaniuiſſe, dudum ſuimus ex hac cauſſa ſuſpicati, quod credebamus, Moſaicae Θεοπνευστίας et legis notitiam, quae Aegyptiis non potuit ob viciniam deſerti Arabiae, vbi lex adeo ſolenniter a Deo lata eſt, non innoteſcere, hos illexiſſe, vt paria fingerent. Sed abiecimus tamen hanc ſuſpicionem, tum quod ante Moſis aetatem, et fortaſſe Ioſephi proregis tempora ſimilem ſanaticiſmum in Aegypto iam obtinuiſſe, ſacrarum paginarum hiſtoria [g] nobis perſuadeat, tum quod omnis fere barbararum gentium hiſtoria ſimiles nobis fucos, ſimilesque nugas referat, ad vetuſtiorem aetatem pertinentes, dubiumque non ſit, deteſtabiles hos errores humani generis aduerſarium ſacerdotibus mox ſuggeſſiſſe, poſtquam diuinarum reuelationum oracula his hominibus euanuerant.

pag. 261. lin. 27. *Curioſe de his differens inualuit.* Recte quidem hoc nos concluſiſſe, comparatio theologiae vetuſtiſſimae apud Aegyptios, cum Aegyptiaco-Pythagorea atque Platonica ſub Ptolemaeorum regno quemlibet poteſt conuincere. Non negamus tamen, ſyſtema Zoroaſtreum ſiue Perſicum, quod cum victoribus Perſis in Aegyptum transmigrauit, occaſionem ante Graecorum tempora ſuppeditaſſe, vt περὶ ἕλων καὶ γενῶν inter ſe diſputarent. Mittamus hoc loco appellationem Graecanicam, et de

f) In Gregorii Nazianz. Orat. 42. T. II. Opp. col. 1132.

ff) Exemplum cape ex vita Iamblichi ſcripta ab Eunapio et Hiſt. phil. T. II. p. 264.

g) Expendendus locus Gen. XLI, 38. qui non ad mentem Hebraeorum, quod Haidegerus Hiſt. Patr. exerc. XX. §. 24. T. I. p. 621. Clericus h. l. aliique faciunt, ſed ex mente Aegyptiorum explicandus eſt, qui eo tempore ſacra Iſraëlitica ignorabant.

Digitized by Google

et de dogmate tantum ſimus ſolliciti. Annon veriſimilitudine ſua radiat, Perſas, qui victores erant Aegypti, idem ſibi conſtitutum habuiſſe, quod Zoroaſtris tempore euenit, vt in victoris placita, decreta, religionem plerique ſubditi tranſirent, adeoque ſyſtema iſtud dualiſticum ſed ex Magianico-Zoroaſtreo reformatum, in Aegypto quoque dudum ad ſimilia propendente ſe commendaret, idque fieri eo facilius potuerit, quod obſcuriſſima antiquiſſimae Aegypti Θεολογούμενα, aſtronomicis tantummodo rationibus applicata eiusmodi in peregrinas opiniones conuerſionem facile paterentur? Quo ſenſu antiquiora eſſe placita Aegyptiaca, Platonicorum explicationibus facile concedendum eſt. Aſt non diu illa mutatio perſtitit, Alexandri M. Perſarum monarchiam euertente, et Alexandriae nouam molliente. Quo pacto innumera peregrina, at domeſticis picta coloribus ſenſim recipi erat neceſſe: qua de re in fine huius tomi nonnulla diximus, quae cum his comparanda ſunt [h].

pag. 263. lin. 33. *Primum Mercurium cum ſecundo confundens.* Hoc Kirchero accidiſſe, viro cetera doctiſſimo et diligenti, aſt in veterum ſcriptis non ſemper accurate verſato, non magnopere mirandum, eiusque ſtudium laudandum, errores autem vitandi ſunt, et conſulenda imprimis veterum ſcripta, quae fontis inſtar in obſcuriſſima hiſtoriae Aegyptiacae narratione paulo limpidiora ſuppeditant. Non hic locus eſt, rem ab ouo repetere, et quae in ipſo opere fuſe ſatis dicta ſunt, nouis rationibus communire. Faciet id ipſe Lector, harum rerum curioſus, maxime, ſi ductorem ſeligat IABLONSKIVM, qui multa prouide paſſim [i] ea de re cumulauit. Nos hoc loco ad vnum teſtem, qui vero rem ſcire potuit, MANETHONEM, ſacerdotem Aegyptium prouocamus, qui in libro *Sotheos* ad Ptolemaeum Philadelphum, ad antiquitatis fidem ſua referens, ſe ea, quae tradat, deſumſiſſe ait [k], *ex ſtelis vel columnis, poſitis in terra Seriadica, quibus quondam Thoth, primus Mercurius, dialecto ſacra, et characteribus ſacerdotalibus vſus, ea inſcripſerat, quae deinde poſt diluuium, Agathodaemon, filius ſecundi Mercurii, paterque Tati, ex dialecto ſacra, literis hieroglyphicis deſcripta, in Graecorum linguam tranſtulit.* Quaecunque huius loci ſenſus ſit, (obſcurum enim eſſe, quilibet videt) clare tamen indicat, prima rerum ſigna, columnis ſeriadicis, inſcripta vel inſculpta potius non ad Hermetem ſecundum, ſed primum Aegyptios retuliſſe, ſiue numen aliquod ante diluuium humana forma inter homines in Aegypto verſatum eſſe, cui iſtae literae hieroglyphicae debeantur, putauerint, ſiue ipſam Numinis virtutem in inueniendis et incidendis iſtis ſignis ſacris in homines ſapientes ſe effudiſſe crediderint, eamque Hermetis primi nomine ſymbolice indicauerint. Vnde prudenter AMMIANVS MARCELLINVS loco ſupra iam in ipſo opere [l] adductus non ad certum quendam virum, ſed ad vetuſtiſſimorum ſeculorum ſapientes, hanc hieroglyphicam ſapien-

h) L. II. c. §. 4. p. 1358 ſeqq.
i) Panth. Aegypc. P. III. p. 184. 187 ſq.
k) Apud SYNCELLVM in chorograph. p. 40.
l) pag. 258.

tiam retulit. Decepit autem viros doctos paſſim, quod literas Aegyptiacas ex mente ſacerdotum Aegyptiorum non ſatis accurate diſtinxerint, quarum tamen tres claſſes inter ſe diuerſae conſtituendae ſunt. Et prima quidem claſſis, quam antiquitate ſua ſacroſanctam habebant, infantia fuit omnis ſapientiae, et ſub ſymbolis, quorum exempla hodienum in monumentis Aegypti literatae antiquiſſimis cerni poſſunt, ſed non legi aut intelligi, niſi ſenſus et coniecturas noſtras antiquiſſimis ſeculis inepte velimus ſupponere [m], iſtius aetatis ſapientiam, hodie totam ignotam et ſepultam continebant. Quarum in interpretatione cum, reſurgente ex cataclyſmis variis Aegypto, multum virorum ingenioſorum diligentia verſaretur, eo quod paucae erant imagines, et arctis ſapientia iſtius temporis limitibus circumſcribebatur; auctis per aliquot ſecula et promotis humanae cognitionis terminis, fauenteque principum atque regum ſtudio (inter quos Menem, primum regem, eiusque ſucceſſorem, ab hoc ſtudio ſacerdotibus Aegyptiis, Athoth vel Hathoth, Mercurialem poſſes dicere [n], vocatum commendari videas,) ampliata quoque ſapientia Aegypti literata eſt, et cum mathematicarum ſcientiarum, maxime vero aſtronomiae vſus, ad theologiam quoque et religionem publicam traductus ſacerdotes cogeret, plenius atque explicatius γνωρίμοις et ad interiorem ſapientiam admiſſis gentis myſteria explicare, quod per iſtas literas hieroglyphicas non niſi difficili et laborioſo modo fieri poterat, de compendioſo magis et rerum vſui adaptato literarum genere cogitare coeperunt, ſicque inuentum tandem alphabethum literarum, proprie ſic dictarum, quod ſecundam Aegyptiacae grammaticae claſſem exhibet. Quanquam autem illud literis, non imaginibus et ſymbolis conſtabat, ſacrum tamen manſit ſolique ſacerdotum ordini penetrabile, vulgus enim, quique initiati non erant, ab his quoque myſteriis procul abeſſe iubebantur. Et hae quidem literae ideo ἱερατικαὶ et ἱερογλυφικαὶ vocari ſolent, ſacerdotales et ſacratae, ac ſoli ſacrorum vſui et ſacerdotum ſtudio deſtinabantur [o]. Et hac quidem lingua et ſcriptura ſacerdotes Aegypti religionis atque regni, (vtrumque enim erat obiectum ſtudiorum,) myſteria ſacris ſoliis, imo parietibus quoque in cauernis quibusdam ſacris inſcribebant, quales in media Aegypto, ſiue Thebaide vidit recentiorum virorum doctorum in his terris peregrinantium curioſitas [p]. Et hanc quidem literaturam ἱερατικὴν communi traditione ad Mercurium ſecundum referebant, quod, ſi de primis elementis atque principiis artis huius hierographicae intelligitur, veriſimilitudine omnino ſua conſtat, quamuis probabiliſſimum ſit, ſucceſſu temporis multa immutauiſſe, alioque ſenſu modoque explicuiſſe, ingenioſam ſacerdotum Aegyptiorum diligentiam, tempus autem accurate definiri

m) Luculenter id docet explicatio Obeliſci Pamphilii KIRCHERIANA, tota nugis repleta.

n) Pantheon Aegypt. P. III. L. V. c. 5. §. 4. p. 158. 159. Tenet hic Athotes in laterculo regum Thebanorum Eratoſthenis locum ſecundum.

o) Conf. Hiſt. orb. vniu. P. I. §. 573 ſqq. T. I. p. 417 ſeqq. et quae deſideratiſſimus BAVMGARTENIVS ad hunc locum monuit.

p) Conf. SCHAW voyages Vol. II. c. 5. p. 94 ſqq.

Digitized by Google

definiri nequit, quo haec literatura sacra in Aegypto florere inceperit, quo seculo ad maturitatem peruenerit: Id quod ad Siphoam, qui in ordine regum Thebaeorum trigesimus quintus numeratur, viri docti verisimilibus rationibus coniiciunt, eo quod illo tempore, scientias sacras a sacerdotibus excultas eminere coepisse, certum est, ipsaque astronomiae cultura maxime in constituenda accuratiori anni forma circa illud tempus efloruit. Id quod occasionem dedit acutissimo MARSHAMO [q] coniiciendi, ipsum hunc Siphoam intelligi sub Mercurii secundi nomine, quod cum Aegypti chronologicis rationibus stare non potest, quae altius rem ponunt; ingeniosam autem fatemur coniecturam IABLONSKII [r] nomen Hermetis, quod eum proprie significat, qui alicui rei complementum dat, eamque plenam et perfectam reddit, a sacerdotibus, ideo Siphoae tributum esse, quod haec scientia hierographica eius auspiciis ad perfectionem suam peruenisset. Tertiam tandem classem, quam epistolographicam dicere moris est, introductus scientiarum vulgarium vsus et necessitas, commoditates vitae cum aliis communicandi inuexit, quo pacto literarum vulgarium atque communium vsus repertus et in Aegypti regnis est adhibitus [s]. Ita facile inter se distingui possunt, quae multorum incuria confudit, rebusque Aegyptiorum in se obscuris tenebras inducere apta sunt, simulque intelligi locus memorabilis Clementis Alexandrini, quo processio sacra sacerdotum Aegyptiorum describitur, et in ipso opere p. 266. integer adductus est. Quae vero de vulgari lingua Aegyptiorum, et imprimis eius origine, cum Coptica affinitate atque similitudine imo commixtione quoque inter eruditos disputari solent, ea, cum ad nostros limites non pertineant, omittimus, id vnum monentes, linguam istam in antiquitatibus Aegyptiorum non debere contemni negligique, haud paucis enim aenigmatibus soluendis potest adhiberi vtiliſſime. Ex his vero iudicari quoque possunt, quae de literatura Aegyptiaca sibi statuendum esse censuit eruditissimus Io. GEORGIVS WACHTERVS [t], eius autem annotationes hoc adducere, et quam certam scientiam veteris Aegypti gignant, inquirere, a scopo nostro alienum et illis qui historiam literaturae Aegyptiacae scribere in animo habent, relinquendum est: quamuis haud pauca ad ea loca, quae illustrationem, nonnulla confirmationem et emendationem desiderant, afferre liceat. Haec autem prolixitas a nostro scopo aliena est.

pag. 264. lin. 7. *Moerim inuenisse, effossi stagni et pyramidum altissimarum gloria celebrem.* Pertinent haec quidem ad historiam naturalem et artificia-

q) Canon. chronic. p. 34. cuius rationes euertit IABLONSKIVS l. c. P. III. p. 182.

r) l. c. §. 20. p. 189.

s) Conferendi HERODOT. L. II. DIOD. S. I. p. 72. CLEM. ALEX. l. c. PORPHYR. vit. Pyth. alii. Ceterum hanc literarum sacrarum a vulgaribus differentiam Aethiopes quoque atque Babylonii obseruarunt, et hodie adhuc inter Persarum reliquias, qui Zoroastream theologiam sequuntur, duplex, vel triplex potius lingua occurrit: Zend vetustissima, Pehlui vetusta, vtraque sacra et a communi diuersa. Tacemus Braminarum linguam sacram apud Indos. Omnis enim antiquitas hanc arcani disciplinam coluit.

t) In concordia naturae et scripturae.

lem Aegypti, non vero philoſophiae, ſed omnino tamen probe ponderanda ſunt, vt intelligatur, quam ingentia ſaepe opera vni humanae induſtriae debeantur, et quam mira ſint, quae Moeris rex ſuſcepit digna quae in hiſtoria veteris Aegypti cum attentione expendantur, cum hodie adhuc peregrinantium admirationem meruerint. Ex veteribus conſulendus HERODOTVS et DIODORVS [f], ex recentioribus, qui hunc lacum haecque opera praeſens intuitus eſt POCOCKIVS [u], vt alios taceamus.

pag. 265. lin. 19. *In vnoquoque eundem eſſe.* Comparanda cum his ſunt, quae ſupra ad p. 161. annotauimus. Ipſum dogma de Vulcano ſiue Phtha, rerum omnium parente atque anima mundi, rerum omnium principio actiuo ſeque omnibus, maxime vero ſapientibus inſinuante, quodque ſacerdotum et philoſophorum praeſes atque tutelare numen fuit, a quo inſpirari ſe ſapientes Aegypti credebant, ea quae hic dicta ſunt, pluribus confirmat. Id vnum hic annotamus, dum ab hoc numine omnes inſpirari afflarique ſtatuebant Aegyptii, hoc ita intelligendum eſſe, vt certiſſima et ſapientiſſima ratione id fieri dicerent, non bruto impulſu; inde nomen Phthas huic rerum omnium genitori inditum eſt, quod ordinantem et decernentem ſignificat [x], IAMBLICHVS [y] autem id rationibus Pythagoricis corrupit [z].

pag. 267. lin. 28. *Quae pompa et apparatus luculenter deſignat.* Poterant haec omnia prolixius explicari veraeque rationes huius miniſterii ſacerdotalis inter Aegyptios explorari, ſi in his acceſſionibus locus eſſet. Verum non magnopere deſiderabunt diligentiam noſtram, qui in *Pantheon Aegyptiacum* accuratiſſimi IABLONSKII ingreſſi ea loca conſulent, quibus de ſacerdotibus Aegypti multa pulchre obſeruauit. Inuenient enim, ſectas eorum [a], nomina praecipue a Deo, cui erant conſecrati, mutuum ſumta [b], victus rationem [c], methodum ſymbolicam, vt non niſi ab initiatis poſſent intelligi [d], linguam ſacerdotalem [e], initiationes [f] et ſimilia alia, iuſtis veterum teſtimoniis corroborata, et imprimis nomina *ἱερογραμματέων* [ff], arpedonaptorum [g], aedituorum [h], paſtophorum [i], et quae alia ſunt ad collegiorum ſacrorum notitiam pertinentia [k], cum cura explicata, quae ex hoc fonte, quam ex riuulis noſtris lectorem haurire malumus.

Quo

f) HEROD. L. II. c. 149. DIOD. SIC. L. I. c. 49. PLIN. L. V. c. 9. conf. CELLAR. Geogr. Antiq. L. IV. c. 1. T. II. p. 64. Hiſt. vniu.

u) Tom. I. §. 481 ſeq. p. 469 ſeq. p. 585 ſeqq. Itin. L. V. p. 63.

x) Pantheon. Aegypt. P. I. p. 50.

y) De myſteriis Sect. VIII. c. 2. 3.

z) Noëtarcham, ſecundum a ſummo Deo principium excogitando, vt λόγον Pythagoricum ſiue νῶν Platonis infarciret. Inde verba eius obſcura viſa WACHTERO l. c. p. 103.

a) Prol. p. 71.

b) P. I. p. 58. 101. Inter haec nomina notum inter Graecos Therapeutarum, qui ſingulare collegium conſtituerunt, etiam inter Iudaeos Aegypti receptum, a peculiari Deorum cultu dictum, de quo ſuo loco T. II.

c) P. III. p. 81. 82.

d) Proleg. p. 135-140.

e) Pr. p. 130.

f) Prol. p. 140 ſeqq. inter haec erat circumciſio ib. p. 12. 14. 15. 141.

ff) Ib. p. 91. 92. 94. 96. hi vero proprie dicti ſapientes.

g) Ib. p. 94. 95.

h) pag. 14. 91.

i) Ib. p. 97. P. I. p. 167. etc.

k) Prol. p. 77. T. II. p. 100.

Digitized by Google

Quo pacto facile cum aliorum doctorum virorum obseruationibus l) de eodem argumento dicta comparari possunt, eaque confirmari luculenter, quae in hac paragrapho de sacerdotibus Aegypti ex veterum testimoniis εἰς ἓν συνάψες attulimus. Hoc vnum addimus a nobis praetermissum, huius generis hominibus adeo refertam fuisse Aegyptum, vt scriptor sacer nobis narret m), tempore Iosephi tam ingentem eorum fuisse numerum, vt ipsis ad commodam sustentationem certae Aegypti partes, atque possessiones adsignandae fuerint, perque totum regnum fundi ampliſſimi distribuendi, vt ex eorum reditibus cultum diuinum, multiplici rituum cumulo iam tum oneratum, certe per multiplicia sacerdotum ministeria amplum et prolixum commode obire, et quod literarum quoque studiis inuigilare iubebantur, iis excolendis et regi et patriae prodesse possent. Quam sacerdotum in Aegypto immunitatem atque ab oneribus publicis exemtionem suo adhuc aeuo viguisse auctor est HERODOTVS n).

pag. 269. lin. 26. *Symbola Aegyptiorum hunc in finem, vt doctrinae obscurarentur, inuenta fuisse.* Aliam rationem cur primi sapientiae Aegyptiacae conditores ab Hermete primo, id est, ipso scientiarum et sapientiae omnis auctore, summo Deo edocti per imagines et symbola docere instituerint, acutissimus IABLONSKIVS * deprehendit in primarum mundi linguarum ac figillatim Aegyptiacae sterilitate atque inopia, quae, cum obstaret, quo minus scientiae, maxime, quae pro obiecto habent res spirituales aliasque paulo abstrusiores et a vulgari hominum cognitione magis remotas, aliter quam per varios gradus et non nisi pedetentim excolerentur, necessitatem imposuit eiusmodi symbolis et imaginibus vtendi, vt res mente conceptas rite designarent, quod in ea mundi adhuc puerascentis infantia non melius quam per similitudines, locutionesque tropicas, allegoricas et symbolicas fieri poterat. Illustrat haec vir veterum linguarum peritissimus, ex ipsa lingua sancta, quae apud ipsum legenda sunt. Non abiicimus hanc coniecturam auctoris sui ingenio dignam, non putamus tamen in tanta seculorum istorum ruditate conceptus atque cogitationes sapientum de rebus diuinis atque humanis adeo abstrusas fuisse, et a cognitione vulgi remotas, vt non nisi imaginibus earum vmbrae quasi cum populo potuerint communicari. Ita enim aeui istius simplicitatem considerandam esse historia prisci orbis vniuersi loquitur. Sane si haec ipsa paupertas linguae populo sapientiam sola inuidisset, facilius fuerat, linguae paupertati conditis nouis elementis, quod postea factum, succurrere, et nouam linguam extruere; quam imagi-

l) Maxime WACHTERI l. c. passim, vid. p. 91. 92 134.

m) Gen. XLVII, 22.

n) L. II. c. 168. add. DIODOR. p. 21. Tertiam terrae vniuersae partem Menem regem sacerdotibus tribuisse asserit WACHTERVS l. c. p. 198. nullo tamen veterum testimonio adducto. Verisimile, aucta superstitione, exque ea sacerdotum multitudine auctos quoque esse reditus et possessiones, quod in gente superstitiosa et regibus sacerdotium ad regnandi artes adhibentibus non est mirandum.

o) l. c. prol. §. 59. p. 135.

imaginibus incertis res et verba hominibus furripere. Quare arcaniores latuiſſe rationes facile credi poteſt, modo dolus et decipiendi ſtudium quod poſtea ſuccreuit, et hieroglyphicam diſciplinam fere omnem perdidit, primis hieroglyphicarum imaginum auctoribus non tribuatur, quos ſeculi ſui integritas atque ſimplicitas ab hac ſcabie facile poteſt abſoluere.

pag. 270. lin. 20. *Venerationi populi commendarentur.* Vt metus, ne ſapientia Aegyptiaca, quae ad conſtituendam regni ſecuritatem regumque auctoritatem et potentiam excogitata erat, vileſceret, hieroglyphicam methodum vehementer commendauit, ita cautum quoque, ne arcana illa principia, theologica pariter atque mythologica, in vulgus exirent, et maieſtas regni ea ratione inter populum ferum et nondum arte et ſapientia expolitum detrimentum caperet. Inde factum, quod ex CLEMENTIS ALEXANDRINI teſtimonio [o] nouimus, vt *Aegyptii non quibuslibet ea, quae erant apud ipſos myſteria committerent, neque rerum diuinarum cognitionem deferrent ad profanos: ſed ad eos ſolos, qui erant ad regnum perueniuri; et ex ſacerdotibus iis, qui iudicati fuerant probatiſſimi, et educatione, et doctrina et genere.* Ex quo memorabili loco conſtat, iſtam arcani diſciplinam non tantum in occultando intimo myſteriorum ſenſu conſtitiſſe, ſed difficilem quoque, et ad quem pauci adſpirare poterant, ſelectum ingeniorum et nobiliſſima tantum capita ex omni regni nobilitate popoſciſſe, omnibus ad regiam maieſtatem religionis et ſapientiae vinculis confirmandam comparatis. Quae egregie confirmantur loco quodam Ezechielis poëtae tragici apud CLEMENTEM [p], vbi de Moſe, in ſpem regni a filia Pharaonis educato, ait:

Τροφαῖσι βασιλικαῖσι καὶ παιδεύμασιν,
Ἅπαντ' ὑπισχνεῖθ', ὡς ἀπόσπλαγχνον ἐὺν.

Victu regio et diſciplina ſcientiarum
Exceptus ſum, quam ſi natus (regis filius) eſſem.

Quam aulicam ſapientiam caue ad populares ſcientias referas, et politicas artes tantum ſignificare putes; per regiae enim diſciplinae myſteria, arcana regni dogmata intelligenda ſunt, de quibus illud vnum in vulgus emanauit, in rege magnam habitare diuinitatis omnia permeantis partem, et quae arcana exhibebat ſymbola methodus hieroglyphica, ea ita eſſe explicanda, vt de diuinitate regis propter inhabitans numen conſtaret, ſacerdotibus in id conſpirantibus, vt interpretationes ſuas aulae accommodarent. Et hanc ex praecipuis cauſſis ſeruatae auctaeque methodi ſymbolicae in Aegypto fuiſſe, qui naſum habet, facile ſubodorabitur. Similia in hiſtoria gentis Sinicae etiam occurrunt, in qua primum quaſi

o) L. V. Strom. p. 242.
p) Ibid. Strom. L. III. p. 345. conf. quae iam ſupra in ipſo opere H. P. p. 80. monuimus. Comparandus cum his et ſeqq. SAM. SHVCKFORD. harm. ſcr. S. et prof. L. VI. Vol. II. p. 73 ſqq.

Digitized by Google

quaſi omnis ſapientiae fundamentum eſt, imperatorem eſſe coeli filium, et diuina origine coruſcare. Aliarum barbararum gentium conatus et conſilia ſimilia, in argumento ad noſtros limites proprie non pertinente, ne prolixi ſimus, praetermittimus, digna autem res eſt, vt accurate exploretur, fraudesque humani ingenii et aſtutiae pateant. Et hinc genuina atque vera ratio deriuanda eſt, cur libri hieroglyphici in adytis tantum templorum cuſtodirentur neminique paterent, praeter ſacerdotes, quam illis, qui ex regum voluntate ad hanc ſapientiae familiaritatem admittebantur, id quod Pythagorae exemplum, de quo ſuo loco, pulchre confirmat, qui non niſi aulae mandato ad iſtam diciplinam admiſſus eſt. Cauſſa quoque eadem videtur eſſe, cur vnus tantum in quouis ſacerdotum collegio fuerit ἱερογραμματεύς, cuius ex nobili genere nati erat, ſacras explicationes hieroglyphicorum myſteriorum aulae potiſſimum tradere, quod exemplo Bitys prophetae in ſacrariis Sain in Aegypto nos docet IAMBLICHVS [g], qui haec myſteria regi Ammoni expoſuit.

pag. 271. lin. 5. a fin. *Lux clariſſima affundi poteſt.* Egregie in rimanda hac veteris Aegypti et mythologiae ſacrae ſignificatione cum verſatus ſit, quem toties laudauimus Iablonskius, lectori eius *Pantheon Aegyptiacum* [r] adeundum eſt, in quo non de myſteriorum tantum mythologicorum ſenſu ex veterum relationibus magno vſus ingenii acumine fuit ſollicitus, ſed et diuerſas horum interpretamentorum atque ſyſtematum aetates, mutationes et variationes pulchre detexit: ipſe vnus mille Kircheris, Cauſſinis, et ſimilibus praeferendus.

Ibid. not. a. lin. 2. *Vnde pro ſole ponitur.* Horus, ſiue Or Aegyptiorum Deus celebre in mythologia et theologia Aegyptiaca nomen eſt. Dicitur fuiſſe Oſiridis et Iſidis filius, multis fabulis ſacris celebratus. Et Graeci quidem Apollinem ſignificari volunt apud DIODORVM [s], PLVTARCHVM [ß], AELIANVM [t] aliosque; aſt hos homines audiendos non eſſe, qui comparatione numinum peregrinorum cum domeſticis ſuis infeliciter ſuſcepta omnem fere veteris theologiae hiſtoriam corruperunt, nemo in his ſacris verſatus facile negauerit. Et PLVTARCHO quidem [u] tempeſtas eſt, ac aëris temperies omnia ambientis, ſeruans alensque: ea vero interpretatio cum mythologia Aegyptiaca non conuenit, licet probabilem explicationem admittat, maxime vbi Horl, i. e. aëris certamen cum Syphone, i. e. mari in conſiderationem veniet [v]. Si

g) De myſter. ſ. 8. c. 5. p. 161. ex quo loco ſuſpicari licet, ſacerdotes, vaferrimum hominum genus, ita interpretationes ſuas inſtituiſſe, vt regis perſonae tanquam numini poſſent adplicari. Ait enim Iamblichus Dei nomen illud per omnia penetrans prophetam, regi expoſuiſſe, quod ille de potestatibus ſupramundanis explicat, quales regibus tribuere non erubeſcebant.

r) Peculiari capite de hoc numine more ſuo diſſerit IABLONSKIVS P. I. L. II. c. 4. p. 201 ſeqq.

s) L. I. p. 22. HERODOT. L. II. c. 144.

ß) De Iſid. et Oſiride p. 375.

t) De animal. L. XI. c. 14.

u) pag. 366.

v) Conf. MAILLET deſcript. d'Egypte P. I. p. 18.

Si philoſophorum Nilotícorum explicationes ſequimur, Horus ad ipſam ſolis ſubſtantiam referendus eſt, eſtque emblema ſolis, quo indicatur, quam ſolis virtutem, quae beneficia, quam ad terram noſtram relationem Aegyptii ſoli, maxime circa et poſt ſolſtitium aeſtiuum tribuerint. Huic cum in terrae Aegyptiacae fertilitate ex ſitu naturali profluente pleraque beneficia ſe debere faterentur, eum iuxta diuerſum in coeli haemiſphaerio ſitum diuerſis numinum imaginibus deſignabant, et Harpocratem dicebant, ac repraeſentabant ſymbolice ſolis infantiam et pueritiam, quando inferius haemiſphaerium relinquit, Herculem vero ſolem in iuuenili robore conſtitutum dicebant, vbi haemiſphaerium ſuperius iam contigit, lucemque et calorem ampliorem cum terra communicat, Horum denique vbi circa ſolſtitium aeſtiuum ad ſummum haemiſphaerii ſuperioris cacumen euaſit, vigoremque virilem et plane maturum vbique transfundit. Quam explicationem MACROBII [w] auctoritate roborat IABLONSKIVS [x], qui erudite in hoc argumento more ſuo eſt verſatus. Horus itaque Aegyptiis ſol aeſtiuus eſt, non in coelo tantum conſpicuus, ſed in terra quoque ſentiendus. Quamuis autem Horus dicatur filius Oſiridis, qui ſolem repraeſentat, nihil tamen, iuxta methodum Aegyptiacam, impedit vt non Horus quoque ſolem ſignificare poſſit, cum in iſta configuratione aſtrorum theologi Aegypti non ad ſolem ipſum, ſed ad diuerſas ſideris eius relationes ad ſyſtema mundi maximeque regionis ſuae reſpexerint. Horum autem caue Graecum nomen putes, quem errorem HORAPOLLO [y] errauit; Aegyptium enim eſt, quo Or lucem ſignificat.

pag. 273. lin. 6. *Fraudulenter egiſſe ſacerdotes Aegyptios.* Poſſet id per omnem fere Aegyptiorum theologiam demonſtrari, ſi eius hoc loco hiſtoriam ſcriberemus: ex dictis autem res ſua, niſi egregie fallimur, luce radiat. Ex Iablonskianis explicationibus multa ſibi notabit exempla lector eruditus et attentus, et quam fraudulenter egerit Ordo ſacerdotalis, quomodo naſo popellum duxerit, ad omnem fraudem paratus, iucundis ſpeciminibus diſcet. Ex quibus hoc loco vnum Apidis exemplum examinandum commendamus, in quo neſcias vtrum vel ſacerdotum impudentiam, mendacia, fraudes, an Aegyptiorum etiam in ſummis dignitatibus conſtitutorum imbecillitatem, credulitatem et ſimplicitatem mirari magis debeas. Memorabilia quaedam de his plebis credulitati illudendi auſis ſacerdotum Aegyptiorum peculiaribus obſeruationibus exhibuit IABLONSKIVS, cuius loca in fine paginae [z] indicamus.

Ibid. lin. vlt. *Et hactenus concedi quoque poteſt.* Solent adduci teſtimonia DIODORI SICVLI, HERODOTI, aliorumque, quorum loca indicauit MENAGII [a] induſtria, cui addendus I. FR. REIMMANNVS [b], qui tamen

w) Saturn. L. I. c. 21.
x) l. c. p. 221. y) L. I. c. 17.
z) l. c. Tom. II. pag. 183. 185. 199. 205. 206. 252. 253.
a) Ad LAERT. L. I. ſ. 11.
b) Antiqq. liter. Aegypt. §. 16. p. 87. add. quos ex veteribus adduxit THOM. BVRNET. Archaeol. phil. c. 8. p. 378.

Digitized by Google

men, dum concedit, antiquitatis nebulis oppreſſos, exacte dicere non poſſe, quos et quantos Aegyptii in Arithmetica et Geometria fecerint progreſſus, ex arithmetica Pythagorae et Euclidis geometria, quas ab Aegyptiis ille nullo teſte deriuat, haud proletarios fuiſſe concludit, cuius concluſionis conſequentiam lectori examinandam relinquimus: id tantum monentes, veriſimile eſſe, quicquid harum ſcientiarum neceſſitas et vtilitas Aegyptiis commendauit, inter prima elementa conſtitiſſe, nec potuiſſe Aegyptios ſacerdotes Graecos, Pythagoram atque Thaletem ea docere, quae alias pueri norunt, et qui prima geometriae elementa didicerunt. Nam et ille, diu inter ſacerdotes Aegyptios verſatus, domi demum inuenerat virtutem lateris oblongi in triangulo rectangulo ad caetera comparati et hic trianguli in circulo deſcripti inuentione hecatomben diis immolaſſe dicitur. Recte itaque BVRNETIVS, caſte et ſobrie de hac literatura differens [c] inter geometriam et gaeodeſiam, inter γεωμέτρας et γεωμετρεῦντας diſtinxit. Non tacendum tamen eſt, Geometriam tribuere HERODOTVM [d] Aegyptiis, Nili inundatione ad eam colendam compulſis, quae facile concedi poſſunt, aſt, elementa iuuenilia fuiſſe ſimul probant. Certe nihil analyticum, qualia viderunt et comprehenderunt Graeci, Aegyptiis videtur innotuiſſe, niſi quod ſerius a Graecis ſub Ptolemaeorum regno et poſtea a Graecis didicerunt, qualia fuere, quae DIOPHANTVS, ſimilesque reliquerunt, qui mathematicus Alexandrinus arithmeticam ſublimiorem, quam algebram dicere moris eſt, ad geometriam tranſtulit, nihil ea in re a popularibus adiutus, quique in recentiorem, quam illa eſt, aetatem reiiciendus eſt [e].

pag. 275. lin. 7. *Non falſo Aegyptiis tribuatur.* Aſtronomiam Aegyptiis tanquam domeſticum inuentum veteres iam PLATO [f], ARISTOTELES [ff], DIOGENES LAERTIVS [g], ACHILLES TATIVS [h] aliique tribuerunt, DIODORVS autem longius progreſſus, Babylonios, ait, ſideralı ſcientia celeberrimos ſua ab Aegyptiis accepiſſe. Non inuidebimus Aegyptiis hanc gloriam, quam imprimis Thebarum ciuibus vindicat Diodorus, quem tamen iactantius multa eis tribuiſſe facile palpari poteſt: nec negabimus, pyramidum ante tria annorum millia conſtructarum poſitionem, lineam meridionalem luculenter determinantem, quamuis acus magneticae vſus eo tempore nondum fuiſſet, exercitationem gentis in ſiderum contemplatione haud ſuperficiariam prodere, dabimus etiam id τῷ πάνυ VIGNOLIO [i], obſeruandi, pyramides vſum hunc etiam ſacerdotibus praeſtitiſſe, vt dies aequinoctiales calendariis ſuis poſſent aſſignari: quin

c) loc. cit.
d) L. II. DIODOR. L. I. p. 73.
e) Conf. FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. IV. pag. 13 ſeqq. Ceterum quae neceſſitas coëgerit Aegyptios γεωμετρεῖν ex TATIANO Orat. ad Graec. p. 141. CLEM. ALEX. Stromat. Lib. I. p. 306. PORPHYR. vit. Pyth. n. 8. p. 8. IAMBLICHO vit. Pythag. c. 29. p. 134. diſcendum et iudicandum eſt.
f) In Epinomide.
ff) Metaphyſ. L. I.
g) Lib. I.
h) Ad Arat. phaenomena.
i) Diſſ. de annis Aegyptiacis, Miſcell. Berol. T. IV. p. 19. cum quo conf. DVHAMEL hiſt. Acad. Scient. p. 420.

Digitized by Google

nec laude inuenti anni caniculo-ſolaris circa annum Per. Iul. 3389. eos priuabimus [k], haec enim theoremata iuge, quod Aegyptii obſeruabant, aſtronomiae ſtudium, otio ſacerdotibus ad talia abunde ſuppetente, coeloque et climate fauente, haud difficili labore eos docere poterant: aſt ad ſublimiora aſtronomiae *ευρήματα* ea transferre, fundamento caret atque demonſtratione. Quanquam enim aſtronomia ad theologiam Aegypti conſtituendam maxime fuit neceſſaria, manifeſtum tamen ex doctiſſimis obſeruationibus et explicationibus Iablonskianis, quibus ſiderum cultum ex mythologia Aegyptiaca expoſuit, vulgaria fere omnia fuiſſe, quae magnis laboribus et immenſo mythologiae hieroglyphicae labore delineauerunt. Vnde fatemur, non arridere nobis doctiſſimi viri coniecturam, ſuſpicantis [l], Copernici hypotheſin, terram circa ſolem moueri, ſacerdotibus Aegypti olim non ignotam fuiſſe, Philolaum enim eius ſententiae ſequacem hoc a Pythagora, Pythagoram ab Aegyptiis accepiſſe, et in ſchola ſua inter dogmata eſoterica et arcana tradidiſſe, Indorumque Brachmanas, Aegyptiorum priſcorum diſcipulos eandem opinionem ab iis habuiſſe. In his enim incerta ex incertioribus probari, quaeque vna negatione diffiari poſſunt, pro veriſimilibus afferri quis non videt? Nobis, ſi ſententia noſtra dicenda eſt, ea quae de motu ſolis differuerunt Aegyptii, et nos paulo ante, vbi Hori explicationem dedimus, annotauimus, ſatis euincere videntur, nihil de terrae motu circa ſolem Aegyptiis innotuiſſe, quemadmodum Indicae traditiones de hoc problemate longe alium ſenſum habent, quam aſtronomia noſtra iſtis tribuit. Ipſam quoque ſeculi ruditatem, (antiquiſſimum enim et fere primum ſtudium Aegyptiorum aſtronomiam fuiſſe, veteres fere omnes conſentiunt,) ab hac hypotheſi, ingenium et meditationem obſeruationum fidei inaedificatam poſcente abhorruiſſe, nobis eſt veriſimillimum [m]. Ex his vero intelligi quoque poteſt, valde improprie loqui STRABONEM * ſcribentem, *οἱ ἱερεῖς καὶ φιλοσοφίαν ἤσκουν καὶ ἀστρονομίαν*, *ſacerdotes in philoſophia et aſtronomia ſe diligenter exercebant.* Hoc enim, ſi admittendum pro vero, non ſenſu Graecanico intelligendum eſt, ſed Aegyptiaco, quo, quicquid vulgo inuidebant ſacerdotes, philoſophia vocabatur. Veriſimile tamen, ſub Graecorum imperio Aegyptios etiam aſtronomiam philoſophicam diſcere coepiſſe, ſecus ac vult Strabo, qui Graecos aſtronomiam ab Aegyptiis accepiſſe, eorum iactantia deceptus contendit. Plato enim et Eudoxus aſtronomicam eruditionem non tam Aegyptiis quam Pythagoreis, hique ſuo magis ingenio quam illis debuerunt, quamuis contrarium viſum ſit Iamblicho et Alexandrinae ſectae philoſophis aliis, ex antiquitate Aegypti ſuo conditori gloriam quaerentibus. Siderum tamen motus quos-

k) Ab Aegyptiis hanc anni emendationem accepit Iulius Caeſar; conf. VIGNOL. l. c.

l) l. c. prol. §. 42 p. 99 ſeq.

m) Conf. Hiſt. orb. vniu. T. I. §. 558. p. 459 ſeqq. legendus autem h. l. prae ceteris, ad exuendum antiquitatis praeiudicium BVRNETIVS l. c. in quod heic incidiſſe eruditiſſimum Iablonskium dolemus.

* L. XVII. p. 1135.

Digitized by Google

quosdam obſeruauiſſe Aegyptios non negamus, vel ſolus enim Oſiridis atque Iſidis, id eſt, ſolis atque lunae cultus ad res naturales relatus id nobis perſuadet, prouocatque ad eiusmodi obſeruationes ARISTOTELES [n]: ſed cuius eae generis fuerint, ex dictis iudicandum eſt. Certe cum tam ſero cognouerint, anni dies CCCLX. quinque eſſe addendos, qui inde *ἐπαγόμενοι* dicti ſunt, recte inde infertur lento gradu eorum aſtronomiam profeciſſe, magisque fuiſſe *ἀστρονομοῦντας* quam *ἀστρονόμους*. Plura dabit hiſtoria aſtronomiae WEIDLERIANA [o].

Ibid. lin. 20. 21. *Ab exercenda muſica arcuiſſe, quod animos emolliat.* Multis probari poſſet, muſicam Aegyptiorum fuiſſe popularem, non vero philoſophicam, ſi id ageremus. Quaecunque enim apud veteres de ea re occurrunt, id modo euincunt, ad laetitiae publicae vſum Aegyptios muſicam adhibuiſſe. Id de ſacris publici gaudii cauſſa inſtitutis tradit IVLIVS POLLVX [p], et de viris atque foeminis in Aegypto nauigantibus ad ſacra Dianae in vrbe Bubaſti celebranda HERODOTVS [q]. Siſtrorum quoque ſiue crepitaculorum aeneorum vſus, quem ab Aegyptiis ad Abyſſinios tranſiiſſe notat IOBVS LVDOLFVS [r], teſtis eſt, non tam ad harmoniae rationes, quam ad ſonum et concentum eos reſpexiſſe. Scilicet Oſiris, ſi verum eſt, quod DIODORVS habet, muſicorum agmen circumduxit, ad cicurandos feros vulgi Aegyptiaci animos. Haec ad philoſophiam inter Aegyptios faciunt plane nihil. Ex his locus *auctoris* Ἑρμαϊκῶν apud CYRILLVM [s] explicari poteſt, vbi inter inuentiones Hermeticas, etiam muſica nominatur. Qua intelligi non inſtrumentorum muſicorum vſum, ſed canendi artem, ſiue vocalem, acute vidit WACHTERVS [ff]. Vnde nugatus eſt DIODORVS more ſuo, ſcribens, *Mercurium lyrae a ſe inuentae tres chordas induxiſſe, anni tempora imitatum: tres enim tonos feciſſe acutum, grauem et medium: acutum ab hieme, medium a vere deſumſiſſe.* Quod falſum eſſe recte affirmat MARSHAMVS [t], obſeruans, Diodorum, Mercurium Aegyptium cum Graeco confundere, qui lyrae inuentor dicitur. Opponi poteſt Diodoro DIODORVS, paulo poſt [u] ſcribens, *moribus Aegyptiorum palaeſtram et muſicam diſcere non licet: nam palaeſtrae exercitiis robur virorum debilitatur, muſica vero animi hominum effeminantur.*

Ibid. lin. 33. *Aeſculapium nomen apud Aegyptios celeberrimum.* Solebant Aegyptii Mercurio vel Thoth Aeſculapium Memphitem iungere, quod vterque, cum homines eſſent, poſt mortem cultu religioſo decoratus fuerat. Quis tamen ille Aeſculapius Aegyptiorum, cum Graeco non confundendus, fuerit, obſcurum eſt, et coniecturis tantum definiendum. In MANETHONIS dynaſtiis ab Africano et Euſebio ſeruatis [x] occurrit rex

n) De coelo L. II. c. 12.
o) cap. 4. p) L. IV. c. 8. p. 193.
q) Lib II
r) Hiſt. Aethiop. Lib. II. p. 380. Iſidi Siſtrum appingebant Aegyptii.
s) Contra Iulian. L. I. p. 30.
ff) Harm. naturae et ſcript. c. 7. §. 4. p. 142.
t) Can. chron. p. 37.
u) pag. 51.
x) Apud SYNCELLVM chor. p. 56.

Toſorthrus, quem, ait, Aeſculapium Aegyptiis haberi ob medicandi peritiam. Quam quidem illi ad ipſum Mercurium primum ſolebant referre, qui floruit regnante Athothe, de quo Manetho: *huius feruntur libri anatomici; nam medicinam profitebatur.* Quod nihil aliud dicere velle, recte coniicit IABLONSKIVS [y], quam tempore Athothae, ſcientiam medicam in Aegypto inueniri et excoli coepiſſe, illiusque principia et inuenta columnis in templorum adytis aut in ſpecubus ſacris, inſcripta fuiſſe. Quod autem ſimilia de Toſorthro referuntur, id innuere videtur, ſub illius regno ſtudium ſcientiae medicae inſignia expertum eſſe incrementa, et obſeruationes medicas in templorum adytis valde fuiſſe auctas. Quae veriſimili porro coniectura vir doctus roborat, ipſe conſulendus. Quanquam autem ſe illa ita habere, veriſimile ſit, ipſumque Aeſculapii axioma ad primos terrarum Aegyptiacarum moderatores atque principes referri poſſe videtur, attamen, ſi Aegyptiorum traditionibus ſtandum eſt, medicinae auctor et inuentor, ſiue Aeſculapius ille, numen illud eſt, quod Serapin famoſiſſimo nomine vocarunt. Plena ſunt omnia apud veteres de Serapide, quem pro Aeſculapio habitum eſſe, TACITVS [z] probe monuit. Non exſcribemus loca, quibus conſtat, Graecos Aeſculapium ſuum cum Serapide vnum eundemque ſtatuiſſe, legant ea, qui cupiunt, apud Panthei interpretem [a]. Illud certum, omnem ſalutaris artis cognitionem ad Serapidem ab Aegyptiis fuiſſe relatam, vnde auctoritas illa Numinis tantopere depraedicata, vt, queis in eius templo dormitare noctemque tranſigere permiſſum fuit, ſpe fruerentur, fore, vt ſibi dormientibus, per quietem ſalutis remedium oſtenderetur. Et huc omnia pertinent, quae de Serapidis cultu apud Aegyptios, paſſim traduntur, quem quidem peregrinum fuiſſe et demum ſub Ptolemaeorum regno in Aegyptum veniſſe, nonnulli ex locis Taciti et Clementis Alexandrini atque Macrobii colligunt, veterem autem Serapidis religionem cum renouato eius cultu ad Graecorum habitum confundunt [b]. Quae, ſi quis attentius conſiderauerit, deprehendet, inanem ſacerdotum loquacitatem, imaginationis vim, cauſſasque naturales alias interdum in locum numinis ſucceſſiſſe. Ex quo de re medica veterum Aegyptiorum ſobrium fieri poteſt iudicium, clareque perſpici, quam pulchre naſo populum ſacerdotes Aegyptii duxerint. Aliter autem, ne hoc quidem taceamus, viſum SAM. SCHVCKFORDO [c], qui putat, morbos in tam temperato coeli climate et regione, qualis erat Aegyptus, fuiſſe rariſſimos, adeoque medicinam practicam non magnopere locum apud eos habuiſſe: quae vero Diodorus et Herodotus ea de re habent, de ſpirituali medicina, id eſt, de purgatione diaetaque theologica intelligenda eſſe, ideoque medicinam cum theologia inter ſacer-

y) P. III. c. 6. p. 19. vbi ſingulari capite de Aeſculapio Aegyptiaco agit.
z) Hiſtor. l. 4. c. 84. conf. APVLEIVS L. X. metam. circa fin. et L. XI.
a) P. III. L. V. c. 6. p. 191 ſeqq.
b) Conf. BAVMGARTEN. ad hiſt. vniu. T. I. n. 504. p. 429.
c) Harm. Script. S. et profan. L. IX. p. 526.

Digitized by Google

ſacerdotes coaluiſſe [d]. Aſt manifeſtam vim inferre haec veterum dictis, quilibet videt, qui in pharmaceutica medicina ſedulos fuiſſe ſacerdotes non negant. Nec magnopere, quae in contrarium afferuntur, rem probant, colligi enim ex morbis Iſraëlitarum, quibus remedia praeſcripſit Moſes, non poteſt, adeo liberos a morbis Aegyptios fuiſſe, cum illi ſcabiem iſtam regionis ex priſtina ſede attulerint, dum adhuc eſſent Aegyptiorum colonia. Quamuis autem veriſimile ſit, magicam quandam medicinam, maxime diaeteticam inter ſacerdotes Aegyptios in vſu fuiſſe, et adhibitas in vſum ſacras purgationes, abſtinentiam a quibusdam cibis atque herbis, indeque therapiam quandam miraculoſam ipſos fuiſſe commentos, huicque Serapidis cultum, per omnes fere gentes celeberrimum, eos ſuperſtruxiſſe, nihil tamen aliud inde euincitur, quam empiricam medendi rationem callidiſſimos homines religionis ſpecie commendauiſſe, ſicque honori ſuo, atque commodis inſeruiuiſſe [e]. Quae vero vir ille doctus pro confirmanda ſententia ſua affert, Pythagoram diaeteticam primum introduxiſſe, Hippocratem primum medicinae rationalis fundamenta poſuiſſe, ad Graecos tantum pertinent, nec Aegyptiorum medicinae poſſunt obiici, imo Pythagoram ſuae diaeteticae rationes inter Aegyptios ſacerdotes, inter quos diu commoratus eſt, didiciſſe eſt veriſimillimum. Itaque hanc leuem medicinae gloriam Aegyptiis non inuidebimus, ipſam vero medicinam vulgarem fuiſſe ex adductis rationibus recte tuemur: quae quam tenuis et miſera fuerit, et certis tantum remediorum formulis adſtricta, immo ad certa tantum morborum ſingularium genera relata, ſolique incertae et ineptae experientiae alligata, ab illis diſcendum eſt, qui artis ſalutaris hiſtoriam ſcripſerunt [f], hic non exſcribendis. Alias non in vulgus exiiſſet ars illa iatrica, et plebeiam diligentiam occupauiſſet, vnde ſcripſit HOMERVS [ff]:

Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων, ἠ γὰρ Παιηόνιός εἰσι γενέθλης

Quiuis mortalium ibi eſt medicus omnium
Hominum probe gnarus, ſunt enim Paeonia generatio.

pag. 278. lin. 23. *In hoc ſtudium incubuiſſe.* Nemo id facile negabit, qui priſcorum ſeculorum indolem hominumque curioſitatem et veſaniam perderauerit. Viguiſſe autem aſtrologiam apoteleſmaticam mature in Aegypto, ex eo diſci poteſt, quod ab Aegyptiis eam didiciſſe Chaldaeos, huius artis longe peritiſſimos, tanquam certum perhibet DIODORVS [g]. Quan-

d) Potuiſſet Shuckfordus ad ſcholam Pythagoricam prouehere, quae medicinam theologicam magicamque cum phyſiologica copulauit, quod Pythagorum didiciſſe volunt apud Aegyptios. Vide quae T. I. p. 1077. allata ſunt.

e) Conf. CONRING l. c. WHARBVRTON. diu. leg. Moſ. L. IV. ſ. 2 ſeq. Hiſt. vniuerſ. T. I. §. 561. p. 460 ſeq.

f) CLERIC. hiſt. med. L. I. c. 5. SCHVLZIVS hiſt. medic. Per. I. c. 4. p. 48 ſeq. GOELICKE hiſt. med. Per. II. BARCHVSEN de medicinae origine et progreſſu Diſſ. I. 2. REIMMANN. l. c. p. 77. aliique.

ff) Odyſſ. IV. conf. HEROD. L. II. c. 74.

g) Lib. I. p. 52.

Quanquam enim in eo falli, supra demonstrauimus, quod putat, Chaldaeos coloniam Aegypti fuisse et doctrinam suam ex hac prima sede in Orientem transtulisse, non potuit tamen hanc traditionem historicus tanquam veram in annales suos transscribere, nisi potuisset ad antiquissima tempora prouocare, quibus astrologia iudiciaria in Aegypto culta est. Idque probant quoque adscripti Mercurio libri astrologici, qui, quamuis hunc auctorem mentiantur, et ab eo profecti non sint, id tamen inde rite concluditur, credidisse Aegyptios, hanc artem similiter vt ceteras ex communi hoc sapientiae fonte antiquissimo profluxisse. Vnde sententiae Cl. WACHTERI [h] subscribere non possumus, astrologiam iudiciariam, non esse doctrinam a Tauto profectam, sed a recentioribus Aegyptiorum astrologis Petosiri et Necepso inuentam et scriptis propagatam. Et testem quidem, quod putat omni exceptione maiorem MANETHONEM aduocat, qui ab initio *apotelesmaticorum*, seu praedictionum astrologicarum ita Ptolemaeum regem alloquitur:

Digna tibi haec dona fero regali imperio,
Nocte insomnis agens et interdiu multum laborans
Vt tibi libros, quos elaboraui, quos paraui
Hos tibi mitterem, laborem nostrorum magnum emolumentum,
Vt quae ipse obiter et cursim Petosiris
Dixit, ea omnia certa claraque memorarem
Rythmis heroicis, et hexametris versibus.

Addit versiculum *Ausonii* canentis:

Quique magos docuit mysteria vana Necepsus.

Aft nihil aliud inde sequitur, quam hos duos reges artem istam, forte non tam strenue antea cultam, quam ceteras, promouisse, et sub eorum regno et fauore, inter scientias philosophicas fuisse receptam, cum prius priuata tantum curiositate excoleretur. Vixit autem vterque, si MARSHAMVM [i] sequimur seculo XVI. post diluuium. Addit aliam rationem vir doctus, quae etiam audienda. Putat rem ipsam nouitatem huius disciplinae demonstrare. Nam quo tempore Tautus vitam inter mortales egit, coelum nondum nominibus hominum, Saturni, Iouis, Mercurii, Veneris, Martis, quibus ars genethliaca vtitur, sciisse contaminatum, nec nomina stellis a meritis hominum imposita. Infra Tautum esse haec figmenta, nec nisi post obitum et apotheosin eius in sphaeram coelestem allata. Possumus hoc totum viro erudito concedere, nihil enim aliud inde sequitur, quam astrologiam iudiciariam ad Hermetis primi aetatem non assurgere, quod nobis quoque videtur certissimum. Inde autem nondum sequitur, tempore nascentis vel adolescentis monarchiae

h) Harm. nat. et script. p. 141.

i) Can. chron. p. 474.

Digitized by Google

chiae Aegyptiacae, quod ſerius incidit, coeleſtia ſigna nomina ab hominibus nondum accepiſſe, quanquam illa non fuerint, quae Graeci ſideribus tribuerunt, quaeque eo tempore cum Graecanica eruditio in Aegypto inualeſceret, veteribus Aegyptiacis ſurrogata ſunt. Antiquiſſima enim nomina prima regni Aegyptiaci aetate hodie apud veteres occurrentia, quae magno labore conquiſiuit Iablonskiana diligentia aliud nos docent, vnde rationis a Wachtero adductae neruus concidit. Quod ſi eam vero aſtrologiam apoteleſmaticam intelligit, quam Ptolemaeo tradidit Manetho, concedimus quidem argumentum, ſed id ſtatum quaeſtionis nec tangit, nec hanc ſoluit [k].

pag. 279. not. n. col. 2. *Ratio Aegyptiacae religionis dubitare non patitur.* Harpocratis nomen et numen quemadmodum Serapidis quoque diu latuit, nec ante Alexandri M. tempora eius apud vllum ſcriptorem Graecum fit mentio, vnde iuſta ſuſpicio eſt, ſub Ptolemaeorum regno hoc demum numen increbuiſſe, et quidem in inferiori Aegypto, vbi Buti, ſacra ſolennia quouis anno ſtato tempore celebrabantur, et quidem cum Horo, qui Harpocrati cultu et religione pari in vno eodemque templo iunctus eſt, niſi cum Cvpero [l] eundem eſſe vtrumque magis videatur veriſimile. Eius hiſtoriam diligenter poſt laudatum virum doctum explicauit Iablonskii diligentia [ll], qui multis argumentis euicit, in theologia Aegypti aſtronomica Harpocratem ad ſolem relatum eſſe, vnde nonnullis ipſe Oſiris, aliis filius eius fuiſſe dicitur: nempe quemadmodum de Horo quoque obſeruauimus, certus ſolis ſitus in Zodiaco per eum ſignificatus eſſe videtur, ſymbolumque fuiſſe ſolis renouati, vel de nouo exorti, non quotidiano ortu, ſed ſolſtitiali hyberno, vnde tenelli quoque infantis figura eum ſolebant repraeſentare: quae quoque cauſſa fuit, cur digito ori impreſſo notabilis effingeretur, quod poſtea Graecanica ingenia ad ſilentium de rebus ſacris obſeruandum traxerunt, rectius autem ſtatum infantilem ſolis ad orbem terrarum relati in mythologia [m] Aegyptiaca ſignificauiſſe, eſt veriſimile. Nobis hoc loco ideo imago Harpocratis, apud Graecos quoque et Romanos valde ſacra habita memoranda eſt, quod dubium non ſit, locum illi inter amuleta magica fuiſſe, ideoque eam a multis a collo appenſam et in annulis comprehenſam in digitis geſtatam eſſe, quod vetêres memorant. Certe Plinii [n] aetate *Harpocratem, ſtatuasque Aegyptiorum numinum in digitis viros quoque portare coepiſſe*, ex eius teſtimonio conſtat: vnde tot Harpocratis imagunculae et ſigilla paſſim in muſeis principiumque pinacothecis

k) Nimium probat argumentum Wachterianum, nam ex eo ſequitur, non Aegyptiacae tantum, ſed Chaldaicae quoque, omnisque aſtrologiae apoteleſmaticae aetatem multo eſſe inferiorem iſta mundi renaſcentis infantia, quod tamen de Chaldaeis nemo contendit, contrarium omnes aſſerunt.

l) Diſſ. de Harpocrate, conf. Iabl. l. c. P. I. p. 213 ſeq.

ll) l. c. P. I. c. 6. p. 241 ſeqq.

m) Ibid. §. 7. p. 254.

n) L. XXXIII. c. 2.

thecis ſeruari videmus, quae tamen Graecorum magis, quam Aegyptiorum ſuperſtitioni adſcribenda ſunt, et a Graecis ad Aegyptios delata auideque pro more recepta ſunt.

pag. 280. lin. 12. 13. *Magiae et medicinae natae additas eſſe e religione vires.* Probe hanc PLINII obſeruationem tenendam eſſe putamus, in decernendo magiae vſu medico. Patet enim, ad religionem Aegyptios ſacerdotes, quotquot curae ſanitatis ſe dicauerant, quod certum aliquod eorum genus, certamque familiam fuiſſe, conſtat, ſuum medendi genus retuliſſe, cum e contrario vulgus medicorum ex formulis a maioribus acceptis morborum remedia praeſcriberent. Illud itaque ſacerdotum Aegyptiorum ſtudium medicinae, non phyſicum fuit, ſed magicum, et numinum inuocationibus, luſtrationibus, herbis ſacris, et fortaſſe imprecationibus quoque, morborum auerruncandorum, conſtitit. Talia enim de Iſide promiſiſſe Aegyptios luculentus locus DIODORI euincit, qui de hac re ita *): *Iſin multa ſanitati hominum pharmaca inueniſſe, tradimus, vtpote quae ſcientiae medicae fuerit peritiſſima, adeoque multa ſolerter excogitaſſe. Quam ob cauſſam nunc quoque ad immortalitatem elata, ſanatione hominum maxime gaudeat, et inſomnis, ſi quis opem petierit, manifeſtam numinis praeſentiam promtamque indigentibus bene merendi facultatem exhibeat. Ad demonſtrandum hoc vſque ſe, aiunt, non Graecorum more fabularum vanitatem, ſed factorum euidentiam. Nam totius prope orbis teſtimonio ſe niti, qui effuſis Deam honoribus ob praeſens in medicando numen, remunerentur. In ſomnis enim adſiſtentem aegrotis remedia contra morbos ſubiicere, eique morigerantes nec opinato conualeſcere. Multos etiam a medicis* (vulgares et profanos intelligit) *propter morbi difficultatem deſperatos ab hac auxilium accipere, plurimos oculis prorſus captos, aut alia corporis parte mutilatos, ſi ad Deae huius opem confugerint, in priſtini vigoris integritatem reſtitui. Inuenit illa, inquiunt, pharmacum immortalitatis, quo filium Horum Titanum inſidiis oppreſſum, et mortuum in aquis inuentum, non tantum, reddita anima, in vitam reduxit, ſed etiam immortalitatis participem fecit. Hic vltimus Deorum poſt parentis Oſiridis ab hominibus translationem regnaſſe videtur: Horumque interpretantur Apollinem, qui medendi et vaticinandi artem ab Iſide matre edoctus, oraculis et medicationibus bene de mortalium genere meritus eſt.* Facile ex hoc luculento Diodori loco perſpiciet lector, eum de illis temporibus loqui, quo Graeca medicina ad Apollinem et Aeſculapium relata, in Aegypto obtinuerat: hoc enim tempore demum famam medicinae Aegyptiacae inualuiſſe ſupra ex Hori et Serapidis cultu iatrico demonſtrauimus, adeoque vetuſtiſſimae Aegypto hanc magicam vel religioſam medendi artem tribuere non audemus. Aſt apparet quoque ex hac hiſtorici, Graeca, more ſuo cum Aegyptiis ſaepe miſcentis, narratione, eo tempore, quo Serapidis medicina, quae tota ſacra fuit, viguit, hanc medendi ſpeciem ad Iſidem quoque matrem

*) Bibl. L. I. p. 22.

Digitized by Google

trem fuiſſe relatam, et in hoc quidem rei articulo Aegyptios ſacerdotes ſuam medicinam tanquam diuinam, diuinisque auxiliis efficacem, artificioſae Graecorum medicinae oppoſuiſſe, vt, quam gloriam feliciter tractatae artis ſalutaris Graecia ipſis eripiebat, magico ſacroque cultu ſuis vindicaret: quod recte dixit Plinius, magiae et medicinae natae additas vires e religione. Quae ideo hic monenda nobis viſa ſunt, ne gloriam medicinae inuentae ad antiquiſſima Hermetis primi tempora trahamus, et ita in ineluctabilem ἀσυζάτων chronologicorum ſyluam implicemur, e qua nemo ſe extricare poteſt, quod accidiſſe eruditiſſimo *hiſtoriae medicinae* ſcriptori Io. Henr. Schvlzio [p] dolemus.

pag. 287. lin. 15. *Deos offendimus, ex hominum genere natos atque mortales.* Communis haec et vulgata plerorumque virorum doctorum, non recentioris tantum aetatis, ſed et vetuſtioris, opinio eſt, Aegypti Deos maiores, Oſirim, Iſidem, Ammonem, Horum, Vulcanum, Herculem, Pana ſimilesque homines fuiſſe primo ex hominibus prognatos, ſed deinde propter inſignia merita, et collata in humanum genus beneficia, in Deorum cenſum relatos eſſe. Quod vt de Graecis facile probari poteſt, ita myſteriorum quoque Aegyptiacorum arcana et interior ratio fuiſſe, plerisque viſa eſt [q]. Non digrediemur ad ea veterum loca, inter quae Euſebii eminet, ad quem ſuo loco cum aliis prouocauimus, qui eandem originem idololatriae Aegyptiacae tribuit. Alii e contrario a Graecis ſeductos eſſe, qui anthropolatriam apud Aegyptios introductam, aſtrolatria antiquiorem faciant, et hanc prima idololatriae fundamenta exhibuiſſe contendunt. Quam imprimis ſententiam poſt Schvckfortvm [r] pulchro eruditionis apparatu defendere ſuſcepit Iablonskivs [s], qui non tantum hominum cultum religioſum multo iuniorem putat, cultu ſiderum apud Aegyptios, ſed apud eos quoque veros natales idololatriae, aſtra pro numinibus habentis quaerendos eſſe longa diſſertatione demonſtrare conniſus eſt. Eandem tibiam inflauit eruditus *concordiae naturae et ſcripturae auctor*, peculiari digreſſione de Diis hominibus, cui veriſimile eſt, poſt euaneſcentem paulatim ſummi numinis cultum, hunc, qui prius cum cultu ſiderum iungebatur, ſerius exortum, vt, qui magnis beneficiis humanum genus affecerant, in Deorum numerum cooptarentur. Non eſt huius arenae, de hac quaeſtione longam diſceptationem inſtituere, et quae pars ſequenda ſit, in hac ſupplementorum ſylloge operoſe oſtendere. Facient id illi, qui theologiae hiſtoriam explicant, ad

p) Period. I. Sect. I. c. 2. §. 19. ſeqq. p. 20 ſeqq. Ita vero concordia iniri poteſt, inter eos, qui medicinam Aegyptiorum magicam tantum fuiſſe contendunt, inter quos eſt Schvckford. Conn. V. T. Vol. I. p. 208. cum iis, qui eam medicam et empiricam fuiſſe, affirmant, quod prolixe tuetur Warburton. leg. Moſ. Vol. II. p. 39 ſeqq. vtraque enim pars ſuo modo verum ſectatur et cum laruis pugnat.

q) Conf. Byblius apud Evsseb. praep. ev. L. I. c. 9. p. 33. Diodor. L. I. c. 8. Mosheim. ad Cvdworth. p. 247. Auct. hiſt. vniu. T. I. §. 510. p. 428. Baumgarten. ad h. l. n. 303. et plerique alii.

r) loc. cit.

s) l. c. prol. p. 86 ſeqq.

quorum cancellos argumentum proprie pertinet. Non tamen inuidebimus lectori Iablonskiana argumenta *f*, quibus communem sententiam, praecipuum obiectum cultus religiosi Aegyptiorum fuisse homines, post mortem honoribus diuinis donatos, falsitatis conuincere aggressus est, vt ea cum illis, quae nos olim, communem sententiam secuti scripsimus, possint conferri, et imprimis, quomodo in hac controuersia modus et limitatio ex nostra opinione possit adhiberi, constet. Hunc enim virum doctum, ob eruditionem et accurationem, prae reliquis audiendum esse, lubenter fatemur *t*, ast examinandum, vt rei probabilis existat sententia. Maximum atque primum argumentum auctor laudatus in eo ponit, quod omnis illa ἀνθρωπολατρεία Aegyptiis praeter rem afficta, Graecis debeatur, qui mysteriorum suorum ad defunctos praeclaros homines olim relatorum memores, more suo Aegyptiae religionis cultum cum mysteriis suis confuderunt, cum tamen longe inter se differre, sit in propatulo: quo pacto narrationem quandam Leonis Sacerdotis Aegyptii, ad Alexandrum M. qui epistolam ad matrem perscripsisse dicitur *u*, in qua satis clare dicitur: maiorum etiam gentium Deos, quos Varro conatur ad mundi partes siue elementa transferre, homines fuisse, falsitatis arguit. Quam epistolam ab homine Christiano quodam pia fraude confictam ex eo potissimum caute suppositionis suspectam reddit, quod ad talia DD. ecclesiae νοθεῖας valde suspecta soleant prouocare, nec de mente Aegyptiorum adeo fuisset disputatum, si res ita clare se habuisset, ad quam tamen nemo veterum prouocauit. Quod ratiocinationis robur, an satis validum sit, ad hunc praecise testimonii locum elidendum, lectori ratiocinandi regulas edocto discernendum relinquimus. Et eandem fere responsionem contra Eusebii testimonium obiicit, cuius auctoritatem non quidem vilipendet, sed opinioni praeiudicatae litauisse contendit: id quod nobis videtur quaestionis principium petere, de qua proprie disceptatur. Verum Ipsos quoque Graecos in consilium aduocat, saltem veteres, et imprimis Herodotum, testatos, barbaros non, sicut Graecos sentire, Deos ex hominibus esse genitos: id quod obscuro, si fatendum quod res est, Maximi Tyrii loco *v* confirmat, vno Herodoti loco *x* munitus, quo testatur, νομίζουσι δ' οὐν Αἰγύπτιοι ἐδ' ἥρωσι ἐδέν, *Aegyptios heroës nullo cultu prosequi*, neque posse produci a primo rege vsque ad Vulcani sacerdotem, quo vllus Deus forma humana extiterit, neque etiam vel prius, vel postea in regibus Aegypti extitisse quendam, qui Deus fuerit, qualia apud hunc scriptorem loca plura occurrunt, quibus ad originem diuinam genealogiarum Aegyptiarum prouocatur, quae apud ipsum legenda sunt. Idem vero ex dynastiis quoque Manethonis ostendere satagit, qui regnum

f) c. 10. p. 168 seqq.
t) Proleg. §. 18 seqq. p. 36 seqq.
u) Memorat eam Avgvstinvs de ciu. Dei L. VIII. c. 1. quibus addi solet locus Cypriani de idol. vanit. p. 12. atque Minvcii Fel. in oct. c. 21. Athenagorae apol. p. 31.
v) Diss. XXXVIII. p. 455.
x) L. II. c. 50.

Digitized by Google

gnum Deorum et Semideorum a dynaſtiis hominum diſtinguit. Cum vero dynaſtiae hominum incipiant a Mene, qui conſenſu omnium, primus ex Chami poſteris in Aegypto regnauit, ſiue is ſit Chamus ipſe, vti nonnullis placet, ſiue Miſraimus, Chami filius, quod plurimis videtur, aut nepos, quod vero videri Noſter putat ſimilius, neceſſario ſequi, Deos eorumque regnum antecedere regnum primorum Chami poſterorum, ac plane ſupra diluuium collocandum eſſe, ſicque Manethonis dynaſtias ex veteribus concepiſſe omnes, Africanum, Euſebium, Syncellum. Monet quoque vir doctiſſimus, et ad circumſtantias omnes attentus, non poſſe ex regibus Aegypti oſtendi Menem quenquam, in quem omnes illae ſacerdotum fabulae de Iſide, Oſiride, Horo et Typhone, vere et recte quadrare poſſint, nec poſſe oſtendi regem alium, cui omnes illae de Oſiride fabulae conueniant, cum eis inſint multa, quae hiſtorice et proprie accipi nullo modo queant, quamuis ad has fabulas multa poſtea acceſſerint aeui poſterioris. His potiſſimum rationibus ductus vir doctus more ſuo luculenter et diſerte totam hanc cauſſam enarrat, in id potiſſimum intentus, vt demonſtret, Graecorum maxime Alexandri M. diuinitatem affectantis in gratiam, plaudentibus Ptolemaeis, iſta recentiori aeuo fuiſſe excogitata, vt ſpem haberent, fore, vt olim et ipſi Anubis vel Oſiris euadant. Quae omnia a viro diſerto et acuto eleganter dici, et non ſine veriſimilitudine, non negamus, ἀκμὴν tamen ratiocinandi, vimque illam inferendi, qua veritas concluditur, et auctoritatem teſtimoniorum, merito deſideramus, et a poſſe ad eſſe eum concludere tantum, manibus palpamus, certe euidentibus veterum teſtimoniis et concatenatae Aegyptiorum traditioni contraria affingi, et non niſi obtorto collo accomodanda nobis videntur. Expendat haec lector, ſi velit, certe id tamen nobis reſtabit, cultum quendam magnorum hominum, ſed diuinitatis numine repletorum, ex confuſo et incerto traditionum fonte Aegyptios ad theologiam ſuam traxiſſe, certiora vero dari non poſſe, cum nec Graecorum hominum fides ſatis certa atque tuta ſit, nec inter ſe cohaereant traditiones Aegyptiae, ex quibus, quantum quidem videmus, certum ac definitum exſculpi poteſt nihil. Longius procedit WACHTERVS [y], et Aegyptios multa ſaniora praecepiſſe non ſine quadam confidentia aſſerit, qui tamen, cum nudas ſuſpiciones attulerit, eas tuto lectori ponderandas relinquere poſſumus.

pag. 287. lin. 29. *Diuinum in iis genium vel potius partem diuinitatis, quae omnibus rebus ineſt, reſidere.* Supponit haec aſſertio opinionem vetuſtiſſimam totius fere mundi priſci, diuinitatem ſummi numinis per omnes mundi partes diffuſam atque emanantem ex primo omnium rerum fonte, omnibus diuinitatis partem, ſecundum leges atque ordinem emanationis, tribuiſſe [z]. Hoc enim ſuppoſito axiomate recte inde fluit, Iouem eſſe

y) l. c. c. 10. §. 3. p. 169 ſeqq.

z) Hunc Amun ſiue Ammonem Aegyptiorum eſſe recentiorum, Plutarchi et Iamblichi auctoritate probare fatagit WACHTERVS l. c. quocum concinit SCHVBERTVS hiſt. phil. c. 2. §. 125. p. 216. fieri id autem contra ſententiam Aegyptiorum,

omnia, quaecunque videmus: quod dogma, ſano primum, a patriarcharum aetate, ſenſu intellectum mox nefandae ſuperſtitionis et enthuſiaſmi abundantiſſimam ſcaturiginem extitiſſe, vniuerſa theologiae barbaricae hiſtoria loquitur. Itaque probe tenendum eſt, quod hoc loco diximus, et velut clauem vniuerſae theologiae Aegyptiacae praeſuppoſuimus, diuinitatem, numenque aliquod per vniuerſum mundum diffundi, cuius partes ſiue effluuia (emanationes malumus dicere, ne materiales conceptus ſubrepant) ſe toti mundo variis modis gradibusque inſinuent, et diuinitatis participationem quandam in mundi partibus conſtituant. Et hanc quidem de ſupremo numine ſapientiam tenuiſſe vetuſtiſſimam Aegyptum, dubitandum non eſt, cum ſine ea tota huius gentis theologia ſibi non conſtet, ea admiſſa omnia recte cohaereant, vnde velut clauis quaedam Θεολογουμένων huius gentis adhibenda eſt. Non prouocabimus ad recentiores, Graecosque teſtes, Plutarchum, Porphyrium, Iamblichum, Clementem Alexandrinum ſimilesque [a], qui Aegyptiacas traditiones et doctrinas, Pythagoricis et Platonicis placitis commiſcuerunt, et aperta recentioris aetatis dogmata veteribus Aegyptiacis admiſcuerunt: hi enim ὀρθοδοξοτέρως nobis theologiam veteris Aegypti deſcribere quam res patitur, et reuera fuit, omnino credi debet, ſed ad ipſam vetuſtiſſimi orbis traditionem patriarchalem lectorem dimittimus, quae nobiliſſimum dogma per vniuerſas gentes naſcentis et adoleſcentis mundi initio diſperſit; id quod de ipſa Aegypto luculentis rationibus confecit IABLONSKIVS [b], qui multa docte de hoc argumento cumulauit. Et hanc quidem naturam diuinam Cnephi vel Cnuphi nomine ab Aegyptiis praedicari, dubium non eſt [c]. Quo pacto ex Athearum gentium numero Aegyptios eximendos eſſe conſtat, cauendum tamen, ne orthodoxos ſenſus, quales pura, quae inter patriarchas conſeruata eſt de Deo ſententia ſeruauit, huic dogmati Aegyptio attribuamus, quae ex dictis ſuo loco iam fuſius diſcenda ſunt. Ex his vero duo nobis momenta memorabilia non praetereunda eſſe videntur, nempe, I. inuiſibile numen, naturamque diuinam, Aegyptiis per omnem mundum diffuſam ignis aeterni diuini ſpiritusque illius loco fuiſſe, qui intus alit mundi molem, mentemque totam infuſam per artus agitantem [d], et toto ſe corpore miſcentem, vel quod Bitys propheta Aegyptiorum vetus, teſte IAMBLICHO [e], dixit, *τὸ τῦ Θεῦ ὄνομα τὸ διῆκον διὰ πάντων τῦ κόσμυ, nomen illud Dei, quod omnia peruadit, et totum mundum permeat*, qua deſcriptione quoque PSEVDO-HORAPOLLO vſus eſt. De

ptiorum, qui hunc eſſe ſolem dixerunt, opificem v. ſummum Phthan nuncuparunt ſatis clare docuit IABLONSKIVS panth. P. I. L. II. c. 2. pag. 157 ſeqq.

a) Attulit iſta loca PLVTARCHI, IAMBLICHI, DAMASCII Ven. SCHVBERTVS, l. c. p. 217.

b) Proleg. p. 47. Panth. P. I. p. 82 ſeq.

c) Eundem eſſe cum Vulcano ſupra iam monuimus, inde Aegyptiis eſt ingenitus, aeternus, immortalis, optimus, opifex mundi, omnium cauſſa, quorum teſtimonia vide in Pantheo P. I. c. 4. § 1-7. p. 81-95. quo loco etiam corruptae Iamblichi aliorumque Graecorum interpretationes oſtenduntur. Dictus etiam interdum Ichthon, id eſt, ſpiritus vniuerſi, habebatque ſymbolum ſerpentem.

d) VIRG. Aeneid. VI. 726.

e) Sect. VIII. c. 5.

Digitized by Google

De quo dogmate diligenter expendenda ſunt, quae de Cnepho, ſpiritu aethereo diuino, qui ſe toti mundo immiſcet, totum permeat, totam molem informat, cunctaque quae in eo ſunt, influxu ſuo vegetat, omniumque prima cauſſa eſt, IABLONSKII diligentia coaceruauit [f]. II. Emanationes ex hac mundi anima, (vtamur pace lectoris termino Graecae theologiae, vt rectius intelligamur) quae diuinitatis eiusdem partes eſſentiales ſunt, ſed ex ea egreſſae partibus mundi omnibus ineſſe, adeſſe, replere, regere, perficere, et hoc pacto cum mundo materiali, vnum totum conſtituere. Quo pacto non potuit non duplex cultus diuini genus oriri, vnum diuinarum iſtarum ex mente vniuerſi emanationum, vel, ſi mauis, partium intellectu tantum comprehendendarum et aſſequendarum, ſiue, vt Platonicis vocibus ſcholae Alexandrinae vtamur, νοητῶν, alterum ſenſibus expoſitorum et per mundi partes nobiliores, praeſertim coeli aſtra et hominum genus conſpicuorum, αἰσθητῶν, in quo tanquam ſedibus ſuis iſtae diuinitatis emanationes ſuum numen, praeſentiam et operationem demonſtrent [g]. Qualem theologiam toti orbi vetuſtiſſimo placuiſſe, ex inductione theologiae celebriorum gentium poſſet confirmari, ſi locus hic eſſet. III. Facile hariolabitur lector, qui in veteri hiſtoria naſum habet, ex vno hoc fonte aſtrolatriam pariter atque anthropolatriam potuiſſe oriri, reueraque ortam vtramque inter omnes fere veteres gentes: nempe cum viderent, ſolis, lunae, planetarum, reliquorumque ſiderum irradiationibus cuncta viuere, moueri, creſcere, bonisque terram repleri, huic planetarum a ſummo numine inhabitatarum influxui id adſcribebant; quo pacto inſignis ille ſiderum cultus apud Aegyptios inualuit, quo totum pantheum Aegyptiacum Iablonskianum repletum eſt, cum colendis maxime ſolis lunaeque numinibus, ad inſaniam vsque efferbuerunt. Sed mature quoque cum his, et fortaſſe ſimul alter numinum ſiue emanationum diuinarum illarum cultus ſurrexit, quo credebant, eiusmodi diuinae animae partem emanatiuam quandam per humanum genus diffuſam, certis corporibus ſe inſinuaſſe, indeque exorta illa numina, quae ſub Deorum, ſemideorum, Cabirorum ceteraeque turbae diuinae nomine Aegyptios coluiſſe conſtat. Horum enim aetas, cum in tempora antediluuiana incidat, a quibus Chami, primi Aegypti incolae, poſteri

f) Probe notandum eſt, ignem, nempe mundanum, a quo omnium generatio atque incrementum dependet, Vulcani nomine Aegyptios tanquam ſupremam omnium cauſſam fuiſſe veneratos. Quem recte explicuit Panthei auctor P. I. p. 50. eſſe mentem aeternam, ignem ſubtiliſſimum et puriſſimum aethereum, omnibus planetarum et ſtellarum orbibus ſuperiorem, ex quo animae auulſae in terram delabantur, et in quem, poſt certum definitum tempus relabentur. Hoc, recte aſſerit laudatiſſimus auctor, Stoici, addere poterat Pythagorei qui ex Aegypto id acceperint, ita docebant in vniuerſum Orientales, Gnoſtici, addere poterat Cabbaliſtae, totaque Orientis philoſophia.

g) Adhibuit hanc diſtinctionem, a Platonicis ſumtam, ſed cautius explicatam IABLONSKIVS prol. §. 21 ſeqq. p. 43 ſeq. tanquam clauem, qua totum cultus Aegyptiaci ſacrarium poſſit recludi. Eius poſtea pleniorem vſum in Aegypto ſibi arrogarunt Cabbaliſtae, et philoſophi Orientales, quo pacto Zoroaſtriana et Hermetica iſto vinculo mire ſibi inuicem iuncta ſunt: quod ad intelligendas origines philoſophiae Orientalis, quam viri quidam docti, neſcio, qua ex cauſſa, videre noluut, omnino notari nobemus.

posteri nimis erant remoti, mirum non est, cum de antediluuianis tyrannis, quos nobis sacra Moysis historia memorat, nonnullos tantum rumusculos per traditionem accepissent, incertos eos fuisse, num aut homines diuino numine plenos fuisse, credendum sit, an naturas medias, diuinasque personas quasdam humanis formis amictas, incertam autem et fabulosam factam esse historiam illam omnem. Quae parca manu data, cum luculenter ostendant, non astrolatriam tantum, sed et anthropolatriam, at iustis terminis definitam simul stare potuisse, inanem atque inutilem disputationem esse, putamus, quae inter vtramque prior extiterit, cum sine dubio vtraque ex eodem fonte sit enata; quare ea diluuii inundatione in obliuionem traducta, moxque a Noachi posteris resuscitata atque fabulis et symbolis ornata aequalem natiuitatem vtraque habuisse videtur: ita tamen, vt nescirent, quid de istis numinibus inter homines versantibus, proprie sit dicendum *, cum e contrario astrorum cultus omnibus fuerit planus et euidens, quam tamen coniecturam nostram lectoris industriae altius ruminandam atque examinandam relinquimus. Illud autem certum ex dictis, vtriusque superstitionis cultum esse antiquiorem eo tempore, quo ab Aegyptiis sub rege Assi, qui sextus ex pastoribus fuit, annus, adiectis ad CCCLX. diebus quinque, ad solis cursum emendatus est. Cuius opinionis nulla verisimilitudine se commendantis colorem quaerit SCHVKFORTVS [i], quia teste PLVTARCHO [k] Aegyptii crediderint, liberos Rheae, Osirin, Isidem, Orum, Thyphonem et Nephthen in diebus illis ἐπαγομένοις natos esse, quibus illi ideo antiquiores esse non potuerint. Id quod parum roboris habet, cum clare pateat non de naturali horum numinum ortu, sed de mythologico, sermonem eo loco esse, illosque in systemate planetarum nouum quasi locum, nouamque natiuitatem accepisse. Certe ad vetustiora tempora, quam istam Isidem retulisse veterem Aegyptum ex eo colligi potest, quod stelis inscriptum fuisse DIODORVS testatur, Isidem caniculae astro ineſſe: stelae autem longe antiquiores fuerunt, quam ista anni dierum multiplicatio. Reliqua, quae frigida satis affert vir eruditus, ex dictis responsionem accipiunt.

pag. 287. lin. 8. *Neitha Dea ad summum et vniuersale numen applicari nequit.* Fuit hoc numen ex illis, quae mascula, foeminina Aegyptiis habita sunt, cuius rationes exponit PLVTARCHVS, vbi inscriptionem templi Saithani indicat, ad quam hoc loco CVDWORTHVS prouocat, ex quibus patet, Neitham, quam Mineruam Graeci dixere, cum rerum natura coincidere, spiritumque denotare, omnem mundum peruadentem, vnde haud raro pro Iside, interdum pro Phtha poni obseruauit IABLONSKIVS [l], qui multa erudite de hac re cumulauit: quae cum Mos-

*) Conferendus tamen locus CLEM. ALEXANDR. L. I. Strom. p. 131. ex quo patet dictas esse ψυχὰς ἀγαθὰς, conf. WACHTERVS l. c. p. 87. qui Hebraeos quoque, nescio qua verisimilitudine huc aduocat.

i) l. c. L. VIII. p. 200.

k) De Iside et Osiride.

l) P. I. p. 65. 70. 76. 78. P. I. p. 23. 40. qui c. 3. integro res huius Deitatis expoluit. Monendum autem est, Naitham Saitanorum in Aegy-

Digitized by Google

Moshemianis obſeruationibus comparanda ſunt, vnde patebit, nec Nelthanum quidem cultum ad hanc Platonicorum Deorum ſubordinationem poſſe trahi, eosque in hoc dogmate Aegyptiaco illuſtrando peregrina ſuppoſuiſſe.

pag. 291. lin. 1. *Caput demum extollente Platonica philoſophia Aegyptus temuit.* Hoc ex iſtis teſtimoniis apertum eſt, ad quae prouocat Cudworthus, et qui alia ὑφοδοξώτερα Aegyptiis affricant. Qualem principiorum diuinorum explicationem cum nobis iisdem auctoribus propinet eruditiſſimus SCHVBERTVS [l], vehementer miramur, virum perſpiacem, et qui probe vidit, verum eſſe quod MOSHEMIVS [m] iudicauerat, materiam rerum omnium ex Deo ſeu ex ipſa diuina eſſentia emanaſſe, exque hac Deum omnes poſtea finxiſſe rerum formas, potuiſſe tamen fidere Platonicis, maximeque Iamblicho, et naeniis Alexandrinis decipi, vt materiam quoque ſicut reliqua a Deo productam aſſereret [n], nempe inani illa diſtinctiuncula adhibita Deum materialitatem ab eſſentialitate ſubcidiſſe [o], cum tamen materia, quae ex Deo emanationis lege proſiliit, in ipſa Dei natura fundamentum atque radicem, id eſt, eſſentialitatem habeat. Ita quidem Platonici ſequiores, ſed parum ad mentem philoſophorum Aegyptiacorum, qui materiam cum Deo arctiſſimo vinculo copulabant, et in eo radicabant: vnde recte paulo poſt V. C. monuit [p], fidem Platonicis habendam haud eſſe, cum ſatis conſtet, ineptos teſtes eos eſſe doctrinae antiquae.

pag. 291. lin. 28. *Rationem cohaerentem de Iſide et Oſiride dare queant.* Pulchre obſeruauit IABLONSKIVS [q] Iſidis numen, temporibus Ptolemaeorum, vultum habitumque graecanicum ſenſim induiſſe, et ipſos ſacerdotes Aegyptios ea tradere coepiſſe, quae de natura diuina docuerant in Graecia Pythagoraei, Platonici et ex parte etiam Stoici, quo pacto theologia Aegyptiaca ad ingenium theologiae Graecanicae, tum phyſicae, tum mythicae, tum denique politicae, ſe ſemper magis attemperauit. Hoc ex illis locis conſtare poteſt, quibus Iſis [r] velut *natura rerum parens, elementorum omnium domina, ſeculorum progenies initialis, ſumma numinum, regina manium, prima coelitum, Deorum Dearumque facies vniformis*, etc. commendatur, vbi prudentiſſima theologiae Aegyptiacae interpretis obſeruatio eſt: *priſcas genuinas theologiae Aegyptiacae de Iſide traditiones fabuloſas, quae doctrinam ſacerdotum phyſicam occultabant, poſtea a Grae-*

Aegypto inferiori numen fuiſſe eodem fere loco habitum, quo Memphitae, ſuperioris Aegypti incolae ſuum Vulcanum ſeu Phthan habuerunt. Hanc Mineruam Aegyptiorum, id eſt, ſapientiam numinis omnibus prouidentem caue confundas cum Minerua Graecorum: Illa enim ad conceptum ſpiritus aeterni, ignis mundani pertinet, ipſeque ſpiritus aethereus, diuinus, infinitus eſt.

l) Hiſt. philoſ. c. 2. §. 121. p. 215 ſeqq.

m) Ad Cudworth. p. 591.

n) Aliud autem eſt in coſmogonia produci, aliud emanare.

o) Excogitauit eam Iamblichus, cuius hac de re naenias dudum T. II. p. 455 ſeqq. ſtigmate notauimus. conf. quae T. I. p. 299. dicta ſunt.

p) pag. 228.

q) P. II. ſ. I. III. c. 1. p. 24 ſeqq.

r) Sunt verba APVLEII metam. L. XI.

a *Graecis variis modis interpolatas nouisque acceſſionibus auctas fuiſſe: eas vero a genuinis traditionibus allegoricis, vti e manibus ſacerdotum primitus exierunt, ſemper diſcernere, rem eſſe altioris indaginis, vnde ſuadet, ea quae de Oſiride, Horo et Typhone dixerat, cum his comparare;* fateturque quo erat candore, *eſſe fabulas de iis alias, quarum rationem ita facile reddi non poſſe auguretur, cum doctrina ſacerdotum Aegypti de Diis ſuis arcana omnique niſu occultari ſolita, tota et in omni ſuo nexu cognita et perſpecta nobis non ſit.* Quae vt ſunt veriſſima, ita cur in explicatione theologiae Aegyptiacae, cauto et prudenti modo inſtituta vbique aqua interpretibus haereat, mirandum non eſt. Speramus tamen dediſſe nos ſuo loco talem explicationem, quae cum toto theologiae Aegyptiacae ſyſtemate poſſit conciliari, modo tempora diſtinguantur et Graecanica interpretamenta, et ex parte orientalia, quoque ab Aegyptiacis antiquioribus diſtinguantur, quod in tantis huius argumenti tenebris ſatis eſſe praeſtitum putandum, nec aliud expectandum eſt, niſi vel Graecorum vel noſtri quoque ingenii ſomnia populo antiquo velimus tribuere.

Ib. lin. 33. *Haec valde accedere ſi non Spinoziſtico ſyſtemati, Stoico tamen, non multum melioris notae.* Ita quidem cenſendum eſſe putamus, ſi de ea theologiae Aegyptiacae aetate eiusque explicatione iudicandum eſt, quo Orientale Perſarum dogma de duplici principio rerum, luce et tenebris, ſiue materia magis tenebris oppreſſa ad Aegyptium ſyſtema alterandum nouoque habitu incruſtandum adhibitum eſt; non vero de antiquiori, quod Emanatiuum ſyſtema ſecutum eſt, quodque ſuo modo a Stoico, et imprimis a Spinoziſtico longo interuallo eſt remotum. Iubemus autem eum hoc ſyſtemate Aegyptiaco Orientale comparare, vnde maiorem rei obſcuriſſimae lucem orituram eſſe, confidimus, praeſertim, ſi doctrina de Typhone, prout p. 292. monuimus, ſimul in conſiderationem trahatur, ex qua lux ingens dogmati Aegyptiaco de Oſiride, Iſide et Typhone atque Horo poteſt accendi. Ad quae ſi recte attendatur, facile poſſunt euitari ineptae explicationes recentiorum quorundam, qui nouas nobis horum myſteriorum explicationes obtrudunt, qualis illa eſt, quam ingenioſus *hiſtoriae coeli* auctor DE PLUCHE nobis enarrauit: quae vt ad aſtronomicas et geometricas rationes terrae Aegyptiacae omnia redeunt, ita, ſi audienda ſunt, tantum de externo ſyſtemate planetarum, et theologia ſiderali Aegyptiorum poſſunt explicari: quo in argumento autem Iablonskiana lumina Pluchianis praeferenda eſſe, quilibet rerum intelligens facile deprehendit [r].

pag. 293. not. o. *Forte ex ſacerdotibus Aegyptiorum quidam ita inſtituerunt, poſtquam Graecorum philoſophiam didicerunt.* Recte hoc, niſi fallimur, nos conieciſſe, comparatio dogmatum Graecorum cum Aegyptiacis nobis

r) Ita tamen vt multa conueniant; qua de re ipſa theologia Stoica comparanda eſt cum Aegyptiaca, qualem T. I. p. 921 ſqq. dedimus, quod feliciter ſuſcepit IABLONSKIVS Panth. P. I. p. 38 ſeqq.

nobis perſuadet. Suſpicio tamen nobis enaſcitur, fundamentum huius explicationis, quam Plutarchus dedit, in ea temporis periodo quaerendum eſſe, qua theologia Aegyptiaca Perſicae magis attemperata, et cum ſyſtemate dualiſtico vno ſub iugo ire coacta habituque Stoico ſimili induta eſt: ita enim Plato quoque, quod ipſe Plutarchus monuit, materiam cum opifice in ſyſtema ſuum phyſiologicum, more barbarorum, quod in Aegypto ſine dubio didicit, tranſtulit, vt inde tertium principium, mundus, tanquam filius Dei enaſceretur. Quae facile potuerunt in Aegypto vetuſtiſſimis fabulis incruſtari, licet vero atque priſco ſenſu longiſſime differrent: ſecundum eundem enim, vi ſyſtematis emanatiui, materia quoque ex Deo effluxit, vel ex ſinu ſuo, Deus, quod Platonicum verbum eſt, eam eiecit, imperfectiones ex natura ſua ſecutae ſunt, vnde Iſis Typhonem fuiſſe perſecutam cum filio Horo, mythologia Aegyptia confinxit: eſt iuxta Platonem tamen materia ab aeterno Deo *συγγενὴς* et oppoſita fuit, quae cum ſyſtemate coſmogonico Aegyptiorum plane non poſſunt conciliari, vnde rectius *πολυθεότης* Aegyptiaca ex anima mundi omnia peruadente, et cum materia copulata vnum totum conſtituente, iuxta ſecundam theologiae Aegyptiacae faciem ad Perſicam adaptatam, quam ex ſolis emanationibus, iuxta vetuſtiſſimam eius doctrinam, poteſt explicari. Ceterum haec omnia non, niſi coniecturis, definiri poſſe, manibus palpari poteſt, quae cum cuilibet liberae eſſe debeant, Lectoris iudicio ampliora permittimus.

pag. 295. lin. 6. *Quod ſacerdotum inuentum fuiſſe videtur.* Pertinet huc narratio CLEMENTIS ALEXANDRINI [f], ad quam ſupra iam prouocauimus, *barbaros κατὰ Πλάτωνα* (id eſt, conſentiente Platone) *exiſtimare, bonas animas, ſupercoeleſti loco relicto, ſuſtinuiſſe, venire in hunc tartarum, et, corpore ſuſcepto, malorum omnium, quae ex generatione contrahuntur, fuiſſe participes, humani generis curam gerentes, quae et leges tulerint et philoſophiam praedicauerint.* Facile haec daemonologia caput potuit attollere, cum animarum origo ex emanatione nobiliore diuina pars eſſentialis theologiae Aegyptiacae conſtitueretur, vnde neceſſario fluxit, non animas tantum, corpore veſtitas, eſſe immortales, ſed daemones etiam ſiue ſpiritus emanatiuos alios aliis diuerſis gradibus eſſe praeſtantiores, et diuinitatis plus, minus participes; alios vero adeo praeſtantes, vt ceteris iuuandis deſtinati et de coelo miſſi videantur: quo pacto non Aegyptum ſolum, ſed et omnem fere orientem et ſeptentrionem ſuam daemonologiam exornaſſe atque incruſtaſſe, hiſtoria philoſophiae barbaricae luculenter loquitur, et ipſum, quod initio tanquam facillimum admittebatur, ſyſtema emanatiuum theologis ſtatuendum ſuppeditauit. Verſari autem daemones iſtos bonos inter homines, beneficii cauſa, et poſt circuitus deſtinatos ad coeleſtes ſedes, ipſumque animarum beatarum fontem rediiſſe,

f) Strom. L. I. p. 131.

Digitized by Google

πολυθρύλητον fuit, vt ſupra iam eſt euictum. Noſtri ſunt MOSHEMIVS [u] et WACHTERVS [v].

pag. 296. lin. 5. *Vt in piorum contubernium recipiatur.* Formulam eiusmodi precum funeralium exhibet PORPHYRIVS [x] ex Euphanto, ſuo loco iam allatam: *Sol omnibus imperans vosque reliquae potentiae, quae vitam hominibus largimini, recipite me, et Diis ſempiternis contubernalem facite.* Vbi imprimis obſeruandum, ad ſolem hanc potiſſimum formulam morientis dirigi, quod credebant, ſolem animas defunctorum attrahere, quam opinionem aliis quoque Homero, Iuliano et ſimilibus adſcribit WACHTERVS [y]. Per ſolem autem non aſtrum tantum ſolis, ſed quae in ea habitat velut in throno atque reſidet potentia diuina, numenque intelligitur, a quo cum animas immitti in conceptione crederent, iuſtum erat, vt ab eo congregari iterum ſibi perſuaderent, quem animi ſtatum μετοίκησιν Graeci, transmigrationem Latini vocarunt. Legenda eſt PLATONIS *hiſtoria mortis Socratis* [z], vt intelligatur, qualem ex hac vita diſceſſum ille in diuturna, apud Aegyptios, mora, didicerit, et morienti Socrati tribuerit. Diligenter tamen cauendum eſt, ne Graecorum, de hac animarum ad beatas illas ſedes translatione, ſententiam cum Aegyptiis confundamus, quae inter ſe comparari non poſſunt, niſi admiſſo ſyſtemate Stoico: cuius tum demum principia in Aegypto recepta ſunt, cum emanationis ſyſtemati dualiſticum modificatum a Perſis Aegypti victoribus, quale Stoicum eſt, ſubrogaretur. In eo enim omnia mirifice conuenire vidit, faſſusque eſt IABLONSKIVS [a] qui refluxum animarum in Deum inde derluat.

pag. 298. lin. 27. *Coſmogonia iam enarranda eſt.* Praeter Deum et materiam in explicando mundi ortu et natura, tertium quoque principium memorari ab Aegyptiis vetuſtioribus videas, quod Athor, Graeci Ἄθυρ vocarunt: quo nomine menſis anni Aegyptiaci quoque a Niligenis vocatus eſt, quod tamen huc, vbi intelligibilia Aegypti veteris principia tractamus, non pertinet, ſed ad explicationem mundi ſenſibilis reiiciendum eſt. Erat hoc numen iſti genti foemininum, bouisque foeminae vel vaccae ſymbolo mythologico deſignabatur; caue vero in eo interpretando Graecis fidem habeas; illi enim cum conuenientiam quandam inter numen illud, ſuamque Venerem ſibi deprehendiſſe viderentur, Venerem quoque iſtam Athor nuncupare non ſunt veriti; quanquam ob eandem cauſſam, Iunonis quoque nomen illi interdum tribuerunt [b]. Sed hi omnes inepti huius principii diuini, numinisue interpretes ſunt, qui deteſtanda curioſitate ſuas religiones cum barbarorum numinibus comparandi et conciliandi totam nobis theologiam perdiderunt, certe innumeris

u) Ad Cudw. T. I. p. 417.
v) Conc. nat. et ſcripr. c. 10. p. 185 ſeqq.
x) De abſtin. L. IV. p. 379. vid. ſupra T. I. pag. 296.
y) l. c. not. d.
z) In Phaedone.
a) l. c. P. I. c. 2. §. 4. p. 55 ſeqq.
b) Vid. IABLONSKIVS pec. obſ. inter Miſc. Lipſ. noū. Vol. VI. p. 5051. quocum conferendum Pantheon L. I. P. I. c. 1. §. 4. p. 5. qui obſeruat, Venerem coelitem interdum nominari.

Digitized by Google

meris difficultatibus obrutam cimmeriis nonnunquam tenebris sepeliuerunt. Ex quorum tamen relationibus cum pleraque haurienda sint, quae de barbarica theologia nouimus, magna animi attentione et circumspectione ad ipsam systematum barbarorum connexionem et constitutionem respiciendum est, nec confundenda vetustissima dogmata cum nugacis Graeciae superstitione, quae heic commodo loco semel monuisse lectorem sufficiat. De hac igitur Athor, quam more veterum Venerem coelestem, licet non Graecanica significatione nominabimus, pulchre et erudite, qui singularem in hoc argumenti genere industriam probauit, saepius ex merito laudatus IABLONSKIVS [c], ex Coptarum, quae Aegyptii vtuntur lingua obseruauit, nomen Athor significare Noctem, erudite autem ex veteri barbararum gentium theologia et imprimis ex cosmogoniis eorum probat, noctem inter praecipua gentium numina locum (addimus fere primum) semper habuisse, et a cultioribus populis propemodum omnibus, impensa religione cultam fuisse; qua de re ne longiora exscribamus vel vna Phoenicum cosmologia, quae Sanchuniathoni tribui solet, testis potest esse luculentissimus. Apud EVSEBIVM enim ille refert [d]: ex Kolpia vento, atque vxore eius Baau, quod interpretantur Noctem, iterum vel Aeona ac primogenitum, mortales vtrumque fuisse procreatos: quae etsi a scriptore ὑπερβολικῶ profecta videri queant, recte tamen Phoenicibus tribui suo a nobis loco [e], de Phoenicum cosmogonia differentibus, obseruatum, noctemque materiam confusam et in Chao incluso spiritu aethereo grauidam designatam fuisse, indicatum est [f]. Praeterimus Graecas cosmogonias inter prima mundi nascentis principia cosmologica noctem nobis enarrantes, qua de re imprimis notabilis locus ARISTOPHANIS [g] considerandus est. Nos ad vnam ARISTOTELIS [h] auctoritatem prouocamus, qui nos olare docuit, Chaos atque noctem esse vnum idemque, nempe principium antiquissimum et omnium prius, ex quo omnia cosmogonia vetus deriuauit. Plura huic argumento lucem foenerantia suppeditat cosmogonia Orphica suo loco [i] fuse explicata. Et hunc eundem in morem Aegyptios statuisse, eo minus dubitandum est, quia cum omnibus fere priscis gentibus tenebras luce esse antiquiores decernebant. Et haec quidem de nocte, primo in cosmogonia principio, cum Aegyptiorum Athor amice conspirant, et eleganter prouocauit vir doctus ad locum HESYCHII [k] tradentis καὶ Ἀφροδίτης σκοτίας ἱερὸν κατ' Αἴγυπτον, *Veneris tenebricosae templum esse in Aegypto;* ob quam noctis imaginem illud numen etiam Hecaten vocarunt, eiusque sacra nocturna fuerunt. Quae omnia, si ex fasciis mythologicis extrices, eo tandem tendunt, antequam aliquid existeret, Chaos fuisse siue statum rerum con-

c) Pantheon P. I. p. 3 seqq.
d) Praep. eu. L. I. c. 10.
e) T. I. p. 240 seq.
f) Conferenda, quae Tom. I. p. 413. 417. de significatione noctis pluribus differuimus.
g) In auibus.
h) Metaph. L. XII. c. 6.
i) T. I. p. 390 seq. sed et omnis de cosmogoniis veterum tractatio huc transferri potest.
k) v. σκοτία.

confuſum et tenebricoſum, facileque euincunt Aegyptiacam coſmogoniam ab aliis veterum barbararum gentium hypotheſibus non diſceſſiſſe, noctique vel confuſo chao, cui inerat materia, rerum omnium grauida primum locum tribuiſſe. Nempe Chaus nondum ordinatae, ſiue naturae in tenebris latentis ſignum Athor fuit, et primum omnium principium Nox. Quae ideo heic paulo prolixius enarranda eſſe iudicauimus, quia ex hoc principio vniuerſali manifeſte patet, materiam a Deo non eſſe creatam, prout ſanctioribus luminibus inſtructus Moſes tradidit, ſed in tenebricoſa Chao illam ab aeterno delituiſſe.

pag. 299. lin. 26. *Emanationem a ſua eſſentialitate ſeparauiſſe.* Haec obſcura quidem fuere haud paucis, qui emanationis ſyſtema non intellexerunt, et nebula eſſentialitatis, vocis abſtractae, et ſi verum dicendum, nihili, decepti crediderunt, nihil aliud dicere Iamblichum, quam Deum materiae ex nihilo creandae, vt ſubiectum rerum eſſet, naturam ex ſe ipſa, eſſentiam ex ſua voluntate dediſſe, talemque ſubſtantiam produxiſſe; quod vero ſyſtemati eclecticorum aperte repugnat, in quo ex nihilo nihil fit, adeoque neceſſario cuncta, quae ſunt, atque ideo ſubſtantiam habent, ex ſuo fonte atque cauſſa materiali fluunt. Quare valde miratl ſumus, acutiſſimum WACHTERVM [1], philoſophiae veteris alias haud imperitum, adeo hallucinari in hoc loco Iamblichi interpretando potuiſſe, vt contenderet, nodum ita ſolui poſſe, vt ἐσιότης non ſit eſſentia, ſed potius ſubſtantia, et materiam a ſubſtantia diuidere, nihil aliud ſit, quam materiam ſubſtantiae expertem producere, quae vt omnibus formis recipiendis apta et idonea eſſet, et naſci ac denaſci poſſet, debuit naturam a Deo accipere incompletam atque indeterminatam, et conſequenter talem, cuius proprium ſit ſemper fieri, nunquam exiſtere. In qua explicatione, etſi verum eſt, aliud eſſe ens immutabile, cuiusmodi ſunt Deus et eius attributa, et mens Dei ac ſimilia, non attendit tamen vir alias ſatis perſpicax, materiae conceptum metaphyſicum, quo materialitatis definitionem explicat, hic locum habere non poſſe, vbi de exiſtentia materiae phyſica eaque ex cauſſa ſua efficiente neceſſaria, ſermo eſt, cum ex nihilo nihil poſſe exiſtere, ſiue exiſtentiam habere, ſit certiſſimum. Quo pacto tota illa explicatio ideali tantum materialitatis conceptu nullibi, niſi in auctoris cerebro, exiſtens, vno ictu corruit. Verum impeditus Wachterus notionibus cabbaliſtici ſyſtematis de materia, quae non-ens eſt, quibusque valde inhaerebat, impeditus eſt, quo minus Iunonem hanc conſpiceret, vnde nebulam pro ea amplexus eſt. Iamblichus enim non aliud dicit, niſi cum cuncta ex Dei eſſentia emanarent, materiam etiam ex hoc fonte proſiliiſſe, ita tamen, vt eſſentialitatem, ſiue perſiſtentiam ex ſe et per ſe atque immutabilitatem ex hoc fonte non acciperet, vt acceperunt ſpiritualia et immutabilia, ſed hanc ἐσιότητα

fons

1) loc. cit. c. 4. §. 7. p. 104.

Digitized by Google

fons ille creator omnium, reſtringeret, ſolamque diuidui naturam materiae relinqueret, vt accedentibus eſſentialibus et in materiam immiſſis, rerum inde formae exiſterent. Quam metaphyſicam nugas quidem nobis occinere non negamus, creationi tamen vel productioni liberae ex nihilo repugnare, nec ad ſyſtema emanatiuum, quod Wachterus vult, applicari poſſe, quilibet videt. Quae adeo clara atque manifeſta ſunt, vt, quamuis Cl. SCHVBERTVS [m], paradoxon axioma ſecutus, putet, illam explicationem ſequendam eſſe, quae ſaniorem reliquis mentem tribuit Aegyptiis, cum longe probabilius ſit, antiquiſſimis temporibus ſaniora et rationi conformia dogmata viguiſſe, quam abſurda et rationi repugnantia, negare tamen auſus non ſit iuxta Aegyptios materiam, in qua omnes rerum formae expreſſae ſunt, per emanationem ex diuina eſſentia, eſſe productam, et cum Deo conſtanter vnitam, ſic, vt diuina ſubſtantia ex tribus conſtet, ſiue aliqua trinitas in diuinitate exiſtat. Quod plus dicit, quam ipſe Iamblichus dicere voluit, qui materiae eſſentialitatem, id eſt, ſubſtantiam ex ſe, denegauit, exiſtentia, ex Dei natura, illi vindicata. Verum in his labyrinthis eclecticorum Alexandrinorum tales Maeandros, a via ſeducentes inueniri, nemo mirabitur. Et haec quidem ita intelligenda ſunt, ſi ſupponimus, vetuſtiſſimos Aegyptios in explicanda coſmogonia emanatiuum ſyſtema ſecutos eſſe, illudque ita intellexiſſe, vt Orphicum Tomo primo explicuimus, quo pacto omnia ſibi clariſſime conſtant [n]. Quod ſi vero ſyſtema coſmologicum Aegyptiorum ab eo tempore conſideramus, quo modificationem et conciliationem cum orientali et imprimis Perſico poſt Cambyſis inuaſionem accepit, totum de materia dogma ita explicandum eſt, prout Stoici illud explicuerunt, quorum ſyſtema coſmogonicum, Aegyptiorum mentem rite et eleganter referre vidit, noſtraeque explicationi ſubſcripſit IABLONSKIVS [o]. Tertia demum explicatio acceſſit, Platonicorum Graecorum ſub Ptolemaeis, qui dogmati ſatis claro in ſe et luculento nugas metaphyſicas adiecerunt, illudque effecerunt obſcuriſſimum, vt ex adducto Iamblichi loco patet.

pag. 300. lin. 30. *Hunc Deum tantum ad Thebanos pertinere.* Non celandum tamen eſt, euidentibus rationibus demonſtrauiſſe IABLONSKIVM, Cnephis ſiue Cnuphis potius nomen in inferiori Aegypto in inſula Elephantine, vbi colebatur, idem ſignificaſſe, quod in ſuperiori Vulcanus, bonumque ſpiritum, vel Deum, ingenitum, aeternum, immortalem opificem mundi deſignauiſſe, adeoque recte ad vniuerſae Aegypti religionem explicandam poſſe trahi. Id quod ad obſeruationem Moshemianam, quam hoc loco ſecuti eramus, illuſtrandam et emendandam, omnino adhibendum eſt.

pag.

m) l. c. p. 224 ſeq.
n) p. 390. quae perſpicuitatis cauſſa cum his comparari velimus. Orpheus enim ſyſtema ſuum coſmogonicum ex Aegypto attulit. o) Panth. P. I. p. 39.

pag. 301. lin. 5. *Num is Orus filius fit nec ne? in incerta ac obſcura re non diſputabimus.* Hori, Oſiridis atque Iſidis filii mythologia apud Aegyptios fuit famigeratiſſima, nec Graecis indicta manſit, qui eum cum Apolline ſuo comparauerunt. Et obſcura tamen eius, nec definita ſatis et explicata eſt ſignificatio, quamuis fabulae argumentum fuſe ſatis PLVTARCHVS [p] explicuerit, vt Diodorum aliosque rerum Aegyptiacarum ſcriptores taceamus. Prout autem vel in ſyſtemate aſtronomico, quatenus ad ſolem referebatur, vel in theologico et coſmologico conſideratus eſt, varias interpretationes paſſus eſt, in quarum veriſimilitudinem more ſuo inquiſiuit IABLONSKIVS [q]. Et de priori quidem ſupra iam dictum, vbi ſolis ſtatum aeſtiuum deſignauiſſe oſtendimus, et cum Harpocrate eundem videri, monuimus. Quid in ſyſtemate theologico indicauerit, definire non licet; mundum intelligi qui Dei filius veteribus multoties vocatur, vix cum iſto ſyſtemate cohaeret, nam ad numina pertinet actiua et in regendo mundo efficacia: vnde nomen accepiſſe videtur, quod actiuitatem valde efficacem ſignificat, virtutem animae mundanae effectricem in ſyſtemate coſmologico indicare, ex PROCLO [r] coniici poteſt, et, niſi nos coniectura fallit, diuinam in regendo mundo prouidentiam influxumque fati lege definitum depingit: quo pacto tota de Horo eiusque matre Iſide fabula mythologice poteſt explicari. Quodſi mentis diuinae operationem in formandis mundi partibus intelligi aſſumamus, ratio quoque coſmogoniae Aegyptiacae, qualem ex Diodoro et Euſebio deſcripſimus, pateſcet. Nomen Aegyptiacum hanc coniecturam valde firmat. Quod ſi admittatur, accuſari cum EVSEBIO aliisque Aegyptii veteres non poſſunt, quod in coſmogonia Deo locum nullum fecerint, ſed ad ſolem, lunam, ſtellas, totam reuocauerint. Qui enim, quae de theologia huius gentis ſupra expoſuimus, conſiderauerit, palpabit, ſine Numine diſponente coſmogoniam Aegyptiorum conſtare non poſſe: quamuis more priſcorum theologorum de Deo altum in mundi origine definienda ſilentium tenuerint. In quo eruditum apologetam acceperunt Aegyptii in CVDWORTHO [s], qui Aegyptios ab hac impietatis macula liberare eſt anniſus, contra nitente CVMBERLANDIO [t], cui alii [u] ſunt adſtipulati. In quibus tamen quandam de verbis pugnam nos obſeruare nobis videmur: de quibus omnibus definite dicere, teſtimoniorum veterum inopia obſtat: quae enim Platonici Alexandrini habent, ſuſpectae ſunt fidei. Quae vero de prouidentia animae mundanae in formando mundo ſuſpicati ſumus, caue aliter accipias, quam Stoici acceperunt, qui fati et neceſſitatis atque naturae legibus eam alligauerunt.

pag. 303. lin. 1. 2. *De cauſſis incrementi Nili nihil reſciuerint.* In omnia alia abit IABLONSKIVS [w] multis argumentis contendens, Aegyptiis ſacerdotibus

p) De Iſid. et Oſir.
q) L. II. c. 4. T. I. p. 201 ſeqq.
r) L. II. in Tim. p. 101.
s) loc. cit.
t) In coſmogon. Sanchun. p. 12 ſeqq.
u) Hiſt. vniu. auctores Britanni, T. I. p. 53. BAVMGARTEN h. l.
w) P. II. L. III. c. 1. p. 13.

Digitized by Google

dotibus vicinis Aethiopiae, huius quaeſtionis ſolutionem non fuiſſe ignotam, et ab iis rem ad Graecos delatam tandem in vulgus exiiſſe, cum antea ſacerdotes, quibus ratio omnis Nilotici incrementi perſpecta erat, eam tamen aliis non ſemper aperuerint, ſed plerosque ratiunculis illis falſis, quas eruditorum in Aegypto vulgus proferre ſolebat et probare, ludificauerit; id rationem myſticae apud ſacerdotes Aegyptios receptae ſecum vexiſſe, et exegiſſe. Non inuidebimus ſacerdotibus Aegypti hanc gloriam, quod veras incrementi Nili cauſas, ventos ſeptentrionales et pluuias in Aethiopia ea de re ſolitas inſpexerint: non difficile fuit, id intelligere, cum mature verae atque phyſicae huius phaenomeni cauſſae inter Graecos fuerint vulgatae. Aſt fatemur tamen, inde parum pro ſapientia Aegyptiorum naturali poſſe probari, qui ſi ſciuerant veras cauſſas, eas aperire noluerunt, quoniam cum myſticis interpretamentis de Nilo, quae fuſe nobis ex antiquitatis latebris eruit IABLONSKII [x] diligentia, conciliare non poterant, et neceſſe habebant, illas pro incertis atque falſis habere, vt doctrinae mythologicae atque myſticae de Nilo ſua certitudo conſtaret atque auctoritas. Quam, cum Graeci valde poſtea contemnerent, vbi ſuo ingenio philoſophari coeperunt, mirum non eſt, eos, quod forte in Aegypto reiici atque improbari crediderant, ipſi curioſa exploratione edocti affererent, quo pacto nihil iuuat famam earum cauſſarum cognitarum Graecos excitaſſe, vt ab Aegyptiis eas diſcerent [y]. Certe mythologicum illud atque ſacrum cunctas res naturales in allegorias religioſas conuertendi ſtudium ita phyſiologiam Aegyptiacam corrupit, vt pauca plane fuerint, quae Graeci in Aegypto didicerunt, qui pleraque ſuo debuerunt ingenio. Quae cum ita ſint, et a veterum rerum haud ignaro negari nequeant, cadunt omnes auctoritates et teſtimoniorum fides, quam vir celeberrimus in contrariam partem adduxit: nec aliam, quae probabilis videri queat, rationem facile excogitare licet, cur adeo arcanam incrementi Nilotici cauſſam Aegyptii ſacerdotes habuerint, quam quod eae ſuae theologiae et originibus regionis ſuae in theogonias conuerſis non quadrarent. Sibi enim Nilum tanquam peculiare numen vindicabant, rati peculiarem Deitatem illi praeſidere, regioni benignam.

pag. 303. lin. 28. *Maxime vero verſabatur aſtronomia Aegyptiorum in diſtributione ſtellarum inerrantium, et praecipue Zodiaci.* Ad haec luculentius intelligenda, totum fere Pantheon Aegyptiacum Iablonskianum inſpiciendum, et imprimis ea conſideranda, quae de θεοῖς αἰσθητοῖς attulit, quos ſenſibiles vocat, quia oculis vſurpari ſenſibusque percipi poterant, elementis nempe et corporibus mundi, ex quibus vtilitatem ſingularem, in terram, quam incolimus, redundare, homines ſentiunt. Poſſumus dicere Deos viſibiles, vt ab inuiſibilibus et qui ſola mentis acie intelliguntur et cernuntur, diſtinguantur. Non repetemus hoc loco quae ſupra de antiquitate

x) l. c. L. IV. c. 1. p. 139 ſeqq. y) PROPERTIVS L. I. eleg. 8.

quitate cultus ſiderum coeleſtium tetigimus, aliique in ſuperſtitionis et idololatriae inter homines hiſtoria enarrarunt: quos omnes in eo conuenire videmus, mox poſt perditam ſanctiſſimorum patriarcharum traditionem ab Adamo acceptam, et factam ſeceſſionem piorum ſiue filiorum Dei a filiis hominum, hos coepiſſe a vero vnius numinis cultu, quod ἀόρατον in profundo latere et comprehendi non poſſe, ſibi perſuadebant, ad creaturas, tanquam Θεὰς ὁρατὰς deflectere, et inter eas illis diuinos honores deferre, a quibus ſibi maxima vitae commoda, terrae prouentus vitaeque longinquae vſum enaſci perſuadebant. Quo pacto magnorum quorundam virorum ingenia, quibus maxima humanae vitae beneficia debebantur, ad hanc immortalitatis gloriam peruenisſe, ſupra iam, quantum ſatis, eſt euictum. Illud autem multo magis euenisſe circa corpora mundi naturalia credendum eſt, quo magis et ſplendor et incorruptus atque permanens ſtatus, et diuina quaedam motuum coeleſtium harmonia et concentus, et influxus in terrae foecunditatem, et, quod propter Aegyptios addimus, Nili fluminis fertilitate beatos, etiam in fluuios et ventos irradiatio et operatio ſupra iſtius aetatis captum fuit, et diuinitatem numinumque in iis habitantium praeſentiam, regimen, et operationem prodere viſa eſt. Quod vt totius antiquitatis prophetico patriarcharum lumine priuatae fatum fuiſſe et veterum gentium origines et ſacrarum paginarum auctoritas demonſtrat, ita non dubitandum eſt, inter Aegyptios, gentem antiquitate nulli cedentem, eadem eueniſſe vnde aſtrolatria Aegyptiaca ante exitum ex Aegypto Iſraëlitis a Deo exprobrata eſt [a], et Ioſephi proregis tempore iam religioſum ſolis cultum viguiſſe, ex indubitatis veſtigiis in hiſtoria originum Iſraëliticarum a diuino ſcriptore eſt proditum, lunae pares honores eſſe delatos, neomeniae et plenilunia tanta celebritate culta, ſatis manifeſtant, vt argumenta ex mythologia gentis deſumta, taceamus [b]. Itaque pro certo habendum eſt, quanquam, verum ſummumque numen, antiquiſſimo tempore in Aegypto, prorſus negatum eſſe, minime conſtet, ſed contrarium eius ſatis certum nobis videatur [c], eo tamen neglecto ſolis atque lunae aſtra locum religioſi cultus occupauiſſe, et paullo poſt reliquorum quoque planetarum, tanquam pediſſequarum, cultum acceſſiſſe. In hoc enim ſeptenario ſacra ſumma iam tum myſteria fuiſſe comprehenſa, innumeris teſtimoniis poſſet probari, niſi otium nobis feciſſet doctorum virorum in iis colligendis induſtria. Quae omnia cum ſua certitudine conſtent, mirum videri debeat, pauca eſſe et non ſatis explicite tradita, quae de cultu ſeptem planetarum apud Aegyptios ſcire intereſt, ipſumque Herodotum, qui in origines, ſacra, hiſtoriam etc. Aegyptiorum tam auide inquiſiuit, et intactum prope nihil

a) Amos V, 25. 26. VII, 49.

b) Conf. Iabl. prol. §. 9. p. 18 ſeq. §. 23. p. 50.

c) Conf. quae de Phtha et Cneph Aegyptiorum ſupra dicta ſunt: ſed hoc numen, vel principium infinitum, latere in chao, ſibi perſuadebant; quod tandem in impietatis neruum erupit, vbi ad mentem ſyſtematis Stoici theologia Aegyptiorum reformari coepit. Vid. ib. P. I. L. I. c. 2, §. 6 ſeqq. p. 38 ſeqq.

Digitized by Google

nihil reliquit, de cultu tamen planetarum, de templis, sacerdotibus atque sacris, nihil quicquam attulisse. Reliqua, quae ab aliis accepta nouimus, et pauca sunt, et incerta et obscura, nec haec Aegyptiorum sacra nobis recludunt [c]. Et legimus quidem luculentum MANETHONIS [d], sacerdotis Aegyptii locum, quem adscribere hoc loco res postulat, qui in *apotelesmaticis*,

Sacra fac Saturno et Marti, et Mercurio et Veneri
Et Ioui et Lunae, et Soli regi.
Hi enim dominantur Diis, dominantur et hominibus
Marique et fluuiis omnibus impetuosis, ventisque
Ac frugiferae terrae et perenni aëri.

Verum dudum obseruatum viris doctis est, doctrinam Manethonis apotelesmaticam multo magis scholas Graecorum redolere, quam adyta Aegyptiorum, et videri non a scriptore Aegyptio, verum Graeco potius, profectam esse [e]. Adeo vero hic planetarum cultus apud Aegyptios, in occulto mansit, vt pleraque eorum nomina hodie ignorentur [f], idque tantum sciamus, singulos planetas alicui ex Diis maioribus fuisse tributos. Ita Saturnus audiebat Tithrambonis stella, Iupiter Osiridis, Mars Herculis, Mercurius Apollinis vel Hori, quemadmodum id nobis constat, secundum potestatem tantum et colorem nomina planetas accepisse, quae et alia ad astronomiam Aegyptiorum circa planetas pertinentia, apud IABLONSKIVM [g] quaerere curiosos iubemus, cuius singularis fuit, in his enarrandis, diligentia. Possent his alia addi, paulo plura de his placitis astronomicis exponentia et imprimis antiquissima inscriptio columnae, quam Saturnus et Rhea insculpi curasse feruntur, his verbis concepta [h]:

Antiquissimus rex omnium Osiris, Diis immortalibus Spiritui et Coelo, Soli, et Lunae, et terrae, et nocti, et Diei, et patri eorum tum quae existunt, tum quae futura sunt, amori;

quae locis haud obscuris THEONIS et EVSEBII [i] possunt illustrari: nisi metueremus, ne Pythagorica, quam haec Octoas aperte prodit, schola pro Aegyptiaca Lectori propinetur [k], quem demonstrandi modum tot scriptoribus consuetum, omnem philosophicae historiae notitiam et verisimilitudinem nobis eripere, quilibet videt. Itaque theologicam atque physiologicam planetarum explicationem, quam sacerdotes Aegyptii nobis inuiderunt, in latebris suis relinquimus, quibus satis est astronomiam

c) Collecta habes et elegenter explicata l. c. P. II. L. III. c. 6. p. 126.

d) Multa pulchra heic cumulat IABLONSKIVS prol. §. 25. p. 54 seqq. quocum comparanda elegans diss. desideratissimi GESNERI eheu! nostri, de laude Dei per VII. vocales, quas peculiari ritu sacerdotes adhibuisse ex DEMETRIO PHALAREO constat, §. 71. p. 235.

e) L. I. v. 203 seqq.

f) Conf. Panth. l. c. P. II. p. 128.

g) l. c. p. 133 seqq.

h) Apud THEON. SMYRN. de musica c. 47. pag. 164.

i) Praep. L. III. c. 9.

k) Fatetur id IABLONSKIVS P. I. c. I. §. 12. p. 18 seq.

eorum tantopere depraedicatam [l], non fuiſſe philoſophicam vel mathematicam, obſeruationibus [m] calculisque inſtructam, ſed theologicam ad ſuperſtitionem fulciendam [n], et ſi quid obſeruarunt, non ad coelum rite cognoſcendum, ſed ad ſuperſtitiones genethliacas fuiſſe adhibitum, quae merito ex philoſophiae circulis eiiciuntur [o].

pag. 304. lin. 7. 8. *Communia tantum naturalis iuris officia exhibent.* Hulus generis omnia fere ſunt, quae DIODORVS [p] tum de iure inter Aegyptios regio, de ordinum regalis, ſacerdotalis, militaris, priuilegiis, de iure agricolarum, paſtorum, et artificum, de iudiciorum forma et iuſtitia, de legum publicarum cuſtodia, de ſeueritate in transgreſſores legum publicarum, et ſimilibus recitat: quae vt omnia naturalis honeſtatis et ciuitatis emolumenti rationibus circumſcribuntur, ita exotericam quandam iuris naturalis deſcriptionem tantum continent, et vt reliquarum gentium humanitatis et ſocietatis indolem ſectantium placita, ex inſitis naturalis iuris principiis enata ſunt. Ea huc transſcribere, cum exoterica, vulgaria, et plebeiis quoque hominibus, quibus nihil cum philoſophia commercii eſt, nota contineant, a noſtro inſtituto alienum putamus, legenda tamen eſſe apud Diodorum, et qui eum exſcripſit SCHVBERTVM [q] putamus, vt, quousque honeſti diſciplina apud Aegyptios pertigerit, cognoſcatur. In quibus tamen miram diſciplinarum confuſionem et imprimis ſuperſtitionis omnia confundentis efficaciam fuiſſe, et omnia inter ſe, ſacra profanis miſcuiſſe, notabilis PTOLEMAEI [r] locus a SELDENO productus [s], quemlibet poteſt conuincere: vnde quae philoſophiae moralis accuratio in tanto ſuperſtitionis imperio potuerit ſubſiſtere, Lectori cogitandum relinquimus, rectequе iam notauit SEXTVS EMPIRICVS [t], qui ideo aſtrologos, magnum inter Aegyptios nomen, reprehendit, *quod magnam vitae humanae inferant iniuriam, et in nobis magnam ſtruant ſuperſtitionem, neque quicquam permittentes agere ex recta ratione.* Ex his de moralis philoſophiae apud Aegyptios charactere iudicandum eſt. Huius autem rationem arcanam inſpicere, quanquam arduum, et in tanta, ſua myſteria occultandi, ſeueritate, pene impoſſibile eſt, videtur nobis tamen in ipſo ſyſtemate Aegyptiorum coſmologico et theogonico non nihil nos deprehendiſſe, quod ad hanc naturalis rectitudinis euerſionem et tegendam ſuperſtitione *ἀνομίαν* occaſionem dare potuit, nempe opinio de mali origine atque natura. Hoc neceſſario ineſſe mundo aſpectabili, et ex hoc fonte implacabiles inimicitias contra Iſidem materiamue omnis naturae

l) Conf. Id. ptol. p. 98 ſeqq. SCHVBERTVS c. 2. ſect. 8. p. 259. et quos laudat, et ſcriptores hiſtoriae aſtron. WEIDLERVS, HEILBRVNNERVS, alii.

m) Quam profundae obſeruationes Aegyptiorum aſtronomicae fuerint, diſce ex MACROBIO Somn. Scip. L. I. c. 19.

n) L. I. p. 63 ſeqq.
o) l. c. II. f. 8. p. 242 ſeqq.
p) L. I. p. 63 ſeqq.
q) loc. cit. p. 242 ſeqq.
r) Tetrabibl. L. I.
s) De I. N. et G. iuxta diſc. Ebr. L. III. c. 28. p. 466 ſeqq.
t) Adu. mathem. L. V.

Digitized by Google

naturae et contra Oſirîdem omnis perfectionis atque boni fontem oriri multis eam in rem excogitatis fabulis decernebant, pugnasque Typhonis, principii in ſe maligni contra felicitatis bonique fontes prolixe enarrabant. Eas qui noſſe volet, iterum *Pantheon Aegyptiacum* *) adire oportet, vbi plena manu mythologia Typhonis Aegyptiaca ſuppeditatur. Nos hoc loco, vbi parcos eſſe decet, id potiſſimum monemus, omnes fere, quotquot de theologia Aegyptiorum narrationes ſuas nobis relinquerunt, numen hoc deteſtabile, horrendum, malorum tantum non omnium veram vnicamque cauſſam repraeſentare, id quod nec Herodotus, nec Manetho, nec Eudoxus, nec, qui prolixe in eo argumento verſatus eſt Plutarchus in iis locis, vbi de Aegyptiis numinibus tractarunt, nobis ſilendum eſſe cenſuerunt, quae heic, vbi breuitatem ſectamur, exſcribere haud licet. Quorum relationibus rite ponderatis videri quidem poterat, Typhonem fuiſſe hominem aliis plane ſimilem, qui regnum Aegypti affectauerit, idque fratri ſuo Oſiridi, vita ſpoliato, abſtulerit. Quem fuiſſe facie rufum et ſubpallidum averſio Aegyptiorum ab hominibus eiusdem coloris, vsque ad caedem et victimam progreſſa facile nobis perſuadet. Is, ſi mythologiam audimus, decreto a Diis tyrannidis fine, ab Horo, qui monſtrum illud bello perſequebatur, victus, atque captus cum Iſidis negligentia denuo euaderet, tandem decretorio praelio euerſus et ſuppreſſus eſt. Facile vident, qui interiora myſteria Aegyptiacae ſapientiae inſpexerunt, reſpici hic ad aliquod principium coſmologicum, principiis bonis aduerſum, idque potens, actiuum, bono inimicum multisque tantum conflictibus ſuperandum, quicunque etiam cortex hiſtoriae hunc nucleum tegat, de quo hoc loco differere, ſuperuacaneum putamus, adeoque de eiusmodi principio cogitandum eſſe, quod omnis mali phyſici pariter atque moralis auctor ſit. Quod illis quidem facile perſuadebimus, qui ea attente legerunt, quae prolixe ſatis ſupra de Arimanio diſſeruimus, huic enim Typhon adeo ſimilis eſt, vt eundem malum quendam auctorem, ſpiritumque improbum, materiae imperfectionibus, et moralis mali tenebris inuolutum deſignare vtrumque, nemo non, primo intuitu, conceſſerit. Planum autem eſt, vidiſſe vetuſtiſſimae theologiae auctores, ineſſe mundo eiusmodi ſpiritum geniumque malignum, qui optimae et feliciſſimae rerum omnium parentis, Oſiridis coniunctioni cum Iſide rerum natura et materia interueniat, omnisque imperfectionis malique auctor et incentor ſit, non niſi grauibus multisque praeliis tandem expugnandus. Quare, cum Orientales Arimanium appellarent, alii autem, maxime poëtae Graeci gigantum imagine repraeſentarent, Typhon tandem ſub his imaginibus auctor omnis illius, quod in natura eſſet corruptum et noxium, exiſtere, malumque omne phyſicum atque morale produxiſſe dictus eſt. Vnde poſtea, cum ad res ſenſibiles et materiales principia illa νοητὰ transferrentur, habitus Typhon eſt ſymbolum

 hiemis

*) P. III. c. 2. p. 59 ſeqq.

hiemis vel etiam ardoris et ſiccitatis exurentis, maxime venti illius meridionalis et noxii, qui in inferiori Aegypto, ſpirat, vique ſua omnia corrumpit, ipſamque ſubito vitam eripit, quo nomine nec in ſacris literis venti orientalis nomine ignotus eſt. Hunc Typhonem ad mali omnis originem eodem modo, quo Arihmanium Perſarum, referri, in mentem veniet, quisquis primo intuitu mythologiam Aegyptiacam inſpexerit: qualis autem in ſyſtemate intelligibilium ſit, dicere difficile eſt. Et certum quidem Typhonem iuxta illud originem primam cum Oſiride fratre et Iſide vxore eius eandem habere, quae nobis recte perſuadent, Oſiridem, Cnephum, Phthan, Vulcanum, quae nomina ſunt originis fontisque boni, itemque, Iſidem naturam rerum atque materiam ex qua omnia bona ſunt, neceſſaria generationis lege habere fratrem, id eſt, principium aliquod, ex eodem fonte emanans, quod natura ſua in contraria ferretur, effeceritque, vt ex vno praeclaro fonte duo principia, lucis et tenebrarum emanarent, quo pacto, Perſas ſimilia docuiſſe, ſupra demonſtrauimus. Hoc principium malum contraria omnia principio bono habere, et materialitatem accipiendo a natura *νοητῶν* receſſiſſe, facile concludi poterat, cum conditam rerum vniuerſitatem omnis generis malis phyſicis pariter atque moralibus cumulari, nemo non cerneret: et hoc quidem principium emanationis lege a fonte ſuo longiſſime remotum in omni actione ſua bono contraria moliri dicebant. Quod, cum eo tempore, quo ſyſtema Aegyptiacum ad Perſicum emendatum eſt, nouis coloribus pingeretur, tandem ad ipſam materialitatem naturae vniuerſae tractum eſt more Stoico. Et hoc quidem modo, quaeſtionem difficilem, vnde malum in mundo, ſe dirimere poſſe credebant, nec in hac explicatione quicquam eſt, quod aſſenſum noſtrum morari queat. Aſt diſtinctius tradere, quo pacto hoc principium malum, huncque aduerſum genium ſibi conceperint, id in tanta theogoniae et Coſmogoniae obſcuritate difficillimum eſt, et coniecturis non facile definiendum. Et illi quidem, qui veterem hiſtoriam imagines principiorum metaphyſicorum ſuppeditaſſe coniiciunt, quod poſt illuſtrem Leibnizium ſequaces, maximeque Wolfiana ſchola ſtatuerunt, Typhonem interpretantur materiae imperfectiones, limitationes, generatim malum metaphyſicum. Vnde clariſſimus SCHVBERTVS [x] fatetur quidem, *eos qui Arihmanium Manichaeorum et Diabolum Chriſtianorum cum Typhone Aegyptiorum eundem eſſe volunt, habere clariſſima loca, quae, ſi, vt verba ſonant, intelligerentur, nihil aliud, quam eiusmodi principium malum ſubſtantiale indicarent:* monet autem, *ſi perpendamus, omnes iſtas fabulas allegorice eſſe explicandas, circumſtantias hiſtoricas variis figmentis auctas, atque benigniorem ſemper interpretationem praeferendam eſſe, maxime, ſi quoad reliquas fictionis partes, iuxta rationem explicari debent, nihil amplius inde colligi poſſe, quam quod Typhon principium illud malum ſignificet, quod benigniſſimum et optimum conditorem*

x) loc. cit. p. 225.

D by Googl

ditorem impediuit, quo minus opera ſua ita perficeret, vt ea perficere volebat. Hoc vero principium certe nihil aliud eſſe, quam ipſam rerum finitarum limitationem, aut, quemadmodum loqui ſolemus, malum metaphyſicum. Non eſt hic locus inquirere altius, num mali iſtius metaphyſici notio ad explicandum non malum phyſicum tantum, ſed morale quoque ſufficiat, de quo problemate notae ſunt hodiernae metaphyſicae theologiae controuerſiae; ſed in argumento hiſtorico occupati dicemus tantum, quae nobis prorſus non conuenire videntur, nec hanc interpretationem iuuare apta ſint. Malum enim metaphyſicum notio intellectus eſt, non naturae vis poſitiua, et neceſſaria conſecutione adhaeret materiae, eiusque naturae, adeoque Iſidis foetus dicendus eſt, ſi Iſis naturam ſiue materiam vniuerſam ſignificet. Aſt inter Typhonem et Iſidem internecinum bellum eſt, quod de malo metaphyſico dici non poteſt, nec tollit natura rerum atque vincit iſtas imperfectiones et limitationes metaphyſicas, ſed dirigit ad perfectionem vniuerſi. In Typhone autem mala, proterua et in odium auctoris vniuerſi natura et inclinatio eſt, qualem ineſſe, materiae limitatae et ab omnimoda perfectione remotae quae genita eſt, i. e. emanauit ex coniugio Oſiridis et Iſidis, dici non poteſt, vincetur quoque Typhon, id eſt, auferentur illi fontes mali, redibit perfectio, inuenietur reſtitutus Oſiris etc. quae omnia ad hoc malum metaphyſicum obtorto tantum collo rapiuntur. Permouit id Platonem, qui hanc Aegyptii ſyſtematis contradictionem viderat, vt relicto emanatiuo dualiſticum reciperet, et materiam natura ſua bono aduerſam tanquam συναίδιον Deo adiungeret, nec hunc illam totam vincere et emendare poſſe ſtatueret, ſine dubio praeter limitatam materiae conditionem ad animam quandam brutam reſpiciens, quam ineſſe materiae credebat, de quo ſuo loco. Vnde lubenter fatemur, hanc nobis ſolutionem aenigmatis Typhoniani minime ſatisfacere, nec aptam videri ad reuelandum velum, quod ſenſum eius rei occultat. Probabilior itaque nobis videtur ſententia Iablonskiana [9] conſiciens, vetuſtiſſimos theologiae Aegyptiacae auctores accepiſſe notitiam aliquam a Noachidis de ſpiritu improbo mundi ſeductore, malique omnis auctore, (quales eos traditiones corraſiſſe omnis fabularis Deorum ſemideorumque hiſtoria prodit,) et ideo non tantum tenebras, id eſt, materialem ei imperfectionem, ſed moralem quoque corruptionem et proteruiam tribuiſſe, qua ad contraria audenda impelleretur, quae Deus omnium pater optimus in regno ſuo produxit: eum autem tandem victum et mundum ab hoc tyranno giganteque liberandum eſſe, aſſeruiſſe. Quam aegnimatis obſcuri explicationem eſſe planiorem et ſimpliciorem et orientalium quoque placitis ſimiliorem, quam priorem, fatendum eſt, cum ex aſſe mythologiae faciat ſatis, reliqua enim fabulae gratia addita eſſe, et in explicatione theologica parum attendenda, norunt, qui in mythologicis veterum explicandis ingenium exercuerunt. Haec autem lectoris iudicio

9) loc. cit. §. 14. p. 75.

ludicio decernenda relinquimus. Poterant his alia adhuc hiſtoriae philoſophiae Aegyptiacae addi, collecta a IAC. FR. REIMMANNO viro curioſae multaeque lectionis, qui nobis *antiquitatum literariarum Aegypti compendium* reliquit. Qui tamen ſi eam antiquarum rerum atque dogmatum cognitionem atque perſpicaciam prodidiſſet, quam recentioris literaturae, multum adiuuiſſe hanc philoſophicae hiſtoriae particulam poſſet dici et laudari. Aſt quanquam nouerat ineptias Cauſſini et Kircheri, Graecam literaturam Aegyptiis adſcribentium, et a Morhofio quod ipſe fatetur, doctus erat, Aegyptiorum placita maxime phyſica in obſcuro latere; attamen cum reliqua quoque, quae Graeci habent, pauca et exigua eſſe nouerat, ita exponit, vt faciem encyclopaediae Graecanicae referret: quo pacto reuera nihil ad iuuandam Aegyptiacae ſapientiae hiſtoriam niſi vulgaria, exoterica, nec ad myſteria gentis pertinentia attulit, inter collectores magis literarum Aegyptiacarum, quam inter hiſtoricos referendus. Hunc adeant, qui exotericis narrationibus in hoc campo paſci cupiunt; nobis enim omne illud ab Inſtituto noſtro alienum eſt.

AD LIB. II. CAP. VIII.

DE PHILOSOPHIA AETHIOPVM.

pag. 305. lin. 19.

Exigua in genere regionum illarum, quae Aethiopiae atque Libyae nomine comprehenduntur, hiſtoria eſt. Ante omnia termini Aethiopiae veteris, de qua nobis ſermo eſt, definiendi ſunt, dicendumque quam gentem per Aethiopes intelligamus. Et mature quidem dicta quoque Abaſene vel Cephena, quam hodie a ſimili vocabulo Arabico, Habeſſiniam vel Abaſſiam nuncupamus. Qui autem in veterum ſcriptorum monumentis verſati ſunt, norunt ſatis, optimos quosdam ſcriptores, Arabiam, Chaldaeam, Aſſyriam, Perſiam, Aethiopiae quoque nomine inſignire, vt hodie orientales populi haud raro Aethiopas ſiue Habeſiniae incolas Indos [a] vocant. Quae obſeruatio a quibusdam auctoribus neglecta paſſim hiſtoriam, etiam philoſophicam turbauit et corrupit. De quibus omnibus tamen hoc loco nihil dicendum, cum ad geographiae veteris notitiam pertineant: quam vtiliter diſcimus, poſt PTOLEMAEVM, ex IOBI LVDOLFI [b] *hiſtoria Abyſſiniae*, CELLARII *Geographia antiqua*, vt alios [c] taceamus.

pag.

a) Vid. VIRGIL. Georg. L. IV. v. 291 ſqq.

b) Conf. de libro praeclaro relationes Baumgartenianae de Bibl. quadam Halenſi P. IV. p. 481 ſeqq.

c) L. II. c. 3. vbi de Aethiopia ſupra Aegyptum agitur p. 831 ſeqq.

d) HIERONYMI LOBO itinerarium, itemque IOACH. LE GRAND, ALMEIDAE et BALTH. TELLEZ hiſt. Aethiopiae vid. ib. 481 ſeqq. LA CROZE hiſtoire du Chriſtianiſme des Ethiopiens. Hiſt. vniu. orbis Brit. T. XVI. L. III. c. 7. §. 220 ſeqq. p. 257 ſeqq. Verſ. Germ. qui veteres quoque p. 265. nominant.

Digitized by Google

pag. 306. lin. 3. 4. *Qui ſub meridie habitant, primos a terra fuiſſe editos.* Ita quidem DIODORVS SICVLVS [e], qui occaſionem dedit FOVRMONTIO [f] in origines Aethiopum inquirendi, eisque primum locum et aetatem inter populos cognitos vindicandi: qui audiendus et examinandus eſt: ſolae enim conlecturae non faciunt ſatis.

pag. 306. lin. 26. *Quod verum ſit de Abyſſinis.* Mature tranſiiſſe Noachi poſteros ex Aſia in Africam, veteris hiſtoriae fides dubitare non ſinit. Id de Abaſenis vel Abyſſinis verum eſſe, ante Ludolfum notauit SAMVEL BOCHARTVS [g], qui Homeritas quoque nominari obſeruat. Idque de aliis quoque ex Noachi filiis propaginibus coniici cum veriſimilitudine poteſt, nempe Cushi poſteris, qui vicinitate et commoditate tranſitus ex Arabia, quam inhabitabant, in Aegypti et Atlantici maris viciniam illecti has terras incolere coeperunt. Nec a veriſimilitudine omni abit, non multum aetate inferiores fuiſſe Aethiopes Aegyptiis, cum Chus gentis auctor filius fuerit natu maximus Ham, frater Mizraim Aegyptiorum conditor [h]. Verum de his veteris geographiae ſcriptores plura diſputant, et conilciunt [i].

pag. 307. lin. 18. *Eandemque docendi methodum hieroglyphicam habuiſſe.* Ita quidem DIODORVS [k] *ars literaria*, inquit, *apud eos non in compoſitione ſyllabarum, ſed deſcriptarum imaginum ſignificatu, et tranſlatione per exercitationem memoriae inſculpta, ſubiectam orationem exprimit ac abſoluit.* Monet tamen WACHTERVS [l], vbi haec retuliſſet, *de hac Aethiopum diſciplina altum eſſe apud reliquos ſcriptores ſilentium et nullum in tota antiquitate veſtigium, hinc Diodori narrationem apud paucos vel nullos fidem inueniſſe. Etſi vlla vnquam fuiſſet, longe tamen veriſimilius eſſe, illam ab Aegyptiis ſuperioribus, qui nulla re magis, quam hac diſciplina in hiſtoria claruerunt, ad Aethiopes, quam ab his ad illos veniſſe.* Forte ſua ſponte vtraque gens ad hanc ſcribendi rationem caſu peruenit.

pag. 306. lin. 29. *Quam quod ex India in meridiem populi deſcenderint.* Prouocant, qui iſta tuentur, ad teſtimonia EVSEBII et PHILOSTRATI immo ad HOMERVM [m] orientales Aethiopes inducentem, ad HERODOTVM [n] atque EVSTATHIVM [o]. Hos vero omnes Indiae nomen decepiſſe, eſt veriſimile. Solenne enim veteribus Arabiae populos Aethiopum nomine inſignire, quod cum populo meridionali propter vicinitatem maris Indici, confundere ſolent. Accidit id IOSEPHO [p].

pag. 307. lin. 18. *Vel Aegyptios ab Aethiopibus eruditionis ſemina accepiſſe.* Id difficulter, immo propter monumentorum defectum plane non poſſe

e) L. III. c. 2.
f) Memoires de l'Academie des inſcriptions T. VII. p. 497 ſeqq.
g) Geogr. S. L. II. c. 23. p. 143.
h) Gen. X, 6.
i) Conf. EVNOLF. L. c. L. I. c. 2. LE GRAND Diſſ. 2. Hiſt. orbis vniu. L. III. §. 833. p. 280.
k) L. III. p. 101.
l) Concord. nat. et ſcript. c. 3. §. 9. p. 1.
m) Odyſſ. L. I.
n) Lib. VII. c. 70.
o) In Dion. p. 35.
p) Antiqq. L. II. c. 11.

poſſe decernl. Quamuis enim regnante Amenophi coloniam quandam Aethiopum Aegyptum inuaſiſſe tradat EVSEBIVS [s], quod haud ſemel factum eſſe, credibile, cum frequentes inundationes deſertam Aegyptum facerent, nihil inde tamen pro philoſophiae incrementis concludi poſſe putamus.

pag. 312. lin. vlt. *In rationes aſtronomicas mutauerunt.* Inde cultores ſideralis ſcientiae inter Libyae populos Atlanticos dici apud Auguſtinum obſeruat GASSENDVS [t], cuius tamen rei certiorem teſtem deſideramus. Eodem vero loco ponendum eſt, quod CLEMENS ALEXANDRINVS [u] habet, *Herculem, cum fuiſſet vates et phyſicus, ab Atlante barbaro Phryge mundi ſuſcepiſſe columnas*, id eſt, ſecutum eſſe in ſcientia phyſica et aſtronomica. Ingenioſus vero eſt circa mythologiae Atlantis explicationem, recens fabularum veterum interpres PLVCHIVS [x], qui coniicit, fabulam Atlantis eſſe Aegyptiacae originis, et eſſe Atlantis nomen Horo additum, deſumtumque a Phoenicio Athlah, quod laborem improbum deſignat, eo quod plurimum laboris in deſignandis ſiderum conuerſionibus eſſe Aegyptii et Aethiopes crediderint. Cum vox Atlas etiam a vocabulo Athlah, columnam ſiue ſtilum deſignante, deriuari queat, inde fabulam Graecorum de columnis Atlantis coelum ſuſtentantibus enatam eſſe. Ingenioſam eſſe hanc explicationem, at nulla veriſimilitudine ſe commendantem et ab ingenio ſimplici veterum abhorrentem, quilibet palpat, eorum enim loca et teſtimonia, vnde talia exſculpi poſſint, deſideramus.

pag. 312. lin. vlt. *Sed in re incerta coniecturarum ſatis eſt.* De philoſophia politica atque diſciplina regia apud Aethiopes nonnulla affert DIODORVS [y] exoterica quidem et ad vulgus nota, non negligenda tamen, vt ingenium et mores Aethiopum intelligantur, quanquam valde veremur, vt genuina ſint omnia, quae iſti genti tribuuntur. Ea in his acceſſionibus nolumus exſcribere ob rationes ad cap. praec. adductas, ſed lectori vel apud ipſum Diodorum vel apud recentiores [z] quaerenda et legenda relinquimus.

s) In chron. n. cccclii.
t) Synt. phil. c. 5. T. I. Opp. p. 18.
u) Strom. L. I. p. 306.
x) Hiſt. du ciel. p. 239.
y) L. III. p. 145 ſeqq.
z) Hiſt. vniu. T. XVI. p. 283 ſeqq. SCHVBERT. hiſt. phil. c. 2. §. 9. p. 858 ſeq.

AD

Digitized by Google

AD LIB. II. CAP. IX.

DE PHILOSOPHIA CELTARVM, SIVE GALLORVM, BRITANNORVM, GERMANORVM ET SEPTENTRIONALIVM GENTIVM.

pag. 314. lin. 19. 20.

Ignotum tamen simul literarum vsum in scribendo imuoluit. Hoc mediocri attentione locum Taciti consideranti erit manifestum: quanquam enim de fide coniugali agit, secreta tamen literarum amatoriarum ideo denegat genti castissimae, quia moris non erat Germanorum et Celtarum gentibus aliquid scripto memoriae tradere, nisi pauca illa, quae saxosis rupibus incisa immortalitati tradiderunt, exciplas, quae huc non pertinent. Ex quibus iudicari potest de negata ignorantia veterum Celtarum et imprimis Germanorum, cui pro maiorum gloria apologiam scripsit ANDREAS LVDOVICVS KOENIGMANNVS [a], cuius sententiae alii subscripserunt [b]. Quanquam enim verisimile est, veteres Celtas et imprimis Germanos non ab omni scribendi peritia fuisse vacuos, quod in tanta gentis ampliſſimae aetate credi non potest, vsu rerum aliud postulante [c], non tamen de rerum signis literis expressis in se, sed arte scribendi et cum aliis per scripturam communicandis sermonem esse, notandum est: quam neglexisse instituta eius, vel ex eo patet, quod nulla omnino rerum veterum monumenta habuerunt, et traditione tantum et carminibus Bardorum Scaldorum et similium res gentis suae atque facinora ad posteritatis memoriam transmiserunt, quod vnum apud illos memoriae et annalium fuit, teste TACITO [d]. Ideo non neganda est nationi tot virtutis testimoniis veteribus commendatae doctrina et institutio, et ingenii elegantia, ita tamen vt tempora bene distinguantur. Verum de his vel nudis tantum coniecturis cogitare licet.

pag. 315. lin. 9. *Aliasque Scythiae nationes comprehenderunt.* Probauit iam CLVVERVS [e], eumque licet audacioribus gressibus secutus PEZRONIVS [f], maxime vero incomparabilis *historiae Celtarum* [g] auctor, praecipuam Europae partem Celtas occupauisse, et consedisse gentem

 famo-

a) Disp. acad. duabus Kilonii editis, 1707. de origine literarum apud Germanos, et de origine literarum amatoriarum.

b) IAMVS diss. de odio Germanorum in causarum patronos Misc. Lips. T. IV. obs. 88. p. 217. conf. quos laudat KABLIVS ad Bibl. Hist. Struu. P. II. p. 207.

c) Memorabile exemplum exhibet MAVPERTVISIVS in descriptione itineris Laponici describendae figurae globi terraeque causa suscepti, qui eiusmodi inscriptionem signorum quorundam detexit, quam repetiit Collectio itineraria PREVOTIANA T. XVII. p. 374. Eam antiquissimam totius mundi esse Maupertuisius non absurde coniecit.

d) De mor. Germ. c. 2. conf. Hist. Celt. T. I. L. II. c. 10. p. 380 seq.

e) Germ. ant. p. 16.

f) Antiq. Celt. c. 2.

g) Tom. I. c. 3. p. 19 seqq.

famoſiſſimam in Hiſpania, Luſitania, Gallia, Polonia, Moſcouia, Britannia, Scotia, Hibernia, ad Danubium vſque ad Pontum Euxinum, vbi Getae, Dacae, Boſtarnae, Boii, Tauriſci, aliaque Pannoniae nomina obſeruantur: imo Graeciam quoque et Italiam a Celticae gentis populis fuiſſe habitatam. Quo pacto omnes quidem ſeptentrionales populi vno Celtarum nomine comprehenduntur, quos tamen, ſi ab Hyperboreis gentibus ſeparamus, patebit, Celtarum nationem etiam a Scytharum gente diſtinctam, totam fere Europam occupauiſſe. Et ad idem redire videntur, qui inter Sauromatas vel Sarmatas, et Inter Celtas diſtinguunt, Scytharum nomen autem extremis gentium ignotis ceteris mortalibus cum PLINIO [k] tribuunt, gentes Aſiaticas ab Europaeis diſtinguentes, ne aequiuoco Scytharum nomine hae gentes inter ſe confundantur, de qua re in geographia veteri diſpiciendum eſt. Certe Sarmatae a Celtis diſtinguendi ſunt, moribus, inſtitutis, viuendi genere diuerſis [l].

pag. 315. lin. 26. *Qui de rebus Celtarum, Gallorum, Germanorum atque Scytharum ſcripſerunt.* Scriptores rerum Germanicarum, et antiquiorum, qui huc referri ſolent populorum, veteres recenſet *bibliotheca hiſtorica* STRVVIANA [k].

Ibid. lin. vlt. *Collegit et digeſſit, liberaliter exhibeat.* Prodiit incomparabile cedroque dignum opus Hagae Comitum cIↃIↃCCXL, cIↃIↃCCL. duobus tomis, lingua gallica, eo nitore, accuratione et ſcribendi elegantia, vt optandum merito videatur, vt ad eandem normam ſimilesque vultus omnium gentium hiſtoria enarretur. Cuius teſtimonii fidem facient ephemeridum literariarum iudicia [l], quae praeclaro operi dignam ſuſpenderunt hederam. Dolemus autem, tertiam libri partem, quam a doctiſſimo auctore expectauimus, fatis eius intercedentibus, quantum nouimus, non ſine magna literaturae Celticae et Germanicae iactura in ſpongiam incubuiſſe, et hoc pacto nobis ereptam eſſe praeclaram operis partem, qua de Scythica atque Celtica philoſophia auctor acturus erat. Qui quam aptus dignusque harum rerum iudex fuerit, per plurimos annos ex iucundo cum eo commercio literario didicimus, qui toties praeter candidiſſimi pectoris amicitiam, reconditam eruditionem, lectionem vaſtam, iudicium acre, et qua alios multos ſuperabat, ſentiendi modeſtiam et ſoliditatem nobis probauit. Ad huius hiſtoriae Celticae, indubitatis veterum teſtimoniis probatae Lydium lapidem ea potiſſimum examinanda ſunt, quae non tantum Galli PAVL. PEZRONIVS [m], et IACOBVS MARTIN

k) Hiſt. nat. L. IV. c. 18. p. 165. conf. Hiſt. des Celtes T. I. L. I. ch. 2. not. n. p. 13.

l) Ex inſtituto id probauit IDEM l. c. p. 14. 15. conf. BAVMGARTEN. ad hiſt. vniu. Brit. T. IV. p. 212. p. 455.

k) T. I. c. 16. p. 651 ſeqq.

l) Vid. Journal literaire d'Allemagne T. I. P. I. art. 14. p. 303 ſeqq. nouu liter. Lipſ. 1751. p. 98 ſeqq.

m) PAVLI PEZRONII librum antiquité des Celtes autrement appellés Gaulois, plenum eſſe nugarum et viſionum recte iudicauit Pelloutierius, quare vehementer dolendum eſt, audaculum et nugiuendulum auctorem potuiſſe seducere viros doctiſſimos, qui in Britannia hiſtoriam vniuerſalem ediderunt, vt eius veſtigiis inſiſterent, T. IV. Scytharumque, Gomeriſtarum, Celtarum hiſtoriae compendium exhibituri, antiquita-

MARTIN [n], ex Anglis IOHN LEWIS [o], de Celtarum, Gallorumque antiquitatibus nugati ſunt, ſed alii quoque, qui meliori diligentia et iudicio maturiore literaturam Celticam tractarunt, qualia dederunt MATTH. HILLERVS [p], magnus LEIBNIZIVS [q], P. FRANC. ARPE [r], VAL. ERN. LOESCHERVS [s], TROGIL. ARNKIEL [t], ELIAS SCHEDIVS [u], Io. GEORG. KEYSLERVS [x], ANT. BANIERIVS [y] ſuppeditarunt, ex quo ſcriptorum de rebus Celtarum, Germanorum, Gallorum, Britannorum aliarumque Europae gentium horreo, illi ingens ſpicilegium colligent, qui integram literaturae et philoſophiae Celticae hiſtoriam expectant. Eam enim nec tractationis H. C. P. limites olim nobis permiſerunt, nec horum quoque Supplementorum ſcopus atque conditio permittit. Vbique autem ante omnia attendendum eſſe monemus, quibus et qualibus teſtibus traditiones veteres nitantur, in qua re imprimis Pelloutierii diligentiam mirandam eſſe, quilibet, qui hanc hiſtoriam Celticam legit, fatebitur.

pag. 316. lin. 16. 17. *Philoſophiam proprie dictam non venari accurate teneatur.* Maxime in hiſtoria Celtica ſibi cauendum eſt, ne gentis antiquiſſimae, et per tot populos a multis ſeculis propagatae et diffuſae res cum Romanorum et Graecorum hiſtoria, religione, conſuetudinibus, opinionibus confundantur, quod, dici non poteſt, quantum nobiliſſimae gentis antiquitates turbauerit. Accidit id etiam in hiſtoria Druidum, quam ſi cum Graecorum ſectis comparaueris, totam euertes. Itaque vox philoſophiae, prout in hiſtoria philoſophiae barbaricae decet, hic exoterice tantum et pro ſtudio literarum, ſapientiae et religionis habenda eſt, idemque tenendum, quod de Babyloniorum et Aſſyriorum Chaldaeis, de Perſarum Magis, de Aegyptiorum ſacerdotibus, de Indorum atque Aethiopum gymnoſophiſtis ſuis locis monuimus.

Ibid. lin. 22. *A germanico ſubſtantiuo Druthin.* Conf. WACHTERI *Gloſſarium germ. voc. Draut. et Prieſter.* cl. SCHVBERTVS *hiſt. phil.* [z] alii.

pag. 316. lin. 26. *Druidarum nomen ab antiquiſſimo apud Celtas et Britannos vocabulo Deru, quod quercum notat, deriuatum contendit.* Haec ſimpliciſſimi-

gines ingenioſe magis, quam ſolide tetigit, vid. BAVMG. l. c. p. 214. p. 452.

p) De orig. gent. Celtic. ſynt. hermen. p. 125 ſq.

q) Collect. etymol. P. I. p. 156 ſeqq.

r) In Themide Cimbrica.

s) In literatore Celta.

t) In antiquit. Cimbricis, vernacula editis.

u) De Diis Germanis ſiue de veteri Germanorum, Gallorum, Britannorum, Vandalorum religione ſyntagmata quatuor, conf. Hiſt. des Celtes T. III. c. 1. p. 8. labor ſc. iuuentilis.

x) Antiquitates ſelectae ſeptentrionales atque Celticae.

y) Mythologie expliquée par hiſt. Tom. V. L. VI. VII. p. 361. 583. Addi his poteſt praeſtantiſſima Germaniae hiſtoria MASCOVIANA P. I. Hiſt. literaire de France T. I. p. 1-70. aliique.

z) c. 2. ſ. 10. §. 133.

a) Hiſt. Brit. qui in introd. p. 1-50. has ori-

n) De ineptiente hoc ſcriptore, veteres Gallos atque Celtas cum Romanorum et Graecorum theologia et religione miſcente vid. Biblioth. German. T. XXXVII. p. 140 ſeqq.

o) Hiſt. Brit. qui in introd. p. 1-50. has ori-

pliciſſima antiquiſſimi vocabuli, Druid originatio eſt, longe illi praeferenda, quae a voce Draut, vel Druter, quae amicum vel dilectum ſignificat, deducit: eius enim ratio in promtu eſt, cum altera cuilibet amico, quanquam collega non ſit, conueniat, familiares quoque vocentur, non qui iudicum et doctorum characteres obtinent, velut Id apud Druides moris erat, ſed membra familiae. Quercuum autem colendarum ratio tam venerabilis apud Celtas fuit, vt numinibus topicis plenas contenderent, et omnem religionis, iuſtitiae atque diſciplinae obſeruantiam quercetis alligarent. Confirmatur id obſeruatione Io. TOLANDI [a], inter cuius opera Anglica, tres ſunt epiſtolae operis maioris, quod moliebatur, ſpecimina, in quibus de Druidum hiſtoria differit. Obſeruat is inter alia: Drui eſſe vocem Hibernicam, vel corrupte Droi et Draoi, quae quercum indicat, hodieque apud Hibernos, Drue magum eſſe, Druidheacht magiam, Slatnam Druidheacht virgulam magicam, manifeſto indicio, inter Druidas magiam ſummam locum obtinuiſſe. Non multum, vt in pluribus aliis, ab ea abit Sueuica noſtra, qua ſaga, *eine Drutte* vocatur. Plura dabit, qui potiſſimum hoc loco conſulendus eſt illuſtris SCHOEPFLINVS [b], quem ſequuntur auctores *ephemeridum literariarum Triuoltinarum* [c], qui videndi.

pag. 317. lin. 1. *Germanos a Gallis Britannisque diſtinguendos putamus.* Quod qua ratione euenire potuerit, curioſis obſeruationibus explorauit PELLOVTIERIVS qui omnino legendus. Celtarum nomen Gallorum atque Britannorum multo vetuſtius eſt, de quorum etymo nonniſi ex lingua Germanica iudicari poteſt, quae enim veteres ſcriptores habent, incerta prorſus ſunt, et ad ſcopum non ferlunt, eo quod Celtarum linguae fuere imperiti, fueruntque peculiares Celtarum populi, a circumſtantiis loci plerumque denominati, de quibus ingenioſae prorſus ſunt coniecturae Pelloutierii [d].

pag. 318. lin. 3. *Druidarum inſtitutum deriuant.* Sine diſcrimine ſcribunt plerique Druidarum et Druidum. Obſeruatum autem TOLANDO [e], melius Druis dici quam Druida, ex Hiberno enim Drui, pluralem formari Druidhe, vnde Latinorum Druis, et plurali numero Druides ortum; Druidas autem foeminas hoc inſtitutum ſequentes accuratius ſignificare. Druidae tamen terminationem maſculino genere adhibet CAESAR alique.

pag. 320. not. n. *LAMPRIDIVS in Alexandro.* Diu permanſit inter Germanos hic mos per feminas fatidicas diris hoſtes ſubmouendi. Cuius memoriam nobis conſeruauit Auguſta noſtra, in inuaſione Attilae diris Druidae alicuius a moeniis vrbis repulſi, quae hodie elegantiſſimo Rothameri penicillo in turri publica Minoritana, vbi rem euenisſe fama eſt,

a) Vid. citt. maxime SCHVEERTVS l. c.
b) Alſat. illuſtrat. T. I. p. 83.
c) A. 1754. p. 194. ed. Bat. illi ad dictionarium linguae Armoricae prouocant, quod Par. 1752. prodiit.
d) l. c. T. I. ch. 14. p. 157 ſeqq. e) l. c.

Digitized by Google

eſt, depicta cernitur. Eius ἔκτυπον exhibet hiſtoria Auguſtana illuſtris STETTENII.

pag. 321. lin. 8. *Ex dictis lucem capiunt.* Cogitationes noſtras de ſapientibus Celtarum atque Germanorum, huic ſpicilegio iam adieceramus, cum beneuole nobis tum elegantiſſimam atque eruditiſſimam proluſionem academicam de *Semnotheis veterum Germanorum philoſophis*, non ſine inſigni veteris literaturae apparatu editam, communicaret vir celeberrimus IOANNES IOACHIMVS SCHWABE, cum munus profeſſoris philoſophiae in academia Lipſienſi, multis quidem et praeclaris de re literaria meritis dudum meritum capeſſeret. Nec locus nec inſtitutum patitur, pulcherrimi ſpeciminis vberiorem de eo argumento narrationem ſubtexere, monemus autem lectorem, vt ipſam diſſertationem adeat, expendat, et tum demum, quid de auctoris ſententia ſtatuendum ſit ipſe cogitet. Eam, prout ipſe [f] in ſummam contraxit, eo redit: *Semnotheos denotare homines congregatos, aut coetum quendam collectum, qui vel vna viuit, vnamque conſtituit familiam, vel ex alia ratione, qualiscunque eſt, ſe coniunxit et aliquam iniit ſocietatem.* Inde non plane alienus a IOACH. KVHNII [g] opinione: Laërtium ſpeciale nomen generali iunxiſſe, (quo et noſtra redibat coniectura;) in eo tamen aliter rem ordinat, vt quod ille ſpeciale nomen dixit, generale ipſe faciat, et Druides ſacrificulos putet, Semnotheorum autem appellatione totum atque vniuerſum Celticorum ſapientum corpus comprehendi. Quam tamen coniecturam (talem enim ipſe nominat auctor eruditus ac modeſtus,) non adeo mordicus tuetur, vt non ſibi quoque placere poſſe fateatur opinionem SEB. ROVILARDI, contendentis, *Dru*, a quo Druides, vocem eſſe mere Celticam, et gentem ſignificare frequentem, congregatam ſociatamque, vel AEGIDII BVCHERII, tradentis vocem Flandricam Brabanticamque, Truyt, Trut et Trud, aliquando Drud antiquitus ſocietatem ſignaſſe coniunctionemque, ſeu pace ſeu matrimonio initam, et hinc Druides quaſi eorundem ſtudiorum, exercitiorum functionumque diuinarum maxime ſocios dictos eſſe, ita vt ſtatuatur, eosdem fuiſſe Druides et Semnotheos, ita tamen vt appellationis huius rationem et explicationem, non, vt vult Galeſius, quem nobiſcum reiicit, ex Graeca, ſed ex veteri Celtica lingua repetat, quae apud ipſum non ſine iucunditate legentur, qui facile lectori perſuadebit, veroſimiliter magis egiſſe GASSENDVM [h] in erudita epiſtola ad Ludouicum Valeſium, qui nomen a Celtis deriuat, non a Graecis. Qui vir eruditus quoque coniecit, *Druidas ex Britannia aduenientes ſucceſſiſſe memoratis Diodoro Saronidis, quibus antiquiores adhuc fuerint Samothaei Samothaeiue, Laërtio dicti:* cuius coniecturae fidem, vtinam Gaſſendus additis rationibus muniuiſſet. Nos in argumento, vbi nonniſi coniecturis res omnis conſtat, lectori rem profundius conſiderandam relinquimus, lectis tamen et expenſis omnibus fatemur, videri nobis tutiſſimum, in ea, quam expoſuimus, ſententia perſiſtere,

f) pag. 37. g) Ad Laërt. L. I. ſ. 1. h) T. VI. Opp. p. 135.

fiſtere, qua diuerſae veterum opiniones omnium facillime poſſunt componi, et ratio teſtimoniorum aliqua dari, qua diuerſae ſententiae inter ſe conciliantur. Ceterum etiam in eo cl. SCHWABIVS a communi ſententia recedit [1], qua Bardi ipſi videntur fuiſſe homines, qui ſtudia laudabilium doctrinarum inchoabant. Qua de re, vtinam certiora nobis tradidiſſet, magisque cum veterum teſtimoniis conſpirantia auctor doctiſſimus, qui ipſe conſulendus.

pag. 324. lin. 23. *Qui artis poëticae hiſtoriam critice expoſuerunt.* Praeter diſſertationes Toernerianam atque Koelerianam de his Celtarum poëtis, adeunda quoque *Hiſtoria Celtarum Pelloutieriana* [2], vbi recte obſeruatum, nomen *Bard* poëtam ſignificare, qui laudes aliorum decantat; muſicum quoque aut cantorem diceres [1]. Notum illud Lucani:

Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Hi ergo proprie non ad philoſophos Celtarum pertinent, ſed velut peculiare genus hominum literaturae laude apud Celtas celebrium inter Druides (quod ſaepe numero nomen generale atque commune eſt,) a veteribus recenſentur, diſtinguendi autem a proprii nominis Druidibus ſunt, quod hi omnis iuris ſacri atque profani auctores erant atque praeſides, et iudiciali auctoritate de rebus omnibus decernebant, Bardi, in publico ſacrorum cultu, in bello atque proeliis cantum curabant, carminibusque exſequebantur, quae Druides ſanxerant. Quod ſtudium, vbi gentes Celticae in diuerſas terras diſceſſiſſent, multum fuiſſe cultum atque auctum, non eſt quod dubitemus. Id de Britannia obſeruatum Tolando, qui hos poëtas apud Celto Britannos in tres claſſes diuiſos fuiſſe monet, Priuardh, Poſwahrd, et Aruiſuarhd, deque eorum carminibus, officio, auctoritate, varia affert, quae apud ipſum legenda, aſt ponderanda et examinanda ſunt: ad hunc enim campum noſtrum non pertinent. Abundauiſſe autem olim hoc hominum genere Hiberniam, et hodie quoque quoſdam ſupereſſe ille aſſerit.

pag. 324. lin. 5. a fin. *Ingentia inter nos robora.* Etiam piniferis arboribus eundem honorem habitum eſſe, Auguſta noſtra teſtis eſt, quae hodienum vrbis ſignum Celticum, pineam nucem refert. Eſtque in vrbe hac locus editiori colle, qui ab his arboribus piniferis a Celtis cultis nomen habet, et quod S. Afram in eiusmodi arboreto ſuperſtitionem deleuiſſe, fama eſt, nomen inde *ſyluae S. Afrae* conſeruauit. In hoc colle Celtico nos has obſeruationes ſcribimus. Vnde curioſitati noſtrae lector ignoſcet.

pag. 325. lin. 36. 37. *Qui has gentes ex Aſiae prouinciis ſeptentrionalibus ad has ſedes delatas eſſe, et orientalia Aſiae placita, qualia imprimis inter veteres Perſas, Scythas, Hyperboreosque deprehenduntur his regionibus intuliſſe ſtatuunt.* Neceſſario ad hanc obſeruationem attendendum eſt, ſi tum populo-

1) loc. cit. p. 8.
2) l. c. L. II. c. 9. p. 349 ſeqq.
1) LEIBNIZ. Gloſſ. celt. in collect. T. II. p. 95. STRABO L. IV. p. 197.

Digitized by Google

populorum ſeptentrionalium migrationes, tum placitorum et religionis decreta intelligere cupimus: ita enim demum ad fontes primos recurri poteſt. Vidit iſtos fontes olim iam PLINIVS [m], qui monuit: *Scytharum vſque nomen tranſit in Sarmatas atque Germanos, neque aliis priſca illa duraſſe appellatio, quam, qui extremi gentium harum ignoti prae ceteris mortalibus degunt.* Quanquam enim negari non poteſt, Scytharum nomen diu remanſiſſe quibusdam ſeptentrionis Aſiatici populis [n], certum tamen, et ex veterum ſcriptis manifeſtum, hoc nomen cum coloniis Scythicis ex Aſia ſeptentrionali in Europam demigrantibus, etiam ad ſeptentrionales Europae populos tranſiiſſe, et tum euanuiſſe. Inde vero ratio petenda eſt, cur multoties antiquitatum Scythicarum atque Celticarum traditiones conueniant, quippe quae ex vno fonte ſine dubio profluxerunt. Itaque non nuda coniectura eſt acutiſſimi PELLOVTIERII [o], quamuis hoc tantum nomine eam commendet eius modeſtia, Celtas et Sarmatas in Europa eandem habuiſſe gentis originem, quam habebant in Aſia, Medi atque Perſae. Quod vir doctiſſimus pulchre inde ornat, quod iuxta Solinum Medi deſcendiſſe dicuntur a Sarmatibus, vel iuxta Diodorum et Plinium Sarmatae a Medis. Affert etiam teſtimonium HERODOTI [p] aſſerentis, Danubii litora accolere populos, eundem quem Medi habitum veſtium ſeruantes, et origines ſuas ad illos populos referentes. Etiam de Perſis rectiſſime monet, eosdem vnum cum Celtis ratione originis populum fuiſſe [q]. In eo enim Ammiani Marcellini, Tertulliani veterumque aliorum teſtimoniis fulcitur, qui Perſas a Scythis deriuant, quosque confundi cum Parthis, qui fuere Scythicae originis, praeter rem contendit HENRICVS VALESIVS [r]. Quibus tamen noſtro iudicio longe melius maiorisque ponderis teſtimonium eſt, quod a rei ipſius conuenientia inter vtrumque populum deſumitur. Nobis enim non monentibus, viris doctis dudum obſeruatum eſt, et Perſarum linguam, et conſuetudines, et religionem a Celticis non multum antiquitus fuiſſe diuerſas. Non eſt locus hic nobis amplius de hac quaeſtione diſputandi, quam tamen diſcuſſione exacta digniſſimam putamus. Obiter tamen notamus, ipſam patriam noſtram, Vindelicorum Auguſtam, caput gentis nobile in hac noſtra Vindelicia nobis eius documentum praebere. Eam vero ipſamque regionem Vindeliciam, partem fuiſſe Illyrici antiqui in Liburniam, Dalmatiam, Pannoniam, Noricum et Vindeliciam diuiſi, veteris geographiae non ignaris vel ex STRABONIS loco [s], a CLVVERO [t] illuſtrato conſtat, quo *Illyrica*, ait, *initia ducere, a lacu, qui eſt apud Vindelicos, Rhaetos atque Heluetios, id eſt, Brigantino.* Illyrias autem gentes iſtas Tauriſcos fuiſſe, et hos Celti-

m) Hiſt. nat. L. IV. c. 12.
n) Demonſtrauit id PELLOVTIER. Tom. I. p. 19. not. a, qui Sec. IX. adhuc Scytharum nomen reperit.
o) loc. cit.
p) Lib. V. c. 9.
q) Inde Scythoceltae dicti.
r) Ad AMMIAN. MARCEL. L. XXXI. c. 3.
s) Lib. VI.
t) Germ. ant. p. m. 726.

Celticae propaginis, nemo ignorat [r], et ab his Celtis, qui Illyrium repleuerunt, noſtros quoque Vindelicos ortos eſſe, habuiſſeque originem Celticam dubium non eſt. Habuiſſe autem has Illyrici gentes, quae ex Aſia ad ripas Danubii in hanc Lici atque Vindae prouinciam aſcenderunt, religionem eandem, quam apud Scythas et imprimis Perſas, ſupra, cum de Perſarum philoſophia ſermo eſſet, delineauimus, vel vnum, aſt luculentum argumentum praebent Spelaea Mithrae, in Vindelicia paſſim, eiusque vicinia et nuperrime quoque in Palatinatu ſuperiori reperta, illis ſimillima, quae virorum doctorum obſeruationes ex antiquis marmoribus nobis conſeruarunt [s]. Rem alibi latius perquirendam, hoc loco, vbi alia agimus, prolixius exquirere non vacat. Vnum autem praeterire hoc loco non poſſumus, hodienum haud obſcuram extare eius religionis Scythico-Perſicae atque Celticae, quae Mithram coluit apud Auguſtanos memoriam. Singulis enim annis vetuſtiſſimo more, in vigilia et feſto S. Michaëlis, ſingulis horis, ex altiſſima vrbis turri, quae ſpeculam conſtituit, conſpiciendum exhibetur Spelaeum, olim cataractis, quibus vrſi concludebantur [t], ſubaedificatum, ex quo machina quaedam automatos prodit referens imaginem S. Michaëlis archangeli, infernalis genii ex coelo deturbati fauces telo, tot, quod horarum ictus malleus indicat, ictibus percutientem laetaque victoria triumphum agentem, quam popellus procaxque iuuentus magna ouatione atque vociferatione proſequitur. Eſſe hanc conſuetudinem antiquiſſimam imaginem et repraeſentationem eiectae gentilis ſuperſtitionis, durante adhuc Romanorum colonia caput erigentis, et victoriam coeli de deaſtris prodere facile ciuibus noſtris concedimus, qui ad archangelum Michaëlem hoc triumphi ſpecimen et ouationem publicam referunt. Aſt vnde publicam iſtam ſcenam inſtruendi occaſio enata ſit, nemo hactenus, et ne *Valſerus* quidem noſter, qui diligenter antiquitates Auguſtanas rimatus eſt, detexit. Poteſt autem quilibet in rebus veterum paulo ſupra vulgus ſapiens haud difficulter coniecturis aſſequi, eſſe nobile monumentum vetuſtiſſimae originis Illyricae, id eſt, Celticae atque Scythicae, vnde Vindelicos in has terras commigraſſe ſupra probauimus: occaſionemque ſumſiſſe pios maiores noſtros, cum ſacra Mithrae Scythica atque Celtica olim in Spelaeo eſſent celebrata, et per totam Vindelicorum prouinciam recepta, purgata ab his ſordibus gentilibus religione, memoriam victae ſuperſtitionis

r) Multam huic particulae geographiae veteris lucem conciliat Hiſtoria Celtarum Pelloutieriana, T. I. L. V. c. 8. p. 60 ſeqq.

s) Conf. praeter ſupra in hiſtoria Perſarum nominatos, TH. HYDRVM et PHIL. TVRRE, etiam GRAEVIVM Spicil. PP. et haeret. Sec. II. p. 240. SELDENVS de Diis Syris, Synt. I. p. 170.

t) Inde foro adiacenti nomen der Perlach. Luculento indicio, quae ex vltima antiquitate, venationes ferarum myſteriorum inſtituendorum occaſionem dediſſe tradit, hanc publicam ſcenam Auguſtanorum eſſe deriuandam. Vrſi eiusmodi ante tria ſecula adhuc ibi nutriebantur, vt ex veteribus iconibus turris Perlachiae manifeſtum. Optime haec cum ſpelaeis Mithriacis conueniunt. conf. MOSHEIM. ad CVDWORTH. ſyſt. intell. c. 4. p. 329 ſeqq. conf. MONTFAVCON. antiq. expliquée T. III. fig. 50. IAC. MARTIN. relig. de Gaulois p. 470.

Digitized by Google

tionis ad archangelum Michaëlem, eodem, quo Mithras Arihmanium ſupplantauit, modo, figura et imagine referendi, ſicque ritum ab antiquiſſimo tempore in hac Vindeliciae metropoli obſeruatum ad chriſtianae religionis honorem adhibendi. Cuius coniecturae explicationem firmat, et locus publicus, vbi ſpectaculum editur, et triumphalis pompa, qua victor archangelus Michaël excipitur, et ſpelaeum, ex quo imago archangeli progreditur, et imprimis figura eius imaginem Mithrae taurum mucrone teloque interficientis adeo ex aſſe referens, vt ſponte rerum gnaris hanc coniecturam in mentem venire neceſſe ſit. Solitos autem Chriſtianos veteres memoriam electi gentiliſmi ad S. Michaëlem referre, et ex eadem fere cauſſa in cauernis et ſpecubus ſimile rei ſymbolum exhibere, ex actis hiſtorico eccleſiaſticis conſtat [w]. Quae omnia prolixiori commentario teſtimoniis ſuis roborato digna ſunt, quem tamen hoc loco dare, et trenſeuntes ad Celtas mores atque religiones Scytharum et Perſarum fuſius exponere, inſtitutum prohibet, alioue forte loco, niſi fata interceſſerint, ſingulari diſſertatione explicari merentur. Hoc id inde inferre licet, religionem Perſarum, quam a Scythicis acceperunt, etiam ad Celtas tranſiiſſe, et, hos eam in migrationibus ſuis per Germaniam, Heluetiam, Galliam, Iberiam diſſeminauiſſe: in his enim prouinciis a Celtis olim habitatis eiusmodi Scythicae atque Celticae religionis monumenta hodie delecta ſunt. Alia, quae rem magis adhuc roborant, tanquam a ſcopo noſtro nimis remota, omittimus.

pag. 327. lin. 6. a fin. *Nouam editionem merito optat Cl. Keyslerus.* Eam dudum expectare iuſſit et dare promiſit Cl. MAILLETVS. Poſtulat autem editorem vetuſtiſſimae literaturae et linguarum ſeptentrionalium valde gnarum, et in theologia Celtica atque Hyperborea exercitatum, qualem eſſe Ven. GOTTFR. SCHVLZIVM tot ſcriptiones, lectu digniſſimae, quae ex his fontibus ſcaturiuerunt, demonſtrant.

pag. 328. lin. 22. 23. *Religionem veterem Gallorum deſcribere conati ſunt.* Luculenter id de Stephano Forcatulo, de Philippo Cluuierio, de Elia Schedio, de Iacobo Martino demonſtrauit accuratiſſimus theologiae Celticae enarrator SIM. PELLOVTIERIVS [x], cuius vnus *Tomus poſterior* praeſtantiſſimi operis *hiſtoriae Celticae*, innumeris eiusmodi ſcribillatoribus praeferendus eſt: quem librum legendum Lectori ſuademus, qui veritati proplora de Germanorum religione et theologia noſſe cupiet.

pag. 329. lin. 13. *In hac haereſi fuiſſe, facile perſuadeant.* Diligenter, vt in ceteris, ita in hoc quoque argumento enucleando verſatus eſt PELLOVTIERIVS [y], qui toto *libro tertio* operis praeſtantiſſimi de religione

w) Multa lectione et ſingulari induſtria id demonſtrauit, et exemplo ſpecus S. Michaëli ſacro in monte Gargano, atque in monte Tumba ex inſtituto expoſuit illuſtre academiae Helmſtadienſis ornamentum. FRANCISCVS DOMINICVS HARBERLIN in iucundiſſima diſſ. qua ſelecta quaedam de S. Michaële archangelo expoſuit, qui de argumento haud facile obuio, meretur legi.

x) T. II. L. III. ch. 1. p. 4 ſeqq.

y) l. c. ch. 3. p. 22.

Digitized by Google

ligione Celtarum acturus, postquam obseruauisset, Celtas adorauisse Deum spiritualem atque immaterialem infinitae scientiae, omnipotentiae, iustitiaeque, cuius vestigia in maximo mundi opere se demonstrant, recte tuetur, eos [z] *non cohibuisse parietibus Deos, neque in vllam humani oris speciem adsimilare, lucos ac nemora consecrare, Deorumque nominibus appellare secretum illud quod sola reuerentia vident.* Qua in parte Persis similes fuere, quos supra ex Herodoto didicimus, neque statuas, neque templa, neque aras extruere consueuisse; neque sexum in diuinis admisisse, vnde sequitur, eos, Deos Romanorum atque Graecorum non coluisse, falsumque esse Caesarem, qui contraria Gallis affingit, suorum non satis ad numina gentis attentorum relationibus, deceptum, quod ei saepius euenit [a]. Quanquam autem magna veneratione elementa prosequebantur, et omnibus magnis mundi partibus honorem habebant, constabit tamen ex comparatione cum Persarum religione, qualem supra demonstrauimus, non ipsas mundi partes materiales eos pro Diis habuisse, quod veteribus populis affricant, qui nullibi Deum fuisse cultum nobis persuadere cupiunt, immo nec pro simplicibus diuinitatis imaginibus habuisse, sed credidisse, eos esse templa atque mansiones numinum subalternorum, quae illa inhabitant, et ad hos praesides cultum eos religiosum direxisse. Qua in re, si verum dicendum est, a vetustissimi orbis opinione et theologia non multum recesserunt, castiusque de diuinis statuerunt, quam Graeci, innumero Deorum choro mundum replentes, nec aliter quoque sibi diuinitatis numen conceperunt, quam id patiebatur systema emanatiuum, secundum quod ex infinita Deitatis abysso innumera numina emanarunt per mundi partes diffusa et inter eas dispersa, quae ad vnum tandem fontem deducunt. Quam Celtarum theologiam Samnitas tenuisse, Celtarum propaginem, et ab his magis, quam ab aliis Pythagoram didicisse, quod Deus sit animus per naturam rerum omnium commeans et intentus, ex quo omnium animalium vita capiatur, eleganter conlicit. Sed et reliqua legenda sunt, quae accurate de hoc argumento disputat, quaeque vetustissimam primarum et antiquissimarum gentium theologiam in aprico possunt ponere.

Ibid. lin. 3. a fin. *Inter populi tantum errores numeranda sit.* Aliud enim systema emanatiuum prisco orbi tantopere acceptum postulat, quod vbique diuinitatis siue numinis partes spirituales (veniam verbo rogamus:) agnoscit in mundi partibus habitantes, et religioso cultu prosequendas. Inde tot inter Celtas Dii topici [b]. Id tantum abest, vt neget, qui pro Celti-

z) TACITVS Germ. c. 9.

a) Exemplum habes Lib. VI. c. 18. Dudum animaduertit Asinius Pollio: Commentarios Caesaris parum diligenter parumque cum veritate compositos: cum Caesar pleraque, quae per alios erant gesta, temere crediderit, et quae per se, vel consulto, vel etiam memoria lapsus perperam ediderit: forte reseripturus et correcturus. SVETON. in Caes. c. 56. conf. Hist. des Celtes T. I. ch. 3. p. 125. Similia de TACITO obseruauit HARTH. CHR. RICHARD. diss. de dubia et incerta fide Taciti Ien. 1719. Caesarem tamen defendit MORHOFIVS de Petruin. Liuii c. 4. p. 45.

b) v. CAESAR. l. c. c. 17. TACITVS de mor. Germ. c. 9.

Digitized by Google

Celticae religione a ſuperſtitione liberanda tam fortiter pugnat, PELLOVTIERIVS [c], vt potius plena manu concedat, praeter Deum ſupremum magnum, Celtas numerum intelligentiarum a ſummo numine productarum ſtatuiſſe, quas Deus animandae materiae cauſſa eo fine direxerit, vt pro ſapientiae eius bene placito et ex communicata virtute Supremi Entis ea perficiant, quae ſapientia eius pro ornando et conſeruando mundo rata habuit; ideoque eos habendos eſſe pro numinibus inferioribus ſummo et infinito Deitatis abyſſo, aſt quae ſuis tamen, quibus praeeſſe iuſſa ſunt locis, hominibus longe ſuperiora beneficia poſſint tribuere, ideoque ea ſacrificiis atque cultu religioſo Celtas fuiſſe proſecutos, quo ſenſu locum ex AVGVSTINO [d] memorabilem affert, qui *iſto dogmate propinquiores nobis philoſophos fieri* cenſuit. Vnde non negat eruditus apologeta, eos ex Celtarum mente angelorum inſtar conſiderandos eſſe, et religioſo cultu proſequendos. Quae optamus, viro acuto et eruditiſſimo, cuius iudicio cetera libenter aſſurgimus, non excidiſſent, isque, tuendo Celticam theologiam, contra obiectum idololatriae ſcabiem, non in alterum extremum fuiſſet delapſus, ſed cogitaſſet, ipſum Celtarum de Deo mentem verbis CICERONIS Pythagoreum dogma explicantis ſe ita expoſuiſſe [e]: *Deum eſſe animum per naturam rerum omnium intentum et commeantem, ex quo noſtri animi carperentur.* Hoc enim, ſi verum eſt (eſſe autem verum, ipſe amiciſſimus Pelloutierius olim, eheu! noſter demonſtrauit,) ſequitur inde, intelligentias iſtas, quas Deorum inferiorum nomine inſigniuit, non eſſe entia ſpiritualia a Deo creata, ſed partes diuinitatis ex immenſo Deitatis oceano ſuis ſubordinationibus et limitibus emanantes, et partibus mundi non ad gubernationem *aſſiſtentes*, ſed eas *informantes*, aliud enim ſyſtema emanatiuum non patitur. Quam fuiſſe totius fere priſci orbis theologiam, poſtquam vetuſtiſſimorum patriarcharum traditio de condito mundo ex nihilo ſola Dei voluntate amiſſa fuit, receptumque ſenſu abſoluto principium ex nihilo nihil fit, toties euidentiſſimis rationibus atque teſtimoniis in hiſtoria noſtra philoſophica demonſtrauimus [f], vt actum agere recte cenſeremur, ſi vel verbulum adiiceremus. Quod ideo, memoriam amiciſſimi viri poſt fata refricantes monemus, ne amicitiae, quam veritatis, maiorem nos habuiſſe rationem videremur, multum cauſſae Dei intereſſe rati, vt ab omni maleſana concordia inter tenebras et lucem aeterna veritas de Supremi numinis eſſentia liberetur. Vbi non poſſumus non adſcribere verba aurea IABLONSKII [g], quae ſatis in inquirenda theologia priſci aeui inculcari nequeunt: *utiliſſimum*

c) Ch. 4. T. II. p. 30 ſeqq.

d) De C. D. L. VIII. c. 9. conf. PELL. l. c. ch. 5. p. 52 ſeqq.

e) ch. 4. p. 44. n. 3.

f) Relegat Lector, ſi vacat, quae de Perſarum et Aegyptiorum theologia ſupra prolixe ſatis dicta ſunt.

g) Praef. in P. III. Panthei Aegyptiaci. Dudum eadem monuit IAC. THOMASIVS de exuſt. mundi Stoica p. 21. Quae in contrarium attulit Ven. SCHVERTVS talia ſunt, vt tuto Lectoris iudicio ea relinqui, quae in praef hiſt. phil. hac de re dixerat, queant. Vnam attentionem et iudicium logicum poſcimus, non eruditionem varíam et ingenii fertilitatem, qua huius partis ſectatores plerumque abundant.

esse theologiae gentili colorem orthodoxiae detrahere, docereque, quid ratio sibi relicta luceque diuinae reuelationis destituta possit, quam magni sine ea errores, et amissa traditione siue reuelatione orali patriarcharum primaeua exorti sint; quo melius auctoritati reuelationis inseruiri potest, quam illepida concordia veterum systematum cum reuelatione. Certe si haec recte expendantur, nemini in mentem veniet, quod viro cuidam docto accidit, emanationem a creatione rerum ex nihilo solo vocabulo distantem pronuntiare, quo nihil potest dici per omnem philosophiae diuinioris apud veteres ambitum falsius. Verum haec obiter, et semel dicta hoc loco sufficiant, quae in sequentibus repetere multoties necessitas exigeret, nostra autem impedit breuitas.

pag. 331. lin. 13. *Cum PHILIPPO CLVVERIO nugemur.* Eandem tibiam inflasse Schedium, Lescaloperium, Huetium, Iurieum, Martinum notat, eorumque ineptias redarguit PELLOVTIERIVS [a], quibus plures addi possent [b], si ex immaturo eorum studio res gentilium cum sacris et reuelatione conciliandi, religioni nasceretur vtilitas. Quanquam autem dubitandum non est, Celtas veteres ab Atheismi macula fuisse immunes, et a Graecis in hac impietate multum superari; quo scopo scripsit AELIANVS [c]: *Quis non laudaret barbarorum sapientiam, siquidem nemo eorum in atheismum vnquam incidit, neque in dubium vocant, sintne Dii, an non sint, et curentne res humanas an non? nemo igitur neque Indus, neque Celta, neque Aegyptius eam cogitationem in animum induxit, quam vel Euemerus Messenius, vel Diogenes Phryx, vel Hippon vel Diagoras, vel Sosias, vel Epicurus;* facile tamen concedi potest, exempla ingeniorum friuolorum iam tunc inter Celtas extitisse, quae a nostrae aetatis impietatis fautoribus non sine iactantia et fortioris iudicii gloriatione in reuelationis damnum exprimuntur, candideque fatendum tamen est, nec implacabile aduersus ministros religionis odium, nec ignorantiam tantopere palpabilem, magnumque gradum impudentiae, quae hodie in ista hominum colluuie deprehenditur, a maioribus nostris fuisse vnquam exhibitum [d]. Pulchra autem et memorabilis est atheismi pictura, in sua origine descripta, quam *Edda, mythol. 3.* habet, vbi egregie et ex vero obseruatur, *maximam*

a) L. III. c. 1. n. 9. p. 7.

b) Erudite prorsus in hoc argumento pro asserenda traditionis patriarchalis veritate ex cosmogoniis gentium versatus est Ven. GERDILIVS. Introduz allo studio della religione, L. I. s. 2. §. 1. p. 200. not. h. qui rectius punctum tulisset, si non ad suffundendam suae parti aquam in traditionis necessitate, contra scripturae fidem fuisset abusus, fuisseque memor, primam patriarcharum traditionem periisse, quamprimum humana ingenii industria creationem mundi ex nihilo negare coepisset.

c) Var. hist. L. II. c. 31.

d) Legenda egregia dissertatio Ven. SCHVZII, quae cum antiquitate Celtica ex septentrionali incredulorum hodiernorum mores comparauit, 1755. 8. Quid ad obiectiones veterum respondendum sit, apud PELLOVTIERIVM L. III. ch. 2. p. 13. quaerendum est, qui etiam ad locum CICERONIS Orat. pro Fonteio, qui Gallos impietatis accusat, P. II. respondit. Aliter LIVIVS L. V. c. 46. religionis negligentem haud quaquam esse gentem Gallorum testatus est. Conf. egregius locus DIONYSII HALICARN. L. VII. p. 474. ibidem p. 17. adductus. Humanae autem victimae, quae illis obiiciuntur, feritatis et immanitatis, non autem impietatis testimonia sunt. Toto vero coelo religionem Celtarum a Graecorum et Romanorum abhorruisse, est verissimum.

Digitized by Google

mam partem mortalium auaritiam, faſtum et honores mundanos dilexiſſe, Deumque neglexiſſe, eique obedire renuiſſe, et ſic demum impietatem illam excreuiſſe, vt Deum homines nominare dedignarentur, tandemque diuini nominis prorſus obliuiſcerentur, cui de creatore ſuo aliquid conſtaret. Ad quem atheiſmum practicum, methodum exotericam Druidum, quibus

Solis noſſe Deos et coeli numina vobis
Aut ſolis neſcire datum eſt,

quique hanc doctrinam inter reconditas et ab ipſis tantum illuſtrandas retulerunt, multum contuliſſe vero admodum ſimile eſt, facileque concedi poteſt obſeruationi SCHVBERTIANAE [m].

pag. 332. lin. 24. *Fatum et Stoicam de neceſſitate opinionem vniuerſus ſeptentrio magno affirmauit conſenſu.* Plura Celtarum teſtimonia de hac fati neceſſitate attulit, ideoque omnino conſulendus eſt THOMAS BARTHOLINVS [n], qui obſeruat, *veterum Danorum philoſophiam Stoicis dogmatibus congruentem in multis ſe offendiſſe, ſed mythologiis tanta obſcuritate inuolutam, vt exacte vix queat explicari.* Idem iudicauit *Stephanius* apud SAXON. *in hiſtoria Daniae* [o], cuius verba l. c. adducta ſunt. Nec aliter patitur ſyſtema Celticum, cum Teut ſiue Deum ſummum eſſe animam mundi omnia peruadentem ſtatueret. Quanquam enim ad hunc ſummum numen, rerum omnium ortum et formationem Celtae referebant, materiam tamen ei adiungebant, quod recte monuit PELLOVTIERIVS [p], qui ad STRABONIS teſtimonium prouocat, teſtantis, incorruptibiles eos dicere et animas et mundum: ignem tamen et aquam aliquando praeualitura. Quae prorſus ad normam Stoicam efficta ſunt, et ſenſu mythologico Theut patrem Deorum, hominumque ſatorem, tanquam principium actiuum receperunt, ei adiungentes Terram, ex quorum coniugio mundus eſſet exortus. Vnde recte conficitur eos credidiſſe, aut ſpiritus mundi partes, ſiue materiam inhabitantes emanauiſſe ex principio primo, terramque iis ſuppeditaſſe corpora elementorum: aut Stoicae materiae quandam vim actiuam, inuiſibilem, igneam dari, quae vitae, motusque et ſubſtantiarum auctor ſit, quo pacto dogma melius cohaeret, quam deſideratiſſimus interpres credidit, ſubtilitatem vero prodit Celtico ingenio ſuperiorem. Ex hac autem ſyſtematum, partim emanatiui, partim Pythagoreo-Stoici comparatione cum Celtico, facile iudicari poteſt, quam ferreum et ſtrictum illud fatum, quae eius adamantinae leges ſint, ad quod tamen rerum omnium euentus Celtae referebant, vbi imprimis *Stephanii* obſeruationem h. l. 23. adductam, quam etiam ven. SCHVZIVS [q] attulit, lectorem expendere iubemus: et curatius expendere, quam curam ſummi Numinis de

l) LVCAN. pharſal. I. 440.

m) Hiſt. phil. c. 2. §. 139. p. 267. SCHVZ. de ſtatu animarum poſt mortem ex mente Celtarum et Germanorum §. 4. p. 18. 19.

n) Antiq. Dan. L. II. c. 22.

o) L. I. p. 53. Conf. Ven. G. SCHVZIVS in eleganti comm. de ſtatu animae poſt mortem ex mente Germanorum et Hyperboreorum c. 2. §. 4. p. 90 ſeq.

p) pag. 307.

q) loc. cit. p. 30.

de rebus humanis, maxime vero de fine vitae Odino ſuo (ita enim Deorum hominumque patrem mythologia Celtica vocat [r],) tribuerit gens fera et obſtinatione animi fatorum acerbitati frontem opponens, quae credebat, quaecunque in mundo fiunt, non ſimplici mechaniſmo materiae, ſed intelligentiis, ſiue ſpiritibus eam inhabitantibus eſſe adſcribenda [s]; quae ſtatuit ex horum ſpirituum voluntate, et directione, non aucupia tantum et vaticinia, ſed humanorum quoque fatorum euentus pendere; cum omnem homini libertatem et concurſum negarent, et ad praeſcientiam Deorum actionum et fatorum euentus referrent [t], quam viri quidam docti prouidentiam nominant. In eandem enim Celtarum prouidentiam vel coecam potius Teuti vel Odini, id eſt, animae mundanae neceſſitatem, et ineuitabiles leges, quibus Dii quoque iſti in conflagratione mundi, ſiue crepuſculo ſuo ſubiicientur, fato ſiue prouidentiae Stoicae adeo ſimiles, vt ouum ouo magis non poſſit, reſolui omnia quilibet attentus facile perſpicit. Qua propter, quae de ea ſuo loco [u] dicta et demonſtrata ſunt, ad Celtarum prouidentiam debent applicari. Tametſi autem his maioribus noſtris in ea re faciliorem veniam damus, quam Stoicis, cum non talibus, qualia Stoicos habuiſſe conſtat, ingeniis metaphyſicis eorum Druidas fuiſſe inſtructos, et coelum, et natio, et educatio, et conſuetudo gentis tantum non euincant [x], multo minus autem ideo impietatis maculam inurimus; cauendum tamen eſt a nimiis laudibus, quibus illi mactari a nonnullis viris doctis ſolent, qui non caute ſatis ad ſenſum nexumque ſyſtematis Celtici attenderunt, vocibusque magnificis, (vt in Stoicis quoque euenit,) ſe decipi paſſi ſunt [y]. In quam παρεμπνείαν eos incidere neceſſe eſt, qui non ad principiorum et ſyſtematum mentem ſatis attendunt: id quod in ſyncretiſmo philoſophicae hiſtoriae multoties accidit.

pag. 332. lin. 7. a fin. *Pulchre demonſtrauit* BARTHOLINVS. Iucunda ſunt et grata vetuſtiſſimae philoſophiae ſcrutatoribus, quae vir iſte longe doctiſſimus, ea de re in *antiquitatibus Daniae* [z] attulit: Iucundius tamen ex ipſo fonte haurire, et quae mythologia ſeptentrionalis de hoc fatorum ordine et diſpenſatione allegorice narrat intelligere. Ita autem Edda [a] recitans, quid egerit Odinus, poſtquam eſſet aedificatum Aſgar-

r) Legenda ſunt illis, qui mythologiis veterum delectantur, quae eleganti lectione rerum Celticarum et ſeptentrionalium adiutus S. Reu. SCHVZIVS l. c. §. 4. p. 91 ſeqq. attulit, doctrinamque Celticam de fato illuſtrauit.

s) Conf. Hiſt. des Celtes T. II. ch. 4. p. 48.

t) Ibid. p. 49. Haec imprimis notanda ſunt. Ideo foeminis multum in vaticiniis tribuebant. TACIT. c. 8.

u) T. I. Hiſt. phil. p. 925 ſeqq. quae prius legenda et expendenda ſunt, priusquam de prouidentia Celtarum iudicamus.

x) Contrarium viſum eſt Cel. SCHVZIO l. c. p. 111. qui Graecos ingenii acie Druidas non ſuperaſſe ſcribit. Sed ſalua res eſt, non enim Celtarum doctoribus denegamus ingenium, ſed acumen metaphyſicum, characterem genuinum Graecanicae philoſophiae. Hunc barbaris tribuere velle, eſſet miſcere quadrata rotundis.

y) Vnum fere hoc eſt, quod in incomparabili hiſtoriae Celtarum opere nobis diſplicet. Sed non vidit vir nunc inter coelites triumphans conſequentias, putauitque ſyſtema Celticum non ſatis cohaerere.

z) L. III. c. 1. p. 659.

a) Myrhol. 13. in quo loco valde memorabile eſt, hominem naſcentem in origine eſſe vermem, nec nova vidiſſe phyſicos noſtros.

Digitized by Google

Asgardum: *inprimis rectores pantopater* (Odinus) *in sedes collocauit, qui secum fata hominum iudicarent et dispensarent, deque ciuitatis statu consultarent: - - - sedes denique regias conscendentibus Diis, considerarunt, vt orti fuerint nani, in puluere intra terram, sicut vermes in cadauere; illi namque initium et motum ex humore in carne Tyneris ceperant, et tunc vermes erant; sed iussu Deorum humanae scientiae vt et similitudinis compotes reddebantur, intra tamen terram et in saxis habitant* etc. Loquitur de iis spiritibus intermediis, quos in saxis magnisque terrae corporibus habitare Celtae credebant; a quibus fatorum discrimina pendere, vitaeque humanae arbitrium credebant, quas §. seq. describimus. Hos a supremis Diis ad id ordinatos et praefectos esse, vt fatorum seriem et circulum describerent, vetus ista traditio indicat. Tolle velum mythologiae, et habebis ordinem systematis emanatiui, ex vno fonte in emanationes inferiores descendentis, vnde vita et mors hominum ab earum ordine et modificatione pendere dicitur. Idem ex vaticinio Volae recitat Latine STEPHANIVS[b] quo Parcarum originem, officiumque in distribuendis hominum fatis, vita et morte, recensitis nanorum istorum nominibus, expossuit, quae hunc emanationis ordinem mire illustrant.

pag. 332. lin. 3. a fine. *Roboribus, saxis, lucis, cauernis et his similibus numina praefecisse.* Id imprimis de magnis mundi corporibus, et elementorum sedibus valuit, in quibus magna residere numina, humano generi benefica, sibi persuadebant, et imprimis terrae, igni, aëri, aquae, fontibus et fluminibus, item sideribus, soli lunaeque; quas mundi partes diuinitus animatas cum mira deuotione colerent, factum inde est, vt Romani nationesque vicinae has diuinas animae mundanae partes vel emanationes potius suae religioni Deorum nominibus insignirent, quo pacto vni eidemque numini diuersa nomina obtigerunt, de quibus ex illarum gentium, vnde desumta sunt, hypothesibus, disputare velle, inutile est atque absurdum [c]. Cuius vt exemplum habeamus, nihil magis cultum poscere statuebant Celtae veteres Septentrionales, Occidentales, Germani, Galli, Britanni, quam terram, quam Scythae hyperborei simili veneratione prosequebantur, et quam admirabili sapientiae ordine atque vicissitudine humanae societati innumera beneficia afferre videntes a beneficentissimo numine quodam non irradiari tantum, sed totam tanquam regiam possideri, proximamque esse *πρυπάτορι*, siue summo numini Theut credebant, et ex eius cum terra connubio omne genus animantium, maxime vero hominum enatum esse, sibi persuadebant. Inde cultus diuinus, tanquam vxori Dei, terrae, exhibitus, variis nominibus insignitae; inde variae appel-

b) Nornas vocat Edda, Latini dixere Parcas, ad quem Volae §. 9. locum multa erudite cumulat Cl. SCHVZIVS l. c. p. 95 seqq. Hic gnomas et sylphas et salamandros comitis Gabalis Lectorem recordari iubemus.

c) Ad hunc lapidem vehementer post alios supra notatos offendit Gallicae religionis enarrator IACOBVS MARTINVS, qui omnia inter se miscuit.

appellationes apud diuerſas nationes Celticas, Scythis enim Apia, Thracibus Cotis et Bendis, Phrygibus Rhea, Italis Ops, Germanis Frea vel Hertha dicta eſt, cuius cultum barbarum quidem et a Romanorum et Graecorum conſuetudine et ritu multum abeuntem, ſed ſimplicem canaeque vetuſtatis ſigna pulchre exhibentem deſcribit TACITVS [d] dignus, qui ipſe audiatur. *Reudingi*, ait, *Auiones, Angli, Varini, Eudoſes, Suardones et Nuithones, fluminibus aut ſyluis muniuntur, nec quicquam notabile in ſingulis, niſi quod in commune Hertham, id eſt, terram matrem colunt, eamque interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur.* Tum feſtum terrae numini celebratum deſcripturus, pergit: *eſt in inſula oceani caſtum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veſte contectum, attingere uni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali Deam intelligit, vectamque bobus foeminis, multa cum veneratione proſequitur. Laeti tunc dies, feſta loca, quaecunque aduentu hoſpitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma ſumunt, clauſum omne ferrum: pax et quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem ſacerdos ſatiatam conuerſatione mortalium Deam templo reddat. Mox vehiculum et veſtes, et ſi credere velis, numen ipſum ſecreto lacu abluitur, ſerui miniſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. Arcanus hinc error, ſanctaque ignorantia, quid ſit illud, tantum perituri vident.* Ex qua memorabili narratione Taciti non tantum conſtat, quanta ſanctitatis reuerentia, gentes ſeptentrionales terram, velut maximum numen coluerint, ſed quas artes quoque atque technas adhibuerit impoſtura Eubagum ſiue ſacerdotum vatumque, vt horrore ſacro incuſſo ab inſpectione myſteriorum ſuorum vulgi curioſitatem arcerent. Similia de Aeſtyis, qui hodie Boruſſi audiunt, refert [e], matrem Deum eos venerari, et inſigne ſuperſtitionis formas aprorum geſtare, nempe tanquam amuletum; addit enim: *id pro arm[illegible]omniumque tutela ſecurum Deae cultorem, etiam inter hoſtes praeſtare.* Quo teſtimonio diſcimus, ſuperſtitionem de arte muniendi corpus contra vulnera, (veſt machen) maioribus noſtris dudum et antiquitus fuiſſe in vſu, intelligimus etiam, quam impio et inepto fundamento illa ſuperſtructa fuerit [f]. Adderemus plura, PELLOVTIERIO duce, qui huc ſacra quoque Rheae apud Phryges, et Dianae Epheſiae atque Tauricae cultum trahit, quae ſacra Celticae originis eſſe demonſtrare, magna doctrinae et lectionis copia annititur [g], niſi prolixam illa tractatio diſquiſitionem de migrationibus poſterorum Gomeri ſiue Celtarum poſceret [h], quam prolixitatem haec pagina refugit. Poſſent haec omnia de reliquorum quoque Elementorum gubernatoribus, Neptuno, maris atque fluminum, Ioue fulminum et ignis rectore, et imprimis de oriente ſole, exponi atque illuſtrari, ſi theologiam Celticam enarrandi hic locus eſſet; quae tamen, cum infinitae lectionis curioſitate omnia occupauerit auctor *hiſtoriae Celticae* doctiſſimus,

d) cap. 40. e) cap. 45.
f) Poſſunt haec cum moribus populorum Africae, qui ſuos fetiſchios et Griegris habent, iucunde comparari. Idem enim vbique fundamentum eſt. g) l. c. p. 179 ſeqq.
h) Conf. hiſt. vniu. T. IV. § 546 p. 46.

Digitized by Google

mus, malumus Lectorem ad elegantiſſimam tractationem iſtam dimittere, quam in limine deterrere, certi, non ſine animi iucunditate eum ab hac lectione eſſe receſſurum i).

pag. 333. lin. 17. *Hanc ſuorum temporum ſuperſtitionem veterem paganorum errorem eſſe.* Multum ita confirmatur auctoritas Eddarum et mythologiarum ſeptentrionalium; conſtat enim ex his imperatorum et concliorum interdictis, inter vetuſtiſſimae ſuperſtitionis genera iſta fuiſſe relata, et euelli ex populorum animis ſatis non potuiſſe, adeo, vt, ſub capitis ſupplicio, fuerint prohibenda. Haec cum Eddae nobis canant, dubium non eſt, ſi non ipſas Volae, ſiue Sibyllae ſpaeas, et recitationes, atque carmina, eorum tamen argumenta ibi inueniri vetuſtiſſima. Cuius vt lector exemplum habeat, attendere eum iubemus, ad prohibitionem itinerum daemoniacorum per aëra ſuſcipiendorum. Hunc antiquiſſimum morem huius gentis fuiſſe, vt talia iactarent, vel vna Abaridis hiſtoria, qui talis ἀηροβάτης fuit, ſatis ſuperque confirmat, nosque ad eum delati pluribus roborabimus. Non videmus ergo, cur ceterarum gentium, Aſſyriarum, Perſicarum, Aegyptiarum mythologiis, demto velamine, fidem quandam dare, Celticis denegare velimus, quibus tempus compilatorum atque aetas ex medio aeuo non magis obſtat, quam Graecae et Romanae mythologicus NATALIS COMITIS commentarius, quamuis non negemus, recentiora haud pauca a Chriſtianis ſcriptoribus immiſta eſſe, quae a veteri ſyſtemate ſeeernenda ſunt.

pag. 334. lin. 10. *Indicatos a cel. WOLFIO.* Magno conatu id egit deſideratiſſimus PELLOVTIERIVS noſter k), vt demonſtraret, Celtis vetuſtiſſimis ſyſtema dualiſticum, quod vocant, non placuiſſe, nec poſuiſſe eos duo principia aeterna et intelligentia, bonum atque malum. Id quod occaſionem ei dedit argumenta, quae in contrarium afferri ſolent, examinandi, et imprimis de ſpiritibus intermediis quibusdam, mulierum appetentibus, quos daemonas Duſios Gallos nominare auctor eſt S. AVGVSTINVS l), mentionem faciendi, quae omnino omnia illi concedi poſſe, facile largimur, rationum infirmitate perſuaſi. Praeſertim autem daemones illi mali, quos beatus doctor Duſios a Gallis vocari tradit, male huc trahuntur, cum apertum ſit, eos ex Graecorum diſciplina, quae de his, Siluanis, Faunis atque Satyris aliisque ſpiritibus intermediis, corpore quodam ſubtiliſſimo amictis, plurima garrit, et a qua opinione ne PP. quidem alienos fuiſſe conſtat, tunc a Gallis fuiſſe receptos, cum Graeci inter eos habitare, Gallorumque placita atque mores ad ſuae gentis myſteria et conſuetudines atque opiniones effingere coepiſſent. Quanquam, ſi *Edda* audienda, totaque ſpirituum intermediorum curia inſpicitur, fatendum eſt, omnino inter eos multa eiusmodi ex Celtarum veterum mente

i) Inde iudicandum quid de iudicio Cel. SCHVBERTI hiſt. phil. c. 2. ſ. 10. §. 41. p. 272 ſqq. ſentiendum ſit.

k) L. III. ch. 5. p. 59 ſeqq.

l) De C. D. L. XV. c. 23. T. VII. opp. fol. 309. ed. Ben.

genera ſpirituum intermediorum admiſſa eſſe, quos nanos Voluſpa [m] nominat ex Brimeri ſanguine et blauiis (coeruleis) cruribus, interque eos Morſognerum primas obtinuiſſe inter nanos omnes, Durinum autem ſecundas, qui nani multas finxerunt humanas effigies ex terra; quarum poſtea nomina, pygmaeorumque iſtorum familias ſeptentrionales, meridionales etc. magna caterua recitat, parcarum officia, ſupra memorata deſcribit, et quae ex hoc ſtatu moleſtiae atque bella exorta ſint, canit. Quae vt ſimilia ſunt giganteis titanum tumultibus, ita haeremus, an omnia pro pure Celticis haberi debeant, et annon exoticum aliquid admiſtum ſit [n]. Illud tamen ex hoc aliisque Eddae locis certum eſſe putamus, credidiſſe Celtas veteres inter ſpiritus hos intermedios, qui ex anima mundi emanarunt, quoſdam eſſe malignioris naturae, nempe illos, qui longius a primo puriſſimoque fonte remoti corpus aliquod ſubtile ſiue ὄχημα acceperunt, quod ſecundum emanationis leges aliter quoque euenire non poteſt, quam vt emanatiua longiſſime a fonte emanationis remota tandem lucis naturam amittant, fiantque craſſiora, materialia, malaeque indolis: quo pacto non tantum veteris orientis ſucceſſores philoſophi Orientales et cabbaliſtae ſtatuerunt [o], ſed et ipſos Perſas, a quibus tamen Pelloutierius Celtas migratione et colonia tantum diſtinguit, docuiſſe in luculenta explicatione ſyſtematis Zoroaſtrei ad noſtram cogitandi rationem paulo clarius reuocati, manifeſtum fecimus [p]. Certe parum habet veriſimilitudinis, vt id pace piarum manium hiſtorici Celtarum addamus, cultum, quem Sarmatae et Saxones numini cuidam malo, nigro, Diabol aut Zernebock a Slauis vocato praeſtiterunt [q], tantum ex male intellecta Chriſtianorum doctrina de diabolo mali omnis auctore, fuiſſe ad has gentes ſec. VIII. propagatum; hoc enim, ſi admiſiſſent gentes ethnicae et Chriſtianis infenſae, alia quoque ad religionem pertinentia eos ſimiliter recepturas fuiſſe, recte colligitur. Cum autem per totum Orientem doctrina de principe quodam numine, bono Deo contrarianti, peruagata ſit, id quod de Aſſyriis, de Perſis, de Indis, de Aegyptiis ſuo loco demonſtrauimus, par omnino eſt credere, traditionem patriarchalem de ſatana rebelle angelo et defectore, malorum omnium auctore, inter poſteros Noachi veſtigia poſt ſe reliquiſſe; quae vbi ſemel traditionis puritas obiit, fabularum inuolucris tecta et a ſacerdotibus ad arcanas rationes et χρείας δόξας confirmandas adhibita, et ex temporis et circumſtantiarum conditione comta, indeque innumerae de malis ſpiritibus intermediis fabulae excogitatae ſunt. De quo argumento ea lectorem recogitare iubemus, quae ſupra de origine dogmatis de Arihmanio Perſa, (quod fruſtra de Perſis negare videtur Pelloutierius) itemque de Typhone Aegyptio diſſerumus:

m) Stroph. 9. et ſeqq.

n) Haec et talia ex comparatione mythologiae Graecae vetuſtiſſimae, Phrygum aliarumque Aſiae minoris gentium cum Scythicis peculiari diſquiſitione curatius merentur determinari.

o) Ex inſtituto hoc explicatum T. II. H. P. p. 1015 ſeqq.

p) T. I. p. 181 ſeqq.

q) Helmold. Chron. Slau. L. I. c. 53. p. 136.

Digitized by Google

mus: quaeque facile perſuadere nobis poſſunt, inter ceteras quoque veteres gentes eadem traditionis ſenſim euaneſcentis veſtigia deprehendi. Quam ne hodie quidem exoleuiſſe, et ex vetuſtiſſima patrum traditione per omnes fere orbis Meridionalis, Aſiatici, Americani, et ſeptentrionalis partes adhuc obtinere, peregrinantium nobis fides tradit vnanimiter: quod ſufficiens teſtimonium traditionis alicuius vetuſtiſſimae a primis originibus inter populos eſſe, facile concedent, qui ratiocinandi legibus aliquid tribuunt. Verum his longius inſiſtere a noſtro ſcopo alienum eſt.

pag. 336. lin. 6. *Idem etiam Valerius Maximus, et Strabo aſſerunt.* Plurибus id, veterum locis adductis, probatum dedit PELLOVTIERIVS [r], cuius imprimis obſeruatio notari meretur, doctrinam de immortalitate animae non ſolum ſero ſatis Graecis innotuiſſe, et fuiſſe dogma ſpeculatiuum tantum, nec ad vitam moresque humanae ſocietatis relatum, ſed Celtas quoque his multum aetate ſuperiores inter *κυρίας δόξας* ſapientum in vulgus traductas ſuorum id retuliſſe, et imprimis memorabile religionis et ſocietatis humanae fundamentum conſtituiſſe. Quae ratio eſt, cur ex vniuerſa illa theologia eſoterica, quam Druidae tantopere ſibi arcanam ſeruabant, hoc vnum ex iis, quae praecipiebant, in vulgus effluere paſſi ſint, aeternas eſſe animas vitamque alteram ad manes. Vnde patet, animae immortalitatem inter fundamentales humanae ſapientiae doctrinas nobilem tunc locum occupauiſſe. Tolle primarium hoc religionis et ſocietatis caput, et non habebis vinculum, quo humanam felicitatem virtutis actione firmatam connectas. Iſta autem perſuaſio eo facilius locum apud Celtas obtinere potuit, quod non tantum creationis hominum ex nihilo ignari, ortum generis humani ad immortalem creatorem ita retulerunt, vt Odinum, ſiue Vodanum, ſatorem atque patrem animae atque vitae haberent atque dicerent, ſed genuiſſe eum quoque animam ex ſe, ſiue ex anima mundana ſtatuerent. Legant, qui de his dubitant, quae de Deo Teut Celtarum, qui idem eſt cum Vodano et Odino, copioſe et curioſe collegit PELLOVTIERIVS [s], vt intelligant ſummum Deum velut mundi animam materiam tanquam vxorem ſibi habuiſſe vnitam, exque terra omnia corpora finxiſſe, Deos inferiores autem animasque ordinatas ad informanda corpora et inhabitanda ex ſe produxiſſe. Qua in re cum omnes fere populi veteres conſenſerint, nec ſtatuere aliter, creationis ex nihilo ignari, potuerint, non miramur, magnopere idem Celtis quoque placuiſſe. Tradit hoc etiam et conſentit Edda, cuius *Mythologia ſeptima*, quae de hominum origine agit, de

q) Conf. HVET. Qq. Alnet. L. II. c. 4. §. 8. p. m. 105. PFANNER. Syſtem. theol. gentil. pur. c. 8. §. 7. p. 177. et ſimiles, quorum tamen rhapſodiae, ex innumeris locis et enarrationibus eorum poſſunt augeri, et ex parte emendari, qui gentium ritus, religiones, dogmata deſcripſerunt. Inter quos cum praeter Opus hodoeporicon Britannorum, a PREVOSTIO ad finem perductum auctores hiſtoriae vniuerſalis Britanni ſedulo fuerint, fontesque, vnde ſua hauſerunt, plerumque indicauerint, hi compendii cauſſa de eo argumento merentur conſuli.

r) loc. cit. p. 310.

s) loc. cit. p. 65 ſeq.

ſummo Deo Odino, refert, *condito a ſpiritibus intermediis, quos Borſoniar vocat, humano genere, qui animam et vitam, motum et ſcientiam, faciem, auditum, ſermonem et viſum illi dederant, Odinum tanquam ex generali ſpecula totum mundum fuiſſe intuitum, omniumque hominum facta vidiſſe: habuiſſe uxorem Frigam Tirguini filiam, hinc ortam eſſe familiam, quam Aſarum appellamus familiam. Ideo Odinum recte appellari omnium patrem,* (Allfader) *quia pater ſit Deorum hominumque, et omnium rerum, quae eius virtute perſtitibantur. Terram autem fuiſſe filiam eius et coniugem* etc. Certe parum ſapit, qui non emanationis ſyſtema, modo vetuſtiſſimorum populorum expoſitum, quo omnia ex ſummo Deo, mediantibus emanatiuis principiis prodierunt, copulata deinde vel infuſa potius materiae, vt orbis viſibilis compareret, manibus palpat. Ex his reſeranda ſunt myſteria Celtica de creatione ortuque rerum, de prouidentia rerum et factorum gubernatrice, immo de futura quoque, ad quam omnia reditura ſunt, perfectione, quae Pelloutierius, Schvzivs "virique docti alii in laudatis tractationibus ſuis explicant, veterumque teſtimonia de his rebus docte cumulant. Rectequе, niſi nos omnia fallunt, prior, licet aliquantum incertus, hanc Celticae coſmogoniae explicationem dedit [x]: „cum Celtae cognouiſſent, „mundum habuiſſe initium, eius originem illos retuliſſe ad Deum Teut' „eiusque feminam terram: priorem fuiſſe principium actiuum, alterum „materiam, principium paſſiuum: horum principiorum vnionem pro„duxiſſe non ſolum homines, ſed et Deos, non minus e materia produ„ctos quam res alias omnes, viſibiles et corporales." Quibus vir acutus hanc quidem obiectionem affigit, videri ſibi contradictionem manibus palpari in hac Celtarum theologia; cum enim Deos ſpirituales et inuiſibiles adorauerint, non potuiſſe eos ſimul affirmare, Deos eos eſſe productos ex materia: fateturque, ſe non poſſe comprehendere, quomodo duo haec dogmata toto coelo ſibi contraria inter ſe conciliauerint? Vidiſſet id vir longe doctiſſimus, ſi modo explicationi a ſe ipſo ſuppeditatae paulo altius inſiticiſſet: „pergit enim: fortaſſe credebant, quod ſpiritus „gentique, qui in materia reſident, emanauerint ex ſummo primoue principio, quodque terra tantum corpora ſuppeditauerit illis formanda, qui ad ea inhabitanda a ſummo principio deſtinabantur. Id quod recte vidiſſe virum perſpicacem, nec aliud credidiſſe vetuſtiſſimas Celtarum gentes, quam antiquiſſimi Aſiae et Aegypti populi credebant, hodieque adhuc credunt, ex primaeua gentis ſuae traditione Indorum populi comparatio inſtituta iucunde demonſtrabit. Ita vero non philoſophorum tantum Celticorum, ſed dogmatum hiſtoriam explicari, ipſe fatebitur, qui hunc in philoſophiae veteris ſcriptoribus defectum verbis Leibnizii notat,

x) De ſtatu animarum poſt mortem ex mente Celtarum et gentium ſeptentrionalium cap. 2. p. 75 ſeqq.

x) l. c. ch. 17. §. 2. p. 306.

y) Idem qui Gallis Dis apud Caesar. L. VI. c. 18. B. G.

Digitized by Google

notat, non tamen ſupplet literatiſſimus SCHVZIVS [a]. Ceterum has rerum omnium ex Deo origines coepiſſe in tempore ex *Edda* [c] luculenter conſtat, ipſiusque *Volae* vaticinio [b], a nobis h. l. allato. Quod meretur cum coſmogoniis veterum populorum diligenter comparari, cum eandem antiquitatem obtineat. Hunc ſupremum omnium rerum fontem *Edda* vocat Alfaderum, patrem omnium, „eumque per ſecula, ait, „viuere et regnare, magna et minima regentem; eum coelum et terram „condidiſſe, omnemque eorum poſſeſſionem, et quod maximum eſt, „hominem feciſſe, cui animam tribuerit ſemper victuram, nunquam „interituram, etſi corpus putreſcens in puluerem terrae aut in cinerem „per ignem redigatur, victuros omnes homines bene moratos, cum ipſo „in loco, qui Gimle vel Wingulf (amicorum palatium) dicitur: ſed ma„los ad Helam (Hoelle deam inferni) inde in Niffelheimum, (locum „cruciatus) abituros [c]." In quibus verbis, ſuſpicamur quidem, immixtum aliquid eſſe a compilatore Chriſtiano, ipſum tamen argumentum ad ſyſtema, quod expoſuimus, egregie quadrat, ex quo ratio dari poteſt, cur animis malis aeternos cruciatus mythologia tribuerit, nempe quod ex aeterno fonte emanauerint. Verum haec ſuſpicari ſufficit.

pag. 337. lin. 25. *Ioannes Georgius Frickius*, *Simon Pelloutierius*. Legendus poſterior et eo magis audiendus, quod longe accuratius, quam in allegato bibliothecae Germanicae loco factum eſt, totum argumentum, in hiſtoria Celtarum [d] ita perorauit, vt tantum non aſſenſum extorqueat. Idem more ſuo eleganter et non ſine dicendi ornatu multis argumentis egit Cl. SCHVZIVS [e], de doctrina Celtica circa fata poſtrema meritiſſimus, qui eruditum et maſculum, at modeſtum tamen apologetam maiorum noſtrorum egit, et Imprimis demonſtrare aggreſſus eſt, ſyſtema metempſychoſeos, quale Pythagorae tribuitur, cum ſyſtemate Celtico de ſtatu animarum poſt mortem non poſſe conſiſtere: quibus addimus magni nominis et doctrinae theologum B. Io. LAVRENTIVM MOSHEMIVM [f], qui idem argumentum tetigit, et ὁμόψηφον nominauit praeter Martinum, Benedictinae familiae alumnum l. c. a nobis allegatum, IACOBVM LE BEVF [g]. Et hos quidem viros doctiſſimos in hoc argumento audiendos eſſe eo magis aequum eſt, quo magis decretoriam ſententiam interpoſuiſſe videntur, quamuis non omnes iisdem rationibus rem fuerint aggreſſi. Maxime vero laudanda eſt Pellou-

a) l. c. p. 181. Dudum id iam vidit HELMOLDVS in Chron. Slau. L. I. c. 83. ita enim: inter multiformia Deorum numina vnum non dificentur Deum ceteris imperitantem: illum praepotentem coeleſtia tantum curare, hos vero diſtributis officiis obſequentes DE SANGVINE EIVS PROCESSISSE, et vnumquemque eo praeſtantiorem quo proximiorem illi Deo Deorum. Quae pulchre ſenſum ſyſtematis emanatiui exprimunt.

c) Mythol. §. 4. b) Stroph. 3.
c) loc. cit. myth. 3.
d) T. II. ch. 18. p. 332 ſeqq.
e) l. c. §. 8 ſeqq. p. 119 ſeqq.
f) Diſſ. de reſurrectionis dogmate a Chriſto in lucem reuocato, diſſ. ad hiſt. eccleſ. pert. Vol. II. pag. 641.
g) Diſſ. ſur l'aſile ſepulcrale des anciens, T. II. du recueil de divers ecrits pour ſervir d'eclairciſſement al'hiſt. de France p. 345.

Digitized by Google

Pellouteriana perſpicuitas, qui in argumento, in quo multa inter ſe commixta ſunt ac confuſa, diſtinctis poſitionibus, rem in clara luce ponere aggreſſus eſt. Nempe I. ſuppoſita, quam gentes omnes Celticae admittebant, immortalitate animae, probat, ex eorum mente dari poſt mortem vitam ad manes, quae Melae vox eſt, et praemia atque poenas, exque hoc dogmate fundamentali multas conſuetudines Celtarum, pluribus ab eo explicatas dignasque, quae apud ipſum legantur, originem accepiſſe, docet. II. Credidiſſe eos reditum in vitam; attamen III. ſemel tantum, nempe vt immortalitatem conſequantur, adeoque corpus illud cum anima copulatum, in altera vita, ſortis ſuae conditione accepturum reuluiſcere, et beatorum fata in inſulis beatorum, paradiſum voluptatum habitura, quas in Britannia extare neſcio qua perſuaſione ſomniabant. His ex veteribus ſcriptoribus probatis, ex Edda Islandorum porro addit, locum illum beatorum, quo ſumma felicitate poſt fata fruentur, eſſe Valhallam, palatium magni Odini, quod non ingrediantur, niſi violenta morte peremti, cum reliqui naturali fato erepti ſub terra triſtem ſortem experiantur, priusquam admittantur in coeleſtia. Hanc Helam eſſe, atque inde Niſlheimur, et hanc quidem cauſſam eſſe, cur auctore VALERIO MAXIMO [h] *Cimbri et Celtiberi in acie exultauerint, tanquam glorioſe et feliciter vita exceſſuri: lamentati autem fuerint in morbo, quaſi turpiter et miſerabiliter perituri*: idque effeciſſe, vt Germanorum plurimi laqueo ſibi mortem intulerint. His delicias fortiter occumbentium et in Valhalla alterius vitae felicitate fruentium ex Edda adiicit, quae huc transferre, cum alium locum poſtulent, et longiora ſint, quam vt exſcribi hic poſſint, apud doctiſſimum Celticae hiſtoriae narratorem, et imprimis in ipſis Eddis quaeri a curioſo lectore cupimus [i]. Conſpirant cum his pleraque, quae eruditiſſimus SCHVZIVS [k] attulit, digna quoque, cum luculentam explicationem contineant, quae apud ipſum, ex Eddis potiſſimum collecta legantur, adiiciantur Pellouterianis obſeruationibus tanquam

b) L. II. c. 6. §. 11.

i) EVSEB. praep. eu. L. VI. c. 10. p. 177.

k) Pulchre, quod ſolet et luculenter argumentum hoc excuſſit, et neceſſariis teſtimoniis roborauit eruditiſſimus ſcriptor l. c. c. 3. integro p. 273 ſeqq. cuius ſummam illis, qui Germanicam tractationem legere non poſſunt, heic in compendio damus. Totum autem argumentum eo redit: Duplex iuxta Celtas coelum eſt, et duplex infernus: illud primum Valhalla eſt, domicilium Deorum ad Orientem ſitum, pulcherrimum et coeleſti dignitate coruſcum, huic paradiſo praeeſt Odinus, ſocio Deo Thot, et vxore Odini Freya. In hanc ciuitatem coeleſtem non niſi heroës recipi fas eſt, ab ipſo Odino eiusque miniſtris Valkyriur receptos. Ex beatarum quidem manium negotium ſunt epulae, pocula, palaeſtrae, certamina atque pugnae ludicrae, quibus Odinus dux praeeſt, et cuique locum ex dignitate atque merito aſſignat. Huius Valhallae, ſiue paradiſi heroum duratio extenditur vsque ad finem mundi, cuius partem eſſe Celtae credebant, vnde ſequebatur vniuerſali eam ruinae ſri inuolutum. Succedit autem Valhallae paradiſus aeternus, Gimle dictus, non ſolis heroibus deſtinatus, ſed omnibus, qui temperanter atque iuſte vixerunt, aeternis gaudiis cumulandis, ſuisque domiciliis voluptatis plenis diſtinctus, et huius quidem aeterna duratio eſt. Valhallae opponitur Niſlheimur ſiue infernus, cuius numen Hela, Locki filia, a qua nomen ipſe infernus accepit, quod ne hodie quidem exſpirauit. In hanc infelicitatis carcerem detruduntur animae viles, vitiis et imprimis ignauia et timiditate corruptae, quae variis cruciatibus vexantur, dimenſis pro gradibus ſcelerum. Et hoc quidem inferno quoque cum mundo conflagrante, ſequitur terribilis Naſtrond, cuius infelicis ſedis nec duratio, nec modus definiri poteſt, nam et illa aeterna eſt.

Digitized by Google

tanquam ſpicilegium [l]. Secundum huius viri docti obſeruationes, duplex fato functorum fatum conſtituebant Celtae veteres, alia enim fata ſequi eos, qui vitam fortiter, et ex virtutis praeſcripto egerint, alia, vitiorum vitaeque ſceleſtae conuictos: et illos quidem in Valhalla et Gimle, hos in Hela et Naſtrond futurae vitae ſortem experturos. Valhallam vero beatorum ſedem a Gimle ita diſtinguebant, vt in Valhallae palatio more heroum in curia beatorum triumphantium vitam agere, Celticis moribus ſimilem dicerent, has autem delicias cum conflagratione mundi terminarent, commorationem vero in Gimle per omnes aeternitatis circuitus beatis animabus, quarum virtus aeternum coronanda eſſet, tribuerent. Et pari quoque modo inter Niflheimur, et Naſtrond diſtinguebant, et illius quidem aerumnas et miſerias cum mundi fine atque ἐκπυρώσει terminabant, et poſt hoc Deorum crepuſculum, (ita enim magnam mundi rerumque conuerſionem vocabant,) reditum ad beatiores ſedes promittebant; cum Hela et Niflheimur tunc quoque finem habiturae ſint; ex Naſtrond autem damnatorum habitaculo omnis per aeternitatis circuitus reditus ſpem denegabant. Hanc de futurae vitae ſorte doctrinam prolixe poſtea vir doctiſſimus ſingulari tractatione expoſuit, et Valhallae atque Gimle conditionem, cum Niflheimur, Helae domicilio et Naſtrond ex veteris mythologiae aenigmatibus luculenter delineauit. Quibus omnibus, cum a doctiſſimis his duumuiris indubitatis veterum locis corroborata ſint, lubenter accedimus, iubemusque lectorem ex illorum obſeruationibus, ea quae a nobis dicta ſunt, lucem vlteriorem et clariorem accendere, et quae de Valhallae et Gimle, itemque Niflheimur, ſiue Helae, atque Naſtrond diſcrimine non dilucide ſatis, praeuio *Keyslero* atque *Beriomio* diximus, ex his obſeruationibus medicinam adhibere: quamuis praeter rem cl. SCHVZIVS nobis tribuat, nos finem totius conuerſionis rerum poſt fata cum mundi conflagratione poſuiſſe, cuius contrarium ſuo loco ſatis luculenter aſſeruimus. Adeo vero firma de futura felicitatis ſede Celtarum, opinio fuit, vt de Gallorum nonnullis MELA narret, *eos ſe in rogos ſuorum velut una victuros in altera vita libenter immiſiſſe.* Similia de Solduriis habet CAESAR [m], de Celtiberis VALERIVS MAXIMVS [n]. Quae quanquam ſe ita habent, et demonſtrant, fruſtra eos eſſe, qui Pythagoream metempſychoſin Druidum ſcholis tribuunt; luculentis tamen, quae allata ſunt, veterum locis confirmati non negari poſſe putamus, quosdam apud Celtas, et fortaſſe, quorum frequens commercium atque conſuetudo cum Graecis Romanisque metempſychoſis dogmate imbutis fuit, et occaſionem habuerunt, peregrina dogmata ſuis admiſcendi, aliquam migrationis ſpeciem admiſiſſe: quod vti non inficiatur ven. SCHVZIVS [o] et noſtro Melae teſtimonio SOLINI addit, ita ſatis nobis hoc loco cautum eſſe ab ἀιβλεψίᾳ ſperamus.

pag.

l) L. III. c. 2. m) L. III. c. 22. B. G. n) L. II. c. 6. 11. o) pag. 145.

pag. 341. lin. 9. *Beati innumeris fruentur gaudiis.* Etiam his interpretem et enarratorem cl. SCHVZIVM ideo commendamus [p], quod is ipsa Eddae verba totiusque mythologiae summam attulit, vt, qui libro longe rarissimo carent, ipsi ex fontibus suis Druidarum theologiam et cosmogoniam discere queant. Totam enim fere Voluspam, Islandico pariter et Latino idiomate tractationi in hunc finem inseruit. Vnde vero nouus ille mundus originem accepturus sit, adeo obscure Druidum cosmologia edisserit, vt difficillimum sit in his tenebris lucem quandam deprehendere. Quod enim plerosque scriptores exoticos fugisse verisimile est, Eddae nobis de hoc nouo mundo fabulae explicant: nempe terram post istam conflagrationem ex mari emersuram virentem et amoenam, agros sponte daturos frumenta, nec satione opus fore. Deos autem quosdam ex cruento praelio, quod crepusculum Deorum antecessit, superstites, delitescentes, duosque homines Leisthraser et Lif marem et feminam, qui rore pascantur, superstites fore: ex illis tam numerosam propagari posteritatem, vt totus denuo mundus habitatoribus repleatur. Sunnae quoque (Solis) filiam viam matris repetituram vitamque orbi nouo restituturam, maxime vero obscurum fuit noui mundi fatum, quod dignum est, vt ipsius *Eddae* verbis adscribamus: *Tum quaerit Ganglerus, quid remanebit, quum totus mundus exustus est, omnesque Dei monoheroës et homines mortui sunt: memini antea vos dixisse, quemlibet hominem in alio mundo per omnia saecula victurum esse? respondit Harus: multae sunt mansiones bonae, multae etiam malae, sed post haec miracula optimum fuerit in coelo manere. Ibi viri boni et iusti habitabunt in saecula. In Nastrondis autem aula est magna et mala, cuius boream versus directae sunt.* Facile perui debit Lector, antiquissimae traditionis de futurae vitae felicitate reliquias inter Celtas, queiscum aliae quoque gentes conspirabant, percrebuisse: quo pacto autem id factum sit, difficile est, dicere. Et verum quidem est, ex systemate physico Stoicorum rem omnem facile posse elucidari et ad periodicam aeternitatem emanatiui mundi reduci. Ast, vt verum fateamur, nimis haec nobis metaphysica, et genium barbaricum minus decentia videntur, vt Druidibus tam artificiosum systema, quale fuit Stoicum, tribuere audeamus. Vnde in eo acquiescendum esse putamus, ista quidem Celtis vetustissimis placuisse traducta ex migrationibus Asiaticis, originem vero istius traditionis, non in ingenio gentis, sed in antiquissima doctrina *πατροπαραδότῳ* esse quaerendam.

pag. 341. lin. 9. *Asseruntur etiam de iudicio extremo quaedam.* Aliter visum CLVVERIO [q] iudicante: nec iudicium aliquod de bene vel malefactis post hanc vitam fore, sciuisse videri Celtas; quod tamen recte ex PLINIO refutat SCHVZIVS [r], sepulcra Chaucorum tribunalia structa manibus vocante, itemque ex Eddae testimonio, quae refert: Deos quoti-

p) c. 3. p. 273 seqq.
q) German. ant. L. I. c. 32.
r) l. c. c. 2. §. 19. p. 174 seq. PLIN. L. XVI. c. 1. Edda mythol. 14.

Digitized by Google

quotidie ſua exercere iudicia. Aſt haec tamen a Chriſtianorum iudicio extremo longe remota ſunt, et nonniſi de fatorum ſupremorum inter bonos malosque diſpoſitione intelligi poſſunt, quâ bonorum malorumque operum retributio in vita apud manes definitur. Vnde, quae de iudicibus inter Deos, deque dicaſterio aulae Glitner Edda fabulatur, eo ſenſu debent explicari: reliqua aſſuiſſe compilatores Eddae Chriſtianos, cum Keyslero, Schuzio virisque doctis aliis iudicamus.

pag. 342. lin. 14. *Deos eſſe colendos.* Gentis religionem, et pietatis erga Deum ſinceritatem valde laudat AELIANVS [1], ſcribit enim: *haec immota fide tenentes, pure rem diuinam faciunt, ſancte vitam agunt, ceremonias obeunt, Orgiorum legem obſeruant, et reliqua patrant, ex quibus certum eſt, quod Deos firmiter colant et venerentur.* Iſtam tamen religionis pietatem hoſtiis humanis valde maculauiſſe, non eſt negandum, neque tamen in tam fera gente, quae tota bello et ſanguine madebat, magnopere mirandum, cum Odinum ſuum bellatoribus omnibus [2] praeficerent. Eam vero colendorum Deorum rationem callidiſſimum Druidum genus ideo inuexiſſe, vt a molli et ignaua mentis indole gentem arcerent, ex dictis eſt manifeſtiſſimum et plerisque, qui de eius rebus ſcripſerunt, tactum. Inde etiam impietas filiorum in parentes, in ſolatium futurae vitae erectos, cuius barbariei vſque ad medium aeuum durantis exempla, idem collegit diligentiſſimus SCHVZIVS [3]. Ex his ſpeciminibus de laudata gentium Celticarum et Scytharum morali doctrina iuxta electi ſyſtematis ſenſum iudicandum eſt, quod non rationem magis, quam ſenſum atque temperamentum, ad ferociam vehementer inclinans determinauiſſe, recte iudicauit PELLOVTIERIVS. Quibus omnibus iterata attentione excuſſis, nondum nos poenitet, Druidum ſcholis fraudes et impoſturam, maxime ad commoda Ducum et Imperii accommodata, tribuiſſe: quamuis id nonnemini durum fere viſum fuerit. Hunc enim characterem omni fere gentium barbararum, a reuelationis via deuiantium, collegiis ſacris tribuere, rebus omnibus rite expenſis, non erubeſcimus.

1) L. II. c. 39.

2) c. 3. §. 6. et pec. ſched. de victimis Germanorum humanis c. 8. ſeq. Quare victimas humanas neceſſario a Diis ad placanda et eluenda ſcelera requiri a Gallis, refert CAESAR. L. VI. c. 16. Natio omnis Gallorum dedita eſt religionibus; ob eam cauſſam qui ſunt affecti grauioribus morbis, quique in praeliis aut periculis verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vouent, adminiſtrisque ad ea ſacrificia Druidibus vtuntur, quod NISI VITA HOMINVM REDDATVR, NON POSSE DEORVM IMMORTALIVM NVMEN PLACARI arbitrantur, publiceque eiusdem generis habent inſtituta ſacrificia.

3) De ſtatu poſt mortem ſec. Celtas, l. a. pag. 258.

AD LIB. II. CAP. X.

DE PHILOSOPHIA ETRVSCORVM ET ROMANORVM.

pag. 342. lin. 31.

Etruſcorum res, quatenus Romanorum hiſtoriam aetate ſupergrediuntur, incertiſſimae ſunt, parumque, quod veri ſitientem ſatiet, deprehenditur. Id quam maxime in hiſtoria phyſiologiae Etruſcae ſiue Tuſcae veteris tenendum eſt: cuius monumenta et traditiones adeo incertae deprehenduntur, vt ignoſci illi poſſit, qui in hoc argumento ad ſacram ἐποχῆς anchoram confugit. Quod liceret facilius euitare et verisimilibus tamen coniecturis aliquid affirmare, niſi ipſae gentis Etruſcae origines eſſent incertiſſimae, varisque virorum doctorum opinionibus ita in diuerſas ſententias tractae, vt poſt inſtitutum earum examen incertiores abeamus, quam primo acceſſimus. Notum autem eſt ex communibus veterum gentium originibus, etiam de communibus opinionibus poſſe concludi, et ſententiae atque doctrinae, ſi non prorſus eaedem, certe affines valde detegi: quod auxilium cum denegare videatur incertitudo hiſtoriae Etruſcae, et imprimis originum Tuſcae gentis, contentos eſſe oportet, ſi non plane nihil coniecturae non prorſus leues exhibeant, ex quibus quaedam de veterum Etruſcorum rebus poſſit enaſci ſuſpicio. Sed de hac ipſa re in hiſtoria et antiquitatibus Etruſcis plenius dicendum eſt, quibus illuſtrandis AVCTORES *Hiſtoriae orbis vniuerſalis* BRITANNI non contemnendam lucem attulerunt [a].

Ibid. lin. 33. *Perluſtrandae tamen reliquiae ſunt exiguae, quae paſſim occurrunt.* Inter antiquiſſimas traditiones de Etruſcorum originibus memorabilis imprimis videtur eſſe, quam de Noachi in Italiam et imprimis in Etruriam aduentu ſcriptores nonnulli nobis enarrarunt. Longior fabula eſt, quam quae hoc loco deſcribi poſſit, quicquid tamen de ea re dictum, collegit, diligens et curioſus, quamuis praeiudiciis impeditus ſcriptor EDMVNDVS DICKINSON, qui in diatriba *de Noae in Italiam aduentu eiusque nominibus ethnicis* [b], multa conſarcinauit; quae ſi veritatis examen ſuſtinerent, magnam certe lucem foenerari philoſophiae barbaricae Etruſcorum apta eſſent. Is, quamuis fontes traditionis non aperiat, vnde ſua hauſerit, contendit tamen, Noachum colonias adduxiſſe in eam regionem, quam nunc Italiam dicimus, inque ea protinus vrbem Cethim vel Kitim funda-

a) Vid. P. III. Addit, et illuſtrat H. O. V. quibus prolixa de Etruſcis tractatio inſerta eſt, ab iis conſulenda, qui populorum originibus ſtudere ſolent: quae ab hoc noſtro ſtudio aliena ſunt.

b) Subiecit hanc diſſertationem DICKINSONVS Delphis phoenicisſantibus, quae poſt editiones Oxon. 1655. et Francof. 1669. 8. recuſa eſt in faſciculo diſſertationum collectarum a THOMA CRENIO Rot. 1691. p. 151 ſeqq.

Digitized by Google

fundauiſſe, id quod ex *Etruſcarum antiquitatum fragmentis* c), ab INGHIRAMIO repertis probat, cuius haec verba ſunt: *Magnus pater Vandimon, qui a Latinis Ianus, a Syris Noa vocatur, aduenit in hanc regionem* (Hetruriam) *cum ſecundo filio Iapeto, et illius filiis: et cum peruenissent, ſuper hunc montem ſibi commodum, poſteris iucundum putauit, quare in ſuperiori parte, quae ſalubrior eſſet, ciuitatem aedificauit, et Cethim appellauit.* His cum ſubiunxiſſet, Cethim filium Iauanis et pronepotem magni Vandimonis, aſſumtis ſecum duabus coloniis mare ingreſſum, cum diu nauigaſſet, peruenisſe tandem ad inſulam, quam ſuo et patriae nomine Cethim, appellauit, quae hodie Cyprus dicitur, addit his, illam ciuitatem, primo quidem caput Etruriae et μητρόπολιν vniuerſae Italiae nomen impertiuiſſe, quae inde χετιμ vocetur, vnde Euſebio Itali Κίτιοι et Κήτιοι dicti ſint, quos poſtea Latinos vocauerint. Tuſcos autem Noae, poſtquam viuis exceſſerat, Iani cognomen dediſſe, quod bifrons ſit, a tergo enim Latium ſpectare, ab anteriori autem Palaeſtinam, efficto Iani nomine ex Hebraea voce יין, quae vinum ſonat, quoniam Noachus primus plantauit vineam. Quibus ſuppoſitis, vir coniecturis diues atque ſomniorum plenus multa garrit, vt oſtendat, Ianum eundem eſſe, quem literae ſacrae Noam vocant, quae hoc loco enarrare, eſſet lectori temporis atque patientiae iniuriam facere, adeo ne micam quidem veritatis, et ne probabilitatis quidem habent d). Hunc tamen Vadimonem et Vertumnum poſtea vocatum eſſe, ambitioſe contendit e). Omitteremus hoc loco has nugas, quas recitaſſe, eſt refutaſſe, niſi traderetur: *Ianum Vertumnum dici, vel quia docuit aſtronomiam multaque populis praedixit, adeo vt ob id illum exiſtimauerint habere diuinam naturam, et mouere atque vertere coelos, et elementa et cuncta vertibilia.* Omittimus reliqua non melioris notae, ne nauſeam φιλολογεῖσιν creemus. Haec enim ſola ſatis apta ſunt, ad prodendam eorum infantiam et ineptias, qui res Etruſcorum ad Noachum et primam eius coloniam in Etruriam deductam reuocant, absque teſte, absque hiſtoriae luce, febricitantium ſomniis ſimillima. Quae hoc loco omnino praetermittenda cenſeremus, niſi conſtaret exemplo, viros quoſdam doctos quidem, atque pios, ſed iudicio rerum antiquarum ad ratiocinandi lydium lapidem exacto non ſatis inſtructos ſibi concepiſſe, quandam phyſiologiam Etruſcam traditionibus Noachiticis nixam, quae poſtea demum, in deteriores ſenſus deformata ſit. Qui cum non alias, quam has friuolas rationes habere poſſint, ipſe lector iudicabit, quam fidem iſta phyſiologia Noachitico-Etruſca mereatur, cui longius immorari poenitet atque pudet. Ceterum quamuis incertae ſint Tuſcae origines, cuius cauſſas in variante potiſſimum regionis nomine reſidere putamus f), illud tamen veterum gentium migrationes et origines conſideranti veriſimillimum videtur, Tuſcos ſiue Etrurios, Tyrrhenios alii quoque vocant, fuiſſe gentem Celticam ad Padi fluuii ripas

c) pag. 7.
d) Prouocat ad Num. XXIV, 24. Dan. XI, 29.
e) loc. cit.
f) Conf. CLVVER. Italia antiq. L. II. c. 1.

conſidentem, de qua elegantem coniecturam attulit eruditiſſimus PELLOVTIERIVS *f*. Haec enim et migrationibus Celticis egregie conſonant, et rationem reddunt apertam, quomodo, ante Aegyptiorum et Pelaſgorum in his oris aduentum, vetuſtiſſimae de rerum originibus traditiones inualuerint. Quae cum antiquiſſimi temporis rationes pro ſe habeant, facile cauſſam aperient, cur ſyſtemata coſmologica veterum Celtarum, Aegyptiorum, reliquorumque populorum inter ſe conueniant, et quomodo vniuerſalis illa de chao, deque anima mundi omnia ex ſuo ſinu eiiciente et producente, cuncta peruadente ſuoque numine replente, quae ad ceteros populos, qui ex Scythia in Europae regiones migrauerunt, peruenit, gentem quoque Etruſcam occupauerit. Quo pacto hiſtorico quoque argumento euinci poteſt, quam ridiculi ſint, rerumque veterum ignari, qui Noachiticam vel patriarchalem quandam theologiam vel phyſiologiam Etruſcam, quae commentum Alexandrinorum hominum eſt, incruſtant, quam vel ſola Noachiticae migrationis fabula dudum viris doctis exploſa *g* facit ſuſpectiſſimam.

pag. 343. lin. 3. *Ad Romanos tranſiiſſe gloriabantur.* Dignus imprimis, qui hic conſulatur ill. MAFFEI tr. *de gente Etruſca*, patrio ſermone editus *h*.

Ibid. lin. 17. *ARNOBIO genetrix et mater ſuperſtitionis Etruria dicta eſt.* Comparanda heic loca CICERONIS, SENECAE atque FESTI, et tractationes recentiorum de Etruſcis *i*.

pag. 345. lin. 13. *Etruſcis arriſiſſe, ſit veriſimillimum.* Dudum illa ſcripſeramus, cum hoc demum, quo haec exaramus, anno ad manus noſtras perueniret elegans diſſertatio critica IOANNIS MARIAE LAMPREDI *de philoſophia antiquorum philoſophorum Etruſcorum*, *Florentiae* anno iam MDCCLVI edita *k*, quae tamen, fato libellorum huius generis minorum, quae in Italica lingua ſolent conſcribi, ſolito poſt decennium fere inter nos demum comparuit. Inuolauimus in lectionem libelli argumentique a noſtro inſtituto non alieni, ſperabamus enim nos ex domeſticis Etruſcorum fontibus ea hauſturos, quae alieni latices riuuilque nobis vltramontanis denegauerant. Maxime vero ex nobiliſſima Florentia nihil, quod non eruditionis iucunditate et ſoliditate commendari poſſit, expectandum eſſe, tot nobis exempla virorum longe doctiſſimorum, quibus a multis iam annis amicis vſi ſumus, et ex quorum latifundiis doctrinae

f) Hiſt. de Celtes T. II. p. 101. Aborigines quoque antiquiſſimos et primos Italiae incolas e Germania et ex Celtis oriundos demonſtrandum ſibi ſumſit FUNCCIUS de orig. et p[illegible]tia Lat. L. I. I. c. 6. p. 96. c. 7. p. 111 ſeqq.

g) Vid. LEO ALLATIUS in animaduerſ. ad antiquitates Etruſcas, §. 94. p. 167. Io. OWENUS, theologum. L. III. c. 3. §. 81. p. m. 157. FABRICIUS Cod. Pſeudepigr. V. T. Vol. I. p. 248. qui reſte ſuauia ſomnia vocat.

h) cap. 17. 18. 19.

i) Conf. imprimis, qui tamen multum ſolet Etruſcis ſuis tribuere Cl. LAMPREDI Saggio ſopra la filoſofia degli antichi Etruſchi p. 31 ſeqq. CIC. de diu. L. I. SEN. Nat. Qq. L. II. c. 32. FESTUS l. c.

k) Saggio ſopra la filoſofia degli antichi Etruſchi, diſſertatione iſtorico critica. In Firenze cIↃIↃCCLVI appreſſo Andrea Bonduui.

Digitized by Google

nae exaſciatae atque abundantiſſimae multoties arua noſtra irrigauimus, meliores ab iis receſſimus, merito perſuadebant, vnde pia ſemper et ſincera tantorum nominum apud nos, qui multum aliorum iudicio tribuimus, modica noſtro, eſt recordatio. Nec fefellit nos diſſertationis iſtius habitus comtus et elegans, oratio terſa et diſerta, licet nobis, qui Muſas colimus vltra montes ſeueriores, paulo difficilior, totius tractationis ordo nitide decurrens, quam non ſine delectatione nos legiſſe, dignam patria Florentia lubenter fatemur. Aſt, cum dudum hanc nobis legem ſcripſerimus, vt in inquirenda veritate, maxime hiſtorica, et ad teſtimonia pariter atque nexum ſyſtematum vnice examinanda atque reuocanda nihil virorum etiam doctiſſimorum auctoritati tribuamus, quod non rationibus ſatis validis ſit confirmatum, legendam totam et cum cura atque attentione examinandam nobis eſſe eo magis ſtatuimus, quod videbamus, virum hunc doctiſſimum non de patriis tantum rebus ſcripſiſſe, ſed ea imprimis tetigiſſe, quae nos olim in hiſtorica critica philoſophiae de Etruſcorum phyſiologia diſſeruimus, et imprimis tam elegantis doctrinae viro eam coniecturam diſplicuiſſe, quam de harmonia coſmogoniae Etruſcae cum phyſiologia Stoica eo loco attulimus. Quod, tantum abeſt, vt laudabilem ſcopum hoc argumentum in clariori luce, quam nobis licuit, ponendi improbauerimus, vt multo magis ſperaremus, in his noſtris acceſſionibus caput hoc ſatis obſcurum et tantum non ineluctabili caligine merſum ex his tenebris extricare. Omnem itaque attentionem in examinandis illis adhibuimus, quae de coſmogonia Etruſca contra noſtras obſeruationes monuit auctor eruditiſſimus, cuius in veteris philoſophiae cognitione doctrinam merito laudandam eſſe iudicamus. Aſt fatemur tamen, quod pace viri doctiſſimi dicimus, nihil nos inueniſſe, quod vel vno gradu retro cedere a priſtina ſententia nos coëgerit, in plerisque viſum eſſe coruos deludi hiantes, multa nobis apparuiſſe nec ſatis cohaerentia et implicite contradicentia, maxime vero attentionem criticam quanta ſatis erat, ad examinandum fragmentum Etruſcum apud Suidam, in quo tota res vertitur, non fuiſſe adhibitam, nobis autem, quibus dica illa potiſſimum ſcripta eſt, quosque in delineando ſyſtemate coſmogonico plane dormitaſſe, nullisque rationibus inſtructos nulloque examine adhibito harmoniam quandam atque conſenſionem inter Etruſcas doctrinas et Stoicas conſinxiſſe videbatur, graues lapſus fruſtra imputari. Vnde decretoria quadam ſententia damnatis noſtris, quod facile, et frigido quidem ſenſu, ferimus, hanc *κυρίαν δόξαν* ad referandum naturae conclaue ex mente Etruſcorum adhibet, vt affirmet, magnam potius ineſſe harmoniam ſyſtemati Etruſcorum coſmogonico cum Moſaico, eſſeque veriſimillimum, hanc nationem vetuſtiſſimam ex traditionaria philoſophia patriarcharum ea accepiſſe et ad poſteros propagaſſe, quae, demtis, quae affuta ſunt, alienis amiciſſime cum Moſaicis conſpirant. Qua in re ad ſimiles euentus et fata philoſophiae

Aegy-

Aegyptiacae et Phoeniciae prouocat, et tum demum aucta fraude ſacerdotum et humani ingenii laſciuia et audacia eam ſyſtematum formam enatam putat, quae impietati quam proxime faueat. Poſſumus totam hanc diſceptationem ſicco pede praeterire, reique omnis, tot a nobis locis in hiſtoriae criticae opere, meridiana luce perfuſae examen perito lectori relinquere, adeo nihil a docto viro dictum eſt, quod nos magnopere feriat, vel quod aſſertiones noſtras euidentiſſimo veterum coſmogoniarum concentui exacte congruentes euertat, vt non a lectore veteris philoſophiae mediocriter perito poſſet diiudicari ſuoque Marte decerni. Exorandus is tantum eſt, vt patienter et quadam pauliſper acriori attentione ad eas ſyſtematum coſmogoniorum explicationes reſpiciat, quas in *hiſtoriae criticae Tomo primo* [i], luculenter, niſi nos omnia fallunt, conſenſusque doctiſſimorum virorum in illis probandis decipit, exhibuimus, et rationibus atque teſtimoniis roborauimus, certi, haud difficulter perſpecturum doctiſſimum ſcriptorem, ſe traditionem patriarchalem de creatione mundi cum gentium fere omnium ſyſtemate coſmogonico, quod aut emanatiuum rerum omnium originem ſupponit, aut immanentem aſſerit, confudiſſe, et nugatoris Etruſcum phyſiologum ſimulantis narratione apud Suidam deceptum harmoniam inter patriarchalem primi mundi doctrinam de mundi origine et ſyſtemate populorum barbarorum vidiſſe, quae merum ingenii et praeiudicatae atque partis cuiusdam ſtudio deamatae opinionis ſomnium eſt, et reuera ſaepe cum laruis luctari, aëremque verberare, dum talia nobis affingit, quae veram ſententiam noſtram non ingrediuntur, et quibus paulo plenius explicatis, ipſum virum doctum, qua eſt perſpicacia, et, quod ſperamus, veritatis amore et candore, ad perſpiciendam aſſertionum noſtrarum ſoliditatem ductura ſint. His, vt neceſſarium erat, praemiſſis, facillimum eſſet, ad eas potiſſimum obiectiones reſpondere, quas nobis vir doctus cum quodam contemtu et dictatoria auctoritate, intermiſſo rationum conflictu, opponere voluit, aſt nec praeſens ſupplementorum campus anguſtus nimis et controuerſiis hiſtorico-philoſophicis minus aptus patitur, in aciem copias educere, quibus victoria haud incerta eſſet; nec patientia lectoris abuti audemus, in hoc argumenti genere non exercitati, optamusque, vt vires et anni, itemque occaſio nobis aliquando faueant, vt huic praetenſae Etruſcorum orthodoxiae laruam alibi detrahamus: certi, veriſſimum eſſe, quod cl. IABLONSKIVS [ii] prouide et praeclare monuit, et quod in aurem inſuſurandum eſſe viris quibusdam praeclarae doctrinae et laudabilis pietatis, ſed traditionis illecebris et ſectae atque familiae conſuetudine, ab examine critico retractis et ad palliandos errores gentiles pronis neceſſarium putamus: *vtiliſſimum eſſe theologiae gentili colorem orthodoxiae detrahere, docereque quid ratio ſibi relicta luceque diuinae reuelationis deſtituta poſſit, quam magni ſine ea errores, et amiſſa traditione ſiue reuelatione*

i) pag. 409 ſeq.

ii) Praef. P. III. Panthei Aegypt.

Digitized by Google

tione orali patriarcharum primaeua exorti ſint, quo melius auctoritati reuelationis inſeruiri poteſt, quam illepida concordia veterum ſyſtematum cum reuelatione. Et iſta quidem pro huius ſcriptiunculae conditione atque limitibus exoterice dicta poſſe ſufficere credimus, non negamus tamen, impatienter nos cupere, vt vir quidam doctus, veterumque ſyſtematum inter ſe comparatorum peritus atque prouidus, adhibito lapide lydio hiſtoriae legumque ratiocinandi hoc ſaxum vlterius voluat; in quo veritatis et religionis non nihil intereſſe putamus. Qua in re multum adiuuari poſſe Lectorem putamus, ſi CVDWORTHI *ſyſtema intellectuale vniuerſi* cum incomparabilis commentatoris B. MOSHEMII obſeruationibus attente comparauerit, et imprimis elegantiſſimam eius diſſertationem *de creatione ex nihilo philoſophis ignota* [m] in vſum adhibuerit. Ceterum ne lector ab obtrectationis cupido in ſiniſtram de noſtra explicatione opinionem feducatur, veniam lectorem exoramus, vnam alteramque de hac re obſeruationem annectendi. Et I. quidem ipſos Stoicos, ſyſtema phyſiologicum Etruſcorum cum ſuo conuenire putare, eadem principia atque concluſiones ponere, eadem nomina adhibere in confeſſo eſt: audiendus omnino SENECA eſt [n], cuius locus decretorius eſt. Facta de fulminibus ab Etruſcis Ioui tributis mentione ait: *ne hoc quidem crediderint, Iouem qualem in Capitolio et in caeteris aedibus colimus, mittere manu fulmina, ſed eundem, quem* NOS, *Iouem intelligunt, cuſtodem rectoremque vniuerſi, animum ac ſpiritum mundani huius operis dominum et artificem,* CVI NOMEN OMNE CONVENIT. *Vis illum fatum vocare, non errabis: hic eſt, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſſa cauſſarum. Vis illum prouidentiam dicere? recte dices. Eſt enim, cuius conſilio huic mundo prouidetur, vt inconfuſus eat, et actus ſuos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis: eſt enim ex quo nata ſunt omnia, cuius ſpiritu viuimus. Vis illum vocare* MVNDVM? *non falleris:* IPSE ENIM EST TOTVM QVOD VIDES, TOTVS SVIS PARTIBVS INDITVS, ET SE SVSTINENS VI SVA. Germanam Stoae ſententiam et πρῶτον ψεῦδος theologiae Stoicae Senecam enarrare, et pueri norunt, et qui nondum aere lauantur. Sed quos habet philoſophus ὁμοψήφους? IDEM ETRVSCIS QVOQVE VISVM *eſt, et ideo fulmina mitti a Ioue dixerunt, quia ſine illo nihil geritur.* Non cumulabimus alia ex Hiſtoriae noſtrae philoſophicae enarratione de ſyſtemate phyſiologico Stoicorum [o] hauriendа; vnde merito miramur, diſertum antagoniſtam noſtrum ad ea, quae pagina ſequenti ad explicandam harmoniam inter ſyſtema Etruſcum et Stoicum allata ſunt, non reſpexiſſe, nec attendiſſe ad hunc locum, maluiſſeque nos turpis inanimaduertentiae et negligentiae accuſare, quam ipſum oculos aperire, et cognoſcere, in quibus dogmatis coſmogonici partibus harmoniam deprehendi dixerimus. Ad recentiorum virorum doctorum obſeruationes, quibus idem dudum viderunt monue-

m) Inſerta eſt operi celeberrimo p. 990 ſeqq. n) Q. nat. L. II. c. 14. o) T. I. p. 904 ſeqq.

monuerunt que, non prouocabimus, quod rem notiſſimam parum iuuant. II. Maxime vero dolemus, eruditiſſimum hiſtoriae philoſophiae Etruſcae ſcriptorem ab auctore incerto, quem SVIDAS adducit, ad eiusque narrationem prouocat, ſeduci ſe paſſum eſſe, vt eam ſententiam vetuſtis Etruſcis ſuis tribueret, quae Moſis narratis ipſi tam vicina videntur [f], cum tamen ipſe errores Stoicorum fundamentales de Deo IN PARTE VNIVERSI ATQVE SPIRITV rerum omnium intento Tuſcis ſuis adſcribat, eandemque fuiſſe ſententiam atque ſyſtema Pherecydis, Pythagorae atque Orphei, a quibus Zeno, quem in partes vocat, et teſtem adducit, omnia ſua transſumſit, fateatur. Cur hic eadem eſſe cenſuit, et conuenire amice affirmat, quae cum a nobis dicta ſunt, longiſſime inter ſe differre iudicabat? Nempe vel non vidit, vel non attendit vir eruditus ad audaciam Chriſtianorum et Iudaeorum quoque Alexandrinorum, qui veterum philoſophorum opiniones ad patria Moſis placita refingere auſi, nihil ſincerum et incorruptum reliquerunt, illamque interpolandi proteruiam, quae adeo clara et manifeſta in hoc Suidae loco eſt, vt manibus palpari queat. Non morabimur lectorem taedioſa eius rei demonſtratione, ſed ad accuratiſſimum *hiſtoriae Celticae* auctorem, *τὸν πάνυ* PELLOVTIERIVM amandamus [g], qui rem totam confecit, exemplisque oſtendit, quid ex diſciplina vel Iudaei vel Chriſtiani cuiusdam huic loco acceſſerit, ſic, vt ſomnia quoque Rabbinica de mundi duratione per ſex annorum millia, mendaci traditioni immiſta fuerint. Ignoſcet itaque vir doctus, ſi ea, quae infinitis paraſangis a Stoicis differre putat, pro *ὑπερβολισμαίοις* habeamus, temereque affutis, quibus ſenſus Tuſcos, Orphicos, Pythagoricos, Stoicos adnectere, idem eſt, ac terram ſusque deque vertere. Euerſo autem hoc Suidae, ſcriptoris vel exſcriptoris ſatis incuriſ, teſtimonio anonymo omnis illa iactata ab auctore noſtro Etruſca orthodoxia corruit, nec remanet aliud, quam quod Senecae teſtimonio nouimus, Etruſcos veteres de Coſmogonia ſimilia Stoicis tradidiſſe. III. Dicamus rem accuratius: Etruſcos cum Chaldaeis, Perſis, Aegyptiis, Phoenicibus, Celtis aliisque gentibus vetuſtis ex eodem fonte hauſiſſe, habuiſſe Deum, quod nec ipſe Lamfredius negat, pro anima mundi, non aſſiſtente, ſed informante, parteque mundi, id eſt, totius vniuerſi, cuius, tanquam principii actiui opera, materia vel in eius ſinu prius concluſa eiecta eſt, et emanationis lege profluxit, vel in chao, ſiue complexu vniuerſi, tanquam in ouo concluſa latens, vis interna diuina in materiam formandam intus agitata, et quod in ſcholis dicitur, informata eſt. Quod vnicum ſyſtema coſmogonicum eſt, ad quod theologi et phyſiologi veteres recurrerunt, antequam conſpecta et animaduerſa contradictione huius ſyſtematis ad ſyſtema dualiſticum delaberentur. Quod eruditum auctorem noſtrum non latuiſſe, elegantiſſima annotatione marginali ſatis prodidit. Afferere autem, antiquiſſimas huiusmodi gentes creationem

f) pag. 18 ſeq. g) Hiſt. des Celtes T. III. p. 133 ſeqq. h) pag. 20. n. 1.

Digitized by Google

nem ex nihilo credidiſſe, totius antiquitatis teſtimonio aduerſum eſt, quod pro veritate omnium prima axioma recepit, male quidem intellectum et pelus adhibitum: ex nihilo nihil fit. Vnde miramur Cl. SCHVBERTVM [f] in ſuſpenſo reliquiſſe, vtrum Etruſci creationem ex nihilo admiſerint, quod recte negaſſet, niſi ſuſpectus Suidae locus ipſi viſus eſſet, tale quid admittere. IV. Ad reliqua, quae dici hic poterant, obſeruationes non cumulamus, hoc vnum monentes, nos Stoicam phyſiologiam non ideo Tuſcae connubio iunxiſſe, quod omnia credamus ſtoice eſſe explicanda, quae Etruſci forte tradiderunt, quo pertinet Stoicorum doctrina de igne artificiali mundano in centro terrae ad peripheriam ſe mouente, ſicque omnia agitante. Haec ſubtilius excogitata Graecum magis ingenium ſapere, quam barbaram Etruſcorum ſapientiam, vltro doctiſſimo Lamfredio concedimus. De eo vero nobis quaeſtio non erat, ſed de fundamento ſyſtematis emanatiui, non vero de modo. Et de his quidem ſatis. Claudamus iam riuulos, ſat prata biberunt.

pag. 345. lin. 10. *Magni anni periodo limitatur.* Recte id vidit, et Stoicorum conſenſum cum gentibus veteribus fere omnibus annotauit eruditiſſimus LAMFREDIVS, vnde ea, quae ſupra diſputauimus, mire confirmari poſſunt. Periodicae enim reſtitutiones illae non alio ex fonte poſſunt deduci, quam ex ſyſtemate emanatiuo, iuxta quod omnia tandem in ſuum fontem reuertuntur. Occaſionem tamen ei dediſſe, ſub-obſcuram memoriam traditionis patriarchalis: mundum igne aliquando periturum, non negamus. Ea vero tandem in obliuionem tradicta neceſſarium erat eiusmodi ſyſtema phyſiologicum introducere, quod emanatiuorum finem ignem eſſe ſtatueret.

pag. 346. lin. 4. *Ad gentes Hetruſcas et Pelaſgas peruniſſe.* Hoc ſi non aliud, ſuadet tamen concinna ſyſtematis phyſiologi apud gentem vtramque concordia ipſius Lamfredii obſeruatione roboranda, qui Etruſcam coſmogoniam cum Orphica conuenire recte vidit: omnia enim haec ad vnum fontem primaeuum referri poſſunt, nempe ſyſtema de Deo, anima omnia ex ſe producente et informante, quod ex plaga mundi ſeptentrionali in meridionalem, et inde in occidentalem translatum et amiſſae traditioni patriarchali de mundi creatione ex nihilo ſurrogatum eſt. Multum iuuat hanc obſeruationem, ſi verum eſt, quod non contemnendis argumentis euincere conatus eſt vir ſummus SCIPIO MAFFEIVS [g], quem ſecutus eſt, licet diuerſis rationibus, doctiſſimus GORIVS [h], ad quos tunc, cum iſta ſcripta eſſent, viuos prouocare et eorum conſenſu gaudere licuit. Quos quanquam noſtrae amicitiae ſuprema fata eripuerunt, cariſſima tamen nobis eorum eſt memoria, atque doctrinae multiſciae veneratio: quibus viſum ſyſtema Perſarum locum apud Etruſcos quoque inueniſſe. Ad hos eos dimittimus, qui propiora deſiderant. Nos hoc modo monemus, et ex ſupra dictis repetere iubemus, Mithriacae

 religio-

f) Hiſt. phil. c. 2. ſ. 11. §. 161. p. 518. g) loc. ſupra cit. h) In muſeo Etruſco.

religionis notitiam non tantum in expeditione Cambyſis innoteſcere Aegyptiis, et per illos Etruſcis potuiſſe, ſed reuera quoque, vt ex comparatione, ſuo loco, inſtituta, patet, innotuiſſe, indeque per colonias ex his locis progreſſas Graecis, Pelaſgis, Italis potuiſſe tradi, ſed vetuſtiori quoque Celticorum et Scythicorum populorum migratione in Europam, numina Aſiatica, et imprimis religionem Mithriacam in Italiae oris, immo in Hiſpania, fuiſſe vulgatam, id quod λείψανα Mithriaca recentiori aetate detecta, et ſpelaea huius numinis paſſim in his terris effoſſa, nobis perſuadent, et credere quoque iubet plena et aperta cultus religioſi Perſici atque Celtici conſentio, recte a PELLOVTIERIO animaduerſa [x], Mithram autem primum habitum fuiſſe fontem omnis emanationis diuinae, ſuo loco demonſtratum. Haec cum Etruſci a maioribus vniuerſali quadam migratione ad has oras delatis iam tenuiſſent, facile fuit, vt Aegyptiaca, aliis numinum nominibus idem ſignificantia ipſis perſuaderentur, credereturque Iouis omnia eſſe plena, non ſenſu Moſaico, quem paſſim viri docti cum gentilium opinione confundunt, ſed pantheiſtico, qui ſatis prodit, quam corrupta fuerit ſapientia gentium, ex quo, relicta traditione puriori de Deo rerumque ortu, ſibi ſapere cupientes ad inanium cogitationum ſyſtemata dilapſi ſunt: quae pingere orthodoxiae patriarchalis colore velle, eſt diuo Paulo contradicere, cui hae gentes in doctrina de Deo *ἐματαιώθησαν*.

pag. 246. lin. 9. *Sub Iſidis et Oſiridis aenigmate fouebant.* Reliqua, quae Etruſcis placuerunt, facile ex his communibus *Θεολογεμένοις* Etruſcorum poſſunt explicari, et imprimis *κεραυνοσκοπίας* obſeruationumque ſuper fulmina, ratio exponi, qua nihil celebrius fuit in ſcholis Etruſcorum. Quanquam enim et vetuſtiſſimorum populorum indoles et genius a ſyſtematica philoſophandi ratione longe remotus, et ad experientiam magis, quam ratiocinationes logicas, metaphyſicas et phyſiologicas attentus facile perſuadet, parum laboris inſumſiſſe Etruſcos, vt interpretationes fulminum, rationibus phyſicis munirent, ſed contentos fuiſſe, quod varias explicationes portentorum iſtorum ignitorum ad futuros euentus potuerint afferre, et

Igniferi naturam fulminis ipſam
Perſpicere, et qua vi faciat rem quamque videre;

negari tamen non poteſt, ingenia Graeca, ſubtilitatibus phyſicis et metaphyſicis aptiora non ineleganter hanc *κεραυνοσκοπίαν* Etruſcam in *κεραυνολογίαν* coſmologicam conuertiſſe, quo pacto ſupra audiuimus Senecam idem argumentum Etruſco ſyſtemati theogonico et coſmogonico conuenienter explicuiſſe. Et ex hac ſchola Stoica, iſtas ceraunologiae Etruſcae interpretationes enatas eſſe, veriſimile eſt, ad quas alludit LVCRETIVS canens [y]:

Non

x) l. c. T. III. p. 224. y) L. VI. v. 382 ſeqq.

Digitized by Google

Non Tyrrhena retro volventem carmina frustra
Indicia occultae diuum perquirere mentis,
Vnde volans ignis peruenerit, aut in vtram se
Verterit hic partem, quo pacto per loca septa
Insinuarit, et hinc dominatus vt extulerit se,
Quidque nocere queat de coelo fulminis ictus.

Epicureoque contemtu has nugas physiologicas refutans. Istae autem explicationes non fuerunt temporum vetustissimorum, nec putandum, adeo philosophice Tuscos veteres Tageniana praecepta enarrauisse. Sed ad terrendos partim animos et incutiendam religionem, partim ad euentus meteororum et ostentorum naturalium explicandos omnia adhibita sunt. Quo pacto omnis illa physica cognitio, quam Etruscis MAFFEIVS tribuit, euanescit, reliqua enim, quae a viro summo, sed antiquitatis praeiudicio interdum impedito, pro hac Etruscae philosophiae parte explicanda adducuntur, infirmissimo stant talo. Et ex his quoque iudicanda sunt, quae doctissimus LAMIREDIVS eruditioni Tyrrheniae suppetias afferens, de hoc argumento physico differuit, quaeque de hypothesi, fulmina terra errumpere, disputata sunt. Omnia enim, quae de Etruscorum philosophia, siue naturali, siue morali, et politica immo mechanica quoque afferuntur, vt sunt docta, egregia et ingenii laudem merita, fatemur tamen, parum respondere genio veterum istorum philosophorum barbaro, vsuique rerum experientia magis, et populorum, vel si mauis, imperii quoque vtilitati accommodato, quam speculationis philosophicae decretis determinato, sapereque ingens illud, quod in limine nostrae historiae criticae iugulauimus, praeiudicium, veterum sapientiam similem esse nostrae aetatis philosophiae, et ex huius modulo esse dimetiendam. Quae argumentis, manu palpandis demonstrari possent, si historiam particularem philosophiae barbaricae scriberemus, cuius vim et argumentum omne lectori, praeiudiciis partisque studio non impedito, in hac paginae nostrae angustia relinquimus. Nos non inuiti, repetita examinis industria, MOSHEMIANAE confessioni subscribimus s), qui pulchre et candide: *Hetruscos non contemnendi scriptores perhibent in caussis rerum naturalium inuestigandis plus posuisse diligentiae, quam ceteros populos: fruantur hac illi gloria; nos nostro vicissim iure vtemur, et, quantum sapientia et eruditione profecerint hoc studio, si fieri quidem poterit, indagabimus. Equidem in plura superstitionis et leuitatis, quam sapientiae Etruscae, vestigia incidi, veterum libros euoluens, qui de illis nonnulla memoriae prodiderunt, neque hoc negaturos esse iustos rerum et opinionum existimatores, arbitror.* Legant reliqua, sine praeiudicio et admiratione rerum vetustarum, obscuritate et incertitudine sua imbecillioribus ingeniis se commendantium, habebuntque, nisi nos in meridiana luce coecutire demonstrauerint, consentientes et certos,

s) Diss. de creat. ex nihilo §. 18. Syst. intell. CVDWORTHI p. 995.

certos, nihil habere Etruſcos, quod in eorum philoſophia tantopere queat depraedicari.

pag. 346. lin. 25. *Inde dignus fuerit, qui inter philoſophos numeraretur.* Recordanti philoſophi nomen largiorem multo atque laxiorem ſignificationem, quam poſtea apud Graecos, habuiſſe, et imprimis prudentiam regnandi atque ſapientiam legislatoriam comprehendiſſe, non indignus Numa hoc nomine atque honore videbitur. Verum tunc omnis cum Pythagorea philoſophia comparatio omittenda eſt, quae alia principia, alium finem, alium modum, alium effectum habuit, quam diſciplina Numae, tanto magis admirabilis, quanto magis tota practica et ad regendos populorum animos fuit accommodata; digna, quae ſecundum principia et obſeruationes Montesquianas examinetur, quarum nobile exemplum ſunt. Confirmat id character Numae philoſopho, ſed morali, practico politico habenisque imperii prudenter tenendis a natura quaſi facto et deſtinato conueniens, quem pulchre depingit PLVTARCHVS [a]: *fuiſſe tum natura compoſitis ad omnem virtutem moribus, tum vero diſciplina, tolerantia, ſtudioque ſapientiae adhuc manſuetiorem ſeſe redegiſſe, eiectis ex animo non iis modo, quae apud omnes pro vitiis habentur, animi pravis affectionibus, ſed vi etiam et cupiditate, quae apud barbaros laudi dantur, eam veram fortitudinem eſſe iudicantem, quae appetitus ratione coërcentur.* His religionis cultum poſtea addit, quem in homine in Sabina gente nato et educato nemo morum iſtius aetatis probe gnarus valde miratus fuerit, multum autem ad id contribuit, vt eum connubio Deûm dignum haberent, indeque *virum beatum et rerum diuinarum ſapientem* euaſiſſe crederent. „Et ſi „hiſtorico quidem fides eſt, detrectaturus oblatum regnum inter alia „cauſſatus eſt, mores, qui in ipſo laudentur, longe ab illis differre, qui „in rege futuro requirantur: ſummum otium aſſiduum philoſophiae, „vehementem pacis amorem, qui vna cum vita adoleuerit, vſumque „rerum belli expertium, et hominum, qui religionis tantum amicitiaeque „cauſſa in vnum conuenire ſoleant, quorum longe alia Romanis neceſ„ſaria eſſe perſuadere cupit populo.“ Sed haec tantum abeſt, vt philoſophorum purpuratorum albo Numam eximant, vt potius virtutem eius philoſophicam laudibus meritis coronent: verum, de hoc charactere philoſophico, in praeſentia ſermo non eſt, ſed, de Pythagorico, theoretico, his moribus ſaepiſſime diſſimili.

a) In Numa T. IV. Opp. p. m. 114.

AD

Digitized by Google

AD LIB. II. CAP. XI.

DE PHILOSOPHIA SCYTHARVM, THRACVM ET GETARVM.

pag. 351. lin. 21.

Et tum huius, tum Asiae partem incolentes indicauit. Dispiciendum de hoc discrimine, et consulendi Geographiae veteris scriptores, ne quid in hac historiae philosophicae parte misceatur. Hodegum se lectori praestabit CHR. CELLARIVS [a], qui Scythiam Asiaticam totam enarrauit. Multi enim veteres et recentiores ambiguo Scythiae nomine abusi, Europaeos Scythas cum Asiaticis confuderunt, quanquam ingeniose et non sine verisimilitudine PELLOVTIERIVS [b] suspicetur, Scythas Celticos, et Sarmatas Europae, easdem gentes fuisse, qui in Asia nomen Medorum et Persarum gesserunt: illud dubio carere videtur, ex hac septentrionali Asiae plaga non gentes tantum hyperboreas, quae vltimam Scythiam occuparunt, fuisse progressas, sed et quicquid in Europae septentrionem Celtarum Sarmatumque nomine migrauit, a ducibus suis, ex hoc mundi angulo fuisse traductum [c]. Ex hac vero scaturigine communia quoque dogmata et opiniones simul cum populis in alienas sedes migrauisse, et ipsa ratio persuadet, et probant exempla, ex parte supra iam adducta, quae hoc loco repetenda sunt.

pag. 358. lin. 17. *Ex hoc vero vno de pluribus huius generis, qui adhuc in historia philosophica occurrent, iudicium fieri cupimus.* Adeo insignis tum miraculosarum narrationum copia, tum traditionum varietate est historia Abaridis, hominis Scythae, vt, si recte expendatur, et, iudicio critico interposito, consideretur, omnem fere illius nationis, aetatis seculique imaginem prodat, et si hanc rite, et iusto iudicio teneas, omnem fere, huius gentis theologiam fabularem, omnem Graecorum credulitatem, omnem mentiendi in tam cana temporis periodo licentiam, omnem superstitionis ad incredibilium apicem exaltatam vim et efficaciam tandem liceat cognoscere: quae sola res est, digna nobis olim visa, quam peculiari dissertatione excutiendam et secundum canones historiae veteris criticos examinandam detrahendamque veteris orbis audaciae laruam exponeremus. Obstitere tamen innumera, quae nos vndique, vt fieri solet, in alieno campo militantibus, obstrepebant, negotia, vt quam de Abaridea fabula siue commento dissertationem conceperamus, hactenus integram dare suisque partibus perfectam nondum licuerit. Nec, quae nostrorum annorum viriumque conditio est, eam promittere futuram audemus.

a) T. II. c. 3. §. 24. p. 480.
b) Hist. Celt. L. I. c. 2. p. 18 seqq.
c) IDEM, l. c. p. 20 seqq.

Digitized by Google

mus. Exhibebimus tamen noſtras Lectori beneuolo, harumque rerum iudici non imperito et a praeiudicio antiquitatis et admirationis alieno, prono vero, ad cauſſas rerum attendendas, quibus res inſolitae veterum adſcribendae ſunt, cogitationes ſubitaneas olim in chartam de hiſtoria Abaridis coniectas, vt prolixiori et profundiori inquiſitione in hanc miraculoſam hominis, ſi qua, fuit, impoſtoris hiſtoriam libero iudicio poſſit inquirere, et quid veriſimiliter de his et ſimilibus in veteri hiſtoria ſtatuendum vel credendum ſit, intelligere. Et I. quidem non diffitemur, hiſtoriam Abaridis, qualem hoc loco non indiligenter ex veterum narrationibus tradidimus, vbique criticam ſententiam interponentes πολυθρύλλητον et famoſiſſimum exemplum veteris orbis nugacis eſſe, et tamen hoc non obſtante, inter ſcriptores adeo diuerſos fidem inueniſſe, vt fabulas fabulis augerent, adeo, vt, ſi ſolo teſtium numero ſtandum eſſet, de incredibilibus Abarideis dubitandum vix eſſet. Attulimus praecipua omnia in hoc H. C. P. loco, quae de hoc homine θαυμασίῳ a veteribus traduntur, nec habemus, quod magnopere dictis et allatis addamus, ſiue teſtimoniorum, ſiue rerum, fidem examinaueris. Ea vero iterata meditatione perlegentibus, nonnullae obſeruationes enatae ſunt, quas ex hoc noſtro ſpicilegio abeſſe nolumus, vt habeat lector, quod propria conſideratione iudicioque ſuppleat. II. Dudum autem hiſtoriam Abarideam, qualem ex veterum relationibus hoc loco delineauimus, conſiderantibus verimile erat, integram hiſtoriae ſcenam nihil prorſus veri habere, fuiſſeque ſcenam a mendaci Graecia, ex rebus philoſophorum barbaricorum ſibi gloriam quaerentium ideo excogitatam, vt antiquitatis et auctoritatis gloriam aucuparentur. Satis obiter in rebus veterum verſatum eſſe, oportet eum, qui talia per omnem philoſophiae atque theologiae barbaricae ambitum non critico ſtigmate annotauerit, et multoties eueniſſe obſeruauerit. Quod eo magis de Graecorum natione ſuſpicari licet, quae, cum ex variis et diſperſis veterum nationibus et coloniis coaluerit, non habuit, vnde ſua fuco antiquitatis et venerationis illineret, niſi, vt a populis, vnde ſuas origines deriuabant, omnem ſapientiae celebritatem ſe accepiſſe, eſſeque fidos veteris gloriae cuſtodes, contenderet. Fontem hunc eſſe verum, totius eruditionis mythologicae Graecanicae, rerum peritum non latet, quam non prius e latebris ſuis eruemus, niſi hos veros tot nugarum vndique conquiſitarum fontes detexerimus, de quibus tamen alio loco fuſius dicendum eſt, nosque paulo infra, vbi de philoſophia Graecorum fabulari diſſeruimus, potiora attigimus. III. Ratio haec nobis olim fuit ſuſpicandi, totam Abaridis hiſtoriam eſſe fabulam quandam mythologicam a Graecis ideo excogitatam, vt ſapientiae ſuae origines priſci orbis more, ad antiquiſſima primordia referrent, nec fuiſſe vnquam Abarim aliquem, de quo mirabilia iſta narrantur. Quod, licet paulo audacius a nobis dictum, inter tot veterum relationes et teſtimonia, videri queat, non tamen minus eſſet credibile, quam, nullum fuiſſe Hermetem vel

Digitized by Google

vel Trismegistum et Zoroastrem similesque viros antiquitatis summos, quos religionis et sapientiae caussa confinxisse veteres, multis viris doctis visum est. IV. Maxime vero illa se nobis huius fabulae a Graecis cusae suspicio subrepsit, quod non sine verisimilitudine credebamus, totam fabulam sagittae Abarideae, et quae reliqua hanc comoediam consequuntur, desumtam fuisse ex traditione Graecorum mythologica de Vulcano, qui ex Aegypto ad Graecam nationem delatus est, et videbamur nos conspexisse Cyclopum artificia, quibus vim et efficaciam armorum in priscis coloniarum suarum ducibus celebratam adscribebant. Facile putamus esse, hanc suspicionem roborare, si eiusmodi argumentis vti non erubescceremus, quibus nonnulli viri docti in mythologia Graecorum eruderanda audacius, quam verisimilius, sunt conisi. Ast huius generis coniecturis, quamuis ingeniosis, veteris orbis historiam sacrificare, et hoc pacto merum Scepticismum historicum introducere, nostris huius Operis legibus mox in liminine nobis scriptis putauimus prorsus contrarium, ideoque constanti antiquitatis testimonio persuasi, fuisse quendam hominem extraneum, qui Abaridis nomen gessit, et circa Olympiadum origines vixit, quemque Graecia mendax fabularum suarum et mendaciorum obiectum fuisse credebat, non dubitamus. De quo a mero, in hoc argumento adeo prono Scepticismo abeuntes, cum in H. C. O. hoc loco satis luculenter nostram sententiam tradiderimus, ibi dicta nolumus repetere. V. Hoc tamen non obstante, ipsa rei euidentia teste, negare neminem posse, confidimus, pleraque, quae de Abaridis rebus traduntur, meras esse fabulas, et non nugas tantum hominum otiosorum περιεργίαις suis auctoritatem conciliare cupientium, sed a talibus praeterea hominibus narrari, quibus trabalium mendaciorum audacia dudum exprobrata est, et qui ipsi hanc mentiendi et fingendi libidinem in oculos incurrentem, ineptis excusationibus palliare, sunt conati. Et in hoc quidem numero pleraque θαυμασὰ, quae de Abaride narrantur, referenda esse, et habenda pro impudentissimorum hominum commentis affirmare, nulli dubitamus, eo quod et ipsum argumentum futilitatem atque stultitiam prodit, et auctorum testimonia nulla fide commendantur, et ipsae in istorum hominum narrationibus contradictiones ineptias prodant, anilesque fabulas. Maxime vero temporum ab his hominibus rebus Abarideis tributorum rationes adeo sibi contradicunt, et totius historiae vanitatem produnt, vt, qui ad hunc lydium lapidem veteres historias, et Abarideam quoque examinare neglexerit, eum oporteat, omni sensu et iudicio, quod huic argumento debetur, carere, esseque indignum atque ineptum iudicem. VI. Etsi vero omnia hic obseruata se recte habere rerum veterum gnaris in confesso esse putamus, a multo tamen tempore iam ea nobis subnata est suspicio, quamuis θαυμάσια Abaridea mendaciorum et figmentorum charactere turgeant, habuisse tamen ea fontes quosdam non in Graecia natos et promanantes, sed ad Graecos a Scythis progressos, quibus res hyper-

boreae ab homine callido, et Graecorum credulitati imponere auso in eam figmentorum mirabilium formam commutatae sunt. Diu hanc suspicionem intra mentem versauimus, rati, Idem hic obtigisse, quod plerisque fabulis, licet incredendis, aliquid veri, et occasio reuera existens insit. Et hoc pacto in hac quoque Abarideae historiae obscuritate palpari aliquid posse fuimus persuasi, ex quo iterata *Eddae Islandicae* lectione et meditatione eius systematis mythologico-cosmologici atque pneumatologici, ad eos fontes delati sumus, vnde satis manifeste constare potest, Abaridis historiam habuisse origines non Graecanicas, sed Scythicas, quaeque ille mentitus est, et leuidensia Graecorum ingenia tanquam miraculosa receperunt, deberi opinionibus Scytharum gentiumque hyperborearum, qui similia de deastris suis, vel spiritibus mediis, cominisci non erubuerunt, ea mentiendi et statuendi audacia, vt ad nostram aetatem fundamenta istarum traditionum inter Germanos, Cimbros, Sarmatas, Sueones, et hyperboreas gentes alias nondum exoleuerint. Cuius primam nobis hariolandi occasionem suppeditauit sagitta Abaridis, non ingenio Graeco excogitata, sed ex traditione gentis Scythicae, ex qua patet, Abarim se non pro nudo homine sapiente Graecis venditasse, sed ex eorum genere esse voluisse, qui cum spiritibus intermediis, maxime illis, qui in fodinis habitare credebantur, et in hominum commercium interdum venire iactabantur, arctiorem consuetudinem habuerit. Qualem opinionem sub initia Graecae gentis, et maxime coloniae ex Thracia deductae, obtinuisse, temporum rationes, si Abarim ad surgentium Olympiadum initia referimus, prorsus concinunt. Ab his enim, spiritibus intermediis, Abarim se sua θαυμάσια, maxime vero sagittam αἰθροβάτην accepisse, fuisse gloriatum, adeo cum systemate hyperboreo et mythologia Scytharum, et septentrionalium concinit, vt palpari queat, Abarim nugas suas ex Scythia Europaea ad Graecos detulisse, suosque deastros cum Graecorum Diis, religionis caussa, commiscuisse. VII. Sed vt in rem praesentem lectorem deducamus, et non leuibus nudisque coniecturis nos ista hariolari videamur, ipsae illae doctrinae Scythicae allegandae sunt, quae non soli Abaridi, sed toti Scythicarum gentium cohorti placuerunt. Quarum primas hypotheses et primaria capita supra quidem, cum historiae cosmogoniae Celticae spicilegium affueremus, iam tetigimus, hic tamen totum systematis compendium consulendum est. Quod adductis veterum et imprimis Eddae testimoniis confirmare, loci huius angustia prohibet, oramus autem Lectorem, vt, vbi consulendi libri rarissimi occasio subnascitur, ipsas Eddarum mythologias et Voluspas tanquam testimonium domesticum adhibeat, et cum his ea veterum loca comparet, quae KEYSLERVS, PELLOVTIERIVS, SCHVZIVS alique supra a nobis adducti de opinionibus et dogmatibus Celtarum gentiumque Hyperborearum congesserunt. VIII. Horum summam hic lectori ad profundiorem meditationem et simul placitorum Scythicae theologiae et pneumatologiae atque cosmologiae

aliquam

aliquam, quae hoc loco deſiderari poteſt, expoſitionem indicaturis, ecce praecipua dogmata, quibus Abarim ſuam iactantiam incruſtaſſe nobis vero videtur veriſimillimum; de quibus non putamus opus eſſe, vt itenum moneamus, gentes barbaras plerasque coſmogonias in theogonias conuertiſſe, huicque ſcopo inaedificaſſe ſequentia d): 1. Deum eſſe animam mundi, totumque per omnem mundum diffuſum, et ſua eſſentia et diuina virtute replere et animare omnia. 2. Ex hac anima mundi emanaſſe ſpiritus quoſdam potentiſſimos atque magnos, diuinitatis gloriae proximos, hos eſſe rectores elementorum ac gubernatores magnarum mundi partium, et imprimis in montibus atque iugis in ſubterraneis fodinarum metalli tractibus, in lucis et arboribus praegrandibus habitare, et praeſentiam ſuam non humana imagine, ſed horrore diuino prodere. 3. His ſpiritibus rectoribus ſubordinatos eſſe atque parere exercitum ſpirituum intermediorum, ſiue mediam inter ſpiritus diuinos et homines naturam habentes, et corporeo quodam ὀχήματι circumdatos: hosque adhiberi a ſpiritibus magnis, quorum intuitu Twergi, ſiue nani, dicti ſunt, ad producendos effectus rerum mirabilium inſolitos e), hos draconum inſtar cuſtodire theſauros terrae latentes, et quae alia ſunt fabularum integumentis inuoluta, quo ipſum aureum vellus a dracone cuſtoditum trahi poſſe putamus. 4. Eſſe hos ſpiritus intermedios in iugis montium et cauernis maximo numero, et interdum, cum corpuſculum ſubtile habeant, videri ab hominibus iſtis, qui in viſcera terrae inquirunt, aurique et metallorum cupidi hos theſauros cuſtodibus ſuis eripere ſatagunt. Ab his ſaepe viſos, hisque ſpectrorum imagine lemurumque, imo ſpirituum familiarium quoque figura et officio apparere. Qui verus nobis fons atque ſcaturigo ſemper viſa eſt, ex qua tot traditiones veterum, tot narrationes vetularum, tot figmenta otioſorum hominum de ſpectris et lemuribus inualuerunt, totumque fere mundum ſyſtemate hoc emanatiuo occupatum, et quaſi obſeſſum, ita faſcinauerunt, vt hodie, in tanta philoſophiae et religionis luce non potuerint penitus euelli, curque imprimis inter fodinarum foſſores et in iſtis regionibus, vbi auri metallique e viſceribus terrae eruendi labor exercetur, certa quaedam ſpectra fuſe iactentur, quae maligniorem erga homines indolem prodant, quod eripiendis ſibi iſtis theſauris, infudent f). Eſſe autem inter eos quoque ſpiritus quosdam minores, παιδάρια, homini inſeruituros, ſi eorum familiaritatem ſemel obtinuerit. Et ab his quidem ſpiritibus intermediis 5. didiciſſe homines excoquendorum et fundendorum metallorum artificia, et quae ad

d) Fuſe et erudite haec omnia proſecutus eſt PEZRONTIVS, hiſt. Celt. T. II. L. III. c. 8. p. 111 ſeqq. qui noſtram breuitatem iucunde ſupplebit. Videbis ita pluribus expoſita Opis, Dianae Tauricae, Dianae Scytharum, aliaque hyperborea Θεολογήματα. Et huc refer quoque cultum ſolis gentibus Hyperboreis ſanctiſſimum, p. 215. et lunae p. 227.

e) Omnino hic conſulenda Edda, myth. 15.

f) Prouocamus ad famoſum ſpectrum Bohemorum ſaltuum, Rubenzahl dictum, de quo conſulendus PRAETORIVS in hiſtoria montis Bructeri vernacula edita.

mechanicam fabrilem pertinent, saepe non sine miraculo fuisse edoctos f. Cum autem imprimis armorum studia prae aliis sectarentur gentes hyperboreae, Scythicae, Celticae, Sarmaticae; maxime in his fabulis ornandis ad armorum genera respexisse has gentes, satis manifeste Eddae produnt. Quarum cantus et vaticinia si sequimur, datur 6. certum quoddam genus eiusmodi Asarum atque Twergorum, (haec enim domestica eorum nomina sunt) qui certis artificiis mirabilibus praefecti mirabilia instrumenta conflant, et cum illis, quibus singulare cum ipsis commercium atque familiaritas intercedit, communicant: quorum vsu mirabilia plurima et ceterorum hominum generi incredibilia possint parari, inuincibiles homines reddi, semperque victores, imprimis vero nosse eos artem virgas aureas, ferreasue cudendi, quibus inequitare perque auras ad dissitas regiones commigrare liceat. Quod artificium adeo in hac gente celebratum fuit, vt ad nostra vsque tempora homines quoque docti, et haud obesae naris, putent, certissimum esse, singulis calendis Maii per aërem in virga ἀιθροβάτῃ inequitare sagas ad montem Bructerum iter instituentes, visasque sibi tales mulieres Abarideas, id est, Abaridis commilitium, multisque mirabundis euentibus se prodidisse. Quae omnia latius non ex plebeculae rumusculis, sed ex vetustissimarum Eddarum mythologia et carminibus, possunt illustrari, locum autem in tanta scriptionis breuitate et scopo non hic inueniunt. Addamus tamen in fine paginae mythologiam Eddanam *Bruckerorum* g, qui eiusmodi fabri miraculosi dicuntur fuisse, quod et

f) Fundamentum rei exponit Pellovtier. l. c. p. 41.

g) Edda Resenii mythol. 59. de ludicro Loki: „Posthaec abiit Lokus ad nanos quosdam „Ivalli filios dictos, et tres accepit ab iis res pre„tiosissimas: prima erat coma aurea, quae cutem „vinam attingens protinus adhaesit haud secus „ac naturales capilli: secunda Skydbladner na„uis, quae erecto velo ventum extemplo secun„dum consecuta est. Tertia Gugner bipennis, „quae omnia imperuia penetrans ictu nunquam „frustrata est. Deinde Lokus cum nano quo„dam Brukero nomine, capite suo deposito con„tendit, quod frater eius Eitrius tres alias res „similis praestantiae non esset fabricaturus. Hoc „vt probaretur, officinam ferrariam ingressus „cum fratribus Eitrius pellem suinam ante for„nacem disposuit, rogauitque, vt Brockerus „frater soles agitaret, nec desisteret, donec illud, „quod igni imposuerat, extraheret, et sic officina „egressus est. Interim sufflatoris manum musca „continuo momordit, cuius tamen morsu non „mouebatur, donec rediret faber, qui ex fornace „aprum aureis pilis micantem produxit. Deinde „aurum igni imposuit, petiitque obnixe, ne spi„rationem intermitteret, vsque dum reuerteretur, „et discessit. Rediit autem musca, et collum du„centis folles multo, quam ante, acrius carpebat. „Ille nihilominus opus fecit, donec faber ex for„nace annulum extraheret aureum nomine Dru„pnerem. Tertio denique ferrum immisit in „ignem, iussitque, vt auras accipientes et redden„tes ictenue moueret Brukerus. Sed musca ad„huc rediens inter oculos eius desedit, et nunc „palpebras acutissime pupugit, vt sanguis illi in „faciem defluereret, visumque prohiberet. Ille „vero manu quam celerrime, dum follis demit„teretur, muscam excussit, et tum faber ingressus „inutile pene redditum dixit, quod in ignem „deposuerat. Interim tamen malleum Mollnerem „ex fornace protraxit. Has omnes res fratri suo „Brockero in manus dedit, vt Asgardum illas „deportaret, depositumque solueret. Protulerunt „ergo clenodia Lokus et Brockerus iudicio se „sistentes Odini, Thori et Freyeri, ibi Lokus „Odino Gugnerem, Thoro Comam, Freyero „Skidbladnerem concessit, naturamque aperuit „munerum, vt prius dictum est. Brockerus et„iam sua exhibens Odino Drupnerem dedit, „asseruitque nona quolibet nocte octo ab illo ipsi „pondere aequales progigni annulos. Freyero „aprum concessit, addiditque: *aërem et aquam „noctu et interdiu quolibet equo velocius currere „posse*, iubemque eius in densissimis tenebris ab„unde lucere. Mallee Thorum donauit, dicens, „eum ad pulsandum gigantes valere, nec pro„iectum in ictu deceptum iri, reuersurumque „dicto celerius in manum iacientis, etsi instar „catapultae longissime auolerit, et si quis velit „tam paruum futurum, vt pera seruari possit. „Esse

et nomen nos gentilitium monet, et luculentum exemplum, vnde fabula ſagittae Abarideae originem acceperit. Nobis maxime veriſimile eſt, praeter animam diuinam totum mundum permeantem et ſyſtema emanatiuum, quod totum fere orbem, maxime ſeptentrionalem occupauit, occaſionem dediſſe his fabulis artem fundendi coquendique aeris, a foſſoribus clam habitam, adque diuinitatem relatam, voluiſſe homines ſubdolos gloria familiaris cum ſpiritibus conſuetudinis frui, indeque primo excogitata θαυμάσια multa, non niſi fundendorum metallorum peritis peruia, quorum cauſſae cum laterent, fraus, ſuperſtitio, plebis ſtupor, ſacerdotum aſtutia, principum vtilitas, quorum intererat hanc eruendorum theſaurorum artem non vulgari, mira miracula excogitauit, quae mendax Graecia, cum e re ſua eſſent, mendaciis ſplendidis auxit, ſchola Alexandrina perfecit. Qua claue putamus omnia Abaridis myſteria referari poſſe, reliqua ad gynecaeorum ſubſellia, non vero in muſeum hiſtoricum et philoſophicum pertinent, vbi falſe hos homines ridebat Epicurus grauis ſuperſtitionis huius cenſor.

pag. 362. lin. 15. *Animas non interire, ſed poſt vitam apud manes feliciter aſtam redire in corpora auctore potiſſimum Zamolxi imaluiſſe, quem in ea cum Pythagora ἐμέψυχον laudat Iulianus.* Repetenda hic ea ſunt, quae ſupra in recenſione philoſophiae Celticae diximus. Omni enim dubio caret, Zamolxin longe ante conditam Graecam theologiam vixiſſe, et non aliam de vita hominum poſt funera apud manes ſententiam tenuiſſe, quam quae toti genti Celticae, Hyperboreae, Scythicae recepta fuit, quamque a Pythagorica, qualem is nugis ſacerdotum quorundam Aegyptiorum perſuaſus, ſomniauit, eſſe diuerſiſſimam, recte viri docti iudicarunt, cum Pythagoricae nugae tantum a quibusdam hominibus inter Celtas Scythasque in confiniis Graecorum habitantibus reciperentur. Quod argumentum, vti euidentibus rationibus illuſtrarunt PELLOVTIERIVS atque SCHVLZIVS ſupra nobis adducti, ita eorum quoque opinionem euertunt, qui Pythagoram ſua hauſiſſe in itinere Thracico, et ex ſchola Zamolxis in ſuam traduxiſſe, coniiciunt, cuius opinionis auctorem laudat Hermippus apud IOSEPHVM [k]. Alia enim Thracum eorumque doctoris Zamolxis placita fuerunt, quam Pythagorae: quanquam, qui ita ſtatuunt, non tam enormiter peccant in notationes temporum, dogmata tamen confundunt, et vel ſolis itinerum Pythagoreorum rationibus et circumſtantiis poſſunt refutari, de quibus ſuo loco ex inſtituto egimus. Verum, ne hoc quidem dubio carere, niſi nos omnia fallant, recte colli-

gimus,

„Eſſe vitium, quod procapulum videretur „breuiuſculum. Hoc vero iudicium erat Aſa„rum, malleum harum rerum omnium eſſe opti„mum, et quod depoſitum eſſet Brockerum „poſſidere. Obtulit ergo Lokus pro capite ſuo „ſolutionem, quam nanus recipere noluit. Iuſſit „ergo, vt ſe comprehenderet Lokus, quod cum „facere vellet Brockerus, procul aberat, nam Lo„kus *calceos poſſedit, quibus aërem et aquas ſue citius „percurrere potuit*, quos ſibi tunc induxerat. Muta nomina, Odinum in Apollinem, Bruckerum in Abarim, et habebis fabulas ſimillimas Abarideis.

b) Contra Apion. L. I, conf. SCHVLZ. l. c. pag. 116.

gimus, Zamolxin huius dogmatis primum inter gentes hyperboreas et celticas auctorem fuisse, quod post PSEVDO-ORIGENEM [d] potuisse placere cl. SCHVBERTO [e], miramur. Certissimis enim indiciis euicit Pelloutierius, dogma de immortalitate animae et vita apud manes inter Celtas tum Scythicas, tum Sarmatas, Germanos, Gallos, Iberos, vetustissimi aeui canitiem prodere, quae Zamolxis aetatem longe superet [f]. Quo ipso viro docto non negamus, Zamolxin eam sententiam inter σοφίας δόξας retulisse, suisque vehementer commendasse, quibus semper virtutis et fortitudinis fons illud dogma visum est. Iuliani autem auctoritas, ob scholae suae, cui erat addictus, nugacitatem hac in re plane nulla est. Cetera, quae de Zamolxis auctoritate hominibus post fata maiore, et ad diuinitatem relata, solent memorari, veremur, vt satis queant probari. Heroibus enim, quanticunque illi fuerunt, gentes Celticas et Scythicas cultum diuinum non tribuisse, ipsa earum theologia comprobat. Confuderunt, qui haec statuunt, maximam venerationem et existimationem, qua Druides in genere, omnium fere maxime Zamolxis, excepti sunt, cum cultu religioso. De illo STRABO [g] monet: *Zamolxin initio sacerdotem creatum Dei, qui maxime apud Getas colitur, postea eum nomen Dei etiam accepisse: eumque morem ad nostram vsque durauisse aetatem, semper aliquo reperto, qui ita esset animatus, vt regi a consiliis esset, et a Getis Deus nominaretur.* Facile credimus, nobiscum suspicaturum lectorem cautiorem, hanc denominationem arcanam rationem politicam prodere, quae ad deuinciendos summis imperantibus subditorum animos religionem adhibuit, et virum quendam sapientem ideo diuino nomine cohonestauit, quod peculiari spirituum intermediorum commercio frui credebatur, et ita felici Deorum alloquio beatus, respondere ex aqua, igne, astris, aliisque corporibus mundanis, in quibus magni spiritus habitare credebant, de futuris rerum euentibus posse videbatur. Quo sensu LVCIANVS [h] intelligendus est, si testimonium eius admittendum: *Scythas et Getas immortalitate donare, et in Deorum numerum referre, quoscunque placuerit*, eadem ratione, qua Zamolxis, cum seruus esset, Diis adscriptus est. Eundem venerationis honorem accepisse feminas fatidicas, maxime Velledam, nationis Bructerae, late imperitantem, vetere apud Germanos more obseruat TACITVS [i].

f) Philosophum. c. 25. p. 120.
g) Hist. philos. f. 11. §. 148.
h) Vidit id CLVVERVS Germ. antiq. L. I. c. 32. qui recte monet: a primo mortalium Adamo, omnes posteri eius opinionem haud dubiam acceperunt de animarum aeternitate, deque vita illa altera vera ac felice, qua probi fruituri sint, itemque de poenis, quibus improbi in inferno afficientur.
i) L. IV. p. 298.
k) In Deorum concilio.
l) Histor. L. IV. c. 61.

AD

Digitized by Google

AD PARTEM SECVNDAM.

DE PHILOSOPHIA GRAECORVM.

LIBER I.

DE INFANTIA PHILOSOPHIAE GRAECAE.

CAPVT I.

DE PHILOSOPHIA GRAECORVM FABVLARI.

pag. 364. lin. 6. a fin.

Theologia iſtarum gentium ad Graecos perferretur. Cum Graecorum natio non ex vno terrae angulo prorepſerit, aut ex aboriginibus fuerit, ſed ex diuerſis terrarum tractibus progreſſa, tandem in vnam gentem coaluerit, rectiſſime agunt, qui ad hanc diuerſorum populorum mixturam, in inquirendis eorum placitis et religione inquirunt, ex qua et docendi modus et placitorum diuerſiſſimorum inter ſe coniunctio mirum quendam doctrinarum ſyncretiſmum progenuit. Illud autem, etſi curioſo lectoris antiquitatis periti labore dignum, perquirere, alium locum poſtulat: de originibus autem Graecorum, de coloniis, diuerſarumque, inter ſe, gentium apud eos ſocietatibus, et quae alia ſunt, ad rerum publicarum Graecarum antiquitates ſpectantia hoc loco digredi velle, eſſet, extra oleas vagari, et ſcriptionis noſtrae migrare limites. Conſulent autem, qui iſta noſſe cupiunt, viros doctos, qui in hoc campo non ſine luminibus fuere verſati, NIC. LENGLETVM DV FRESNOY [a], ANT. BANIERIVM [b], ANTON. ANSELMVM [c], et NIC. FRERETVM [d], THOMAM HINDIVM [e], TEMPLESTANYAN [f], IAC. PALMERIVM AGRENTEMESNIL [g], HVMPHR. PRIDEAVX [h], et ex noſtris CHRIST. CELLARIVM [i] et Io. GEORG. WACHTERVM [k], vt alios his vetuſtiores taceamus.

pag. 365. lin. 13. *Ad conditorum patriam quam maxime reſpicere.* Colonias ab Aegyptiis et Phoenicibus in Graeciam deductas veteres Inquilinos, quos Pelaſgorum nomine nobis narrat vetuſtiſſima Graeciae hiſtoria, expuliſſe, et per omnes fere terras diſperſiſſe, veteres multis locis teſtantur, quae accurate enumerauit doctiſſimi PELLOVTIERII diligentia,

a) Method. ſtud. hiſt. Vol. II. p. 489. 509. Suppl. Vol. I. p. 272 ſqq.
b) Mythol. expliquée par hiſt. P. VI. VII.
c) Memoires de l'Academie des Inſcriptions T. VI. p. 59.
d) Ibid. p. 36.
e) Hiſt. Graec. 1707. II.
f) Hiſt. Graec. 1744.
g) Deſcript. Graec. L. I. c. 1 ſeqq.
h) In marm. Oxon. 1. p. 366 ſeqq.
i) Geogr. ant. L. II. c. 13. Vol. I. p. 1022.
k) Concord. rit. et ſcript. c. 6. 7. 8. p. 134 ſqq.

Digitized by Google

gentia [1], qui recte quoque obſeruauit, nouos colonos, ex miſtura Phoenicum, Aegyptiorum, Scytharumque conſtitiſſe, veteres Pelaſgos autem Thraces fuiſſe; cui opinioni fidem inde conciliat, quod Scytharum et Pelaſgorum religio in multis conueniat; cultus Deorum ſimplex, ſine templo, vt ex oraculo Dodonaeo patet, quod ex quercu editum, reiecta idola, ſacrificia oblata, ſola inuocatione numinis, non admiſſa ſingularia Deorum nomina, feſti dies, ſolennitates et myſteria Pelaſgis cum Thracibus communia, qualia ſunt Deorum Cabirorum, feſta Coſydica et Bendidia et his ſimilia. Ex quibus quid de theologia atque religione Pelaſgorum ante Aegyptiorum et Phoenicum aduentum in Graecia ſtatuendum ſit, iudicari poteſt. Cum autem Thraces Scythaeque theogonias cudere conſueuerint, quales et Aegyptii et Phoenices deamabant, hinc fontes fabularis theologiae graecae facile detegi poſſunt.

pag. 366. lin. 8. a fin. *Cur in mythologia Graecorum infantiam philoſophiae in hoc populo ponamus.* Veriſimillimas huius rationes nos attuliſſe, illi, ſperamus, non negabunt, qui ceteras populi rudis et a ducibus ſuis ad nutus flecti edocti circumſtantias conſideraverint. Hi cum longe ſupra vulgus ſaperent, et qua ratione hominum ingenia ad mitiores ſenſus traduci poſſent, exemplis earum gentium, inter quas hactenus fuerant verſati, didiciſſent, natura, aſtu, exemplo, excitati cicurare ſuorum animos aggreſſi ſunt, quos coire in vnam ſocietatem atque rempublicam ſibi conſtitutum habebant. Itaque ad mythologiam ſe conuerterunt, quam ſuppeditaſſe vetuſtiſſimis gentibus ſapientiae gloriam, nemo tunc temporis ignorabat. Perſuaſere hanc fabularis ſapientiae auctoritatem, linguarum, quae tunc obtinebant verba atque ſigna, quae hieroglyphica et imaginibus, atque aenigmatibus plena fuiſſe, ſupra demonſtrauimus, et imprimis Aegypti hiſtoria, ipſaque *naturae et ſcripturae concordia* pulchre et ingenioſe a WACHTERO delineata euincit: haec figuris emblematica et ſenſu figurata, animos ad hanc fabularum methodum ab ipſa adoleſcentia praeparabat. His literis atque linguis veterum heroum, ipſorumque Deorum atque ſemideorum facta mirabilia dudum erant ab iis ſculpta et expreſſa, qui ingenio artem iungentes, rem ipſam mirabili euentuum raritate iam comprehenſam, audacioribus imaginationis imaginibus exaltauerunt et quadrata rotundis miſcentes mirum θαυμαζῶν chaos inde confirmauerunt. Quo pacto, cum innata gentis ſuperbia antiquitatis celebritatem atque gloriam illis promiſiſſet, qua belluinam primae originis faciem illinere et ad honeſtatis famam pingere poterant res ſacras, profanas, hiſtorias, et quaecunque alia ſuae gentis famam concernentia ad poſterorum memoriam conſeruare cupiebant, eiusmodi fabulis incruſtauerunt, quibus ſapientiae et nobilioris originis gloria in hominum animis emergeret. Hinc conquiſita omnia, ſibique vindicata, omnesque vetuſtatis heroës, imo ipſa numina ſibi aſſerta, et in fabulare ſyſtema translata ſunt, ex quibus

1) Hiſt. Celt. L. I. c. 9. p. 63 ſeqq.

Digitized by Google

bus ſi non gloria vincere populos alios, certe palmam ſapientiae diuinioris dubiam reddere cogitabant. Quod non adeo difficile fuit, cum veteribus Graecis viri magni ex ducibus ſuis non deeſſent, quos eadem probabilitate coeleſtium mentium choris inſerere licebat, quam factum erat apud gentes alias. Adderemus, quod multis poſt HVETIVM placuit, heroës Hebraeos, quorum acta fama et celebritate inter gentes innotuerant, ipſos excitaſſe, vt ſimiles ſibi viros arrogarent, niſi nimiis et inſuperabilibus difficultatibus hanc ſententiam eſſe obſeptam clare videremus. Hos autem in partes vocare eo minus opus eſſe putamus, quo magis inter iſtos populos, ex quibus coloniarum Graecarum duces tota hominum agmina ad nouas ſedes acquirendas eduxerant, abunde fabularum et traditionum fuit, quas incruſtando, imitando, tranſmutando ſibi vindicare poterant. Cogimur haec omnia, quamuis a noſtro ſcopo non aliena et veros fontes philoſophiae fabularis Graecorum referare apta, lectoris eruditioni relinquere pluribus illuſtranda et teſtimoniis quoque roboranda, cum praeſentis loci angustia nobis eſſe prolixioribus non permittat: ex his vero magis iudicium de hoc argumento fieri, quam ex leuibus recentiorum nonnullorum commentis, ingenium et doctrinam quidem ſpirantibus, ſed fundamento deſtitutis, e re lectoris eſſe putamus, ne veteres fabulas nouis et ineptis coniecturis augeamus.

pag. 368. lin. 6. a fin. *Qui rem recte expendit, nemo.* Improbauit tamen poſtea hanc fabularem ſapientiae methodum ipſa Graecia, barbaros mores exoſa, et libertatem ingenii ſecuta, poſtquam mores artes et ſcientiae emolliuiſſent. Maxime acriter in fabularem ſapientiam inſurrexit Epicurus, inter cuius ratas ſententias haec quoque legitur: ſapientiam, nihil, quod ſapiat fabulam, vltro fingere, ſed rebus veris potius inhaerere, nihilque adeo impedimenti ad ſapientiam induci [m]. Eandem ſententiam magiſtri ſectatores quoque ſecuti ſunt, inter quos eſt luculenta Colotis oratio apud MACROBIVM [n], qui ad eam reſpondit. Vnde vehementer in poëtarum fabulas haec ſchola ſolebat inuehere, vnius veritatis rationem tantum habitura, vt, ne ironiam quidem Socraticam, toleraret. Quod quibus fundamentis, quaue occaſione et ſcopo Epicurus cum diſcipulis dixerit, alio loco [o] expoſuimus, et GASSENDVS [p] quoque tetigit, qui videndus. Contrarium ſecutos fuiſſe Stoicos, ſuo quoque loco demonſtratum eſt.

pag. 371. not. p. *Confuſae et commixtae ſunt.* Simili ratione fabulam Promethei explicat, et ad Iouis Cretenſis tempora, adeoque ſeculorem, quam nobis videtur, aetatem eum detrudit SCHVCKFORDVS [q], quam totam

m) Conf. CIC. in Bruto c. 83. PLVT. de aud. poëtis T. I. p. 20.
n) In ſomn. Scip. L. I. c. 2.
o) T. I. p. 1255. m. V.
p) De vita Epic. L. VIII. c. 8. et ad L. X. Laërt. T. V. Opp. p. 115 ſeqq.
q) Harm. Scr. S. et prof. L. X. Vol. III. p. 77.

Digitized by Google

totam litem incertam et obſcuram eſſe, fatebitur, quisquis res veterum attento oculo inſpicere didicit.

pag. 378. lin. 9. 10. *Carmen hexametron teſte ANTIPATRO SIDONIO inuenit.* Poſſunt verba anthologiae quidem ita intelligi, quod heroici carminis maieſtatem primus ad myſteria Bacchi decantanda adhibuerit: ſimplicior tamen ſenſus eſſe videtur, ipſum genus carminis heroicum primum in vſus adhibuiſſe. Habes Graeca epigrammatis

Ὅσπερ καὶ τελετὰς μυηρίδας ἔυρετο Βάκχε
Καὶ σίχον Ἡρώῳ ζευκτὸν ἔτευξε ποδί.
Qui olim etiam ſacrificia arcana inuenit Bacchi,
Et carmen heroo iunctum fecit pede.

Dithyrambi enim antea Baccho erant dicati.

pag. 379. lin. 27. *Vt ratio circumſtantiarum poſtulabat, variant.* Elegans hic locus eſſet, de ſcopo et inſtituto myſteriorum, et imprimis, de quo hic agitur, Orphei, pluribus differere, et in arcanos veteris aeui ſenſus ac recondita religionum vincula inquirere, ſi id pateretur praeſentis inſtituti anguſtia; et res ancipiti et obſcura inquiſitione difficilis, non ex ſolis tantum coniecturis eſſet definienda, vnde tota quaeſtio alii loco et occaſioni ſeruanda eſt, tentandumque, an denſum, quod iſtis myſteriis occultandis adhibebatur velum poſſit retegi, cuius difficultatis cauſſas h. l. iam enarrauimus. Nos heic id potiſſimum obſeruamus, ſcopum horum myſteriorum viſum eſſe doctiſſimo GVIL. WARBVRTONO [r], initiatis oſtendere, Deos illos, quos vulgus adorabat omnes, re ipſa mortales fuiſſe homines, id quod memorabili CICERONIS loco [s] roborare contendit: „aliudque quam quod vulgus adorabat numen eſſe colendum, cum ipſi „maiorum gentium dii, Iupiter, Apollo ceterique mortali lege creati, „propter virtutem et benemerita immortalitate et conſortio deorum do„nati ſint: homines autem a ſuprema rerum cauſſa animum immortalem „acceperint, qui mori neſcius ad beatos iſtos circulos ſit rediturus." Putat quoque vir ingenioſiſſimus, legislatores et philoſophos veteres permulta ſuis inculcaſſe, et vehementer commendaſſe, quae credebant hominibus in gente fera et moribus melioribus nondum ſubacta et emendata, fore vtilia, etiamſi ea re ipſa iudicarent falſa. Voluiſſe autem putat auctor doctiſſimus, myſteriorum quoque conditores initiatos a cultu deorum plurium, ad agnoſcendam vnius entis ſummi atque infiniti rerumque omnium moderatoris maieſtatem reuocare, vt, inter arcana dogmata prudentioribus σοφὸν φάρμακον contra ſuperſtitionem ſuppeteret. Qua in re veteres quosdam eccleſiae primitiuae doctores, qui hoc argumento traditionis alicuius arcanae ἐρθοδοξοτέρας exiſtentiam probare volebant,

r) Demonſtrat. diuin. legat. Mos. T. I. L. II. ſ. 4. p. 131 ſeqq. conf. IABLONSKIVS in Panthco Aegypt. prol. §. 13. p. 26 ſeqq. qui tamen nihil decernit.
s) Tuſc. Q. I. I. c. 12. de nat. Deor. I. I. c. 42.

Digitized by Google

lebant, inque eundem finem omnia conſarcinabant, quae religioni praeſidio contra gentilem impietatem fore credebant, habet conſentientes. Et admitti quidem tota coniectura facile poſſet, niſi conſtaret nobis, partim haec, quae vult Warburtonus dogmata non adeo arcana fuiſſe, vt ſolis myſtis et initiatis poſt tot calamitates et vexationes, quae requirebantur, tandem patuerint, eosque illud hoc demum modo didiciſſe, quod ἀμυήτοις aliunde conſtare, ii ſenſu et ratione vti vellent, facile poterat, qualis doctrina de immortalitate animae eſt, quae tantum abeſt, vt inter myſteria reconderetur, vt hanc ſolam in vulgus exire paſſos eſſe Celtas, et veteres populos alios nos Caeſar aliique docuerint: partim niſi maxima ſuſpicandi nobis occaſio exiſteret, homines hos, quibus ex meliori, quam vulgo, luto finxit praecordia Titan, quique regendae et emendandae multitudini conſilium manumque admouerunt, non aliam de diuinis in genere, et de ſupremo omnium Ente in ſpecie opinionem tenuiſſe, quam quae ipſis ab antiquiſſimo tempore ex ea, quae omnem orbem peruagata erat traditione innotuerat, quaeque poſt amiſſam veram coſmogoniae reuelationem de rebus omnibus a ſummo Ente ex nihilo ſolius voluntatis ſuae diſpoſitione et potentia, creatis, quae mature ſeparata hominum profanorum ſocietate a piorum et ſanctorum conuerſatione obſoleſcere coepit [r] per reliquas gentes obtinebat, nempe, vniuerſitatem rerum, in chao comprehenſam et actiuum principium, et paſſiuum, Deum atque materiam rerum continuiſſe, vel, quod nobis probabilius videtur, Deum, ſiue cauſſam rerum aeternam materia grauidam et in ſinu ſuo comprehenſam, ex eo eieciſſe, ſicque materiam formandarum rerum ſubiectum, cauſſamque paſſiuam extitiſſe, vi autem diuina ex ſummo numine emanante, et in materiam agente, rerum omnium formas eſſe inductas, mundumque productum, et eodem etiam ſpiritu emanatiuo adhuc ſeruari, regi et animari, et ſic partem diuinitatis conſtitui. Hoc qui negat, vel ſyſtema creationis cum ſyſtemate emanatiuo idem eſſe iudicat [s], longiſſime eum abeſſe ab omni veteris hiſtoriae fide, hodie adeo demonſtratum eſt, vt contraria opinio apud eos tantum radices agere poſſit, qui rationis et teſtimoniorum fidem omnem eiurantes, malunt cum veteribus doctoribus, viris quidem piis, ſanctis et de eccleſia praeclare meritis, at critico acumine deſtitutis coecutire, et quadrata, quod expertes rerum facere ſolent, miſcere rotundis, quam miſero et puerili hoc praeiudicio nuncium mittere, quod nec religionem iuuare aptum eſt, nec critici examinis cenſuram veritatisque limam poteſt ſuſtinere. Quare nulli diffite-

 mur,

r) Haec memorabilem locum Gen. IV, 26. lectorem expendere iubemus, eaque comparare, quae de diſperſione gentium c. XI. XII. ab hiſtorico ſacro adducuntur.

s) ita quidem ratiocinari Ven. GRADIVVM Introd. alio ſtudio della religione p. 348 ſeqq. ſogimus ex a tam acuto ſcriptore ſcribi poſſe ſtupuimus, qui non ignorabat, emanationis fontem in emanante eſſentialiter concludi Verum, ita noſtrae imbecillitati diffidimus, vt alio eum ſenſu haec intellexiſſe, nec contradictoria iunctis equis gryphisque, ſociaſſe credamus Eum itaque vt ingenii eſt elegantiſſimi, vt haec aenigmata ſoluat, rogamus.

mur, multo magis nobis probari eorum ſententiam, qui, amiſſae reuelationi diuinae, de creatione rerum ex nihilo, animi immortalitate, virtutisque ſenſu et praemiis, ſucceſſiſſe per omnem orbem ſyſtema emanatiuum, quod plus minus, prout efformabatur, pantheiſticum fuit, et tandem in Stoicam impietatem coaluit, ſtatuunt; cum totius veteris orbis religionem teſtem habeant; quam eorum nobis diligentia probari poteſt, qui priſcis canisque his ſeculis vetuſtiſſimae traditionis patriarchalis ſemina incorrupta ſeruata et his myſteriis, de quibus loqui coepimus, prudentioribus tradita et propagata eſſe, pie quidem, et non ſine ingenii laude, aſt ſine veritate, et non niſi indigno auctoritatis et traditionis nondum ſatis probatae praeiudicio muniti nobis obtrudunt: contra quos tamen, de republica Chriſtiana et ſuis quoque, pro quibus recte militant partibus, minus, quam credunt, feliciter pugnantes alio loco et commodiori campo acies educenda et error religioni Chriſtianae apud aduerſarios peſtilentiſſimus profligandus eſt. Ex his autem ὡς ἐν παρέδῳ ſemel traditis, vt ſequentia quoque intelligi et diiudicari queant, facile ſubolebit lectori, parum, quod veritatem et patriarchalem vetuſtiſſimi orbis traditionem iuuet, ex myſteriis Orphicis ſperari poſſe, nec aliud Graecae religionis auctorem tradere voluiſſe, quam quod ipſius ſyſtema, quod ab Aegyptiis et Pelaſgis accepit, et artificioſe propagauit, ſuppeditabat: quae aut penitus ignoramus, et vana eſt omnis de ſenſu myſteriorum Orphicorum atque ſignificatione initiationum diſputatio, aut ſtatuendum, meliora eum non ſuis tradidiſſe, quam ex fontibus ſuis in Aegypto hauſerat [x]. Quae, qualia fuerint, cum ad ſuperiores libros luculenter ſatis expoſuerimus, haec ad monendos lectores, putamus ſufficere, ne a viris doctis et egregiis at praeiudicio impeditis ea ſibi perſuaderi patiantur, quae examen liberum non ſuſtinent. Ceterum myſteriorum varias et diuerſas interpretationes et ſignificationes callidiſſimos ſacerdotes habuiſſe, nec de vno myſteriorum genere ad omnia poſſe concludi, quilibet, qui arcanorum horum hiſtoriam didicit, fatebitur. Specimen ſi cupis, dabit illud Cudworthianus commentator et interpres, B. MOSHEMIVS [y]. Alia atque plura de hoc argumento huc non pertinent, ſed ad eorum campum, qui pro religione Chriſtiana vel etiam naturali pugnant, et ad criticum lapidem rationes exigunt, quibus pro bona cauſſa alii viri quidam docti, ſed non accurati tamen rei cenſores pugnant. Infirmis enim rationibus in hoc argumento vti, proximum ab amittenda cauſſa bona periculum eſt, quae iſtis fidiculis opus non habet; multoque magis iuuatur religionis et reuelationis ſanctitas, indicato errorum fonte, et inſufficientia rationis ſine reuelatione, quam emendicata doctrinarum gentilium cum ſacra reuelatione concordia. Quo in argumento cum plura addere nobis paginae anguſtia prohibeat, lectorem ad eximiae eruditionis et accurati iudicii virum

x) Conf. IABLONSKY pantheon. Aegypt. P. I. p. 15 ſeqq.

y) Ad CVDWORTHI ſyſtem. intell. p. 969 ſeqq. 329 ſeqq. 1049 ſeqq.

Digitized by Google

virum IOANNEM LELANDVM ablegamus, qui celeberrimus reuelationis promachus, nuper in elegantiſſimo opere: *de vtilitate et neceſſitate chriſtianae reuelationis* pulchre [z] in hoc puluere decertauit, et praecipue contra Warburtonum inuicte probauit, myſteria gentilium nihil continuiſſe, quod magnopere vnius veri Dei cognitioni iuuandae aptum eſſet. Quod σοφὸν Φαρμάκου inſtar, omnibus illis commendamus, qui hiſtoria veteris philoſophiae ad id abutuntur, vt inter tenebras et lucem pacifcantur, periculum ſubituri, ne huic labem affricent. Alia et plura de hoc argumento, in quo tractando ad noſtram hiſtoriam philoſophicam reſpicere, nosque ἀβλεψίας interdum accuſare, viris quibuſdam doctiſſimis, quorum doctrinae elegantiam ſuſpicimus, praeiudicia autem eorumque turbidos fontes et nonnullam quoque incuriam non valde probamus, placuit, in poſterum non promittimus, rati, tantum de ea re dudum in hoc opere allatum atque dictum eſſe, quantum ad eam in clara luce apud rerum peritos collocandam neceſſe eſt, quibus praefracte negatis vel per fidiculas contortis plane nihil reſpondendum eſſe, ſumus perſuaſiſſimi, et quemlibet ſuo ſenſu abundare, libenter patimur, qui cum pertinacia litigare abhorremus.

pag. 381. lin. 25. *Haec enim illius parens fuit.* Orpheum pleraque ſua a ſacerdotibus Aegyptiorum, myſteriis eorum imbutum initiatumque didiciſſe, indeque ſuo modo ad nationis genium comta et ornata Graecis tanquam nouam religionem tradidiſſe, conſtans atque certa totius antiquitatis fides eſt. Nec alio argumento atque teſtimonio opus eſt, quam comparatione ſyſtematis Aegyptiaci, quale ſupra paulo curatius deſcripſimus, cum Orphico: id quod ex veteribus et recentioribus ne illi quidem negare audent, qui Orpheum pia, ſana, et diuino numine digna in coſmogonia ſua tradidiſſe contendunt, quod poſt STEVCHVM EVGVBINVM [a], ipſe eruditiſſimus CVDWORTHVS [b] tradidit, eumque nuper apologetae quidam reuelationis et traditionis Vltramontani ſecuti ſunt. Quod quam falſum ſit et veteris hiſtoriae fidei contrarium, non tantum ſyſtema coſmogonicum Orphei, quale h. l. ex veterum fide tradidimus, loquitur, ſed ipſa haec cum Aegyptiacis, tanquam riuuli cum fonte conſenſio euincit. Quae hiſtoriae philoſophiae veteris periti quidem ſatis norunt, propter eos autem hoc loco monendum putamus, qui nonnullorum ſcriptorum eruditorum, et non ſine quadam ſui confidentia aliter pronuntiantium auctoritate in deuia ſe abduci patiuntur. Aegyptiacas autem Orphicas et Stoicas doctrinas multiplicem et notabilem conuenientiam habere, et res ipſa atque ſyſtema loquuntur, et pulchre notauit doctiſſimus IABLONSKYVS [c], quibus ea iungi poſſunt, quae contra eruditum philoſophiae Hetruſcae ſcriptorem cl. LAMFREDVM ſupra diſputauimus. De myſteriorum horum exercitiis autem conſulendus MEVRSIVS [d], ex

z) 1764. 4. T. I.
a) De perenni philoſophia. b) loc. cit. c) Panth. Aegypt. L. I. c. 1. p. 17. c. 2. p. 44.
d) In Eleuſ. c. 18.

quo tamen internam ἐποπτικὴν rationem haud diſces, hanc enim absque vitae periculo propalare nemo initiatorum audebat.

pag. 382. lin. 24. *Nihil ſcripſiſſe affirmant.* Non deſtituitur haec opinio magnis et veriſimilibus rationibus, quae non tantum a temporis antiquitate peti poſſunt, quo ille ſcribendi mos nondum adoleuerat, ſed et a methodo Aegyptiorum arcana, quae non niſi ſcripturam hieroglyphicam admittebat, et cui ſe attemperauiſſe Orpheum, omnes conſitentur. Probe ideo inter Orphica dogmata et ſcripta diſtinguendum. Taceamus varios auctores hoc nomine inſignes, qui facile cum religionis Graecae mythologicae parente potuere confundi. Multa itaque attentione de ſcriptis Orpheo tributis agendum eſt [e]. Alia in textu adducta ex illo repetenda ſunt.

pag. 385. lin. vlt. *Attingi poſſe deſperaret.* Nihil hic quoque neque a Celtico, et Thracico, neque ab Aegyptio ſyſtemate receſſit Orpheus, ſed commodiore tantum ſcena, et ad Graecam elegantiam conformatius exhibuit. Inde incertitudo doctrinae Orphicae orta eſt.

pag. 390. lin. 34. *Haut ſyſtematis Orphici de Deo rationem ſi admittimus.* Viderunt iſtam Orphicae theologiae mentem dudum veteres rationibus et ſubtilitatibus Platonicorum non impediti, ex quibus imprimis *recognitionum Clementinarum* [f] auctor audiendus eſt, qui veteris ſyſtematis Orphici, (quod tamen Graecis fere omnibus placuiſſe, quotquot in priſca illa aetate ad origines mundi attendebant, ex iis pateſcet, quae de ſenſu theogoniarum veterum ſuo loco [g] a nobis explicata ſunt) rudem quidem et non ſatis explicatam deſcriptionem dedit, eo tamen, ſi verbis eius ſenſus ſubeſſe debet, intelligendus eſt, eleganter eum interpretante Iablonsxio [h]: „ab omni aeternitate mentem cum materia coniunctam fuiſſe, in „immenſo aliquo chao“ (diceremus nos lubentius et ſimilius vero, textu totius vetuſtiſſimi orbis opinionem: mentem infinitam ab aeterno materia grauidam, omnia in ſe continuiſſe, et nulla forma induta, vnum totum conſtituiſſe;) „hanc vero materiam ſenſim a mente ex ſe omnia produ„cente et naturam maſculo-foemininam in ſe comprehendente, id eſt, „rationes naturae totius, quae et agit et patitur complexam, ex hoc ſinu „proiectam, omnibus rebus initia dediſſe.“ Recte vero vir laudatus addidit, id ipſum ouum Orphicum ſignificare, cuius rationes explicari aliter non poſſunt. Quae omnia facile conſtant, ſi admittatur, ex Deo, materia quaſi grauido, emanauiſſe omnia, quo pacto nihil dixiſſe Orpheum, quod ab Aegyptiis non acceperit, recte *panthei Aegyptiaci* auctor pronunciauit.

pag. 392. lin. penult. *Vt veriſimile non ſit, haec ab ipſo Orpheo fuiſſe profecta.* Tribuit tamen *recognitionum auctor* Orpheo hanc ſententiam, *omnia*

e) Non habemus tamen ſcripturam hieroglyphicam ab Orpheo, ſed tantum mythologiam.
f) L. X. c. 30. PP. Apoſtol. Tom. I. p. 589. ed. Coteler.
g) pag. 417 ſeq.
h) hoc. cit. §. 2. p. 41. 42.

Digitized by Google

omnia in ſempiterno chao, et ingenito cum miſta eſſent, aliquando ad oui immanis modum per immenſa tempora effectum, peperiſſe, ac protuliſſe ex ſe dupliceм quandam ſpeciem, quam illi maſculo-foeminam vocant etc. quae rudia quidem ſunt et non diſcrete ſatis Orphei mentem explicant, oſtendunt tamen duplicis principii, actiui, ſiue numinis et paſſiui ſiue materiae in vno complexionem hoc ſimili ab illis quoque fuiſſe more orientali adhibitam, qui praeter Platonicorum ſcholas de Orphicis philoſophabantur: Platonici enim de coniugationibus ſpirituum inter ſe iſta explicantes recentiores nugas metaphyſicas cum vetuſtiſſimis opinionibus confuderunt.

pag. 393. lin. 14. *Ita ſe habuiſſe theogonia Orphica videtur.* Hoc intelligendum eſt, ſecundum narrationes eorum, qui a temporibus priſcis ſatis longe remoti diſperſas paſſim lacinias Orpheo tributas congeſſerunt, plura enim et certiora dari non poſſe, candide profeſſi ſumus, quod nos ideo hoc loco notamus, ne antiquiorem theogoniae Orphicae ſenſum, quam quae Orphica nobis ſuppeditant hodie paſſim obuia, nos heic exhibere non ſatis attenti ſibi perſuadeant, qui lubenter iterum iterumque monemus, parum ſincerі quod Orphicum eſſet, et adulteratae opinionis ſuſpicionem non excitet, in hac theogonia Orphica exhiberi, vt taceamus, ſcriptores hos omnes theogoniam cum coſmogonia confudiſſe, quod vel ex adducto Athenagorae loco luculenter patet. Itaque cum hi non magnae cetera fidei videantur eſſe, nihil reſtat, quam vt Orphicam theogoniam ex harmonia iſtius dogmatis inter vetuſtiſſimos populos diiudicemus, et ſecundum eas obſeruationes de illis ſtatuamus, quas partim in ſequentibus ad huius argumenti illuſtrationem adhibuimus, partim ſupra iam §. XIII. ad delineationem ſyſtematis Orphici pertinentia collegimus, quae in tanta vetuſtate ſufficere iuſtis rerum arbitris poſſe, putamus. Ex quo omnia, ſi praeiudicia exueris, lucem capient expectatione maiorem, quae viri docti et fama eruditionis celebres de ea re audacius et ſecurius quam par eſt, diſſeruerunt: quales eſſe *ſcriptores hiſt. vniuerſalis* [h] miramur. Qui omnes parcius de caſtiori Orphicae theogoniae et coſmogoniae ſenſu ſtatuiſſent, ſi curatius attendiſſent, ex mente Orphei Noctem non inter principia theogonica tantum apparere, ſed falliſſimum eſſe, quod Timotheus chronographus, et poſt eum SVIDAS [i] tradunt, *ab initio in mundo apparuiſſe aetherem a Deo productum: inde vero ex aethere natum eſſe chaos et noctem caliginoſam, haec vero omnia, quae erant ſub aethere obtexiſſe, quo immere voluerit Orpheus: noctem aliis rebus eſſe priorem.* Quae manifeſtam detorſionem doctrinae Orphicae, noctem fuiſſe omnium rerum initium et originem, produnt, vt Orphica cum Moſaicis conſentiant: quo ex fonte omnes illae *παρερμηνείαι* de nocte

h) Tom. I. §. 33. 34. p. 57. vbi vide quae E. BAVMGARTEN. n. 32. monuit. Certe materiam adeſſe in Deo ante rerum exordium ex mente Orphei, inde intelligitur, quod rerum initium et originem ex nocte deduxit, vid. DAMASC. de princ. inter Anecdota Graec. a WELFIO edita T. III. p. 256. haec in cauſſa ſunt, cur Peripatetici interpretationes Platonicorum riſerint.

i) T. II. v. Orpheus p. 719.

nocte apud Orpheum ortae sunt, quae apud Platonicos similesque leguntur adductae ab ESCHENBACHIO [k]. Certe nox illa, cum statum chaoticum ante rerum omnium originem in vniuerso designet, aut vniuersum vnum totum fuisse, aut Deum materiam in sinu suo continuisse, et postea demum eam eiecisse produnt. Id quod omnem hanc Platonicorum et similium interpretationem euertit, qua de re, cum infra §. XXVII. [l] nos necessaria monuisse recordemur, hoc loco nihil addimus, iubemus autem ea sine praeiudicio expendere, quae IABLONSKIVS [m] de Athor Aegyptiorum disseruit. Nobis sufficit ARISTOTELIS [n] auctoritas, theologos omnia ex nocte produxisse, quod physicos, ait, ita explicuisse ἐμοῦ πάντα χρήματα, *res omnes in nocte fuisse comprehensas.* Quae, quomodo intelligenda sint, luculenter, nisi omnia nos fallunt, §. XXVII. huius capitis [o] explicuimus, ad quem locum lectorem remittimus, eumque a male sana veterum errorum conciliatione cum puritate diuinae doctrinae sibi cauere monemus.

pag. 394. lin. 12. *Orpheo placuisse, ortum rerum omnium esse ex ouo.* Accepit haec, vt alia quoque, Orpheus ab Aegyptiis, similia tradentibus, de quibus IABLONSKIANA industria [p] consuli meretur, qui accessiones nouas ad antiquissimum dogma Aegyptiacum prouide inspexit, et falsas interpretationes remouit. Aegyptii autem, cum in isto dogmate traderent, vnum spiritum infinitum, cui Phtas et Kneph apud eos nomen fuit, fuisse in chao, illudque mouisse et disposuisse, vt inde mundus enasceretur, quilibet ad ea, quae supra attulimus, paulo attentior intelligit, Orpheum ab Aegyptiis edoctum vnum rerum principium, quod cuncta contineret, effetque ἀρρενόθηλυ, admisisse, quae nostram explicationem systematis theogonici et cosmogonici ab Orpheo traditi mire confirmant, probantque in vniuerso spiritum illum diuinum materia grauidum, fuisse comprehensum. Caue vero tibi a IAMBLICHI explicatione [q], qui haec dogmata antiquissima, more sectae suae, libris Hermeticis seductus, mire corrupit, aliisque similibus dulcia canentibus fidere noli.

pag. 399. lin. 28. *Eas non inferire, donec in Deum fontem suum resorbeantur.* Nempe per varios gradus et mutationes in ascensu ad primum fontem, ex quo scaturiuerunt. Ita enim migrationis dogma, cui adhaerebat Orpheus, requirebat, vt non tantum secundum leges emanationis emanatiua ad inferiora deflectant et materiae immergantur, sed etiam per varios itidem gradus adscendant, vnde venerant, et principio suo iungantur. Quo pacto animarum migratio, receptio puriorum animarum praematura ad beatas sedes, et initiationes quoque atque purgationes earum per mysteria et τελεταὶς cum principio systematis emanatiui accu-

k) De poëf. Orph. p. 25.
l) p. 413 feq. vbi varias significationes huius principii euoluimus.
m) l. c. P. I. L. I. c. 1.
n) Metaphyf. L. XII. c. 6.
o) Maxime p. 417. quo loco Orphei quoque mens ex noftra fententia omnium clariffime exponitur, quae cum dictis p. 388. comparanda funt.
p) loc. cit. p. 48 feq.
q) De myfter. f. 8. c. 3.

Digitized by Google

accurate conſiſtere poſſunt. Et haec habuiſſe Orpheum partim a Scythica gente, cui ortum debebat, partim ab Aegyptiis, quorum diſciplina erat formatus, harmonia placitorum theologicorum euidenter demonſtrat. Supra enim iam demonſtrauimus, iuxta ſententiam horum populorum, animam, vnde primum erat digreſſa, vltimo tandem recurrere, nempe in naturam ſeu eſſentiam diuinam, ſupremum aetherem, totius mundi animam. Hoc enim neceſſario ex primo illo principio ſequitur: *diuinitatem non ſolum hominem permeare, neque animam diuinam in ſolo homine in terra habitare, ſed eandem propemodum per omnia animalia pertranſire*, quod Aegyptiis tribuit PORPHYRIVS [p], qui vt Aegyptiacorum atque Orphicorum aemulus haberi voluit [q], ita ipſe totam philoſophiam moralem ſuam huc reſpicere iuſſit, vt ex dictis ad philoſophiam Alexandrinam eclecticorum conſtat, quibus placuit, animam interitus expertem, cum exit, peruenire in cognatam ſibi animam mundi, id eſt, ore Graeco, *ἐμπίπτειν εἰς τὸν αἰθέρα*. Reliqua moralia praecepta ex fonte hoc ſponte fluunt. Aetherem autem illum igneum, illud in hac phyſiologia principium, cuius partem nobiliſſimam in ſole reſidere cum Aegyptiis ſchola quoque Orphica ſtatuebat, Deum eſſe ſupra demonſtratum eſt. Pulchre et harum ſectarum conuenienter EPICTETVS dixit [r]: *cum ea, quibus opus eſt, Deus non ſuppeditat, receptui canit, ianuam aperit, teque venire iubet: quo? non in malam rem, ſed eo, vnde ortus es, ad amica, cognata elementa. Quantum in te fuit ignis, ad ignem (diuinum) redit, quantum terrae, ad terram, quantum venti, ad ventum, quantum aquae, ad aquam.* Pone emanatiuum ſyſtema loco Stoici, et habebis germanam Orphici principii moralis ſententiam, quamuis longius illud, quam hoc hominem ad haec fata ſuprema ducat.

pag. 400. lin. 23. *Alii vero Anaximandro tribuunt.* Alii ad Nauſicaam, Alcinoi filiam, referunt [s].

pag. 413. lin. 15. *Quod tenebras luce antiquiores eſſe arbitrarentur.* Diligentiſſime in hoc argumento verſatus eſt IABLONSKIVS, qui in immortali *Panthei Aegyptiaci* [t] opere luculentis teſtimoniis confecit, omnem fere antiquitatem principium primigenium paſſiuum per noctem ſignificare voluiſſe. Quem cum noſtris hoc loco comparare lectorem operae non poenitebit. Magnus hic difficultatis ſcopulus eſt, ad quem plerique offendunt, qui pro orthodoxia priſci orbis, ſatis infeliciter, quanquam erudite et ingenioſe, pugnant.

pag.

q) De abſtinentia L. IV. p. 372.
r) Conf. allata a IABLONSKIO l. c. T. I. p. 32 ſeqq. et quos copioſe laudat.
s) Diſſ. Epictet L. III. c. 13.
t) Conf. WEIDLER. hiſt. aſtron. c. 1.
u) Vid. P. I. c. 1. p. 31 ſeqq. §. 8. vbi demonſtrauit, plurimis gentibus noctem tanquam potens ſummumque numen cultam eſſe, id tenuiſſe Phoenices, Arabes, Graecos, Orphei ſcholam et maxime Aegyprios, de quo videnda, quae ſupra annotauimus. Eodem loco quoque noctem primigeniam non eſſe mentem diuinam, aeternam, probat, ſed principium paſſiuum, chaos primigenium.

pag. 412. lin. 1. *Ne quid nimis.* Propter hoc dictum Pyrrhonils visus est fauisse, teste LAERTIO [y].

pag. 415. lin. 26. *Breuitatis causſa ablegamus.* Eleganter Iouem, Saturni filium, eiusque parentes, coniugem, filios, regnum ingenioſa conlectura in hiſtoria veteris Cretae detexit SAM. SCHVCKFORDVS [z], qui cum Moshemio comparari poteſt. Addendi autem, qui Cretae insulae hiſtoriam deſcripſerunt [a], quae veteribus fabulis intermixta cum iudicio conſideranda eſt, vt hominum et mundi naſcentis hiſtoria inter ſe recte diſcernantur.

Ibid. lin. penult. *Philoſophis quibusdam non abſurdum viſum fuit.* Et quidem ſuppoſito ſyſtemate emanatiuo, non inepte. Cum enim iuxta leges emanationis, emanatiua fontibus ſemper ſuis ſint deteriora, finita magis et imperfecta, et in deteriora vergant, non poteſt non malum non tantum phyſicum, ex determinatione et reſtrictione eſſentiarum, ſed morale quoque ex impotentia virium rationalium nimis determinatarum et ab origine ſua deuiantium, oriri. Quae clauis eſt totius ſyſtematis emanatiui, qua ea, quae inepte in coſmogoniis cohaerere videntur, referari, et meliori cohaerentia explicari poſſunt. Hinc chaoticus ſtatus a formato mundo, et limitatis partium eius gradibus probe diſtinguendus eſt.

pag. 418. lin. 22. *Non vero obſcuri tantum homines terrae filii dicti ſunt.* Rationem huius opinionis in migrationibus populorum Graecorum quaerendas putamus, quae cum valde eſſent incertae et obſcurae, aborigines fuiſſe maiores ſuos putarunt, id eſt, incertis ſedibus oriundos.

pag. 419. lin. 25. *Aras ignotis Diis poſitas apud Athenienſes.* Qua de re tamen incerta auctorum opinio eſt, videndi autem Io. LOMEIERVS [b] aliique nominati a Io. CHR. WOLFIO [c].

pag. 422. lin. vlt. *Poëta Meleſigenes dictus eſt.* Alluit moenia Smyrnae Meles fluuius; itaque, cum de patre Homeri nihil certi conſtaret, ad Meletis ripas autem is natus traderetur, Meleſigenes vocatus eſt. Dictum inde de Baeti apud LVCANVM [d]: Graio nobilior Melete Baetis et vocata TIBVLLO [e] carmina Homeri Meletaeae chartae, in ſpecu enim quadam huic fluuio vicina carmina ſua ſcripſiſſe, Smyrnaei ſunt gloriati.

pag. 424. lin. 4. *Ad diſcendam ſapientiam publice commendata, maximam auctoritatem ſunt nacta.* Pertinet huc diligentia Lycurgi, qui integram collectionem carminum Homericorum Graeciae primus intuliſſe dicitur, apud

y) Lib. VII. f. 71 ſeq.
z) Harm. hiſt. S. et prof. L. X. Vol. III. p. 36.
a) VEDO EMMIVS vetus Graec. illuſtr. T. I. L. VII. p. 136 ſeq. et imprimis Io. MEVRSII Creta illuſtrata, liber poſthumus, TOVRNEFORT relat. d'un voyage du Levant Lettr. 1. 2. T. I. pag. 6-37 ſeqq. conf. Hiſt. vniu. Britannorum T. VI. p. 569 ſeq.
b) In Epimenide ſiue de veterum luſtrationibus.
c) Cur. phil. T. I. p. 126.
d) Sylu. carm. v. 34.
e) L. IV. eleg. 1. v. 200.

Digitized by Google

apud PLVTARCHVM [f]. Quem ipsum Homerum conueniſſe refert STRABO [g], ſed nugatur.

pag. 427. lin. 10. *Θεὸν αὐτόν.* Vrgent porro Homeri defenſores, vocare eum Iouem *ὕπατον καὶ πρῶτον Θεῶν*, et *ἄριστον Odyſſ. ξ.* v. 158. et *ϱ.* v. 155. *Iliad. τ.* v. 258. *Odyſſ. τ.* v. 303. facere infinitis modis Dils reliquis ſuperiorem, *Iliad. Θ.* v. 20. et legislatorem *Iliad. α.* v. 281. prouocant etiam ad teſtimonia PLVTARCHI in *Qq. Pat.* et PROCLI in *Timaeum Plat. libro ſecundo*, non cogitantes, prius inquirendum et decernendum eſſe, quis ille Iupiter Homericus ſit, qui inter Deos, id eſt, numina in terris ambulantia mentesque diuino ſpiritu poſſeſſos, quales ſuos reges antiqui populi eſſe credebant, adeo excelluerit. Aliud enim, vox, Deus, apud eum non ſignificat.

pag. 429. lin. 19. *Modo academicum, incerta omnia dicentem.* Si LAERTIO [h] fides, Pyrrhoniorum ſectae principem fuiſſe Homerum plerique veterum autumarunt, quod iis de rebus iisdem praeter caeteros aliter alias loquitur, neque certo quicquam de rebus pronuntiat, ac ſert ſententiam. Eandem rationem ſequuntur recentiores Pyrrhoniſmi patroni Vayerius et Huetius: neuter accurate, cum de ſecta ſceptica condenda vel erigenda nunquam Homerus cogitauit: etſi pyrrhonice ſaepe locutum, et res ipſa, et modus ſcribendi, manifeſtet. Sed hoc argumentum nimium probat, adeoque nihil.

pag. 433. lin. vlt. *Ad quae ſententiarum et opinionum monſtra ſeducat antiquitatis et auctoritatis praeiudicium.* Eandem ſententiam ingreſſi ſunt, et hoc noſtrum de Homeri philoſophia iudicium plena manu probauerunt viri doctiſſimi, qui Triuoltinas memorias literarias ſolent edere, cum his noſtris ipſi comparandi.

pag. 434. lin. 27. *Ciuitate iam conſtituta.* Quamuis legum inſtitutis et praeceptis Athenienſium ciuitas ante Draconem iam inſtructa eſſet, omnis tamen legis vis et auctoritas in magiſtratuum arbitrio erat. Draco autem ad leges ipſas maieſtatem adiecit, legibusque immutabilem auctoritatem tribuit, vnde poteſtas legislatoria apud Athenienſes ad eum ſolet referri. Quae ad eius hiſtoriam pertinent, ſatis commode recitant *auctores Hiſtoriae vniuerſalis* [i].

f) In vita Lycurgi conf. CRAGII respubl. Lacedaem. p. 504.

g) L. X. p. 547. conf. AELIAN. hiſt. L. XIII. c. 14. p. 254. ſi modo verum ſit Lycurgi iter in Ioniam tunc temporis Graecis nondum ſatis cognitam.

h) Lib. IX. ſ. 71.

i) P. V. §. 266. 267. p. 156 ſeqq. et BAVMGARTEN. ad h. l.

AD LIB. I. CAP. II.

DE PHILOSOPHIA GRAECORVM POLITICA.

pag. 442. not. f.

Res Solonis ex veteribus praecipue illuſtrarunt. In compendium, quae ad res Solonis pertinent, contraxerunt, ſatis luculentum *Hiſtoriae orbis vniu. auctores* a), omnino hic ab iis conſulendi, quibus moleſtum eſt, res magni viri ex Plutarcho atque Laërtio diſcere. Addi autem et comparari debet, Io. MEVRSII *Solon, ſiue de eius vita, ſcriptis, legibus atque dictis*, qui cum veterum loca omnia exſcripſerit, lectori moleſtiae in iis relegendis parcendae occaſionem ſuppeditat.

pag. 443. lin. 4. *Conſtantiſſima veterum traditio eſt.* Non reticuit LAERTIVS, magnam eſſe apud veteres de numero ſapientum Graeciae diſcordiam: et non tantum in virorum iſtorum nominibus variaſſe, ſed Hermippum quoque in libro *de ſapientibus* tradidiſſe, quod decem et ſeptem fuerint, alios autem aliter ſeptem ex iis elegiſſe. Sic Hippobotus duodecim, Dicaearchus decem numerauit, Porphyrius nouem definiuit. Facile autem collatis inuicem locis iſtis non de publico Graecorum iudicio, ſed de priuatis ſententiis et opinione iſta narrari, intelligitur.

pag. 444. lin. 19. *Thaletem quoque inuiſit.* Nec tempora ſatis concordant, nec veterum ea de re narratio, vt plura ſunt in Solonis vita iucunditatis gratia magis inſerta, quam veritatis; qualia ſunt epiſtolae Thaletis et Solonis, quas Graecorum Sophiſtarum opus eſſe, res et ſcribendi ratio produnt b).

pag. 453. not. r. *Dignus, qui expendatur.* Repetenda heic ſunt, quae ſupra *ad p. 228.* monuimus, atque demonſtrauimus, veriſimile eſſe, quicquid de Perſarum Lockmanno iactant ſcriptores Arabes, omne illud vel ad Aeſopum pertinere, quem non extitiſſe, idem videtur eſſe, quam omnem fidem hiſtoricam ratiunculis quibusdam ingenioſe magis, quam feliciter excogitatis, velle ſubuertere: modo caueatur, ne vel narratiunculae Graeculorum de Aeſopi vitae circumſtantiis nos decipiant, neque credatur, fabulas omnes eius nomine editas ab ipſo eſſe profectas.

a) T. V. §. 272 ſeqq. p. 162 ſeqq.

b) LAERT. Lib. I. ſ. 43. De difficultatibus chronologicis in hiſt. Solonis, vid. DACIER. vit. Solon. hiſt. vniu. T. V. §. 337. not. M. p. 207. et quae deſideratiſſimus BAVMGARTENIVS monuit ad l. c. not. 194. et nos quoque infra p. 455. not. g.

AD

AD LIB. II. CAP. I.

DE SECTA IONICA.

pag. 459. lin. 23.

Specimen Soloni coelibatum eius miranti mira iucunditate fecit. Modo totus ille congreſſus Solonis cum Thalete non ſit fabula Graeca, ideo excogitata, vt hiſtoria ſeptem ſapientum Graeciae euaderet iucundior, quod ſaepe factum eſſe in ſympoſiacis, vetera exempla docent, vid. quae ad p. 444. notauimus, et quae h. l. not. iam prouidum lectorem monuimus.

pag. 460. lin. 13. 14. *Ad explorandas veterum de mundi ortu atque natalibus opiniones iter illud ſuſcepiſſe, eſt veriſimillimum.* Quanquam poſt reipublicae negotia Thaletem ſe contemplandae naturae rerum, (*τῆς φυσικῆς θεωρίας*) ſe tradidiſſe, LAERTIVS aliique veteres dicunt, quae qualis fuerit, ex ſyſtemate ab eo relicto poteſt cognoſci, quod de cauſſis magis rerum naturalibus, quam de primis aeternisque principiis agit, facile tamen credi poteſt, Thaletem de gentium et populorum circa coſmogoniam opinionibus fuiſſe ſciſcitatum, et imprimis in Aegypto curatius philoſophorum vel ſacerdotum potius mentem de rerum ortu explorauiſſe. Quantum autem ſapientiae huius theologicae et phyſiologicae illi manifeſtauerint, quouſque ad interiora ab iis fuerit admiſſus, cum non recutitus eſſet, et circumciſione non initiatus, quomodo a viſibilis mundi aſpectu, de quo ad populum interdum differebant, ad inuiſibilia rerum omnium principia agnoſcenda fuerit progreſſus, omnia haec nos latent, obſtanteque arcani diſciplina non potuerunt vulgari. Illud certum putamus, non aliud illi ſacerdotes Aegyptios ſyſtema phyſiologicum tribuiſſe, quam quod ipſi habebant. Quale autem illud fuerit, ſupra, niſi nos omnia fallant, ita demonſtratum eſt, vt de eo dubitandi ratio vix ſuperſit. Oſtendimus autem ſyſtema emanatiuum tunc temporis obtinuiſſe in Aegypto, cunctis rebus ex Deo tanquam fonte ſuo emanantibus, quae prius in chao erant comprehenſae. Hoc autem iam apud Phoenices et forte ex parentibus Thales didicerat; vnde multum theologicae eruditionis ex Aegypto hauſiſſe non videtur. Aſt omnia haec longiſſime a ſyſtemate omnium primo *ὀρθοδόξῳ*, et a patriarchis tradito diſtant, quod ante conditum ſolo nutu et voluntate Dei absque vlla vel extra, vel intra Deum praeexiſtente materia mundum nihil fuiſſe, exque hoc nihilo omnia orta tradebat; vnde perperam agunt, qui dum Phoenicium et Aegyptiacum ſyſtema coſmologicum Thaleti tribuunt, et ex hoc itinere concludunt, ſimilia eum ſtatuiſſe, iſto telo pro rectis purisque religionis ſenſibus eius atque opinionibus militant, hocque pacto, dum ſe pulchre pro religione pugnare putant, non vident, puriſſimis dogmatibus patriarchalis eccleſiae labem ita affricari, nec cogitant, vetuſtiſſimos gentium philoſo-

Digitized by Google

phos et theologos, dum, relicto simplici primi articuli religionis sensu, melius se sapere de rerum ortu posse credebant, pronuntiante apostolo, desipuisse. Ab hoc itaque malesano cacoëthe et inepto syncretismo sibi in historia religionis naturalis sedulo cauendum est, nisi tela subministrare ipsi aduersariis velimus. Quae hoc loco semel monuisse (nam saepius illud argumentum, et tentata orthodoxiae veteris orbis apologia occurrit,) sufficiat, cum monuisse viros prudentes et a praeiudicio antiquitatis et auctoritatis liberos, sit in re tam manifesta demonstrauisse.

pag. 460. lin. 24. *Plura affinxisse illi.* Dudum in eo vacillauit scriptorum horum fides, quibus epistolae quoque Thaleti adscriptae possunt addi. Hi autem omnes satis produnt, non tam veritatis sibi curam fuisse, quam argumenti sui, de quo tractabant, iucunditatem, audacia sophistica fulciendam. Quamuis autem negare nolimus, inesse in horum scriptorum narratiunculis nonnihil veritatis, de rebus Thaletis, saltem traditionis vetustioris, vnde iter Thaletis in Aegyptum negandum non esse censemus, ineptum tamen putamus, inde concludere, inter testes fide satis dignos de Thaletis rebus tuto istos scriptores posse referri; quis enim leges fidei historicae ignorat, testis veracitatem mendaciis et figmentorum suspicione non laborantem postulantes, et ad veritatis alicuius confirmationem tales testes, qui mendacii se suspectos reddiderunt, non posse adhiberi manifestis rationibus clamantes. Vnde miramur, reu. GERDILVM [a] ad eiusmodi testes de Thalete potuisse prouocare, quia verisimile sit, veteres traditiones ea referre. Certioribus enim fulcris historiae fides nititur, quam huiusmodi ratiocinatiunculis.

pag. 461. lin. 6. 7. *Inueniendis veritatibus physicis, geometricis atque astronomicis vitam omnem impendit.* Non sine attentione hic praetermittendum est, Thaletem, quamuis physiologiae mundi curiosum spectatorem paucissima, et fere nihil dixisse, quod magnopere theogoniam iuuet, sed materialibus principiis explicantem inuisibilium rerum contemplatione haesisse, quamuis hanc illi labem affricare nolimus, quod inter materialistas, quos vocant, referendus sit. Male itaque agunt, qui eius nomine in agmine theologorum priscorum, qui castius de Deo cogitarunt, collocato eo tanquam duce abutuntur. Huius generis praesidiis religio opus haud habet, quae non tantum nihil auctoritatis amittit, quaecunque demum Thaleti olim de diuinis visa sunt, sed, quae multo fortius defenditur, si his talibusque exemplis doceatur, in quae *ἀσύστατα* veneranda prisci orbis capita, in quas desipientis ingenii syrtes delapsa sint, vbi religionis patriarchali traditione castissime explicatae munus neglexerant.

pag. 464. lin. 15. 16. *Quam malam Aristotelis fidem et veteres et recentiores philosophi agnouerunt, deque ea conquesti sunt.* Pluscula ea de re diximus ad SCIP. AQVILIANI librum *de placitis* philosophorum *ante Aristo-*

a) Introdux. allo studio della religione L. I. c. 1. p. 196 seq. cui acute ratiocinari solito talia non excidisse, optamus.

Digitized by Google

Aristotelem [b], quem locum consulat lector, rogamus, qui de hac mala Stagiritae fide vult conuinci.

Ibid. lin. 31. *Quem diligenter et cum cura secutus est Aquilianus.* Adeo rara auis fuit SCIPIONIS AQVILIANI Pisani Equitis S. Stephani liber *de placitis philosophorum, qui ante Aristotelis tempora floruerunt ad principia rerum naturalium et causſas motuum assignandas pertinentibus*, vt plerique, qui eius mentionem fecerunt, in eo allegando errauerint, vixque maximis librorum rariorum heluonibus visus sit. Quamuis enim haud pauci ad eum prouocauissent, plerique tamen se libellum istum nec vidisse, nec legisse, prodiderunt. Permouit nos ista ratio, vt cum Phoenicis huius inter reculas literarias, philosophiae historiam concernentes, nobis tandem forte fortuna copia facta esset, consilium eius edendi et obseruationibus augendi caperemus. Itaque examinauimus integram tractationem cum cura, et cum, coeno scholastico squalidus obscurusque in vulgus liber *Venetiis 1620. 4.* exiuerit, omnem diligentiam adhibuimus, vt nouis luminibus colluſtratus prodiret, et iterata editione ex obscuritate, qua eum tractatio insubita et inelegans damnauerat, in omnium manibus versaretur, rati in tanta de philosophia Ionica scriptorum raritate, nos nonnihil gratiae apud eos inituros, qui his sacris delectantur, si editionem non modo facile parabilem, sed prima longe auctiorem et emendatiorem, nouisque luminibus colluſtratam nostro qualicunque labore procuderemus. Cui honesto quidem consilio diu obluctata est bibliopolae nonneminis malitia, qua omnis fere labor molestus et ingratus tantum non in spongiam incubuit. Fauentibus tamen historiae philosophiae studio fatis, occasio nobis enata est, quicquid operae illius est, obstetricante carissimo filio, CAROLO FRIDERICO BRVCKERO nitidis typis in bibliopolio Kornienſi Lipsiae clɔlɔccLvi. edendi, satisque amplo simul commentario placita philosophorum Aristotele priorum illustrandi [c]. Ad hunc itaque fontem lectorem, plura hauriendi cupidum ablegamus, tantum eo de argumento hausturum, quantum in re tam obscura, et deficientibus veterum relationibus sufficientibus, dici possunt. Agit is autem c. XIX. de opinionibus Thaletis, ad quod nostras obseruationes vt lector conferat, rogamus.

pag. 468. not. y. *Ita Thaletis causſam agunt.* His addendus eruditissimus GERDILIVS [d], qui multis probare contendit, Thaletem, nec causſam efficientem, nec finalem negasse, sed tantum supposita parte theologica

b) L. l. c. 1. not. z. p. 1 seqq.

c) Prodiit hoc titulo forma 4. Lipſ. 1756. SCIPIONIS AQVILIANI Pisani, equitis S. Stephani de placitis philosophorum, qui ante Aristotelis tempora floruerunt, ad principia rerum naturalium et causſas motuum assignandas pertinentibus, studio et opera GEORGII MORALIS medici ac philosophi, ob singularem raritatem et vsum ex scriniis paternis commentarios et illustrationes adiecit, PHILIPPI IACOBI CROPHII tractatione de gymnasiis literariis Athenienſium, annotationibus emendata auxit CAROLVS FRIDERICVS BRVCKERVS Iacobi F. A. M. Lipſ. apud Io. Iac. Korn bibliop. Vratislau. Non displicuisse hanc editionem viris eruditis, ex Memor. Venet. 1757. m. Febr. p. 129 seqq. didicimus, qui eleganter et prudenter de hoc argumento disseruere.

d) l. c. p. 197 seqq.

gica in conſideratione rerum naturalium in ſola cauſſa materiali ſubſtitiſſe: qua occaſione obiectiones et difficultates a P. BAYLE adductas nec ſilet, nec negat, habere ſpeciem veritatis, veram autem Thaletis ſententiam non exhibere, demonſtrare ſatagit, et imprimis demonſtrare annifus eſt, Thaletem cum veteribus theologis de primis cauſſis diſceptare omiſiſſe, et ſoli materiali cauſſae intentum, ſuum ſyſtema conſarcinauiſſe, de qua re ipſa diſerti auctoris tractatio conſulenda eſt, quam elegantem quidem et eruditam, iudicabunt tamen cauti lectores, plus dediſſe coniecturae, quam veterum teſtimonio, de quibus tamen hic longius diſpicere loci anguſtia prohibet.

pag. 476. lin. 2. *Deſideramus autem propiorem teſtem.* Poſſent huic phyſiologiae Thaletis plura addi, ſi coniecturis et conſequentiis res eſſet agenda, et Thaletis placita comparanda cum priſci orbis dogmatibus eſſent. Sed hanc hiſtoriae philoſophicae tractandae rationem ſuſpectam fatemur, nobis facit periculum, ne ingenii noſtri *εὑρήματα* et ratiocinationes veteribus theologis atque philoſophis ſupponantur, nosque vetera videre putemus, vbi noſtra amplectimur. Si quis autem vberem et eruditam Thaletis, Anaximandri, Anaxagorae reliquorumque Ionicorum phyſicorum dogmatum conſiderationem cupiat, ei eruditiſſimi GERDILII *introductionem in religionis et reuelationis ſtudium* legendam, aſt examinandam quoque ſuademus, qui, quae teſtimoniis veterum tuto ſciri non poſſunt, coniiciendo et ratiocinando ſuppleuit, et eloquenti calamo enarrauit, quae examinare et in noſtra latifundia deriuare, eſſet extra oleas vagari et acceſſionum migrare limites: itaque lectori rerum gnaro, et ad gradus fidei hiſtoricae attento ea relinquimus, idque vnum, quod in limine tractationis noſtrae monuimus, repetendum eſſe cenſemus, quod nunquam ſatis in hiſtoria criticae dogmatum veterum inculcari poteſt: non plus inferendum ex noſtra cognitione lucis veterum doctrinis, quam ipſi manifeſto teſtimoniorum iudicio habuerunt. Vt autem habeat lector acutum et aequum criticae diſquiſitionis de philoſophia Ionica ducem, ei celeberrimi GODOFR. PLOVQVETI, philoſophi Tubingenſis diſſertationem[e] cum cura et examine legendam ſuademus, qua *Thaletis et Anaxagorae dogmata* miro acumine illuſtrauit, et quae deſiderari poſſunt in vtriusque philoſophi ſyſtemate, expoſuit.

pag. 477. lin. 6. *Conuerſionesque ſolis eiusque punctum primus annotauit.* Haec de Graecis intelligenda eſſe videntur, apud quos has anni conuerſiones earumque vſum introduxiſſe videtur. Ipſum autem Thaletem non fuiſſe primum inuentorem, ſed didiciſſe ea ab Aegyptiis, vetuſtiſſima de Oſiride, ſiue Sole traditio euincit, quam cum luculenter doctiſſimus IABLONSKIVS[f] in clariori luce poſuerit, is omnino hoc loco conſulendus eſt.

Ibid.

e) Tubing. 1763.

f) Panth. Aegypt. P. I. Lib. II. c. 1. §. 8 ſeqq. p. 136 ſeqq.

Digitized by Google

Ibid. lin. 13. *Ami Aegyptii diuiſionem introduxit inter Graecos.* Perfecit Thales hoc pacto aliquid in ſiderali Graecorum ſcientia, verum non abſoluit, ignorauit enim CCCLXV. anni diebus addendum ſpatium ſex fere horarum; hanc enim obſeruationem Graecia Eudoxo ex Aegypto illam afferenti debuit teſte STRABONE [f], Aegyptios autem tempore Thaletis non niſi CCCLXV. dies anno tribuiſſe, ex fabula de Rhea et Saturno a PLVTARCHO [g] relata, manifeſtum eſt. Ignorata autem accurate et praeciſe conuerſione ſolis annua, fefelliſſe Thaletem calculos eclipſium, nec accurate rationes tropicorum et aequinoctiorum fuiſſe initas, ſequitur, quae non adeo ſublimem fuiſſe ſideralem Thaletis ſcientiam, ſatis produnt. Vnde magnum NEWTONVM [h] accuratas temporum aſtronomicorum notationes Thaleti tribuentem refellit SAM. SCHVKFORDVS [i], qui cum his conferendus. De reliqua Thaletis ſcientia ſiderali conſulendus eſt WEIDLERVS [k].

pag. 485. lin. 2. *Sed ex parte inhabitantis animae diuinae, cuius pars eas animat, regitque.* Ingenioſe in eandem fere ſententiam Anaximandri infinitum explicat, et ad memorabilem locum SEXTI EMPIRICI [l] prouocat cl. GERDILIVS [m] cuius hac de re diſſertatio meretur legi et expendi, vt rationes appareant, quibus viri docti hos Ionicos, adeo obſcure ſuas ſententias explicantes, ab impietate et Dei negatione abſoluant. Difficile autem, et ſi dicendum quod res eſt, impoſſibile eſt, ob incertam vocis ἄπειρον determinationem, certam Anaximandri ſententiam colligere; quem in finem legat et expendat Lector, oramus, quae ad AQVILIANVM [n] annotauimus, quae hoc loco, vbi breuitas ſectanda eſt, non repetimus, ſed in libro nunc obuio ipſi quaerendum relinquimus. Omnibus vero rite inter ſe comparatis veterum locis, cauto prudentique lectori facile perſuadebitur, ipſos veteres et imprimis Ariſtotelem ignorauiſſe, quid ſit infinitum Anaximandri, quorum tamen inter ſe concordia de ea re verisimiliter iniri poteſt, ſi, eadem, quam nos hoc loco ingreſſi ſumus, via, explicare obſcurum dogma quis tentauerit. Specialiora alia multa eruditione excuſſit laudatus GERDILIVS [o], cui omnino concedendum eſſe putamus, nec Anaximandrum, nec reliquos phyſicos Ionicos vim diuinam numenque ex coſmologia ſua excluſiſſe, quod omnibus rebus materialibus originem, motum, formam atque diſpoſitionem dederit, vique actiua omnia peruadendo, ex aethere tanquam materiali principio cuncta formauerit: modo caueatur, ne in alterum extremum et contrarium currentes, vim hanc diuinam aſſiſtentem tantum et externam putemus, cum haec

f) L. XVII. p. 806. conf. MARSHAM. Can. chron.
g) Delſid. et Oſir. T. II. Opp.
h) In chronol. Gr. p. 86.
i) Harm. Scr. S. et profan. praef. Vol. II. p. m. 5 ſeq.
k) Hiſt. aſtronom. c. V. §. 8. 9.
l) Adu. phyſ. L. IX. n. 59-64.
m) l. c. c. 2. p. 226 ſeqq.
n) c. 2. p. 6. not. h.
o) l. c. p. 235. 236 237 vbi harmoniam Ioniſcorum de principiis coſmogonicis tentat.

haec anima diuina, hic Deus vna cum materia in vno toto comprehenſus vniuerſum ſecundum hos philoſophos conſtituerit, et arctiſſimo vinculo connexus ex neceſſaria naturae ſuae lege, emanatione ex ſuo gremio producendo omnia formauerit p. Haec communia priſci orbis principia theologica, cum ad coſmogoniam traducerent Ionici, his ſuppoſitis de materiali cauſſa ab anima interna et mouente agitata ſe diſputare et rationes huius motus naturales dare poſſe ſibi perſuaſerunt, quamuis inter ſe diſſentirent, quod illud principium materiale ſit, ex quo mens diuina intus latens et progignens omnia produxerit, vel, quod Graeci dicunt προβίβλησε. Qua in re Ionicos praeluſiſſe Stoicis, vir doctiſſimus luculentis teſtimoniis roborat, quae vero ad orthodoxos Chriſtianorum ſenſus, more PP. nonnullorum et noſtrae quoque aetatis quorundam religionis προμάχων obtorto collo rapienda non ſunt.

pag. 486. lin. 3. a fin. *Hanc quoque de terra opinionem Anaximandro tribuunt.* Conferendus ARISTOTELES, qui luculenter q: *Sunt autem quidam, qui manere ipſam* (terram) *ob ſimilitudinem dicunt, vt inter veteres Anaximander; neque enim magis ſurſum, quam deorſum, aut in plagas alias deferri poteſt, quod iacet in medio et ſimiliter ſe habet ad extrema. Neque enim ſimul fieri poteſt motio in extrema.* Iucunde hic obſeruat acutiſſimus GERDILIVS r, Ariſtotelem hic principium rationis ſufficientis tam luculenter, quam Leibnitzii ſequacium vllus, in vſum adhibuiſſe.

pag. 492. lin. 7. *Ex dictis facile intelliguntur.* Docte de placitis Anaximenis aſtronomicis diſſerit hiſtoriae aſtronomicae eruditus et diligens ſcriptor WEIDLERVS s. Quo loco tamen miramur, virum haud obeſae naris ad epiſtolas philoſophorum prouocauiſſe. Auctoritas enim eorum, qui eas adducunt inter veteres, tanta non eſt, vt ideo fidem inueniant, cum aetatis, quam mentiuntur, teſtimonia nulla habeant, et qui illas allegant, poſt C. N. omnes fere ſcripſerint. Ratio autem ſatis manifeſte apparet, cur confictae ſint, nempe, vt ſophiſtae haberent argumentum, in quo eloquentiam demonſtrarent. Id ſcribendi ratio adeo manifeſte eulncit, vt alio argumento opus haud ſit.

pag. 499. lin. 36. *Si velimus ex hoc labyrintho egredi.* Senſit id, vt magna ἀγχνοια vtebatur, GASSENDVS, qui eandem chronologiae Anaxagoreae rationem ineundam, eiusque annum emortualem Olymp. LXXXVIII. 1. neceſſario ponendum eſſe monuit t.

pag.

p) Conferenda hic omnino ſunt, quae infra p. 923. attulimus, ad quae S. reu. GERDILIVS ipſe prouocat, et comparanda, quae cel. PLOVCQVETVS Diſſ. de Thalete et Anaxagora §. 24. p. 16 ſeqq. de hac noſtra explicatione diſſerit. Cui omnino concedimus, emanationis ſyſtema iniurium in Deum et ſuo modo contradictorium eſſe: monemus autem, veteres, vt metaphyſico acumine nondum erant expoliti, adeo ſubtiliter de natura Dei non diſputaſſe, ſed contentos fuiſſe, ſi Deo actuoſitatem, quam vir doctus vocat, et principii primoprimi honorem Deo deferrent, quanquam ignis alicuius intellectualis modo de eius natura cogitarent.

q) De coelo L. II. c. 13.

r) l. c. c. 2. p. 243.

s) c. V. §. 8. 9.

t) Syntagm. philoſ. I. proocm. cap. 7. Opp. Tom. I. p. 17.

Digitized by Google

pag. 501. lin. 29. *SCIPIO AQVILIANVS.* Rogamus lectorem, quoniam ea, quae ad illuſtrationem ſyſtematis Anaxagorei hoc loco dictis addi poſſunt, ob paginae anguſtiam et inſtituti rationem pluribus explicari nequeunt, ea adeat, quae ad ipſum AQVILIANVM [a] obſcure ſatis in hoc argumento verſatum pluribus diſſeruimus, et imprimis ARISTOTELIS teſtimoniis lucem clariorem accendimus. Eiusmodi enim diſquiſitiones ſpeciales ab hiſtoria philoſophiae generali exulant, et ſingulares tractationes requirunt. Multa in his ſubtilitatibus, vt videtur, ab Ariſtotele excogitatis, plena, multa ratiocinatione ab aliis illata, magis, quam ab Anaxagora ipſo profecta, vnde merito timendum, ne plus cogitationis et meditationis in his teſtimoniis Ariſtotelis et ſequacium allatum ſit, quam Anaxagorae in mentem venit. Cuius iuſtae ſuſpicionis exemplum ea eſſe poſſunt, quae loco laudato [b] de quaeſtione: num contraria in ſyſtemate hoc Ionico Anaxagorae locum habere potuerint, exploravimus, ipſa ſuo loco legenda.

pag. 502. lin. 26. *Singulatim expendere neceſſe eſt.* Multum iuuabitur Lectoris diligentia, ſi GERDILII diſſertationem [c] de Anaxagorae ſyſtemate phyſico, attente et ſine praeiudicio legerit. Multum enim doctrinae, lucisque argumento iſti vir doctiſſimus intulit, a nobis h. l. vbi breuitatem ſectamur, non exſcribendus, ſed iudicio et attentioni lectoris commendandus. Is non ſolis veterum teſtimoniis oſtendere, ſed ratiocinando quoque curatius propiusque aſſequi conatus eſt, quo ſenſu, quaque ex parte, Anaxagoras praeter Thaletem, quem Deum ex coſmogonia non excluſiſſe ſupra probatum eſt, mentem materiae ſiue chao adiunxerit, et quo pacto ad cauſſas finales reſpiciendo nouam theoriam inuenerit. Vbi tamen caueat lector, ne omnia Ionicorum ipſorum eſſe putet, quae ratiociniorum conſequentiis vir doctiſſimus Ionica eſſe, et Anaxagorea, pro ingenii ſui fertilitate concluſit, quae nihil aliud probant, niſi Anaxagoram, ſi veterum fidem ſequamur, et neceſſarias conſequentias eliciamur, ita potuiſſe vel debuiſſe ratiocinari, interdum quoque ea ſupponunt, de quibus potiſſimum erat diſquirendum. Nos iterum perlectis iis, quae h. l. attulimus, ſufficere ea poſſe ad mentem Anaxagorae cognoſcendam credimus, vnde prolixiora et a loco hoc aliena non addimus [x].

pag. 513. lin. 8. *Principia materialia infinita eſſe, ei tribuit Pſeudo-Origenes.* Hoc, quomodo Anaxagoras intellexerit, ex ARISTOTELIS contra eum diſputatione [d] diſcendum eſt, quam maiore luce perfudimus in annotationibus ad AQVILIANVM [b], qui locus adeundus,

a) L. l. c. 3. p. 13. rec. edit.
x) Not. x. p. 18 ſeqq.
y) l. c. c. 1. §. 2. 3. p. 207 ſeqq.
z) Speramus autem non ſine lectoris commodo ea poſſe indagatione penitiore explorari, quae ad AQVILIANVM loc. cit. p. 25 ſeqq. annotauimus.
a) Phyſ. L. I. c. 4. T. I. opp. p. 854. ed. Caſ.
b) l. c. p. 14. not. m. ponebat Anaxagoras elementa in infinito infinita, ſed motum infinitum a materia infinita ſuſtulit, vid. ARIST Phyſ. L. VIII. c. 1. T. II. Dudum autem a GASSENDO Phyſ. ſ. 1. L. III. c. 2. T. I. Opp. p. 241. obſeruatum, Anaxagoram diuiſionem materiae in infinitum, ſalua homoeomeria admiſiſſe, et particulis ſimilaribus infinitatem tribuiſſe.

pag. 513. lin. 24. *Et hanc aëreae naturae feciſſe.* Multum impedit euidentiam huius doctrinae Anaxagoreae dubius vocum, mens et anima ſenſus, et ſignificatio, dum mens Anaxagorae pura a materiae contagio videretur, anima ſenſuum impreſſione motum accipiens, corporea eſſe, et aethereae naturae videatur. Ita veteres quoque phyſiologi Democritus aliique, quibus Anaxagoras cur non accenſendus ſit, cauſam nullam videmus. Aliter quidem et hic viſum cl. GERDILIO [c], qui ſuſpicatur, Anaxagoram altius animam extollendo, animam cum mente in eadem claſſe poſuiſſe, (ita enim verba, *identificar l'anima colle mente* intelligenda eſſe putamus) ita, vt a mente non intellectum tantum et facultatem ratiocinandi, ſed etiam facultatem mouendi et ſentiendi incorpoream acceperit, et vtrumque ad vnam eandemque incorpoream et ſimplicem ſubſtantiam pertinuerint. In qua explicatione videmus quidem, quid Anaxagoras dicere debuerit, ſi ſanis ſententiis totus adhaeſiſſet: teſtimoniorum autem fidem ipſiusque ſyſtematis Anaxagorei conſenſum deſideramus, quod rerum formandarum rationem explicans ſemel ſuppoſita mente, ad eam amplius non reſpexit, et reliqua omnia ad materiae diſpoſitionem retulit, vt ſupra [d] obſeruatum. Qua de re conſuli velimus, quae eruditiſſimus PLOVCQVETVS diſſ. *de Thalete et Anaxagora* diſſeruit, quaeque *Hiſtoriae Academiae Scient. Berolin.* de Anaxagora inſeruit Cel. HEINIVS [e].

pag. 516. lin. 12. *Sequitur Auguſtinus.* *De ciuit. Dei* [f], quocum comparandi CICERO [ff] et ante hos ARISTOTELES [g]. Quia Diogenis ſyſtema ab Anaximenis placitis non differt, recte inde infertur, vtrumque in eodem luto haeſiſſe, vtrumque naturam diuinam atque virtutem mundum inhabitantem et peruadentem affirmauiſſe, vtrumque eadem ratione eſſe diiudicandum. Idem obſeruatum recentioribus [h]. Ceterum aër Diogenis, qui ab eo principium rerum omnium conſtitutus eſt, cum elemento aëris, aquae et terrae contra diſtincto non eſt confundendus, quod AQVILIANO [i] accidit, qui ideo fluctus mouit in ſcopulo, diuerſasque res miſcet, cuius errorem ſuo loco iugulauimus. Quo pacto autem ex aëre condenſato, per frigidum et calidum reliqua elementa orta ſint, quomodo ex aëre diſſoluto vel condenſato, ignis, nubes, aqua, terra, lapides enata ſint, luculenter enarrat PSEVDO-ORIGENES [k], ex quo loco patet, Heraclitii phyſiologiam proxime ad Diogenis Apolloniatae placita acceſſiſſe [l].

pag. 519. lin. 20. 21. *Vt vniuerſum vnum idque infinitum conſtitueretur.* Ita obſcurae et incertae theſes Archelai commode cohaerent, aſt, quam longe a veritatis puritate Archelaus receſſerit, ipſumque praeceptorem de-

c) loc. cit. p. 213.
d) pag. 508.
e) Ille §. 45. p. 31. hic. an. 1753.
f) Lib. VIII. c. 2.
ff) De nat. Deor. L. I.
g) De anima L. I. c. 2.
h) Auctor. hiſt. orbis vniu. P. I. §. 41. p. 44. qui Spinoſae impietatem in ſententia Diogenis ſe vidiſſe ſuſpicati ſunt, GERDIL. l. c. p. 244. qui ad eum abſoluendum inclinat.
i) c. 21. p. 134.
k) Philoſophum. c. 6. p. 61.
l) LAERT. L. IX. ſ. 6.

Digitized by Google

dereliquerit, in aprico ponit, cum mixturam ineſſe infinitae menti traderet, primis theologorum priſcorum conceptibus impeditus, qui in chao ſeparare mentem a materia nondum ſatis intellexerant. Inde quamquam Ionicae ſectae patrocinium in ſe receperit GERDILIVS m), Archelaum tamen primo loco ponit, inter declaratos materialiſtas et atheos. Quod non totum quidem negabimus, et materiae non immerſiſſe Deum contendemus, putamus tamen eadem fidelia dealbari poſſe parietem Archelai, qua vir doctiſſimus Anaximandrum, Anaximenem, totamque ſcholam Graecam priſcorum Graecorum ille dealbauit. Verum de his ipſum, qua eſt eruditione et candore, iudicem ponimus.

pag. 521. not. lin. 3. *IAC. SYRBIVS, diſſ. de origine atheiſmi.* His ſe iungit GERDILIVS, quem miramur rimas eas non vidiſſe, quibus alii veterum, pace viri docti, elapſi ſunt. Cogitandum autem, ſyſtema Ionicum, quod Deum mundo regendo quidem praeficiebat, aſt legibus materiae mechanicis alligabat, aliter ſtatuere non fuiſſe paſſum, ſi ſolum Anaxagoram excipias, qui tamen nec ipſe potuit non obiicientibus veteribus ad materiae chaoticae conditionem menti obluctantem recurrere. Verum de ipſo ſyſtemate morali Ionicos ſyſtematice non cogitaſſe, ex ſupra dictis in memoriam eſt reuocandum, quibus paraenetica ſufficiebant.

m) l. c. p. 245. nollemus autem Archelaum cum Machiauelli et Hobbeſii ſchola confundere; facilius enim, quam illi, Archelaus poteſt excuſari.

AD CAPVT SECVNDVM.

DE SCHOLA SOCRATICA.

pag. 523. not. m. lin. 6.

Hiſtoriam Socratis non exhauriunt. Idem dicendum de aliis, quos laudat KAHLIVS *ad Struuium* a, itemque *Hiſtoriae vniuerſalis Scriptores Britanni*, qui res Socratis ciuiles tantum tetigerunt b. In hoc vero hiſtoriae philoſophicae campo, ſi vnquam, dulce experietur lector de fonte Xenophonteo bibiſſe, ſiue narrationis iucunditatem, vel dicendi copiam et elegantiam, ſiue rerum vtiliſſimarum penu tantum non exhauſtum conſideres.

pag. 526. not. o. *Quae in otio Vindelico diximus.* Non omittenda eſt Aſpaſia in Graecae philoſophiae hiſtoria, non modo, quod eloquentiae, ratiocinandi arte ſuffultae praeſidio, quicquid vellet, efficere poſſet, verum etiam, quod ſophiſtria eſſet, et de rebus maximi momenti deſumto ex philoſophia argumento diſſereret. Cuius generis praeter politica

a) c. 3. de Script. hiſt. phil. in Bibl. philoſ. p. 214 ſeqq.

b) T. V. §. 565 ſeqq. p. 389. alios h. l. nominat B. BAVMGARTEN. n. 348. p. 390.

a PLATONE [c] memorata colloquium fuit, quod cum Socrate habuit, quoque maximi momenti quaeſtionem, quid ſit amor, et an mortalis naturae? ita excuſſit, vt rationibus ex antiquiſſimae traditionis ruderibus erutis oſtenderet, mediae naturae eſſe, inter mortale et immortale, nempe daemonem magnum in medio inter Deum et mortales conſtitutum, qui in medio ſit, ex vtroque participet, ita, vt vniuerſum ipſum ipſi coniungatur. Quae prolixe a PLATONE [d] narrata legere, et vetuſtiſſimas religionis reliquias deprehendere neminem poenitebit. Inde maxima mulieris fama fuit, quamquam viuendi rationem non valde laudabilem inierat, de quibus tamen eius rerum circumſtantiis ex veteribus ATHENAEVS [e], PLVTARCHVS [f], SVIDAS [g], HARPOCRATION [h], CLEMENS ALEXANDRINVS [i], atque PHILOSTRATVS [k] conſulendi, ex quorum narrationibus ſuas compilarunt recentiores, et inter eos potiſſimum MENAGIVS [l]. Hanc mulieris ſuſpectae famae diſciplinam caue ἀτιμίας nota dignam putes: moribus enim Athenienſium non inhoneſtum fuiſſe, philoſophiae cauſſa cum ſcortis conuerſari, tot exempla paſſim a nobis quoque memorata teſtantur. Tacemus adeo aegerrime tuliſſe Periclem, cuius amoribus illa occupabatur, quod inter ſcorta Aſpaſia numeraretur, vt indignatio eius atque ira belli poſtea Peloponeſiaci flammam accenderet, ſi fides SCHOLIASTI Thucydidis [m].

pag. 540. lin. 18. *Qui Socratem verae virtutis alumnum fuiſſe negant.* Pertinet huc quoque IACOBVS THOMASIVS accuratus alias iudex veterum. Is enim non adeo magnifice de Socrate ſentit, ratus illum non modo in eo peccaſſe, quod fiduciam beatitudinis collocauerit in virtutibus ſuis; ſed vel in eo maxime, quod virtutes putauerit eſſe veras, quae vix aliud, quam ſimulacris virtutum tecta ſint vitia. Addit his valde dura, vir veteris hiſtoriae philoſophicae peritiſſimus, aſt iniquus interdum cenſor, vaniſſimi faſtus hominem Socratem fuiſſe, qui in exagitandis aliis maximam voluptatum ſuarum partem poſuerit. Quae nollemus Thomaſio excidiſſe, Xenophonteis memoriis contrarium loquentibus, et confuſis inter ſe virtutibus naturalibus et philoſophicis cum Chriſtianis: quo pacto ea ex circumſtantiarum conſideratione excuſari poſſunt, quae ambitioſe magis et cum aliorum contemtu, quam conſtanter et ex virtutis ſibi conſciae fiducia in iudicio diſſeruiſſe nonnullis [n] viſa ſunt, et quibus inuidiam in caput ſuum imprudenter cumulaſſe negari nequit. Homo enim fuit, nec diuino ſpiritu colluſtratus, totus quoque inſanientis iudicum turbae odio accenſus, vt mirum non ſit,

c) In conuiuio Tom. III. opp. ed. Steph. p. 201 ſeqq.
d) In Menexeno, conf. HARTOCK. in Aſpaſia pag. 79.
e) L. XIII. p. 569. L. V. p. 21 ſeq.
f) In Pericle.
g) In Aſpaſia T. I. p. 355 ſeq.
h) l. c. p. 73. ed. Blancardi, cum not. Mauſſaci.
i) Stromat. L. IV. c. 19.
k) Ep. 13. p. 919. ed. Ol.
l) l. c. n. 7. f. p. 488. ita enim ſupra numerus emendandus. conf. P. LEOPARDVS in vit.
m) L. I. c. 67.
n) Conf. B. BAVMGARTEN. l. c. n. 551. p. 396.

Digitized by Google

ſit, a recto tramite eum nonnihil receſſiſſe. Ita ſcilicet vel maximis viris humani ab ipſis nihil alienum eſſe cogitandum eſt.

pag. 541. not. g. *BASNAGE Hiſt. des Iuifs T. III. c. 20. p. 544.* Repetit iſta GALEVS in *philoſophia generali* [o].

pag. 542. lin. 7. *Vetuſtae, quae paſſim extant, imagines.* Occurrit duplex imago apud VRSINVM [p]. Vna ex numiſmate aereo Vrſini, altera ex marmore Card. Farneſii. Monet quoque LAVR. PIGNORIVS [q], Socratem non raro comparere in annulis ſignatoriis, quod teſtimonium eſt exiſtimationis et iudicii publici de Socrate. Talem deſcribit ex Proſperi cardinalis S. Crucis numiſmatophylacio IOANNES FABER [r]. Illae omnes cum deſcriptionibus Platonis et Xenophontis conſpirant, quales h. l. dedimus; ex qua Socratica facie exiſtimari poteſt, quam vanae ſint regulae phyſiognomicae, cum longe aliam iuxta eas interpretationem exhibeat vultus Socratis [s].

pag. 544. lin. 18. *Veterum et recentiorum opiniones noſſe cupit.* Addi non ſine vtilitate poteſt CLAVDII FRANCISCI FRAGVIERII diſſertatio *de ironia Socratis, de eius daemonio et moribus* [t].

pag. 552. lin. 8. *Vt omnem oppoſiti formidinem eiecerit.* Nitebatur Socratis ſpes immortalitatis beatae potiſſimum vetuſtiſſima traditione, quam cum ratione et adhibitis ſanis rationibus euerti non poſſe perſpiciebat: Sentiens autem in animo immortalitatis iſtius deſiderium, totamque animae indolem hanc naturalem propenſionem ſequi obſeruans, facile argumenta in contrarium allata poterat eludere, quamuis apodicticam certitudinem non eſſet affecutus. Itaque quanquam animo fluctuabat, quod maximis et conſtantiſſimi pectoris viris accidiſſe nouimus, ſpes tamen ingens et ſolatio plena animum erexit. Quae omnia ex PLATONIS *Phaedone* luculenter conſtant, et nos dudum monuimus [u], inter gentilium Elpiſticos locum Socratem poſtulare digniſſimum. Male itaque agunt, et iniurii in diuinum dogma ſunt, qui hanc Socratis ἀπορίαν, ad incredulitatis et impietatis patrocinium adhibent, quorum φλυαρίας eleganter repreſſit GERDILIVS, qui cum his comparandus [x].

pag. 553. lin. 14. *Abſoluerat, Olymp. XCIV. 1.* Corrige in editione priore ex ſphalmate, Olymp. XCV. 1. ita enim Demetrius Phalereus, apud LAERTIVM [y], *Marmor. Arundel.* [z] et veteres alii, quae cum annotationibus SYDIATI [a] et PRIDEAVX comparanda ſunt. Exegerat tunc Socrates annos LXX.

pag.

o) L. III. c. 1. p. 187 ſeq.
p) n. 133. 134.
q) Symb. ep. 1. p. 6.
r) Comm. in imagines F. Vrſini p. m. 64. 75.
s) Conf. PETR. LAVRENBERGII Paſicompſe c. 2. p. 3 ſeq.
t) Mem. de l'academie des inſcriptions T. VI. pag. 1 ſeqq.
u) In Diſſ. de ſecta Elpiſtica Miſcell. hiſtor. phil. lit. Sect. I. obſ. 7. §. 12. p. 180 ſeqq.
x) Merentur legi obſeruationes viri doctiſſimi in Introd. in rel. p. 56 ſeqq. multa enim prolixiori meditatione digna attulit.
y) Lib. II. ſ. 44.
z) Epoch. 67. Marm. Ox. p. 279.
a) pag. 419.

pag. 581. lin. 31. *Poëtae, oratores, muſici, dialectici, arithmetici, geometrae, aſtrologi.* Ex hac vna theſi clariſſimum eſſe putamus, Cebetem argumentum Pythagoricum ſcholae Socraticae principiis adaptaſſe: haec enim Pythagorea non eſt, patebitque ex dicendis ſuo loco, Pythagoram muſicam, dialecticam, arithmeticam, aſtronomiam inter neceſſarias philoſophiae praeparationes retuliſſe. Socrates autem eorum, quae ad vitae felicitatem animique emendationem vſum habere nullum credebat, rationem quoque in definiendis philoſophiae verae circulis habendam haud eſſe ſtatuit. Quod ſatis euincit, non Pythagoreo philoſopho, nec Stoico eandem tibiam inflanti, ſed Socratico-Pythagorica dogmata Socraticis placitis attemperanti hanc tabulam deberi. Et haec quoque cauſſa eſſe videtur, cur expurgatricium virtutum choro theoreticae in ea excludantur, nec ad intellectus perfectionem, vt ſolebant Pythagorae aſſeclae, ſed ad voluntatis integritatem et virtutis acquiſitionem referantur.

AD CAPVT TERTIVM.

DE SECTA CYRENAICA.

pag. 592. lin. 4. a fin.

Quae ab illo profecta non ſunt. „Diuertentes ex caſtris Ariſtippi ad „alios philoſophos Cyrenaici id potiſſimum egerunt, vt Ariſtippi „nomine, ſuae de voluptate, actionum humanarum fine, doctrinae fucum „obducerent, vnde poſtea, quod aliorum erat, Ariſtippo attributum eſt: „quum tamen, quod LAERTIVS [a] diſerte ſcribit, hic ipſe clare pro„fiteretur, imperare voluptatibus, nec illis ſuccumbere, egregium eſſe, „non autem illis vti non velle, nec poſſe. Arripuerunt hoc voluptatis „mancipia, et ſuo dogmati de voluptate, fine actionum praetenderunt, et, „cum plures eſſent, qui philoſopho male cuperent, quam, qui eius cauſſam „tuerentur, vt ex dictis manifeſtum eſt, facile erat, Ariſtippum auctorem „peruerſae ſententiae praeficere. Quod tamen, qua iniuria factum ſit, „vbertim diſcet, qui philoſophi dogmata, a nobis ſine partis ſtudio ex„ponenda, cum iis conferet, quae de Cyrenaicorum doctrina, vitae „Ariſtippi annexa dat Laërtius, et quae ſparſim alii proferunt.“ Ita pulchre quidem et maximam partem ex vero apologiam Ariſtippo ſcribit diligens et eruditus eius biographus MENLIVS [b], nec negamus, inuidiae et maledicentiae virus, quod in philoſophorum Graecorum nationem poſt ereptum coelo philoſophico ſidus Socraticum ſe transfudit, In calumniando Ariſtippo oſtendiſſe ſe efficaciſſimum. Aſt negari tamen non poteſt, Ariſtippum, dum voluptatum corporis in ſapientiae curſu nimiam habebat

a) S. 75.

b) Vit. Ariſtippi p. 81. not. TTT.

Digitized by Google

habebat curam, et temperamento, educationi, conuerſationi aliisque cauſſis moralibus plus tribuebat, quam animum emendatum per Socraticam inſtitutionem decebat, porro, dum liberaliori, quam ſeueritati diſcipuli Socratici, omnia ad bonitatem et emendationem animi referentis conueniebat, viuendi agendique ratione vincula honeſtatis, more Athenarum, voluptatibus eo tempore totis immerſarum, magnisque exemplis corruptarum, rumpebat, multum ad id contuliſſe, vt maledicorum et inuidorum calumniis opprimeretur. Memorabili exemplo, verum eſſe, quod de Scythis pronuntiauit IVSTINVS [c], interdum plus efficere ignorationem vitiorum, quam praecepta ſapientiae. Docet hoc tota hiſtoria Ariſtippea, quae pulcherrima huius generis monita affatim exhibet, quae tamen hic adſcribere non licet, et lectoris meditationi relinquenda ſunt.

pag. 593. not. f. lin. vlt. *Quibus in his non ſeneſcendum monet.* Conferenda omnino cum his, quae ſupra initio harum obſeruationum de ratione et ſenſu diſciplinarum encyclicarum fuſe ſatis attulimus. Prolixiora dabit IOANNES WOWERIVS [d].

Ibid. lin. 6. 7. *Idem ſenſiſſe videtur, quod Socrates ſenſit.* Eo tamen diſcrimine, vt ſtudiorum ad vitam vtilium terminos latius extenderet, quam Socrates. Cuius exemplum eſſe poteſt *φιλοκομψεία* Ariſtippo ad exceſſum vsque in omni externo venuſtatis ornatu tantopere vſurpata [e]. Quanquam enim Socratem pulchritudinis rationem etiam habuiſſe, ſupra tradidimus, is tamen ipſe, corporis naturam emendare artificioſo ornatu neglexit. Qua in re eo tempore inſaniuiſſe Graecos, et inter hos imprimis Athenienſes, apud veteres peruulgatum eſt, et erudito commentario iucunde expoſuit PETRVS LAVRENBERGIVS [f].

pag. 596. lin. 5. *Nomen quoque Hedonicorum acceperunt, qui illud ſecuti ſunt.* Comparanda cum his, quae infra ad finem capitis [g] annotauimus, et MENAGIVS ad *Laërtium* [h], PAVLVS item LEOPARDVS *in vitis.*

c) Lib. I. c. 2.
d) De polymathia.
e) Conf. XENOPHON. mem. L. II. init.
f) In Paſicompſe, edita Regiom. 1672. 8. conf. dicta ſupra p. 379.
g) pag. 609. not. a.
h) Lib. I. ſ. 17.

AD CAPVT QVARTVM.
DE SECTA MEGARICA.

pag. 613. lin. 21.

Caluus. Inde LAERTIO [a] dicitur *πέλλας λόγους ἐρωτῆσαι*, quod inuentionem multarum interrogationum et ratiuncularum ſophiſticarum denotat. Quas cum in ſcholam ſuam Stoici traduxerint, alter logicae Stoicae parens dici poteſt. Ibid.

a) loc. cit.

Ibid. not. l. *CICERO de diuin. L. II. c. 4. A. Q. L. IV. c. 30.* Addendus ARISTOTELES L. II. elench. *Nicom.* [b]. Quanta autem eo tempore a seria philosophandi Socratice mente et ratione ad nugas difficiles diuerterint subtilia, sed otiosa ingenia, merito mirandum, nisi constaret, otium et voluptatem eo tempore Athenis graſſantes has tricas commendaulſſe, traductamque hanc humani ingenii scabiem ad laudis et famae praemia. Certe adeo desipuere veteres in his nugis, vt nominet ATHENAEVS [c], Philetam quendam, qui prae huiusmodi argutiarum studio, perierit, ita aliunde exilis ac tenuis, vt, ne a vento abriperetur, cogeretur plumbeos globulos subiicere. Hinc in eius epitaphio: ὁ ψευδόμενος μὲ ὤλεσε.

Ibid. lin. 5. a fin. *Pater tuus latet.* Exemplum huius fallaciae occurrit apud ALEXANDRVM [d].

pag. 614. lin. 10. *Ergo aceruus efficitur uno grano.* Aliam definitionem sorites habes apud VLPIANVM [e]. Plerumque hoc sophismate delectati sunt Stoici, vnde de Chrysippo HORATIVS:

Inuentus Chrysippe tui finitor acerui.

pag. 615. lin. 31. *Conuicii nomine vocatus est.* Nempe ἔξωθεν τῷ ῥῶ καὶ κάππα, abiecta litera κ et ρ, vt ita diceretur ὄνος, asinus.

b) Lib. VII. c. 23.
c) Dipnosoph. L. IX. XII.
d) In elench. c. 30.
e) De nat. cauill. ff. de verb. et rerum signif.

AD CAPVT QVINTVM.

DE SCHOLA ELIACA ET ERETRIACA.

pag. 622. not. d. lin. 2.

Qui ex seruis facti sunt philosophi. Comparandus heic GASSENDVS [a], qui exempla seruorum philosophantium collegit.

pag. 624. lin. 1. *Ptolemaeum.* Lagi, Aegypti regem. Rationibus chronologicis hoc euincit, et de Philadelpho non posse intelligi, operose demonstrat HVMFRED. HODY [b], vbi quoque chronologia Menedemi curatius excutitur, qui ipse videndus. Iuxta hanc temporum seriem sequitur, annum emortualem Menedemi ab Heraclide assignatum Olymp. CXXIII. 3. exituro non accidisse, et in nostro textu annum CXXV. assignatum esse. Obiit quidem Menedemus annos natus LXXXIV. iuxta Heraclidem, quem tamen numerum sollicitat Hodyus, „quia auctores „grauissimi luculenter testantur, illum superstitem fuisse ad illud vsque „tempus, quo Antigonus Gonatas Demetrii Poliorcetis filius rex Mace„donum, Gallos in praelio fudit: quod quidem contigit annis aliquot, „post-

a) Procem. Synt. phil. c. 4. T. I. Opp. p. 9.
b) De biblior. text. orig. L. I. c. 7. p. 27.

Digitized by Google

„poſtquam regnare coepit Philadelphus, tamen tanto non ſpatio, quin „compareat, Menedemum obiiſſe intra nouennium, poſt regni eius „initium, et intra ſeptennium poſt mortem patris.“ Irruptionem autem Gallorum ſecutamque eorum ſtragem idem vir doctus ex Iuſtino atque Pauſania obſeruat, accidiſſe Olymp. CXXV. 2. et ſequenti, indeque concludit, Menedemum ſtatim fere poſt deuictos ab Antigono Gallos, exſpirauiſſe. Prouocat ad Heraclidem ipſum et Hermippum, et Antigonum Caryſtium apud Laërtium, ſuffragante Heſychio Mileſio, qui teſtantur, Menedemum in ſuſpicionem prodendae ei ciuitatis adductum ad Antigonum veniſſe, et ibi breui tempore prae triſtitia, vel, nullo cibo per ſeptem dies ſumto, vitam cum morte commutaſſe. Ex quibus infert, obiiſſe eum Olymp. CXXV. 3. qui annus connectitur cum ſeptimo defuncti Ptolemaei Lagi et nono regni Philadelphi; hunc fuiſſe annum LXX. a Platonis obitu, hoc eſt, ab Olymp. CVIII. 1. vt dato, Menedemum Platone moriente compleuiſſe annos XXIV. colligantur anni eius vitae non LXXXIV. ſed XCIV. vnde putat apud Laërtium, Heraclidis teſtimonium adducentem, pro ὀγδοηκοστὸν ponendum et ſubſtituendum ἐννενηκοστὸν eſſe. Quam Hodii obſeruationem ex libro rarius occurrente, quam MENAGIVS [c] quoque probauit, ideo huc transferre placuit, vt ratio temporum conſtaret, quam in hiſtoria Menedemi ſecuti ſumus, quae a nonnullis nimis ſupra hunc terminum attolluntur, a nonnullis nimis deprimuntur.

pag. 625. lin. 4. 5. *Pene cum amico Aſclepiade periiſſet.* Factum eſt id apud Nicocreontem Cypri regem et memorabile exemplum, maxime viris iuuenibus ardentius, quam prudentia ſuadet, pro ſententia ſua contendentibus et obloquentibus eſſe poteſt, quanta damna et pericula oris intemperies, etiam veritatem et ſapientiam profeſſa accelerare queat. Id quod ipſe Menedemi amicus, Aſclepiades annotauit, parrheſiam amici vtrumque pene perdidiſſe. Rem ipſam leges apud LAERTIVM [d].

c) Ad LAERT. L. II. ſ. 144. p. 153. d) L. II. ſ. 129. 130.

AD CAPITIS SEXTI SECT. I.
DE PLATONE.

pag. 628.

De Platonis vita orationem conſcripſit. Inter Germanos ex ipſa Bauaria, eo tempore viris doctis abundante, fauente Alberto Bauariae duce, principe doctiſſimo, prodiit GEORGIVS ACANTHIVS, Kelhaimenſis Bauarus, qui collectis in Italia in eam rem opibus literariis iuſtum Platonicae philoſophiae aedificium adornare coepit, redux autem in patriam, ob iniquam fortunam et rerum omnium in patria perturbationem igni tradidit.

tradidit. Eius tamen cladis quandam reſtaurationem meditatus, libellos tres *de antiqua philoſophia ex Platone* conſcripſit, et Oporino excudendos [a] tradidit, in quibus philoſophiae quoque reliquae hiſtoriam non neglexit, et de Pythagora quoque Socrate ſectisque ante Platonem memorabilia collegit, maxime autem in Platonis doctrina explananda non ſine eleganti tractationis ordine et ſcribendi ornatu et puritate, verſatus eſt. Qui tamen libellus lucernam veteremque literaturam pulchre referens, adeo abiectus et obliuioni traditus iacuit, vt pauciſſimos nouerimus, qui eum vel viderunt, vel allegari quoque audiuerunt. Et manſiſſet quoque nobis ignotus, niſi a IACOBO THOMASIO [b], diligentiſſimo obſeruatore eius notitiam accepiſſemus, ipſumque libellum inſpiciendi legendique ex bibliotheca publica reipublicae Auguſtanae copia nobis eſſet facta. Vnde rariſſimis auibus in hiſtoria philoſophiae literaria adſcribendus eſt. In Italia autem Platonicam diſciplinam eum hauſiſſe, vel inde colligi poteſt, quoniam eandem, quam eo tempore Itali plerique adoptauerant, ſententiam tuetur, Platonicam philoſophiam ex fontibus Hebraicis dimanauiſſe.

pag. 630. lin. 4. *Quorum omnium coniecturas incertiſſimo niti fundamento.* Exhibet imaginem Platonis gemma Sarda, ſiue Carniola pulcherrima apud VRSINVM, ex quo repetiit MEIBOMIVS in *Laërtii ſui editione.* Eam ex concilio Florentino pontificius legatus, cardinalis Iulianus Caeſarinus attulerat ex Graecia. Comatum atque barbatum fiſtit philoſophum, qualem ſe geſtare ſolebat, indignatus ideo Ariſtoteli, quod tonderi et radi ſoleret. Prouocat etiam Vrſinarum imaginum commentator SCHOTTVS [c] ad alias in gemmis et marmoribus, inter eas, ad vnam in Carniola expreſſam, qua non ſolum lata Platonis frons videtur, ob quam Platonis nomine affectus eſſe dicitur, cum prius Ariſtocles vocatus eſſet, ſed et lati eius humeri. Quae tamen, quod non diffitemur, nobis ſuſpicionem faciunt, caelatorem iſtius gemmae magis ad rumuſculos, quam archetypum imaginis Platonis reſpexiſſe. In ſtatuis quoque expreſſam fuiſſe Platonis imaginem, ex CICERONE [d] patet, in quibus tamen omnibus artifices plus dediſſe ingenio, quam veritati, par eſt credere.

pag. 637. lin. 21. *Vbi de Iudaeorum philoſophia agetur.* Exoranda hic eſt lectoris patientia, vt ea diligenti meditatione excutiat, quae in Tomo IV. huius hiſtoriae [e] ex inſtituto dicta ſunt. Illis enim ſine partis ſtudio et abiecto puerili auctoritatis et antiquitatis praeiudicio, cuilibet etiam mediocri iudicio vſo conſtare poſſe, ſumus certiſſimi, quam turpiter viri illi docti fallantur, qui poſt tanta accenſa lumina veteris hiſtoriae pergunt veterum nugis ſe permittere, et iactatas ſapientiae gentilis origines ad Hebraeos referre, rati, pulchre ſe de religione Chriſtiana poſſe mereri, ſi hominum artis criticae virtute vacuorum moribus ſe aſſimilent, omnemque rationalem artem negligant et euertant, vt bene ſit, ſi Diis

a) Baſileae 1554. 8.
b) In FREHERI monum. ineditis p. 396.
c) n. 112. p. 65.
d) In Bruto.
e) P. I. L. II. c. 1. §. 11. p. 689 ſeqq.

Digitized by Google

Dlis placet religioni. Quod accidere potuiſſe viris cetera cum laude in diſciplinarum ſtudiis verſatis merito miraremur, niſi innumeris exemplis edocti nouerimus, quid poſſit ſectae ſtudium atque fauor, quid educatio, quid vitae conditio, quid imitatio. Exempla non addemus, cum ſint odioſa, ſed lectorem tamen huius obſeruationis memorem eſſe, et tanquam σοφὸν Φάρμακον ea legere et expendere iubemus, quae in Tomo III. H. C. P. de patrum eccleſiae philoſophia diximus, quorum fulgentibus in eccleſiam meritis nihil detrahimus, accurationem criticam ipſae eorum tractationes illis denegant.

pag. 654. lin. 6. *Aram Ariſtoteles.* Plura de hoc honoris genere ſingulari habet Io. FRIDERICVS PREVSERVS [f].

pag. 658. not. p. *Vid. VOSSIVS de poëtis p. 84.* Conſtat hoc elogium Platonis elegia Graeca C. diſtichorum, poteſtque eſſe compendium omnium encomiorum, quibus Plato cumulatus eſt. Quod cum elegantiſſimum ſit, et multa ſtudii Platonici in aula Medicaea a magnis Ducibus Hetruriae accenſi et promoti ſpecimina contineat, illis quae nos *Tomo IV. H. C. P.* [g] hac de re diximus, lucem foenerantia, meretur, vbi haberi poteſt, cum attentione legi. Praemiſit ideo carmen hoc editioni quoque Platonis a ſe curatae [h] MARCVS HOPPERVS, et Zenobii Acciacoli verſionem Latinam adiecit. Multa ibi dicta in laudem domus Mediceae, maxime Leonem X. P. M. et cardinalem Bembum, quibus ſimul claſſicum contra Turcas canit.

pag. 659. lin. 34. *Ad Pythagoreos acceſſit.* Leg. ad diſcipulos Pythagorae, quorum eo tempore non minor erat, quam magiſtri ipſius, celebritas, excurrit, et tantam amicitiae fidem occupauit, vt intimae admiſſionis diſcipulis annumeraretur. Qua occaſione vſus, nihil poſt ſindona ſacrum et arcanum ipſi tectum manſit et abſconditum.

pag. 663. not. p. lin. vlt. *Dignus qui legatur.* Iungendus huic acer et attentus Platonis cenſor Io. BAPTISTA CRISPVS [i], qui exemplis ex Platonis doctrina de animae generatione et natura petitis luculenter demonſtrat, talia in eo argumento Platonem protuliſſe, quae nec ipſe intellexit, nec Platonicus quisquam comprehendere potuit. Quod nemo mirabitur, ita enim in eo argumento Pythagoreo muſto ebrius vacillat diuinus Plato, vt, quo caput prae vertigine vertat, ipſe neſciat. Quae debent hiſtoriae philoſophicae ſtudioſum facere cautum et attentum, ne clariora apud Platonem quaerat, quam ipſe habuit.

pag. 665. not. u. *De Platone caute legendo.* Multotles eo nomine Platonem caſtigat Criſpus [k], et ex propriis principiis contradictiones, et ſententiae inconſtantiam euincit; id quod in argumento de animae gene-

 ratione

f) In epiſt. ad S. Reu. Hofmannum Theol. Acad. Leucor. primarium, de ara Platoni ab Ariſtotele poſita.

g) pag. 48 ſeqq.

h) Baſil. apud Henr. Petri 1556. fol. Graece, quae Aldinam ſatis accurate refert.

i) De Plat. caute leg. diſtr. I. p. 22.

k) Vid. quae p. 4. 8. 393. 397. et alibi differit, quaeque vera eſſe fatebitur, quisquis Platonem ſemel cum attentione legerit.

Digitized by Google

ratione et aeternitate, de assertis in dialogis, Parmenide, Sophista ac Theaeteto; de foeminae generatione etc. exemplis manifestis probat.

pag. 669. lin. 36. *Vel dialectica, vel physica, vel ethica.* Valde hanc distributionem iuuat locus AVGVSTINI [l], qui videndus. Mirum vero est, quod EVSEBIO [m] communi PP. praeiudicio fascinato visum est, ab Hebraeis talem philosophiae diuisionem Platonem accepisse; ait enim: „ac primum quidem cum tres in partes a Platone vniuersae philosophi„cae ratio diuidatur, in naturalem, moralem et logicam, deinde natura„lis in sensibilium contemplationem et spirituum intelligentiam, apud He„braeos quoque tripartitum illud doctrinae genus reperias, quod nimi„rum antequam Plato nasceretur, affinia prorsus atque similia disputarint.“ Rectius is ad Atticum proueçat, monentem, *Platonem tripartitam hanc philosophiae distributionem sequentem coniunxisse partes omnes philosophiae, in vnum velut corpus dispersas prius, ceu membra Proti.* Hoc enim, perperam quidem, in laudibus eius ponunt Platonici, luculenter autem syncretismum Platonis, diuersa systemata consarcinantem probat, quo non potuit non incerta et fluctuans fieri totius systematis male cohaerentis significatio.

pag. 671. lin. 32. *Sophismata autem esse falsa.* Dialecticam tanquam sermocinandi rationandique artem nunquam Plato exposuit, quod recte obseruatum GASSENDO [n], sed ex dialogis eius colligendum tantum est, qualem esse voluerit, qua de re cum ipse Gassendus nonnulla praeclare monuerit, eum adire iubemus illos, qui ex Platone nonnihil philosophicae notitiae acquirere cupiunt. Qui enim logicam Platonicam ex Platonicis specialius explicuerunt, ex Peripatetica et Stoica logica doctrinam de propositionibus, categoriis, syllogismis acceperunt. Idem de Alexandrinis philosophis dicendum, maxime Plotino, qui nouam categoriarum scalam excogitauit, de qua infra suo loco [o] dictum. Qualem autem dialecticae vultum in dialogis Platonis intueri liceat, strictim docet GASSENDVS [p] quem comparare suademus, ea autem cautione, ne cum illo dialectica generali significatione sumta, cum ea, quae specialiori sensu denominatur, confundatur. Monet is recte, de dialectica nullum speciale opus Platonem composuisse, vt ideo mirandum non sit, quod CICERO [q] de duobus praecipuis illius discipulis loquens, Aristotele nempe et Xenocrate, scribat, *ita facta est, differendi, quod minime Socrates probabat, ars quaedam philosophiae*; itemque quod postea dialecticam Academicorum non ipsi Platoni, sed Xenocrati, cui videtur adhuc Aristotelem copulare, tribuit: Licere autem ex variis eius locis colligere, qualem eam esse Plato voluerit, quia passim et dialecticam commendauit, et quis eius scopus, et quae munera essent, exposuit. Sed et hoc prouide monet accuratus veteris philosophiae censor, eos, qui ex Platonicis logicam specia-

l) De C. D. L. VIII. c. 4.
m) Praepar. L. XI. c. 1. 2.
n) Prooem. c. 4. T. I. p. 42.
o) T. II. p. 393 seqq.
p) loc. cit.
q) Acad. Lib. I.

Digitized by Google

ſpecialiter explicuerunt, quales hodie nobis ſuperſunt Apuleius et Alcinous, non voluiſſe rationalem partem dare, quod promiſſorum immemori Apuleio accidit, qui ea, quae de interpretatione ſuffixit, omnia ab Ariſtotelicis tranſſumſit: Idemque fere de Alcinoo dicendum eſſe, qui ea, quae apud Peripateticos et Stoicos inueniebat, occaſione eorum, quae dicta ſunt a Platone, vel in ſpeciem adhibita, attulit, qualia ſunt dogmata de propoſitionibus, categoriis, ſyllogiſmis et ſimilibus. Sed et Alexandrinos philoſophos, et Plotini ſcholam idem tenuiſſe, quae nouam categoriarum ſcalam excogitauit. Pulchre autem obſeruatum Gaſſendo: Platonem dialecticae nomine complexum eſſe ſcientiam, tum de fine, tum de via ad ipſum finem. Videlicet priori modo habuiſſe dialecticam, vt intellectualem, eandemque cum ſcientia theologica, poſteriore vero, vt rationalem eandemque cum ipſa caeterorum differendi arte. Praeter hanc enim intellectualem a Pythagoreis accepiſſe et agnouiſſe, eundemque finem eſſe dialecticae voluiſſe, „vt mens, per ipſam repurgetur a prauis „opinionibus, germanam vero ſcientiam indu[illegible]t, quae ſit nimirum primi „entis, et immaterialium intelligibiliumque formarum.“ Quod, qua ratione Plato inſtituerit, pulchre porro explicat, quae eius verba, cum Gaſſendiana opera rariora ſint, et non vbiuis occurrant, hoc loco ad illuſtrationem dictorum adducere non piget. „Supponit Plato, animam no„ſtram eſſe particulam animae mundi, mentemque adeo noſtram parti„culam aurae illius diuinae, ſeu mentis (melius et Platoni conuenienter „magis anima a mente diuina diſtinguitur) quae totam mundi agitat mo„lem, ſciensque eſt rerum omnium, (addimus, quae anima mundi ema„natiuo ordine ex mente diuina egreſſa, rerum ideas in ſe complectitur) „eſtque ſciens rerum omnium, vt puta ideas omnes continens, ſicque ex„iſtens ipſa veluti idea, ſiue typus omnium formarum, (nempe ob impreſ„ſas a mente animae mundi imagines ſ. ideas rerum). Hinc eſſe quidem „mentem noſtram, tanquam congeneam ſuo toti ſuoue principio ex ſua „natura omniſciam, (id eſt, omnium rerum ideas intra ſe latitantes habere) „ſed tamen tum, cum immergitur in corpus, quaſi in ſpecum tenebroſam, „veluti obtenebreſcere, contrahereque rerum omnium, quae prius ſuo „iuncta principio nota habuerit, obliuionem. Quare et eam deinceps „quaſi excitari per formas, ſeu ſpecies rerum ſenſibilium, vt per varios „reminiſcentiae gradus lumen recuperet, ſenſimque ad ipſius ſolis, hoc „eſt, primi entis, et principii ſui, nec non formarum ſpecierumue intel„ligibilium, hoc eſt, idearum notitiam, perueniat. Habere itaque dialecti„cam, vt πορείαν, viam, ob emerſionem ex illa quaſi ſpecu, e qua vt ocu„los ad lucem, ita mens ad verum contendat, et ex ipſis vmbris, ſeu re„bus ſenſibilibus materialibusque gradum faciat ad ſimulacra, ſiue formas „rebus impreſſas, ex iſtis aſcendat ad eas, quae per ſe conſiſtunt, ac tan„dem per ipſas, nullo iam ſenſibili vtens, ſed puris ipſis ſecretisque ac „germanis formis ſeu ſpeciebus, ad ipſum verum, ipſum bonum, boniue

„ideam,

„ideam, ſimplex immiſtumque principium perueniat. Hinc dialecticae „munus eſſe, analyſi quadam dirigere mentem, et diuidendo, definiendo, „inducendo ad primum verum deducere, ex quo poſſit, poſtquam fue„rit ad ipſum euecta, ad res ſenſibiles regredi, illasque congrue expen„dere, ſed reditura tamen ad ipſum, in quo denique conquieſcat.“ Habes, Lector concinnum dialecticae intellectualis Platonicae compendium, cuius fundamentum et ſummam olim iam [r], adducto loco Platonis claſſico [s], expoſuimus. Id deinde Dinienſis philoſophus ad dialecticam applicat, qualem pro Platonica Alcinous adhibuit, quae tamen, cum longiora ſint, quam vt heic locum obtineant, apud ipſum Gaſſendum ſunt legenda. Haec enim ſufficere poſſe putamus, vt intelligatur, quo pacto dialectica Platonica a ceteris ſectis ſe diſtinguat. Quae cum tota fanatica ſit, et neſcio quem enthuſiaſmum inculcet, facile iudicabit lector, quo loco, et qua dignitate, vel vtilitate habenda ſit. Et tamen, hoc non obſtante, ſimilia quaedam concepiſſe noſtro tempore magnos philoſophos, et imprimis Malebranchium, ſuo loco docuimus [t].

pag. 673. lin. 19. *Non eſt huius loci diſpicere.* Meretur hic legi, vbi copia libri rariſſimi datur, CRISPVS, qui non ſibi conſtare reminiſcentiam Platonis cum aliis eius cogitationibus, aliterque eum in *Theaeteto*, aliter in *Medone* ea de re loqui obſeruat [u]. Totus autem liber *ſextus* eius cum attentione legendus eſt, in quo fuſe reminiſcentiam Platonis examinat; id quod in tanta notionum et conceptuum inconſtantia, quae apud Platonem occurrit, magnopere mirandum haud eſt. Multa in his ſunt, in quibus abſtractionibus et ſeparatis notionibus cum re ipſa confuſis, ipſe Plato, quid ſibi vellet, neſciuit, eodem fato, quo ſcholaſtica philoſophia Peripateticiſmo ſe implicuit: Ita enim plerumque euenire ſolet, vbi cum ſpectris luctandum, et praeciſiones mentis pro veritatibus realibus recipiendae ſunt.

pag. 676. lin. 13. *Ex recentioribus adiici poſſent alii multi.* Inter eos, ſtudii et diligentiae nomine eminet THEOPHILVS GALEVS [x], qui multa de Platonis metaphyſica, ſiue theologia cumulauit, ſed nullo iudicio, et Platoniſmi praeiudicio ita occupatus, vt ſincerum nihil inde haurias, adeo confundit omnia. Quae cum fuſius alio loco [y] et ex inſtituto docuerimus, illa adeunda ſunt.

pag. 694. lin. 7. *Peculiaris exiſtentia adſentitur.* Diligenter de hac quaeſtione, vtrum mens Platonis a primo Deo quoad ſubſtantiam differat, diſquirit, eamque affirmando docte probet I. B. CRISPVS [z], qui cum iis, quae h. l. diſputata ſunt, meretur conferri. Nos locis Platonis adductis adiicimus eum, qui extat in epiſtola ad Hermiam, Eraſtum et Cori-

r) In hiſtor. de ideis S. I. §. 7. p. 155. quo loco hanc dialecticae Platonicae ſcenam illuſtrauimus.
s) De rep. L. VII. T. II. p. 515.
t) T. V. p. 535 ſeq.
u) l. c. diſtr. II. Lib. VI. p. 263 ſeqq. Idem dudum monuimus, in hiſt. de ideis Sect. I. §. 6. p. 109 ſeqq.
x) In philoſophia generali L. III. p. 187 ſeqq.
y) Infra T. IV. p. 434.
z) l. c. diſtrib. I. L. II. p. 35.

Digitized by Google

Coriſcum [a]. Cum autem mens Platonis et mundus intelligibilis ſiue idealis, id eſt, idearum regio coincidant, mire inde confirmantur ea, quae in ſequentibus de ideis extra Dei ſubſtantiam per ſe exiſtentibus, licet in eius eſſentia radicatis differuntur.

pag. 697. lin. 25. *In eorum ſcholis perſonat.* Interea vero maxime notari meretur Didymi definitio apud EVSEBIVM [b]. *Eorum, quae pro naturae ſuae ratione ſenſibus vſurpantur, certa quaedam in quouis genere et definito exemplaria, quas ideas vocat, Plato conſtituit. Et quemadmodum vnius ſigilli expreſſae complures formae, ita prorſus ex vnaquaque idea vim naturarum ingentem exiſtere; ideam porro ſempiternam quandam eſſentiam eſſe vult, quae rebus ſingulis cauſſa principiumque ſit, vt, qualis ipſa eſt, tales eſſe poſſint.* Quae loca omnia eiusmodi vniuerſalem formam rerum, quae ſingularibus ineſt, ſupponunt, quae vero cum ſingularibus ipſis confundenda haud eſt.

pag. 698. not. g. *Locum habet vel aliquid coagmentatum.* Suboluiſſe hoc videtur GASSENDO, qui in Phyſica [c] ſua diuerſitatem, quae in ideis conſpicitur, non ab earum natura, ſed a materiae, cui adiiciuntur, conditione deriuat; eo quod vnam tantum eſſe mentis diuinae naturam videbat, in qua exemplaria iſta obiectiue tantum exiſtere ſupponit. Ait enim: *licet omnium rerum ideae, et in eadem mente, et in eodem loco ſint, quia tamen non eſt materia in illo diſpoſita ad impreſſionem quamlibet, ideo ex omnibus ideis illa ſola imprimitur, ad quam eſt materiae congrua diſpoſitio.* Ita quidem rimam philoſophus acutus quaerit, qua elabatur, omnium rerum ideas in intellectu diuino obiectiue radicari aſſumens, at Platonis cauſſam nihil iuuat, cum ei materia non tantum plane ἄμορφος ſit, ſed ſemper quoque fluens, et ad recipiendas ideas quaslibet apta, idea autem antecedenter, ad materiam ſuam habet quaelibet naturam, indolem et peculiarem per ſe characterem, et, vt Platonice loquamur, ἰδίαν αὐτὴν καθ' αὑτήν, quam materiae, non vero materia ideae quicquam imprimit. Vt fileamus, non obiectiue tantum, ſed et eſſentialiter et radicaliter ſecundum Platonem, ideas ineſſe menti diuinae, hancque emanationem in intellectu diuino ſupponere, vt ſupra demonſtratum [d].

pag. 702. not. c. *Inter hos eſt CVDWORTHVS.* Pertinent huc omnes, qui tres, vel cum Proclo et ſimilibus, quatuor hypoſtaſes in eſſentia diuina Platoni affingunt, de quibus in hiſtoria philoſophiae Alexandrinae dictum eſt.

pag. 709. lin. 24. *Sed per ſe aeternum aſſeruit.* Hic omnino ea confulenda ſunt, quae in enarratione phyſiologiae Alexandrinae, ſiue eclecticae [e] fuſe hac de re diſſeruimus.

pag.

a) Tom. III. p. 323.
b) Praep. L. XI. c. 23.
c) L. III. T. I. Opp. p. 250.

d) Impediebatur Gaſſendus notione materiae Epicurea, quae cum Platonica conciliari nequit.
e) T. II. p. 420 ſeqq.

pag. 712. lin. 32. *Quae de ortu, natura lapſuque et ſtatu animae tradidit.* Pſychologiam Platonis omnium fuſiſſime examinauit Io. Bapt. Crispvs [f], cuius potior tractationis pars in eo verſatur, vt erronea Platonis dogmata de anima oſtendat, et quae ἀσύζατα et abſurda Plato admiſerit, ex ipſo Platone demonſtret, afferente: animam noſtram eſſe ſine origine primam, a mente quadam pendere, animas ſimul omnes eſſe productas, et quidem ante corpus, et in coelo finitoque numero, ſtellis pari. Animam tanquam in coelo ipſo deliquerit, mundum ſublunarem ſpeluncae loco ſubire, eidemque totum hoc, quod animando viuum reddit, in carcerem cedere. Animam vel ipſam corpus eſſe, vel corpore aliquo nunquam carere, id eſt, gaudere vehiculo: eſſe immortalem, at rationalium brutorumque animas nequaquam differre videri: animalium generationem efficientis et materiae ratione, fabuloſam, falſam, impoſſibilem ab eo aſſeri: rationalem animam formam non eſſe informantem; animam ſolam eſſe hominem; foeminae generationem adulterinam ab eo afferri et praeter naturam; animas apud illum migrare, recurrere in corpora, reſurgere. Quae omnia acute quidem, at, quod dolendum, obſcuro et impedito dicendi genere demonſtrat, conſuli autem ab iis meretur, qui pſychologiam Platonicam ex ipſo Platone critice examinatam intelligere, et recentiores fabulas de Platonica pſychologia, quales Galeus aliique exhibuerunt, a genuinis Platonicis diſtinguere cupiunt: in quibus longius morari, ad hunc locum non pertinet.

pag. 713. lin. 18. *Ei tribuit.* Etiam hic lector veritatem ſitiens, veramque Platonis mentem de animae origine cognoſcere cupiens ad Crispvm ablegandus eſt, qui, ſubtilibus rationibus Platonicis adhibitis, hanc mediatam animarum dependentiam a Deo expoſuit [g].

pag. 718. lin. 29. *Et ad probabilitatem tandem reducat.* Maxime hoc loco notandus eſt paralogiſmus Platonis, qui eodem ratiocinio, quo Deum eſſe concludebat, nempe, quod cauſſa motus ſit, animae quoque immortalitatem euincebat, non attendens, ita eam Deum fieri, et independentem. Plus itaque demonſtrat in *Phaedone* et *Phaedro*, quam demonſtrandum erat, quo nomine fortiter eum Crispvs iugulat, qui obſcuro argumento Platonis, animam ſe ipſam mouere, lucem paulo clariorem accendit, oſtendendo, cur Plato eſſe dixerit animum numerum, ſe ipſum mouentem, parum quidem, quod ille iudicat, feliciter. De quo argumento infra in Xenocrate adhuc p. 739. dicetur.

f) l. c. diſtr. I. p. 15 ſeqq. g) Ibid. pag. 12.

Digitized by Google

AD CAPITIS SEXTI SECT. II.

DE ACADEMIA VETERI.

pag. 732. lin. 10.

Particeps veritatis ex ratione. Ita ſcilicet fluctuantem incertitudinem de rebus ſenſibilibus, quam poſtea academia media admiſit, euitari poſſe, ſtatuebat Speuſippus, ſi admitteret, ex *νοητοῖς* ſiue intelligibilibus, quae imprimuntur per ideas, id rationis criterium rebus per ſenſuum experientiam impreſſum ſupereſſe, vt inde ad ipſum intelligibile aſcendendo, iudicium de ſenſibili fieri poſſet. Comparandus hic eſt GASSENDVS [a], qui obſeruat, ſi PROCLI in Euclidem [b] teſtimonio ſtandum, ipſum Platonem iam eundem in modum ſtatuiſſe: certe ita ſtatuere debuit, ſi conuenienter ſuo ſyſtemati loqui voluit. Decernebat enim, quae per ſe in ſenſus incurrunt, *τὴν πίστιν*, fidem, ſeu vim credendi aſſentiendique iis, quae percipiuntur ſenſibus, et ſenſibilium, quae non per ſe, ſed per imagines percipiuntur, *τὴν εἰκασίαν*, coniecturam, ſeu vim coniectandi ea, quae per illas percipiuntur.

pag. 737. lin. 17. *Quae gignunt certam rei diſtantiam.* Vidit iam GASSENDVS [c], Xenocratem, nomine rerum, quae ſunt extra coelum, non alias intellexiſſe, quam, quae ſunt dicta Platoni *νοητὰ*, intelligibilia vt puta quaſi exiſtentia in mundo intelligibili, qui ab hoc aſpectabili ſit, non ſane loco, ſed cognitionis conditione: ideoque eas cum Atropo comparauiſſe, quod Atropos ſit rerum intelligibilium, quod ſcilicet non transmutantur, Clotho vero ſenſibilium, et Lacheſis opinabilium. Comparandus cum his locus CHALCIDII in textu p. 737. adductus, ex quo luculenter videri poteſt, qualibus cum ſpectris et lemuribus illis concertandum ſit, qui technas araneas ingenio conſtruentes, dum ſubtile quid dicere atque ſtatuere conantur, ad eiusmodi *λεπτολογίας* delabuntur, quae multum ſonantes nihil dicunt.

a) Logic. L. II. c. 4. Opp. T. I. p. 78. b) L. I. c. 5. c) loc. cit.

AD CAPITIS SEXTI SECT. III.

DE ACADEMIA MEDIA.

pag. 746. lin. 10.

Autolycum mathematicum inuiſit. Diligenter et erudite, quod ſolet, de Autolycis, maxime vero, de mathematico, diſſeruit, magnum hodie academiae Iuliae ornamentum, S. Reu. Io. BENEDICTVS CARPZOVIVS [a], quo

a) In diatribe ad Kuſtnerum, Lipſ. 1744. edita.

Digitized by Google

quo non contemnendam lucem, aliquot hiſtoriae literariae veteris locis accendit. Autolyci Pitanaei vita proprie in hiſtoria mathematica exploranda eſt [b], haud obſcurum enim nomen inter ſui temporis mathematicos nomen fuit. Vixit autem Theophraſti, Arceſilai et Euclidis temporibus, fuitque triginta circiter annis primo minor et quadraginta fere Euclide maior, quod in aetate Theophraſti *μακροβίῳ* non magnopere eſt mirandum: vnde falſus eſt VALERIVS MAXIMVS [c], qui eum Platoni coaeuum facit. Probabili vero cum coniectura ad Olymp. CX. atque ad A. A. C. N. CCCXL. collocat Carpzouius, quo tempore etiam Timonem Phliaſium Sillographum vixiſſe, ex DIOGENE LAERTIO conſtat. Ceterum, dum Pitanaeum Aeolidis dicit, a Pitane Laconiae [d] diſtinguendum eſſe, manifeſtum eſt.

Ibid. lin. 11. *Cum quo Sardes eſt profectus.* Magnae et celebres erant Sardes, vrbs Lydiae famoſa [e], philoſophorum olim hoſpes, quam mature conſtat, philoſophos peregrinantes hoſpitio excepiſſe, et philoſophos non infimi nominis produxiſſe, inter quos noti apud veteres Philiſtio Sardianus, duo Diodori, et inclinante ſeculo Eunapius Sardianus, Chryſanthius, Beronicianus, Oribaſius aliique: quod non eſt magnopere mirandum, cum reges apud Sardianos mathematicae peritos fuiſſe conſtet [f], et magos Sardibus celebratos eſſe legamus [g]. Ex quibus omnibus facile coniicere licet, Arceſilaum eruditionis et philoſophiae addiſcendae cauſſa Sardes peregrinatum eſſe. De Autolyci ſcriptis mathematicis ex veteribus adeundus eſt PAPPVS [h] Alex. ex recentioribus FABRICIVS [i] et CARPZOVIVS [k].

pag. 749. lin. 14. *HVETIVM, BAYLIVM.* His addendus, *ἰσωρικώτατος* GASSENDVS in *philoſoph. rat.* [l] f. logica, quae *primam partem ſyntagmatis phil.* exhibet.

Ibid. lin. vlt. *not. v. l. c. c. 14. p. 98.* Maximopere autem helc conſulendi veteris Scepticiſmi enarratores, SEXTVS EMPIRICVS [m]; LAERTIVS [n] et commentatores ad haec loca, GASSENDVS [o] et MENAGIVS [p], quod alii recentiores ſecuti ſunt. De quibus tamen omnibus, cum infra, de ſecta Sceptica ſiue Pyrrhonia agentibus plura dicta ſint, quae ad hunc ſcopum poſſunt ſufficere, illis hoc loco alia non addimus. Sectam enim vtramque in potioribus conuenire, eundemque finem vriſſe, luculenter ibi demonſtratum eſt.

b) Conf. VOSSIVS de Scient. math. c. 33. §. 14.
c) L. VIII. c. 12.
d) Pitana Laconiae ad oram Macedoniae maritimam ſita eſt, Aeoliae in Aſia ſita eſt, haud procul a Cayci oſtio. De vtroque vid. CELLAR. not. orb. antiqui T. I. p. 1207. T. II. p. 72.
e) CELLAR. l. c. T. II. p. 185.
f) Vid. CICERO, in Cat. mai. c. 17.
g) Conf. CARPZOV. l. c. p. 18.
h) In collect. math. L. VI. p. 189.
i) Bibl. Graec. T. II. p. 85.
k) loc. cit. p. 20.
l) L. II. c. 2. f. 1. Opp. p. 69 ſeqq.
m) Pyrrh. hyp. L. I. c. 15. FABRIC. ad h. l.
n) Lib. IX. f. 71 ſeqq.
o) loc. cit. p) ad l. c. Laërt.

AD

Digitized by Google

AD CAPITIS SEXTI SECT. IV.

DE ACADEMIA NOVA.

pag. 760. lin. 16.

Quem et Philocomum nominant. Ita in veteri marmore, inſcriptum notauit Io. FABER [a]: *καρνεάδης Φιλοκώμυ* Κυρηναῖος, vnde Epicomi nomen per errorem poſitum eſſe a quibusdam coniicit. Nobis ſtudio ideo dictum per Paranomaſiam, probabile eſt, deſumta a Philocomi praenomine, alluſione ad commeſſationes, quas ſequebatur parens Carneadis. Epicomus enim Plutarcho, Alciphroni aliisque audit commeſſator, conuiuiis et commeſſationibus deditus, vt *κραιπαλόκωμον* Ariſtophanus dixit ebrium bacchantem et commeſſantem.

Ibid. not. c. lin. vlt. *Effigies eius occurrit in Laërtio Meibomii et Gronouii theſauro.* Tertius ectypus inter FVLVII VRSINI occurrit [b], Farneſiano ſimilis. Aliquoties autem Carneadis imago ſculpta et marmore expreſſa eſt, tum iunioris, tum aetate grauis: nec inepta eſt FABRI [c] coniectura, Romanos ob inſignem memoriam et dicendi vim in Carneadis admirationem raptos, cum inſuper elegantiae et ornatus ſtudioſus valde eſſet [d], aliquoties eius effigiem expreſſiſſe. Certe frequentem et notam fuiſſe Carneadis imaginem, ex CICERONE conſtat, qui videndus. Imago Carneadis Vrſina et Farneſiana, ſi non eadem eſt, decrepiti ſenis faciem refert, iunioris meminit FABER, qui videndus.

Ibid. not h *Exerc. miſc. in Opp. Iuliani c. 8.* Vid. eius editionem *Opp. Iul. p. 376 ſeq.* diligenter ille, vt ſolet, collegit loca Ciceronis, ex quibus colligi poteſt, conuerſatum fuiſſe Carneadem cum Antonio, Craſſoque, et adhuc in viuis fuiſſe A. V. C. IↃCLII, cum ageret Antonius aetatis annum XLII. Craſſus XXXVII. cum tamen ſecundum Apollodorum annus mortis Carneadis incidat in A. V. C. IↃCXXVI. Cum autem annus legationis Carneadis ad Romanos in annum V. C. IↃCIX. vel, ſecundum PAVSANIAM [e], in annum IↃCIII. incidat, ſequitur, in decrepita tantum aetate et nonagenario proximum demum Antonium Craſſumque Carneadem conueniſſe, eumque paulo poſt conſuetudinem cum Antonio in viuis eſſe, deſiiſſe, ſub annum V. C. IↃCLIII. aetatis XC. Ita quidem *χρηστικώτατος* Petauius, qui ſi deferendus eſt, abiicienda quo-

 que

a) In comm. ad imagines ill. vir. ex Vrſini bibl. p. 24 ſeq.

b) N. XLII. c) loc. cit. p. 25.

d) Contrarium ex LAERTIO aſſerunt FABER l. c. ſed is verba Diogenis L. IV. ſ. 63. non recte inſpexit. Narratis; *καὶ ἐκόμα καὶ ἤρεφεν ὄνυχας, ἀσχολίᾳ τῇ περὶ τὸν λόγον*, quibus indicat, adeo ſtudiis et dicendi curae inuigilaſſe, vt comam ſineret praeter morem creſcere et comatus eſſet, itemque vngues, quos non praeſecabat: quod non ornatus, ſed negligentiae ſignum eſt, ex ſtudiorum contentione, de qua infra VALERII MAXIMI teſtimonium adduximus. Faber autem verbum *κομᾶν*, quod adhibuit Laërtius, cum *κομιᾶν*, quod ornarum et fucum ſuperuacaneum adhibere ſignificat, vel confudit, vel lectionem corruptam in Laërtio ſecutus eſt.

e) In Achaicis p. 216.

que est Ciceronis in hoc loco auctoritas, dicendumque, eum, cum dissertationes illas fingeret, ad rationes chronologicas curiosius non attendisse: id quod in eiusmodi colloquiis ex ingenio confictis, apud veteres, Platonem, Plutarchum aliosque saepius occurrere norunt, qui in eorum lectione paulo attentius sunt versati. Cui olim nos sententiae subscripsisse nondum poenitet, mereturque ista obseruatio in chronologia historiae literariae veteris probe expendi, ad eamque attendi.

pag. 764. lin. 3. *Ad alteram philosophicae historiae seruamus.* Inquisiuimus ibi [f] diligenter in tempus legationis Athenienſium ad Romanos, cui interfuit Carneades, quae omnino hic conferenda sunt.

f) Per. II. L. I. c. 1. §. 4. 5. p. 7 seqq. Comparanda vero de hoc legationis tempore etiam S. Reu. CARTZOVII diligentia, in diss. de Critolao Phaselite.

AD CAPVT SEPTIMVM.

DE SECTA ARISTOTELIS, SIVE PERIPATETICA.

SECTIONEMQVE PRIMAM.

DE ARISTOTELE EIVSQVE PHILOSOPHIA.

pag. 777. not. p. lin. 3. a fin.

Consulenda sunt. Laudat quoque HERMANNI CONRINGII orationes *de Aristotele Helmestadii 1633. 4.* vulgatas [a], B G. STRVVIVS [b], quas cum non viderimus, non habemus, quod lectori de illis pollicendum sit, nisi quod optima quaeuis a tantae eruditionis et accurationis viro possint expectari. Dictas esse in laudem Aristotelis, docet nos NICERONIVS [c], in quem quomodo affectus fuerit, suo loco [d] ex instituto de Conringio differentes, ostendimus.

pag. 778. lin. 4. *Qua posset ratione proscinderet.* Secutus est Patricium GASSENDVS [e], qui cum res Aristotelis mira libertate excusserit, attentis exhibet legentibus occasionem multa accuratione res Aristotelis expendendi. Quod vero de Patricio monuimus, de Gassendo quoque repetendum est, quem vtrumque interdum in castigando Aristotele nimium fuisse, negari nequit. Suum cuique!

pag. 780. lin. 19. *Aram ei erexerit.* Videndum de ea re pec. schediasma PREVSERI supra ad p. 654. iam adductum.

pag. 787. lin. 24 *In Lyceo consedit.* Omnium diligentissime pleraque memorabilia de Lyceo collegit, digessit et examinauit, (non vitis ob

a) Vid. quae h. l. not. y. notauimus.
b) Biblioth. phil. P. I.
c) Memor. P. XV. p. 219. ed. Germ.
d) T. IV. p. 330.
e) In exerc. parad. aduerſ. Aristot.

ob raritatem B. Io. ANDR. SCHMIDII vel ſi mauis, cui iſta diſſertatio debetur B. PHILIPPI IACOBI CROPHII de ea collectaneis [f]) vir conſultiſſimus atque literatiſſimus FRANCISCVS DOMINICVS HAEBERLIN ICtus hodie in Academia Helmeſtadienſi celeberrimus, quem honoris meritorumque cauſſa nominamus, in erudito ſchediaſmate *de Lyceo* [g]. In quo tamen dum monet [h], falſo a nobis, teſte Suida adducto in germanico hiſtoriae philoſophicae opere dici: poſt Socratem Platonem, antequam in academiam ſe conferret, in Lyceo quoque docuiſſe, a mendo typographico deceptus, praeter rem nos erroris accuſauit. Extat diſertum eius teſtimonium apud SVIDAM, qui in Socratis vita [i]: *Φιλοσόφησε δὲ εἰσηγήσατο Πλάτωνα, ὡς καταλιπὼν τὸ Λυκεῖον (τόπος δὲ ἔστι τῶν Ἀθηνῶν) μετήγαγεν τὴν σχολὴν ἐν προαστείῳ, τῇ Ἀκαδημίᾳ προσαγορευομένῃ, καὶ οἱ ἀπ' αὐτὸν Ἀκαδημαϊκοὶ Φιλόσοφοι προσηγορεύθησαν μέχρι Ἀριστέλους.* Quibus verbis manifeſte, non Socrates, qui interdum more ſuo loca publica obiens in Lyceo quoque differuiſſe videtur, (quod vir laudatus ex PLATONIS *Eutydemo* obſeruauit) ſed Plato ante Academiam in Lyceo docuiſſe dicitur. Quod tamen ipſum, cum veteres reliqui taceant, vix ſe nobis perſuadet; certe auctoris anonymi, quem exſcripſit Suidas, fidei relinquendum eſt.

pag. 790. lin. 24. *Nec ordo et ſeries euentuum a Deo mutari poteſt.* Haec de inflexili et inexorabili fati, vt ex antecedentibus intelligitur, Ariſtotelici, ſiue, neceſſitatis lege, intelligenda ſunt. Malumus nunc, ad euitandam ambiguitatem legi: ſi nec ordo et ſeries euentuum reſpectu prouidentiae diuinae cum precibus et ſacrificiis connectitur, nec plane cura hominum tangi poteſt motor primus, ad ſe ipſum intuendum totus conuerſus.

pag. 793. not. z. *Inter Fuluii Vrſini imagines ex marmoribus.* Extat n. 35. editionis a Theodoro Gallaeo curatae, quam commentario inſtruxit IOANNES FABER, qui ad has imagines pluſcula congeſſit, veteri literaturae lucem foenerantia. Is ad Ariſtotelis imaginem delatus, obſeruat, Vrſinianam palliatam eſſe, more philoſophorum, paulo minorem media ſtatuarum magnitudine, culusmodi ſint quaedam aliorum philoſophorum imagines; vnde argumentum colligit, fuiſſe illam ornandae bibliothecae cuidam potius deſtinatam, quam villae. Vnde coniecturam, cuius et nos in hac nota meminimus, repetit, fuiſſe illam ipſam, quam Titus Pomponius Atticus domi ſuae in radicibus montis Quirinalis (vbi etiam rudera iſta effoſſa ſunt) habuit, de qua in epiſtola in textu citata agit Cicero. Imagines hae Ariſtotelis omnes tonſae raſaeque apparent, quod cum affectatae elegantiae ſtudio ſatis conuenire putant, qui ob hanc molli-

f) In diſſ. de gymnaſiis literariis Athenienſium ſub praeſidio Schmidiano ab eo congeſta, quae cum prorſus diſparuiſſet, laudabili eam conſilio edidit filius CHR. FR. BRVCKERVS SCIP. AQVILIANO de placitis phil. ante Ariſtot. In ea diſſ. p. 225 ſeq. plurima ad Lyceum ipſiusque Ariſtotelis eiusque ſectae hiſtoriam facientia attulit vir diligentiſſimus.

g) Quod cum gymnaſio Goettingenſi iucunde atque erudite 1741. comparauit.

h) pag. 11. i) T. I. p. 593. not. oo.

k) T. III. p. 351.

mollitiem inuiſum factum eſſe Platoni Ariſtotelem perhibent. Certe imagines Ariſtotelis comatae et barbatae nihil habent veriſimilitudinis.

pag. 804. lin. 2. *Neceſſe fuit, veterum ſententias partim corrumpere.* Quod hoc loco ſtrictim diximus, ea a nobis allatis exemplis demonſtrata ſunt in *annotationibus ad AQVILIANI librum de placitis philoſophorum ante Ariſtotelem* [l], quae ſi ita lectori viſum fuerit conſulere, non vacuum in hoc argumento eum dimittent.

pag. 804. lin. vlt. *Naturam rerum magis abſcondunt, quam exponunt.* Non omne quidem Ariſtoteli denegandum eſt bene de naturali ſapientia rerumque phyſicarum cognitione merendi ſtudium. Si enim fatendum quod res eſt, multa ille phyſices capita excutere aggreſſus eſt, de quibus ante illum philoſophos ne ſomniaſſe quidem veriſimile eſt: et imprimis hiſtoriae naturali operam ſuam addicere, eamque primus fere ſyſtematico quodam ordine tradere auſus eſt. Aſt fatendum tamen, multum mouendo, parum eum promouiſſe, hiſtoriamque naturalem innumeris fabulis repleuiſſe, tum quod aliena tantum pleraque fide tradita cognoſcere illi licebat, tum quod a cultri anatomici vſu et examine longius aberat, id quod innumeris erroribus apud eum, anſam dediſſe, luculentis exemplis demonſtrauit DANIEL CLERICVS [m]. In dogmatica autem naturalis philoſophiae parte dudum obſeruatum eſt acutiſſimis naturae et philoſophiae interpretibus MALEBRANCHIO [n], DV HAMELIO [o], PARCKERO [p] et aliis, terminis adhibitis partim nimium abſtractis et mere metaphyſicis, partim ambiguis et obſcuris, in rerum naturalium ſcientiam inuectis, multarum iſtis rerum, quas ipſe tamen forte ignorauit, et cognitionem affectare, et perplexam magis difficilemque notitiam reddere Ariſtotelem non dubitauiſſe [q]. Quod poſtmodum malum malo auctum eſt deteriori, cum ſcholaſtica gens, Peripateticam phyſicam in metaphyſicam aliquam ſcientiam commutatam innumeris inſaniae cumulis obruiſſet, quod peripaticum vulnus grauiter deſcribit VIVES [r], dignus, qui legatur. Ceterum comparari hac de re poteſt PAGANINI GAVDENTII diſſertatio *de contemtu veterum Ariſtoteleo*, quae, cum rarius occurrat [s], attentione digna eſt, quamuis

l) Obſeruatum p. 2. not. a. reprehendere iniquе et acriter Ariſtotelem omnes fere ante ſe philoſophos, quos ex Patricii obſeruatione enumerauimus, et Viuis, Voſſii, Moshemii, Gaudentii obſeruationibus roborauimus. Eius ſpeciale exemplum habes in enarranda Anaximandri ſententia de infinito, p. 8. not. h. in Empedoclis placitis ib. p. 142. 158. et in tota ſchola Pythagorea peruertenda, p. 114. not. d. p. 119. not. o. p. 126. not. b. Ad has ſtrophas contra philoſophos conſtruendas vſus eſt conceptibus metaphyſicis, de quibus veteres non cogitarunt.

m) Hiſt. medic. P. I. L. IV. c. 4. p. 271 ſeqq.

n) De la recherche de la verité T. II. L. VI. ch. 5. p. 208 ſeqq.

o) De conſ. vet. et nouae phil. L. II. c. 1. T. I. Opp. phil. p. 806 ſeqq.

p) Diſp. de Deo et prou. L. V. § 10. 11. p. 379 ſeqq.

q) Conf. Cel. HOLMANNVS phil. nat. proleg. §. 7. p. 9 ſeq.

r) De corr. art. L. V. p. 157 ſeqq.

s) Prodiit in coll. opuſculorum PAG. GAVDENTII, quae *Piſis* 1641. prodiit, et rariſſime occurrit. Ipſe Gaudentius vocat ſcriptionem exotericam: in qua multa erudite et ſobrie ad retundendum faſtum et ſectarium ſtudium Ariſtotelis ſequacium dicta ſunt, ſed exoterice. Maxime finem c. 1 p. 105. ab illis legi velimus, qui σοφῷ Φαρμάκῳ opus habent, ad ſanandum ab Ariſtotelomania ſynciput.

uis more ſuo eam magis effuderit, quam cum cura ſcripſerit. Exemplis enim is quoque luculentis oſtendit, male in plerisque accuſari veteres ab Ariſtotele; et hunc eius morem fuiſſe, vt in omnibus prorſus controuerſiis arbitrum cenſoremque ageret, etiam eorum, quae non nouerat.

pag. 806. lin. 1. 2. *Diſſeritur per ſyllogiſmum, vel demonſtratiuum et analyticum, vel topicum et dialecticum.* Diſtinctio iſta logicae Peripateticae vniuerſalis nititur diuerſo fine, ad quem ſyllogiſmus, ſiue ratiocinatio logica dirigitur. Is cum in genere ſit legitima rei cognitio, duplex neceſſario datur; et alia quidem accurata, firma et ſolida, aut tanta ſaltem, quanta pro rei natura haberi poteſt, quaeque ex ipſa rerum, de quibus agitur, eſſentia hauſta eſt, alia vero popularis, non accurata, non firma, non ex ipſa propria et vernacula rerum natura deducta. Illa ἐπιστήμην gignit, haec δόξαν. Illa eſt καθόλε καὶ δι' ἀναγκαίων, et ἀμεταπτωτον, rerum vniuerſalium et eſſentialium, quae neceſſario conſequuntur, haec ἀβέβαιος, infirma et non ſatis certa opinio cum dubitatione coniuncta. Nihil hic noui habet Ariſtoteles, ſed a Platone id accepit, ſuoque cothurno adaptauit. Ita enim de ideis quoque ſuis et de materia is docuit. Itaque ex abuſu Dialecticae nomen pro συνονύμῳ logicae accipitur, id quod contra ſcopum methodumque Stagiritae eſt, qui topicam ab analytica accurate diſtinxit. De qua re conſulendus eſt, qui docte in ea verſatur NELDELIVS [t].

pag. 811. lin. 12. *Haec in logica Ariſtoteles conſtituit.* Ob hanc tum ratiocinandi, tum coniiciendi artem, logicae inuentionem ſibi tribuit Ariſtoteles; qui in fine organi [u] diſerte: ταύτης τῆς πραγματείας ὰ τὸ μὲν ἦν, τὸ δὲ προεξηργασμένον, ἀλλ' ἐδὲν παντελῶς ὑπῆρχεν. *Negotii nunc a nobis inſtituti non pars quaedam iam ante inuenta erat, pars altera non erat, ſed omnino nil in eo genere traditum extabat.* Quae quidem oſtentationem philoſophi ſatis euidenter probant, non tamen ita intelligenda ſunt, ac ſi omnem ratiocinandi artis inuentionem ſibi ſoli tribuiſſet. Alio enim loco non negat [x], Zenonem Eleatem hanc ſibi primam gloriam vindicare. Vnde et reliqua, quae antecedunt et ſequuntur, in textu Ariſtotelis legenda ſunt, in quibus iactanter quidem, vt ſolet, vel de elenchis ſophiſticis, vel de tota tractatione dialectica loquitur, aſt vnam tantum, ſecundum loca dialecticae, differendi artem intelligit, eamque ſophiſtarum differendi arti opponit, qui exemplis magis, quam praeceptis vera, falſa, quomodocunque occurrebant, ſolebant tradere, nulla artis, praeceptorumque ratione habita, vnde mitius haec Ariſtotelis verba intelligenda ſunt.

pag. 811. not. y. *Dudum meditamur.* Quae quoque Lipſiae CIↃIↃCCLVI. cum annotationibus noſtris prodiit. In quo libro, cum ea, quae hac th. I. et II. dicta ſunt, luculenter ſint explicata, lectori plura cupienti ipſae hae paginae

t) De vſu Organi Ariſtotelici P. II. c. 3. pag. 22 ſeqq.
u) De elench. ſoph. L. II. c. 17. p. 813. ed. Pac.
x) Conf. GASSENDVS, log. c. 8. T. I. Opp. p. 38. 39. qui exemplis id probat.

Digitized by Google

paginae adeundae sunt. Consuli autem non sine fructu praeter eum potest GASSENDVS [y], qui veterum physicorum placita, qualitates principiis rerum inesse statuentia integro capite erudite enarrat, multamque, quae Aquiliani tractationi deest, lucem argumento affundit.

pag. 814. lin. 29. *Vt res omnes oriantur.* Valde confirmamur in hac coniectura, cogitantes, materiae, secundum Aristotelem, imprimi rationes seminales, σπερματικὰς λόγους, ex quibus infinita rerum et specierum varietas in materiam qualitatibus omnibus expertem inducatur, eamque necessario inesse, nec tamen ad Deum ex mente Stagiritae esse referendas, quod Plato, ideas commentus, faciebat. Eam vero, quae haec seminalia principia materiae imprimeret, naturam esse, ideo dicebat, quia ita principium licebat assignare, quo ex motu vniuerso impresso, rerum formae existerent: quodque nexum inter systema mundi et materiam efficeret, cum eum ex sinu primi motoris, siue Dei, deriuare, vi systematis, rationes seminales ab hoc fonte excludentis, non posset. Ita vero patet quoque, materiam primam Aristotelem non nudum conceptum metaphysicum, vel abstractionem mentalem, sed tanquam principium positiuum posuisse, in quod natura, vniuersi leges secuta, rationes seminales imprimeret. Prodiisse hanc sententiam ex systemate dualistico, pulchre vidit accuratus veteris philosophiae interpres IACOBVS THOMASIVS [z].

pag. 816. lin. vlt. *CLAVDIVS BERIGARDVS.* Extat locus in *Circ. Pisanis in octauum librum physicorum Aristotelis*, et legi meretur [a], quia rationes contrarias inuicem ponderat, maximeque id agit, vt ostendat, Aristotelem motorem aeternum cum motu aeterno sibi concipientem, sibi ipsi contradixisse.

pag. 820. lin. 32. *Queunt inueniri.* Ex breui hoc naturalis sapientiae Aristotelicae compendio satis quidem veteris philosophiae studiosus potest conuinci, Stagiritam non tantum in hac philosophiae parte plerosque veterum subtilitate superauisse, sed naturali quoque studio multa addidisse, a philosophis vel plane silentio praetermissa et intacta relicta, vel obiter tantum memorata, et ὡς ἐν παρόδῳ: quae clarius intelligeremus, si scripta Aristotelis omnia ad nostram aetatem potuissent peruenire: sed imprimis laudandus est conatus historiae naturali per exempla et experientiam certius aliquod fundamentum substernendi, eique demum physicam quandam systematicam inaedificandi. Quod exemplum, pulchre monet cel. HOLLMANNVS [b], imitari eius sectatores potius, quam caecam dictis eius fidem adhibere debuerant, quo pacto laetior dudum huius scientiae effulgere facies potuisset. Quanquam autem hoc pacto Aristotelem laude sua etiam in hac parte non priuandum esse, recte censent iudices

y) Phys. Sect. I. L. III. c. 2. Tom. I. Opp. p. 254 seqq.

z) Orat. XIII. quae de Platonicis ideis exemplaribus agit p. 290 seqq. Vocat is hoc principium, naturae potentiam, nempe respectu habito ad relationem vniuersi.

a) Vid. imprimis Circ. XVIII. p. 111 seq. quae postea ad libros de coelo et mundo delatus pluribus vrget.

b) Proleg. physic. §. 6. p. 8 seq.

Digitized by Google

dices aequi et periti, fatendum tamen, tum eius aetatis conditioni et circumſtantiis, et imprimis obſeruationum ab aliis quoque factarum inopiae et paucitati, tum ingenio quoque Ariſtotelis, quod ex Platonis academia in Lyceum deportauit, nimis metaphyſico, notionibusque abſtractis et magnam partem ambiguis atque obſcuris aſſueto adſcribendum eſſe, quod non elegantiorem diſciplinae naturalis faciem nobis exhibuerit, rerumque loco multarum, quarum ignorantiam fateri praeſtitiſſet, explicationi terminorum potius nouorum, metaphyſicorum, et, ſi fatendum, quod res eſt, nihil ſignificantium ſaburram ſubſtituerit, et ita phyſiologiam veterum, licet mancam et in multis fictitiam, planam tamen et intelligibilem in atram quandam metaphyſicarum ſpeculationum ſyluam conuerterit, ex qua poſtea per tot ſecula materiem petiiſſe innumeros philoſophos de natura rerum ſollicitos omnino miraculo ſimile eſt, merenturque alio, et commodiori loco cauſſae eius rei penitius explorari et exponi, quam in hac breuitate praeſenti nobis licet. Expendenda tamen ſunt, quae in ſecundo, tertio et quarto tomo huius hiſtoriae de incrementis philoſophiae Peripateticae monuimus.

pag. 826. lin. 32. *Theologiam quandam naturalem atque philoſophicam exhibuit.* Nomen metaphyſicae apud Ariſtotelem ipſum non occurrit, ſed diſcipulis eius debetur, ex quibus imprimis Andronicum Rhodium auctorem fuiſſe, coniicit GASSENDVS [c], neque tulerunt ſcripta iſta philoſophi metaphyſicae nomen, ſed τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ in plurali numero appellata ſunt, recteque obſeruat cl. HOLLMANNVS [d], nomen metaphyſicae in ſingulari numero ſcholaſticis antiquioribus deberi, qui craſſa Graecarum literarum ignorantia laborantes, hoc nomen ſingulare ex veteri appellatione effinxerunt, qua de re paſſim viri docti, et in his eruditus Peripateticae philoſophiae interpres PICCARDVS [e], conſulendi. Scopus autem erat philoſophi, in his metaphyſicorum tractationibus, celeberrimam iſtam quaeſtionem penitius, quam a phyſicis, Ariſtotele aetate ſuperioribus non ſatis accurate tractatam credebat, excutere: num praeter res ſenſibiles, perpetuo fluentes, qualem plerique veterum phyſicorum materiam eſſe ſtatuebant, in rebus omnibus principium detur aliquod per ſe ſubſiſtens perpetuumque, quodque ſit fons illarum rerum, cauſſaque earum ſubſiſtat? Vnde de ente, prout ens eſt, eiusque primis cauſſis principiisque tractat, et philoſophiam quandam primam conflat, in qua ea, quae naturale transſcendunt, poſſint conſiderari. Quod occaſionem dedit eruditiſſimo HOLLMANNO [f], omnem horum librorum metaphyſicorum conſtructionem et connexionem luculento et eleganti compendio enarrandi, omnemque metaphyſicae ſapientiae Ariſtotelis campum ſuc-

c) Syntagm. phil. c. 9. T. I. Opp. p. 27.

d) Proleg. metaph. §. 2. Tom. II. Opp. phil. p. 545 ſeq.

e) Ilag. in lect. Ariſt. c. 26. p. 259 ſeqq.

f) Comparari meretur IAC. THOMASII hiſtoria metaphyſ. eroteamatibus metaphyſicis ſubiuncta p. 70 ſeq. et CHRIST. DREIERVS de phil. prima p. 48 ſeq. SONER in metaph. Ariſt. p. 3. DVRRIVS ad l. c. Piccarti aliique.

cincte percurrendi, quem poſt alios in his non perfunctorie, ſed nimis ſubtiliter et prolixe verſatos legiſſe neminem harum rerum curioſum poenitebit.

pag. 832. not. z. lin. vlt. *Hiſtoriam atheiſmi molitur.* Incubuiſſe hunc Aiacem in ſpongiam, et dudum praeclare meditata mortem nobis viri optimi et dum viueret, amiciſſimi, praeripuiſſe, merito dolemus.

pag. 839. lin. 27. *Merito a nobis praetermittuntur.* Digni tamen ſunt libri Ariſtotelis, qui ob variam doctrinam attente legantur, ſed cum, ad ſui temporis imperia et reſpublicas reſpexerit, multam ex hiſtoria veteri lucem expectat, quam qui ei accendere ſuis commentariis ſategerint viri docti, enarrant STRVVIVS atque cl. KAHLIVS [f], qui conſulendi.

f) Biblioth. philoſ. P. II. c. 2. §. 3. p. 147 ſeqq. Commendari autem meretur CONRINGII introductio in polit. Ariſtotelis.

AD SECTIONEM II.

DE SVCCESSORIBVS ARISTOTELIS.

pag. 840. lin. 26.

Ad Ariſtotelis mentem conformauiſſe. Purius et limpidius fontes Lycei philoſophicos fluxiſſe, quamdiu Theophraſtus, vir *μακρόβιος*, vixit, huncque in plerisque, ſi phyſica excipias, ſequeretur Strato, facile nobis perſuadet diuturna Theophraſti cum Ariſtotele conuerſatio, cuius inde placita ad eius diſcipulos tranſmiſſa ſunt, quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi *κατὰ πόδα* Stagiritae veſtigiis inſtiterint; nam et ſibi etiam ſtatuendi ius aliquod vindicaſſe, veteres non negant; aſt id ſobrie magis, et parcius factum eſſe, circumſtantiae produnt; certe Strato adhuc optimi Peripatetici nomen apud SIMPLICIVM [a] meruit. Ex loco autem quodam CICERONIS [b] ingenioſe conieeit PATRICIVS [c], Hieronymum Rhodium primum fuiſſe, qui a Peripatetica doctrina totus deuiauerit, eamque cum alienis miſcuerit: certe et tempus ſuadet et placita horum philoſophorum Pythagorea et Stoica ſuis philoſophematis admiſcentium, eos Ariſtotelis libros non vidiſſe, nec legiſſe. Vnde notanter eodem loco TVLLIVS: *Summs igitur contenti his* (Ariſtotele, Theophraſto, Nicomacho) *namque horum poſteri meliores illi quidem mea ſententia, quam reliquarum philoſophiae diſciplinarum, ſed ita degenerant, vt ipſi ex ſe nati eſſe videantur.* Sed et alia in hoc *de finibus* libro habet Cicero, ex quibus diſcimus, ſequiores Peripateticos poſt Theophraſtum auſos fuiſſe contra Ariſtotelem ſentire

a) In libr. I. de coelo, comm. 86. vbi tamen non negat, Stratonem in nonnullis aliter ſtatuiſſe quam Ariſtotelem, quale eſt, quod contra eum ſtatuit: animam non ſolum irrationalem moueri, ſed etiam rationalem, quia motus ſint animae actiones.

b) Lib. V. de finib.

c) Diſc. Perip. T. I. L. XII. p. 157.

Digitized by Google

ſentire, et aliarum in quibuſdam ſectarum placita ſequi, quem eo tempore morem fuiſſe magni nominis virorum, PATRICIVS recte monuit, qui plures Peripateticos ex veteri Lyceo nominat, qui hanc ſtatuendi et ab Ariſtotelis placitis diſcedendi libertatem ſecuti ſunt.

pag. 841. lin. 4. poſt, *ſubiicimus*. I. In logicis ſtatuit, criterium eſſe et ſenſum, et intellectum, et, quod euidens eſt, τὸ ἐναργὲς; in hoc tertio a magiſtro Theophraſtus receſſit, vel potius ſententiam eius illuſtrault et plenius explicuit.

pag. 848. lin. 3. a fin. *Qualitatibus rerum proprias formari et perfici.* Recte haec, ſi veterum teſtimonia ſequimur, Stratoni tribuuntur: aſt, hanc Stratonis phyſiologiam iterum curis poſterioribus recogitantibus nouas nobis obortas eſſe nebulas, non diffitemur. Nondum enim ex hac, quam hoc loco dedimus, explicatione, conſtat, quid naturae latentis nomine Strato intellexerit, quam craſſis ſatis tenebris immerſiſſe, omnino fatendum eſt. Et facile quidem concedi poſſe putamus, Stratonem ipſum neſciuiſſe, quid naturae nomine intelligi velit, ſed vt haberet, propriam Venerem, cui dicere poſſet, tu mihi ſola places, vocem nihili, conceptumque vagum et indeterminatum pro principio admiſiſſe: verum, cum ita hiſtoria philoſophiae Stratonis caligini immerſa maneat, cogitandum tamen eſſe de ſenſu veriſimiliter Stratonis naturae ſubiiciendo nemo erit veteris ſapientiae naturalis indagator paulo curioſior, qui non iudicauerit. His dum cogitatione immoramur, a veriſimilitudine non recedere tandem nobis viſum eſt: Stratonem in Lyceo Ariſtoteleis principiis innutritum, iſta naturae aſſertione a Stagiritae mente non adeo procul receſſiſſe: cumque Lycei princeps a materia in formando mundo non tantum omnem Dei operationem ſeparaſſet, omnesque formas, et principia ſiue ſpecies diuinitus impreſſas et ideas procul eſſe iuſſiſſet, ſed ſyſtema quoque atomiſticum et particularum minimarum conuerſum reiecciſſet, ad explicandum autem rerum omnium ortum λόγες σπερματικὲς, ſiue rationes ſeminales introduxiſſet materiae immerſas, iisdemque naturae voce ſignatis rerum ſingularium originem obſcure ſatis inaedificaſſet, vt ſupra obſeruatum; Stratonem, hanc ipſam naturam Ariſtotelis noua explicatione, traditoque operationis in materiam modo illuſtrare voluiſſe, ſtatuendo, iſtam ſeminalium rationum, quae materiae ineſt, congeriem, quae et ſenſu et motu interno caret, caſum ſiue fortunam excitaſſe, vt commota rerum qualitates materiae imprimeret, quae ſemel caſu, (τύχῃ) e materia eductae deinde naturae (φύσις) conditione et motu entium permanentiam efficerent [d]. Haec vt phyſiologiae Peripateticae ſunt conformia, et naturam Ariſtotelis in clariori luce ponunt; ita nihil habent, quod non ſyſtemati Stratonis facile queat adaptari, quo pacto ipſa Stratonis phyſiologia vere Peripatetica eſt, ſed nouo lumine illuſtrata, poſt-

d) Luculento iconiſmo difficiles has nugas perſpicuas reddidit IAC. THOMASIVS de exult. mundi Stoica Diſſ. II. §. 10 ſeqq. p. 30 ſeqq. et in Diſſ. de ideis Platonicis, docte explicuit.

habito tamen Ariſtotelis motore primo, cui τύχην ſubſtituebat. Ita, putamus, luculentius omnia fluere, et perſpicua fieri, vt poſſint quaerenti ſatisfacere. Verum hanc quoque explicationem tantum pro coniectura vendimus, lectorisque iudicio vlterius examinandam relinquimus.

pag. 849. lin. 4. a fin. *Ex materia relegauit.* Melius dicemus, ex mundo, omnique cum materia commercio; quo pacto ab Ariſtotele ſeceſſum fecit, longiusque progreſſus, ne motum quidem, quem in materia eſſe imprimique a primo motore Ariſtoteles ſtatuebat, poterat admittere, ſed incognitum principium τύχην, caſum et fortuitum concurſum, nihil ſignificante voce addebat. Et hoc quidem idem illud eſt, quod in adducto loco Plutarchus dixit τὸ κατὰ φύσιν ἕπεσθαι τῶν κατὰ τύχην.

pag. 850. lin. 7. *In qualitatibus inter ſe mixtis.* Quae tamen cum rationibus ſeminalibus non confundi debent: itaque hic de natura, quatenus vniuerſum deſignat, non vero, quatenus eſt principium phyſiologicum, ſermonem eſſe, neceſſe eſt, in quo vniuerſo diſcrimina rerum efficiunt, vt poſſint dici quales?

pag. 852. lin. 26. *Vt ſupra dictum eſt.* Erudite more ſuo et eleganter *Critolai Phaſelitae hiſtoriam* deſcripſit, multamque huius temporis hiſtoriae eruditae lucem intulit ſumme reuerendus Io. Bened. Carpzovivs [e], theologus hodie Helmeſtadienſis celeberrimus, in peculiari libello academico, cuius doctrinae vbertatem conſulent, qui ex inſtituto Critolai huius res cognoſcere cupiunt, et quae per omnes fere huius viri circumſtantias memorabilia ſunt, diligentius, quam ſolet fieri, rimantur: fere nihil enim diligentiſſimi commentatoris attentionem effugere potuit. Ex qua erudita diſſertatione multa poſſent noſtris addi, niſi inſtituti ratio obſtaret, mallemusque apud ipſum elegantiſſimi ingenii ſcriptorem, quam apud nos legi, vnde ad hos fontes merito lectorem dimittimus: qui tamen cum adhibita ſingulari diligentia Critolai φιλοσοφούμενα ex tenebris, quibus laborant, educere non potuerit, tum veterum confuſione, tum notionibus vagis Critolai impeditus, certiora ne nos quoque addere poſſe lubenter fatemur. Idem iam paſſi ſunt veteres, e quibus Tertvllianvs [f], ſe fontem animorum, quem quintam eſſe eſſentiam dixit Critolaus, Ariſtotelem ſecutus, neſcire, qualis ſit, fateri non erubuit.

Ibid. lin. penult. *Internecinum inter philoſophos et oratores fuiſſe odium vtraque parte alteri detrahente.* Non hanc oratorum et philoſophorum diſſentionem atque inimicitiam occaſionem dediſſe Critolao in ipſam artem rhetoricam inſurgendi, contendit Cel. Carpzovivs [g], non enim legi a philoſophis, qui erant digni iſto nomine, veros itidem oratores odio habitos fuiſſe, vt potius, qui Critiae erant, aut Therameni, aut Lyſiae, aut praeſtantiſſimis aliis, vt Iſocrati, Demoſtheni, Hyperidi, Lycurgo, Aeſchini, Dinarcho, Phalereo Demetrio ſimiles, multum iis honoris

e) Lipſ. 1743. f) De anima. g) l. c. §. 6. p. 18.

Digitized by Google

honoris et gloriae a nobiliſſimo quoque atque diuitiore habitum fuiſſe philoſopho certum ſit, omnemque rixam aut rectis philoſophis cum peruerſis melioris indolis corruptoribus, ſophiſtis, aut cum philoſophis exilibus, ſtrigoſis, ineptis, imperitis, veris oratoribus interceſſiſſe etc. Quae facile ſubſcribimus viro eruditiſſimo, nec a veriſimilitudine quoque abhorrere putamus, quod addit, videri Critolaum propius aliquantum cum Ariſtotele, quem ex hac parte reliquerat Ariſto, feciſſe, quod iſte eadem acie mentis, qua rerum multarum vim et naturam viderat, multas, quae ad dicendi artem pertinent, regulas deſpexit, contemtimque habuit, id quod CLEMENS ALEXANDRINVS [h] teſtatur. Sed propterea nobis dicta non ſcribenda erat, qui oratorum nomine non alios intelleximus, quam contra quos inſurrexit ſchola Socratica, et quibus vnicus rhetoricae finis fuit, de re quauis, quae credibilia ſunt, et perſuaſibilia, cum ornatu et vi inueniendi et eloquendi, differere. Quod illuſtraturus QVINCTILIANVS, cuius locum [i] notauit ipſe quoque vir doctiſſimus, ad Gorgiae exemplum prouocat, qui apud Platonem perſuadendi ſe artificem in iudiciis et aliis coetibus eſſe dicebat, de iuſtis quoque et iniuſtis tractare, cui Socrates perſuadendi, non docendi concedebat facultatem. Inter hanc oratorum ſcholam, et philoſophos maximum odium interceſſiſſe, vetus hiſtoria huius temporis loquitur: qua de re ipſum Quinctilianum legere operae pretium eſt, fuſe in hoc oratorum genus inſurgentem, quod effecit, vt Plato et Ariſtoteles eam artem *κακοτεχνίαν* et *κλαπτικὴν* dicerent, verumque oratorem virum bonum eſſe debere poſtularent, vt virtutem et iuſtitiam in dicendo exerceat.

pag. 853. *Ariſtotelicum hoc de argumento dogma mire illuſtrantia.* Lucem vberiorem hic quoque accendit CARPZOVIVS [k] rationes Lycei de ea re ſtrictim exponens, qui conſulendus.

h) Stromat. L. I. p. 289.
i) Inſt. Or. L. II. c. 15. p. 114. ed. Obrecht. et deſideratiſſimus GESNERVS. Qui commode obſeruat, Critolaum ſecutum eſſe Ariſtotelem, huncque hanc mundi aeternitatem ſurripuiſſe Ocello Lucano.
k) l. c. p. 31.

AD CAPVT OCTAVVM.

DE CYNICA SECTA.

pag. 861. lin. 14.

Fuit autem Cynoſarge. Atticas antiquitates, quas praeſertim Athenienſium attigit Pauſanias, nemo fere melius tractauit, quam IOANNES MEVRSIVS. Is enim peculiari libro, cui *Athenarum Atticarum* nomen praefixit *), praecipuas Athenarum res ita enarrauit, vt more ſuo, non ſuis verbis, eas deſcriberet, ſed omnia fere veterum loca et relatio-

nes

*) Lugd. Bat. 1624. 4.

nes ipſis eorum verbis exhiberet, collectionem quaſi antiquariam magis, quam hiſtoriam antiquitatum Athenienſium daturus. Quare ex hoc praecipue fonte omnes fere hauſerunt, qui antiquitates Athenienſes deſcripſerunt, quarum nemo elegantius compendium dedit, quam POTTERVS [b], qui totus Meurſium ſecutus eſt. Eodem Meurſiano labore etiam in colligendo apparatu ad hiſtoriam gymnaſiorum literariorum vſus eſt B. PHIL. IAC. CROPHIVS [c], ita tamen, vt multa adderet, Meurſio non tacta. In hac diſſertatione, cum omnia fere, quae de Cynoſarge et Cyniſmo apud veteres dicta ſunt, comprehenſa inueniantur, ſine labore lector ipſos inde fontes deteget, vt aliis carere facile poſſit. Fuit autem Cynoſarge gymnaſium extra portas Athenarum, qualia loca campeſtria, non procul ab vrbis portis diſſita, philoſophi eo tempore amabant et frequentabant. Incenſa eſt triſti Muſis fato a Philippo, Demetrii filio, quod nobis narrat T. LIVIVS [d].

pag. 862. lin. 17. *Ex vtraque parte ciuitatis ius patebat.* Ius ciuitatis Athenienſis pro temporum diuerſitate diſtinguendum eſt. Ciuis enim initio erat, qui alterutro ex parente Athenienſis eſſet; aucto vero incolarum numero, ex Solonis lege, ii tantum pro veris ciuibus habiti ſunt, qui ambobus parentibus Athenienſibus nati eſſent. Abrogata tamen lex Solonis eſt, donec Pericles auctoritate ſua vſus, eam iterum populo perſuaderet, de quo videas PLVTARCHVM [e], qui tollendae eum legis auctorem iterum Athenienſibus fuiſſe, ait, quia liberos omnes legitimos amiſerat. Reuocata tamen eſt ab Ariſtophonte rhetore, in praetura Euclidis poſt electos tyrannos. Tantum vero huic iuri et dignitati tribuerunt, vt iure iurando pater teneretur profiteri, liberos legitime ſuſceptos fuiſſe. Plura de ciuitatis iure apud Athenienſes, eiusque varia fortuna attulit MEVRSII diligentia [f], qui conſulendus.

pag. 882. lin. 8. *Facile LAERTIO afferenti largimur.* Dignum eſt argumentum de decoro Cynico, quod accurate excutiatur; ſed facta prius hiſtorica certa conſtituenda ſunt, ex quibus non huius tantum, vel illius philoſophi Cynici viuendi ratio expendenda, ſed habitus quoque diſciplinae ſectaeque cum ea comparandus eſt, quo pacto multae fabellae veterum euaneſcent. Conferri de hoc argumento poteſt Cl. KAHLII *de decoro* diſſertatio [g], itemque STOLLII tractatio *de decoro contra Cynicos et Quackeros* [h].

b) In Archaeologia Graeca.
c) Adiecta eſt AQVILIANO, de plac. philoſ. ante Ariſt. p. 187 meruitque ab interitu et tenebris, in quibus delitescebat, reuocari. De Cynoſarge fuſe is agit p. 313 ſeqq.
d) Lib. XXX. c. 24.
e) In Pericle, AELIAN. var. hiſt. L. VI. c. 10.
f) In Themid. Attica L. II. c. 6. p. 73 ſeqq. de fort. Athenienſ. c. 5. p. 31 ſeqq. quem alii, et in his POTTERVS archaeol. Gr. L. I. c. 9 p. 36. ſequuntur. De Solonis lege vid. ARISTOPH. aues p. 402.
g) §. 37 ſeqq. Edita Halae 1735.
h) Ien. 1725.

AD

Digitized by Google

AD CAPVT IX.

DE SECTA STOICA.

SECT. I.

DE ZENONE EIVSQVE PHILOSOPHIA.

pag. 894. not. l.

Videndus MORHOFIVS, STRVVIVS. Dedit ad Struuianos indices, ſicilimenta KAHLIVS [a], quae tamen et ipſa noua ſupplementa expectant. In Struuianis autem laboribus hiſce ordinem meliorem deſideramus, et calci arenam. Non omittendus autem etiam a nobis erat PETRVS GASSENDVS, veteris philoſophiae interpres feliciſſimus, qui in explicanda Epicuri philoſophia, quae tota Stoico ſyſtemati oppoſita eſt, non potuit non Stoicam philoſophiam, Zenonisque imprimis placita in luce meridiana ponere, quapropter non in genere tantum, Zenonis hiſtoriam, cum de philoſophia vniuerſe ageret, tetigit [b], ſed in rationali quoque ſyſtematis ſui parte, de logica Stoicorum erudite diſſeruit [c], in phyſica autem parte etiam ſpecialium dogmatum Stoicorum ſummam et ſententiam non praeteriit [d], et quo pacto moralem ſapientiam Epicurus porticus philoſophis oppoſuerit, expoſuit, dignus, quamuis a plerisque neglectus [e], qui ad hoc quoque philoſophiae hiſtoriae caput, conſulatur, cum perſpicuitatem cum doctrinae ſoliditate ſoleat coniungere. Minorum gentium Deos praeterimus, qui, non niſi centies dicta, recoquunt. Quod, vtrum de HENINGI FORELLI diſſ. *de Zenone* etiam verum ſit, etiam ne nunc quidem ſcimus, qui libellum hunc breuem, licet a nobis quaeſitum reperire non potuimus, cum huius generis ſcriptiunculae cito ſoleant euaneſcere [f]. Multa quoque ad Stoicae philoſophiae hiſtoriam facientia attulit B. PHIL. IACOBVS CROPHIVS, in erudita diſſertatione de gymnaſiis literariis Athenienſium [g].

pag. 895. lin. 9. *Compluresque libros, imprimis Socraticos.* Hoc caue de libris ab ipſo Socrate ſcriptis intelligas, ſed de libris a Socratis diſcipulis

a) Ad Tom. I. biblioth. philoſophicae p. 78 ſqq. p. 229 ſeqq.

b) T. I. Opp. p. 20 ſeq.

c) l. c. p. 49 ſeqq.

d) l. c. p. 227. 135. 137. 229. etc.

e) Cuius veram cauſſam in Operum Gaſſendianorum voluminoſa raritate et caritate latere coniicimus. Contemni certe Gaſſendus ipſe non poteſt, conf. quae infra Tom. IV. p. 518. de eo diximus, ipſa experientia edocti, quomodo per eum liceat in philoſophiae hiſtoria proficere.

f) Prodiit, quod ex STRVVII l. c. indicio nouimus Vpſal. 1700. 8. ipſe tamen vir doctiſſimus ſatis prodit, ſe quoque eum non vidiſſe, eſſeque haud facile reperiundum.

g) Quam recuſam dedimus ad calcem SCIP. AQVILIANI de placitis philoſ. ante Ariſt. p. 279 ſeqq. huic enim auctori, non B. I. ANDR. SCHMIDIO cum KAHLIO haec diſſertatio vindicanda eſt, quemadmodum is quoque ad c. II. p. 82. noſtram epiſtolam de fato Stoicorum perperam ad S. R. Schelhornium, ad quem ſcripta eſt, retulit. Conf. B. BAVMGARTEN. ad hiſt. vniu. orbis T. I. not. 43. p. 52.

Digitized by Google

pulis et ſecundum methodum et diſciplinam Socratis confectis, quales ſunt Xenophontei. Hos enim occaſionem dediſſe Zenoni conuertendi ſe ad philoſophiae ſtudium, refert LAERTIVS [k].

pag. 905. not. l. *LAERT. L. VII. ſ. 25.* Veriſimilius hoc dici putamus, quam quod GASSENDVS [l] habet, transſumſiſſe Zenonem aliquid ab Antiſthene, ob libros illius *περὶ διαλέγεσθαι* aliosque logici argumenti a Laërtio memoratos. Hos enim libros fuiſſe polemicos, et *ἀντιλογικὰς*, qui imprimis Platoni fuerant oppoſiti, adeoque differendi artem proprie non explicuiſſe, ipſe alio loco nos docet LAERTIVS [m].

Ibid. lin. vlt. *Vt harmoniam inde vniuerſi eliceret.* Non dubitandum eſt, Stoicorum parentem ad vniuerſam fere antiquorum phyſiologiam, et theologiam reſpexiſſe, et imprimis Orphica dogmata, quae totam Graeciam occupauerant, vel, ſi mauis, Aegyptiaca ob oculos habuiſſe. Iſtorum enim hominum placita ipſiſſimam phyſiologiam Stoicam, demtis adſcititiis et alienis, referre, ſupra [i], niſi toti cum magnis viris, qui idem dudum obſeruauerunt, coecutimus, euidenter euicimus, et contra murmura obloquentium roborauimus. Mirandum itaque haud eſt, quod eleganter obſeruauerunt eruditi *operis hiſtoriae vniuerſalis auctores Britanni*, coſmogoniam Stoicam omnem fere Aſiam literatam, maxime Sinicam, occupare, et phyſiologiam Stoicam referre, id quod ſuo loco de ſyſtemate Sinenſi euicimus [n]. Quanquam enim nec Zenonis philoſophiam diſcere potuere Indi Orientales, aetate longe ſuperiores, nec vidiſſe et intellexiſſe eorum ſcripta theologica Zenonem Cittieum vllo modo ſit veriſimile; hauſerunt tamen omnes ex vno eodemque fonte, et ſyſtemati emanatiuo variis modis, maxime in Aegypto modificato frigidam ſuffundentes, occaſionem dedere Pythagorae, vel, quod eius patroni volunt, ad Indos et Brachmanas delato, vel, quod tamen dubio caret, in Aegypto coſmogoniam veterum modificatam et ad ſenſus Perſicos reformatam, edocto, hos fontes in ſua arua deriuandi: quae poſtea Pythagorae fama excitatus Zeno, cum videret, Epicureo ſyſtemati tanquam magnificum magis doctrinae aedificium poſſe opponi, comſit, ornauit, diſpoſuit, Heracliteis *δόξαις* auxit, et, vt verbo dicamus, ſyſtema emanatiuum cum dualiſtico miro artificio mixtum, tanquam nouum *εὕρημα* orbi philoſophico et theologico obtulit. Quae enim in contrarium obiiciunt et adducunt orthodoxiae Pythagoreae *προμάχοι*, pia quidem ſunt, ſed nec vera, nec orthodoxa ſatis, et totam phyſiologiam et coſmogoniam veterem confundunt miſcentque, a qua lepra abhorrent, quibus nil ſanctius eſt, quam a diuinis atque puris dogmatibus coeno impietatis gentilis turbandis abſtinere, et limpidiores fontes ſequi.

pag. 906. lin. 4. *Quae aures capiunt, animumque pungunt, verum non emendant.* Occaſionem haec noſtra obſeruatio dedit viro clariſſimo GODO-

k) L. VII. ſ. 2. conf. nominatos n. X.
l) Logic. c. 6. T. I. Opp. p. 49.
i) L. VI. ſ. 16. I) T. I. §. 49. p. 52 ſeqq.
m) Tom. V. p. 897.

Digitized by Google

GODOFREDO CENTNERO, gymnaſii Thorunenſis profeſſori, elegantem et eruditum *de meteoro philoſophico* commentarium [n] conſcribendi, in quo non tantum in inſolitum hoc Stoicae philoſophiae φαινόμενον inquirit, ſed et eius naturam, indolem, origines, effectus, mira ſubtilitate atque iucunditate explicat, et quod tum vernaculos hiſtoriae philoſophicae commentarios edentes non ſatis explicate tradidimus, in maiori luce collocat: quae ſi cum curis poſterioribus noſtris diligenter comparentur, pulchras pro intellectu humano rite cauteque formando praeceptiones poſſunt ſuggerere, et ita practica quadam ratione ab inſania exorbitantis ingenii mentes praemunire.

pag. 914. lin. 3. *Logica duabus partibus abſoluitur, rhetorica et dialectica.* Quidam tertiam partem addiderunt, ὁριτὴν, id eſt, definitiuam, qua res iuxta notiones, mente habitas, definiuntur; quo locus de canonibus et criteriis pertinet. Plerique tamen Stoici partitionem, quam attulimus, ſequuntur, in quorum ſcholis ea valde ſolennis eſt [o]. Parum autem ex hac Stoicorum logica veri ſtudioſos profeciſſe, facile credi poteſt CICERONI [p], cuius locum affert quoque GASSENDVS, ſcribentis: *Scripſit rhetoricam Cleanthes, Chryſippus etiam, ſed ſic, vt ſi quis obmuteſcere concupierit, nihil aliud debeat legere.* Sed et alia dialecticae capita, praecipue quod de inueniendi arte tradit, neglexiſſe idem conqueritur, nempe iſtam partem non ad dialecticam, ſed rhetoricam referebant, et ad dicendi modum.

pag. 915. lin. 16. *Sola logica ad veritatem inueniendam a philoſophis adhibita.* Lucem huius aſſerti ampliorem quaere apud GASSENDVM [q].

pag. 920. lin. 23. *SAMVEL PARKERVS.* Iungi poſſunt Parkero GASSENDVS, quique *de cauillationibus Stoicorum* ex inſtituto diſſerult IO. ALBERTVS FABRICIVS. Qualia iſta ſophiſmata ſint, nomina indicant, dictumque ſatis ſupra in Megaricis [r]. Quibus deterius in hoc philoſophandi genere philoſophatos fuiſſe Stoicos, atque aditum, et quaſi ipſas Thermopylas in omnem Graecorum vanitatem aperuiſſe recte et prudenter iudicat praeſul eruditiſſimus, ad quem lectorem ablegauimus. Quippe cum Eleatici et Megarici ludo et ioco de cauillandi arte ſcripſiſſent, Stoici quicquid illi luſerant cum omni ſua grauitate in diſciplinam ſuam adſciſcebant, quo nimiam facetis omnibus ſe irridendi facultatem dederunt. Diligenter ad eiusmodi deliria humani ingenii attendendum eſt, quae, quamuis contemtum mereantur, velut humani intellectus dedecora, produnt tamen luculenter, quam inepte tripudiet humanum ingenium in tricis quoque, ne caſſa quidem nuce dignis, vbi ſemel coeperit acumen lactare, et ſuperbire in minimis. Qualia obelo con-

n) Prodiit Dantiſci 1744. 8.
o) Acad. Q. q. L. IV.
p) De oratore, in topicis et de finibus L. IV.
q) Log. L. II. c. 1. T. I. Opp. pag. 69. c. 4. p. 76.
r) pag. 613.

configere, et velut purgamenta veritatis elicere inde, eximio hiſtoriae philoſophicae vſu pragmatico diſcimus.

Sapientia prima eſt
Stultitia caruiſſe.

Ceterum meretur iſta conſideratio, vt in cauſſas quoque iſtarum ineptiarum logicarum inquiratur, quod tamen hoc loco fieri non poteſt, et in ſpeciali hiſtoria logicae excutiendum eſt.

pag. 921. lin. 29. *Nunquam nos hactenus poenituit, nec poenitebit vnquam.* Eadem nobis poſt triginta, quo iſta ſcripſeramus annos, adhuc de ſyſtemate philoſophico Stoicorum mens eſt, perlectis in iſto temporis ſpatio plurimis virorum doctorum obſeruationibus, quorum aliqui, magni nominis viri vtroque pollice hanc explicationem phyſiologiae Stoicae comprobauerunt, nonnullis mitius de Stoicis iudicandum eſſe, nec adeo malam eos ſententiam explicuiſſe, viſum eſt. Et inter illos quidem deſideratiſſimum IABLONSKIVM magni inter veteris literaturae et philoſophiae interpretes nominis virum nominamus, qui in incomparabili *panthei Aegyptiaci* opere [s], nos doctrinam Stoicorum, de origine rerum, accurate et fideliter delineauiſſe, eaque cum placitis Aegyptiorum veterum mirifice conſonare iudicat. Eandem nobiſcum Stoicae phyſiologiae explicationem ſecuti ſunt doctiſſimae *hiſtoriae orbis vniuerſalis enarratores* [t], qui tamen ſyſtematis emanatiui indolem a Stoico non ſatis diſtinxerunt [u]. Mitius et orthodoxe magis Stoica dogmata accipienda eſſe, quamuis cetera magnis erroribus non careant, praeter alios CVDWORTHVS [x] et ZIMMERMANNVS [y], quique alii ex atheorum numero Stoicos eximendos eſſe, contenderunt, cenſuere, de quibus infra agitur. Nos nihil ex ſolis vocibus Stoicorum, quae non nili meteora philoſophica ſunt, ſed ex ipſius ſyſtematis Stoici nexu iudicandum eſſe putamus, ne cum tot horum hominum admiratoribus decipiamur. Id quod ipſi candidiſſimo Zimmermanno, quem amiciſſimum ad vltima fata vſque habuimus, demonſtrauimus, cum is in patria theologicae cathedrae praeficeretur [z]. Qua de re infra pluribus dictum.

pag. 922. lin. 25. *Quidam Perſarum imprimis ſyſtema ſecuti.* Hoc de Magianiſmo Perſarum intelligendum eſſe, ex iis patet, quae ſupra de phyſiologia Magorum et poſtea Zoroaſtris diſputauimus.

pag. 923. lin. 7. *Clariſſime oſtendimus.* Repetenda heic ſunt, quae in his ſupplementis de theologia barbarica diſputauimus. Adiiciendum eſt imaginibus phyſiologicis, apud THOMASIVM h. l. not. citatum, typus tertius, ſyſtema emanatiuum explicans figura araneae, ex inteſtinis liue ventre fila ducentis, quibus rite inter ſe nexis, in medio habitat reuocatura opus

s) P. I. L. I. c. 2. §. 6. p. 58 ſeq.
t) T. I. §. 47. p. 50 ſeqq.
u) Ibid. §. 49. p. 52.
x) Syſt. intell. c. IV. §. 25 ſeq. p. 506 ſeqq. ad quem commentator MOSHEMIVS videndus.
y) In muſeo hiſt. phil. Brem. Vol. I. P. I. pag. 1 ſeqq.
z) Vid. diſſ. de Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus, miſcell. hiſt. phil. lit. P. I. obſ. 9. p. 825.

Digitized by Google

opus intra se quam primum libuerit: quem apud Pendetos siue philosophos Indiae Sufyosque Persiae ad explicandum cosmogoniae opus adhiberi, refert BERNIERIVS [a]; et ex quo intelligi potest, quo pacto a Stoico systemate emanatiuum differat, si hoc cum ouo praegnante comparaueris.

Ibid. lin. 29. *Omnia quae sunt, corpora sunt.* Sumendum est vox corpus, significatione naturali et physica, non vero metaphysica, qua nonenti opponi interdum solet. Intellexerunt enim Stoici corporis notione rem non modo διαστατὸν, extensum, sed etiam ἀντίτυπον, resistendi vi praeditum, nec penetrabile, quanquam intra corpus crassum et subtilius, ἀραιότερον καὶ λεπτομερέστερον, quod πνεῦμα ἔνθερμον dicebant, distinguerent [b].

pag. 927. lin. 3. *Attemperauisse propius disciplinae Christianorum.* Pluribus hoc argumentum roborauimus in obseruatione *de Stoicis subdolis Christianorum imitatoribus*, quae hoc loco omnino repetenda sunt [c]. Manibus quasi palpari potest, Stoicos egisse simias Christianorum, et ideo tantum ipsum systema suum deseruisse, vt eorum pia placita, solatio plena, et non sine conscientiarum tranquillitate prodita exprimerent. Quod multo magis oculos feriet, si cum Stoicis, Cleanthe, Chrysippo allisque, qui ante Christum natum de prouidentia differuerunt, comparentur: nobili et memorabili testimonio, quantum veritas et praestantia christianae religionis valuerit, etiamsi eam in iniustitia detinuerint, digno autem, quod probe expendatur exemplo, quam subdole, quamque ingeniose, infernalis hostis omnem sapientiae mundanae industriam adhibuerit, vt Christianis hanc salutis galeam, non eriperet quidem, quod non poterat, confringeret tamen redderetque inutilem.

pag. 929. lin. 23. 24. *Pars agens in patiente habitaret, eam penetraret et formaret.* Rogamus lectorem, veteris theologiae et cosmogoniae curiosum, vt hanc veterum systematum philosophicorum determinationem probe notet, et ad omnem orbis vetustissimi doctrinam adplicet, sine quo discrimine semper in tenebris palpabit. Peperciissent sibi viri quidam docti, qui, vt sanctissimae religionis Christianae placitis robur, quod putant, adderent, egregia illa nobis opponunt, si ad ista respexissent, nec proderent, se ad intimas rationes systematis non attendisse. Non his pigmentis opus est coelesti reuelationi, qua monente, philosophi hi, dum sapere cuperent, μαραν θῆναι, et in splendido mendacio desipuisse, iudicati sunt.

pag. 930. lin. 10. *Primo intuitu cognoscitur.* Omnino ad hanc labem, diuinae naturae attributis a Stoico hoc systemate illatam attendendum est,

a) Suite des Memoires sur l'empire du Grand-Mogul pag. 303. Conferenda cum his, quae habent auctores hist. vniu. Britanni T. I. §. 47 seqq. p. 50 seqq.

b) Conf. CVDWORTH. syst. int. c. IV. §. 35. pag. 502.

c) Miscell. P. II. Obs. 9. p. 226 seqq.

vt intelligatur, quam peruerſe atque male inepti gentilis theologiae conciliatores cum puritate diuinae reuelationis agant, non attendentes ad ſyſtematis conſequentias, quae ex ipſis fontibus fluentes, omnem orthodoxiam reuelatam euertunt. A qua ſcabie vt philoſophicae hiſtoriae ſtudioſi ſibi caueant, eo magis ſemel iterumque, et quauis occaſione monendos eſſe putamus, quo magis non validius remedium eſt, ineptum illud de traditione aliqua veritatis puriore inter gentes diſſeminata exque eorum ſyſtematibus phyſiologicis et coſmologicis eruenda praeiudicium iugulandi, quam cum deteſtandi gentilium errores in clara luce ponuntur, et manifeſtum fit, ea, quae vel veteres doctores, viri pii et laudatiſſimi, aſt in his diiudicandis nullo fere iudicio critico vſi pro ſanis et piis habuerunt, reuera fuiſſe deteſtabilia errorum *βδελύγματα*, et aperiendos tandem oculos eſſe, quos auctoritatis praeiudicium faſcinauit.

pag. 939. lin. 18. *Vel ex ſe ipſo quaſi effundat.* Manifeſtum eſt in iſto SENECAE loco, quaeſtionem non eſſe de productione exiſtentiae materiae, ſed de formatione atque concurſu eius ad ſyſtema coſmologicum. Sine dubio reſpexit lacutus philoſophus genuinam Stoam, eamque cum academia prima Platonis comparauit, quod ex collatione vtriuſque de hoc argumento poteſt palpari. Dicerem ad Ionicam ſcholam et diſcrimen inter dogma Anaximandri et Anaxagorae philoſophum oculum intendiſſe, qui hoc fere pacto de Dei ad formationem mundi concurſu digladiabantur. Verum Stoicorum conſuetudinem academiae primae placitis Zenonis decreta opponendi, facit, vt ad hunc magis diſſenſum Senecam reſpexiſſe videatur veriſimile. Neutri autem parti de creatione ex nihilo, quo ſenſu, a theologis afferitur, et quae priſci primique aeui *δόγμα κύριον* fuit, aliquid in mentem venit. Ceterum MOSHEMIVM in laudata h. l. [a] diſſertatione Stoicorum ſyſtema praetermiſiſſe, miramur.

pag. 944. lin. 13. *Parentum forte traditione peruenisse.* Ad ſyſtemata priſci orbis attendenti, ignotum eſſe non poteſt, vetuſtiſſimam traditionem de ortu et interitu mundi ſpectabilis per aquam, per omnes terrarum tractus fuiſſe peruagatam, fuiſſeque eam vniuerſalem, ex ſeptentrionali vero parte terrae ad orientalem migrauiſſe. Cum itaque Zeno ex Phoenicibus ortum habuerit, coniici facile licet, cur de fine quoque mundi eandem ſententiam amplexus ſit, quae cum Celtica coſmogonia adeo pulchre conſpirat.

pag. 948. lin. 11. *Niſi oblitos reduceret.* Non vſurpauerunt quidem Stoici *ἀναπαύσεως* vocem, vt iam obſeruatum ORIGENI [e], quanquam Numenius [f] illis contrarium tribuat; rem tamen ipſam cum Chriſtianis communem habuiſſe, multi putauerunt, qui, quamuis certe prudentiores quidam, aliquod inter Chriſtianos et Stoicos diſcrimen dogmatis intereſſe, viderint, magnum tamen illud eſſe negant, Zenonemque veterem traditionem

a) §. 9. p. 967.
e) Lib. V. contra Celſ. §. 20. Extat quoque locus T. II. Opp. ed. Ben. p. 592.
f) Apud EVSEB. praep. ev. L. XV. c. 19.

Digitized by Google

tionem obſcuram et temporis diuturnitate confuſam, vt ab Orientalibus, et forte a parentibus Phoenicibus acceperat, repetiſſe conſtiunt. Nec praefracte negabimus, praeclari dogmatis notitiam aliquam ex patriarchali traditione inter gentes fuiſſe diſſeminatam, cuius praeclara veſtigia liber Iobi continet. Aſt eueniſſe his vetuſtiſſimae doctrinae ſcintillulis, quod plerisque primaeuae traditionis reliquiis accidit, vt tantum non penitus extinguerentur, fatendum eſt, cum humani ingenii curioſitas traditionis vetuſtioris ſimplicitatem contemneret, et noua ſyſtemata coſmogonica excogitaret, quae δευτεροφίαι humana effecit, vt nihil fere purum et intactum primaeuae ſapientiae, a ſitu et ſqualore ad nos peruenerit, et diuina veritas opus habuerit noua reuelatione humano generi primaeuae ſapientiae elementa aperiendi. Certe id in hoc reſurrectionis ſyſtemate euenit, quod inter Stoicos adeo diſſimile ſui factum eſt, vt citius Aethiopem laueris, quam candorem obfuſcato dogmati induxeris. Id quod poſt MOSHEMII [g] diligentiam nos quoque alio loco manifeſtum feciſſe [h], recordamur.

pag. 950. lin. 22. *Hauſit hanc doctrinam Zeno ab Heraclito.* Ille tamen primus opinionis auctor non eſt, quae a gentibus barbaris, maxime orientalibus ad Graecos delata eſt, vt ſupra iam tactum. Forte illius rei nonnihil a parentibus Phoenicibus Zeno percepit.

pag. 951. not. x. *Quae extat Miſcell. Berolin. T. V. art. vlt.* Recuſam et emendatam eam dedimus in Miſcellaneis hiſtorico-philoſophicis P. I. [i] eam quoque in Sylloge diſſertationum de Secta Elpiſticorum recuſam dedit cl. LEVBSCHNERVS [k].

pag. 953. lin. 9. *Poſt fata poſuiſſe.* Vide autem et deteſtare hominis hypocritae inſaniam, qui in *conſolationibus ad Marciam et Heluidiam* longa verborum iactantia, contraria his omnia docuit, hancque morologiam Chriſtianae doctrinae ſanctitati et ſolatiis oppone, vt habeas, quo contemnere gentilium ineptiarum chaos diſcas.

g) Diſſ. ad H. E. pert. Vol. II. §. 17. p. 625 ſqq.
h) Miſcell. hiſt. phil. P. I. obſ. 9. p. 255.
i) Obſ. 7. p. 164 ſeqq.
k) Triga diſſertationum, Heumanni, Iaccheri, Bruckeri de ſecta Elpiſtica, quibus quartam, ſuam ſententiam exponentem adiecit.

AD CAP. IX. SECT. II.

DE DISCIPVLIS ET SECTATORIBVS ZENONIS IN SCHOLA STOICA.

pag. 969. lin. 13.

Cum ſermonis breuitatem ſectaretur Zeno. Hanc breuitatem cum acumine ſapientiam tradendi, acceperat Zeno a Cynicis, et facile ad diſcipulos propagauit. Quod facile fieri potuit, cum eo tempore homines

Digitized by Google

nes λάλοι, quorum lingua tam prodiga infraenisque erat, vt flueret semper et aestuaret colluuione verborum teterrima, in magno contemtu apud philosophos essent, qua de re pulchra multa collegit A. GELLIVS [a].

pag. 970. l. 28. 29. *Cum nihil horum igni, quamuis subtilissimo conueniat.* Nititur ratio huius afferti potissimum principio Stoico, quaecunque sunt, esse corpora et quidem vera, physica, quamuis subtilissima. Et talem ignem illum Porticus artificialem esse, facile Aristo concedebat, at, quo pacto posset esse artificialis, plenusque sapientia rerumque omnium prouidentia, se perspicere posse recte negabat. Ita enim hoc πρώτῳ ψεύσῳ semel negato, pleraeque assertiones physiologicae et cosmologicae Zenonis, necesse erat collabi. Haec enim implicitam contradictionem inuoluere, quilibet palpat. Non autem solus Aristo fuit, qui hoc pacto systema cosmogonicum Stoicorum in angustiam redegit, sed obiecerunt idem aliae quoque scholae, et imprimis, grauis Zenonis antagonista SEXTVS EMPIRICVS [b], quem vide.

pag. 980. lin. 20. *Principibus viris chariſſimus.* Pertinet ad existimationem Panaetii hoc quoque, quod certa conuiuarum societas fuerit, philosophandi gratia Athenis instituta, quae Panaetiastarum nomine inclaruit, quemadmodum Diogenistarum a Diogene Babylonio, et Antipatristarum ab Antipatro Tarsensi, de quibus philosophorum Stoicorum eius aetatis συνέδρους videndus ATHENAEVS [c].

pag. 981. not. k. *De N. T. Lib. II. c. 34.* Plura dabit ea de re WEIDLERVS [d], qui videndus, res enim ad specialem astronomiae historiam pertinet. De hac autem sphaera, vtrum intelligendus sit STRABO [e], qui eum cum aliis philosophis Graecis inter scriptores geographicos numerat, an de libro de mundo, quem ei adscribit LAERTIVS, vel qua alia ratione de geographia quoque meruerit, prorsus incertum est, et definiri non potest.

a) Lib. I. c. 15.

b) Adu. phys. Lib. IX. f. 211. 212. vbi ex eo, quod solum λεπτὸν incorporeum dicunt Stoici, contra ignem hunc diuinum insurgit.

c) L. V. Deipnos. p. 186. Qualia haec symposia fuerint, ex veteribus descripsit H. CHRIST. ESCHENBACH. pec. diss. §. 8. inter dissert. acad. p. 359. quem tamen Stoica omisisse miramur, cum tamen ex Athenaeo conuiuia in Lyceo et in academia celebrata adduxerit.

d) Hist. astronom. c. VI. §. 18. p. 149.

e) Lib. VII. f. 142.

Digitized by Google

AD CAPVT X.

DE SECTA ITALICA S. PYTHAGORICA.

SECT. I.

DE VITA PYTHAGORAE.

pag. 989. lin. 20.

Nihil amplius ſupereſt, quod de Pherecydea philoſophia adiiciamus. Scripſeramus haec dudum, cum de Pherecyde eiusque philoſophia doctiſſimam diſſertationem *memoriis Acad. Scient. Berolinenſis* inſereret Cel. HEINVS [a], dignam quae legatur, quoniam haud pauca a nobis dicta, ex ea illuſtrari poſſunt atque amplificari. Diſſentit, vt in incerto tantae antiquitatis argumento aliter conſtare non poteſt, in nonnullis, ab iis, quae h. l. attulimus, coniecturis, quas ex inſtituto examinare, nec inſtitutum praeſens et ſpicilegii, quod colligimus, anguſtia patitur, nec neceſſitas poſtulat. Ea enim perſpicuitate ex vtraque parte rationes allatas eſſe putamus, maxime, ſi ea ſimul conſulantur, quae de philoſophia et phyſiologia vetuſtiſſimi orbis barbarici in hoc ſupplementorum volumine ad illuſtrandum hoc argumentum adiecimus, vt non difficile fore credamus lectori rerum veterum non ignaro, et quod artis criticae veritatisque ipſius regulae rationales poſtulant, ab auctoritatis et antiquitatis praeiudicio libero, iudicium interponere, et eam, quae vero proxima videbitur, ſententiam eligere. Quaecunque ea fuerit, nobis non diſpliceblt, modo ſolidis rationibus, quae nec pictae ſunt, nec in ſpeciem effictae, nitatur. Vnum tamen monemus, quod non a veteris tantum Graeciae, ſed et ipſius Orientis priſci res et placita attente et ſine praeiudicio ſcrutato non ignorari vel negari poſſe, credimus: non ſolis veterum narrationibus et traditionibus vndique corraſis, et cum hypotheſi ante diſquiſitionem electa et pro vera admiſſa vno ſub iugo ire coactis in conſciendis priſci canique mundi, maxime Orientalis, vnde Graeci ſuam coſmologiam hauſerunt, placitis acquieſci poſſe, cum non tantum genuina, taliaque nobis deficiant, quae ita tempora iſta attingunt, vt pro teſtibus idoneis poſſint haberi: et pleraque incerta ſint, atque dubiae fidei, hominum narratiunculis debeantur; ſed totius iſtius aeui habitum, fata, nexum, *δόξας κυρίας*, traditiones multis ſeculis per manus ad poſteritatem delatas, ipſiusque ſyſtematis connexionem, iuxta rationalis artis praecepta animo ſincero et ab hypotheſeos partisque ſtudio non corrupto diu accurateque expendenda eſſe, donec veriſimilem de iſtis rebus ſententiam

a) Memoires de l'Academie de Berlin T. III. pag. 103 ſeqq.

tentiam dicere et iudicare de veteribus dogmatibus quis audeat. Quae cautela, a tot viris, cetera doctissimis, qui in hoc puluere antiquissimo volutati sint, non sine philosophicae historiae damno et dispendio neglecta, si rite ponderata adhibeatur, non magnopere aberraturum putamus lectorem in definienda Pherecydeae doctrinae origine, maxime vero, si cosmogoniae Aegyptiacae et Orphicae historiam supra nouo labore examinatam in auxilium adhibuerit, decretoriam sententiam pronuntiaturum, vtrum Pherecydis placita ex Aegypto, vnde nos deriuauimus, consensu vtriusque partis ducti, et Aegyptiacae atque Phoeniciae theologiae consensione in aprico suo loco posita persuasi, aduocanda sint, an a Phoenicibus a Mose et Israëlitis ὀρθοδοξότερα edoctis, quod demonstrandum sibi sumsit Cl. HEINIVS, qui rationes quoque suas aliis in eadem opinione versatis tanquam validas persuasit *b*. Ab his enim originibus doctrinae Pherecydeae interpretatio tota pendet: quae si puriorem mentem poterit pro Syro philosopho euincere, libenter patiemur, immo sententiam lubentes mutabimus, fatemur autem candide, meliores rationes magisque solidas nos iure nostro poscere. Quanquam enim vtraque manu concedimus, sequiori tempore, vbi Israëlitarum regna conciderunt, confusos esse ab historicis Graecis Phoenices, a quibus sua accepisse Pherecydes dicitur, cum Israëlitis, probandum tamen erat, id de antiquioribus quoque temporibus sacrae gentis valere, quibus obscurissima gens Iudaea vicinis adhuc nationibus fuit, certe dogmata eorum veteresque patriarcharum traditiones, quas seruabant, ad harum gentium vicinarum notitiam peruenire non potuerunt. Qua de re non alio teste opus habemus, quam ipso Cl. Heinio, qui erudite probauit, arcanissimos habitos libros Israëlitarum sacros; certum quoque, Pentateuchum eo tempore, quo Pherecydes floruit, nondum in plura exemplaria, distractum et descriptum, sed αὐτόγραφον arcanissime custoditum esse, adeo, vt Iosiae tempore, plane inter Israëlitas disparuerit, nec potuerit homini gentili, a cuius consortio sacra sua, ne polluerentur, tantopere secreta Israëlitae seruabant, innotescere. Vnde moraliter impossibile esse videtur, quod Pherecydes ex libris Mosis, et praecipue, ex Geneseos narratione cosmogoniam discere potuerit. Possemus his addere obseruationem BVRNETII, si res poscceret, monentis *c*, „non „tantum Israëlitas, vt alias gentium veterum sapientes habuisse suos discipulos esotericos, doctrinamque arcanam, quam cum ἀμυήτοις non communicabant, illius autem gentis, quo tempore suas origines suasque „leges scripsit Moses, homines tardum et rude ingenium habuisse, exque „Hebraeorum legibus et oeconomia Mosaica iudicari posse, crassam „hebetemque fuisse populi istius indolem; neque rebus naturalibus „contemplandis aut diuinis percipiendis idoneam, — — nihil intelle-„ctuale

b) Vid. ven. GERDILIVS Instr. in sap. et relig. L. I. c. 1. p. 202. not. i.
c) Archaeol. S. c. vit. p. m. 530 seq.

Digitized by Google

„ctuale aut a ſenſibus abſtractum, neque propriarum animarum immor-
„talitatem, ſuis inſtitutis et religioni intertexuiſſe legislatorem, pariter-
„que in praemiis et poenis ad legem corroborandam propoſitis, nihil
„pollicitum aut minatum eſſe, vltra huius vitae terminos, atque bona
„aut mala temporalia: idque non ob ſuam, ſed populi iſtius ignorantiam
„et craſſitudinem. Hinc que puerili paedagogia et rudimentis elemen-
„taribus inſtituendum fuiſſe populum ad mores animosque formandos:
„tanto magis a theoriis philoſophicis tunc temporis abſtinendum fuiſſe
„etc." Quanquam enim, quae acutus ſcriptor monuit, non in omnibus probari poſſe, et limam quaedam deſiderare, concedamus, certum tamen ex his rationibus putamus eſſe, adeo ratione ſcientiae phyſicae et philoſophicae contemtum fuiſſe populum Iſraëliticum, vt ab omni verſimilitudine abſit, potuiſſe gentilem philoſophum eo tempore, quo gens Iſraëlitica ab omni gentili conuerſatione, maxime in ſacris abhorrebat, phyſiologiam et theologiam, exoterice tantum et hiſtorice a Moſe traditam diſcendam ex libris Iſraëlitarum ſacris concupiſcere. Nec moramur magnopere Ioſephi, ad quod vir cl. prouocat teſtimonium, Pherecydem ſua a Chaldaeis accepiſſe tradentis. Vt enim nihil iam contra teſtis aetatem longe a priſco aeuo remotam excipiamus, concedemus tantiſper, Pherecydem habuiſſe Chaldaeos ſuorum placitorum auctores, annon eodem iure, et veroſimilius longe concludemus, eum etiam Aegyptios adiiſſe, et ſapientiam diuiniorem ab iis didiciſſe, quod multos Chaldaeis ipſis tribuere eosque in hac parte Aegyptiorum diſcipulos facere, ſuo loco in hiſtoria harum gentium obſeruauimus, vt taceamus, Chaldaica quoque et Phoenicia, et Orphica longe ſimiliora eſſe Aegyptiacis, quam Moſaicis, vt ſuo loco fecimus manifeſtum. Nihil itaque nos moratur Ioſephi auctoritas, cui ſolenne eſt, omnis antiquitatis ſapientiam ſuo vindicare populo. Nec obſtat nobis locus Iuuenalis, quem affert vir doctiſſimus, quo Iudaicum ius addiſci ait ſatyricus, quod arcano volumine tradidit Moſes. Hoc enim ad illud tantum tempus pertinet, quo Graecus Pentateuchus in Aegypto in vulgus emanauit. Addimus his merito, impoſſibile videri, coſmologiam Pherecydeam cum Moſaica conciliare, quod tamen debet fieri, ſi vnam vtraque habet originem. Aut enim tempus inter principia coſmogonica Pherecydis, plane nihil eſt, nec cum ſyſtemate cohaeret, aut aeternam commotionem et durationem chaus in nocte chaotica ſupponit. Talia vero docuere Aegyptii, Orphici, Ionici, Graecique priſci alii, non vero Moſes: qui ne duplex quidem Pherecydis principium admiſit in chao concluſum, etiamſi concedamus, tempus Pherecydem non inter principia ſubſtantialia retuliſſe, quod contendit B. BAVMGARTENIVS [d]: ſed emanatiuo ſyſtemati eum adhaerentem, tellurem ex chao, eiusque principio actiuo, Ioue deriuauiſſe, quod longiſſime a Moſis

d) Annot. 48. ad T. I. hiſt. orbis vniuerſ. §. 55. p. 65. qui auctores Britanni triplex Pherecydi tribuunt principium, Iouem, tellurem, tempus.

cosmologia, creationem ex nihilo tam luculenter omni gentilium philosophorum errori opponente, distat. Quibus omnibus rite consideratis, rationem nullam videmus, cur pristinae explicationi systematis Pherecydei nuncium debeamus mittere, nec dictorum poenitet. Quamuis enim toto pectore illis subscribamus, quae vir eruditus de dogmate isto in scriptis Mosaicis tradito attulit, quaestio tamen historica, non dogmatica est, idque vnum in clara luce ponendum, vnde sua hauserit Pherecydes, et an ad antiquissimi orbis traditiones eius physiologia sit exigenda. Ita vero nos GERDILIANAE quoque obseruationi [e] ea de re respondisse putamus, quantum sufficit.

pag. 989. lin. 8. *Veteres non explicant.* Mirum itaque non est, adeo diuersas esse de dogmate hoc Pherecydeo sententias, vt citius diem cum nocte, quam illas inter se conciliaueris. Et veterum quidem multi *μετεμψυχώσεως* somnia ex Aegypto eum attulisse et in Graecia vulgasse contendunt; alii scripto tantum, quod prius voce et traditione passim docebatur, edidisse, primumque fuisse, qui scripto animis immortalitatem tribueret, sibi persuasum habent, quod tamen meliori demonstratione opus habet, nec ex sola coniectura definiri debet; cum suo loco euictum sit, Aegyptios, a quibus sua hausit Pherecydes, immortalitatem mentis non agnouisse tantum, sed in literatura quoque sacra propagauisse, totum quoque systema Orphicum, quod simili ratione secutus est Pherecydes, eidem dogmati ad emanatiuum systema accommodato subscripsisse. Itaque hanc temperaturam adhibuit CICERO scribendo [f]: „itaque credo „equidem, etiam alios tot seculis (priscis,) disputasse de animis, sed, *quod „literis extet*, Pherecydes Syrus *primum* dixit, animos hominum esse sem„piternos." Alii, Pherecydi hoc dogma primarium de immortalitate animae placuisse non negant, sed id tamen illis verisimile est, illum peculiarem eamque aeternam permanentiam, atque durationem per se, animis non tribuisse, sed sempiternas dixisse, quod particulae essent animae diuinae, quae mundum permeat, et ex hac anima purissimi aetheris progressae, in ea subsistant, et ad eam redeant: propterea que non aeternam, sed sempiternam dixisse animam Ciceronem, coniiciunt. Valdeque illi adiuuantur consensu opinionum psychologicarum Aegypti, quae animas ex vniuersali mundi anima deriuabant, et in eandem reuerti tradebant, vt suo loco probatum [ff]. Secundum hanc interpretationem permanentiam animarum, ad fontem suum non reuocandarum, sed post mortem adhuc persistentium Pherecydes non docuisse videtur. Placuit ea sententia doctissimo *encyclopaediae* auctori, qui articulum de Pherecyde conscripsit, quam tamen magno ingenio atque doctrina contrarium probaturus aggressus est eruditissimus GERDILIVS [g], cuius vero rationes huc transferre institutum nostrum vetat, et apud disertissimum et elegantem scriptorem

e) loc. cit. f) Tusc. Qq. L. I. ff) Ad pag. 295.
g) Introduz. allo studio di religione Lib. II. c. 3. p. 249 seq.

Digitized by Google

ptorem ipſum legendae ſunt, cum non ſine quadam prolixitate expendi poſſint. Nos tria tantum illos monemus, qui hoc argumentum paulo ſpecialius excutere conſtituunt, 1. omnia, quae de ea re dicuntur, ſolis coniecturis niti, quae ex vno tantum alteroue veteris ſcriptoris teſtimonio exſculpuntur magis, quam eruuntur, adeoque incertum prorſus eſſe, quo pacto de immortalitate animae ſenſerit Pherecydes: itaque caute et ſuſpenſo pede ingrediendum eſſe in definienda Pherecydis ſententia, nec nimium ingenio fidendum, incerto in hiſtoria veterum dogmatum duct. 2. Veriſimile ſatis eſſe, Pherecydem talem doctrinam hanc ſuae genti, in cuius gratiam primus forte inter eos, de hoc argumento exoterice philoſophabatur, tradidiſſe, qualem a praeceptoribus acceperat, nec inepte agere, qui Aegyptiaca de hoc argumento dogmata ad illuſtrandam et eliciendam ſententiam Pherecydis adhibent, cum noua eum tradere velle nullibi appareat. 3. Facile in concordiam redigi poſſe eos, qui contendunt, Pherecydem animas ſempiternas ideo dixiſſe, quod ex anima mundi ipſoque Deo ortum habuerint, et in eum ſint reuerſurae; cum illis, qui ſecundum Pherecydem putant, animas originem quidem habere ex Deo animaue mundi origine et influxu dependente, ſed ſua peculiari permanentia gaudentes, etiam poſt corporis ſeparationem peculiarem per ſe ſubſiſtentiam ſeruare, nec confundi iterum cum ſuo fonte, animarum Oceano: quam ſententiam ornare, et Pherecydis ſyſtemati tolerabiliores ſenſus tribuere Cl. Gerdilius multis laborat. Nempe, vt facile concedent, qui res priſci orbis attente ſunt rimati, veterum mentem de anima mundi, et de animis tanquam particulis eius eam non fuiſſe, vt animis, qui vel ex anima mundi effluxerunt, vel in ea continentur, propriam perſiſtentiam et permanentiam denegarent, etiam poſt emigrationem ex corpore, ſi vnum modo Stoicum ſyſtema excipias, qui tamen homines exoterice, de animis poſt fata ſuperſtitibus cum vulgo quoque locuti ſunt: ita poteſt iſta aeternitas animarum in anima mundi radicata, et ex ea fluens cum iſta duratione ſpeciali et permanentia animarum conciliari, modo emanatiuum ſyſtema in auxilium adhibeatur, ſecundum quod illa, quae emanant, non tantum ex primo fonte originem, eſſentiam et naturam accipiunt, et exiſtentia quoque eorum in iſto fonte radicatur; ſed ita quoque cum eo connectuntur, vt quamuis realiter ſecreta, minimeque confuſa, per ſe ſubſiſtant, propriamque ſubſiſtentiam etiam poſt fata diu habeant, vnum tamen cum toto, id eſt, vnum eſſentiarum mare conſtituant, tandemque velut riuuli ex fonte orti laticesque ſuos inde haurientes aliquando eo reuocentur, vnde effluxerunt. Quod ſyſtema cum barbaras fere gentes omnes in daemonologia ſua recepiſſe ſupra euicerimus, ſimillimum vero putamus, Pherecydem quoque, qui nouum dogma non excogitauit, ſed ab antiquiſſimis hominibus ad Chaldaeos et Aegyptios, Indos et Orientales gentes alias propagatum, Graecis ſuis, Orphicis

b) Eo tendunt, quae ad AQVILIANVM de placitis phil. ante Ariſt. p. 107. not. m. monuimus.

cis dogmatibus arcanis et obſcuris nondum ſatis illuſtratis tradidit, vt videtur, non tantum in vulgus exire paſſum eſſe, ſed ſyſtemati quoque ſuo coſmogonico intertexuiſſe. Plura vero de hoc argumento et propiora definire velle, fruſtraneum laborem eſſe putamus.

pag. 990. lin. penult. *Diligenter congeſſit.* Poſſunt hi catalogi ſcriptorum de Pythagora eiusque philoſophia augeri ex *bibliotheca philoſophica* STRVVIANA Kahliartis ſpicilegiis amplificata [i], vbi multi, qui de Pythagorae perſona, methodo, ſcriptis, praecipue de aureo carmine, de philoſophia in genere, de phyſica et ethica, et theologia in ſpecie, deque ſymbolis egerunt, vtinam ordine luculentiore, prolixe tamen exque inſtituto, enarrantur. His ex recentiſſimis ſcriptoribus addenda V. C. HIACYNTHI SIGISMVNDI GERDILII, in regia vniuerſitate Taurienſi profeſſoris celeberrimi induſtria, qui in eleganti *introductione ad ſtudium religionis* [k] diligenter multa, cum quae vitam et hiſtoriam Pythagorae concernunt, tum quae ipſius philoſophiam tangunt, magno conamine attulit, eo potiſſimum ſpectantia, vt purioribus dogmatibus reuelationis veterisque traditionis Samius philoſophus videatur vicinior: ad quae in ſequentibus paucis, quantum pagellae hae patiuntur [l], reſpiciemus, in illis potiſſimum locis, vbi aliam, quam nos olim, viam in hoc argumento ineundam eſſe vir doctiſſimus decreuit. Fuit etiam non nemo, qui prima philoſophicae hiſtoriae ſpecimina in delineanda hiſtoria Pythagorae critica vulgando, a noſtris obſeruationibus ſaepius ſibi recedendum eſſe ſtatuit, praecox et eruditus iuuenis FRIDERICVS CHRISTIANVS EILSCHOVIVS [ii]; cum vero eius nobis labor viſus non ſit, hanc eius diligentiam conſulere, et quid illi monendum eſſe in hac noſtra Pythagorae hiſtoria viſum ſit, examinare non potuimus, lectori, ſi placet, harum rerum ſtudioſo examen criticum ſeruantes, et quidem tali, qui praeiudicia deponere didicit, et digreſſionibus ad alia a tramite tranſilire tanquam peſtem, in hac eruditionis parte timet. Tandem nec ſilentio hoc loco nobis praetereundus eſt, vir celeberrimus, GODOFREDVS PLOVCQVET philoſophus hodie Tubingenſis acutiſſimus, qui in libello academico *de ſpeculationibus Pythagorae* [m] ſubtiliter et metaphyſice egit, iſtis adeundus, qui non tam hiſtoriam Pythagorae, quam metaphyſicas rationes ſyſtematis

i) p. 15. 84. 85. 89. 93. 210. 212. 213. 331.

k) Lib. II. qui totus agit de ſecta Italica, pag. 247 ſeqq.

l) Fuſe et, more ſuo elegenter vir doctus in hoc campo verſatus eſt, ſed pleruinque per coniecturas, quibus hypotheſin ornare ſuam ſtuduit. Hanc vt integram excutiat vir quidam eruditus, et in hac literatura verſatus, ait qui tantum habet animi, vt omnem hypotheſin abiiciat, et ſolas regulas fidei hiſtoricae, ab arte rationali praeſcriptas tanquam lapidem quendam Lydium adhibeat, vehementer optamus. Id a nobis in ſpicilegio hoc fieri non poſſe, lector facile intelligit, cum probe videamus, facile integrae diſſertationis ſegetem inde poſſe efflorescere.

ii) Fionenſis Danus denatus aet. anno 24. ereptus magnae ſpei 1751. Is edidit biographiam hiſtorico-criticam Pythagorae, lingua Danica, cum praef. V. C. KOFODANCRRI ICti Hafn. 1746. 8. ex Danico in Germanicum conuertit PHILANDER VON DER WEISTRIZ. Haec ex nouiſ. liter. Lipſienſibus anni 1757. p. 12 ſeq. nouimus, quae monent, excurſionibus auctorem annotationes ſuas cumulaſſe: hoc opuſculum a nobis quaeſitum, oculos noſtros effugit, putamusque facile eo lectorem carere.

m) Tubing. 1758.

Digitized by Google

matis Pythagorici, et imprimis physiologici et theologici examinare cupiunt. Quae autem SCIPIO AQVILIANVS [n] de hac Pythagorae philosophia attulit, cum in nostra libelli rarissimi editione omnia examinauerimus, quae is falsa, et inepta attulit, ipsum, qui nunc in omnium manibus est libellum consuli cupimus.

pag. 991. lin. 29. 30. *Primis nascentis historiae Pythagoricae scriptoribus immensa fabularum et mendaciorum seges efflorescere.* Haec suspicacius, quam forte par erat, dicent, nos affirmare, qui vel antiquorum temporum istorum mores et nationum atque philosophorum ingenium ignorant, vel ad causas rerum interiores attendere et arcanas inde rationes actorum expiscari non didicerunt, quos nunquam, credimus peruenire posse ad pragmaticam philosophiae historiam. Nobis per omnem philosophicae historiae campum, intra tot annos, quibus his sacris litamus, volutatis, multoties ista prouidentia profuit, ne in ineptos errores incideremus. Non negant hoc viri docti, etiam, qui confidenter magis in hac Pythagoreismi historia grassantur, et quantum profundius in hoc argumentum penetrarunt, tanto prouidentius incedendum esse veritate coacti concedunt: putant tamen, hanc, quam tetigimus, historiae Pythagoricae incertitudinem eos testes non tangere, ex quibus noti et celebres illius historiae auctores, Laërtius, Porphyrius, Iamblichus praeeunte antiquioris temporis traditione sua hauserunt, et imprimis illis fidendum esse, qui et tempore proximiores, et ad adeundos fontes perueniendi occasione aptiores fuerunt. Maxime doctissimus GERDILIVS, qui fabulas Milesias falsasque narrationes Platonicorum non negat [o], putat tamen, quod imprimis doctrinam concernit Pythagorae, fidendum esse Platoni et Aristoteli, tum, quod Plato libros arcanos Pythagoricorum habuerit, magnique redemerit, et ex his haud pauca in sua arua deriuauerit, ex conuersatione quoque cum vltimis Pythagorae sectatoribus mentem scholae propius cognoscere potuerit: Aristoteles autem veterum placita rimatus liberoque iudicio in ea re versatus facile potuerit discernere, quid Pythagoreae scholae proprium et genuinum esset, quid a Platone aliisque ex aduentitio admissum, vel ex proprio interspersum. Non negamus, hoc non sine colore dici, et persuadere nobis attentionem omnimodam. Ast recordantes, quae ex parte iam suo loco tacta sunt, et in hac ipsa nostra tractatione annotauimus [p], 1. mox post Socratis fata, quo imprimis Plato supra ceteros philosophos se efferebat, quod post sindona Pythagoricam sapientiam didicisset, genuinis Socratis discipulis eius fidem suspectam fuisse, et reprehendisse eum, quod prodigiosam Pythagorae sapientiam adamauerit, et seduci se passus sit [q], vt Socratica, quamuis magis sobria contemneret, et physiologiam τερατώδην recí-

n) De plac. phil. ante Arist. c. 20. p. 114 sqq.
o) loc. cit. p. 243.
p) Vid. p. 661. 669.
q) Vid. EVSEB. praep. ev. L. XIV. c. 12. p. 745.

reciperet, ex quibus id, etiamsi reliqua suspecta essent r) colligimus, τὸ τετρατῶδες Pythagoreismi eum seduxisse, vt manum daret iis, quae pro Pythagoreis ei fuere vendita; 2. adeo inter arcana habuisse hanc, quam in schola Pythagoreorum didicisse iactabat sapientiam, vt nemini mentem Pythagoreae sectae candide aperuerit s), iurisiurandi fide interposita; quam detrectasse sine auctore et teste ait OLYMPIODORVS t), certe de exoterica tantum methodo intelligendus est, vt suo loco ostendimus: 3. ipsum quoque Platonem ex Chaldaeis, Aegyptiis, Pythagoreis, Heracliteis, Empedocleis sapientiam suam collegisse, et inepto syncretismo consarcinauisse, sic vt sincerum nihil ab eo expectari possit, cum equos gryphis iunxerit, raro non suspectus, et sincerus veterum opinionum testis. 4. Aristotelem vero in recensendis veterum ante sua tempora philosophorum sententiis nec fidem et sinceritatem probauisse, nec luculenter in recensendis veterum placitis versatum esse, et pleraque obscurauisse, seque testem minime idoneum ostendisse; haec memori attentione cogitantes an non etiam propiorum testium, quam sunt tempora post C. N. quibus Alexandrina schola floruit, fidem suspectam habeant, et, si quoque magna est apud eos tantorum nominum auctoritas, cuncta prius examinent, fidem explorent, et ad gradus veritatis historicae prouide attendant? Haec vero, cum dubiam fidem testimonii et narrationis eorum faciant, qui reliquis propiores Pythagorae temporibus fuerunt, hosque exscripserunt, quid ab iis expectandum esse existimabimus, qui multorum seculorum intercapedine remoti veritatem dicere nec potuerunt, nec voluerunt? qualem fuisse Alexandrinam scholam suo loco demonstrauimus.

pag. 992. lin. 22. 23. *Quod etsi suo tempore ex instituto demonstrabimus.* Factum id inuictis, si veritatis, non vero praeiudiciorum ratio habenda est, argumentis *tomo secundo historiae criticae philosophiae* u), quae vel euertenda prius sunt, antequam ex horum hominum testimonio in explorando Pythagoreismo, victoria canatur, cum de orthodoxia Pythagorica disquiritur; vel abiiciendi ex testium numero et non turpi fuco pingendi homines perditissimi, iurati reipublicae Christianae hostes. Tales autem cum iam extiterint, qui ante nati Christi tempora τὸ τετρατῶδες Pythagoreum infanis ausibus in theatro historiae publico collocarunt, merito in eam deducimur cogitationem, istos fabularum Pythagoricarum architectos, gloriae quoque gentis Iudaicae, ex miraculis Mosaicis inuidentes talia potissimum excogitasse, fuisseque mentitos, quae si non eripere hanc gloriam genti sanctae, attamen suis philosophis paria vindicare, simul autem Pythagoreae sectae auctoritatem in Aegypto et Asia caput sub Ptolemaeis valde erigentem confirmare contra aliarum sectarum duces possent, quod eo facilius potuit ab iis fieri, quod receptum apud veteres omnes

r) Nempe, quod ipsius Xenophontis haec epistola sit, quam excerpit Eusebius.
s) Vid. supra dicta p. 661.
t) Vid. ibid.
u) pag. 373 seqq.

Digitized by Google

omnes erat res diuinas miraculorum mendaciis suffultorum pigmentis illinere. Vnde nihil pro Alexandrina mentiendi et fingendi audacia excusanda facit, quod pleraque ab antiquioribus hominibus acceperint. Esto, de quo hoc loco non disputari potest: ast, annon officium erat historici, nihil falsum, nihil suspectum mendacii dicere, cuncta probare, assertorumque fidem publice prodere? Quod vero tantum abest, vt fecerint nugiuenduli homines, etsi cetera eruditissimi, vt loco iam in textu a nobis adducto, potius mendaciis suis diuinas origines assertum iuerint, et putidissimam eam fidem Dei voluntatem esse, ab eius inspiratione reuelandam ausi fuerint suis nugis praefari. Quod ne sine teste nos dicere quis putet, rogamus, legant, qui volunt, et impudentissimo nugatori patientiam non inuident, *prologum vitae Pythagorae* a Iamblicho conscriptae [w], vt habeant, quod obstupeant, et impudentiam Iamblichianam mirentur. Eum totum describere et pagina deficit, et patientia.

pag. 993. lin. 19. 20. *Vt Iesu vero θαυματέργῳ opponerentur.* Haec adeo manifeste in oculos incurrunt, vtriusque nugatoris narrationem de Pythagora cum sacra historia comparanti, vt in luce meridiana posita merito videantur, quibus recte ideo subscripsit quoque cl. GERDILIVS [x]. Quare mirari satis non possumus viri in his literis summi B. Io. ALBERTI FABRICII effatum [y], *profiteor, me non omnino probare suspicionem eruditi viri*, (Kusteri) *cui Porphyrii, antiquiorum usquequaque vestigiis insistentis, et, qui eum in plerisque sequitur, Iamblichi liber videtur compositus et variis de industria commentis refertus, in opprobrium nostrae religionis: cum vterque pars fuerit maioris operis longe alium sibi finem propositum habentis.* Quanquam enim non negamus, partem integri operis primam *historiae philosophicae* fuisse illam Porphyrianam biographiam Pythagorae, et similiter quoque *introductionis in philosophiam siue ἄγωγὴν Pythagoream Iamblichi* vitam Pythagorae: non videmus tamen, cur non potuerit vterque hoc opus suum eo fine conscribere, vt, quam vnam posse crescenti et in aula quoque fulgere incipienti christianae religioni opponi credebant, philosophiam Pythagoricam iisdem rationibus instruerent, quas validissimas esse iudicabant ad opprimendam doctrinam Christianam. Quod cum non solum sapientiae Pythagoreae commendatione, sed imprimis vitae Sancii philosophi τερατολογίᾳ effici posse crederent, verum quidem est, miraculosa omnia dudum, maxime in Aegypto atque Syria de Pythagora narrata eos confarcinasse, ast, quae malitiam eorum et vatinianum odium satis prodit, ea ratione, vt ad minuendam Christi seruatoris gloriam Pythagoreorum miraculorum celebritatem simul adhiberent, hocque manibus palpari possit. Eius fidem loco notabili fecit LVD. KVSTERVS [z], qui expendendus: hunc enim tangere voluit Fabricius.

w) Prouocauit quoque ad hunc locum Cl. GERDILIVS l. c. sed cur Iamblichum nominare noluerit, rationem non videmus.

x) l. c. y) Bibl. Graec. Vol. I. p. 450.

z) not. 13. qui ad locum n. 30. prouocat, qui omnino comparandus.

pag. 993. lin. 31. *Imperium in ventos et maria exercuiſſe legitur.* Addimus his iactabundam et effrenem traditionem eclecticorum, qui ſe Pythagoreos haberi cupiebant; ex quorum numero IAMBLICHVS refert, Pythagoram Abaridi, cum aureum femur oſtenderet, reuelaſſe, ἄλλως ἂν ὄντως αὐτὸς ὢν Θεὸς, „quod reuera Deus eſſet, - - - qui ad curandos „demerendosque mortales aduenerit, καὶ διὰ τοῦτο ἀνθρωπόμορφος, ac quod „propterea humanam formam induerit, ne ſupereminenti maieſtate velut „re noua turbati, diſciplinam ſuam defugerent.“ Rogamus ipſum lectorem, vt iudicium interponat, annon euidentiſſimum ſit, Iamblichum Paulino de Chriſto θεανθρώπῳ teſtimonio, Pythagoreum ὑπέροχον, diuinam maieſtatem in forma hominis apparentem oppoſuiſſe? Talia veteres ante Chriſti in orbe apparitionem Pythagorae non tribuerunt, quamuis ſplendide de congreſſu Pythagorae et Abaridis fuiſſent mentiti. Par eſt ratio aliorum θαυμασίων, ab his impoſtoribus Pythagorae tributorum, quae veterum ante ſe fingendi et mentiendi licentiam longo interuallo poſt ſe relinquunt, quaeque ea nugandi audacia apud veteres non inueniuntur, tantum abeſt, vt ſcriptores Pythagorae res ante C. N. deſcribentes preſſo pede fuerint ſecuti, cum haec ſimilitudo inter miracula Chriſti et mendaciſſima τέρατα Pythagorae nondum potuerit excogitari, antequam gloria miraculorum filii Dei, eorumque hiſtoria publicaretur. Vnde recte in his confirmamur, quae hoc loco dicta ſunt, nec ad obiectionem Fabricianam attendimus.

pag. 994. lin. 2. *In acta retulerunt, quaerenda eſt.* Niti has rationes tum fidei hiſtoricae legibus, et rationalis philoſophiae praeceptis, quae in tanta hodie philoſophiae luce a nemine, cui veritas omni fuco potior eſt, ignorari, multo minus negari poſſunt, et a recentiſſimis philoſophis *) ſobrie atque prouide inculcantur; tum etiam apertis hiſtoriae philoſophicae Pythagoreae ſectae circumſtantiis ſe ipſa omnia prodere, nemo forte inficias iuerit, niſi cui partis, ſectae, vel hypotheſeos ſeruandae ſollicitudo aliam mentem induit, vt malit ducem, quem tanquam infallibilem ſibi puer delegit, ſequi ſenex, omnemque rationalis examinis curam coecus negligere, quam apertis oculis explorare prius, qualis via ineunda ſit. Itaque cum haec omnis noſtri laboris ſcopum conſtituerint, vt non factorum tantum certitudinem, ſed teſtium quoque fidem exploraremus, et imprimis gradus probabilitatis fidei huius hiſtoricae critica lance ponderaremus, ea, quae ex hac cautione critica in hoc quoque capite ſcripta ſunt, et velut veriſimilia vel minus probabilia a nobis expoſita ſecundum has regulas diiudicari volumus: nec reiiciendum illico ratiocinium criticum, et limites tranſiliiſſe, putandum eſt, ſi argumento vno vel altero fucus communi fabulae poſſit induci, dubiumque moueri. Fatemur, vt in omni hiſtoriae examine euenire ſolet, viros doctos, et imprimis ingenii foecunditate et excogitandarum obiectionum vſu exercitatos, facile

*) Vid. cel. HOLLMANNI philoſ. rat. §. 405 ſeqq. quo loco praeclara multa cumulantur.

Digitized by Google

cile interdum inuenire poſſe, quid in argumento probabili excipiant; norunt, qui hanc ſcientiam tractauerunt, id nullibi magis, quam in hiſtorica eruditionis parte accidere: aſt, de eo quidem triumphum, quae interdum ante victoriam canitur, ſomniare, vel plane dictatoria auctoritate decernere velle, id a ſapiente viro alienum exiſtimantes, ſecure in iis, in quibus viris quibuſdam doctis accuratio noſtra, (nam audaciam nemo vigilans facile pronuntiabit) cenſura notanda viſa eſt, ad orbis literarii, his criticae artis regulis addicti iudicium prouocamus, ideoque in hoc quoque ſupplementorum volumine operisque noſtri appendice, contentionis et diſputationis ferram non reciprocandam eſſe ſtatuimus, cum nec loci anguſtia copias omnes in aciem educere, quas paratas habemus, patiatur, nec opus ſit, vt lectoris patientia abutamur, ad tales obiectiones refutandas, quorum debilitatem ipſe Lector a praeiudiciis liber ex dictis poteſt agnoſcere, ſententiamque libere dicere. Quae ſemel hoc loco, vbi maxime occaſio occurrebat, monenda eſſe putamus, ne ſilentio cauſſam bonam veramque prodidiſſe et deſeruiſſe videamur. Iudicium per nos erit apud lectorem rerum peritum et a partis ſtudio alienum; cui cauſſam in ſe bonam ſe probare absque his ſtratagematis ſperamus, quique nullo negotio perſpiciet, nihil emolumenti amittere ſanctiſſimae religionis cauſſam, ſi ficulneis his praeſidiis deſtituatur, cum eius fides, auctoritas ac integritas a primis hiſtoriae orbis temporibus adeo probata, et ſcriptis *θεοπνεύστοις* confirmata per aliquot annorum millenaria ſit, vt ſuo talo perſiſtens ſuaque luce radians, iſta maleſana conciliatione errorum gentilium ad roborandam cauſſam Dei opus minime habeat: modo recte inter fidem diuinam et humanam diſtinguamus, quo pacto inuincibilis ſe demonſtrabit religionis purioris puritas, nullo illita fuco, nec vnquam fide vacillans.

p. 998. lin. 17. *Multa inde exſurgit hiſtoriae Pythagoreae incertitudo atque obſcuritas.* Senſit, quo eſt acumine, vim argumenti ab incertitudine temporum et imprimis anachroniſmis putidis Porphyrii et Iamblichi, (quibus merito tota ſecta Alexandrina his eius doctoribus tempore anterior, at in eiusdem *ἀνιστορησίας* vitiis toties deprehenſa iungi debet). Ven. GERDILIVS [b], nec prorſus negat, ſed, cum multum ſuae hypotheſi intereſſe videret, vt non tantum horum hominum narrationes, ſed ſanctorum quoque PP. relationes ſua auctoritate conſtent, cui potiſſimum totum opus ſuum de traditione ad reuelationem neceſſaria, inaedificauit, omnem lapidem mouit, vt has noſtras rationes non tantum fluctuantes redderet, ſed ipſam quoque ratiocinii *ἐνέργειαν*, quam Peripatetici philoſophi medium terminum vocant, eneruaret. Itaque, vt Iamblichi fidem confirmaret [c], primo nobis auctoritates doctiſſimorum hominum Seldeni, Stanleii, Natalis Alexandri opponit, qui Iamblichianis commentis fidem attribuerunt, quamuis, quod vehementer miramur, non ignoraret, nos ipſos haec

b) loc. cit. p. 263. c) pag. 266.

Digitized by Google

haec omnia non adduxiſſe tantum [d], ſed et ad ea reſpondiſſe, et pro inutili argumento habuiſſe, quod recentiorum opiniones teſtimonii hiſtorici fidem non adaequant, quia cum tota hiſtoria Pythagorea non cohaeret, et ſolis teſtium inſufficientium fabulis nituntur, non excuſſa probabilitate vel certitudine hiſtorica. Maximum autem praeſidium ad ſaluandam atrociſſimorum Chriſtianae ciuitatis aduerſariorum [e] fidem et auctoritatem in eo ponit, tum quod hoc argumentum difficultates quidem in hiſtoria Pythagorea occurrere euincat, non autem impoſſibilitatem vel contradictionem inſanabilem, nec ab anachroniſmis hiſtoricis valeat conſequentia ad negandam veritatem narrationum, ſi cetera recte ſibi conſtent. Id quod exemplo ex ipſa Pythagorae hiſtoria petito illuſtrat allegando magnum veterum diſſenſum et nunquam in concordiam reducendas traditiones de tempore aduentus Pythagorae in Italiam, ex quo tamen falſo concluderetur, Pythagoram in Italiam plane non perueniſſe, quae tamen veritas ab omnibus concedatur. Ita potuiſſe quoque Iamblichum, et qui eiusdem farinae atque ponderis teſtis eſt, Apuleium errare in chronologia Pythagorae, et tamen rem narratam tradere certiſſimam, aſt a ſequiorum temporum ſcriptoribus varias veterum narratiunculas ſequentibus, iis circumſtantiis in tanta temporis remotiſſimi obſcuritate ita pictam et ornatam, vt pulchrius placeret, qualem eſſe captiuitatem Pythagorae ſub Cambyſis expeditione in Aegyptum ipſe, qua eſt ἀγχονίᾳ, probe perſpexit. Non eſt nobis animus, de hac re cum celeberrimo viro controuerſiae ferram reciprocare, qui non polemicam, ſed criticam philoſophiae hiſtoriam ſcripſimus, praecipue, cum iudicii noſtri de hoc argumento a fide Iamblichi et ſequacium deſumto, rationes in ipſo opere ita inſtruxerimus, vt vel mediocriter ſcientiae ratiocinandi artisque criticae peritus lector requiratur, qui illico perlectis noſtris et cum obſeruationibus Gerdilianis comparatis ipſe ſtatuere poſſit, quid a prouido verumque ſitiente lectore nullo praeiudicio opinionis, ſectae, hypotheſeos et vtilitatis impedito ſit decernendum, cui hanc quoque obſeruationem examinandam porro relinquimus. Noſtra enim nihil intereſt, quo loco habeatur fides Iamblichi et ἑταίρων, et, num Pythagoras in Oriente et apud Iudaeos fuerit, nec ne? qui ſolius hiſtorici critici perſonam agere ſuſcepimus. Patientiam tamen lectoris exoramus nobis monituris: ſtatum controuerſiae mutare antagoniſtam, noſtroque argumento mentem alienam affingere. Non enim variantes de tempore ſententias et incertas veterum relationes, iis rerum circumſtantiis opponimus, quae a fide dignis ſcriptoribus, qui et ſcire potuerunt, et cauſſam, cur fallant fallanturue, non habuerunt, ſecundum leges fidei hiſtoricae ſatis omnibus notas, qui artem logicam atque criticam intelligunt, ſolent narrari, nec in ſimili caſu

d) li. l. p. 1000. not. y. p. 1004. not. x.
e) Fuſe hoc probauimus Hiſt. cr. phil. T. II. p. 251. 265. 378. quibus quid adhuc addendum eſt, ſi haec contra nuda nomina allegata non ſufficiunt?

Digitized by Google

casu pyrrhonismum vniuersalem sequendum, sed probabilitatem factorum expendendam esse, ipsi sumus fassi [f], quo nomine quoque doctissimi Lloydii chronologiam Pythagorae [g], tanquam reliquis probabiliorem commendauimus. Sed id tantum voluimus euincere, quod non Iamblichi tantum et Apulei, sed omnem quoque Pythagoreae sectae, post primam eius aetatem nobis fere incognitam, fidem vno ictu prosternit, quod non erubuerint in caussa propria contra omnem vetustiorum scriptorum narrationes mentiri, et ἄπιστα quaeuis obtrudere tanquam a veteribus sibi deposita, modo labanti gentilium superstitioni possint fulcra supponere. Quod ne hypotheseos gratia dixisse videamur, pace lectoris reum illi confitentem iterum adducimus IAMBLICHVM, ad quem suo loco iam prouocauimus, scribentem, Πυθαγορεῖοι ἡμῶς ἔχουσι πιστικῶς, οἷον περὶ Ἀριστέου καὶ Ἀβάριδος μυθολογούμενα, καὶ ΟΣΑ ΑΛΛΑ ΤΟΙΑΥΤΑ ΛΕΓΕΤΑΙ, ΠΑΣΙ ΓΑΡ ΠΙΣΤΕΥΟΥΣΙ ΤΟΙΣ ΤΟΥΤΟΙΣ, ΠΟΛΛΑ ΔΕ ΑΥΤΟΙ ΠΕΙΡΩΝΤΑΙ, τῶν τοιούτων δὲ τῶν δοκούντων μυθικῶν ἀπομνημονεύουσιν, ὡς ἐδὲν ἀπιστοῦντες ἕ, τι ἂν εἰς τὸ Θεῖον ἀνάγηται. Quae cum supra iam adducta, et Pythagorei, velut impostores et trabalium mendaciorum architecti propriis verbis damnati sint, miramur vehementer virum adeo doctum, qualem Gerdilium sincere colimus, ad saluandam hypothesin, maluisse, quaestionem excussam vitioso circulo inter nouas demonstrationes repetere, quam ad hanc inuincibilem obiectionem respondere, de quo silentio eiusque caussa iudicium lectori relinquimus. Nec vero nos multum mouent, quae vir elegantissimus monet [h], non solius Iamblichi, sed Laërtii quoque et grauioris adhuc testis, Ciceronis et similium ante N. C. testimoniis talia affirmari, maxime Hermippi et Aristobuli: Vbi eadem iterum chorda oberrat vir clarissimus, et tacet, nos huic obiectioni iam repagula obiecisse, monentes [i], eo iam tempore historiam Pythagorae falsa θαυμασίων iactatione et populi superstitione adeo depraua-tam fuisse, vt non potuerit non iam primis nascentis historiae Pythagoricae temporibus, immensa fabularum et mendaciorum seges efflorescere, id quod ex epistola ad Aeschinem apud Eusebium Xenophonti adscripta roborauimus, vbi τερατολογίας vitium iam Socratis tempore huic sectae fuit obiectum [k]. Quae omnia prouide a nobis allata cum vir doctissimus silentio sepeliuerit, respondendi caussa hic repetimus, vt videat lector, Gerdilianas castigationes non efficere, quod quidem putat, vt constet, nos sanae criticae leges transiliisse. Et haec quidem de argumento chronologico sufficiant. Contradictiones nobis imputatas mox remouebimus, et ab hac scabie nos liberabimus, insuperabilem Pythagoreae historiae difficultatem iterum iterumque inculcantes, quam suo loco [l] non sine

 singu-

f) pag. 997.
g) pag. 692.
h) loc. cit. p. 267.
i) pag. 991.
k) Excipiet forte vir doctus contra fidem et auctoritatem huius epistolae, tanquam Xenophonti suppositae, de quo h. l. disputandi campus non est, nobis sufficit, EVSEBII fide eam adduci, quem testem ipse V. C. admittit, nihilque continere quod non σύγχρονοι quoque scholae Pythagoreae obiecerint.
l) pag. 991.

ſingulari attentione attulimus: „Pythagorae et ſequacium pertinaciam „nihil de rebus ſuis, quamdiu fere ſecta iſta floruit, vel ſcripto compre„hendentium, vel in vulgus exire patientium, ſatis nos conuincere, du„bias eſſe narrationes omnes et incertas eorum, quotquot poſt Pythago„reorum aetatem de iis ſcripſerunt: nam, cum ſeſquiſeculo iuniores ſint „illis, qui etiam proxime aetate ad eos accedunt, cumque nullis dome„ſticis et genuinis monumentis et memoriis vti potuerint, ſed ex vulgi „tantum fama et traditione, quae toties fallax et vaga atque vana eſt, ſua „retulerint, iudicari ex his facile poſſe, quantum illis fidei decedat, ad „integram veramque Pythagorae tradendam hiſtoriam." Hic verus fons eſt, vnde de fide hiſtorica Pythagoreae ſectae iudicandum; heic Rhodus, hic ſaltandum, aſt paſſibus aequis et dimenſis, et non ſola nomina recitanda, quae quanquam ſuis meritis venerabilia, (quod imprimis de PP. eccleſiae dicendum, viris optimis, aſt iuſtis fontibus deſtitutis, et vaga ſcholae, in qua educati ſunt, traditione et narratiunculis deceptis): teſtium tamen idoneorum multitudinem non conficiunt, cum vnus alterum exſcripſit et ideo pro vno tantum teſte haberi debent; ſed probe ponderanda fides et auctoritas. Ignoſcet lector, quod ad haec talia inuiti deſcenderimus, quibus lites valde atque vehementer inuiſae ſunt, et veritas quoque contentioſa ſuo modo diſplicet; quoniam neceſſitas incumbebat occurrendi auctoritatis praeiudicio, quo iugulandam eſſe hiſtoriae fidem viris etiam acutiſſimis et doctiſſimis videtur; et declarandi, quo pacto nos ab accuſatione iniuſtae et neglectae venerationis, erga primos doctores eccleſiae defendendos eſſe putemus, quae ſufficere poſſe Gerdilianis imputationibus apud aequos lectores omnes, qui regulas criticas non contemnunt, et coeco traditionis ineptae obſequio ſacrificant, merito putamus, et ipſi viri doctiſſimi Zelo ſatisfacere poſſe iudicamus [m]. Non inuidemus illi credulitatem, moribus huius generis hominum ſolennem, et ex vſu partis, quam ſequuntur, receptam, nobis autem Proteſtantibus (hos enim alio loco ſuae parti velut nobiliori et prudentiori opponit):

non licet eſſe tam diſertis
qui muſas colimus ſeueriores.

pag. 999. lin. 11. *Tanquam bonum quendam daemonem in Samiorum urbe peregrinatum fuiſſe.* Dabimus lectori, Iamblichianorum commentatorum inſpiciendorum occaſione priuato ipſa impii ſcriptoris verba, vt appareat, gloriae I. C. Θεανθρώπε talia oppoſuiſſe Iamblichum et eiusdem furfuris homines alios; Ita nempe nugator [n]: *Nemini, qui quidem ex ipſa viri natiuitate et multiplici ſapientia coniecturam fecerit, dubium erit, quin anima Pythagorae, Apollinis ſubdita imperio vel perpetim eiusdem Dei aſſecla (συνοαδὸν) vel alio proximiori commercio eidem coniuncta ad homines delapſa ſit.* Et paulo poſt,

m) Tamum nos de hoc argumento diximus, cum Fr. Balti S. I. librum de Platoniſmo PP. examinaremus T. III. p. 343 ſeq. vt perorata merito ea cauſſa videri queat. Apparebit ex illa tractatione, nos in pientiſſimorum virorum memoriam nihil peccaſſe. n) n. 8. p. 5. ed. Kuſt.

Digitized by Google

poſt [e], ἐπέστρεφε πάντας καὶ ὥ τινι ἂν προσβλέψας θαύμαζοε ἐφαίνετο, ὥστε ὑπὸ τῶν πολλῶν εἰκότως βεβαιοῦσθαι, τὸ Θεοῦ παῖδα εἶναι αὐτόν: *in se cunctos conuertebat, et quoſcunque aſpexerat, ſui ſtatim admiratione implebat. Hinc euenit, vt multi* DEI EVM FILIVM ESSE MERITO *aſſeuerarent:* et paulo infra [f], ὡς δὲ δαίμων τὶς ἀγαθὸς ἐπιδημῶν τῇ Σάμῳ. *Velut bonus quidam daemon in Samiorum vrbe peregrinabatur.* Alium locum magis notabilem [g] nos ſupra iam attuliſſe recordamur, et ad Kuſteri annotationem [h] prouocauimus, fruſtra laceſſitam a I. A. FABRICIO. Haec qui gloriae I. C. non oppoſita eſſe videt, in ſole meridiano caecutire cenſendus eſt. Certe haec ipſiſſima horum hominum opinio de ſanctiſſimo ſaluatore noſtro fuit, dari tales animas diuinas, naturae diuinae cognatas, et huius generis fuiſſe Ieſum Chriſtianorum, et ipſum quoque Pythagoram et poſt hunc Apollonium, vt ſuo loco [i] probatum. Haec illis expendenda relinquimus, qui pio magis, quam prouido auſu beatiſſima eccleſiae Chriſtianae primaeuae lumina peſtilentiſſimorum horum hominum choris immiſcent, rati, non illos ab his deceptos, ſed hos ſalubriora et meliora aliunde et ex puriori traditione accepiſſe, vidiſſeque luculentam Pythagoreorum placitorum cum Chriſtianis ἐυδοξοις conſenſionem: qualia vtinam viris quibusdam doctis, aſt praepoſtero zelo cum PP. omnia in religionis Chriſtianae commoda rapientibus, et inter hos optimo Gerdilio non excidiſſent, magisque illi attenti fuiſſent ad nexum ſyſtematis genuini, nec ſuis inuentionibus adulterati, quam ad exoterica hac illac corroſa, vt de harmonia vel diſſenſione vtriuſque ſyſtematis ſobrie magis cogitari poſſet. Prudens eſt viri ſummi SAM. WERENFELSII [k] obſeruatio: *eos, qui ex dictis gentilium integra religionis purioris ſyſtemata collegerunt, ex quibuslibet, quae reperire poterant, gentilium ſcriptis pauca quaedam bona et vera, immeris malis et abſurdis permixta, excerpſiſſe, quae in vnum corpus congeſta, certoque ordine digeſta, religionem nobis referre, non penitus abſurdam minime mirandum. Quanto maior liber fieret*, ita pergit, *ſi quicquid in gentilium ſcriptis falſum et impium eſt, eadem diligentia colligeretur. - - De religione non iudicandum ex ſcriptis quorundam philoſophorum, ſed ex ſacris eorum publicis, quae tam abſurda fuerunt, vt mirum non ſit, inuentos inter eos fuiſſe ſapientiores, quibus iſta non placuerint.* Hactenus Werenfellius, qui recte inde colligit: *auſos fuiſſe poſtliminio huius generis philoſophos Chriſtianis multa furripere;* quod et nos alibi [*] luculenter demonſtrauimus. Aſt nihil id facit ad ipſa ſyſtemata iſtorum philoſophorum ſaniori ſenſu explicanda, ſed vſum tantum paedagogicum exhibet religionis Chriſtianae veritatem ex gentilium κακοζηλίᾳ demonſtrandi. Quae niſi omnia rite diſtinguantur, miſcentur quadrata rotundis, et inter tenebras et lucem harmo-

e) n. 10. p. 6.
f) pag. 7.
g) n. 30. p. 23.
h) n. 13. p. 7.
i) T. II. H. C. P. p. 375.
k) In opuſc. p. 75.

*) In diſſ. de Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus, cui erudita MUNTII diſſ. de Platonicorum Chriſtianos imitandi ſtudio iungenda eſt.

harmonia initur, neutri parti proficua, quod propter Ineptos conciliatores probe obſeruandum eſſe, alto loco monuimus. Ignoſcet lector prolixitati, ad quam nos prouocauit Gerdiliana animaduerſio, ne noſtrae obſeruationes iniurioſae videantur religioni, qui longe impuriores, et, ſi dicendum, quod res eſt, deteſtabiles ſenſus deprehendimus in iis, quae apologetae praepoſteri pro veritate religionis et traditionis diuinae allegant: reliqua iudicio lectoris relinquimus.

pag. 1000. lin. 31. *Cum in Graecia meliora ſuppeterent, ablegaſſe.* Ne hic quidem cenſura nos Gerdiliana * Immunes abire patitur, quae, cum ſemel ſibi perſuaſum haberet, Pythagoram ſublimiora et rectiora de Deo diuinisque et animae humanae immortalitate et aeterna felicitate tradidiſſe, contendit, Samium philoſophum veterum ſapientium in ea re imitatorem, harum veritatum cognoſcendarum auidum iter hoc et alia quoque ad gentes barbaras ſuſcepiſſe, indeque vetuſtiſſimae patriarchalis traditionis reliquias retuliſſe. Quae ſi ita eſſent, facile pateremur aſſeri, niſi ex effato diui Apoſtoli [y] ſciremus, et longa inquiſitione edocti conuinceremur, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ ex prima patriarcharum traditione et reuelatione per eos facta inter primas gentes diſperſum et manifeſtatum mature, et quidem partim ante diluuium, partim proximo, poſt illud, aeuo, dilabentibus in omnes terrarum partes Noachi poſteris, fuiſſe extinctum, et tranſmiſſa in obliuionem veritate primaeua, Deum per verbum ſuum ex nihilo creaſſe omnia, iniuria in Deum ſyſtemata coſmogonica fuiſſe enata, et philoſophos in ſtultitiam fuiſſe demerſos: quam lectionem Paulinam illis commendamus probe ponderandam, qui puriorem traditionem ad philoſophos barbaricos et Graecos veteres intemeratam peruenisſe ſomniant, quamuis videant, eorum πρῶτον ψεῦδος: ex nihilo nihil fieri, etiam ſuppoſito ante ſummo, aſt a materiae contagio non puro, omnem orthodoxiam euertere. Verum haec ὡς ἐν παρέδῳ. Ceterum quod iter Pythagorae in Ioniam, maxime ad Thaletem et Anaximandrum attinet, quod incertum eſſe et dubium, rationibus probauimus, quas confellendas ſibi ſumſit elegantiſſimus et humaniſſimus Gerdilii calamus, facile poſſumus concedere, problematice in vtramque partem poſſe de eo diſputari: id autem monemus, non tantum rationibus rationes et ſuſpicionibus ſuſpiciones eſſe opponendas, ſed pondus quoque, atque ἐπέρειαν expendendam eſſe, quo pacto dubitamus, vtrum Gerdilianae obſeruationes pondus mellus atque grauius ſint probaturae lectori ſatis perito, et a praeiudicio auctoritatis et antiquitatis alieno, quod definiendum ei relinquimus: nam quod ad rationes chronologicas attinet, non poteſt negare vir doctus, male cum his cohaerere Pythagorae iter Ionicum, omnemque de

x) pag. 167.

y) In epiſt. ad Rom. I, 21. 22. vbi imprimis memorabile eſt, S. Apoſtolum ad gentilium philoſophorum διαλογισμοὺς prouocare, qui non niſi de ſyſtematibus coſmologicis intelligi poſſunt, ſi rectus connexio ſequenda eſt. Conf. Carena exegetic. bibl. Theol. Brit. L. I. T. XIV. p. 548. not. 1018.

Digitized by Googl

de eius cum Thalete et Pherecyde conuerſationem tantopere ſibi contradicere, vt luculenter appareat, nihil habuiſſe certi et conſtantis huius narratiunculae auctores, quod afferant, niſi ineptam opinionem, non futurum fuiſſe Pythagoram omnium ſapientium primipilum, niſi Ionicae philoſophiae parentem Aegyptiacam philoſophiam comtius ornantem, praeceptorem habuiſſet: quod ſufficere putamus, vt horum hominum fidem dubiam et ſuſpectam habeamus, quamuis impoſſibile non credamus eum Ioniam inuiſiſſe, forteque vidiſſe Thaletem et Pherecydem, quod, qua limitatione et moderatione admitti poſſit, ipſi diximus. Nec magnopere nos auribus tenet vir doctiſſimus, quando dictis noſtris: philoſophiam Ionicam adeo diſſimilem eſſe Pythagoreae, vt ne veſtigium quidem appareat, eius principia didiciſſe Pythagoram, loca nonnulla opponit, quibus quandam dogmatum nonnullorum conſenſionem inter vtrumque philoſophum agnouimus. Non enim de hac, vel illa theſi philoſophica effatum hoc protulimus, ſed, quod expreſſis verbis ab ipſo viro venerando *αὐτολεξεὶ* adductis patet, *de vniuerſi ſyſtematis habitu veroque ſenſu*, VARIE MODIFICATO. Quo ſenſu verum dixiſſe nos, Lector deprehendet, ſi vtrumque ſyſtema inter ſe comparauerit, et Pythagorae ignem cum Thaletis aqua, ſenſu vtrique ſyſtemati proprio, excuſſerit. Certe aquam omnium rerum monada dixiſſet Pythagoras, ſi Thaletis coſmogoniam recepiſſet, id quod ſufficit ad aſſertionem noſtram ſaluandam. Porro recte quidem refert V. C. Pythagoram potuiſſe primo Thaletis hypotheſin ſequi, poſtea vero in Aegyptum delatum, ſententiam mutare; quam quidem poſſibilitatem non negamus, in aurem autem viro docto inſuſurramus: a poſſibili ad probabile non valere conſequentiam. Tandem, quae ex matheſi a Thalete melius, quam apud Aegyptios fiebat, exculta, concluſimus, vt recte illata eſſe non negat vir celeberrimus, ſed vrget, vetuſtiſſimos philoſophos matheſeos nomine ipſam theologiam, et coſmologiam quoque comprehendiſſe, hancque Thaletem in Aegypto poſſe diſcere Pythagorae commendauiſſe, nullam inde contra nos probandi vim videmus, etiamſi hoc largiri velimus, quod non ſine limitatione admitti poteſt, cum ſemper dubium priſtinum recurrat, cur Pythagoras Aegyptios adierit, qui apud Thaletem et Pherecydem in Ionia et Syria meliora et comtiora iam didicerat? Quare et iam heic nihil nobis delendum videtur, quando etiam concedere velimus, iter hoc Ionicum tantis difficultatibus non premi, quam reliqua, de quibus lector, vt diſpiciat ipſe, rogamus *).

pag. 1007. lin. 22. 23. *Contrariam ſententiam pro oſtentatione Pythagoreorum, omnium terrarum eruditionem praeceptori vindicantium, habentes.* Ita hic rationum et argumentorum acies de itinere Orientali Pythagorae inſtructa eſt, vt, non aliam illis opponi poſſe, certum ſit, quam, quae ex auxilia-

*) loc. cit.

auxiliaribus praeiudiciorum, auctoritatis, sectae, vtilitatis similiumque castris ad sustinendam traditionem communem et a sale critico minime conditam potest fulciri. Remitteremus ideo haec omnia ad lectorem lustraturum vtriusque partis copias et de veritatis victoria decreturum; nisi iterum nos cogeret Gerdiliana diligentia paulisper in hoc campo adhuc commorari, cum multum nos transilliisse limites sanae artis criticae in reiiciendis tum Iudaeorum Hermippi et Iosephi, tum Pythagoreorum, denique PP. ecclesiae veteris testimoniis, iudicis instar indignabundi pronuntiet. Quae fucum inducere posse lectori, credentes metuimus, ne eloquentissimae doctrinae elegantia viri praestantissimi captus ad ipsas rationes et pondera rei non satis attendat. Qui si paulo magis, quam fieri solet, prouide et attente rationes nostras cum Gerdilianis comparabit, verendum minime esse putamus, ne in opinionem deteriorem, et, si fatendum, quod res est, praeter fauorem multitudinis nihil habentem, quod magnopere conuincat, inclinet. Itaque cum istis, quae a nobis adducta sunt, rationibus fortissimis, logicae et criticae artis praesidiis munitis, nihil fere nouum reposuerit antagonista clarissimus, quam quod dudum allatum et a nobis argumentis solidis refutatum est, in eo tantum lectoris patientiam nobis exorandam esse arbitramur, vt ponderare rationes, non autem allegare solum dissentientium nomina velit, cum videamus, virum clarissimum ad hunc lapidem potissimum offendisse, qui pristinam cramben non allo condimento recoquit, quam quod nobis, loco criticae demonstrationis, de fidelitate et auctoritate testium suorum, splendida veteris noulque orbis Christiani nomina obiicit, et nos cogitare iubet, grauissimos homines Iustinum philosophum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Eusebium, Ambrosium, Augustinum et inter hodiernos scriptores Seldenum et Natalem Alexandrum et innumerabiles alios. Quibus superfedere potuisset vir doctissimus, cum non vltro tantum hanc sententiam sequentium multitudinem indicauerimus, sed doctiores quoque, qui pro ea militauerunt, nominauimus [a], possemusque, si sola multitudo faceret testimonio fidem, plures, nobis non ignotos, quos dudum adhuc inter subsellia iuuenum philosophantium versati cognouimus, addere, nisi, testium multitudinem solam nihil auctoritatis fidei historicae adiicere, notum esset; et palam sit, omnes ex vno erroris fonte bibisse, secutosque antecedentium rumores et effata, adeoque omnes pro vno alteroue tantum teste habendos esse. Quod, cum mire tum in philosophos Alexandrinos, qui se Pythagoricos esse iactarunt, tum in PP. ecclesiae quadret, quorum fontes, vnde sua hauserunt, in historia philosophiae PP. candide deteximus, omne, quod a multitudine horum testium nectitur argumentum, robore suo destitutum concidit. Hi enim omnes, pro duobus, et si Iudaeos Graeciffantes addas, pro tribus testibus tantum habendi sunt, quorum vnus alterum exscripsit; ast bigam vel trigam hanc testium

a) Vid. p. 1004. not. x.

Digitized by Google

teſtium pro itinere et commercio Pythagorae cum Iudaeis, carere attributis ſufficientis teſtis hiſtorici, qui rem ſcire potuit, nullaque a cauſſa impeditus fuit, quo minus veritatem teſtari vellet, et hiſtoricis quoque circumſtantiis contradicere auſus non eſt, characterem non ſeruare, id quidem non nos primum lectori palpandum dedimus, ſed non minor quoque virorum grauium et eruditionis, et imprimis artis criticae laude celeberrimorum nubes et affirmatione, et rationibus validiſſimis ante nos confecit, ad quos hoc loco, ad quem haec annotamus, nominatos lectorem, qui auctoritatibus pugnare amat, ablegamus, iisque WOLFIVM [b], KVSTERVM [c], MAYERVM [d] pluresque alios, qui hanc itineris Pythagorei et commercii cum Hebraeis falſitatem agnouerunt, bonisque ex rationibus hoc iudicium communiuerunt, adiicimus. Hos enim excitare velle ſingulos, inutile et ſcopo morique noſtro aduerſum eſt. Dabimus tamen, quoniam tantum Iudaeorum, PP. et Pythagoreorum teſtimoniis vir doctus, contra quem diſputamus, tribuit, loca eorum in contrarium alleganda, ſi opus eſſet, non alio ſcopo, quam ad auertendam, qua nos tacite cumulat, inuidiam. Audiendus ex Dd. eccleſiae veteris LACTANTIVS [e] in philoſophiae hiſtoria verſatiſſimus. Is, quanquam Pythagorae ad Perſas excurſionem recipit, Iudaicam tamen recte negat [f]: *Soleo mirari, quod, cum Pythagoras et poſtea Plato, amore veritatis indagandae incenſi ad Aegyptios et Magos et Perſas vſque penetraſſent, vt earum gentium ritus et ſacra cognoſcerent, ſuſpicabantur enim ſapientiam in religione verſari,* AD IVDAEOS TAMEN NON ACCESSERINT, *penes quos tunc ſolos erat, et quo facilius ire potuiſſent: ſed auerſos eſſe arbitror diuina prouidentia, ne ſcire poſſent veritatem, quia nondum fas erat, alienigenis hominibus religionem Dei veri iuſtitiamque noteſcere.* Alterum Iudaeum IOSEPHVM [g] adducimus, qui gloriae gentis ſuae auidiſſimus, cum ſuae nationi ſolli ſapientiam vindicaſſet, eam plane in libris ſacris comprehenſam et a vatibus diuinis cuſtoditam, ad Graecos peruenire non potuiſſe, luculentis rationibus confirmat: *Nos*, ait, *neque regionem maritimam habitamus, neque commercio gaudemus, neque alterutris peregrinationum conuerſationibus miſcemur. Sed noſtrae ciuitates procul a mari ſitae ſunt; regionemque uberrimam poſſidentes, in ea aſſidue colenda verſamur, maxime autem nobis educandorum liberorum cura eſt, cuſtodiendarumque legum, iuxta traditam nobis obſeruantiam, et pietatis rationem, vnum vitae neceſſarium nobis poſcentes. Cum vero ad haec omnia accedat viuendi ratio propria (ἰδιότης) noſtrae gentis genio accommodata,* οὐδὲν ἦν ἐν τοῖς παλαιοῖς χρόνοις τὸ ποιῶν πρὸς τὰς Ἕλληνας ἡμῶν ἐπιμιξίαν, *nihil erat antiquioribus temporibus, quod conuerſationis et commercii rationem offerret, quemadmodum apud Aegyptios et Phoenices.* Valde conſiderari hic locus meretur,

b) Bibl. Hebr. P. I. n. 983.
c) loc. cit. n. 15.
d) Diſſ. virum Pythagoras Iudaeus fuerit an monachus Carmelita, aliot nominat WOLFIVS bibl. Hebr. P. I. p. 983.
e) Inſtit. diu. L. IV. c. 2.
f) Inſt. diu. L. IV. c. 2. cuius ratio adducta meretur probe expendi.
g) Contra Apion. L. I. c. 4. Conf. LENFANT bibl. Germ. T. II. p. 136. 137. qui legendus.

tur, cum inde apertiſſimum ſit, nec conſueuiſſe Iudaeos ante erectum inter Aegyptios Graecorum regnum cum gentibus aliis, nec vlla conuerſatione coaluiſſe, nec fuiſſe viuendi et ſentiendi cum aliis σύμμιξιν, ſed ſuis contentos tribuum circulis, rem ſibi habuiſſe, et imprimis, quod demonſtrare cupit Ioſephus, ſapientiae theſauros nemini aperuiſſe, cuius rei teſtis Θεόπνευστος et domeſticus nobis mille PP. eccleſiae potior eſt [h]. His ſi addamus linguae exoticae, et cultus ſacri in gente Iſraëlitica conditionem, illepidum et fatuum illum eſſe oportet, qui ſibi pertinaciter perſuadeat, potuiſſe hominem extraneum, peregrinum Graecum, moribus et diſciplina ab Iſraëlitis toto coelo abhorrentem ad hanc ſacrorum communionem admitti: vnde ignoſcendum illis eſſe putamus, qui hic friuola et inepta omnia deprehendunt, et non rationes tamen, ſed cothurnata verba dant. Tertium, Iamblicho et Pythagoreis opponimus ipſum PORPHYRIVM [i], qui praeceptores Pythagorae enumerat Aegyptios, Phoenices, Chaldaeos, Magos, τὰ δὲ λοιπὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων ἧττον εἶναι γνώριμα de reliquis autem eius ſtudiis nihil conſtare. Vnde facilis et natiua naſcitur coniectura, locum alterum apud eundem [k], quo dicitur, Pythagoram etiam ad Arabes, et Chaldaeos *et Hebraeos* peruenisſe [l], *et ab his ſomniorum interpretationes didiciſſe* [l], in mendo cubare, et vocem καὶ Ἑβραίους a ſciolo orae paginae velut gloſſema adſcriptam in textum tandem irrepſiſſe. Itaque, cum primarios teſtes contra hanc praetenſam Pythagorae cum Iudaeis conuerſationem habeamus, cur narratiunculis, primum ſtudio excogitatis, vt Pythagoras omnibus ſapientibus excelſior videretur [m], deinde per manus auditorum ad poſteros propagatis, et ſtrenuis mendaciis auctis, obſtantibus tamen et non cohaerentibus circumſtantiis, fidem dabimus, vt euincamus, ex commercio et conuerſatione cum Hebraeis ſaniora dogmata, et inter ea imprimis creationem ex nihilo accepiſſe Pythagoram? et cur non in eam opinionem deſcendamus, ſemel eiusmodi affanis excogitatis, per tot ſeculorum decurſum ita eas fuiſſe comtas, ornatas, auctas, mutatas, vt veteres quoque traditiones de hoc homine fidem prorſus amittant; ad quam recuperandam commercium illud Pythagorae cum Hebraeis a recentiori Pythagoreorum turba excogitatum eſt, cui ſolenne fuiſſe, fraudibus, ſuppoſitionibus, mendaciis trabalibus, partes ſectae ſuae roborare, alio huius operis loco [n] demonſtrauimus, vnde heic, vbi breuitas ſectanda, et digreſſionibus atque obſeruationibus longioribus locus dari non poteſt, pluribus rem in ſe claram et apertis indiciis ſe prodentem amplius non vrgemus: excuſandos autem

h) Pſalm. CXLVII, 9. 10.

i) Vit. Pyth. n. 6. p. 8. ed. Kuſt.

k) N. 11.

l) Apud CYRILLVM enim contra Iul. L. X. p. 140. non leguntur, qui tamen mores et opiniones PP. ante ſe ſequi ſolet.

l) Oneirocritica apud Hebraeos erat extraordinarium Dei donum, quod diſcere arte et inſtitutione non licebat. Gentiles autem nugas de ea vendebant. Quomodo itaque homo alienigena hoc donum propheticum ab Hebraeis didiciſſet? Annon manibus palpatur mendacium? conf. CYRILL. l. c.

m) Pulchre id obſeruauit GERDILIVS l. c.

n) T. II. p. 379.

Digitized by Google

autem patres ecclesiae primitiuae esse putamus, qui, cum posse se religioni, cuius studio et amore erant accensi, commode inseruire contra gentilium impietatem, si saniora, quod putabant, philosophorum veterum decreta Hebraeis vindicarent, manus dolosо hominum generi porrexerunt, et eiusmodi nugis sibi passi sunt imponi: quod artis rationalis et criticae non satis erant periti *), vt vera a falsis accurate satis possent secernere. Quare labem ista obseruatione viris tot in ecclesiam meritis illustribus aspergere velle iniquum esse iudicamus, et a moribus nostris alienum, ast, veritati tamen litandum esse, nec in eius praeiudicium trahendam eorum inaduertentiam, in critico historiae philosophicae opere summopere putamus necessarium.

pag. 1010. lin. 27. *Obtentu diuinitatis, famam aucupati sunt.* Vidit id, quem hactenus laudauimus, ast modeste quoque examinauimus, vir doctissimus, quamuis Iamblichianis de Pythagora historiolis totus occupatus, et in laudes scholae Pythagoreae quasi raptus *p*), „effeciſſe incredibilem „philosophi Samii venerationem, et quam nactus erat apud discipulos et „populum opinionem, vt eum pro doctore haberent, conditione humana „superiorem et diuinum, et circumstantias supra ingenium suum atque „captum surgentes in miracula conuerterent: qua fingendi et augendi „licentia occupati, tandem lubenter ad incredibilia et miraculosa quae„libet excogitanda et de praeceptore narranda, sint perducti, aucta in dies „τερατολογίας licentia. Nec esse vero dissimile, Pythagoram ipsum, cui „ista veneratio non placere non poterat, eam dextre et artificiose fouisse, „vt ita eminendi semper studio satisfaceret, adeoque impostvrae vitii esse „suspectum." Recte haec dici contra Naudaei apologiam, pagina sequente, nisi nos omnia fallunt, adeo manifestum fecimus, vt non nisi insanabili Pyrrhonismo saluari Pythagorae fama queat, licet, vt verum fateamur, longe ab ea morum scabie absimus, quae omnis veteris orbis viros claros suspicionibus impietatis onerat: non inuideremus hoc officii genus tam celebri philosopho, nisi omnes historiae Pythagoreae circumstantiae in eo conspirarent, vsum esse hoc instrumento infensissimum veritatis diuinae hostem ad supplantandam omnem veritatem puriorem et fouendos detestabilis superstitionis igniculos, qui dolosо sub cinere cum diu latuissent, tandem in iniuriam in sanctissimum Dei filium et ciuitatem ab eo conditam flammam eruperunt. Et hunc quidem tantopere euehi, huius dogmata, quamuis impia et ad incrustandum pantheismum excogitata, et vndique collata, tanta eruditionis et eloquentiae elegantia, quanta in ea re consumitur, velut pura et proxima veritati coelesti, pingi, ornari, excusari, sicque frigidam impostvrae in Christianam ecclesiam iniuriae suffundi, quis a viris, quorum cetera testata est mens pia et pro religionis caussa laudabiliter accensa, expectet? Verum, cum haec alium locum postulent, vbi pondera argumentorum pro veri-

*) Etiam hoc demonstratum T. III. p. 349–354. p) loc. cit.

tate religionis Christianae trutinantur, pedem ex hoc campo tandem retrahimus, rati, sufficere haec pauca ex multis, quae afferri possent, vt ad cauendos parologismos pro bona caussa saepe cumulari solitos, animus lectoris excitetur, iterum iterumque Iablonskianum, ad quod iam supra prouocauimus, effatum inculcantes *vtilissimum*, (et omnibus eiusmodi apologiis, quibus non, quid gentilis veterum impietas dixerit, sed quid dixisse cupiamus et exsculpimus ingenio et doctrina suffulti, affertur, vtilius) *esse*, *theologiae gentili colorem orthodoxiae detrahere*, *docereque, quid ratio sibi relicta luceque diuinae reuelationis destituta possit, quam magni sine ea errores ex* AMISSA TRADITIONE SIVE REVELATIONE ORALI PATRIARCHARVM PRIMAEVA EXORTI SINT; *quo melius auctoritati reuelationis inseruiri potest, quam illepida concordia veterum systematum cum reuelatione.* Recte hanc syncretismi inaduertentiam in scriptoribus Christianorum veterum stigmate notauit *κρητανίτατος* IACOBVS THOMASIVS [e], cuius verba, cum apologiam pro nobis scribant, lectori in fine paginae legenda exhibemus, eaque cum tota eius dissertatione *de Stoica mundi exustione* legenda et ponderanda commendamus, vt malo isti syncretistico medela queat parari.

pag. 1012. lin. 1. *Variae in eas coloniae deductae erant, consedit.* Consulenda hoc loco omnino CHRISTOPHORI CELLARII diligentia, qui in erudito *geographiae antiquae* opere [f], pleraque de hac parte Italiae, eiusque nominibus dixit, et veterum testimoniis explicuit.

pag. 1020. lin. 17. 18. *Quae postea de scribendi apud Pythagoreos more dicentur.* Lepida est obseruatio Cl. GERDILII [g], Pythagoram, cum philosophiae suae mysteria mulieribus custodienda crediderit, quarum tamen ex sexus indole garrulitatem nouerat, occasionem dedisse vulgandi ea, quae silentio sacro inuoluenda et secreta habenda decreuerat. Qua obseruatione V. C. obiectionem retundere tentat, quae a disciplina arcana Pythagoreorum desumi solet probantibus, veram mentem Pythagorae *ἀμυήτοις* non patuisse. Ferent facile hanc muliebris sexus ignominiam in monacho, qui huic sexui fauent, vel cum eo frequentius, quam monachi, conuersantur, nos historiae caussa id vnum monemus, mulieres istas Pythagoreas ex testimonio genuinorum Pythagoreorum [h] sanctissime hanc disciplinam arcanam seruauisse. Expendenda autem sunt, quae

e) p. 16. th. XV. Haec si veteres quidam paulo studiosius perpendissent, speciosisque consiliis, quae gentilem philosophiam cum sana religione componere suadebant, salutaria praetulissent, futurum erat, vt simul non ipsos modo gentilium errores, sed illud quoque temperamentum syncretisticum, quod ex confusione coelestis doctrinae cum profana tertiam quandam gignit, neutri per omnia similem cauerent. Multae sic poterant praeueniri tum opiniones minus commodae, tum haereses manifestae, quae formosum alias ecclesiae corpus, siue, vt naeui dehonestarent, siue inficerent vt vlcera.

f) T. I. p. 639. 640. 909. 929.

g) l. c. p. 272. vbi vir doctus negat, tam arcanam habitam fuisse sapientiam Pythagorae, quam plerumque traditur; quod si aliquo modo probabile, de extremis Pythagoreorum temporibus intelligendum est, timendumque, ne sublecta illi ob religionem iuris iurandi pro hoc silentio facti fide egerint. De re ipsa dictum, quantum satis, infra p. 1020. 1030.

h) Conf. Opusc. mythol. p. 739.

Digitized by Google

quae infra de silentio sectae publico, siue disciplina arcani, differuimus, quae cum echemythia eorum, quod multis accidit, confundi non debet, et testimoniis veterum probauimus, et imprimis notandus locus IAMBLICHI, et quae PORPHYRIVS ea de re affert, a nobis iam adducta [c], ex quibus euidentissimum est, nihil sincerum et indubitatum, quod Pythagoreum esset, ad alios, et ne ad Platonem quidem a Pythagoreis vltimis, quos in Italia conuenerat, edoctum potuisse dimanare, *cum hi tantum paucos quosdam et exiguos philosophiae igniculos obscuros eos admodum et peruestigatu difficiles conseruarint, et ne philosophiae Pythagoricae nomen periret inter homines penitus, commentaria quaedam summatim composuerint, ex antiquorum scriptis, et eorum, quorum ipsi meminerant, in vnum redactis.* Tales fuisse libros Pythagoreos Platoni venditos, indubitatum est: hos impuros et incertos fontes autem, cum ipse syncretismo nefario infectus Plato adulterauerit, et systema Pythagorae, ex suo beneplacito discipulis tradiderit, ipso fundamento generali mutato, et systemate emanatiuo in dualisticum conuerso, facile inde omnes, qui nasum habent, subodorabuntur, quam impossibile sit, de Pythagorae mente circa metaphysica et physica atque theologumena ex his, quae sectae huius philosophis in vulgus exierunt, certi quid statuere, adeoque illos, qui haec nobis puriora, sanctiora et nostri temporis philosophiae viciniora, vel similia magis decantant, non Pythagorea somnia et delirla, sed sua placita, cui Pythagoreum nomen affricant, tradere, indeque argumentum ducere; omnemque frustraneum laborem esse, qui in excutiendam Pythagorei systematis historiam impenditur, quamdiu ab hac labe istae apologiae non purgantur. Quae h. l. ὡς ἐν παρέδῳ monuisse, nostras obseruationes infra iuuabit, illustrabuntque, quae vir doctus eo de argumento passim, et hoc quoque loco tradidit: ad singula enim respondere nec locus patitur et spatium, nec lectoris patientia, nec nostrum quoque institutum, quod est, historiam scribere, eiusque fontes examinare, non pingere et excusare veterum errores, et in patrocinium religionis adducere, quae adeo diuina, sancta omnisque mundi διαλογισμοῖς superior est, vt erubescamus, in his longius moram nectere.

pag. 1026. lin. 2. *Quam in Aegypto - - adhiberi didicerat, in vsum quoque traduxit.* Hoc non ita intelligi cupimus, ac si methodum istam arcanam a solis Aegyptiis Pythagoras didicerit. Cum enim non magnopere dubitandum sit, quod biographi eius vno fere ore tradunt, Philosophum Samium, vbicunque poterat, adyta sacra petiisse et mysteriis imbuendis se tradidisse, quae arcana methodus maxime inter barbaros obtinebat, vt suo loco probatum, manifestum inde est, vtilitatem huius disciplinae arcani et mysteriorum ad firmandam, quam immense cupiebat, eminentiam ipsum permouisse, vt similia institueret. Quo ipso tamen non negatur, admissionem, qua is apud Aegyptios sacerdotes ex com-

c) pag. 1024

commendatione regis sui fruebatur, eiusque diuturnum multorum annorum vsum, in hac eum methodo vaferrime adhibenda plurimum confirmauisse, et ad imaginem philosophicarum scholarum suam effingendam commouisse.

pag. 1028. lin. 22. *Qui mos in nostras quoque scholas inde deriuatus fuit.* Non academiarum tantum mos, sed monasteriorum quoque apud nouitios disciplina, immo mercatorum, multorumque opificiorum mores ab hoc more barbaro videntur descendisse, quod ex loco CASSIANI [w] allisque longa et erudita annotatione probauit LVCAS HOLSTENIVS [x], qui recte monet, in Aegypto potissimum has vexationes ad Ascetas tum Iudaeos, qui Therapeutae vocantur, tum Christianos, et per hos in monasteria irrepsisse, et ab illis sua quoque hausisse Pythagoram, qua philosophiae morumque sanctiorum promouendorum vtilitate? alii viderint; morem certe barbarum in academiis protestantium iussu principum tantum non penitus exoleuisse, et vix vmbram et memoriam superesse, laeti recordamur. Ab hoc more probationum et ἀσκήσεων patienter superatarum gloria Pythagoreorum, et commendata atque laudata καρτερία derluanda est, de qua PORPHYRIVS [y]: *ὁ μὲν δὴ πόνος ὁ ἄτρυτός τε καὶ διηνεκὴς καρτερίαν ἀπομαρτυρεῖ τοῖς ἀνδράσιν.*

pag. 1029. lin. 11. *Non confundendum est hoc exotericorum silentium, cum sacro silentio, quo omnes Pythagorae discipuli iureiurando obstringebantur.* Offenderunt in eo plures viri docti, et ipse quoque eruditissimus GERDILIVS [z], qui licet subtimide, *videri sibi*, ait, *mysterii secretum*, (quam disciplinam arcani veteres nominant,) *apud Pythagoram et sequaces neque adeo vniuersale, neque adeo rigorosum fuisse, quemadmodum sibi quidam persuadent. Referre enim Diogenem Laërtium in vita Pythagorae, dixisse quosdam Pythagoreos, non omnia omnibus reuelanda esse. Hanc autem sententiam prodere in philosopho prudens discernendi iudicium in communicanda doctrina, non autem conuentionem, de ea omnibus sine discrimine occultanda.* Non adduxit vir celeberrimus locum LAERTII, et nominauit eum, frustra a nobis, etiam vbi de silentio Pythagoreo agit [a], quaesitum; credimus autem respexisse eum potius ad locum GELLII [b], qui, cum diligenter de discipulorum Pythagoricorum discrimine ageret, dixit inter alia de acusmaticis: *eum, qui exploratus ab eo idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim iubebat, et tempus certum tacere; non omnes idem, sed aliud aliis tempus, pro aestimato captu solertiae.* Hunc autem locum scriptoris non indiligentis, non de silentio sectae, sed disciplinae accipiendum esse, vel ex solo acusmaticorum nomine intelligi potest, rectequeiam adnotauit ALDOBRANDINVS [c], *Gellium de ordine disciplinae Pythagoricae verba facientem statutum silentii tempus*

w) L. IV. instit. c. 3.
x) Ad Porphyr. n. 7. not. 15. p. 10. edit. Kust.
y) De abstin. L. IV.
z) l. c. not. x. p. 272.
a) L. VIII. c. 10. nec habet quicquam MENAGIVS ad h. l.
b) L. I. c. 9. N. Att.
c) Ad l. c. Laërt.

Digitized by Google

pus Pythagoricis omnibus idem fuiſſe negare, ſed pro cuiusque ingenio alios diutius, alios breuiori temporis ſpatio tacuiſſe, non tamen quenquam minus, quam biennio. Qui rectiſſimus Gelliani loci ſenſus eſt, plane autem nihil facit ad eius generis ſilentium, quod in ſchola Pythagorica vocabatur πανταλὲς, et hoc nomine aliquoties a Iamblicho allegatur, longeque aliud eſt, quam σιωπὴ illa πανταετὴς, vt recte iam obſeruauit monuitque CONR. RITTERSHVSIVS [d], quodque ſilentium ſancte aduerſus omnes, qui non erant eſoterici, interiorisque admiſſionis homines eos obſeruaſſe docuit. Vnde plane nihil inde euinci poteſt, quod tamen cupit vir clariſſimus, potuiſſe dogmata eſoterica, (quae ab exotericis longo interuallo diſtabant, nempe, iis, quae communicari omnia omnibus quidem poterant, aſt habito tamen ingeniorum quodam delectu, vt fiebat inter acuſmaticos,) cum quibusdam, qui intimae admiſſionis non eſſent, communicari, in quo omnem antiquitatis ſidem contra ſe habet, quae ad finem ſectae hunc apud eos morem ſancte et inuiolabiliter obtinuiſſe clamat [e].

pag. 1041. lin. 9. et 24. *n. IV. V.* Has obſeruationes vtinam illi propius expenderent, qui cum Cl. GERDILIO [f] Pythagoreae, quae venditur paſſim, ſapientiae, fucum illinunt, et, quando vident, male conſultum ſibi eſſe, ſi ad Porphyrium, Iamblichum, ſimilesque, qui ex iisdem fontibus biberunt, quales ſunt PP. eccleſiae, quorum nominibus ſuperbiunt, prouocent, ad Platonem et Ariſtotelem, velut certiores teſtes, et fide magis dignos confugiunt. His eas, quas magna acie in campum eduximus, et rationalis philoſophiae atque hiſtoriae armis inſtruximus, obſeruationes prius aggrediendas eſſe, quilibet videt, ſi tentare velint, quid ferre recuſent, quid valeant humeri. Quae ſemel monuiſſe, ne lectori moleſti ſimus, ſufficiat. His vero ſtantibus, vt nihil repoſuerunt viri docti, quam ſuae explicationis ad meliores et puriores ſenſus raptae patrocinium, non cauſſam habemus, cur pedem ex hac acie referamus. Nihil nos religioni ſanctiſſimae timemus, qui habemus λόγον βεβαιώτερον, quo principio inuicto nixi, traditionariis iſtam defenſionem religionis ſuſpectam relinquimus.

pag. 1043. not. g. *Act. phil. Vol. I. p. 373.* Acceſſiones ad eas dedit HERVMANNVS *Act. phil. Vol. I. p. 753.* quibus alios adiecit *Bibliotheca philoſophica Struuio-Kahliana* [g], quae et ipſa ſupplementis augeri poſſet, niſi experientia edoctis conſtaret, plerosque anteceſſores exſcribere, et parum noui afferre. Vnus fere celeberrimus GERDILIVS in doctiſſimo de

d) Ad l. c. Porphyr. p. 20.

e) Conf. Lyſidis epiſtola ad Hipparchum Opp. Mytholog. GALEI p. 737. Iudicari inde poteſt, quid de Epaminondae a Lyſide inſtructi Pythagoreiſmo habendum ſit, quem ei biographi eius CORN. NEPOS in Ep. AELIANVS L. III. c. 17. PAVSANIAS in Boeot. CICERO Off. L. I. c. 44. de Orat. c. 3. aliique tribuunt. Quem inter huius generis auditores vita magis et diſciplina tales referendum eſſe, inde poteſt colligi.

f) l. c. p. 246 ſeq. 272 ſeq.

g) pag. 213. 231.

de *religione* opere ex inſtituto de philoſophiae Pythagoricae decretis ſe tractaturum, pollicitus, egregia multa et erudita copioſe de hoc argumento tradidit, ſed examen atque limam poſcentia, ex quibus tamen nonnulla, qua eſt doctrinae atque iudicii copia inſtructus, omiſiſſet, niſi placuiſſet, apologetam magis, quam hiſtoricum criticum philoſophiae Pythagoreae agere: dignum, ad quem lector curioſus oculum criticum aduertat. Cel. PLOVCQVETI diſſertationem *de ſpeculationibus Pythagorae* ſupra iam commendauimus. In his omnibus Lectorem monemus, attento iudicio ad id reſpiciat, idque exploret, quid Pythagoras eiusque ſchola genuina dixerit, non, quid dicere ſecundum noſtra placita potuerit, vel debuerit; quae vna certiſſima hiſtoriae philoſophicae methodus eſt, a tot viris doctis neglecta.

Ibid. lin. 23. *Intus vero ſtultiſſimi enthuſiaſmi ſcatent ſcabie.* Mereri Pythagoram hoc iudicium, ipſa eius theologia et metaphyſica prodit, quae, niſi quadrata rotundis miſcere velimus, ſatis oſtendit, philoſophum iſtum cuncta ad ſyſtematis emanatiui fontes reuocauiſſe, etiamſi quis velit eum a Stoicorum impietate liberare. Aliud enim ab Orphicae theologiae doctoribus, aliud a Pherecyde et Thalete, aliud ab Aegyptiis non didicit, ſine hac claue conclauia Pythagorica non poſſunt reſerari, niſi omnia alia, quam Pythagorica nobis vendantur. Hunc enim impuriſſimum fontem ad vnum omnes Pythagorae praeceptores adiiſſe, et imprimis Aegyptios, adeo manifeſtum ſupra fecimus, vt, cum non haberent viri magni ingenii et doctrinae, qui meliora et puriora eum ſenſiſſe cupiebant, coacti ſint ad illepidam fabulam de deriuatis ab eo limpidioribus riuulis, ex fontibus Iſraëlis, nulla veriſimilitudine, nullo teſtimonio idoneo ſuffulti confugere, eosque ſyſtemati illius vultus affingere, quos vna elegantis et fertiliſſimi ingenii abundantia ſine archetypo illis commendabat. Nos hunc characterem philoſophiae, et imprimis metaphyſicae atque theologiae Pythagoricae non miramur, quibus certum eſt, et ab ipſis viris iſtis doctis in confeſſo poſitum, Pythagoram omnem philoſophiam ſuam vitaeque atque ſcholae rationes, eo direxiſſe, vt diuinitatis gloriam aucuparetur, qui omnis enthuſiaſmi finis eſt vltimus [k].

pag. 1044. lin 7. *Quam teſtium patitur conditio.* Ex hac cautela noſtram philoſophiae Pythagoreae delineationem diiudicandam eſſe, iterum iterumque lectorem monemus, ea probe recordatum, quae in antecedentibus obſeruationibus annotauimus, ne nos in easdem ſyrtes incidiſſe coniiciat, de quibus cauendis eum diligenter, et cum attentione, iterum atque iterum repetita monuimus. Pleraque enim praecepta eſſe atque dogmata hominum Pythagorice philoſophantium, multaque de ſuis et alienis miſcentium, ſi quis contendat, non morosi refragabimur. Maxime Platonica multa Pythagoreis immixta eſſe, non ab Alexandrinis philoſophis

k) Vid. candide id fatentem Cl. GERDILIVM l. c. p. 271.

Digitized by Google

ſophis tantum, ſed ab ipſo quoque Platone et ſequacibus, ipſisque, qui his ſectis addicti non erant, Ariſtotele et Cicerone, comparatio quemlibet aliquanto attentiorem docebit. Incertum itaque eſt, quantum ex his ipſe de his dogmatibus tradiderit Pythagoras; docuiſſe tamen ſimilem in modum, veriſimile eſt. Valde autem timemus, ne, ſi omnia, quae Platonici tribuerunt Pythagorae, ipſe lecturus eſſet, diceret, quod Socrates olim etiam de Platone, *nequam multa de me mentitur adoleſcens* [i]. His adiicimus, quod prouide iam monuit B. MOSHEMIVS [k] ea, quae de Pythagorae doctrina memoria ſint prodita, ita pugnare inter ſe, tamque varia eſſe et ambigua, vt, ſi quis puſillo tantum valeat ingenio, omnia omnium philoſophorum ſcita et decreta in iis reperire queat.

pag. 1047. lin. 17. 18. *Platonem vero non ipſum tantum doctrinam praeceptorum adulteraſſe.* Hoc imprimis de numeris per ideas explicatis contendit acutiſſimus GERDILIVS [l], qui auctoritate ipſius ARISTOTELIS [m] ad hanc opinionem deductus eſt, quod Platonem magiſtrum diceret, ideas deſumſiſſe non ex ſchola Pythagorae, ſed a methodo diſputandi Socratica. Inde factum eſſe, vt Plato participationem idearum ſiue formarum, ad imitationem numerorum Pythagoricorum, introduxerit, eo quod, praeter materiam fluxam ſemper et inſtabilem, introducenda eſſe concluſerit principia per ſe ſubſiſtentia et immutabilia, vt, iis adhibitis, influxum cauſſarum rerum intelligibilium et ſenſibilium explicare poſſet. Vnde concludit vir doctus, Pythagoreos intellexiſſe per numeros vnice aggregata entium ſimplicium, Platonem autem, vltra aggregata corporea et ſenſibilia finxiſſe, iuxta narrationem Ariſtotelis, ideas ſiue formas ſeparatas, quae eſſent quaſi exemplaria aggregatorum ſimplicium; et, quoniam in idea contineantur omnia intelligibiliter, quae realiter deprehenduntur in obiectis, ad eius exemplum et imitationem factis, ideo vocaſſe Platonem numeros intelligibiles, quae animus obſeruauerit, in forma intelligibili, vel idea, quae aggregatum ſenſibile repraeſentet. Denique inter numeros intelligibiles contentos in idea et aggretata ſiue numeros ſenſibiles, medios ab illo conſtitui numeros mathematicos, id eſt, punctum, vnitatem, lineam, figuram planam, quae, ſecundum Platonem, eſſent elementa aggregatorum ſenſibilium: et ſic quidem in eo conueniſſe Platoni cum Pythagora, interprete Ariſtotele, quod cum admitteret puncta realia, id eſt, vnitatem, ſiue entia ſimplicia et indiuiſibilia, voluerit, formari lineas et figuras mathematicas, realiter exiſtentes, vnde corpora ſenſibilia exorirentur. Sed in eo fuiſſe diſſenſum, quod illa ipſa elementa erant prima in ſyſtemate Pythagorico, aſt ſola inter media

i) Memorabilis locus eſt PORPHYRII in vita Pyth. n. 52. p. 49. eos, qui commentarios Pythagoreos in vulgus iactabant, veros Pythagoricos non fuiſſe, et adulteraſſe quoque, quae pro Pythagoricis acceperant, ibique vindicaſſe, Platonem, Ariſtotelem, Speuſippum, Ariſtoxenum, Xenocratem, Pythagoreis indignantibus. Inter haec doctrinam fuiſſe de numeris praecipuam ob obſcuritatem in antecedentibus conqueritur.

k) Ad CVDWORTH. ſyſt. int. c. 4. p. 457. not. 28.

l) loc. cit. p. 281.

m) Metaph. L. I. c. 6.

ſecundum Platonem, quae vltra numeros mathematicos, id eſt, figuram planam et lineam, quae ex punctis realibus componuntur, aliud ſublimius numerorum genus introduceret, quod intelligibilia vocaret. Hactenus Vir doctiſſimus, qui ingenium et acumen in hac obſeruatione prodidit, facileque admitti poteſt, ſi ſupponatur, quod hypotheſeos cauſſa ſupponit, coniiciendo, tanquam veriſimillimum et non contemnendis rationibus itemque Ariſtotelis et Sexti Empirici auctoritate fulciendum, numeros Pythagorae nihil eſſe aliud, quam celeberrimum illud ſyſtema monadiſticum, quod ex parte renouault, et ingenti acumine ingenii promouit immortalis Leibnizius, et qui eius placita ſequuntur. Quod qua ratione aſſertum iuerit vir diſertiſſimus, malumus a Lectore apud ipſum V. C. pulchra dicendi Venere abſtruſam et difficilem materiam explicantem legi, quam a nobis compendioſa et contracta narratione iterum obſcurari. Nos, qui olim tum in *hiſtoria de ideis* [m] ante annos quadraginta, tum in *ſupplementis* [n] *ad eam* ſcripſimus et conuenientiam numerorum Pythagorae cum ideis Platonis multis rationibus demonſtrare conati ſumus, nihil hoc loco habemus, quod priſtinam ſententiam mutare nos, clamantibus apertiſſimis argumentis atque teſtimoniis, cogat, admittere tamen, eo non obſtante, ſententiam viri celeberrimi facile poſſumus, qui in aſſerenda iſta conuenientia inter numeros Pythagorae et ideas Platonis ſuppoſuimus, et, ſequendo auctoritatem et narrationem Ariſtotelis, ſupponere debuimus, aliter principium et ſyſtema phyſiologicum ordinaſſe Pythagoram, aliter Platonem. Ille enim, cum in vno toto, iuxta totius fere orbis veteris, et imprimis Aegyptiorum ſententiam, rerum omnium fontem pariter et principia ex eo fluentia, et rerum claſſes comprehenderet, neceſſario emanationis lege, non tantum principiatum aliquod emanatiuum primum, per quod ex Deo illo Vno atque toto, omnes res deriuarentur, ponere neceſſe habuit, ſed et iſtam Monadem, hac, quam ex ſe primo emanare fecit, dyade vſum, principia rerum omnium, ſubſtantialia, aeterna et immutabilia produxiſſe, quae tot rerum poſtea emanatarum fontes immutabiles ſint, quot formae rerum conſpiciantur, debuit aſſerere: quam Emanatiui ſyſtematis faciem, cum aliquoties depinxerimus, eiusque luculentiſſimum exemplum in hiſtoria phyſiologiae cabbaliſticae dederimus, heic, ne nimii ſimus, et lectori moleſti, prolixius repetere nolumus. Quod aliter inſtituit Plato, qui, cum Emanatiuum ſyſtema iniurium eſſe in Dei ſimplicitatem animaduerteret, illo vno deſerto, Dualiſticum recepit, et Deum atque materiam pro principiis abſolutis, aeternis, ſibique contrariis habuit: vt vero oſtenderet, quo pacto tamen rerum omnium origines ex eis fluerent, ſupponendo materiae fluxum et perpetuam mutabilitatem, vt ſubſtantialem illi naturam induceret, ea, quae Pythagoras de vno toto dixit, et ad Chaos diuinitate

m) Sect. I. p. 16 ſeq.
n) Amoenit. liter. T. VII. p. 173 ſeqq. quae repetita et aucta, inueniuntur in Miſcellaneis Sect. I. obſ. 3. p. 56 ſeqq.

Digitized by Google

nitate grauidum retulit, is ad Deum solum eiusque naturam spiritualem materiae oppositam transtulit, huicque emanatiuum systema adplicando, eodem, quo Pythagoras, modo, ratione et affectione, vt demonstratum, ideas ex Deo purissimo fonte deriuauit, et dyada illam de mente, siue intellectu Dei explicuit, vt autem rerum formas in materiam induceret, animam mundi, quae ex Deo eiusque mente ortum haberet et effluxum, excogitauit, qua operante a mente diuina, emanationis lege, rerum omnium formae et essentiae materiae imprimerentur, et materia secundum puncta, lineas et plana mathematica figuram secundum ideas essentialem substantiam haberet. Quae, vt Aristotelis narrationi praeclare satisfaciunt, ita patet, quousque illa conuenientia numerorum Pythagorae, cum ideis Platonis, locum habeat, nosque eam hoc loco intelligamus. Vidit id probe BVRNETIVS [o] obseruans, hos homines, *rerum emanationem atque ortum progressusque varios per summa et ima ita explicuisse.* Quae cum negari forte nequeant, putamus inde patere, quod magnum discrimen intercedat inter monadas Pythagoricas et Leibnizianas; Hae enim creantur, licet sint aggregatorum simplicia [p]. Pythagoreae monades emanant, id est, in rei fundo non habent, nisi vnam substantiam variis modificationibus et euolutionibus sibi et diuisim pluribus manifestam: sic, vt rationes primitiuae seminales insint vni principio, hocque illa in suo esse constituat. Vnde recte concludit cel. PLOVCQVETVS [q], absurda et contradictoria systematis emanatiui ostensurus, principium vnum, quod in fundo interiori inuoluit ea, quae emanant, materialiter non distingui ab iisdem, sed, vi internae necessitatis cum iisdem coniungi. A qua absurditate et ineptiis, quae quidem veteri aeuo nondum accurate erant obseruatae, Leibnizii systema omnino liberandum est, quanquam easdem vnitates, quas quidem Pythagoras elegerat, amplexum sit; Iuxta magnum enim istum philosophum, monades incipiunt existere in instanti [r], et ad eorum existentiam nihil, praeter caussam efficientem requiritur, in quo caussa sufficiens contineatur, cur ex possibili fieri possit actuale, adeoque illud incipere non potest, nisi per creationem. Quae, cum infinitum discrimen inter Pythagoram et Leibnizianum ponant [s], non videmus, quid ad illius caussam iuuandam possit conferre ista comparatio; quamuis de natura numerorum, siue monadum vtraque pars conuenire videatur, de quo hoc loco pluribus dispicere longius et curiosius haud licet, et ipse vir subtilissimus audiendus et examinandus lectori est.

pag. 1054. lin. 1. *Venerabile nomen tetragrammaton* יהוה. Operosus more suo in hac adstruenda concordia inter tetractyn Pythagorae et no-

o) Archaeol. philos. c. 11. p. 423 seqq. Consuli et comparari autem cum his possunt, quae ad AQVILIANVM de plac. phil. ante Arist. p. 120 seq annotauimus.

p) loc. cit. p. 101.

q) loc. cit. c. 8.

r) Monadolog. §. 6. HANSCH. princip. phil. Leibniz. theor. X. p. 73.

s) Comparanda cum his sunt, quae in historia Leibniziana T. V. p. 402. ea de re attulimus.

men tetragrammaton Hebraeorum eſt THEOPHILVS GALEVS [t], qui tamen, dum obſeruat Tetractyn omnibus rebus ineſſe, facile palpare potuiſſet, non de aſſiſtente rerum omnium principio, quod extra eſt, ſed de interno et informante hoc modo eſſe accipiendum; id quod ſuppoſito ſyſtemate emanatiuo locum habere poſſe, (modo iſtud cum creationis ſiue productionis ſyſtemate non confundatur) Cabbaliſticae et Alexandrinae explicationes ſatis produnt. Nam et illae, praeter Enſoph, habent in mundo Aziluthico et diuino, ſiue emanatiuo, tria principiata prima, radicata immediate in Monade Enſoph, et Dyade Adam Kadmon, a quo producta ſunt, et hae in diuinis non ternionem principiorum, ſed quaternionem numerant, vt vel ex vno Proclo diſci poteſt. Ex quo quanquam inepte quis concluſerit, ipſum Pythagoram ita fuiſſe ratiocinatum, cuius tetractys manebit aenigma incertiſſimum a nemine ſoluendum, de quo, quae hoc loco diximus, adhuc eſſe tutiſſima putamus; rationem tamen peti poſſe credimus, quomodo ad inſulſam hypotheſin ſequior aetas peruenerit, tetractyn eſſe tetragrammaton Hebraeorum. Nihil enim veriſimilius eſt, quam, Iudaeos Alexandrinos, Pythagoricarum nugarum iam ante C. N. aſſeclas huius explicationis auctores fuiſſe, et forte Therapeutas ipſos talia excogitaſſe. Quocunque autem vultu hanc Iunonem amplectimur, nubem nos prehendiſſe experimur.

pag. 1056. lin. 3. *Rationes tum numerales, tum harmonicas continet.* Poſſent innumera de hoc argumento Pythagorico colligi et hoc loco afferri, ſi nugis locus eſſet. Adeo enim hanc ſponſam deperiit ſchola Pythagorica, vt arctiſſimis eam complexibus ſibi vindicarit, ita, vt interdum ad abſurdiſſimas ſententias ſe hac hypotheſi deduci paterentur. Cuius, ſi exemplum cupis, lege IACOBVM THOMASIVM [u], qui luculento Antichthonis exemplo, quod decimum mundi orbem ſomniat, nuſquam, niſi in cerebro Pythagorico deprehendendum, id probat. Haec enim praeſenti loco exſcribere velle, eſſet otio noſtro abuti, quos dudum iſtarum naeniarum piget. Ne tamen ſimili taedio indignabundum abire Lectorem patiamur, lepido Nicomachi Geraſeni, vel potius, qui eius excerpta dedit, PHOTII loco [x] vultum ei exhilaraturi, ad riſum prouocabimus. Ita vero ex obſcuriſſimo nugatore Nicomacho diſertiſſimus patriarcha, cuius Graeca verba adducenda ſunt, ſi velint recte intelligi: Ἡ μὲν τοι δέκας αὕτη ἐϛὶν αὐτοῖς πᾶν, θεὸς, ὑπέρθεος καὶ θεὸς θεῶν [y], ὅτι δέκα χειρῶν καὶ δέκα ποδῶν δάκτυλοι, καὶ δέκα κατηγορίαι, καὶ τῷ λόγῳ δεκαμέρη. ἴνα γὰρ ᾖ αὐτοῖς πάντα ἡ δέκας, προστιθέασι τοῖς τῷ λόγῳ μέρεσιν, προσηγορίαν καὶ παραπλήρωμα. τὶ δεῖ λέγειν περιλαμβάνεσι τὰ ϛερεὰ, καὶ τὰ ἐπίπεδα, ἄρτια, περισσὰ ἀρτιοπέριϛα, τέλα, πρῶτα καὶ ἀσύνθετα, ἰσότητας

t) In philoſophia generali L. II. c. 3. §. 8. p. 172.

u) Obſ. Hal. Lit. T. IV. obſ. 19. §. 48 ſeqq. p. 398 ſeq. quae eſt de Antichthone Pythagoreorum.

x) Cod. 247. p. 140 ſeqq. ed. Hoeſch. Graecae, p. 180. Latinae a Schotto curatae.

y) Lucem hanc capient ex iis, quae Tom. II. p. 396 ſeqq. de hac appellatione diximus.

Digitized by Google

τητα ἀνιστότητα, τὰς δέκα σχέσεις, τὰ σφαιρικα, τὰ κύκλικα, γενήτικα, τελεστικὰ, ἐν ἀρμόνια τοιαῦτα ἀλλ' ὅπως αὐτοῖς κόσμος ἡ δέκας, καὶ ὑρανὸς, εἱμαρμένη, αἰωνὶ κράτος, πίστις, ἀνάγκη Ἄτλας, ἀκάμας, Θεὸς, Φάνης, ἥλιος, ὑράνια, μνήμη, μνημοσύνη, καὶ πάντα ἂν ἴμμη τὰ προειρημένα τῶν Θεῶν αὐτῶν ὀνόματα τῇ δεκάδι ἀνήψαντο ἄν, εἰ μὴ προλάντες ἐκεῖνοι ταῦτα ἰδιοποιήσαντο καὶ συνεχῶς τὰ αὐτὰ, κατὰ πάντων λέγειν ἔτοι ἀπέκνησαν· ἐπὶ ὑπερ Θεός γε αὐτοῖς ἡ δέκας καὶ τὸ κράτος τῆς ἐν ἀριθμοῖς ἔχουσα Θεότητος κ. τ. λ. Quae ita Latine conuertit ANDREAS SCHOTTVS: *Denarius denique est ipsis uniuersum, Deus summus, et Deorum Deus, quod manuum pedumque sint decem digiti, decemque praedicamenta, et orationis partes decem. Omnia enim ipsis decas vt sit, allocutionem ceteris partibus apponunt et supplementum* [a]. *Quid attinet dicere, complecti illos heic solida, plana, paria, imparia, perfecta, prima, simplicia, aequalia, inaequalia decem ipsas habitudines* [a], *sphaerica, circularia ad genituras atque imitationes spectantia, et his consentientia. Vt itidem ipsis decas sit mundus coelum, fatum, aeuum, necessitas, indefessus Deus, Planes, Sol, Vrania, Memoria, Mnemosyne. Et vero omnia, opinor, praedicta Deorum nomina decadi attribuissent, nisi his ipsis antea occupatis propria iam illa aliis feciſſent, et continenter eadem de singulis dicere, piguisset. Quandoquidem superdeus ipsis denarius est, qui etiam omnem diuinitatis vim, quae in numeris inuenitur, exhibeat.* Graeca ipsa inspicienda sunt, quae non omnia rite Schottus expressit, adeo autem puerilia sunt, et ridenda, vt totam Pythagorae scholam in contemtum queant adducere, nisi liceret coniicere, sequiorum Platonicorum hanc insaniam atque deliramenta fuisse, et magis viriliter atque sobrie philosophatos fuisse, Pythagoram ipsum et genuinos discipulos. Vt verum tamen fateamur, ipsum Pythagoreum systema meliora non spondet, numerorum symbolis denudatum: secundum quod decas, siue numerorum, complementum τὸ ἕν vnum illud est, quod non tantum Deum primoprimum πρωτάτορα, ipso Deo demiurgo priorem, (quae horum hominum voces sunt,) tanquam fontem omnium rerum comprehendit, sed vniuersum quoque chaoticum subindicat: quodque omnia, quae perfectionis notam habent, ex eo emanationis lege effluxisse, et in eo, si non immanenter, quod aiunt, certe emanatiue concludi asserit. Quae a Pythagoreae physiologiae sensu non longe recedere, ex dicendis constabit, toto autem coelo distant a Leibnizio. Ceterum, quo pacto Aristotelis de his Pythagoreis numeris explicationes considerandae sint, ex annotationibus nostris ad SCIPIONEM AQVILIANVM [b] discendum est, quas huc transferre opus non esse iudicamus.

pag. 1057. lin. 22. 23. *Haec Pythagoram auditu percepisse iactabant vanissimi homines primumque tradidisse.* Ridendas esse has nugas illepidas, nemo quidem facile negauerit, vnde vero in mentem venire potuerint istius-

a) Completam plenamque orationem.
a) Relationes I. Voces Graecas ex disciplina Pythagorica desumtas Schottus non est assecutus.
b) De placitis phil. ante Arist. c. 20. not. min. o. p. q. pag. 218 seqq.

iſtiusmodi gerrae viro graui, qualis apud omnes celebratur Pythagoreas, non aeque manifeſtum eſt: nec diffitemur, aut ipſum Pythagoram, aut ſequaces non adeo pueriliter potuiſſe ludere, ſed arcanum quendam ſenſum paulo tolerabiliorem latere debere. Qualis autem ille fuerit, in tanta Pythagoreae hiſtoriae obſcuritate hariolari tantum licet. Dicemus tamen, quid nobis ea de re in mentem venerit, et vlteriori lectoris meditationi relinquemus. Nempe veriſimile nobis eſt, Pythagoram quem mathematica, coſmogonicaque in Aegypto didiciſſe certum eſt, huius dogmatis ſenſum atque fundamentum inter myſteria ſacerdotum Aegyptiacorum didiciſſe. De his DEMETRIVS PHALEREVS, vel quicunque alius rhetor iunior huius nominis auctor eſt libelli vtilis et iucundi *περὶ ἑρμηνείας* [c]; *ἐν Αἰγύπτῳ θεοὺς ὑμνοῦσι διὰ τῶν φωνήεντων οἱ ἱερεῖς, ἐφεξῆς ἠχοῦντες αὐτὰ καὶ ἀντὶ αὐλοῦ, καὶ ἀντὶ κιθάρας τῶν γραμμάτων τούτων ὁ ἦχος ἀκούεται ὑπ' εὐφωνίας· ὥστε ὁ ἐξαίρων τὴν σύγχυσιν εὑρὼν ἄλλο ἢ μέλος ἀτεχνῶς ἐξαίρει τοῦ λόγου καὶ μοῦσαν.* *In Aegypto Deos celebrant ſacerdotes ſeptem vocalibus, quas deinceps ſonant, et pro tibia citharaque literarum iſtarum ſonus, ob vocis ſuauitatem auditur. Quare ſi quis colliſum illum* (vocalium,) *tollit, nihil aliud ſane, quam modulationem tollit, ac muſam ſiue eruditam venuſtatem.* Enarrat his verbis auctor vetus, modum muſicae in Aegyptiacis myſteriis adhiberi ſolitae, quae non inſtrumentis muſicis, ſed concentu ſonorum diuerſorum harmonicorum conſtabat; qua ſonorum harmonia ſecundum ſeptem vocalium in lingua Coptica vel Aegyptiaca valorem et virtutem (a Graecorum vſu, non longe alienam) diſtinguebatur, et ad ſuauem quandam melodiam temperabatur. Hanc muſicam ſacram non in templis tantum ſacerdotum Aegyptiorum audiri ſolitam fuiſſe nos docet Demetrius ille: ſed ſtatuebant, quoque hi homines Aegyptii et Pythagorei inter eos degentes, eundem ſonum harmonicum et concentum ſuauem perſonare ex orbibus illis ſolidis, quibus infixi planetae ſunt, et non ſine ſonora, cuiusque ex attritu mutuo, vt in lyra hodierna, diuerſitate et harmonia eos circumagi, orbibus autem illis ſeptem vocalium nomina eſſe attributa: nempe quod NICOMACHVS GERASENVS tradit [d]: *ſphaerarum ſeptem hanc naturam eſſe, vt ſuum vnaquaeque ſonum edat, quibus ſonis literarum vocalium nomina indita et attributa ſint.* Quo pacto hoc concentu harmonico laudari ipſum Deum et diuina humanis concinentia, nomen Dei per ſcalam illam Vocalium muſicam celebrari ſibi perſuadebant, cum crederent, Dei nomen ex iſtis vocalibus componi. Quod theurgi Aegyptii, et ex illorum diſciplina ſcholae Pythagorae vetus imitantes Numenque veneraturi, non verbis, ſed poppyſmis quibusdam, et inarticulatis et incongruis ſonis atque ſibilis harmonicum iſtarum vocalium concentum exprimere tentabant, ſicque Deum inuocabant. Qua de re, ſi quis plura et veteris literaturae cupido non

c) Sect. 71. editus eſt libellus poſt alios a THOMA GALEO inter Rhetor. Cantabr. 1676. 8. Meibom.

d) In enchiridio harmon. Lib. II. p. 37. edit.

Digitized by Googl

non ingrata futura cupiat, legendam ei commendamus, literatiſſimi, cum viueret viri, Io. MATTHIAE GESNERI obſeruationem, *de laude Dei per VII vocales* [e], qui loco EVSEBII notabilis [f] adductus, aduocato epigrammate veteri, poſt allos coniicit, licet ſubtimide, aliquid horum a Iudaeis ad Aegyptos peruenisſe, cum ex nomine יהוה, ſiue Iouo, quod ſolis vocalibus literis conſtat, concluderent, omnium vocalium poteſtates enharmonicas in iſta appellatione contineri, ſicque Deum iſta arcana ratione per ſonos poſſe laudari, quae a viro docto allata curioſe expendi, ob Therapeutarum inſtituta, qui Pythagoreis moribus atque conſuetudinibus viuere ſibi conſtituerant, omnino merentur. Longius enim huic argumento inhaerere non patitur loci angustia.

pag. 1057. lin. 27. *Quas qua ratione inuenerit Pythagoras, ita narrant veteres.* Valde ſibi hac inuentione placuit Pythagoras et tota eius ſchola. Obſeruatum autem recentioribus nonnullis [g] rationum muſicarum gnaris, verum conſonantiarum ſitum philoſophum non deprehendiſſe: de quibus tamen hoc loco plura dicere, nihil attinet, et in hiſtoria Muſicae ſpeciali tractandum eſt.

pag. 1062. lin. 7. 8. *Veterum de ea re diuerſas ſententias exponit IACOBVS THOMASIVS, qui legendus.* Digna omnino eſt iſta diſſertatio Thomaſiana, quae in hiſtoria philoſophiae Pythagoreae non negligatur [h], ſed diligenti attentione expendatur, cum potiora ſyſtematis aſtronomici Pythagorei capita illuſtret, ſine quibus in luce poſitis, de vero ſenſu et ſignificatione Antichthonis in hac ſchola diſputari non poteſt. Obſeruat autem vir doctiſſimus, numerorum doctrinam permouiſſe Pythagoreos, vt, cum entium elementa numeros putarent, et ob numeri denarii perfectionem in ſyſtemate vniuerſi tanquam in dubium praeſupponerent, praeciſe quoque decem ſphaeras numerari oportere, et vero a ſenſibus demonſtrare plures, quam nouem, non poſſent, nempe ſeptem planetarum, octauam, in qua ſtellae fixae, nonam globi terreni, decimam, licet digitis eam oſtendere non poſſent, ab ingenio confinxiſſe, et nomen illi dediſſe antichthonis, hoc eſt, terrae, quae ſit huic noſtrae oppoſita, inuiſibilem autem nobis ſtatuiſſe, quod circa idem mundi centrum, ignem centralem, ſiue ſolem ſtatuebant, ex altera parte nobis occulta voluretur; cum moueri circa ſolem tanquam mundi centrum et tellurem et ſphaeras reliquas affirmarent. Recte haec dici, nec Pythagoreis ita fieri iniuriam, ſi antichthonis inuentio non rationibus phyſicis, ſed ingenio ex hypotheſi nuganti tribuatur, ex ARISTOTELE patet, qui duobus locis [i] obſer-

e) Eſt prolusio academica, titulo theologumenon grammaticorum Goettingae 1746. edita, plena eruditionis antiquae, qua vir beatus et non ſine literarum iactura nobis ereptus praeſtabat.

f) De praepar. L. XI. c. 6. p. 520.

g) ZARINVS in dubiis de inuent. Pyth. P. II. inſt. c. 3. tol. 75. PRINZ. in hiſtor. muſices p. 55. MATTHESON orcheſtr. P. I. p. 301. P. II. pag. 308.

h) Obſ. Hal. T. IV. Obſ. 19. p. 380 ſeqq. qui numeri in prima editione emendandi ſunt.

i) De coelo L. II. c. 13. Metaph. I. 5. 5.

Digitized by Google

obſeruauit: antichthona a Pythagoreis introductam eſſe, rationesque eius illos quaeſiuiſſe, *ὐ πρὸς τὰ Φαινόμενα τὰς λόγας καὶ τὰς αἰτίας ζητοῦντες, ἀλλὰ πρὸς τινὰς δόξας καὶ λόγας αὐτῶν τὰ Φαινόμενα προσέλκοντες καὶ πειρώμενοι συγκοσμεῖν*; *non ad ea, quae videntur, rationes cauſſasque quaerentes, ſed ad quasdam ſuas rationes opinionesque, ea, quae videntur* (phaenomena) *trahentes atque ornare conantes.* Quae altero loco adhuc luculentius Stagirita expreſſit, quo expreſſe ait: *cum Pythagorei ſyſtemati numerorum omnia applicarent, ſi quid alicubi deerat, ſupplentes, vt totus eius tractatus conſentaneus eſſet, ſtatuiſſe, quoniam denarius perfectus eſſe videatur totamque numerorum naturam comprehendere, ideo et ea, quae in coelo feruntur, decem eſſe, dixiſſe, cum vero nouem ſolummodo ſint, quae manifeſte apparent, decimam feciſſe antichthona, terram oppoſitam.* Ad hanc autem Ariſtotelis obſeruationem reſpexiſſe Simplicium a nobis h. l. adductum, non eſt dubium. Ipſa quoque ratio explicandi antichthona id euincit, quae definiri a nemine hactenus potuit, quid Antichthon Pythagoreorum fuerit, omnibusque hic coniecturis aqua haereat, nec vna conſiſtere poſſit, vt ex iis videre licet, quae curate attulit Thomaſius. Nempe cum ipſi nullam eius definitionem haberent, ſed nomen aliquod ſine re amplecterentur, inutilis et impoſſibilis tractatio eſt, diſquirere velle, quid antichthon Pythagoreorum ſit? Quae vt recte ſe habent omnia, ita memorabile exemplum nugantis ingenii in ſchola Pythagorea ſunt, et parum honoris vel praeſidii ipſorum philoſophiae pariunt. Quae tamen tragoedia vtinam non hodie adhuc inter philoſophantes ageretur.

pag. 1062. lin. 17. *Medium in mundo locum ignem obtinere.* Ex loco ARISTOTELIS in antecedentibus allegato patet, Ariſtotelis tempore hunc ignem in medio mundi conſtitutum de ſole fuiſſe intellectum, ait enim diſerte: *οἱ Πυθαγόρειοι ἐπὶ μὲν τῦ μέσυ πῦρ εἶναι φασὶ, τὴν δὲ γῆν ἓν τῶν ἄστρων ὄσαν κύκλῳ φερομένην περὶ τὸ μέσον, νύκτα καὶ ἡμέραν ποιεῖν*; *Pythagoreos aſſerere, in medio eſſe ignem, terram autem vnum ex aſtris eſſe, quae in circulo circum medium illud moueantur, et hoc pacto noctem et diem efficere.* Philolaum in eadem opinione verſatum eſſe, infra docetur. PLVTARCHVS [f] autem illum Pythagoreorum ignem, in centro mundi poſitum, a ſole diſtinguit, et hunc quidem a Philolao diſcum vitreum dictum eſſe putat, quod reſplendeſcentiam mundani ignis recipiat. Recte ad haec iam monuit THOMASIVS [g], Plutarchum Pythagoream opinionem cum Empedoclea confudiſſe, quae duos ſoles aſſeruit, quorum vnus ſit ignis mundani archetypus, alter huius ignis reſplendeſcentia.

pag. 1064. lin. 29. *Quantum ipſi ſcholae Italicae tribui debeat.* Nunquam haec cautela ſatis poteſt inculcari in hiſtoria Pythagorea, adeo turbata ſunt omnia. Quamuis enim veriſimillimum ſit, Pythagoram ex vno

f) De plac. phil. L. II. c. 20. de animae procreatione T. III. Opp.
g) l. c. §. 25. p. 385.

Digitized by Google

vno omnia fonte emanationis ordine deriuauiſſe, atque ſubordinationis emanatiuae lege entium origines in hoc fonte quaeſiuiſſe: ſupra tamen manifeſtum fecimus, Platonem ab eo ita feceſſionem feciſſe, vt, cum ex vna chao, ſiue Deo potius chaotico Pythagoras entia omnia deriuaret, Plato haec ad immaterialia ſola, aeterna, diuina traheret ſenſibilibus vel materiae relictis, vel in ea introductis ideis intelligibilibus: quo pacto inter Pythagoram et Platonem de entium origine magna eſt differentia. Habent enim principia ſiue elementa rerum ortum ſuum ex emanatione vnius illius entis, quod totum comprehendit, ſi Pythagoras audiendus eſt: Materia autem Platonis ex eo ente effluere non potuit, ſed ab aeterno ei contradiſtincta eſt. Itaque in hac comparatione Pythagorei dogmatis cum Platonico caute incedendum eſt.

Ibib. lin. penul. *Ita vt reſpectu vniuerſalium ſe habeant, ac ſi non eſſent.* Intellexit id ſchola Platonica, quae ſola vero nobis hanc metaphyſicam tradidit, de omni ente materiali et ſenſibili: Pythagoras autem, ſi ſupponitur, monades immutabiles numeros eſſe, neceſſario huic ſe aſſertioni opponere debuit, qui, quomodo de numeris, ſi monadas earumque aggregata intelligamus, ratiocinari potuerit, eleganter exponit Cl. GERDILIVS [f], qui legendus.

pag. 1065. lin. 17. *Hic ſapientiſſimus atque veriſſimus eſt.* Clara et perſpicua huius theſeos naſcitur ſententia, ſi emanatiuo ſyſtemati, quale illud in Pythagorae ſchola floruit, applicetur, confuſa et innumeris difficultatibus obſepta, ſi Platonice intelligatur. Et tamen in his et ſequentibus ſolos Platonicos audire cogimur. Fatemur autem, multa hic ſe implicare et contradicere, quae acute et ſolide detexit monuitque PLOVCQVETVS [g]; aſt de eo iam non diſpicimus, quam vere iſta dicantur, ſed an ita cogitauerint antiqui iſti philoſophi, quos tam acute et ſubtiliter de iſtis non decreuiſſe, quam nos facimus, recordandum eſt. Itaque caute atque prouide audiendi illi ſunt, qui nobis adeo ſubtiliter et ingenioſe Pythagoream de hoc argumento ſapientiam enarrant, vt manibus palpare liceat, iſtas explicationes natas quidem eſſe in ingenio virorum doctrinae et acuminis laude florentium, et in noſtri temporis ſcholis, quibus longe alia philoſophiae inducta eſt facies, magna diligentia exercitatorum: longe autem abeſſe ab illius temporis antiqui, quo hi philoſophi et imprimis Pythagoras philoſophati ſunt, rudiori indole, et craſſiori cogitandi ac tradendi docendique ratione atque modo, quae tantum abeſt, vt diſtinctionibus, concluſionibus, ratiocinationibus, conſequentiarum formulis, ingenioſis obiectionibus, quaeque aliae ſunt artes ingenii in ſcholaſtica exercitatione diu verſati, philoſophiam ſuam diſcipulis explicuerint, vt ſimpliciore multum ratione de rebus diuinis atque naturalibus differerent; quae ſi ad noſtrae aetatis φιλοσοφήματα exigan-

f) l. c. L. II. §. 3 ſeqq. p. 272 ſeqq.

g) De ſpeculat. Pythagorae p. 10. 11.

exigantur, aut genuino ſenſu explicata prorſus ſunt diſſimilia; aut ſi recentioris philoſophiae ſenſus admittant, nihil ſincerum exhibent, noſtraeque aetatis ſubtilitates veteris aeui ſimplicitati ſupponunt, illisque, qui naſum habent, mox ſcopum produnt. Quam doctam quidem, aſt noxiam veteris philoſophiae interpretandae methodum eſſe, facile palpabunt, qui conſiderauerint, teſtium et ſyſtematis fidem poſcere hiſtoriam philoſophicam veterem, et rectam viam, non autem obliquas ſemitas, ingenioſas commentationes, eloquentiae floſculis ornatas, quas, ſi a viris doctrina et ingenio diuitibus ſuſcipiantur, quicquid illis videtur poſſe obtrudere lectori non ſatis cauto exempla docent. Quae hoc loco eo magis monenda ſunt, quo plures fuerunt, qui hoc pacto theologiae et phyſiologiae Pythagoreae colorem induxerunt, et meliores illi ſenſus affingere conati ſunt [m]. Quorum omnium concertationes atque velitationes, doctas equidem et ſaepe elegantes, nihil tamen, quod animum veri ſitientem, ſatiet, ſuppeditantes, hic tangere velle, vel obſeruationes quoque ad ea, quae cum noſtra Pythagoreae hiſtoriae enarratione non conſpirant, cumulare, nec temporis noſtri, nec annorum quoque, quibus viuimus, nec laborum rationes patiuntur, et prohibet quoque ſpicilegii huius anguſtia. Itaque lector nec poſſet a nobis, nec expectabit, vt his annotationibus noſtris animaduerſiones interſpergamus, de orthodoxis Pythagorae ſenſibus diſputaturi. Valeat per nos Samius ſenex, quantum hiſtorica fides, teſtium non ſuſpectorum narratio, circumſtantiarum harmonia, et imprimis ſyſtematis genuini ſenſus et *κυρίαν δόξαν* patiuntur: colorem autem detergere, quem nonnullorum erudita, et fortaſſe pia quaedam induſtria doctrina et venuſtate dicendi incruſtata inducere ſyſtemati Pythagoreo ſategit, aliis relinquimus, otio, tempore, patientia inſtructis, et imprimis a deteſtabili gentilis philoſophiae cum ſanctiſſima religione noſtra conciliandi ſyncretiſmo liberis. Quae hoc loco, vbi imprimis de phyſiologia Pythagorae agitur, de qua tantopere diſſident viri eruditi, ſemel monuiſſe Lectorem, e re noſtra eſt, qui ad progrediendum in hoc, in quo currimus ſtadio et abſoluendum iter ſubinde excitamur.

pag. 1076. lin. 9. *Manifeſte euincent.* Rogamus Lectorem, de vera mente Pythagorae de Deo ſollicitum, vt hunc maxime locum expendat ipſe, et cum relationibus veterum, qui propiores aetati Pythagorae fuerunt, comparet, verbisque ſatis luculentis inſiſtat, nec ea interpretamentis anxie et ſtudioſe conquiſitis eripi ſibi et in alienos ſenſus rapi patiatur: Si enim eum generali, quod totum fere Orientem, itemque Aegyptum et vetuſtam Graeciam occupauit, ſyſtemate coſmogonico comparetur, ex quo ſuum deſumſit, et methodo ſua incruſtauit Pythagoras, cer-

m) Exemplum ſi lector cupit, doctiſſimum CVDWORTHVM ei ſiſtimus, magna doctrina in ſyſt. intell. c. IV. id agentem, vt orthodoxum Pythagoram et conſpirantem cum Platonicis Alexandrinis euincat.

Digitized by Google

certiſſimi ſumus, ſine labore eum difficilem et in obſcuro latentem Pythagorae phyſiologiam ex hac nocte eſſe protracturum.

pag. 1076. lin. 10. *Deus, quoad corpus lumini, quoad animam, veritati ſimilis eſt.* Multus in eo eſt eruditiſſimus GERDILIVS n), vt ex hoc aſſerto talem nobis phyſiologiam Pythagoream exhibeat, quae tolerabiliores et iuſtiores ſenſus, quam qui ei plerumque tribui ſolent, contineat. Itaque prolixe, et non ſine lumine et acumine, quod ſolet, magna cura id agit, vt oſtendat, quo pacto Pythagorea ſchola Deum dixerit eſſe mentem intellectualem, et tamen aſſimilari corpori. Non inuidebimus Lectori viri doctiſſimi obſeruationes, cum liber ſcriptus lingua patria, vt ſolent, quae in Italia prodeunt, ſcripta, rarius extra patriam innotescere, non in omnium manibus ſit, exoramus autem lectoris patientiam in audiendis Pythagoreis his philoſophumenis ſumme neceſſariam. Supponit autem vir doctiſſimus, tanquam certum et indubitatum, ſtatuiſſe Pythagoreos, intelligentiam non poſſe conuenire, niſi naturae ſimplici in totum atque indiuiſibili, et propterea indidiſſe commodiſſime monadis appellationem menti, quae naturae eſt, in qua proprie habitat intelligentia. Quod autem ad operationem attinet, eos non credidiſſe, quod *intelligentia ex ſe ipſa et ſolo voluntatis ſuae actu et electione poſſit mouere corpora ſenſibilia, eaque ordinare et dirigere ad fines ſuos, ideoque adiunxiſſe eos ſpiritum quendam aethereum, qui organi inſtar eſſet ad operandum.* Itaque ſuppoſita mentis idea tali in genere, non dubitaſſe eos, illam ad ſupremam mentem extendere, nihil aliud reſpicientes, quam vt iſtam ideam ampliarent, redderentque quantum pote perfectiſſimam. Ideo agnouiſſe eos in Deo intelligentiam et ſapientiam ſummam, et tribuiſſe illi perfectiſſimam comprehenſionem omnium intelligibilium, ideoque in eo poſuiſſe numerum intellectualem, qui iuxta Iamblichum omnes res reliquas ſuſtentet in mente Dei, per quem et ſecundum quem conſtituatur ordo rerum omnium, et in quo omnia diſtincte et per ſeries indiſſolubiles diſpoſita et dinumerata. Hunc numerum ſecundum Hippaſum eſſe primum archetypum atque exemplar, ſecundum quod creator mundi, conformandam eſſe ſuam operationem regularem ſtatuat. Hanc eſſe ideam DEI, qualem ſibi conceperint Pythagorici, quae ſublimis ſatis ſit, ad comprehendendam non aeternitatem modo et immutabilitatem, neceſſitatem exiſtentiae, ſummam ſapientiam, quae omnem veritatem in ſe concludat et perfecte ordinet; ex qua naſcantur combinationes omnes poſſibiles, quae veritatis ſummam conficiunt, et omnes res contingentes, ſecundum leges, quibus omnia ad optimum finem dirigantur: denique ſummam potentiam, principium et fontem emanationis omnium creaturarum, et maximam potentiam, eas mouendi atque regendi o).

n) loc. cit. p. 300.

o) Velimus hic recordari Lectorem, quae ſuo loco de hoc principio in diuinis in philoſophia Orientali, Cabbaliſtica et Alexandrina dicta ſunt. Ex his enim fontibus haec ſpeculatio effluxit.

Hanc autem ideam perfectionis ſublimem *corrupiſſe turpiter Pythagoreos, contendendo, mundum emanaſſe ex Deo, et ab eo gubernari quidem atque regi, at conſtituere cum Deo vnum totum:* habuiſſe autem huius erroris cauſſam exactam ſimilitudinem, quam ſupponebant inter Deum et mentem humanam ex vna parte, et inter mundum et corpus ex altera parte: indeque exiſtimauiſſe, quemadmodum mens humana, quae principatum habet in corpore, illud animet, ſic etiam euenire debuiſſe in complemento vniuerſi, reſpectu ſupremae mentis, quae mundum eodem modo animet, et per conſequens vnam ſolam naturam conſtituat cum eo, quemadmodum ex vnione corporis et animae in homine vna ſola natura reſultet, indeque Deum eſſe. Et quemadmodum in homine praeter corpus terreſtre et mentem, ſecundum Pythagoreorum opinionem media ſit anima, ſpiritusque corporeus quidem, ſed ſubtiliſſimus, qui certo modo ſit vinculum, quod vniat et conſtringat in vnam naturam mentem et corpus terreſtre; et inſeruiat menti tanquam organum, quo mediante in totum corpus operetur: ita menti diuinae et ſupremae adiunxiſſe Pythagoreos ſpiritum aethereum ſiue ignem mundi, quem vocauerint animam vniuerſalem. Propterea, vt de homine praedicauerint omnes proprietates et operationes, quae ſunt propriae menti, non eſſe mirandum, ſi Pythagorei, de mundo differentes, quatenus eſt animatus, ei proprietatem tribuerint, quae ſupremae menti ſoli conuenire poteſt: et viciſſim quod de Deo loquentes ei illud attribuerint, quod ſoli mundo conuenit. Inde autem non ſequi, quod illi confuderint in vnam ſolam et eandem eſſentiam tum complexum materialem vniuerſi, atque ignem mundanum per omnia diffuſum, tum mentem, quae regit omnia: ſed quod de Deo diſſerentes, prout occurrebat, eo nomine mox ſignificauerint ipſam ſupremam mentem, cum omnibus attributis et perfectionibus conſideratam, quae ei propriae ſunt, et quaſi inhaerentes; mox autem mentem, quatenus vnita eſt cum igne mundano, quod eſt inſtrumentum operationis eius, quo ſenſu dixerint Deum eſſe animam mundi; denique, loquendo de mente ſuprema, quatenus vnita eſt cum complexu materiali rerum, mediante igne mundano, ex quo oriatur perfecta inter naturam anima praeditam, id eſt, a Deo animatam vnio, eſſe ideo Deum; quo ſenſu dixerint, mundum videre, cognoſcere etc. Hanc expoſitionem ſyſtematis Pythagorici, contendit vir doctus nihil comprehendere, quod dici poſſit per hypotheſin aſſumtum et ex ſolo arbitrio pro lubitu poſitum, quodque non poſſit ex grauiſſimis ſcriptoribus probari, et quo mediante, poſſint diuerſae ſcriptorum de mente Pythagorae relationes redigi in concordiam. Vnde ex hac explicatione rationem quoque reddi poſſe, contendit, cur apud Porphyrium dicatur, Pythagoram ſtatuiſſe, Deum eſſe ſimilem, quoad mentem, veritati, atque id didiciſſe a magis; quod ideo veriſimile putat, quia iter Orientale Samii philoſophi nulla ratione poſſit negari. Veritatis autem nomine intelligi in ſchola Pythagorae ſolas res imma-

Digitized by Google

immateriales nulli mutationi et alterationi obnoxias: adeoque hoc nomine immaterialitatem ſummam Dei indigitari : ſimilem autem quoad corpus dici illum luci, quia ſpiritus aethereus ille igniſue mundanus aſtra illumipet, quae velut corpus lucidum ad nos lumen transmittant. Hactenus vir doctus, qui haec omnia venuſta, quod ſolet et perſpicua oratione explicat. Exponenda autem erat haec Pythagoreae theologiae explicatio, eo quod in ea, tota fere apologiae pro Pythagora, quam inſtituit, vis atque neruus ſitus ſit. Eam autem hoc loco examinare, et cum viro eruditiſſimo diſputationis ferram de ea reciprocare, noſtro eſſe inſtituto, atque loco aduerſum, ſupra diximus, vnde a longa et operoſa conſideratione hulus explicationis abſtinemus; nec multum eam neceſſariam eſſe iudicamus, quando ipſe lector cautelarum ſupra poſitarum memor ad veterum teſtimonia ſine auctoritatis et hypotheſeos praeiudicio attendit. Quamuis enim iſtam explicationem nihil habere hypotheſeos auctor affirmet, et ad grauiſſimorum ſcriptorum teſtimonia prouocet: tuto tamen et non ſine cauſſae fiducia ad hos poſſumus prouocare, modo Platonici Alexandrini iisque ſimiles non ſint, a quibus iſtam explicationem didicit Cl. Gerdilius, lectoremque ideo ad adductos a nobis teſtes amandamus, quorum teſtimonia refutari non poſſunt, niſi adhibeantur diſtinctiones Pythagorae aeuo nondum auditas et ab Alexandrinis nugatoribus ad ſaluandam hypotheſin excogitatae, quae ſimplici negatione diſſlantur. Quae ſi non hypotheſin ſapiunt, certe nulla eſt hypotheſis, quae non pro veritate abſoluta poſſit haberi, adeo finguntur, praeſupponuntur, et pro lubitu definitionibus et, nominibus per abſtractiones excogitatis, torquentur omnia, vt ſubtilitatem ex arena diſputatoria in hiſtoriam philoſophicam traductam, lector facile manibus palpet. Qui ſi vnum ſyſtema chaoticum coſmogoniae veteris, ex quo Pythagoras ſuam theologiam deſumſit, ſecum reputauerit, et quo nexu interno non aſſiſtens, ſed informans mens, materiae chaoticae ab aeterno vnita atque eſſentialiter praeſens fuerit, hancque ex ſe emanare fecerit, quod ipſe vir doctus negare non potuit, mundum ex Deo emanauiſſe, adeoque notionem immaterialitatis ſenſu abſoluto monadi ſupremae Pythagorae non poſſe tribui, omnis illa diſtinctio, quamuis erudite et ingenioſe valde excogitata, at vel hoc ſolo artificio ſuſpecta concidit. Plura vero non addimus, qui lectorem libenter iudicem et arbitrum poſcimus, qui ſi neglectis euidentibus veterum teſtimoniis, quae has diſtinctiunculas non tantum ignorant, ſed ne patiuntur quidem, viro doctiſſimo velit accedere, nihil cauſſae habemus, cur plura moneamus, vt deſinat ſuas cogitationes veteribus tribuere, et quid dicere debuerint, non autem, quid dixerint perquirere.

pag. 1076. lin. penult. *Libri vetuſtiſſimi fragmentum.* Hunc vnum interpretem, omnia fidei hiſtoricae criteria habentem mille diſtinctionibus, abſtractionibus excogitatisque nouae interpretationis aedificiis, quae Alexandri-

xandrinae philoſophiae alumnis debemus, praeferendum eſſe, ſi quis negauerit, cum eo diſputationis de hoc argumento aleam non poſſe amplius iniri, prudens quilibet, qui rationalis philoſophiae regulis eſt imbutus, intelligit.

pag. 1077. lin. 4. *Quod Zeno poſtea, Pythagorica myſteria imprimis a Polemone edoctus adoptauit.* Monendum tamen hic eſſe putamus, Zenonis illam, quae poſtea omnium Stoicorum fuit, phyſiologiam ita Pythagoreo ſyſtemati tribuendam videri, vt emanationi in eo locus ſuperſit, prout th. 6. expreſſimus, et intelligentias emanatiuas adhibendas eſſe monuimus, cum Stoici ſolas ignis diuini et mundani ſiueanimae mundanae modificationes admitterent. Vnde Stoicum ſyſtema eſſe deterius Pythagoreo fatemur, cum in hoc peculiaribus tamen ſubſiſtendi modis in Deo radicatis, res, quae ex anima mundi emanarunt, gaudeant, quod tamen ſecus eſt in Stoico, a Spinozae impietate non longe diſſito. Quod temperamentum, ſi adhibeatur, quemadmodum adhibendum eſſe, fontes, ex quibus in Phoenicia, Graecia atque Aegypto ſua hauſit Pythagoras, poſcunt, facile obiectionibus omnibus, quae contra noſtram explicationem vrgentur, poteſt fieri ſatis. Quare enixe lectorem, veritatis cupidum rogamus, vt ad ea reperita lectione recurrat, quae ſupra in his ſupplementis ad pag. 287. operis noſtri de theologia Aegypti diximus, ſecundisque curis paulo luculentius expoſuimus: quo pacto dirimi multas quaeſtiones et controuerſias in hoc argumento optime poſſe, ſumus perſuaſiſſimi.

pag. 1078. lin. 5. *Ex mente Pythagorae inter ſe fluunt.* Attendere hic lectorem cum quadam accuratione iubemus ad nexum ſyſtematis non emendicatum et ex alienis illatum, ſed, neceſſaria ſequela fluentem, quam accedentibus teſtibus non ſuſpectis optimam in hoc argumento demonſtrandi methodum eſſe, nemo ſanus negauerit.

pag. 1080. lin. 29. 30. *Si clare loquendum, a vera materiae notione neutrum liberari queat.* Senſit, qua eſt mentis acie, vim demonſtrationis hactenus allatae, humaniſſimus et doctiſſimus GERDILIVS [p], itaque, cum intelligeret, ſi in excuſanda pingendaque theologia Pythagorae ſucceſſus ſperandus ſit, argumentum atque dubium, quod ex natura ipſius DEI deſumitur, et opponi ſolet, remouendum eſſe: monet, credere multos recentiorum, Deum Pythagorae nihil eſſe aliud, quam ignem ſubtiliſſimum per totum mundum diſperſum, ſed praeditum virtute mouente et formatrice, qua ordinentur ſecundum certas leges omnia, hunc ignem in ſe eſſe materiam ſubtiliſſimam, et tantum ſenſu vulgari apud veteres vocari incorporeum, id eſt, non ſubiectum dimenſionibus materiae craſſae et compactae. Vbi noſtrum imprimis, ad quem haec ſpicilegii inſtar annotamus, locum ſe reſpicere fatetur, quem ſcilicet ſibi potiſſimum remouendum eſſe perſpiciebat. Fatetur is candide, maxime CICERONIS [q] auctо-

p) pag. 301 ſeqq.

q) De nat. Deor. L. I. c. 12.

Digitized by Google

auctoritate niti hanc ſententiam apud quem obiicit contra conceptum Dei Pythagoricum Velleius: *Pythagoras cenſuit, animam eſſe per naturam rerum omnem intentum, et commeantem, ex quo animi noſtri carperentur, non vidit diſtractione humanorum animorum diſcerpi et dilacerari Deum, et cum miſeri animi eſſent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem eſſe miſeram, quod fieri non poteſt.* Paria apud LACTANTIVM [r] et MINVTIVM FELICEM [s] occurrere, ipſe recordatur vir doctus. Vt autem reſponſionem pararet, qua elidi queant teſtimonia adeo clara et manifeſta, quorum complura nos nominauimus, non in totum negandam eſſe ait quaeſtionem, nec dicendum, in totum deceptos eſſe hos ſcriptores: ſed ſtatuendum, ex parte recte eos de Pythagorae dogmate ſtatuiſſe, ex parte autem non. Quod vt euincat, loco teſtimoniorum in contrariam partem adducendorum, qui negarent, Pythagoram Deum feciſſe corporeum, quae quidem expectabamus, ad diſtinctionem confugit inter animum et animam, ſecundum quam, interprete NONIO [t] atque LACTANTIO [u], non eſt idem mens et anima, aliudque eſt, quo viuimus, aliud, quo cogitamus, et, poſtquam monuiſſet, vulgatiſſimam fuiſſe hanc diſtinctionem apud veteres, accepiſſe eam ex ſchola Pythagorae, Platonem atque Stoicos, auctoritate PLVTARCHI [x] confirmat, indeque concludit realem vel eſſentialem potius diſtinctionem inter mentem immortalem et incorruptibilem, et inter animam ſubiectam morti et corruptioni, quarum vna ſit in perpetua mobilitate et agitatione, altera incapax ſit motus localis. Inde, porro monet, cum anima, ſecundum certas proportiones harmonicas ex certis partibus colligata ſit, accepiſſe a Pythagoreis locum inter numeros, dictamque eſſe numerum ſe ipſum mouentem, propter mentem praeditam motrice virtute, adeoque et alios numeros, quibus iuncta ſit, poſſe mouere. Quem ſenſum, ait, eſſe verborum Plutarchi, *Πλάτων οὐσίαν νοεϱὰν ἐξ ἑαυτῆς κινητὴν, κατ' ἀϱιθμὸν ἐναϱμόνιον κινεμένην: eſſe ſubſtantiam intelligentem ſe mouentem ex ſe ipſo, et motam ſecundum rationes harmonicas;* ex quo loco infert, animam iuxta hos philoſophos eſſe in perpetua agitatione, cum e contrario mens in particulari ſumta ab iis negetur, eſſe ſubiecta motui locali. Ex quo, vir acutus porro colligit, animam in toto complexu ſuo ſumtam conſtare, ſecundum Platonem, Pythagorae interpretem, ex parte principali, quae regat cuncta, *τῷ ἡγεμονικῷ*, id eſt, mente: et parte ea, quae moueatur ſecundum rationes atque proportiones harmonicas, quae irrationalis ſit, diffundaturque per corpus, vnita autem cum corpore et coniuncta cum ea, quae principatum obtinet, non recipiat commotiones ſecundum certas proportiones. Quam mentis atque animae diſtinctionem

r) Lib. I. c. 5.
s) L. IX. X. c. 7.
t) De propriet. ſerm. p. 454. Animus et anima hoc diſtant: animus eſt, quo ſapimus, anima, qua viuimus, ſine animo anima eſt debilis. . . Hinc animus ad intelligentiam tributus.
u) Lib. VII.
x) L. IV. c. 7. de plac. phil.

ctionem etiam ex definitione heroum a nobis ex Hierocle allata, qua conſtare dicuntur ex animo rationali et corpore lucido roborari iudicat, et hanc quoque diſtinctionem inter vetuſtiſſimos poëtas per traditionem obtinuiſſe, apud quos ſaepius occurrat anima ſine mente, ψυχὴ ἄνους, erudite probat. Quibus omnibus fuſe expoſitis, ad locum Ciceronis ita reſpondet, vt eum tantum petere ſuperſtitionem vulgi atque poëtarum, contendat, qui putabant, animam manere in inferno, quod tamen non fieri poſſit ſine corpore, putetque, Pythagoreos et Platonicos, quos ſequatur Cicero, credidiſſe, ex duabus illis animi partibus remanere rationalem, perire cum corpore irrationalem: vel ſecundum Hieroclem, ſupereſſe animum coniunctum corpori lucido, quod illum relinquat, et ſe in altiſſimam aetheream ſubſtantiam ſibi homogeneam attollat, vt poſſit aeternum viuere. Alios autem finxiſſe, praeter animam et corpus, eſſe certa ſimulacra corporis, quae deſtinata ſint pro inferno. Et haec quidem fuſe et non ſine doctrinae profuſione ad nauſeam fere cumulat Gerdiliana eruditio, in ſequentibus autem totus in eo eſt, vt euincat, animam mundi, ſi ipſa Dei immaterialis notio ſit, non conſtare poſſe cum reliqua doctrina Pythagorae, nempe qualem ipſe ſibi vir doctus efformauerat, nec eſſe in ſyſtemate Pythagoreo ſpiritum illum aethereum proprie Deum, ſed aetherem, ſiue auram ſupremam puriſſimam, quae in ſe contineat calorem viuificantem, et in qua viuunt naturae immortales; ſiue, eſſe campos illos aethereos, in quibus natent Sol, aſtra, et luna; non autem eſſe hunc ſpiritum aethereum eundem cum illo, qui conſtituat naturam ſubſtantiae immortalis, quae in eo viuit, ſed tantum eius elementum eſſe, in qua viuentes aeterna vita fruantur. Rationibus itaque Pythagoreis conueniens eſſe, vt, cum praeter principium hoc vitale, aliud etiam in homine ſit naturae differentis, nempe mens, multo magis id ad coeleſtes ſubſtantias referendum eſſe, quae non poſſint eſſe ex anima iſta mundi, quae inferioris conditionis ſit, ſecundum veteres, quam natura intelligens, etc. Quae multis poſtea proſequitur, heic, ne taedium lectori creemus, amplius non repetenda, quae tandem eo omnia collineant; per illam animam mundi intelligendum eſſe iſtum ſpiritum aethereum a creatore per totum mundum diffuſum et diſtributum, qui, cum ſubtiliſſimae naturae, calorisque efficaciſſimi indolem habeat, inſtrumentum ſit: per quod ſumma mens intellectualis et immaterialis in mundum inferiorem operetur, ob quam operationem illa Deus dicatur per omnia diffuſus, quemadmodum in homine praeter animam rationalem et ſpiritualem, eſſe creditur anima materialis, ſiue ſpiritus animales, qui ſunt media et inſtrumenta operationis animae. Ignoſcet lector prolixitati, quae ſequenda fuit in exponenda doctiſſimi viri ſententia, qui non opus habuiſſet tantum puluerem de ea re excitare, cum pauci forte ei negauerint, ſpiritum eiusmodi mundanum aliquem, ſiue aethereum in partes vocatum eſſe a veteribus philoſophis, vt operationes animae in corpus explicarent.

Verum

Digitized by Google

Verum haec nihil ad rhombum faciunt, cum in illis veterum locis, vbi Deus anima mundi dicitur per omnes partes commeans et diffusa, non sermo sit de instrumento quodam intermedio, quod Deus adhibet ad operationes suas in mundo edendas, sed de Deo ipso eiusque natura intelligibili, a quo τὸ εἶναι καὶ κινεῖσθαι totius mundi dependet. Heic secuti ad loca a nobis adducta, maxime eum, qui ex Iustino et Clemente Alexandrino excerptus ex libro Pythagorico luculentam descriptionem exhibet, prouocamus, quem de alio principio, quam summa mente intelligere velle, effet quadrata miscere rotundis. Nam non tantum de Deo vno sententiam Pythagorae se edisserére velle, scriptor ille antiquus ait, sed de eo quoque pronuntiat, illum ἕνα Θεὸν neque extra mundum esse, sed in eo velut in circulo inclusum habitare, ὅλον ἐν ὅλῳ, (vt de anima hominis rationali in corpore habitante loqui etiam solent philosophi) ipsumque ἕνα Θεὸν prospicere omni generationi, ipsum esse mixtionem omnium, etiam aeternorum, principium omnium, ἕν, ἐν ἀέρι ᾧ φωσφόρα, vnum lucis fontem, et scaturiginem suis radiis omnia illuminantem, animam, omnia animantem et per circulum, siue circularem harmoniam omnia mouentem. Haec quomodo animae mundi materiali et aethereae a Deo distinctae conueniant, quae nunquam εἷς ὁ Θεὸς audit? nisi fidiculis torqueantur voces et nomina, quae Deum vnum, solum internum, necessarium omnis motus, lucisque immediatum auctorem faciunt, et causſam immanentem constituunt. Fatemur ἀπροσδιόνυσα et absurda atque contradictoria ineſſe huic dogmati, verum de hac quidem inconcinnitate nobis sermo non est, quam probe viderunt Platonici sequiores, et nemo melius intelligit, quam cel. Auctor noster, qui ideo antiquissimo dogmati colorem inducere sategerunt. Nos lectorem ea recordari iubemus, quae de Deo in chao concluso, et mundum velut ex sinu suo ciiciente atque generante in barbaricae philosophiae historia fuse docuimus. Ex illis enim, ea, quae in Aegypto, Ionia et Syria, et, si verum est, apud Babylonios quoque collegit, et numerorum symbolis tanquam nouum physiologiae systema ornata scholae suae vendidit Pythagoras, explicari aliter non possunt, nisi torqueantur omnia, quod in hoc loco Pythagorici anonymi feciſſe Cudworthum supra annotauimus.

pag. 1080. lin. 6. *Asseruit quoque Pseudo-Origenes.* Respexit auctor anonymus ad hypothesin Zoroastream, quam a Zarata Chaldaeo accepisse memorauit, duo esse ex vno fonte, Mithra, principia, lucem atque tenebras: ita vero vtrumque expositit, vt de sola causſa materiali possit intelligi, quod cum explicatione Gerdiliana non potest conciliari, recte autem dicitur, si intelligatur de Deo s. monade chaotica, quae duplex hoc principium ex sinu suo emanare fecit, ac velut rerum futurarum semen eiaculauit. Vnde dixit quoque, mundum esse ἀρρενοθήλυν, ex viro atque muliere constantem. Legenda vero et reliqua huius auctoris sunt, quae, licet genuina Pythagorica non sint, lucem tamen accendere possunt phy-

siologiae Orientali, et quae ex fonte hoc sua hausit Alexandrinae, in qua apud Proclum: Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο Νύμφη. Similia in Aegypto et ex Orphicis didicit Pythagoras, quae nunquam possunt cum interpretatione cl. Gerdilii conciliari.

pag. 1083. lin. 16. *Vnde illa heic quoque repetenda sunt.* Discrimen tamen probe tenendum est inter ideas Platonis et intelligibiles substantias scholae Pythagoricae; illae enim intellectualis tantum naturae sunt, hae, praeter intelligentiam corpore quodam aethereo vestiuntur: quales tamen heroës etiam admisisse scholam Italicam ex vniuersali traditione, quae ad omnes fere prisci orbis gentes dimanauit, probari potest, rectequе obseruauit cl. GERDILIVS [y]. Ipsa enim emanatiui systematis natura et constitutio, et subordinatio entium, quae emanarunt, id euincit, vt alias rationes taceamus a cl. PLOVCQVETO [z] allatas, inter quas Pythagorico-Platonica est PLOTINI [a] a conuenientia et ordine systematis mundani desumta. Quae eo magis heic considerանda est, quia in systemate Pythagorico non solius supremae mentis libera voluntate et sapientia, sed emanationis necessitate et ineuitabili ordine poni debent.

pag. 1084. lin. 17. *Quae omnia sine illo systemate consistere nequeunt.* Non sine magno commodo conferri cum his potest systematis cabbalistici explicatio suo loco data, vbi similiter in circumferentia proxime infinitam lucem habitant emanationes primae, eaeque diuinae; in imo subsidunt, luceque carent atque mali omnis origo sunt emanationes vltimae, quae in materiam tandem degenerarunt. Ex quo patet, eandem Patriam vtrumque systema habere.

pag. 1085. lin. 35. 36. *Sequitur hoc ex descripta hactenus diuinae naturae per omnia diffusae operatione nexuque rerum omnium et sequela atque ordine physico, exque animae conditione diuina.* Hanc consequentiae rationem cohaerere cum systemate Pythagoreo, erudite ostendit PLOVCQVETVS [b], licet incertum sit, an Pythagoras ratiocinatione ad hanc diuinitatem animae asserendam peruenerit, et annon potius a philosophis barbaricis, maxime in Aegypto acceperit.

pag. 1087. lin. 13. *Nihil certi definimus.* Meretur hic legi diligentissimus GERDILIVS [c], qui, postquam tria summa genera, ad quae Pythagorei res omnes reuocabant, (categorias dixere alii) luculenter explicasset, ex dictis colligit, Italicam philosophiam numeros posuisse non tantum, tanquam principium materiale rerum, sed etiam formale, nempe, in quantum effectus physici sunt, secundum eos, imitatio effectuum numericorum, ea potissimum ex causa, quia res physicae sint compositae ex monadibus realibus, quemadmodum numerus abstractus est compositus

y) l. c. p. 305. Repetenda hic sunt, quae de philosophia inter gentes barbaras Chaldaeos, Persas, Indos, Aegyptios, Graecos atque Celtas suo loco fuse attulimus.

z) loc. cit. p. 13 seqq.
a) Enn. III. L. IV. c. 6.
b) loc. cit. p. 21.
c) loc. cit. p. 298.

Digitized by Google

tus ex vnitate abſtracta: ex quo neceſſario ſequitur, ſtatum phyſicum debere reſpondere ſtatui arithmetico. Et ex hac proprietate numeri, qua eſt certo modo principium formale rei, nempe, quatenus proprietas numerica debet determinare proprietatem phyſicam rerum, quae, quemadmodum numeri componuntur ex vnitate, coniicit ingenioſus ſcriptor, poſſe detegi ſignificationes denominationum multarum, quas numeri Pythagorici gerunt: quamuis certi nihil hic promitti poſſe, prudenter moneat. Non heic locus et tempus eſt, de hoc argumento ſpeciali prolixius differendi, et, qua cautione opus ſit, in his terminis metaphyſicis et ſcholaſticis ad ſyſtemata veterum philoſophorum, maxime vero Pythagorae illuſtranda adhibendis, agendi. Nos duo tantum, quae momentum haud exiguum habent in vetuſtiſſima philoſophia, capita recte et prouide lectorem expendere iubemus. Primum, ne intelligat veteres philoſophos ſecundum ſua magis placita, atque notiones, vel prout ſtatuiſſe veteres cupit, quam prout ipſos ſtatuiſſe manifeſta teſtimonia priſci orbis, et ipſa ſyſtemata veterum philoſophorum euincunt. Quod imprimis propter eos monendum eſt, tum qui ſana omnia atque recta et reuelationis puritati plerumque conformia eſſe veterum philoſophemata contendunt, tum, qui ad impietatis et deteſtabilis atheiſmi ſcabiem veteribus affricandam hiſtoriae philoſophicae abuſum incruſtant. Vtraque pars enim non, quid dixerint veteres, ſed, quo pacto partis ſuae placitis vindicari poſſint, in animo habet, et totum philoſophicae hiſtoriae ſtudium euertit. Medio itaque tutiſſimus ibit archaeologiae philoſophicae ſtudioſus, cuius parum intererit, quocunque modo veteres philoſophos ſtatuiſſe appareat. Alterum, quod probe excutiendum eſſe veteris doctrinae cognoſcendae auido putamus, quodque propius Pythagorici ſyſtematis hiſtoriam tangit, illud eſt, vt attentus ſit lector ad emanationis ſyſtema, quo hactenus ad recludenda veteris orbis myſteria coſmogonica et coſmologica, tanquam claue vſi ſumus, et ſine quo Pythagorae phyſiologia intelligi nequit. Eleganter et erudite monet cl. GERDILIVS [a] ſyſtema emanationis longe eſſe vetuſtius Pythagora, et receptum fuiſſe apud Aegyptios, Magos Zoroaſtreos, Gymnoſophiſtas Indiae, Arabes; inde tranſiiſſe ad theologiam popularem et fabuloſam Graecorum. Immo, quod mirabile, deprehendi in antiquiſſimis monumentis philoſophiae Sinenſis atque Iaponicae, quin ad feros quoque et ſylueſtres Americae populos penetraſſe. Potuiſſet addere vetuſtiſſimas nationes Celticas, Sarmaticasque; de his enim omnibus ſimilia in hac noſtra barbaricae philoſophiae hiſtoria teſtimoniis ſatis luculentis, dudum, et imprimis in hoc ſpicilegio id probauimus, additis tamen monitis nonnullis, ne Dualiſticum ſyſtema, quod nonnullis arriſit, quodque mirabili artificio cum emanatiuo ſub vno iugo ire coëgerunt nonnulli, vt Zoroaſtris Ipſiusque Platonis exemplo nouimus, cum hoc Emanatiuo confundatur. Coniicit autem argute, vt ſolet, Taurinenſis

a) loc. cit. p. 341.

nenſis philoſophus noſter, cum adeo vniuerſaliter receptum inter gentes priſcas populosque toto coelo diuerſos a prima fere mundi aetate hoc emanationis ſyſtema viguerit, non potuiſſe illud ſolis philoſophicis ratiociniis, hominibus, etiam ἀφιλοσόφοις integrisque nationibus in mentem venire, ſed impreſſum altiſſime menti humanae neceſſario deriuandum eſſe a traditione aliqua vniuerſali, quae originem acceperit a facto quodam, ſiue traditione, ex quo fonte deinde ad plerasque gentes dimanauerit, cum homines per omnes habitabilis orbis partes diſtribuerentur, quod tempus non adeo longe remotum potuerit eſſe ab ipſa traditionis illius origine. Id autem patere putat ex tot veſtigiis harmoniae, quam is credit intercedere inter Moſis hiſtoriam et theologumena veteris orbis, quae facile perſuadeant, ex vna eademque ſcaturigine omnem hanc traditionem profluxiſſe; vnde concludit tandem, creationis ex nihilo hiſtoriam per hunc canalem ad populos veteres defluxiſſe. Quae, cum conſequentiarum nonnullarum machinis lectori perſuadere laborauiſſet, concludit tandem *): Syſtema emanationis in ſuo fonte non eſſe aliud, quam creationem a nemine in actum productam, niſi a virtute diuina, quae ſine eſſentiae ſuae diminutione, vel propriae ſubſtantiae communicatione mundum extruxerit, eique largita ſit exiſtentiam. Aliter non potuiſſe hoc ſyſtema hominibus in mentem venire: vnde multus poſtea in eo eſt, vt creationem, ex nulla praeexiſtente materia, id eſt, ex nihilo, ſola virtutis et voluntatis diuinae iuſſu innotuiſſe orbi veteri vniuerſo lectori perſuadeat, et hac inaudita hactenus ſignificatione emanationis terminum explicet. Fatemur, quod pace viri eruditiſſimi dictum volumus, cuius pium pro religione et reuelatione (quae vero cum traditione non confundenda eſt) feruorem atque laudabilem diligentiam omnino probamus et extollimus, miratos nos eſſe vehementer, cum iſta poſteriora legiſſemus, videntes pulchrum exordium adeo diſſimile nactum eſſe exitum, quaerebamus apud nos, ſuſpenſos et tantum non attonitos

— — *amphora coepit*
Inſtitui, currente rota cur vrceus exit?

Adeo initio ſuo diſſimilis eſt totius illius ratiocinationis exitus, ab emanatione ad creationem ingenti ſaltu deproperans, vt vel mediocriter attento lectori in mentem venire debeat, hypotheſeos ſtudio et ſubreptionis vitio, auctorem, adeo alias in ratiocinando valentem et acrem, ſe decepiſſe paſſum eſſe, vt concluderet: emanationis ſyſtema inter tot vetuſtas gentes receptum eſt, ergo non ratiocinatione facili et populari ab iis potuit excogitari, ſed reuelatione et traditione ad eas peruenit. Porro, cum alia traditio non exiſtat de rerum origine, quam Moſaica de creatione ex nihilo; ergo ſyſtema emanationis et creationis ex nihilo vnum idemque ſunt. Sumus nos perſuaſiſſimi, lectorem harum rerum tantum mediocriter peritum, obſtupeſcere, cum hanc ratiocinii conſecutionem legit,

*) loc. cit. p. 358.

Digitized by Google

legit, et audit res in se contradictorias et euertentes, vt sunt emanatio et creatio, potuisse istis machinulis ita in vnum cogi, vt pro eodem habeantur. Quis enim adeo communis cogitandi et paulisper abstrahendi a notionibus confusis et vocibus nihili, quibus vulgus tantum vtitur, facultate adeo priuatus est, vt nesciat, creationem ex nihilo nullum subiectum materiale, ex quo educta sunt omnia, et a caussa efficiente producta poscere, sed tantum euicta necessaria entis infiniti, et maxima potentia, sapientia atque bonitate instructi, existentia ex eius sola voluntate liberrima atque dispositione sapientissima rerum omnium originem ex nihilo deriuare: quem primum religionis in paradiso articulum fuisse, postea per diuinam reuelationem scriptis Θεοπνεύσεις nobis traditum et ad nos transmissum pius quilibet intelligit, et nemo pro eo ardentius militat, quam optimus Gerdilius. Ast, quis communium omnibusque hominibus connatarum notionum atque idearum adeo ignarus est, vt non per se, audita emanationis voce intelligat, indicari per eam eiusmodi existendi originem, qua non tantum caussa efficiens per quam, sed materialis quoque ex qua, et formalis quoque, atque fundamentalis in qua connotentur, ita, vt id, quod emanauit, non tantum fontem, ex quo habet originem, pro caussa efficiente agnoscat, sed illi quoque essentiae communicationem, et existendi vim atque durationem debeat, et, vt separata essentialiter a fonte suo in existendo et essendo quasi riuus, obstructo fonte, aresçat. Certe nos aliam emanationis notionem comprehendere non possumus, et acerrimos metaphysicos testes poscimus: qui communicationis modos in ente solent expendere. Recte ideo monuit subtilissimus PLOVCQVETVS [f], *si monas primitiua tanquam rerum principium pariat rerum diuersitates per modum emanationis, in ipso rei fundo nonnisi* VNAM ASSVMI SVBSTANTIAM VARIIS MODIFICATIONIBVS ET EVOLVTIONIBVS, SIBI ET DIVISIM PLVRIBVS MANIFESTATAM: *et ita rationes primitiuas seminales, si cum Pythagoreis loquendum, inesse vni principio, vti numero inest ratio seminalis phaenomenorum;* vnde recte concludit: *emanationis notionem cum absoluta vnitate primitiua conciliari non posse, quia plura existentia et vnum existens non constituant vnum existens: principium quoque vnum, quod in fundo interiori inuoluit ea, quae emanant, non distingui ab iisdem, sed vi internae necessitatis cum iisdem coniungi.* Hactenus Ploucquetus, qui recte inde infert, emanationis systema a Pythagoreis in rerum origine explicanda inepte adhiberi: quibus addi possent διάφορα plura in hoc systemate comprehensa, nisi alium ea locum poscerent. Non posse autem aliter intelligi Pythagoream scholam, tot eorum praecepta et dogmata loquuntur, vt contra solem loqui videatur ille, qui negauerit. Rogamus autem lectorem harum rerum curiosum, vt omnia ista systemata percurrat, quae emanationem rerum ex Deo supponunt, certi, ne vnum quidem deprehensurum, quod non hanc essentiae communicationem non a se tantum, sed ex

f) De Speculat. Pyth. p. 21.

Digitized by Google

ex se quoque tanquam caussa materiali supponat. Praeuidit hunc arietem vir doctissimus, quem hic dissentientem habemus, vnde cum aperto Marte vincere desperaret, ad improprias significationes et definitiones emanationis confugit; et tres nobis vocis huius sensus enumerat [g], quas, ne dolose pugnauisse videamur, pace lectoris, non silebimus. Cum enim dicatur mundus esse a Deo per emanationem, posse id intelligi monet, sensu vulgari et valde obuio, vt significet, Deum aut formaliter, aut virtualiter eum in se continuisse mundum, quem ex sinu suo eiecerit, quemadmodum tela ex ventre suo elicit aranea; secundo posse vocem hanc intelligi laxius de productione rei ex principio, in quo continetur per eminentiam [h]; ita, vt caussa in effectum transeat sine vlla diminutione vel communicatione propriae essentiae, et hoc sensu emanare idem accurate esse, quod creare ex nihilo. Tertia autem significatione, improprie indicare quamcunque formationem rei ex materia praeexistente. Vidit satis vir doctus, harum significationum veritatem et existentiam sibi esse probandam: cum itaque primam, quam ipse naturalem, omnibus obuiam et animo per se obuersantem esse agnoscit, totam caussam suam perdere cognouisset, reiecit eam, non alia ratione ductus, quam quod non posse stare cum systemate Pythagorico secundum explicationem suam, hancque natiua ista emanationis significatione totum euerti, acute videbat. Quod argumentum est, rei euidentia conuictum in campo aperto eum consistere non potuisse, ideoque ad latebras confugisse: quicunque enim sine praeiudicio, sine hypotheli heic versantur, habebunt confitentem reum, ex propria, natiua et communi omnibus significatione emanationis omnia interpretamenta, et excusationes pro Pythagora vno conflictu et impulsu profligari posse. Secundam autem atque tertiam significationem, (nam ad triarios res redibat) vt euinceret, non aliam nobis certitudinem offert, nisi arbitrariam definitionem; emanationem esse creationem, quod non minus absurdum est, quam triangulum esse quadratum, adeo notiones inter se pugnant. Credimus autem, lectores nostros, si paulisper attenti fuerint, facile percepturos, virum Cl. quaestionem, de qua agitur [i], nempe, an per emanationem intelligenda sit creatio ex nihilo, immiscuisse praemissis, et ex eius, de quo quaerebatur definitione hypotheseos gratia precario adsumta, medium terminum ratiocinii sui construxisse, a quo demonstrandi modo abstinendum esse, philosophicae historiae studiosos serio monemus, ne petitionis principii vitium eis obiiciatur. Non tamen deserit caussam vir doctus, qui pro Pythagora pugnat, sed, cum ex notione emanationis iuuari non posse orthodoxiam Samii philosophi pulchre perspiceret, supposita traditione de crea-

g) pag. 344.

b) Num hic terminus apte adhibeatur, ad exprimendum illud, quod cupit V. C. metaphysici dispicient, qui de ineste rei per eminentiam solent disquirere V. Cel. Hollmann. syst. metaph. §. 375. p. 57.

i) Legat lector, et expendat probe illationem viri clarissimi pag. 350. quam excidere potuisse viro in veteri literatura versato, miramur.

Digitized by Google

creatione mundi ex nihilo, inter omnes populos diſperſa, inde concludit, Pythagoram hunc de emanatione ſenſum habuiſſe, quia eum a Iudaeis, et ex traditione inter eos a Moſe accepta didicerit. Quae in tanta, quanta hodie lucet, hiſtoriae philoſophicae notitia, in tam accurata artis criticae exercitatione, quam noſtrum ſeculum vrget, dici potuiſſe veteresque naenias et aniles fabulas reſuſcitatas, ſtuperemus, niſi, quo tandem ſcopo et commendandi aliquam traditionis neceſſitatem contra Proteſtantes, fine, iſta omnia ſcripta fuerint, vir doctiſſimus multoties prodidiſſet, cui cetera ſinceram laudem tribuimus, non facile ingenioſiorem aduocatum Inueniſſe rem neutiquam probabilem, vel probandam. Qui, licet vrgeat emanatiui ſyſtematis hiſtoriam, attamen, quod teſtimoniis non potuit, coniecturis et diſtinctiunculis ſuppleuit, nulla re, niſi ingenio ſuo nixis. Quanquam enim facile concedere poſſumus, creationis factum, poſt diluuium inter Noachi poſteros ante populorum diſperſionem, non fuiſſe ignotum, certum tamen eſt, et ex omnium gentium hiſtoria euinci poteſt, hanc traditionem mature fuiſſe extinctam, et plerasque nationes, quae creationis ex nihilo ſyſtema cum ratiociniis ſuis conciliare non poterant, ſuis cogitationibus intentos, ratiociniis in mundi originem coepiſſe inquirere, inductosque principio, vero quidem, ſed non ſatis determinato: ex nihilo nihil fit, veriſſimum axioma non ad gloriam creatoris augendam adhibuiſſe, ſed conuertiſſe In ſtultitiam, concludendo: ex Deo omnia effluxiſſe, Deique numine Ideo eſſe plena omnia, emanationis lege cuncta ab eo dependere, cuncta ad eum redire, et infinitis gradibus inter ſe diffuſam emanationem tandem ad fontem ſuum reuerſuram. Quae omnia errorum quidem propagines pandunt, argumentum autem emendicatae hypotheſi non ſuppeditant. Non opus habet ſanctiſſima religio noſtra his armis, quae ſuis tecta praeſidiis e nulla re magis gloriam capit, quam ex vniuerſi orbis humani ignorantia, poſtquam diuina reuelatio erat relicta. Cetera, quae hic dici poterant, ad religionis reuelatae hiſtoriam pertinent, quae ex genuinis fontibus inſtruenda eſt. Nobis hoc, tanquam omnium oculis manifeſtum, in hac noſtra tractatione tenendum eſt, omnes has excuſationes gentilium errorum et perdere philoſophicae hiſtoriae certitudinem, et obeſſe magis cauſſae religionis, quam prodeſſe, quae aperto ſe ſolet poteſtque, Marte defendere. *Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.*

pag. 1094. lin. 29. *Iuxta Pythagorae phyſiologiam intelligendum.* Multus et ſupra modum ingenioſus iterum eſt Cl. GERDILIVS[k], vt ſuis, quas ſemel adhibuerat, definitionibus atque diſtinctionibus Pythagoream transmigrationem attemperaret, eamque cum vnione animae ex corpore diſcedentis, cum anima vniuerſali, ſiue aethere, conciliaret. In quibus iterum more ſuo ingenii fertilitatem mire probat: negari enim transmigra-

k) loc. cit. p. 321.

migrationem Pythagorae non poſſe, recte cenſebat, quam dogma quaſi characteriſticum ſcholae Pythagoricae fuiſſe recte ſtatuit. Putat ergo, facilem eſſe conciliationem migrationis animae poſt mortem cum vnione animae, quae euenit, quando poſt mortem ſuo principio aethereo iungitur, modo inter partes animae diſtinguatur. Cum enim mens quaelibet, ſiue monas dominans, (quam puram et intelligibilem ille ſupponit,) ſiue τὸ ἡγεμονικὸν animae ſemper ſibi coniunctam habeat ſpeciem quandam corporis aetherei, tanquam inſtrumentum vitale et proprium operationis ſuae, quod ſemper eam comitetur, quocunque in ſtatu fuerit, et quo mediante vel aſcendere poſſit ad regionem aetheris puriſſimi, aut migrando in aliud corpus, coniungi portioni ignis mundani, ex quo animalia vitam hauriant: locum habere vtrumque poſſe, fierique, vt in morte animalis ea pars, vel ſpecies animae, quae eſt principium functionum vitalium atque ſenſibilium, cum nihil aliud ſit, quam portio aetheris, diſcedat, vt ſe iterum vniat cum maſſa vniuerſali aetheris, quum neceſſe non ſit, vt ipſa illa individualis portio tranſeat in aliud corpus, ſed ſufficiat, ſi ad eam maſſam perueniat, ex qua effuſa eſt, et quae perpetuo diſtribuitur per corpora organisanda et formanda, et, vt ex altera parte monas dominans, ſecum alias ferens corpus aethereum ipſi ſubiectum tanquam inſtrumentum operationis, antequam in coelum aſcendat, reuolutionum circulum abſoluat, quo tenetur tranſire ex vno corpore in aliud. Quae tota explicatio, an menti Pythagorae conformis ſit, et annon noua illi entia tribuat, quotiescunque nouum corpus ſubit anima rationalis nouo tunc ὀχήματι veſtienda, hoc loco, non diſpiciemus, patiemurque ita explicari pſychologiam Pythagorae, aſt dubitamus, vtrum difficultati ita fiat ſatis, cum anima illa aetherea, et altera rationalis vnum ſubiectum conſtituant, quod conſtare aliter non poſſit. Ipſa autem diſtinctio in ſe ſubtilior merito videri poteſt, quam vt Pythagorae ingenio poſſit tribui: nec opus ea eſſe videtur, ſi ea ratione difficultas tollitur, quam veteres ſecuti attulimus, quae ſimplex eſt, atque captu facilis. Innumeris autem ſyſtematis difficultatibus premi metempſychoſin Pythagorae, (quam caue cum μετενσωματάσει confundas, niſi vis philoſophi mentem plane peruertere, quod tamen multis accidit,) nemo negabit, qui nexum ſyſtematicum ipſe explorat, deprehendet enim, cum barbaricum dogma more ſuo abiicere nollet Pythagoras, coactum fuiſſe in haud paucis ſibi contradicere: quae, cum Plato et ſequaces, imprimis recentiores ex ſchola Alexandrina ſanare auderent, innumeri noui termini et verba nihil ſignificantia velut lemures et ſpectra apparuerunt, ſimplicitati aeui, quo vixit Pythagoras, minime conuenientia, quae omnia excutere velle, eſſet τερετίσμασι tempus perdere. Tetigit multa, non indigna lectione et attentione PAGANINVS GAVDENTIVS, qui de Pythagorea animarum transmigratione opuſculum rarum hodie parumque obuium edidit

Digitized by Google

edidit [l], et erudita multa cumulauit, aſt more ſuo, indigeſta pleraque et limam deſiderantia.

Ibid. lin. 29. *Iuxta Pythagorae phyſiologiam.* Ex hactenus dictis iudicari poteſt, quid ad dubia τῦ πάνυ SIM. PELLOVTIERII [m] reſpondendum ſit, qui de animarum transmigratione, qualem veteres Celtis tribuunt eamque a Pythagora tranſſumſiſſe tradunt, acturus, ante omnia id agit, vt contendat, incertum eſſe, num Pythagoras crediderit metempſychoſin, nec ne? Cuius dubitationis rationes ſequentes affert: 1. nihil ſcripſiſſe Pythagoram, certe nihil ad nos genuinum ab eo peruenisſe; veriſimile autem eſſe, doctrinam de immortalitate animae, cum noua eſſet apud Graecos, tempore huius philoſophi, perſuaſiſſe diſcipulis, vt, cum placita magiſtri in acta referrent, male intellectum dogma ei tribuerent. 2. Prouocat ad teſtimonium CLEMENTIS ALEXANDRINI referentis [n], *ſpem poſt mortem non ſolum agnoſcere, qui barbaram philoſophiam perſequuntur, bonis quidem bonam, malis autem contrariam, ſed etiam Pythagoreos,* quae non ſtare poſſe cum metempſychoſi putat, cum poſt certum tantum atque determinatum tempus annorumque decurſum apud manes, ſuſceptis aut poenis, aut praemiis, ſint rediturae, quod cum perpetuo iſto circulo animarum ex vno corpore in aliud tranſeuntium non poſſit conſiſtere. Non vocaſſe quoque Pythagoram iſtam reuolutionem animae metempſychoſin, ſed palingeneſiam, id quod SERVII [o] et gloſſatoris Pindari [p] teſtimonio firmat: palingeneſiam autem innuere nouam natiuitatem, qua idem homo ſit, qui renaſcatur in ſtatu et conditione perfectiori: quaerit etiam, num Pythagoras crediderit, hominem, plus vna vice in vitam rediturum, an ſemel tantum? Erudite haec monuit vir poſt fata nobis deſideratiſſimus, et amicitiae fide coniunctiſſimus, qui ad omnes circumſtantias ſolebat attendere, vt veriſimilitudinis gradus in fide hiſtorica recte determinaret. Quem optima ratione negauiſſe, quod Celtae metempſychoſeos dogma per Zamolixim a Pythagora eius hero didicerint, ſuo loco in Celtarum hiſtoria nos retuliſſe, recordamur. Aſt, quod pace felicium, quarum memoriam pie colimus, manium dictum ſit, infirmiora ſunt, quae nectit dubia, nec ſufficiunt ad inducendum de hoc argumento pyrrhoniſmum in hiſtoriam Pythagorae. Quanquam enim incertam eſſe et dubiis multis expoſitam Pythagorae hiſtoriam multis ipſi argumentis roborauimus, nullum tamen momentum eius eſt, quod maiori Pythagorae tribuatur teſtimoniorum concordia, quam metempſychoſis, aſt recte intellecta. Si enim ea legiſſet, vt, poſtea quam ſuam hiſtoriam

l) Prodiit Piſis 1641. 4. adiunctis diſſertatiunculis aliis. In hac tractatione inquirit etiam in metempſychoſin ex mente Empedoclis atque Platonis, Stoicorum, Procli, Tibulli, Phariſaeorum, Brachmanum, Druidum, Germanorum, Getarum, Iudaeorum, et argumentis eam euertit, quaeſtiones quoque Pythogoricas multas addit, a harum rerum ſtudioſo non negligendas.

m) Hiſt. des Celtes. Tom. II. Lib. III. c. 18. pag. 325 ſeqq.

n) Stromat. L. IV. p. 629.

o) Ad Aeneid. L. III. v. 67.

p) Scholiaſt. ad Pindar. Olymp. II. p. 51.

Digitized by Google

Celticam diu ante editionem elaboratam conſcripſit vir incomparabilis, legit, quae hoc loco circa quaeſtionem, de ſtatu vitae apud Manes, quem Pythagoram doculſſe, eius philoſophiae periti non negant, annotauimus, vidiſſet illico ſtare reditum animarum poſt abſolutum neceſſitatis circulum poſſe, cum iſta vita apud manes, et promiſſis vel gaudiis et praemiis, vel cruciatibus atque poenis: quaecunque etiam admittatur vtriusque conciliatio, quam diuerſimode iniiſſe ſcriptores hiſtoriae Pythagoreae, ex iis, quae hactenus diximus, conſtat. Illico enim animam ὀχήματι ſuo adhuc amictam, cum e corpore diſcedit, ingredi animam aliam, ſchola Italica non affirmauit: multa autem exoterice de hac re, et ad vulgus diſſeruit, vt ſpe metuque futurorum ad perſequendam virtutem homines excitarentur. Quo ſenſu quoque Timaeum metempſychoſin pro fabula ad vulgus emendationem excogitata habuiſſe, facile oredimus cel. GERDILIO, qui multus in eo eſt [q], vt ſcholae huius in hoc dogmate concordiam euinceret. Quam veriſimiliter id, iuxta eam, quam excogitauit vir eruditus ſyſtematis pſychologici Pythagorae explicationem factum ſit, lectori diiudicandum relinquimus, qui in critico operis Gerdiliani ſane eruditi multaque doctrina refertl examine non occupamur, ſed ſpicilegium tantum hiſtoriae philoſophiae Italicae lectori exhibemus, nec noſtras, nec aliorum quoque cogitationes et ſuſpiciones aeuo Pythagorae tribuere auſi. Quare etiam a comparanda transmigratione Pythagorea, cum metamorphoſi Leibniziana, quam inſtituit vir laudatus [r], abſtinemus. Metempſychoſin animarum enim locum habere non poſſe, ſtatuebat illuſtris philoſophus, quia certum illi erat, non dari animas prorſus ſeparatas [s], et metempſychoſin, obſeruabat, inferre permutationem organorum praecedentium cum conſequentibus, per ſaltum factam, quem tamen in corporibus non dari ſtatuebat, ſed fieri per gradus, docebat.

q) l. c. p. 363 ſeq. HANSCH. ad h. l. theor. CX. p. 161. CXIV. p. 166.
r) pag. 325. Recueil T. II. p. 186. BVLFINGER Dilucid.
s) Monadol. 5 prin. phil. th. 75. Conf. phil. p. 398 ſeq.

AD SECT. II. CAP. X.

DE DISCIPVLIS PYTHAGORAE.

pag. 1104. lin. 14. 15.

Qui terram antiquiſſimum primumque rerum generatarum dixiſſe vel generationis potius principium poſuiſſe teſtatur. Haec praeter ſcholiaſten Heſiodi, ARISTOTELEM [a] quoque tacite innuere putat GASSENDVS [b], licet Hipponem non nominet, quem tamen locum eum non recte intelle-

a) Metaph. L. I. c. 5. b) Phyſ. P. III. L. V. T. I. Opp. p. 236.

Digitized by Google

tellexiſſe obſeruat PICCARTVS [c] atque IAC. THOMASIVS [d], qui coniicit, *ἰντέλειαν τῆς διανοίας ſimplicitatem et gracilitatem cogitationis* Hipponi obleciſſe ARISTOTELEM [e], ob hoc populare vulgi dogma, et ruditatem ſententiae: quae coniectura contorta nobis videtur: Hippo enim, ſi ceteri de eo audiendi, quando dixit, terram eſſe principium, non primum, ſed principiatum intellexiſſe iudicandus eſt, terra nempe ex Chao, in qua mixta erant elementa mediante *τῷ ὑγρῷ* miſtione primo apparente, et ex humido per ignem diuinum quaſi excocta: quo pacto hoc dogma velut conſectarium phyſiologiae Hipponis poteſt conſiderari. Conf. quae ad AQVILIANVM notauimus [f], vbi monuimus, cum veteribus Hipponem quoque de ſola cauſſa materiali fuiſſe ſollicitum.

pag. 1106. not. h. l. vlt. *Luxum Agrigentinorum acuto dicto reprehendit Plato.* Aliud, hic ſilentio non praetereundum, quia ab ipſo Empedocle eſt, idem refert LAERTIVS [g]: *Agrigentini deliciis quotidie ita ſe dedunt, ac ſi craſtino die morituri: domus vero ita exſtruunt, quaſi aeternum victuri.* Ratio inde peti poteſt, cur Empedocles ſplendide vixerit, et quod *ἐσθῆτα σεμνὴν* veſtem magnificam geſſerit, teſte Diodoro Epheſio, qui Anaxagoram et Empedoclem in hoc veſtis ſplendore iungit, et tacite mordet. De ipſa vero Agrigento vrbe, quae Acragas Graecis dicta eſt, plurima veteres paſſim, quae diligenter collegit CLVVER. in *Sicilia antiqua* [h], qui ad FAZELLI *res Siculas* [i] prouocat, et accuratam eo loco vrbis deſcriptionem inueniri obſeruat. Geographiae veteris ſcriptores alios tacemus. Dicitur hodie contracto vocabulo Girgenti, memorabilis ob artis antiquae atque ſplendidae reliquias plurimas.

pag. 1107. lin. 18. *Delphicam ſumſit coronam.* Aureum ſtrophium vocat LAERTIVS [k], SVIDAS [l] *στέμμα*. Erat autem capitis ornamentum, quod ſacerdotes alias gerebant. Nomen autem accepit, quoniam ex faſcia capiti circumplexa torquebatur. Haec corona purpura auroque intertexta, Empedoclem a moribus ciuium ſuorum ſuperbis et luxu non receſſiſſe, produnt, memorabili exemplo, philoſophiae ſtudium non ſemper emendare mores: ideo Empedoclem tacite notat AELIANVS [m], cui *ἄλυρος ἐχρήσασθαι* dicitur, indigno modeſtia philoſophica ornamento. Similis corona, ſiue faſcia conſpicitur in imagine Archytae Tarentini apud FVLV. VRSINVM [n].

Ibid. lin. vlt. *Iam notarunt.* Non tamen id excuſat Empedoclis ambitionem, diuinitatis honores ambientem, cuius miracula iactata et reliqua vitae ratio viri ſupra modum elati, characterem manifeſtant. Vt taceamus mortem tragicam, modo vera ſint, quae de ea referuntur.

c) In Hagog. p. 289. §. 13.
d) Obſ. Hal. T. II. Obſ. 19. p. 433.
e) loc ſupra cit.
f) pag. 111. not. x.
g) loc. cit. L. VIII. ſ. 63.
h) L. I. c. 15. p. m. 107.
i) Dec. I. L. V. c. 1.
k) ſ. 73.
l) v. Empedocles T. I. p. 724.
m) V. H. L. XII. c. 32.
n) n. 27. Extabat etiam ſtatua Empedoclis in patria Agrigento, quae poſtea Romam delata eſt: ea autem fuit operta.

Digitized by Google

pag. 1108. lin. 20. *Philoſophiantibus fuiſſe odioſos.* Id non Alexandrinos tantum feciſſe, ſed vetuſtiores quoque philoſophos, qui his ſummis viris laudis hederam ſuſpenderunt, multis exemplis paſſim docuimus, et imprimis in Heraclide, de Empedocle παραδόξολογοῦντι notauit *Timaeus* [e], vt iam hoc loco obſeruatum.

pag. 1112. lin. 15. *SCIPIO AQVILIANVS* [f] *docte quidem, ſed obſcurius quam par erat, nec ſatis accurate explicuit.* Conſiderauimus prolixe, et tum obſcuritati, tum falſis explicationibus in hiſtoria phyſiologiae Empedocleae admiſſis ab Aquiliano mederi tentauimus in adiectis ad libelli olim rariſſimi c. XXII. quod de principiis iuxta Empedoclem agit, annotationibus. In quibus, cum neceſſaria, quantum quidem nobis ſufficere videbatur, in luce meliori collocauerimus, mentemque noſtram de Empedoclis phyſiologia explicuerimus, ignoſcet lector, ſi loci anguſtiae et ſcriptionis modulo conſulturi, obſeruationes noſtras huc non transferamus, ſed ipſum oremus, vt ad librum nec magnum, nec contemtu et neglectu dignum legendum ipſe accedat, noſtrasque annotationes conſulat, in quibus Empedoclis principia vniuerſi, vnum ante litem et amicitiam, ignem mundanum, particulas chaoticas, elementa, aetherem, et rerum omnium ortum, quantum ad intelligendum philoſophum obſcuriſſimum requiritur, illuſtrauimus [g].

pag. 1113. lin. 1. *Principium actiuum vnitas, ſiue monas eſt.* Adſcribemus, vt lectorem euoluendi taedio liberemus, verba Pſeudo-Origenis, cuius locum n. (d) indicauimus. *Hic vniuerſi principium diſcordiam ſtatuit et amicitiam; voluitque illum monadis intelligendum ignem haberi pro Deo, nempe conſtare ex igne omnia, et in ignem iri reſolutum, quemadmodum propemodum Stoici ſuffragantur.* Vbi comparandus eſt locus ARISTOTELIS, qui monet, *ponere Empedoclem quidem principium aliquod tanquam cauſſam corruptionis, nempe contentionem, videri autem, hoc non obſtante, etiam huius generationem ponere ex eodem vno: namque reliqua omnia ex eo eſſe.*

Ibid. lin. 12. *Eodem fere modo, quo apud Stoicos.* Vbi tamen lectorem eorum recordari iubemus, quae ſupra de concordia ſyſtematis Pythagorei et Stoici limitato ſenſu diximus. Ex hac autem theſi, manifeſtum eſſe putamus, eam ſcholae Italicae partem, ex qua prodiit Empedocles, ignem intellectualem in iſto vno chaotico, non de alio, quam de ſumma mente intellexiſſe, hancque in illo, velut vitellum in ouo, concluſiſſe, adeoque longe remotam fuiſſe ab interpretamentis recentiorum, quae pura intelligibilia, et ſecreta ab omnis materiae chaoticae communione in vniuerſo huic ſcholae tribuunt.

pag. 1114. lin. 8. *Certa ratione corporeum.* Eo ſcilicet ſenſu, quem contra Cl. Gerdilii eruditam et operoſam demonſtrationem, Pythagoram

e) Apud LAERT. l. c. ſ. 71.
f) c. XXII ſeq. p. 137-184. edit. rec.
g) Hoc imprimis circa Empedoclis philoſophiam neceſſarium eſſe exiſtimauimus: Cum incertum ſit, quis alterum obſcuritate vincat Aquilianus an Empedocles.

by Google

ram Deum ab omni materialitate purum ſtatuiſſe monuimus: cuius aſſertum Empedoclea phyſiologia plane refutat.

Ibid. lin. 18. *Materia abſoluit iners.* Itaque non confundenda eſt phyſiologia Empedoclis, cum eorum ſyſtemate, qui extra mundum vacuum ſiue inane ſtatuebant. Noſter enim mundum partem dixit vniuerſi, quod materiam complectitur, vt habet PLVTARCHVS [r], rectèque obſeruauit GASSENDVS [s], manet autem extra mundum, ſi hos ſequeris, materia iners. In eo vero ſeceſſum feciſſe a ſchola Italica Empedocles videtur, quod extra mundum vniuerſum materia repleuit, cum tamen ſchola Pythagorea vacuum extramundanum admiſerit, vt ſuo loco notatum. Ex his autem intelligi poteſt, errare eos, qui Empedoclem in Anaxagorae vel Democriti et Epicuri caſtris militaſſe iudicant, quam ſententiam ab eruditis *hiſtoriae vniuerſalis ſcriptoribus Britannis* [t], traditam rectè notauit B. BAVMGARTENIVS [u], qui prouidentiam et cautum iudicium in eiusmodi comparatione adhibendum eſſe, pulchre obſeruat. Habent hoc eruditi iſti auctores a CVDWORTHO, quem multoties ſequuntur, quique a Stobaei loco allegato ſeducti eſſe videtur, vbi ait, Empedoclem poſuiſſe minima elementorum, *θρύσματα ἐλάχιστα, οἱονεὶ στοιχεῖα πρὸ τῶν στοιχείων ἐμοιομερῆ*, quo loco tamen terminus *ἐμοιομερῆ* non ſenſu Anaxagoreo ſumitur, ſed elementorum quatuor diuerſitati tantum opponitur, atque indicatur, materiam Chaoticam eiusue particulas ante elementorum, quae ex ea prodierunt, ortum non aqueas, aëreas, terreas, igneas fuiſſe, ſed ſibi ſimiles, nempe rotundas, et differentiam elementorum adſcribendam tantum eſſe motui chaotico amicitiae atque litis, quo concordantia coaluerunt, ſeparata ſunt diſſonantia: haec vero ab Anaxagorea homoeomeria longius abſunt. Ita enim intelligendi verſiculi Empedoclis apud STOBAEVM, vbi *νεῖκος ἐξάτατον τῶν συνεχομένων extremum coaleſcentium elementorum* vocatur [x].

pag. 1121. lin. 13. *Pauca tamen ex iis ſeruata nobis a veteribus ſuperſunt.* Seruauit tamen memorabiles Epicharmi verſiculos LAERTIVS [y], adeoque falſus eſt AQVILIANVS [z], qui plane nihil ab eo profectum ſupereſſe ait. De ſenſu vero eorum, quae diſquirit Marquardus Gudius, ea non ſatis cohaerere cum cetero ſyſtemate Semipythagoreo quilibet videt, qui meminerit, naturam *τοῦ χάους*, ſiue ſphaeri aeternam ſupponi, nec niſi ſalua ea dici poſſe, omnia eſſe aeterna atque fuiſſe. Falſa enim eſt ratiocinatio, quam ſupponit vir *κριτικώτατος*, qui hos verſiculos:

Ἄλλα

r) De plac. phil. L. I. c. 5.
s) T. I. Opp. p. 136.
t) T. I. §. 66. p. 64.
u) Ad h. l. not. 55.
x) Ita vero *μεταβολὴ* Empedoclis, ad quam prouocat Cudworthus, explicari poteſt, cum dixerit, elementa miſceri, quod tantum de elementorum elementis intellexiſſe videtur, quae cum ſimilaria eſſe putaret, ad ſolum illum litis et concordiae motum prouocare poterat, qua additione ſ. *ἀλλοιώσει* elementa exiterunt. Conf. MOSHEM. ad Cudw. p. 19.
y) L. III. ſ. 10. 11.
z) p. 138. conf. not. h.

Digitized by Google

Ἀλλὰ λέγεται μὲν χάος πρῶτον γενέσθαι τῶν Θεῶν.
Πῶς δὲ; κ' ἀμήχανον γ' ἀπό τινος μηδὲν ὅττι πρῶτον μόλοι.
Οὐ γὰρ ἔμολε πρῶτον οὐδέν, οὐδὲ μὰ Δία δεύτερον

Sed fertur chaos primum Deorum extitiſſe,
Quomodo autem? fieri certe nequit, vt e nihilo quid primum proueniat,
Nec igitur primum quidquam prouenit, nec, ita me Iupiter amet! ſecundum

putat [a] eſſe ratiocinationem negantis Epicharmi Chaos primum fuiſſe, vt probaret, Deos ex eo genitos non fuiſſe, ſed ab aeterno extitiſſe; cuius ratiocinii illud fundamentum eſt, quod putat, Epicharmum concluſiſſe, Ipſum Chaos ab aliquo ortum eſſe oportere, quia fateantur omnes, ab aeterno exſtitiſſe, quod non ortum eſt ab alio: Chaos autem non aeternum fuiſſe, quia, quod ab aeterno eſt, mutari non poteſt, tantum abeſt, vt deleatur. Chaos autem, ſi non extinctum, omnino tamen mutatum eſſe deprehendi, adeoque ab aliquo ortum eſſe oportere. Hactenus Gudius, qui addit, ipſos phyſicos antiquiores admittere aliquid, quod antiquius, quod maius et praeſtantius eſt ipſo chao. Quae pleraque, dicta a viro criticae magis artis, quam philoſophicae hiſtoriae perito, perperam ſe habent. Veteres theologos et phyſiologos ſi ſequimur, Chaos et ipſum aeternum eſt, et ex actiuo, quod in eo continetur, principio aeterna, quales ſunt Dii Epicharmi, orta ſunt, et emanauerunt, et ex paſſiuo producta ſunt ſenſibilia, ipſum autem illud τὸ ἓν, vnum et aeternum eſt, et mutationum principium non extra, ſed intra ſe habet. Quo pacto et hoc ſenſu ſuppoſito, Gudiana interpretatio corruit, quae putat, vim et cauſſam efficiendi priorem et meliorem eſſe, inerti materia, adeoque falſum eſſe, Chaos primum ex iis, quae extiterunt, fuiſſe: non enim de productis ex chao, ſed de Chao ipſo ſermo eſt, quatenus eſt complexus rerum omnium. Quae tamen a Gudio obſeruata non eſſe, miramur, qui ex hoc ipſo loco concludere potuit, fuiſſe ex veteribus philoſophis, qui exiſtimauerint, omnia creata a Deo ex nihilo, quod fidei hiſtoricae repugnat. Vnde non male, PETRVS PETITVS [b] obſeruat, Gudium in veterum philoſophorum dogmatibus parum fuiſſe verſatum, et commodiorem ipſe horum verſiculorum interpretationem ſuppeditat, ipſe in Commentariis MENAGII ad Laërtium de his adeundus. Addimus locum SIMPLICII, qui lucem argumento foeneratur, ſed Latinum tantum [c]: *Identitas et aeternitas ſphaeri*, (id eſt, chaus) *et elementorum in perenni illa horum principiorum inter ſe reuolutione et ſucceſſione conſiſtit. Ibi eorum eſt diuinitas: qua ab aliis, quae ſunt ex elementis concreta, differunt. Haec namque nunquam vere ſunt, quia in perpetuo materiae fluxu; ideoque fieri potius, quam eſſe, dicenda ſunt: quatuor autem elementa, cum ſimplicia exiſtant,*

a) Apud MENAGIVM ad l. c. Laërtii.
b) Apud MENAGIVM l. c.
c) Graecum textum deſcripſit IDEM l. c.

Digitized by Google

exiſtant, vere ſunt: ſphaerus item dum eſt, vere eſt, nullam in ſe mutationem vel variationem ſuſcipiens. Ideo ſola illa principia habita pro Diis ab Empedocle et Epicharmo.

pag. 1122. lin. penult. *A Thoma Galeo editum.* Recentiſſimam poſt Galei editionem debemus illuſtri March. D' ARGENS, acutis et eruditis diſſertationibus dudum celeberrimo. Is enim anno CIↃIↃCCLXII. Berolini lingua Gallica edidit: *Ocellus Lucanus, en Grec et en François, avec des diſſertations, ſur les principales queſtions de la Metaphyſique, de la Phyſique et de Morale des anciens, qui peuvent ſervir de ſuite à la philoſophie du bons ſens.* In qua editione illuſtris auctor non tantum interpretis peritiam et fidem, ſed commentatoris quoque in famoſiſſima veteris philoſophiae capita demonſtrauit. Maxime vero diſſertationes adiectae, non Lucanum ſolum, ſed omnem archaeologiam philoſophicam concernentes propter eruditionis elegantiam et argumenti varietatem legendae, et quod ipſe vir celeberrimus in aliis facit, expendendae, et cum ipſis ſcriptoribus veteribus comparandae, et ſyſtematum rationes examinandae ſunt, vnde multum vtilitatis ad veteris philoſophiae ſtudium oriri poſſe, ſumus certiſſimi. More enim ſuo in his diſſertationibus agit, de aeternitate mundi, ſecundum veterum philoſophorum ſententiam, quam ſine reuelatione diuina ſiue traditione a Deo accepta neceſſario in mentem venire debere philoſophanti, contendit, et acute coniicit, cum hac ipſa χυρίας ὑλῆς materialitatem eſſentiae diuinae fuiſſe coniunctam. Quod nemo mirabitur magnopere, qui recordatur, Chaos aeternitatis mundi ab antiquiſſimis philoſophis fundamentum poni, quod quo pacto Ocellus *intellexerit*, nos c. l. declarauimus. Manifeſtum autem ex his, quae adducta ſunt, putamus, Pythagoreos, qui ipſum ſectae patriarcham non audiuerunt, cum ineptum et obſcurum per numeros philoſophandi morem, tot incertarum notionum parentem abieciſſent, et planiori via coſmologiam explicare tentaſſent, omnia pure intellectualia principia, quae non poſſunt cum ſyſtemate chaotico cohaerere, neglexiſſe, et ad materiae, per vim internam in vniuerſo latentis, naturam et motum cuncta reuocauiſſe, tandemque dualiſtico ſyſtemati appropinquaſſe, quo pacto antiquitatis charactere priuantur omnis apologiae Pythagoreae vindiciae.

pag. 1124. lin. antepen. *Naturas ſiue intelligibilia reſpicit.* Nempe quatenus materiae ex chao exoriundae intime connectuntur, vnumque, nempe mundum, cum ea conſtituunt.

pag. 1125. lin. 6. *Critolaus Peripateticus.* Dignus eſt apud PHILONEM [d] locus, qui cum Ocelliano comparetur: patebit enim, vnde Ariſtoteles φυσιολογούμενα ſua deſumſerit, ſuoque cothurno adaptauerit [e], vt concluderet, mundum, quatenus ornatus eſt, eſſe aeternum.

pag.

d) De mundo incorrupt. p. m. 946.

e) Vid. ſupra notata p. 818.

pag. 1127. lin. 5. *Huius autem cauſſa lex.* Diligenter hic locus conſiderandus eſt, ſi de vero ſenſu ſyſtematis Ocelli ſententia ferenda ſit. Hac enim claue adhibita certum eſt, Ocellum praeter materiam chaus et formatum atque coaleſcentem ex eo mundum, cauſſam efficientem atque dirigentem poſuiſſe Deum velut mundi animam, aſt non liberam, ſed neceſſariam. Debemus hunc locum attentioni STOBAEI [f], quem recte aeternitati mundi oppoſuerunt *hiſtoriae uniuerſalis auctores* [g].

Ibid. lin. 34. *Repetenda ea hic non ſunt.* Suademus tamen lectori, vt luculentum atque elegantem libellum, qui ſe veteris eruditionis perſpicuitate et ſua breuitate commendat, ipſum legat, et tum demum PLATONIS Timaeum adiiciat, vt inde ipſi conſtet, quo pacto a magiſtro ſuo ille recedendum ſtatuerit. Quanquam enim Timaeus ſatis eſt in explicando argumento phyſiologico perſpicuus, facileque mens eius poteſt comprehendi, effecere tamen notiones illae abſtractae, terminique principiorum inſtar adhibiti, quibus ſyſtema coſmogonicum et pſychologicum ex ſchola Pythagorae explicuit, vt iam veteres phyſiologi de vero ſenſu Timaei diſputarent, cum Plato ſuſpicione premeretur, quod Timaei phyſiologiam corrupiſſet. Teſtem damus PLVTARCHVM [h] in erudito commentario, quem de animae procreatione ad filios ſcripſit, vbi, poſtquam principia a Timaeo in ſcenam producta ipſius verbis recitauiſſet, mox addit: *haec quantam interpretibus materiam diſſentiendi praebuerit, narrare in praeſentia immenſi eſſe operis.* Id quod poſtea exemplis quoque docet, et cur Plato in doctrina de animae origine a veterum, ipſiusque Timaei opinione et explicatione receſſerit, luculenter docet, et imprimis eo redactum putat, vt ſtatueret, eſſe in materia non tantum magnitudinem, interuallum habentem atque ſpatium, ſed principium quoque incompoſitum, infinitum, ſe ipſum mouens, et praeditum mouendi facultate, quod ſaepe neceſſitatem, in legibus autem palam animam inordinatam dixit et maleficam. Quod ita in ſequentibus explicat: *Plato matrit nutricisque nomine materiam afficit, cauſſam autem malorum eam vim, quae materiam mouet, et circa corpora eſt partilis, inordinata, bruta, non tamen animae exſors motio.* Haec qui in Timaeo quaerit, decipi ſe a Platone, ſi modo Platonis genuina mens eſt, deprehendet, et ad adulterinam interpretationem doctrinae Timaei ſeduci, qui planus et perſpicuus in exponendis duobus rerum principiis, Deo et materia, et cauſſis adiuuantibus, eſt. Qua de re cum ſuo loco in Platonicae phyſiologiae hiſtoria fuſe actum [i] ſit, lectorem eo remittimus. Accidiſſe id Platoni ex nimio abſtractionum et diſtinctionum ſtudio ibidem nos monuiſſe, non poenitet. Quae quoque in erudita cel. GERDILII explicatione phyſiologiae ſecundum Timaeum [k], obſeruanda ſunt: in qua recte quidem

f) Eclog. phyſ. L. I. c. 16. p. 32. ed. G. Canteri.
g) T. I. §. 7. p. 8.
h) T. III. p. m. 74. ſeqq.
i) Supra T. I. p. 684.
k) I. 6. §. 10. p. 351. in quo valde V. C. τῷ ὑποθέτου δελένει.

Digitized by Google

dem ſupponitur: materiam aeternam Deo opponi et ſubilci, omnes autem eius formas, cum ab omni forma immunis ſit, a libera diſpoſitione entis ſummi dependere, formasque ab eo induci, quae velut cauſſae adiuuantes in creatione concurrant: quae ex parte recte ſe habent, quatenus nempe praeter materiam ingenitam et ἀκίνητον (immotam malumus interpretari, quam immobilem) adeſt quiddam, quod maneat, et intelligibile ſit, nempe rerum genitarum, quae quidem in perpetuo quodam mutationum fluxu verſantur, exemplar, ex quo formas materia recipiat: falſum autem, neceſſitatem ſignificare, formas iſtas a Deo materiae impreſſas, et ab eo, vt ſenſibilia, ordine ſuo et natura conſtarent in materiam inductas. Ante inductionem formarum enim, quas inter cauſſas adiuuantes refert Timaeus, ponit duas ſummas rerum cauſſas, mentem quidem, earum quae ſecundum rationem naſcuntur, et neceſſitatem earum, quae exiſtunt vi quadam ſecundum corporum potentias [f]. Ex quibus Timaei verbis manifeſtum eſt, neceſſitatem et materiam eſſe philoſopho Locrenſi vnum idemque, et naturam materiae iſta voce indigitari, quae non κατὰ λόγον ἀλλὰ κατ' ἀνάγκαν, (ita enim Timaeus vtrumque principium ordinat ſibique opponit,) agit, quo pacto impoſſibile eſt, neceſſitatem eſſe diſpoſitionem materiae, quae ab impreſſione entis cauſſaeque optimae imprimitur materiae. Iſta enim formarum diſpoſitio, ſi Timaeum audis, ab idea ſiue exemplari diuino, a Deo tanquam cauſſa συναίτια, quae Timaei vox eſt, oritur et adhibetur ad formandam materiam, fit κατὰ λόγον, non vero κατ' ἀνάγκαν, adeoque neceſſitas iſta a Deo in materiam induci non potuit, cum nihil rationale habeat; ſed eſt ipſa materiae natura, ex ſtatu chaotico illi inhaerens, et nec rationis, nec libertatis capax, vnde neceſſe habet, vt a cauſſa ſumma et rationali formetur, et principium illud ſiue exemplar introducatur, inque materia accipiat formam, ex qua deinde ſenſile omne poſſit oriri. Ex qua breui principiorum Timaei explicatione concludi poteſt, materiam neceſſitatis nomine ideo inſigniri a philoſopho, quia natura eius aeterna, immobilis, irrationalis, nulla forma veſtita, neceſſario ſecum ferebat, vt non poſſet ſe ipſam formare, ſed accedere deberet idea, a Deo ſecundum λόγον adhibita, qua res omnes ſenſiles id fierent, quid deſtinabantur. Ceterum adiungi Deo materiam, et natura ſua opponi, velut neceſſariam cauſſam, cauſſae liberae, ex his clarum eſt, ſuppoſito emanationis ordine, quae Pythagorica quidem ſunt, ſed nec excuſanda, nec pura atque ſana, cum emanationem quidem modificatam, non vero creationem ex nihilo ponant: quo pacto omnis quoque cauſſae Pythagoricae defenſio in fumum abit. Certe συναίτιον τῆς ὕλης conſtare cum hac declaratione non poteſt.

f) Rationes ſeminales videtur innuere, quas per ſe ineſſe materiae veteres phyſici ſtatuebant, formisque deinde ex materia produci, quemadmodum numeri inſunt quantitati. Has fati neceſſitati ſubiiciebant.

pag. 1133. lin. 11. *SCIPIO AQVILIANVS.* Confuſam Aquillani narrationem de placitis Alcmaeonis, qui, quae non intellexit, obſcuritate inuoluit, ex ipſo, qui pleraque refert, Ariſtotele illuſtrauimus, in *annotationibus ad caput vigeſimum* [m], quo lectorem, ſpatio parcentes, remittimus.

pag. 1139. lin. 4. *Deum rerum opificem etiam in principiis mundanis, non habuiſſe vim generandi materiam, verum illam, cum aeterna accepiſſe* etc. Monemus in tranſitu lectorem, vt hunc ſibi locum probe notet, ad ea quae ſupra attulimus, negantes emanationem et creationem ex nihilo ſecundum veterum mentem coincidere, afferentesque ſemper materiam aeternam vel in Chao contentam, vel ex eo emanantem, eos praeſuppoſuiſſe.

Ibid. lin. 10. *Nullo modo connexa principia poſuiſſe.* Hoc tantum de ſyſtemate coſmogonico, non autem theogonico intelligendum eſſe, locus Philolai ſuadet, qui de origine et formatione mundi diſputat. In ſyſtemate theogonico ſi veteres fere omnes ſequimur, ſemper connexa eſt aliquo modo mens et materia, nondum inter ſe diſcreta, comprehenditur enim in nocte, per quam chaos velut vinculum intelligi ſupra diximus. Vbi vero ad emanationem mundi res rediit, duo abſolute neceſſaria principia ratione eſſentiae et naturae ſuae ponenda erant, Deus et materia, ſibi inuicem oppoſita, etc. Ita diſtingui a dualiſtico ſyſtemate abſoluto magorum Perſarum, Semipythagoreum poteſt. Et fortaſſe ſimilem in modum de eo cogitauit Plato, qui tamen cum ſolam coſmogoniam ſibi explicandam ſumſiſſet, et videret, non materiam tantum in ſe opponi naturaliter intelligibili, ſed eſſe quoque contrariam fontemque mali, ab omni vtriusque principii connexione abſtrahendum ſibi eſſe ratus, dualiſticum ſyſtema mira ingenii inſolentia cum Pythagorico copulauit. Ex his noſtra theſis explicanda.

pag. 1140. lin. 31. *Veteribus valde laudatur.* Conferenda omnino, quae attulit WEIDLERVS in *hiſtoria aſtronomiae* [n].

m) not. d. et ſeqq. p. 114 ſeqq. noſtrae editionis. n) c. 5. §. 19. p. 93 ſeqq.

AD CAP. XI.

DE SECTA ELEATICA.

pag. 1132. lin. 10.

In his tenebris acutius cernentibus lucem accendi, aequiſſime patimur. Adeo incerta et dubia Xenophanei ſyſtematis interpretatio eſt, vt fateamur, melius et facilius eſſe, aliorum explicationibus validas obiectiones opponere, quam nouas et certiores tradere. Id quod tamen mirandum non eſſe ex rationibus §. IV. adductis euidens eſt. Vnde ſi quis caute

Digitized by Googl

caute in definienda Xenophanis opinione incedendum esse putauerit, suspendendamque sententiam, non morose refragabimur. Iterata tamen meditatione systema hoc metaphysicum Xenophanis excutientes, fatemur, nos nec meliora inuenisse, nec verisimiliora, quam quae iam attulimus, et per coniecturam tantum afferri posse sumus persuasissimi. Id quod etiam visum B. Baumgartenio [a], qui rectissime vidit, Simplicii explicationem vi contortam esse, vt meliori commate Eleatica impietas compareret. A Spinozistica tamen insania eo magis liberandum hoc systema Eleaticum putamus, quo magis, comparatum cum ceteris vetusti orbis opinionibus, vnum totum duobus principiis inter se distinctis realiter constare, apparet, Spinozae deliramenta eo aeuo prorsus fuisse incognita, nec ad istam dementiam humanum ingenium properauisse.

pag. 1152. lin. 13. 14. *Aliud vniuersum est, ex his mundis constans, aliud mundi illi, quae inter se confundenda non sunt.* Multas tenebras inducit veteri physiologiae, haec vniuersi cum mundo confusio, cum ambiguis terminorum significationibus hoc dogma veteres exprimerent. Quidam enim, iique nobilissimi philosophi, velut primarium dogma asseruerunt, vniuersum idem esse cum mundo, qua in haeresi et Timaeum et Platonem fuisse ex supra dictis constat, nec ab hac opinione recessit Aristoteles. Tacemus Heraclitum, et Ionicos. Alii autem mundum quidem vnicum statuentes, praeter illum tamen infinitum quoddam spatium addebant, quod cum illo iunctum τὸ πᾶν vniuersum efficeret: in quo tamen alia atque alia philosophorum fuit sententia; quidam enim cum discrimen facerent inter τὸ πᾶν Vniuersum et τὸ ὅλον totum, τὸ πᾶν vocarunt ipsum vna cum mundo vacuum, seu inane infinitum, cuius exemplum ex Stoica physiologia potest desumi, non procul discedentibus Pythagoreis, vt supra obseruatum. Alii alii, cum praeter aspectabilem nobis mundum non modo spatium extramundanum infinitum, sed in eo quoque infinitos mundos ponerent, τὸ πᾶν καὶ τὸ ὅλον non mundum vnicum, sed et spatiorum et mundorum vniuersorum complexum dixerunt. Prouide hoc ad euitandam ambiguitatem in hoc argumento monuit Gassendvs [b], qui in explicandis veterum opinionibus de mundo, more suo prolixe et erudite versatur, omnino etiam hoc loco consulendus, ne Eleaticam de mundo opinionem cum aliorum decretis confundamus.

pag. 1168. lin vlt. *Quos recentiores plerique sequuntur.* Ex veteribus Sextus Empiricus, Laërtius atque Suidas, Aristotelis auctoritatem sequuntur, quod quidem non negant, et diserte ad eius testimonium prouocauit Laertivs [c]: adeoque huius vnius testimonio standum est, nec immerito; cum omnium proxime Zenonis tempora attigerit. Quae ratio est, cur, qui Logicae historiam scripserunt, omnes fere in eo concinant,

a) Ad hist. vniu. Britannorum, T. I. n. 14. p. 16. b) Phys. S. I. L. I. c. 1. T. I. Opp. p. 135 seqq.
c) Lib. IX. s. 25.

quod Dialecticae parens Zeno agnoſcendus ſit. Et obiicit quidem diligentiſſimus GASSENDVS [d], poſſe huius inuentionis gloriam deferri, auctore Phauorino, Platoni, vel ipſo Platone fauente Procloque affirmante Parmenidi, aſt putat tamen, cum negari nequeat, quod Zeno primus fuerit, qui de logica aliquid ſcripſerit [e], hac inuentionis gloria eum non eſſe defraudandum. Poteſt vero, ſi recte iudicamus, facile haec admitti ſententia, modo recte intelligatur; et quo ſenſu Zenoni inuentio dialecticae tribuenda ſit, definiatur. Si enim id volunt, huius aſſerti patroni, Zenonem primum fuiſſe, qui logicam ratiocinationem methodumque in argumento philoſophico publice adhibuerit, facile concedi poſſe putamus, et hoc velle quoque Laërtium, dialogos illi tanquam primo auctori adſcribentem, putamus. Si vero de inuentione artis rationalis diſciplinaeque logicae ſermo eſt, fatemur, non videre nos, quomodo artis huius ſiue ſcientiae inuentionem Zenoni debeamus adſcribere, cum quod alii ante eum philoſophi logicae naturalis ratiocinatis et maxime methodo dialogiſtica praeclare vſi ſunt, tum quod Ariſtoteles, ad cuius auctoritatem tota quaeſtio redit, ipſe tantum hic logicae artificialis vſum, non autem ſcientiam Zenoni tribuit, cauſſatus, a Zenone incepiſſe philoſophos logice philoſophari, Ariſtoteles enim, qua erat iactantia, ſe primum fuiſſe, qui artem rationalem in ſcientiae formam redactam ſcripto tradiderit, luculenter prodit, ſcribens [f]: „Inſtitutum ſuum fuiſſe, vt *inueniret facultatem quandam differendi*, de quacunque re propoſita, ex iis quae eſſent „maxime probabilia: nec negat, eorum omnium quae inueniuntur (ope „dialecticae,) aliqua eſſe, quae iam antea ab aliis aliqua ex parte compre„henſa, ſubtiliter poſtea et quaſi particulatim elaborata, tandem eorum „qui ſequuntur induſtria longius progrediuntur, magnumque incremen„tum capiunt: - - Negotii autem (in organo ſuo ſcribendo) *inſtituti non „partem quandam iam ante inuentam fuiſſe, alteram non fuiſſe, ſed omnino nil „in eo genere adhuc ab aliis traditum extitiſſe.* - - - de rhetoricis quidem „ſat multa, eaque vetera dicta eſſe, de ratiocinando autem nihil prius „dictum, ſed in eo longi temporis exercitatione laborauiſſe.„ Qui locus Ariſtotelis luculentus eſt, vt demonſtret, ipſum Stagiritam iactare ſolitum, ante ſe neminem non de ratiocinando quidem, aſt de arte tamen rationali vel ſcientia philoſophica logicae meruiſſe, ſed ex vſu et exercitatione tandem enatam eſſe artem dialecticam: quam omnium ſcientiarum originem fuiſſe, et eloquentiae quoque ſtudii pulchre obſeruauit QVINCTILIANVS [g], qui legendus. Ex his autem, quae de tribus logicae Zenonianae partibus a Gaſſendo obſeruata attulimus, iudicium quoque fieri poteſt, quales illae fuerint, quas vſu magis Eleatico, quam praeceptis tradidiſſe Zenonem, ipſae Gaſſendianae obſeruationes produnt, quae non vete-

d) Log. c. 1. T. I. Opp. p. 55.
e) Nempe dialogos primum ſcripſiſſe Zenonem Eleatem ex veteribus tradit LAERT. Lib III. ſ. 48.
f) In Organ. L. II. c. 17. p. 831. ed. Pacii.
g) Inſtit. Orat. L. III. c. 2.

Digitized by Googl

veterum teſtimonia ſed coniecturas, easque non admodum firmas, eius rei afferunt. Quare optaremus, vt probaſſet Dinienſis philoſophus, quod ſine teſte tradit, *Zenonem, qui vt dialecticae, ita dialogorum auctor fuerit, effeciſſe illius et iſtorum vnicam artem, ac in ea ſcite rogandi reſpondendique praecepta dediſſe, quibus ad ſeruandum decorum colloquutores vterentur. Sic vero hanc rationem philoſophandi placuiſſe, vt miſſa exinde fuerit tractandae carmine philoſophiae ratio, quae ad Zenonem vſque viguerat* [h], *ac Plato cum primis eam fuerit complexus, vt totam ſuam philoſophiam dialogice expoſuerit, Zenonemque etiam Dialogiſtam induxerit: et, quibus deinceps lubitum non fuit, dialogica forma omnia tradere, viſum fuerit in conſcriptis praeſertim ſympoſiis eam vſurpare.* Eiusmodi enim dialogorum dialecticorum non exempla tantum ſed *praecepta* quoque dediſſe Zenonem nuſquam legimus. Quanquam enim LAERTIVS tradit [i], Zenonem Eleatem primum dialogos ſcripſiſſe: id tamen de praeceptis conſcribendi dialogos intelligi non poteſt, ſed de exemplo. Nec adeo recens fuit dialogiſtica ſcribendi ratio, ipſo Ariſtotele referente, Alexamenum Styreum ſiue Teium eius methodi auctorem fuiſſe, qui teſte ATHENAEO [k] libro *de poëtis* ſcripſit, *nonne quod Sophronis mimos appellant, verſibus comprehenſos, ſermones ac imitationes eſſe fatebimur? aut Alexameni Teii Socraticos dialogos, qui primi omnium prodierunt?* quae Niciam Nicaenſem quoque et Soterionem affirmare ait idem Athenaeus. Quod quidem ad ſolos Socraticos dialogos pertinere, putat Gaſſendus, adeoque Zenoni huius inuentionis gloriam non eſſe ſurripiendam putat: quando autem verba Ariſtotelis adducta recte conſiderantur, ad ipſam dialogorum inuentionem trahenda ſunt.

pag. 1178. lin. 25. *Ne inter ipſos quidem Aegyptios illi, qui Arpedonaptae audiunt.* Dictum de his ſacerdotibus Aegyptiorum ſupra, quantum ſatis eſt: plura dabit IABLONSKII [l] diligentia. Patet autem ex aetate Oſthanis, Democrito longe ſenioris, falſum eſſe, quod a Clemente Alexandrino atque Euſebio dicitur, in Aegypto Democritum ab Oſthane Perſa vel Medo initiatum Aegyptiaca myſteria didiciſſe, quod ſuo loco [m] iam confodimus, et ſomnium eſſe Graeculorum alchemiſticam artem a Democrito traditam iactantium iudicauimus, quod recitaſſe eſt ſomniaſſe. Democritum autem in Aegypto ſacerdotum inſtitutione vſum veteribus ita referentibus non quidem negandum eſſe putamus, verum an initiatus ab illis fuerit, vt Clemens ait, vehementer dubitamus: adeoque nec circumciſum putamus, quod primarium initiationis ſacerdotalis caput erat, quodque Pythagoram paſſum nobis narrat Iamblichus: nec enim de eo Democritea hiſtoria apud veteres aliquid tradit, vnde inſtitutionem hanc Aegyptiacam tantum Democrito exotericam fuiſſe colligimus.

pag.

h) Hoc falſum eſſe, exemplo Phereeydis diſcimus, qui poſt Cadmum Mileſium primus fuiſſe dicitur, qui verſuum nexu repudiato conſcribere auſus ſit, paſſis verſibus, ſoluto loquutu liberam orationem, vt ſupra p. 585. ex Apuleio retulimus.

i) Lib. III. ſ. 48.

k) Lib. XI. c. 15.

l) Panth. Aegypt. prol. §. 40. p. 95 ſeq.

m) Supra p. 162.

pag. 1184. lin. 7. a fin. *Quorum teſtimonia collegit MAGNENVS.* Dictus eſt veteribus *σοφία* teſte SVIDA [n], Iouis voci aſſimilatus apud SEXTVM EMPIRICVM [o] et teſte LAERTIO [p] exiſtimatus *παντοδαὴς* atque etiam *πένταθλος*, quaſi quinque certaminum philoſophicorum victor. SENECAE ſubtiliſſimus omnium antiquorum.

pag. 1186. lin. 27. *Verum itaque quaerendum eſt in motu cogitationis.* Poſuit ergo Democritus, ad hypotheſin phyſicam maxime reſpiciens, criterium in ſola mente, illique *τῆς ἀληθείας κρίσιν* tribuit, non autem nihil eſſe verum, vel cognoſci veritatem non poſſe tradidit, quod ſine dubio fundamentum canonum fuit. Id quod contra eos notandum, qui Democritum inuitum in Sceptici ſmi patrocinium aduocant.

pag. 1187. lin. 10. *Omnium itaque rerum principia ſunt, atomi et inane.* Atomorum nomen primum inueniſſe Epicurum, vocatarum prius a Democrito et Metrodoro Chio *ναὶ καὶ ἀδιαίρετα* ait THEODORETVS [q]. Cui addi poteſt, ARISTOTELEM [r] Leucippo et Democrito non tribuere atomos, ſed *ἄτομα μεγέθη indiuiduas magnitudines*, adiectiue: aſt his tamen veterum plerorumque conſenſus recte opponitur, qui atomos dixiſſe iſta corpuſcula inſecabilia Leucippi ſcholam tradunt. Quamuis audiendus non videatur SIDONIVS APOLLINARIS [s] canens:

Poſt hos Archelaus, diuina mente paratam
Coniicit hanc molem, confectam partibus iſtis
Quas vocat ipſe leues.

Ibid. lin. 28. *Pluribus videndus eſt SCIPIO AQVILIANVS.* Rogamus lectorem, vt imprimis ad ea attendat, iisque examinandis atque toti Democriteae phyſicae cognoſcendae praemittendis mentem aduertat, quae ad hunc Aquiliani locum [t] annotauimus, eo quod et Ariſtoteles [u] ipſe, et eius commentatores mentem Democriti valde obſcurarunt. Niſi iſta enim ex ambiguitate, qua inuoluuntur, extricentur, claram hypotheſeos Democriteae intelligentiam nemo aſſequetur. Rem ipſam illo loco obſeruatam huc tranſcribere nec ſpatium patitur, nec neceſſitas imperat, cum iam liber olim, cum iſta h. l. ſcriberentur albo coruo rarior, nunc in omnium manibus verſetur.

pag. 1188. lin. 2. *Recte notauit OLEARIVS.* Multa ſunt, quae ad cognoſcendam veram Eleaticae et Epicureae ſectae mentem de atomis debebant praemitti, ſi id noſtrum inſtitutum poſceret, vt ſingulorum ſyſtematum explicationes et expoſitiones exhiberemus, et phyſicam Democriteo-Epicuream ſcriberemus. Illa vero a noſtro ſcopo, vniuerſalem tantum

n) T. I. v. Democritus p. 543.

o) Adu. log. L. I.

p) L. IX. ſ. 37. qui rationem addit, quod in philoſophia quinque certaminum peritus fuerit: namque naturalia, moralia, mathematica, liberalium diſciplinarum orationes, artiumque omnium peritiam calluiſſe. De voce *πένταθλος* vid. MENAG. ad h. l.

q) Therapeut. L. IV.

r) De gener. L. II. c. 2. de coelo L. III. c. 2.

s) Carm. 15.

t) not. k. ſeqq. p. 52 ſeqq.

u) Phyſ. S. I. L. III. c. 5. T. I. Opp. p. 256.

Digitized by Googl

tantum veteris philoſophiae *διατύπωσιν* exhibendi longius remota ſunt, et non niſi in amplo campo locum capiunt. Remittimus autem Lectorem, copioſius et prolixius hoc argumentum perſpiciendi cupidum, ad doctiſſimum GASSENDVM [v], qui vt ſyſtema atomiſticum Leucippi, Democriti et Epicuri recentiori aetate ex puluere reſuſcitauit, ita more ſuo erudite, perſpicue, et non ſine magna lectionis veteris copia, pleraque, quae de hoc argumento dici poſſunt, occupauit; vnde a multis, quae non ſine fructu poſſent heic adiici obſeruationibus, breuitati litare ab inſtituto noſtri iuſſi abſtinemus, et ad ea quae Aquiliano * adiecimus, ad intelligendam melius et diſcernendam Democriti ab aliis philoſophis ſententiam prouocamus.

pag. 1191. not. m. lin. vlt. *Quibus praeiuit Galenus.* Τὸ *νέμειν*, eſt, certa diſpoſitione et ſecundum ordinem conſtitutum aliquid diſtribuere, hinc *νομὴ* partitio vel diſtributio, certa ſerie ſuſcepta, *νομεὺς* Platoni, qui ex aequo diſtribuit, et voces, *ἀτρόμους*, *γεύνομος* ſimilesque.

pag. 1195. lin. 3. a fine. *Tanquam minime realia et vera non conſiderabat.* Paulo aliter mentem Democriti de reſurrectione corporum explicuit B. MOSHEMIVS, in elegantiſſima diſſertatione, *qua docetur, ſeruatorem noſtrum J. C. reſurrectionem mortuorum corporum, qualem Chriſtiani credunt, ex tenebris in lucem reuocaſſe et demonſtraſſe* [y]. Poſtquam enim verba Plinii: *Similis de aſſeruandis corporibus hominum ac reuiuiſcendi promiſſa a Democrito vanitas, qui non reuixit ipſe. Quae, malum, iſta dementia eſt iterari vitam morte,* recitauerat, ex Varronis relatione apud NONIVM [z], addit: Democritum ſuaſiſſe, vt melle corpora mortua condirent, huncque eſſe opinionis Democriti ſenſum: *quoniam anima fatorum decreto iterum in mundum delabatur, ſi vetus hoſpitium ſaluum et incolume reperiat, laetam et libentem in illud veteri amore ductam migraturam eſſe: id ergo curandum illis vnice eſſe, qui corpora ſua renaſci velint, vt melle et vnguentis corruptionem ab iis arceant;* et tunc noſtram opinionis Democriteae explicationem affert, et qua erat viuus incomparabili humanitate et modeſtia, *ſe lubenter ceſſurum* monet, *ſi quis noſtram ſententiam ſuae praetulerit*, addens: *Non ita diſſidet a noſtra, vt cum ea coniungi nequeat. Statuamus ſanxiſſe, niſi forte luſit, quum ſancire videretur, Democritum atomos, ex quibus animum compoſuit, longo interuallo elapſo denuo coituras, et in corpus, quod olim incoluerant, ſi quidem inuenerint id integrum, ſponte redituras eſſe, et omnis diſparebit diſcordia.* Nobis, (quod ſalua pietate, quam beatis manibus integerrimi olim amici debemus, dictum volumus) Democriti effatum, cadauera melle condienda eſſe, ex *γελασοῖς* Democriti eſſe videtur, quibus ſpem hominum acerbe deriſit, ad quam ipſe vir beatus opinionem inclinat: verba vero de reſuſcitatione eius-

v) Phyſ. S. I. L. III. c. 5. p. 256 ſeqq.

x) c. 8. 9. vsque ad 15. p. 52 ſeqq. quae prolixa ſunt, alt confuſa, obſcura, incerta, et Peripateticis nominibus corrupta multa, vnde medicina adhibenda erat libello rariſſimo.

y) Diſſ. ad H. E. pertin. Vol. II. p. 619 ſeqq.

z) De propr. ſerm. c. 3. p. 614.

elusdem corporis non ad iteratam coniunctionem cum animo sperandam, sed ad recurrentem particularum earundem nouam coalitionem expectandam, referenda esse videntur. Hanc enim facile aliquando euenturam esse, luculenter prodit Democriteae et Epicureae physiologiae interpres LVCRETIVS [a], canens:

Cum respicias immensi temporis omne
Praeteritum spatium, tum, motus materiai
Multimodi cum sint, facile hoc adcredere possis,
Semina saepe in eodem, vt nunc sunt ordine posta.

Et paulo ante:

Nec si materiam nostram conlegerit aetas
Post obitum, rursumque redegerit, vt sita nunc sunt,
Atque iterum nobis fuerint data lumina vitae.

Quae non ad solam corporis renascentiam, sed totius hominis, qua animum et corpus, nouam existentiam pertinere ipse videbat vir perspicacissimus, qui rectissime monet, nihil in his esse, quod vel minimam resurrectionis Christianorum similitudinem referat: quae ex merito puerilium deliramentorum commenta vocauit Plinius, quae serio Democrito placuisse, credat, qui volet: adeo Abderitanorum ingeniis digniora sunt, quam Democriteo.

pag. 1200. lin. 4. *Nec eius filius, sed discipulus fuit.* Audiuisse quoque Zenonem conlicit GASSENDVS [b], eo quod Socrates Zenonem audiuerit, licet iunior aetate, Protagora. Verum ex sola aetate nimis temere ita concludi, quilibet intelligit: et contrarium quoque inde fit verisimile, quia a puero Democriti disciplinae se tradidit, logica quoque eius non Zenonianis, sed Democriteis principiis est inaedificata. Nec obstat: Democritum canones definiendae veritatis scripsisse, Protagoram contrario modo instituisse, veritatem tollendo: Nam negabat minime canones Democriteos Protagoras, sed ad criterium, quod in solo homine ponebat, reuocabat eodem fere modo, quo ipsum Democritum tradidisse refert SEXTVS EMPIRICVS [c].

pag. 1201. not. b. lin. 12. *Zenoniana methodo inductos.* Confirmat hoc PLATO [d], scribens, Gorgiam et Lysiam ipsis veris antepositisse verisimilia, effeciisseque vi orationis, vt parua magna, et viciissim magna parua, vetera item noua, et nouissima vetera dicerentur.

pag. 1207. lin. 33. *Vita Anaxarchi luculenter loquitur.* Aliter visum V. C. Io. AVG. DATHE, philosopho Lipsiensi, qui muneris initia oratione *de historia metropoli philosophiae* auspicaturus, programmate *de Anaxarcho Eudaemonico*, ad orationem audiendam lectores inuitauit. In eo non sine eruditionis praesidio id sibi agendum putauit, vt ab adulatoris et volu-

a) De rerum nat. L. III. v. 859 seqq. Conf. BAYLE dict. T. II. v. Lucrece not. Q.
b) Log. c. 2. T. I. Opp. p. 38.
c) Adu. Math. L. VII. §. 135.
d) In Phaedro.

Digitized by Google

voluptatis doctoris macula contra ea, quae hoc loco a nobis adducta sunt, veterum testimonia et ἐγκλήματα Anaxarchum liberaret. Ideo Eudaemonici nomen non a voluptatis sensu, sed ab ἀπαθείᾳ καὶ εὐκολίᾳ τοῦ βίου el haesisse, adeoque non vitii animi, sed systematis moralis indicium esse, monet, Cyrenaicis et Epicureis in exemplum adductis, qui ob turpis voluptatis sensum Hedonicorum, non vero Eudaemonicorum nomen et opprobrium retulerunt. Relationes quoque veterum omnes atque testimonia satyrico Plutarchi atque Luciani ingenio deberi, philosophos veteres fere omnes deridendos propinantium; constantiam vero in morte nec suspectam videri, nec cum hoc voluptatis amore consentire. Non putamus ad hanc pro Anaxarcho apologiam examinandam plura adducenda esse, quam hoc loco iam allata sunt: ipsum vero lectorem, pyrrhonismo historico vniuersali non addictum iudicem constituimus, modo criticum iudicium ad expendendam veterem historiam adhibere edoctum. Vnum in iuuenum gratiam, haec forte legentium, monemus, in tanta veterum testimoniorum paucitate, quae in Anaxarchi historia occurrit, non ex coniecturis in vtramque partem disputationem admittentibus, sed secundum fidei historicae leges iudicandum esse, nisi temeraria sententia dicta totius historiae philosophicae certitudinem euersam cupiamus. Nobis eudaemonici nomen, ἐκ τοῦ σκώμματος, vt appellationibus quoque aliis euenit, haesisse Anaxarcho videtur, eo quod felicitatem huius vitae, propter inconstantiam et incertitudinem rerum omnium, quam a praeceptore didicerat, sequendam esse velut transitorium bonum, quod facile manibus elabitur, docuit. Quam cum lugubri morte peremtus ipse non gustauerit, facile fuit irrisoribus Eudaemonici cognomine hostibus philosophiae deridendum exhibere. Verum de hac coniectura videant alii.

AD CAPVT DVODECIMVM.

DE SECTA HERACLITEA.

pag. 1209. not. c. lin. 7.

Insertas conf. FABRIC. l. c. p. 762. Tractauit quoque de Heracliteis placitis physicis SCIPIO AQVILIANVS [a], multusque fuit, vt prima physiologiae Heracliteae principia erueret. Sed dum vnum fere Aristotelem sequitur, eiusque notionibus physicis insistit, nec ipse Heraclitum, philosophum obscurum, satis intellexit, nec recte quoque explicuit, interpres ipse suo αὐτογελάστῳ, Heraclito inquam, obscuritate simillimus. Haec nobis ratio fuit, cur in annotationibus paulo prolixius, quam apud reliquos factum, mentem Heracliti explicauerimus, et imprimis, ad leuandum mole-

a) c. XXV. p. 174 seqq.

Digitized by Google

moleſtia ingrati et obſcuri laboris lectorem, luculentam, niſi nos omnia fallunt, ſyſtematis phyſiologici, quod Heraclitus ex vetuſtiſſimis philoſophis, compilauit et conſarcinauit, *διατύπωσιν* exhibuerimus [b], ſine quibus Aquilianus difficulter intelligitur, maxime vbi quaeſtionem expedit, vtrum Heraclitus ignem illum aethereum pro cauſſa ſiue principio ex quo, id eſt, materiali, ſiue pro principio a quo, id eſt, efficiente, ſiue pro vtroque habuerit; quod ipſe Ariſtotelis verbis ita exprimit, *vtrum vt materia et patiens, an vt forma et agens, an etiam vt vtrumque* [c]. In qua tamen quaeſtione ſoluenda valde reſpirat, et Ariſtotelicis conceptibus impeditus non videt, quae ex Plutarcho atque Laërtio diſcere potuiſſet, ſi ad horum quoque relationes attendiſſet. His tamen, ne tractatio Aquiliana in eo argumento deficiat, medelam attulimus, et lucem obſcuritati Iſiani philoſophi intulimus, veniam ei, quam petit, libenter dantes, *quod in eius placitis recenſendis aut explicandis, dubitando potius, quam quicquam certi aſſerendo, locutus ſit.*

pag. 1215. lin. 31. *Mundi anima eſt.* Prouide hic cauendum eſt, ne vocum atque terminorum identitate permoti eadem de mundi anima Heraclitum tradidiſſe putemus, quae alii philoſophi veteres, qui animam mundi a mundo diſtinxerunt; ſecundum Heraclitum enim ignis, fatum, neceſſitas, mundus, anima mundi, opifex, non niſi in cogitatione inter ſe poſſunt diſtingui et reipſa vnum ſunt: id quod non ſatis obſeruaſſe B. Olearium merito miramur, qui tamen aliter rem ſe habere ex adducto Sexti loco facile potuiſſet intelligere.

pag. 1225. lin. vlt. *Quam incertas lectori coniecturas noſtras pro certis narrationibus obtrudere.* Ex allatis h. l. quantum inſtitutum praeſens atque locus patitur, intelligi poteſt, quid de ea coniectura iudicandum ſit, quam vir dum viueret *πολυμαθέστατος* et communi eruditionis vtilitati noſtraeque amicitiae nimis mature ereptus, Io. Matthias Gesnervs, cuius oſſa molliter cubent! in elegantiſſima diſſertatione *de ψυχαῖς Hippocratis* [d], non ſine elegantis doctrinae ornatu propoſuit, contendendo, Hippocratem, vel quicunque auctor eſt libri *de diaeta*, qui inter opera Hippocratis eſt [e], eandem dudum hypotheſin arripuiſſe, quam noſtra aetate poſt Lewenhoeckium multi viri docti, qui naturam rerum ſcrutati, et imprimis generationis humanae negotium expiſcari illuſtrareque conati ſunt, prono pede ſunt ſecuti, eſſe in feminibus propagationi ſpecierum, maxime humanae, deſtinatis animalcula innumera, viua, moleculis atque motu, etiam oculis, licet armatis, conſpicua, ex quibus verſimile ſit, accedente ouarii foeminini concurſu, nouas propagines produci et a natura prouocari. Fecit id vir ingenioſiſſimus, et veteris literaturae peritiſſimus, inductus loco *libri primi de diaeta*, qui cum valde obſcurus ſit, (vt ſunt Pythagorea et Heraclitea omnia, ex quorum ſcholis videtur

b) Not. m. p. 177 ſeq.
c) pag. 175.
d) Goettingae 1737.
e) T. I. p. m. 260 ſeqq. c. 4.

Digitized by Google

videtur fuiſſe progreſſus,) luce paulo clariori illuſtrare, et tum textum emendare, tum verſione et erudita paraphraſi inſtruere et explicare ſtuduit. Longior textus eſt, quam vt totus hic deſcribi poſſit: dabimus tamen Lectoris commodo inſeruituri potiora, e quibus ſcriptoris veteris, et quod nos quidem arbitramur, totius ſcholae Italicae, et ſequacium mentem paulo veriſimilius, hariolari licet. Eo autem tendunt primariae auctoris veteris aſſertiones:

I. Conſiſtere animalia, et imprimis hominem, duabus naturis diuerſis in vnum tamen vſum conferentibus, igne et aqua, quae principia ſint ſibi ſufficientia vtrinque, ſed non ſibi ſolis.

II. Vim et naturam habere vtrumque iſtam: ignem poſſe omnia mouere omni modo, aquam nutrire vbique omnia.

III. Per vices haec ambo alterum ſuperare et ſuperari, quantum quidem id fieri per naturam poteſt, non tamen in totum.

IV. Igni, poſtquam omnia conſumſit, deficere nutrimentum, quod aliunde quaerit, et vbi aqua tandem ab igne deſeritur, deſinere motum, nec poſſe conſiſtere, ſed opprimi ab igne: neutrum tamen poſſe ſuperari vsque quaque.

V. Quod ſi vnum ſuperet, non poſſe res ſtare ſicut ſunt, adeoque neutra ſimul defectura.

VI. Itaque ad omnia maxima minima explicanda haec duo principia ſufficere.

VII. Eſſe vero haec eadem et non tamen eadem, id eſt, eodem modo.

VIII. Commeare et translocari illa huc et haec illuc omni tempore, et peragere illa horum, haec illorum munia, at quae faciunt non videri ſcire, et quae vident non cognoſcere.

IX. Fieri haec illis omnia diuina neceſſitatis lege, tum quae ſponte volunt, tum quae non volunt.

X. Imminere corruptionem a ſe inuicem: et augeri maius a minore, et minus a maiore; et ſic quoque corrumpi.

XI. Tum reliqua omnia, tum etiam animam hominis ornari, quemadmodum corpus.

XII. Irrepere autem in homines partes partium habens, ſecundum contemperationem ignis et aquae, dum vel quaedam abſumit, vel quaedam dat: et illa quidem augere, haec vero minuere.

XIII. Quae in decreſcendo ſunt, abire in minorem locum, quae commiſta ſunt, tranſire in ordinem maiorem, et quae peregrina ſunt, nec huiusmodi, regione aliena extrudi.

XIV. Omnem autem animam maiora et minora habentem oberrare non indigentem ablationis vel additionis, ſed tantum in praeſentia eorum, quae adſunt, vel augmento vel diminutione opus habere.

XV. Locum efficere omnia, in quem ingreſſa fuerit talis anima, et recipiat ea, quae deferuntur: neque enim poſſe quod non eſt eiusdem

generis, durare in locis non conuenientibus, ſed oberrare, dum ignoratur, et tum quum commiſcentur inuicem, vna cognoſci, et in lucem prodire: affidere enim ſimile ſimili, diſſimile autem aduerſari, et pugnare, et diſcedere a ſe inuicem.

XVI. Propterea hominis animam in homine creſcere, in allo vero nullo; et reliquorum animalium maiorum ſimiliter: quibus autem aliter euenit, ea vi quadam a ſe inuicem diſcerni.

XVII. De homine ſic porro praecipit medicus Heracliteus: hunc enim locum lepidam anthropologiam nobis enarrantem audire decet: irrepit in hominem anima, quae ignis atque aquae contemperationem habet, quae ſortem corporis humani habent: quaeque naturam maris vel foeminae nacta, variis atque multis modis aluntur: nempe pro ratione victus, quo homo vtitur.

XVIII. Neceſſe autem eſt, vt membra omnia habeant, ſub ingreſſu: cuius enim ſors non ab initio adfuerit, ea non poteſt creſcere, etiam multo vel pauco alimento accedente, cum non habeat id ipſum quod augeri poſſit. Quod vero habet omnes partes ſuas, illud augetur in loco quodque ſuo, accedente alimento ab aqua ſicca (exſiccata,) et igne fluido (in fluxum reſoluto) ſic vt alia verſus interiora cogantur, alia extrorſum: quemadmodum ferra retrahitur et impellitur, donec locum non amplius habeat, et alimento ſufficiente deſtituta in externum locum protrudatur mas vel foemina, a vi et neceſſitate.

XIX. Fiunt autem haec iuxta harmoniam ſiue ſeriem modulatam, quae in proportione διαπασῶν continetur, quae eſt proportio primarum qualitatum, calidi, frigidi, humidi, ſicci: et ſine his in conceptione nihil perficitur: et ſi grauia acutis non concinent, prima harmonia perditur.

XX. Ex his autem per circuitus certos reliqua conformatio membrorum, ſecundum partes ſuas oritur.

XXI. Anima hominis temperatam commiſtionem habens ignis et aquae, et partes hominis, irrepit in omne animal, quod ſpirat, in vnumquemque hominem iuniorem et ſeniorem: creſcit autem non in omnibus ſimiliter, ſed in iunioribus corporibus cum celeris ſit circuitus, extenuantur in augmentum corporis, in ſenioribus autem conſumuntur et deficiunt.

XXII. Diſcernuntur membra ſimul omnia et augentur, neque prius alterum altero vel poſterius, ſed quae maiora ſunt aliis natura, ea prius in conſpectum veniunt, quam minora, licet nihilo prius exiſtant.

XXIII. Foeminae ad aquam magis accedunt, a frigidis et humidis et mollibus creſcentes; mares autem igni viciniores, a ſiccis et calidis potibus, et reliqua viuendi ratione creſcunt.

XXIV. Non id ſolum genitale eſt et incrementum capit, quod a viro excernitur, verum illud etiam quod a muliere. Cum vero contingit, vt vtraque (femina) incidant vna et in ſe inuicem irruant, in ignem et ſimiliter

Digitized by Google

similiter aquam: sique in sicca satis regione circumagantur, vincit simul incidens aqua, et augetur igni, vt non possit extingui a fluctu irruente, sed praesentem cogat.

Potiora haec sunt, quae auctor libri *de diaeta*, *ἀνθρωπογονίαν* explicaturus, secundum principia Pythagorica, (quae tum proportiones musicae ad explicationem adhibitae, tum tetractys more Semipythagoreorum explicata, tum consensus reliquus cum Semipythagoreis, Hippaso etc. produnt,) adhibenda esse iudicauit, quae luculentum exemplum esse possunt mataeologiae, veram physicorum veterum mentem immensa caligine sepelientis; adeo verba nihil significantia, principia non nisi in cerebro obuia, demonstrandi modus *ἄνω καὶ κάτω* deformis maleque cohaerens in hoc discursu anthropologico regnant. Et plurimum quidem ingenii et laboris adhibuit desideratissimus Gesnerus, vt verbis (quae nuda prout in textu occurrunt et naturali significatione expressa attulimus [f],) eum sensum adaptaret, quo cohaerere inter se et luculentius atque paulo magis dilucide intelligi posse credebat: quare multa interspersit, quae non Hippocratica sunt, sed Gesnerianae hypothesis *γεννήματα*: clara satis et apta, ast quae auctori vetusto clariores multo sensus affingunt, quam, habuisse illum, certum cuilibet erit, qui textum ipsum sine eius paraphrasi legerit, et elegantissimum interpretis ingenium cum veteri chao philosophi Pythagorici (quem fuisse Hippocratem lucidum alias scriptorem et medicum, nemo facile sibi persuadebit,) comparauerit. Ne tamen lectori subtraxisse videamur noua veteris orbis lumina, adscribemus huc quoque pace eius systema anthropologicum, quod ex hoc loco exsculpsit Gesneriana industria, rogabimusque, vt illud cum verbis auctoris veteris ipse comparet, certi enim sumus, mox deprehensurum, quam incertum et inconstans iudicium plerumque sequatur, si vetera placita ex nostrorum hominum aetatisque praesentis decretis explicare suscipimus. Ita vero vir *τῶν ἐν ἀγλαΐᾳ*:

1. Ex nihilo nihil fit, neque in nihilum redigitur quicquam.

2. Oriri et incipere putant homines ea, quae sensui antea nulli obuia, nunc videri, tangi etc. posse incipiunt.

3. Tota vis naturae et caussa proxima phaenomenorum, inest in apparente quadam rerum sibi aduersarum pugna, quarum quaelibet tamen statum suum conseruat et ad effectus producendos cum aduersaria concurrit, quae et Heracliti *ἐναντιοτροπὴ* est, qua dixit omnia in harmoniam cogi, apud LAERTIVM [g].

4. Ignis et aqua sunt principia et elementa omnium rerum, quae suis qualitatibus, hinc siccitate et calore, illinc humiditate et frigore earumque pugna perpetua producendis omnibus et phaenomenis explicandis sufficiunt. Ignis mouet omnia, aqua nutrit.

5. Anl-

f) Zwingeri, Cornarii aliorumque, sensum systematis non assequentium, interpretationes lucem nullam afferunt.

g) Lib. IX. s. 7.

5. Animarum omnia plena; ſtatus autem quo ſenſu percipi non poſſunt, ἄδης, quo autem percipi poſſe incipiunt, φῶς eſt.

6. Anima humana ignis et aquae commixtione et ipſa temperata membra futuri hominis magna, parua iam habet, ſed euo uenda et augenda.

7. Hae animae viuae in omnia animalia intrant, illis non ſentientibus, et quaſi irrepunt cum ſpiritu, et cum cibo et potu.

8. Illae ſolae ſortem humanam nanciſcuntur, et corpus ſibi faciunt animantque, quae in locum idoneum deferuntur, vbi coaleſcere et creſcere poſſunt.

9. Nimirum viros pariter et foeminas intrant, in eorumque vaſis generationi dicatis augeſcunt, vt corpus iam habere, et membra ſexum diſcernentia dici poſſint.

10. In συνουσίᾳ ex vtriusque congredientium vaſis ſecernuntur animae iam auctae et ſexu diſcretae, ſiue animalia plura. Vbi in ſe forte irruunt animalia duo, harmoniam quatuor qualitatum (tetractyn) habentia, vniuntur animae ipſae; et vna fit ex duabus; corpuſculum alterum nouam μοῖραν expectat.

11. Nihil perit, ſed ſeparatae per mortem animae a mole corporea in ſtatum priorem rediguntur, et nouum fatum ſubeunt. Haec Pythagorea metempſychoſis. Hactenus eruditiſſimus interpres, quo doctiorem et elegantiorem obſcurus iſte phyſiologus vetus, quicunque is fuerit, nanciſci haud potuit. Itaque non magnopere mirandum, luculentam et doctam diſſertationem vehementer placuiſſe, tum *actorum eruditorum collectoribus*, viris doctiſſimis, tum *regiae ſcientiarum, quae Berolini floret, academiae membris* [h] celeberrimis, quibus cum eiusdem argumenti diſſertationem Actis Academiae inſerendam vir beatus transmiſiſſet, praeclare dignam iudicauit, quam interprete et commentatore Cel. HEINIO cum orbe literario, et maxime philoſophiae veteris amatoribus communicaret [i]. Ex qua diſſertatione a viro clariſſimo, more ſuo, id eſt, luculento et variam doctrinam olente, conſcripta, hauriet lector reliqua, quae ex illis, quae a nobis adducta ſunt, adhuc lucem claram poſcunt; nobis enim ſatis iam in hoc argumento prolixis eius excerpta lectori ſuppeditare, eo minus neceſſe videtur, quo minus adeo rara et in paucorum manibus verſatur, vt Geſneriana diſſertatio paucis viſa, ſed annales laudatiſſimae academiae omnium manibus teruntur, quos legiſſe de hoc argumento commentantes neminem philoſophiae veteris cognoſcendae auidum poenitebit. Quanquam enim non tantum incertiſſimum eſt, an libri *de diaeta* Hippocratem auctorem agnoſcant, cum iam GALENVS obſeruauerit [k], dudum fuiſſe tributos vel Philiſtioni Locro, vel Ariſtoni, vel Euriphonti, vel Philetae, medicis antiquiſſimis, et Hippocrate ex parte ſenioribus, ipſe quoque Galenus iudicat ingenio Hippocratis non dignos

h) Supplem. Act. nou. T. III. f. 10.
i) Hiſt. de l'Acad. 1745. P. II. p. 99 ſeq.
k) De alimentorum facult. L. I. p. 706. de victu in morbis acutis T. I. p. 43. conf. FABRICIVS bibl. Graec. T. I. p. 802.

Digitized by Googl

dignos satis esse, et ab eo dissidere; memorabiles tamen laciniae vetustissimae, quae in scholis Italicis et Heraclitea vigebat, physiologiae sunt, et vetustatem atque scholam ipsa dialectus dorica videtur prodere. Vnde dignas has reliquias iudicauimus, quibus in his supplementis locum faceremus. Ceterum de ipsa B. Gesneri, quem testem hactenus et interpretem, obscurissimi fragmenti Italicae physiologiae in scenam produximus sententia, quae statuit, cognita iam tunc esse animalcula spermatica a vetustissimis physicis, quid habendum sit, quaque verisimilitudine se commendet, malumus lectorem, sine partis studio ipsum textum veterem, cum paraphrasi Gesneriana comparantem et neutri parti addictum iudicem constituere, quam iudicium nostrum interponere. Quod eo minus desiderari posse putamus, quo magis non obstante omni veteris auctoris obscuritate clarissimum est, non potuisse virum incomparabilem ψυχὰς istas Hippocraticas in animalcula seminalia conuertere, nisi obtorto cŏllo, et violenter intrusis suae hypotheseos significationibus talem paraphrasin exhibuisset, quam nemo in ipso textu detexisset, nisi ista hypothesi praeoccupatus: εὑρήματα recentiorum, artis et industriae studio detecta, dudum patuisse veteribus, et sufficere ad demonstrandam conuenientiam, si voces nonnullae vel dogmata quaedam similem sensum habere, vel similia tradere videantur apteque in systema vnum compingi: quae si semel admittatur, necesse est, vim veteri philosophiae inferri, eamque ἔχοντα ἄχοντα cogi et obtorto collo in consensum rapi, quibus non, nisi ingeniose excogitatis interpretamentis fucus potest induci. Quod in hac quoque interpretatione factum esse, ipse eius auctor eruditissimus satis manifestauit, more suo, id est, candide, suam explicationem, et supplementa, secundum quae intelligendum esse, veterem philosophum iudicabat, literis Italicis a textu veteri discernendo, quod debitam certe laudem meretur, et exemplum modestiae criticae est vehementer commendandum, quod confundi sua cum antiquis nolebat. Qui si id modo sibi demonstrandum sumsisset, animalculorum seminalium patronos in physica veteri inuenire posse suae hypothesi affinia, e. g. animarum non tantum omnia esse plena, sed ipsum ignem diuinum in archaeologia physica toties pro principio non tantum efficiente, sed materiali quoque adhibitum, gignere potuisse eiusmodi hypotheses, animas quoque hominum esse eiusmodi ignis diuini, rationalis atque artificialis, i. e. philosophico sensu expositi propagines, et ex eius ignis aetherisue diuini emanatione, oriri animas hominis origini et generationi destinatas, forte non haberemus, quod in ista explicatione desiderandum esset, cum similia iam apud Stoicos, Heracliti scrinia expilantes inueniantur, vt suo loco in Stoicae philosophiae historia explicatum [1]. Ast, cum ex mente veteris philosophi non de animis tantum humanis, sed de quacunque re materiali idem systema valeat, et ad explicandam non anthropologiam tantum, sed

1) v. Buffon historia musei regii Paris P. II. c. 12.

ſed rerum quoque omnium generationem adhibeatur, quae cum animabus hominum nullam cetera ſimilitudinem habent, certe, niſi nos Heraclitica nocte toti opprimimur, non videmus, quomodo eiusmodi ψυχαὶ σπερματικαὶ, quales Leewenhoekius totque alii in ſemine humano ſe vidiſſe nobis perſuadere conati ſunt, quaeque ſpeciem creaturarum diſtinctam conſtituunt, ex hoc rerum materialium ſeminario vniuerſali poſſint exſculpi; et veriſimilius cum illorum ſententia comparari poſſe putamus, quae omnia iſta animalcula tantum pro ψίγμασι, ſiue moleculis materialibus a naturali cauſſa immanente aethere interno etc. commotis et agitatis habent, nec ad generationis negotium proprie deſtinari, ſed in omni fere materia fluida maxime gelatinoſa, e. g. oſtreis detegi contendunt, quod innumeris myriadibus eiusmodi animalculorum, quae vi hypotheſeos et experientia teſte, admittenda ſunt, multo magis facit ſatis, quam iſta animalculorum ſpermaticorum hypotheſis. Id quod tamen hic ὡς ἐν παρέδῳ monemus, cum nec argumentum praeſens, nec locus patiatur, de hypotheſi, adhuc tantis inter naturae interpretes diſſenſionibus diſputata [m], addere aliquid. Sufficit nobis, iſtam concordiam inter Hippocraticum philoſophum noſtrum, et animalculorum ſeminalium patronos, Leewenhoekium, Hartſoeckerum, Leibnizium, Boerhauium, Wolfium aliosque ex textu iſto veteri non poſſe demonſtrari, quo proſcripta omni cauſſa efficiente ſpirituali ſola materialis, locum non tantum ſubiecti ex quo, ſed cauſſae quoque a quo occupat, omniaque ex igne et aqua inter ſe agentibus et reagentibus oriuntur, ne animabus quidem rationalibus exceptis. Tacemus, non negante Viro optimo, eiusmodi ψυχὰς non tantum in mares, ſed foeminas quoque irrepere, duasque ψυχὰς inter ſe concurrere, vincente vna, altera in commune ſeminarium remigrante, quaeque aliae naeniae ſunt et deliramenta, quorum venia iſtis philoſophis facile dari poteſt, ſed cum recentioribus confundi non debent: quemadmodum omnem eiusmodi ſyncretiſmum non, niſi confundendis ſyſtematibus inſeruire, ſuo loco [n] demonſtrauimus. Vnde de argumento, tot incertis veterum et recentiorum diſputationibus et coniecturis expoſito [o] plura afferre, inutile hoc loco putamus, remque omnem lectori iudicandam relinquimus; qui cum viris multis doctiſſimis [p] fatemur, etiam animalculorum ſpermaticorum ſyſtema inſuperabilibus premi difficultatibus, quae remouendae prius ſunt, antequam cum veteri phyſiologia conciliantur, et Heraclitea nocte argumentum in ſe obſcuriſſimum denuo premitur. Nobis ſane ſobrie etiam in philoſophiae hiſtoria verſari cupientibus, ea poſſe ſufficere videntur, quae in textu libri [q] in ſummam contraximus, quibusque nubes in hac hiſtoriae parte occurrentes plerasque poſſe diſpelli credimus.

m) Fectum id Hiſt. phil. T. IV. P. II. p. 657 ſeq. vbi ſcriptores huc pertinentes nominauimus.
n) T. IV. P. I. L. III. c. 4. p. 773 ſeq.
o) Conf. H. C. Ph. T. IV. P. II. L. II. c. 2. p. 659.
p) Vid. Hollmann. phyſ. P. II. c. 4. §. 517. pag. 619 ſeq. Krueger. Phyſ. P. II. §. 470. p. 816 ſeqq.
q) pag. 1227.

AD

Digitized by Google

AD CAPVT XIII.

DE SECTA EPICVREA.

pag. 1229. lin. 2.

Indices ſcriptorum de Epicuro eiusque ſecta nobis exhibuerunt, ſtudioſe confectos. His addenda *bibliotheca philoſophica* STRVVIANA a cel. KAHLIO aucta, et qui in ea de Epicuro ſcriptores laudantur [a]. Inter hos omnes vnus Gaſſendus reliquis quidem omnibus anteponendus eſt, aſt, ne is quidem ſine examine hiſtorico. Suſcepit illud HENRICVS ASCANIVS ENGELKE in *exercitatione Antigaſſendiana*, ſed *impar congreſſus Achillei.*

Ibid. not. h. l. vlt. *Ex eo Syntagma philoſophiae Epicureae conſectum.* Occupat doctiſſimus commentarius primum locum *T. V. Operum Gaſſendi*, in quo ordinem Laërtii ſecutus vniuerſam fere Epicuream philoſophiam mirabili luce perfudit. Iungendum autem ſimul eſt, *ſyntagma philoſophiae vniuerſae* Gaſſendianum, quod *Tomus operum primus et ſecundus* comprehendit, in eo enim ſingula philoſophiae Epicureae capita miro lumine colluſtrat, et cum reliquis veteribus ſyſtematibus comparat, quo dici non poteſt, quantum claritatis philoſophicae hiſtoriae ſimul intulerit.

pag. 1256. lin. 31. *Sine introductio haberi queat.* Recte vero hanc canonicam, velut partem philoſophiae inſtrumentalem naturali et morali praemitti, adeoque tripartitam dici philoſophiam Epicuri obſeruat GASSENDVS [b]. Idem iam obſeruatum LAERTIO [c], qui eam diuidit in τέτε Κανονικὸν, καὶ Φυσικὸν καὶ ἠθικόν; obſeruat autem, canonicam ἐφόδους, planas quasdam acceſſiones et vias ad tractationem phyſicam exhibere, id eſt, partem eſſe inſtrumentalem.

pag. 1260. lin. 3. *Inueniri poſſit.* Ad vnam quidem moralem philoſophiae partem Epicurus omnem philoſophi curam reuocabat, et hulc quoque velut inſtrumentum inſeruire debere rerum naturalium contemplationem aſſerebat; aſt ideo tamen accurate et diſtincte agendum eſſe de natura rerum ſtatuit, vt haberet animus, in quo tranquillitatis fundamenta poneret, et perturbationes auerteret, inde factum, vt phyſicus apud ATHENAEVM audiat: Ad hanc autem partem naturalem, rationalem tanquam acceſſionem addebat, quae doceret, quid haberi poſſit honeſtum, bonumque, quid in natura veriſimile. Dudum id monuit SENECA [d], qui videndus.

Ibid. lin. 8. *Ex nihilo nihil fit, nec in nihilum quicquam redigitur.* Legendus hic LVCRETIVS [e], qui axioma hoc Epicureis rationibus explicat, quae probe examinandae et explicandae, ne veritatis cum falſi-

a) P. I. p. 17. 66. 67. 234. 236.
b) Tom. I. Opp. p. 28.
c) loc. cit. L. X. ſ. 33.
d) Epiſt. 89.
e) L. I. v. 150 ſeqq.

Digitized by Google

tate in tam manifesto principio confusio fiat. Iucunde autem comparauit cum Lucretio eminentissimus Cardinalis MELCHIOR DE POLIGNAC, qui in *Anti-Lucretio* rationes Epicureas eadem carminis venustate euersum iuit, et cel. PLOVCQVETI erudita de *cosmogonia Epicuri* disputatio, qui paralogismos Epicuri et Lucretii acute detexit.

pag. 1262. lin. 18. *Vtrique sectae hoc sensu vniuersum immutabile et aeternum.* Merentur hisce illustrandis legi, quae GASSENDVS [f] de vniuerso ex mente veterum philosophorum prolixe et luculenter differuit.

pag. 1264. lin. 32. *Haererentque vel resilirent.* Conf. Card. POLIGNACI *Anti-Lucretius L. IV.* [ff].

pag. 1271. lin. 2. *Mente interueniente superuenit, superaccidit*que. Non confundenda sunt Stoica cum Epicureis decretis de tempore, quae more suo exponit LVCRETIVS [g] quamuis enim vtrisque visum sit, tempus inter incorporea referri, factum id tamen est diuersa significatione. Et Stoicis quidem tempus placuit esse incorporeum, quod per se est, rebus etiam non existentibus; Epicureis, quod rebus tantum existentibus accidit, nec sine illis concipi potest. In qua haeresi fuisse quoque Antiphanem, Critolaum, aliosque veteres, ex STOBAEO [h] constat; nam his auctoribus tempus sola cogitatione vel mensura, non re ipsa constat, *νόημα ἢ μέτρον ἐφ' ὑπάρξεως*, nempe mensura motus secundum id, quod sit prius. Sic similiter Epicuro tempus non res per se existens, sed *σύμπτωμα*, *τοῦτό ἐστι παρακολούθημα κινήσεων*, accidens et consequens motuum: Quod nec recentioribus displicuit, quibus numerus, spatium, tempus sunt

Aspectus rerum et mera nomina, non res [i].

Nempe diuersae relationes, e. g. ex LEIBNIZII [k] mente ordo successionum, vel mutationum continuarum [l]. Quem dissensum nemo magnopere mirabitur, qui temporis interni in duratione quaerendi, et externi, in comparatione et relatione cum alterius rei duratione cogitatione determinanda ponendi [m] confusionem cogitauerit: sine quo sublato philosophi eandem temporis vocem adhibentes, sed notione diuersa, intelligi nequeunt. GASSENDVM vero tempus incorporeum reale esse existimantem [n], et Epicurum in eo deferentem merito miramur.

pag. 1272. not. q. *Stoicum dogma vocatur.* Conf. PLVTARCHVS *adu. Coloten*, et qui lucem clariorem affert GASSENDVS [o].

Ibid.

f) T. I. Opp. p. 135 seqq.
ff) v. 78 seqq. p. 128 seqq.
g) L. I. v. 466 seqq.
h) Eclog. phys. L. I. p. 19.
i) De POLIGNAC Anti-Lucret. L. I. v. 339. pag. 54.
k) Ep. III. ad Clarck. §. 4.
l) v. HANSCH. princ. phil. Leibn. def. 67. pag. 30.
m) Conf. HILLMANN. metaph. §. 347. 348. pag. 929.
n) Phys. Sect. I. Lib. II. c. 7. Tom. I. Opp. pag. 122 seq. cuius rationes non magno fulcro nituntur.
o) loc. cit. c. 5. T. I. p. 160.

Digitized by Google

Ibid. lin. 14. *Ex hiſtoriarum nouitate, artibus adinuentis.* Iungi poteſt Lucretio luculenter in hoc argumento verſato, non minus memorabilis locus MACROBII [p], quibus addi poſſunt, quae GASSENDVS [q] de hac re cumulauit.

pag. 1274. lin. 30. *Praeter atomos et ſpatium deſertum.* Prolixe rationes Epicureas de fine mundi excuſſit GASSENDVS, quem in his erudite verſantem conſulent, qui prolixiora cupiunt. Hoc vero monendus eſt lector, ne Stoicam de mundi fine hypotheſin cum Epicurea confundat. Nam Stoica *ἐκπύρωσις* mundi fit internis fati legibus; Epicurea diſſolutio fortuitis atomorum reſolutionibus.

Ibid. lin. 33. *In fabrefactionem mundorum infinitorum poſſunt.* Riſere hos mundos infinitos maxime veteris eccleſiae doctores, ex quibus HERMIAS [r] atque AVGVSTINVS [s] legendi, et de placitis his Epicureis, qui more ſuo, diligenter rem exponit GASSENDVS [t] audiendus.

pag. 1278. lin. 17. *Intercedente aëre imprimuntur.* Molliores et tolerabiliores ſenſus placitis Epicuri de Idolis in oculos ex obiectis irruentibus, et imagines rerum ſiue obiectorum viſui imprimentibus affricare fatetur Cl. HEINIVS, narrantibus *Academiae Berolinenſis commentariis* [u]. Idem fere, ille conlicit, voluiſſe dicere Epicurum, quod recentiores de viſus ſenſu tradunt, lucem velut fontem inexhauſtum ad obiecta appellentem, et a corporibus, in quae incurrit, modificatam recipere figuras ſolidi fluidae lucis materiae impreſſas, vt cera figuras recipit; et quidem per reſiſtentiam materiae, quam Leibnizius antitypiam vocauit; quo corpus impulſum eadem vi repellit, et reprimit. Hanc autem repercuſſionem nihil eſſe aliud, quam repraeſentationem corporis, quod reagit. Radios enim lucis in ſuperficie corporis collectos in ordinem ſua elaſticitate reſilire, ſecumque rapere figuram corporis tanquam praedam aliquam; quemadmodum id in repercuſſione radiorum lucis in ſpeculis, in aqua, in camera obſcura ipſoque oculo euenire ſolet, vbi rerum imagines exactiſſime depinguntur. Et, cum actio luminis in corpora perpetua ſit, reactionem quoque fieri debere perpetuo, quoties noua imago obiecti in oculum noſtrum incurrit. Haec vir doctiſſimus putat, vt non ſunt abſurda et experientiae contraria, ita mentem Epicuri facere longe tolerabiliorem, minusque abſurdam, qui in hoc vno errauerit, quod crediderit, imagines non a corporum ſuperficie oriri, ſed a corporibus ipſis defluere, qui vnus error, ſi ab Epicuri hypotheſi ſecernatur, poſſe eum inter meliores veteris orbis interpretes ſenſus naturaeque viſionis referri. Hactenus vir acutiſſimus. Qui probe vidit, ingens inter Epicuri et recentioris catoptrices ſententiam diſcrimen intercedere, et negare id quoque auſus non eſt, ſecundum Epicurum emanare ex ipſis ſenſuum obiectis

p) L. II. c. 10. p. m. 123. ed. Plant.
q) loc. cit. c. 6. p. 160 ſeq.
r) In irriſ. gentil.
s) De C. D. L. XI. c. 15.
t) l. c. c. 2. p. 139 ſeq. c. 7. p. 171 ſeqq.
u) 1744. P. I. p. 78 ſeqq.

realia ſimulacra eandem ſenſuum formam habentia, quos tangunt, et eſſe illa non ſolas repraeſentationes vel reflexiones lucis, et repercuſſiones ex certis modificationibus ſecundum leges motus exortas, ſed eſſe partes totius, nempe atomos, ex ſuperficie corporum perpetuo fluentes, quod ingens diſcrimen inter recentiora catoprices placita et inter Epicuri atque Lucretii ſomnia ponit, et abſurdum illud eſt, quod ferre nequeunt pauliſper ſobrie philoſophantes x). Quibus facile veniam damus, quod veritatis vnam tantum particulam deprehenderunt, quae hodie tota in clara luce poſita eſt, nec tamen peruiderunt omnem; multa quoque eſſe in Lucretiana demonſtratione, fatemur, quae non pueriliter iudicaſſe hortos Epicuri euincunt: ſed parum habere vtilitatis credimus, ſi praepoſtera ineatur concordia, et ineptiae veterum coloribus recentiorum detergantur, et vno iugo ire cogantur ſententiae diuerſiſſimae: quod quam maxime corrumpere hiſtoriam philoſophicam, tot exemplis hactenus demonſtrauimus.

x) Legendus eſt phyſiologiae Epicureae ſtudioſo liber quartus LVCRETII, qui memorabili loco v. 45 ſeqq. clauem porrigit, qua reſerari Epicuri conclauia phyſica poſſunt: Canit enim:

Dico igitur rerum effigies tenuesque figuras
Mittier ab rebus ſummo de cortice earum,
Quae quaſi membrana, vel cortex nominitanda,
Quod formam ac ſpeciem ſimilem gerit eius imago
Cuiuscunque eluit de corpore ſuſa vagari.

Quae poſtea cum exuuiis inſectarum comparat, num haec cum lucis reflexionibus digna ſunt comparari?

AD CAPVT DECIMVM QVARTVM.

DE SECTA SCEPTICA.

pag. 1320. lin. 2.

Sunt et alia paſſim obuia, quae hiſtoriam ſectae Scepticae et ſcepticiſmi illuſtrant. Confundenda Sceptica ſecta antiqua cum ſcepticiſmo recentiori non eſt. Quamuis enim inter recentioris aetatis philoſophos reperti ſint, qui dubitationis viam vnicum ad ſapientiam iter eſſe ſtatuentes, magnopere ſcepticiſmum commendarunt, ſectam tamen profiteri Scepticam, vt Platonicam, Peripateticam etc. profeſſi multi ſunt, neminī in mentem venit, ne iis quidem exceptis, quos ſceptice fuiſſe philoſophatos, et veterum ſcepticorum methodum ratiocinandi in vitam reuocaſſe, infra Tomo IV. huius operis luculentis exemplis demonſtrauimus, et imprimis *Huetium*, magnum in orbe erudito et eccleſia Romana nomen, ſingulare eius exemplum in ſcenam produximus, quae ſuo loco videnda: cuius potiſſima ratio eſſe videtur nomen inuidia plenum ſcepticiſmi, quod ſacris profanisque omnibus euertendis inſeruire tantum non omnes iudicant, dudumque iudicarunt PP. eccleſiae, vt ſuo loco T. III. demonſtratum. Vnde factum, vt parcior ſit, quam reliquarum ſectarum, Pyrrhoniae

Digitized by Google

niae siue Scepticae sectae historia, et in haud paucis etiam subiectae fidei, quod hoc loco monendum est, vt intelligat lector, cur breuior nostra, quam de reliquis, sit Scepticae philosophiae historia, curque pauca admodum habeamus, quibus supplementa haec queant augeri, quanquam magna seges virorum hodie pancratice philosophantium sit, qui re ipsa in hunc censum sint referendi, quique ipsam religionem hac labe conspurcare non erubuerunt, de qua re tamen infra suo loco agendum est. Ceterum praeter satis notas VERVLAMII [a], BIERLINGII [b], PASCHII [c], aliorumque obseruationes, nobis quoque suo loco non indictas, IOANNIS CLAVDII SOMMIERII *historiam dogmaticam religionis sub lege naturali, cum apologia rationis et fidei contra Pyrrhonios et incredulos*, gallica lingua scriptam nobisque non visam memorat, et historiae veteris Scepticismi inseruire monet cl. KAHLIVS [d], qui ipse quoque nonnulla huc pertinentia, sed vulgaria, interspersit. Elegantem quoque dissertationem de *epoche Pyrrhonis* nobis dedit cel. GOD. PLOVCQVETVS [e], ea vero non historica est, sed polemica, et euertendis telis Scepticorum, quorum caussam magnis arietibus aggreditur, tota destinata, legenda ab iis, qui, quid Sexti Empirici ratiunculis et sophismatis, reponi possit debeatue, solide cupiunt cognoscere.

Ibid. not. w. lin. 3. *Nos quoque peculiari obseruatione de Pyrrhonis vita disseruimus.* Recusa est, cum annotationibus, Pyrrhonis historiam amplius illustrantibus in *miscellaneis* nostris, *historiae philosophicae, literariae criticae* [f], quae si tanti videbuntur cum dictis hoc loco possunt conferri.

pag. 1334. lin. 23. *Sunt vero iuxta Scepticos modi numero decem, siue loci communes.* Valde λεπτολογίαν veterum Dialecticam, ex qua schola multum sapuerunt Sceptici, redolent, hi τρόποι, a Laërtio strictim recensiti, a SEXTO EMPIRICO [g] fusius explicati, vnde aridum et strigosum philosophandi genus horum hominum, et vanitatem Graecae philosophiae tempore inclinantis ad seruitutem nationis hic cognoscere. Quanquam autem haec ita esse, attento lectori facili negotio potest esse manifestum, non indigna tamen est lectione Sexti Empirici tractatio de his modis, quam varia eruditione et antiquae doctrinae copia illustrauit. Ad quam pluscula possent adiici, nisi breuitas hoc loco esset sectanda, et πολυμαθεστάτου FABRICII diligentia tantum attulisset, quantum expectari ad hoc doctrinae veteris genus explicandum et in clara luce ponendum, potest. Cum vero pleraque ad diuersas rerum relationes ad sensus nostros, et internam cum externis circumstantiis comparationem pertineant, possunt leui

a) De augm. Scient. L. V. c. 2.
b) De Pyrrhonismo historico, quae tractatio bonae frugis plena, multa habet, quae historiam scepticismi illustrant.
c) Intr. in rem lit. c. 6. §. 6 seqq. ad calc. tr. de variis modis tradendi moralia.
d) Ad biblioth. philos. Struuian. c. II. §. 8. pag. 72 seqq.
e) Tub. 1758.
f) P. I. Obs. 1. p. 1 seqq.
g) Pyrrhon. hyp. L. I. c. 14. s. 40 seqq. p. 99 seqq. ed. Fabric.

leui negotio fallaciarum a Scepticis in argumentando exhibitarum ſtrophae inde in clara luce poni. Quibus autem veterum Scepticorum termini difficiles et obſcuri videntur, illis clariori explicatione lucem affundet GASSENDI induſtria *), qui hos dubitandi et obiectiones contra dogmaticos formandi modos diligenter et perſpicue explicuit, quem huc tranſcribere anguſtia paginae vetat. Neque tamen omnia, quae a Scepticis afferuntur, ſimpliciter reiicienda ſunt, cum multa monuerint, quae ad cautam prouidamque ratiocinandi viam animos praeparant, et quam arctis humanus intellectus limitibus circumſcribatur, quam neceſſaria ſit attentio, examen, atque mora, quam multa a nobis ignorentur, quam ſobrie et modeſte ſit philoſophandum, nos commonent. Quare ex pragmatica philoſophiae hiſtoria Scepticiſmi conſideratio non debet proſcribi.

pag. 1341. lin. 19. *Nec probant recte dogmatici Deum.* Manibus palpari poteſt fallacia ratiocinii a Sexto adhibita, quam in clara luce ponit cel. PLOVCQVETVS de *Epoche Pyrrhonia* [i], qui etiam reliquas aranearum telas, quibus Sceptici dogmaticos irretiebant, luculentis reſponſionibus diſrupit.

h) Log. c. 3. Opp. T. I. p. 72 ſeqq.

i) p. 20 ſeqq. pulchre is monuit, propoſitionem indemonſtrabilem longe euidentiorem eſſe, quam demonſtrabilem: requiri enim vnam tantum ideam ſimplicem et euidentem ad intelligendum, quod neceſſario exiſtat principium rerum abſolutum. Ex hac obſeruatione de impietate ſcepticiſmi in articulo de Deo iudicari poteſt.

AD

Digitized by Google

AD CAPVT DECIMVM QVINTVM.

DE FATIS PHILOSOPHIAE GRAECAE EXTRA GRAECIAM.

pag. 1353. lin. 17.

Cui Graecae eruditionis praecipue philoſophicae magna, quae Alexandriae habuit, incrementa potiſſimum adſcribenda ſunt. Merentur quae de regum Aegypti ex Alexandri M. ſucceſſoribus, ſtudio Graecanicam ſapientiam in hac gente, cui olim natales philoſophiae Graecae adſcribebantur, et a qua Orpheum, Pythagoram, Thaletem, Platonem, Democritum ſua pleraque hauſiſſe communis eo tempore ſententia erat, amplificandi veteres referunt, curatius expendi: in cuius cauſſas atque modum inquirere, res eſt, ad hiſtoriam literariam tum Aegyptiorum, tum Graecorum pertinens. Multa in compendio tangunt huic loco lucem foenerantia, quae narrant *hiſtoriae vniuerſalis auctores Britanni* [a], qui veterum teſtimoniorum fidem adducunt: tacemus alios hiſtoriam bibliothecae Alexandrinae et muſei regii enarrantes, indicatos a FABRICIO [b], HEVMANNO [c], BAVMGARTENIO [d] aliis. Nobis hoc loco ad hanc literaturae philoſophicae periodum potiſſimum attendendum eſſe videtur, quia magnum in mutanda ſyſtemata theologica, metaphyſica, philoſophica influxum habuit: quamque ſua conſideratione indignam iudicantes, qui in Hiſt. phil. ad ſolas ſcholas Graecas attenderunt, toties philoſophiae Alexandrinae et Orientali obiectiones parant, quaſi nihil ea de re dixerint veteres, quoniam in annalibus Graecanicae philoſophiae iſtud philoſophandi genus non occurrat. Qui parcius iſta nobis obiicerent, ſi qua ſunt veterum rerum notitia inſtructi ad res Graecorum inter nationes barbaras animum aduertiſſent, et quo pacto ex illaudabili ſyncretiſmo barbaricae et Graecanicae philoſophiae tot monſtra enata ſint, cogitauiſſent. Quae indicta manſiſſe Graecis et Romanis nemo mirabitur, qui arctos harum nationum philoſophiae limites cogitat; aſt ideo negare velle, nobis certe lucem meridianam in dubium vocare videtur.

pag. 1356. lin. 18. *In ſubſidium vocatus ſyncretiſmus philoſophicus, huic ſectae vehementer adamatus.* Repetenda hoc loco ſunt, quae ſupra, vbi de fatis philoſophiae Aegyptiacae actum eſt, ea de re diximus. Plurimum autem momenti ea res habet in hiſtoria philoſophiae Alexandrinae ſiue eclecticae, quoniam nefando iſto ſyncretiſmo tota philoſophia in deterius conuerſa eſt. Id quod adulationibus Graecorum maximam partem adſcri-

a) T. VIII. §. 130 ſeqq. p. 114 ſeqq.
b) Bibliogr. antiq. c. 21. p. 624.
c) Conſp. reip. lit. c. 4. §. 10. p. 77. BONAMI Mem. de l'Academie des inſcriptions T. XIII. pag. 615 ſeqq.
d) Ad l. c. Hiſt. vniu. n. 103.

adſcribendum eſſe pulchre obſeruauit IABLONSKYVS *e*, qui prudenter monet, „illo tempore Aegyptum Graecis hominibus totam repletam „fuiſſe, Graecos etiam paſſim opimis fruitos ſacerdotiis, in templis praeſertim munificentia Ptolemaeorum recens extructis, aut etiam ex pulueure et ruina magnifice denuo reſtauratis. Alios a tenera aetate Graecorum diſciplina ſollicite imbutos fuiſſe, et his Manethonem ipſum accenſendum eſſe videri. Horum itaque ſtudio, vt et regibus rem gratam facerent, et vt proprio ingenio ſuo obſecundarent, effectum eſſe, „vt priſca Aegyptiorum theologia non mediocriter corrumperetur, et „multis peregrinis additamentis vehementer incruſtata talis fere traderetur, qualem a Diodoro Siculo et Plutarcho (addere potuiſſet, a Iamblicho) repraeſentatam legimus, in quorum excellentibus ceteroquin ſcriptis, vbi de rebus Aegyptiorum agunt, non ipſorum, ſed temporis vitio vero falſa permulta, genuinis tot adulterina ſic admixta reperiuntur, „vt vnum ab altero diſcernere, non cuiusuis ſit, laboremque requirat „minime vulgarem." Paria paſſim annotauit vir χριτικώτατος, luculentis obſeruationibus demonſtrans, Graecos ſolitos fuiſſe fabulas ſacras Aegyptiorum vehementer interpolare atque corrumpere, aut theologiam ſuam cum Aegyptiaca, commiſcere et confundere, aut Aegyptiis nonnunquam Deos obtrudere ex ſua theologia, quos ipſi ignorant, aut Diis Aegyptiorum ſuorum Deorum nomina imponere et accommodare, inque eo errores committere varios. Quae omnia exemplis luculentis illuſtrat. Ceterum de hac quoque Graecae philoſophiae in Aſia fortuna ſub Alexandro et ſucceſſoribus conferendus quoque THEOPH. SIGFR. BAYERVS *f*, vt alios taceamus.

e) Panth. Aegypt. proleg. §. 20. p. 43.

f) In erud. tr. de regno Bactriano §. 48.



HIST.

Digitized by Google

HISTORIAE CRITICAE
PHILOSOPHIAE
ACCESSIONES ET SVPPLEMENTA
AD
TOMVM SECVNDVM.

Digitized by Google



AD TOMI II. PART. I. LIB. I. CAP. I.

DE PHILOSOPHIA ROMANORVM.

pag. 12. lin. 11.

ocum obtineret exoptatiſſimum. Recte omnia ſe habent, quae in hac literaturae Romanae particula de odio Romanorum, et imprimis Catonis maioris ſiue Cenſoris in philoſophiam Graecam dicta ſunt, quaeque allatis indubitatis veterum teſtimoniis demonſtrantur. Aſt recte tamen intelligenda ſuisque limitibus coërcenda ſunt, ne philoſophiae Graecae nomen nos decipiat, putemusque, quicquid philoſophiae a Graecis in Italiam venit, Romanos perhorruiſſe. Eius enim contrarium infra §. X. probauimus, conſtatque etiam ex iis, quae hoc loco dicta ſunt, M. Porcium Catonem eo tempore, quo Fabius Maximus Tarentum recepit, iuuenem ſub eo ſtipendium facientem, a Pythagorico quodam philoſopho Nearcho philoſophiam Pythagoreorum didiciſſe, Athenis quoque Graecorum literas, quamuis Graecae linguae vſu non valde polleret, pernouiſſe et ſectarum ſtudia atque opiniones intellexiſſe, cuius rei teſtes habemus PLVTARCHVM atque PLINIVM [a]: Sed et annis paulo prouectiorem, (nempe poſt annum XLV. de ipſa enim certa aetate variant auctores [b]) ab Ennio Graecarum literarum vſum magna contentione didiciſſe: quem eodem fere modo Pythagoreae philoſophiae igniculos poſt deletam Italicae ſcholae fortunam ſub cineribus latentes collegiſſe, p. 24. docuimus. Haec niſi inter ſe committere, et contradicentem philoſophiae Romanae hiſtoriam ſibi ipſi opponere velimus, explorandum merito eſt, contra quam potiſſimum philoſophiam Graecam Catonis zelus exarſerit, vt Romanis eam moenibus eiiceret. Hoc valde falluntur, qui de iſta philoſophiae parte intelligunt, quae a Pythagora in Italiam, quae magna Graecia dicitur, dedu-

a) Hiſt. nat. L. XXIX. c. 1.

b) Conf. BAYLE Dict. T. III. art. Portius Cato p. 793. vnde patet, verba Ciceronis, quae ſenem didiciſſe Graecas literas referunt, non nimis premenda eſſe.

Digitized by Google

deducta est. Non enim illa ideo inuisa Romanis fuit, sed propter famam auctoris late per Italiae ora disseminatam, adeo in Italia in existimatione floruit, vt propter sapientiae opinionem statuae honorem meruerit, quanquam secta atque assectis inter Romanos in Vrbe ipsa non eminebat; cuius infra suo loco [c] caussam verisimilem manifestauimus. Itaque mirum videri non debet, Catonem, domestica patriaque disciplina a pueritia formatum cum Italiae inferioris loca inuisendi occasionem per militarem fortunam nactus esset, et tum latenter passim Pythagoricorum reliqui, qui nec in Graeciam minorem, nec in Aegyptum aufugerant, adhuc priuatim docerent, ab eiusmodi Pythagorico philosopho huius scholae praecepta hausisse. Ea vero, cauendum, ne de esotericis disciplinis et arcana Italicae scholae sapientia intelligamus: illam enim nemini eos manifestasse, ex *Lysidis* Pythagorici *epistola ad Hipparchum* [d] liquido constat, sed ad exotericos, et hos auditores pertinet, quos acusmaticos, et Pythagoristas, non Pythagoreos dictos fuisse, ex Theocriti scholiaste suo loco [e] probauimus, *quod non improbabant, sed probabant et imitabantur Pythagoreos, non tamen in totum erant eius sectae et dogmatis.* Et his quidem non intima scholae mysteria, a magistro clam haberi et recondi iussa tradita, ast praecepta tamen virtutis, et sapientiae ad formandam mentem, eiiciendas voluptates, regendam legibus patriam, exercendam laboris tolerantiam, quaeque aliae virtutes practicae sunt, a Pythagorea schola magnificis orationibus, quarum hodie exempla adhuc suppetunt [f], commendatae, et vt traducerentur in vsum, seuera tristique disciplina inlunctae sunt. Quae apud iuuenes virosque animo excelsos et patriis exemplis, pulchre de republica ista sapientiae seueritate mereri cupientes quantam efficaciam habuerint, supra suo loco memorabili Epaminondae [ff] exemplo demonstrauimus. Qualia cum legeret et audiret Cato, vir in lectione historiarum versatissimus, et a praeceptore quoque disceret, quo modo ex huius scholae doctrina, animus purgari et a corporis vinculis liberari posset, audiuisset quoque, ipsum ex Graecorum philosophis, Platonem suam philosophiam ex istis praeceptionibus Pythagoricis emendauisse, quid mirum est, eum seuerissimae et ad patrios mores disciplina formandos et ornandos vtilissimae philosophiae parti aurem commodasse, praesertim cum secta amplius non supereesset, eaque dudum relictis tantum pauculis *γνωρίμοις* exspirasset, et necesse non esset, inter sectarios philosophos nomen profiteri? Et hoc quidem pacto de ista aetate, seculoque post V. C. sexto dici non potest, eam totam Graecam philosophiam perhorruisse, cum ex dictis apertum sit, sapientiae Pythagoreae iustum eos statuisse pretium, etiam secta ex Italia dudum sublata [g]. Ast longe

c) Vid. quae h. l. §. 10. p. 23. probata dedimus.
d) Opusc. mythol. p. 736 seq.
e) Tom. I. p. 1031.
f) In IAMBLICHI vit. Pyth. L. VIII. orationibus pro scepticis, et Opusculis myth. GALEI, apud STOBAEVM et alios passim.
ff) Et huius quidem celeberrimi imperatoris exemplum philosophiae Catonem habuisse in animo, comparatio nobis facit verisimillimum.
g) Aliam rationem a GVNDLINGIO allatam vide in Gundlingian. P. I. L. XVI. p. 96 seq.

Digitized by Google

longe aliter ſtatuendum eſt, ſi de eo philoſophiae Graecae genere ſermo eſt, quod a Thalete Ionico, et Socrate plures ſectarum ſurculos propagauit, et ex quo ſectae pleraeque exortae ſunt, quae Graeciam in partes diſciderunt. Quae quamuis in Socrate purum limpidumque ſapientiae fontem habuiſſent, ille tamen a gerenda republica alienior, quam pro Graeciae illius temporis indole emendari poſſe deſperabat, ad priuatam tantum viuendi rationem animos adduxit. Sectae autem poſt eum omnes inanibus et ventoſis ſpeculationibus, et imprimis infauſto dialecticae ſtudio nugisque laborioſis, quibus ſyſtemata ſyſtematibus opponebantur, inter ſe velut inimica agmina congreſſae, nec animum ſatiarunt, nec reipublicae et ciuitatis ſalutem promouerunt. Tales cum Cato Athenas delatus offenderet, mirum eſſe non debet, hominem aſperi animi et linguae acerbae et immodice liberae, magnis odiis in hanc philoſophiam fuiſſe accenſum. Volunt id verba PLVTARCHI, quae h. l. adduximus; quibus ſubiicit: *Vniuerſam philoſophiam* (nempe qualis Athenis florebat) *inuiſam habuit, et ambitione quadam omnes Graecas artes atque diſciplinas contemſit; nam et Socratem ait loquacitatis viribus fretum, qua licuerit, ad tyrannidem contendiſſe, euertendis patriae moribus, ciuibusque in opiniones legibus contrarias pertrahendis.* Affert quoque PLINIVS [h] eius ad filium moniti partem, qua inter alia: *Dicam de iſtis Graecis ſuo loco Marce fili, quid Athenis exquiſitum habeam, et quod bonum ſit, illorum literas inſpicere, non perdiſcere: Vincam nequiſſimum et indocile genus illorum; et hoc puto vatem dixiſſe: Quandocunque gens iſta ſuas literas dabit, omnia corrumpet.* Huius autem generis philoſophos loquaces, Academicum, Stoicum, Peripateticum Athenienſes legatos miſerant: quorum cum verboſa eſſet philoſophandi differendique ratio, et tota practico iſti philoſophiae generi morumque atque patriae virtutis conſtantiae contraria, infeſtis contra eam armis inſurgendum, et morum atque virtutis perniciem, quam timebat, auertendam eſſe ſtatuit. Idem factum circa Medicos.

pag. 14. lin. 16. *Praetura eum deiecit.* Celebratiſſima parentis quoque magni huius iureconſulti continentia merito hoc loco conſiderationem meretur. Cum enim tota gens Tuberonum ſummis dignitatum et honorum decoribus illuſtris, diſciplinae vetuſtae et integritatis cultum adeo retinuiſſet, vt ſex et decem viri vna Tuberonum familia ſimul vnis aedibus et quidem modicis cum coniugibus et liberis habitarent, hic vir ſummus, qui per adoptionem in Scipionum familiam venerat, magnamque in republica auctoritatem tuebatur, conſulatum gerens, cum Aetolorum gens omnis vſus vaſa argentea magno pondere exquiſita arte fabricata per legatos miſiſſet, qui gratulandi cauſſa ad eum profecti retulerant, fictilia ſe in eius menſa vaſa vidiſſe, cum ſuis ſarcinis abire iuſſit, monitos, ne continentiae, quaſi paupertati ſuccurrendum putarent. Quo exemplo conſtat

h) L. XXIX. c. 1. ex hoc loco recte coniicitur, inſpexiſſe Catonem ſcripta philoſophorum, ſed placita reiecisſe.

Digitized by Google

conſtat domeſticam educationem, voluptatis ignauae fugam, animi magnitudinem, quibus virtutibus Romani principes eo tempore formabantur, praeparauiſſe agrum filii fertilem atque bonum, vt, cum ſemina Stoicae ſapientiae, ex Cynicorum ſchola ad porticum translata et a Zenone ſyſtematis artificio commendata Romae, poſtquam philoſophia Romana in Vrbe innotuerat, ſpargerentur, in his potiſſimum fundis laetiſſimam ſegetem, magna interdum meſſe ſtipatam produceret. Id quod filii Q. Aelii Tuberonis iurisperiti exemplum comprobauit. Cum enim ad tanti patris imaginem eſſet educatus ſeueramque atque duram indolem natura et inſtitutione accepiſſet, accedente Panaetii diſciplina, quam noctes diesque ſuae inclinationi atque moribus obtemperans ſequebatur, magnae doctrinae ICtus euaſit [i]. Et quanquam dicendi virtute minus excellebat [k], quam diſputandi acumine, more Stoico, quorum arguta et arida dialectica orationis ornatae vim atque eloquentiae dulcedinem cohibuit [l], adeo tamen cognitione iuris, et virtutis atque prudentiae demonſtratione excelluit, vt inter primos iuris antiſtites poneretur. Quod vero demonſtrata iſta Stoica continentia, cum frugaliter populo triclinium ſterneret, praeturae honore eſt delectus, non id in philoſophiae huius ſobriae atque continentis infamiam reputandum, ſed moribus magis eius temporis adſcribendum eſt, quibus ad reipublicae magnificentiam exhibendam ſplendidiſſima huiusmodi conuiuia populus requirebat. Quod tantum abeſt, vt opprobrio cederet philoſophiae, cuius praecepta vita et exemplo exprimebat, vt ſummo potius honori eſſet, et SENECA [m] iudicaret: *paupertatem ſe dignam et capitolio iudicaſſe, cum fictilibus in publica coena ante ipſius Iouis cellam vſus oſtenderit, debere his hominem eſſe contentum, quibus Dii etiam tunc vterentur.* Et hanc quidem eius animi *αὐτάρκειαν* philoſophia et ICto Romano dignam ſcriptis confirmauiſſe Panaetium et diſcipulum Panaetii Hecatonem Rhodium, inde colligimus, quod ille *de dolore patiendo* [n], hic *de officiis* ad eum ſcripſit, et praeceptor quoque Crateris veteris academici libellum *de luctu* aureolum ediſcendum ad verbum ei commendauit [o]. Quae ſpecimen eſſe poſſunt philoſophiae Stoicae a Romanis iureconſultis non conſilio tantum et praeceptis, ſed vitae quoque continentia et fortitudine expreſſae. Plura de eo dabunt GELLIVS, CICERO [p], VALERIVS MAXIMVS [q], ex recentioribus BERNARDINVS RVTILIVS [r], IOANNES BERTRANDVS [s], GVILIELMVS GROTIVS [t], qui plura ſitienti adeundi. Nobis enim in his moram trahere inſtitutum atque locus vetat.

Ibid.

i) GELLIVS L. I. c. 22. L. IV. ep. 15.
k) CIC. in Bruto Ep. ad Atticum.
l) Notauit id CIC. in parad. c. 1. Stoicos non ea ſentire, quae probentur in vulgus, et nullum ſequi orationis florem, nec dilatare ſententiam.
m) Ep. 96. 99.
n) CIC. de off. L. III.
o) Fragmenta Tuberonis collegerunt Antonius Riccobonus et Auſonius Popma, in fragm. hiſt. conf. FABRIC. Bibl. Lat. T. I p. 738. 739. 829. CIC. de fin. L. IV. Tuſc. Q q. L. IV. IONSIVS L. II. 3. MAVRSIVS in Rhodo, p. 104.
p) II. cc.
q) Lib. IV. c. 4.
r) Vit. Iuris conſ. c. 22. p. 113.
s) Vit. *νομικῶν* L. II. c. 3. p. 167.
t) Vit. II. L. I. c. 7. §. 4. p. 44 ſeq.

Digitized by Google

Ibid. lin. 14. not. k. *De Stoa iureconſultorum.* Comparandi cum his, Rutilius, Bertrandus, Grotius libris in fine paginae notatis. Tacemus Pancerollum, Henelium, Riuallum, Forſterum aliosque nominatos FABRICIO ff.

pag. 16. lin. 21. *Et ex iis officia communia praeſcribebant.* Id, qua ratione fecerit philoſophia moralis et iurisprudentia naturalis Stoica, ex ea delineatione cognoſci poteſt, quam *tomo primo* t exhibuimus. Conferri in compendio poteſt GATAKERVS u, qui officiorum ſummam ſecundum Stoicos, eleganti breuitate expoſuit; et imprimis, quae ex ipſo legislatore, Antonino imperatore diligenter collegit B. Io. FR. BVDDEVS v, maxime vero πολυμαθέστατος Iureconſultus IOANNES SCHILTERVS x. Qui recte obſeruat, iureconſultos, Ciceronis imitatione, Stoicos de officiis praecipientes potiſſimum ſecutos eſſe, ſed correctione tamen adhibita; et hoc libertatis philoſophicae reſpectu, dici poſſe eclecticos: eam tamen non impediuiſſe, vt Stoicae ſectae prae ceteris aſſentirentur: id quod exemplis probat, et inductione praeceptorum, maxime vero hoc ICtorum Romanorum ſtudium, monet, non acroamaticam et contemplatiuam, ſed exotericam et actiuam Stoicorum philoſophiam reſpexiſſe, quae pertineat ad hominem corpore ac opinionibus circumfuſum et proinde propter ſuas neceſſitates egentem ciuilibus legibus. Qua de re atque philoſophandi ſcopo legendus SENECA y, dignus, qui ipſe excutiatur z.

pag. 45. lin. 8. 9. *Secundum Stoica principia, quibus Peripatetica quaedam admixta ſunt.* Quanquam ante Zenonem praeceptis moralibus atque practicis exponendis ſuas quoque meditationes deſtinauerunt philoſophi, vt ex Pythagorae eiusque ſcholae exemplis conſtat, nec Ariſtotelis diligentia in libris ethicis officiorum partes neglexit, adeo, vt de officiis eum diſputaſſe tradat AMBROSIVS a; ex inſtituto tamen hoc doctrinae moralis caput explicare, et praeclaram moralis doctrinae partem philoſophico ſyſtemate nixam exponere nemo ſuſcepit ante Zenonem Cittieum Stoicae ſectae parentem, qui, obſeruante LAERTIO b, quem ſequitur SVIDAS c, primus *περὶ καθήκοντος, de officio,* ſcripſit. Quem ſecutus deinde eſt Chryſippus et Cleanthes; et inualuit haec pars Ethicae Stoicae, imprimis eo tempore, quo viri illuſtres et reipublicae gerendae inter Romanos admoti, philoſophiam Graecam deperire coeperunt, eo quod in adminiſtranda et regenda ciuitate haec doctrina plurimum valere crederetur. Vnde et Iureconſultis commendatam fuiſſe, et hanc illos actiuam Stoicae ethicae partem imprimis excoluiſſe, ſupra obſeruauimus. Sed philoſophi quo-

ff) Bibl. Lat. T. I. p. 828.
z) pag. 963 ſeqq.
x) In praeloq. ad Anton. p. m. 12 ſeq.
v) Introd. in phil. Stoic. ex mente Antonini Sect. 7. p. 107 ſeqq.
x) Manud. phil. mor. ad Iurisprud. c. 1. §. 4 ſqq.
y) Dicemus Stoice: non κατορθώματα, ſed καθήκοντα.
z) Ep. 95.
a) De offic. L. I. c. 10.
b) L. VII. ſ. 25. 108.
c) T. II. v. καθήκον p. 222.

quoque paſſim Graeci [d] de eo argumento tunc tractarunt, Brutus [e] quoque, et qui reliquos omnes facile ſuperauit, Cicero in hoc argumento morali, ſe exercuerunt, ita tamen, vt ex aliis quoque ſectis ea ſupplerent, quae vel emendatione, vel explanatione opus habere crederent: quo pacto ipſe Cicero peripatetica placita in partes vocauit. Καθῆκον autem quid Stoici dixerint, ſupra ſuo loco [f] expoſuimus, monuimusque, officiorum, ſiue καθήκοντος nomen [g] ab iis diuidi in κατορθώματα et καθήκοντα proprie dicta, quorum illa perfecta, haec media et communia ſunt, et quorum iſta a nemine peragi poſſunt, quam a ſapiente Stoico, qui ſolus ἀποδεικτικῶς, certoque et perfecto modo ſecundum rationem verſari nouit [h]; haec media vel communia ſunt, et eiusmodi facta, quorum, cur ſint facta, ratio probabilis dari poteſt, quae oritur ex diſcuſſione dubiorum, quae exiſtunt circa ea, a quibus ad agendum impellimur, qualia ſunt honeſtum, turpe, vtile, inutile. Quae rationes cum ſoleant ex locis quoque dialecticis Academicorum et Peripateticorum deſumi, facile inde colligi poteſt, cur ad horum quoque prata Stoici, ipſeque Cicero, haud ſemel diuerterint, qui de ea re in veſtibulo libri *de officiis* [i] legendus. Haec cum in ſocietate humana et ciuili infinitae vtilitatis, et iuri veteri ex XII. Tabularum legibus corraſo vinculis colliganda apta viderentur, hocque pacto ius naturae definirent, mirum non eſt, tractationes Stoicas valde viris magnis, qui in republica verſabantur, arriſiſſe, et excitaſſe Panaetii, et poſt hunc, Hecatonis Rhodii exempla Tullium, vt filium ad rempublicam ſimili philoſophiae inſtitutione formaret. Quod argumentum ita tractauit, vt, quae a Stoicis manca paſſim atque arida, et interdum nimia dicta erant, elegantiſſimo ingenio ſuppleret, ornaret, temperaret: vnde laudes in hoc Ciceronianum iuris naturalis compendium haud vulgares collatae ſunt. Quas ille demum recto temperabit iudicio, qui fundamenta eius Stoica academica, peripatetica inter ſe mixta, cum ſobria iuris naturalis conſideratione comparauerit, et ad veros philoſophiae fontes reuocauerit. Quo pacto ab inſanientibus, quibus Ciceronis libros de officiis non nemo cumulauit, laudibus [k] facile ſibi cauebit, neque tamen ideo Roma-

d) Exemplo eſſe poteſt Hecato Rhodius Panaetii diſcipulus, quem libros de officiis ad Q. Tuberonem ſcripſiſſe, ait Cicero de offic. L. III. c. 15. f. c. 8. ed. Facc. cuius libros morales indicauit Laertius L. VII. et commendauit quoque Seneca de beneficiis. Sed Panaetii quoque veſtigiis ſe inſtitiſſe, ſaepius prodidit Cicero, qui etiam ad Attic. L. XVI. ep. 11. videndus.

e) Seneca eius librum περὶ καθήκοντος citat ep. 95.

f) T. I. p. 964. conf. Laert. L. VII. ſ. 25. et Suidas l. c.

g) Conf. Simplicius ad Epictet. c. 37. p. 193. ed. Salm.

h) Conf. Anton. L. V. §. 14.

i) Lib. I. c. 3.

k) Inſaniens certe auctor eſt, qui in libro memoires ſecrets de la republique des lettres Ep. 4. p. 262. pronuntiare auſus eſt: opera moralia Ciceronis adeo pulchra eſſe, vt ſimile quid non habuerint, nec habitura ſint: libros de officiis praeſtare omnibus libris moralibus theologorum. Docuit nos hanc inſaniam Kahlius ad Struvii bibl. phil. P. II. p. 33. qui Thomae Worthii lectiones Tullianas, Amſt. 1730. editas nobisque non viſas vehementer commendat ad intelligendam philoſophiam Ciceronis.

Digitized by Google

Romanae eloquentiae parentem cum aliis ex philoſophorum choro excludet [l], cum eorum quoque

nemo vitiis ſine naſcitur, optimus ille eſt
qui minimis vrgetur.

pag. 46. not. l. lin. 1. *Iaſonis Denores nobilis Cyprii breuis et diſtincta inſtitutio in Ciceronis philoſophiam de vita et moribus Pat. 1572. 12.* Recuſus eſt libellus in Germania, cum Patauina editio tantum non euanuiſſet, *Ambergae 1597.* quae tamen et ipſa adeo rara euaſit, vt nec Morhofius, cui cetera auctor ex controuerſiis cum Guarino de tragoedia, non ignotus erat, eius meminerit, nec HEVMANNVS ipſum libellum viderit, qui tantum ex GVNDLINGII relatione [m] de eo iudicauit [n], et STRVVIO [o] quoque non, niſi ex noua editione librorum de Officiis, quibus hunc libellum fuffixit IOACHIMVS MEIERVS, Lipſiae 1721. edita innotuerit. Hunc valde quidem contemnit ὁ πάνυ GVNDLINGIVS, eo quod pauca attulerit, quae ad vitam moresque inſtruendos multum conferre poſſunt, et pleraque Peripatetice dicta eſſe iudicauerit, quae Cicero ideam veteris reip. Romanae ſequens attulit: ſed legi tamen meretur libellus haud ineleganter ſcriptus, tanquam breue at luculentum philoſophiae moralis et ciuilis Ciceronianae compendium, atque generalis introductio, qua Ciceronis in ea tractanda modus atque ratio puro dicendi genere, ſed languente ex libris Ciceronis ad vitam et mores ſpectantibus enarratur. In quo tamen praeterquam quod diſciplinae Peripateticae multa nimis attemperat, nec ſatis ad mores ſeculi Ciceroniani attendit, id imprimis reprehendendum eſt, quod putauerit [p], „quae alii philoſophi „de hac tota re memoriae prodiderint, ea quidem ex ſe ipſis excogitauiſſe, „aut ad ſe ex ſuperiorum philoſophorum libris traduxiſſe, quae vero „in medium protulerit M. Tullius, omnia ex quotidianis actionibus ita „ad hanc philoſophiae partem exornandam transtuliſſe, vt nihil in eo „deſiderari, aut optari poſſe videatur: praeclariſſimam enim omnium, „quae vnquam fuerunt rempublicam per quadraginta fere annos praeto„rem, conſulem, augurem, imperatorem, proconſulem ita adminiſtrauiſſe „et conſilio atque ſapientia gubernauiſſe, vt eum, quae de his ipſis rebus „prudenter et copioſe literarum monumentis tradiderit, non aliunde „audiuiſſe, ſed vidiſſe, non ſolum vidiſſe, ſed interfuiſſe, non interfuiſſe, „ſed et praefuiſſe, nemo fere ſit in literis mediocriter exercitatus, qui ex veterum ſcriptis non animaduerterit." Rationem quoque hanc addit: „quaecunque Ariſtoteles aut Plato de hac rerum agendarum eruditione „atque doctrina varie et copioſe ſcripſerint, aut ex Cretenſium, aut ex „Lacedaemoniorum, aut ex Carthaginenſium republica mutuatos eſſe:

l) Faciunt id AVGVSTIN. de C. D. L. II. c. 27. POMPONATIVS de incant. c. 12. pag. 896. IONSIVS Scr. H. P. c. 12. qui, ſi comparate id dixiſſent, facile ferri poſſent.

m) Gundlingian. P. XVI. p. 181 ſeq.
n) Act. philoſ. Vol. II. p. 444.
o) Bibl. phil. P. II. c. 1. p. 32.
p) p. m. 6. ed. Amb.

Digitized by Google

„M. autem Tullium, quae illi legerunt, et posteris memoriae mandarunt, „omnia diligenter inuestigauisse, quae autem ipse viderit et tractauerit, „et ante oculos habuerit, illos vix suspicari potuisse, cum diutissime in „ea republica sit versatus, quae et imperii magnitudine et gloria, et opti„mis institutionibus et legibus et eas, quas nominarat, et reliquas omnes, „quae vnquam gentium fuerunt, longe superaret q." Quae potuisse scribere professorem Patauinum, merito miramur, cum ad lectionem librorum philosophicorum, maxime ciuilium Ciceronis paulo attentiorem fugere non possit, Consulem Romanum, infinita lectione per omnes philosophorum libros volutatum, et de omnibus fere incertum et fluctuantem nunquam fere, more Academicorum omnium ex suo decreuisse aliquid vel statuisse, sed rationes semper cum rationibus contrariis committendo, aliorum magis sententias produxisse, quam suas; in doctrina vero de finibus et de legibus, de officiis, nunquam aperto pede a Stoicis discedere ausum, nisi auctoritatibus aliorum stiparetur, vt alia plura taceamus, quae Ciceronem non ex suo magis ingenio et experientia, quam aliorum praeceptis de vita, de moribus, de ciuitate scripsisse manifeste loquuntur. Verum haec ad historiam Ciceromaniae Seculi XVI. pertinent, quae eo tempore in Italia caput extulit. Subiunxit tractationi suae auctor tabulas non inutiles, in quibus primo apparet ordo temporum, quo singuli huius philosophiae libri ab eo scripti ac editi sunt. Secundo ordo doctrinae, quo vnusquisque horum librorum in docendo aliis aut praeire aut subsequi debet. Tertio vniuersa haec philosophia clarius et dilucidius in proprias partes distinguitur et separatur; quae in lectione librorum moralium et ciuilium Ciceronis, vsum ad tenendum seruandumque ordinem praeclare afferre possunt.

Ibid. lin. vlt. *SAMVEL PARCKERVS Lond. 1702. 8.* Praeter THOMAE WOPKENS *lectiones Tullianas siue in opera quaedam Ciceronis philosophica animaduersionum criticarum libros III. Amstelodami 1730. 8.* editos, nominat quoque Io. CHRISTOPHORI FVGMANNI dissertationem *de Ciceronis philosophia morali Vitebergae 1677. excusam* Cl. KAHLE, de quo scripto vtroque non habemus, quod dicamus, cum vtrumque a nobis visum haud sit, conferri autem de priori possunt acta eruditorum Lipsiensia r. Ciceronis quoque philosophiam qui laudaret, inuentus est non nemo in academia Lugdunensium eruditorum, cuius de hoc argumento dissertationem exhibet ARCHIMBALDVS in *collectione opusculorum* s: qua ratione autem philosophiam suam adhibuerit ad leuandam exilii acerbitatem, ex dissertatione MORABINI, qui eius historiam descripsit t, potest

q) Conferendae obseruationes h. l. §. 18. a nobis allatae.

r) M. Maio 1730. m. 11. conf. nou. lit. Lipf. 1730. p. 214. quae criticas, non philosophicas obseruationes annunciant.

s) ARCHIMBAVD recueil de pieces fugitives Tom. III. art. 5.

t) Pec. diff. Gallica lingua Par. 1725. edita. conf. Iourn. des Savans 1725. M. Mai art. 10.

Digitized by Google

poteſt colligi: ex qua patebit, multum abfuiſſe Ciceronem ab ea philoſophiae ſuae exercitatione atque praxi, quam iactabat.

pag. 64. lin. 13. *Inſigni hoc Cratippi loco in ea ſententia confirmati.* Iterum atque iterum locum hunc Ciceronis, Cratippi, Peripatetici hominis, opinionem declarantis excutientibus et recogitantibus videtur iſte, Ariſtotelis ſyſtema ſecutus, quod extra aduenire homini animam rationalem ſtatuebat, attemperare voluiſſe Iureconſultis Romanis, vt facilius cum iis conſpirare crederetur. Illi enim Stoicae phyſiologiae inſiſtentes, quae rationalem hominis partem ex diuina ratione, ſiue igne mundano, et artificiali deriuabat, et particulam eſſe diuinae, quae per mundum agitatur, animae, magnis vocibus aſſerebat, vt ſuo loco ſupra " probatum, rationem quidem internam, qua hominis Intellectus regitur, quam theoreticam recte dixeris, brutis animalibus denegabant, practicam tamen illis ineſſe, quam communem habeant cum hominibus concedebant, eamque rationem ſummam eſſe dicebant, inſitam illis ex natura, quae iubeat ea, quae facienda ſunt, prohibeatque, quae intermittenda: hanc vero rationem vel naturam, cum interne illis non inſit, ex principio externo illis adeſſe, quod ea dirigat, impellat, moueat, quamque naturae vocem vocare non dubitat CICERO [x], alii communem appellarunt, qua fit, vt bruta videantur habere quaſi rationem, et ſecundum quam Ius naturae vocauit VIpianus, quod natura omnia animantia docuit. Eſſe hanc quoque naturam, quae brutorum actiones regit, particulam quandam diuinae rationis, toti mundo et partibus eius infuſam ex generali Stoicorum axiomate [y], recte infertur; aſt, ratione ſubiecti bruti modique, quo in ea agit, a ratione, quae animam humanam interne inhabitat, in eo diſtinguitur, quod externe illis adueniat, ex natura communi, mundo inſita, careatque ideo interna ratiocinatione et cogitatione vel illatione naturali, vnde *quaſi rationem* ob ſimilitudinem actionum vocabant: quod exemplo brutorum pietatis erga foetus ſuos illuſtrauit H. GROTIVS [z] recte monens, (ſecundum ICtorum Stoicorum ſententiam) tales actus ex principio aliquo intelligente extrinſeco procedere. Id quod recentiores Iuris naturalis ſcriptores [a] miniſtram DEI naturam, et inſtinctum naturae, cum Inſita hominibus ratione certa et perpetua non confundendum vocauerunt: De qua opinione Iureconſultorum Romanorum Stoica eleganter multa attulit et acute tractauit GVNDLINGIVS [b]. Cum autem aqua haereret Stoicis, vnde iſta natura extrinſecus in brutis operans deriuanda ſit, et recurrendum illis eſſet ad vocem obſcuram naturae, quae perſpicuum ſenſum non fundebat, Peripateticus

*) Tom. I. p. 949 ſeqq.

x) De finib. L. III. in beſtiis vis naturae inſpici poteſt, quarum in foetu et educatione laborem cum cernimus, naturae ipſius vocem videmus audire. Hanc naturae vocem caue cum mechaniſmo confundas, ſi Stoicos ſequeris.

y) SENECA de benef. L. IV. c. 7.

z) De I. B. et P. prol. n. 7.

a) GROMOVIVS ad h. l.

b) Gundlingian. P. XV. art. 3. p. 439 ſeqq.

Cratippus, Ariſtotelis ſui intellectum vniuerſalem, extrinſecus homini aduenientem eumque ingredientem in partes vocauit, qui, quamuis vniuerſalis alicuius principii diuini, ſ. intellectus pars ſit, ex qua τὸ ἡγεμονικὸν habent humanae animae, impediatur tamen, vel ob craſſitiem, vel abundantiam humoris in brutis, quominus praeter quasdam communes impreſſiones, neque intellectum, neque ſenſum rationalem in iis producere poſſit: quo pacto Cynicum quoque Diogenem διάνοιαν et αἴσθησιν διὰ τῆς πυκνότητος καὶ πλεονασμῦ τῆς ὑγρασίας brutis denegaſſe, refert PLVTARCHVS [c], quam ſententiam deinde ex Cynoſoſarge in Stoam transtulit Zeno. Ex quo memorabili exemplo, quo ſimul quaedam phyſiologiae iurisque naturalis Stoici particula a nobis ſupra praetermiſſa, poteſt ſuppleri, conſtat quoque, quo pacto eo tempore, quo Romana philoſophia adoleuit, ſeque principibus viris commendauit, philoſophi Graeci in id fuerint conniſi, vt inepto ſyncretiſmo ſectas inter ſe diuerſa ſentientes iungerent, et, quo pacto Panaetio Cratippum filio ſuo praeceptorem iunxerit CICERO [d].

pag. 65. lin. 5. *Nec indignos eſſe eius hortos, ex quibus philoſophiam addiſcerent.* Agnoſcit, qui in Torquato Epicurum oppugnat CICERO [e] populum, qui vim maximam, auctoritatem minimam habet, cum Epicuro facere. Aſt non populum tantum, ſed proceres quoque Romanos plurimos easdem partes amplexos, alio loco [f] adeo non negat, vt ſcribat: *Suſtinuero Epicureos tot meos familiares, tam bonos, tam inter ſe amantes viros.* Et quis talia non Romae quoque expectet, cum, narrante LAERTIO [g], Epicurus tot tantosque habuerit amicos, vt ne vrbes quidem integrae capere poſſent, et ipſe in domo ſua totos greges amicorum conſentientes habuerit [h].

pag. 66. lin. 5. a fin. *Sed et Philodemus Gadarenſis ex horum numero fuit.* Lectas eſſe Philodemi lucubrationes, non rhetoricas modo et poëmata, ſed eas quoque, quibus de argumento morali diſputauit, ex AMBROSII loco [i] conſtare poteſt, modo certa ſit coniectura, pro Philomaro, quod codices editi habent, legendum Philodamum, ſiue Philodemum, quod placet MENAGIO [k]. Huic enim tribuit hanc ſententiam Mediolanenſis epiſcopus: voluptatem in homine, Deo auctore creatam eſſe principaliter. Qui, cum CICERONI [l] ipſi audiat optimus et doctiſſimus vir, non male intelligenda eſſe ſententia iſta videtur, nam ad Stoicos quoque eius auctores prouocat. Fortaſſe intelligemus eam accuratius, poſtquam felici fato inter theſauros aeui Romani in Herculani ruderibus nuper effoſſos et repertos inuenti quoque ſunt *Philodemi Gada-*

c) De plac. phil. L. V. c. 20. conf. VIRGIL. Aen. v. 724 ſeqq.
d) Offic. L. I. paſſim.
e) De finib. Lib. II.
f) Qq. Acad. L. IV.
g) L. X. ſ. 9. conf. MENAG. L. I.
h) CIC. de finib. L. I.
i) Lib. III. ep. 25.
k) loc. cit. p. 446.
l) De finib. L. II.

Digitized by Google

Gadarenſis libri: muſicus, quo contendit, Epicureo more: muſicam eſſe contra mores et rempublicam; rhetoricus, in quo influxus eius in rempublicam docetur, et rhetoricorum primus, tum libellus *περὶ κακιῶν καὶ τῶν ἀναγκαίων ἀρετῶν*. Quem poſtremum artificioſa patientia Antonii Pagniotti, ex corruptis aeuo voluminibus euolutum, ſicque ſatis integrum ſeruatum [m], vt edat vir quidam doctus, et veteris philoſophiae gnarus, eo magis optamus, quo rariores ſunt diſſertationes philoſophorum Epicureorum, ad ipſam philoſophiam, maxime moralem, ſpectantes, nec licuit hactenus integris huius generis lucubrationibus vti.

m) Conf. Cl. WINKELMANN. in detectis Herculani reliquiis P. I. p. 20. qui exemplar detectum ſigna habere autographi, coniicit.

AD CAP. II. SECT. I.

DE PHILOSOPHIA GENTILI SVB IMPERATORIBVS.

pag. 73. lin. 9.

Prout carminis nitor atque habitus et materiae ſubſtratae poſceret conditio. Pluribus hanc per variarum ſectarum prata velut apes peruagandi conſuetudinem et decerptos inde paſſim flores, poſthabitis ſectarum ſyſtematibus exequitur, et quo pacto cautio in his obſeruanda ſit, docet *Daniel Chriſtianus Pflugrad*, qui ſub praeſidio Cel. IO. ERN. IMM. WALCHII elegantem diſſertationem *de philoſophia Horatii Flacci Stoica* edidit [a], et quae, a nobis obſeruata ſunt, latius deduxit [b], ad quam ſcriptionem breuitatis cauſſa lectorem dimittimus.

pag. 75. *Pro quo, parcum, non ſine ingenio legit MEIBOMIVS.* Praefert conſuetam lectionem laudatae diſſertationis auctor, non tamen ad impuritatis ignominiam referendum putat, ſed, ſi cum ils, quae antecedunt, comparetur, videri locari Horatium, ſeque Epicuri de grege porcum vocare, non propter doctrinam, ſed, quod obeſo fuerit corpore [c], vti ſolebant eſſe, qui ex Epicuri grege, male intellectis magiſtri ſui verbis, omnia ad voluptates traducere, inque ventris ac gutturis deliciis ſummum bonum quaerere, ac ſaepe pecorum more viuere ſolebant. Quam lectionis explicationem etiam B. GESNERVS ratam habuit, ita tamen, vt tum ad obeſum corporis habitum, tum ad ſcomma in Epicureos conjectum alluſerit Horatius, quod in vſu iam tunc fuiſſe, ex oratione CICERONIS in *Piſonem* [d] conſtat, quem ex hara productum, non ex ſchola Epicuri,

a) Ien. 1764.
b) §. 4. p. 10 ſeqq.
c) Legenda de habitu corporis Horatii obeſo iucunda epiſtola Auguſti imperatoris, quam ſeruauit SVETONIVS in eius vita, quem ad locum GESNERVS noſter videndus.
d) cap. 16.

Epicuri, appellat. Alia ex eodem poëta loca facile colligi poſſunt, quae Epicureas ſententias ſpirant, maxime, vbi prouidentiam Deorum ſugillat[e], vt alia taceamus. Quae eum vel ludendi et iocandi, vel illudendi tantum cauſſa, ſcripſiſſe, et inſulſas Epicureorum ſententias deridendas propinauiſſe, quod vult FRID. RAPPOLDVS [f], vix perſuaderi poteſt. Stoicam vero ſeueritatem et rigorem illi in ſenectute placuiſſe, multis locis prodidit, in quibus decreta Stoicorum inculcauit, quorum ſpecimina pluſcula exhibet laudata diſſertatio [g].

e) vid. L. I. ſat. 5. v. 100. L. I. od. 22.
f) Comm. in Horat. p. 348.
g) §. 8 ſeq. p. 22 ſeqq. c. 9. de ſapiente perfecto p. 25. de imperfecto p. 26. de vero et decoro p. 28. de anima diuinae aurae parte p. 30. de finibus p. 34. etc.

AD CAP. II. SECT. II.

DE PHILOSOPHIA PYTHAGOREA.

pag. 99. lin. 20.

Quo magis illa non viris tantum doctis omnibus, ſed et philoſophis ſpeciatim fauebat. Omitti non debet in hiſtoria philoſophica Sec. II. et III. poſt C. N. Iuliae Domnae, vxoris Seueri imperatoris memoria, eo quod non tantum viros doctos, qui philoſophiae ſtudium tunc profitebantur, ſuo apud coniugem auguſtum patrocinio fouit et protexit, ſed ipſa quoque philoſophiae, et mathematicarum artium myſteriis, ita innutrita fuit, vt in veterum memoriis de rebus imperatorum hoc quoque nomine valde commendaretur. DIO enim CASSIVS [a], eam, ait, *coepiſſe philoſophari totosque dies cum ſophiſtis tranſigere*, PHILOSTRATVS autem, qui valde gratioſus apud eam fuit [b], vitamque Apollonii ei dedicauit, eamque Iuliam *philoſopham* [c] nuncupat [d], applicuiſſe ſe geometris atque philoſophis hosque Imperatori commendauiſſe, et muneribus auxiſſe, narrat; eius exemplum Philiſcum ſophiſtam adducit, Athenienſi throno, id eſt, cathedrae philoſophicae admotum. Qualem autem philoſophiam adamauerit Auguſta coniux, id ex hoc eius ſtudio concludi poteſt, quo Apollonii vitam ſophiſtica eloquentia enarrandam commendauit Philoſtrato, qui egregie eius voluntatem eſt exſecutus, qua huius generis philoſophos, qualis Apol-

a) Lib. XXV. in fin.
b) Vid. vit. Apollonii Lib. I. c. 3. p. 5. ed. Olear.
c) In vitis Sophiſt. Lib. II. in Philiſco c. 30. pag. 622.
d) Legerunt quidem editi codices ὁ τῷ φιλοσόφῳ παῖς, vbi de Antonino Caracalla ſermo eſt, ſed refragari hanc lectionem temporibus et hiſtoriae, dudum viderunt viri docti, Ios. SCALIGER ad Euſeb. p. 231. qui pro φιλοσόφῳ, legendum eſſe Σεβήρῳ audaci coniectura putat; meliori REINESIVS var. lect. L. II. c. 12. et LE MOYNE prol. in Var. ſacra, qui pro τῷ, τῆς φιλοσόφου legi debere, iudicant, quos ſecuti ſunt in hac lectione amplectenda SALMASIVS ad Spart. Seuerum c. 18. MENAGIVS hiſt. mul. philoſ. c. 16. p. 489. OLEARIVS ad l. c. Philoſtr. p. 622. not. 8. Qui commode monet, mulieres eiusmodi eruditas et πεπαιδευμένας ſtudiis innutritas, vocatas eſſe philoſophas, vt ex LVCIANO de merc. conductis conitat.

Digitized by Google

Apollonius fuit, orbis obtrudere venerationi cupiebat. Quem quidem fructum fuiſſe inſignis eius, quo mathematicos, aſtrologos, hariolos, huiusque commatis philoſophos alios proſequebatur, affectus, non eſt dubitandum, cum hos auguſtales honores ei praedixiſſe et Seueri connubium procurauiſſe crederet: vnde non errant, qui eas ſuo modo atque ſenſu inter mulieres Pythagoreas [e] numerant. De reliquis vitae et hiſtoriae eius circumſtantiis, quae eius memoriam poſteritatis obliuioni eripuerunt, ex ſcriptoribus hiſtoriae Auguſtae vitam illius iucunda enarratione expoſuit, *Auguſtarum hiſtoriae* ſcriptor Gallus, DE SERVIES [f], qui ipſe plura de hac illuſtriſſima muliere philoſopha, noſcendi auido eſt adeundus.

pag. 100. lin. 4. a fin. *Infra nominandi.* Inter ſcriptores de Apollonio, eodem, quo Hierocles olim, ſcopo, nempe premendae ex obliquo Chriſtianae religionis ad vertendam ex Graeco ſermone in Anglicum Apollonii vitam a Philoſtrato ſcriptam eamque cum annotationibus philologicis editioni parandam ſe accinxit CAROLVS BLOVNT, cuius verſionis ſuis animaduerſionibus incruſtatae *libros duos priores* edidit *anno* cIↃIↃCLXXX. [g]. Qui tamen cum nec ſobrie, nec ſolide in eo labore eſſet verſatus, et inepte multoties cauſſam Apollonii iuuare, rem autem ciuitatis Chriſtianae prodere, plerisque videretur, non multas tantum confodientium oppugnationes et indignationes expertus, ſed ipſa quoque laboris iſtius continuatio ſuppreſſa eſt. Quod publica quidem auctoritate ob indignitatem rei eueniſſe putat P. BAYLE [h], negat autem *biographia Britannica* [i]. Occaſio autem inde enata eſt, vitam Apollonii critice a TILLEMONTIO inter *biographias imperatorum* exhibitam in Anglicum ſermonem transferendi, et annotationibus atque obſeruationibus, quae ROBERTO IENKINSIO debentur, illuſtrandi, HVMFREDVS PRIDEAVX vero, iſti impudentiae Blountii *vitam Apollonii critico examine expenſam* oppoſuit, et IOANNES BRADLEY quoque eius impietatem, quam vbique ſcriptor ſuſpectiſſimus ſparſerat, et in Apollonii quoque vita prodiderat, repreſſit. Quae vero circa ſuperioris ſeculi initia prodiit Gallica vitae Apollonii verſio [k], nudam Philoſtratei operis interpretationem exhibet. Tillemontianam narrationem ſuis commentariis inſeruerunt *hiſtoriae vniuerſalis auctores Britanni* [l]. Nos, cum noſtra intereſſet, ex ipſis fontibus bibere, ipſum Philoſtratum legimus, excuſſimus, probauimus, quibus, quae magnopere addamus, non habemus, eaque ſatis luculenter ſcripta eſſe, iudicauit BAVMGARTENIVS [m].

pag.

e) Inter incertae ſectae philoſophas Iuliam retulit MENAGIVS, quam Pythagoreis propter allatam rationem recte adieciſſet.

f) Les femmes de douze Ceſars T. III. claudit elegantem librum Iuliae Domnae hiſtoria.

g) Fol. min. Auctor tandem αὐτόχειρ.

h) Dict. art. Apollonius, p. 268. not. u.

i) Vol. II. p. 837.

k) Par Blaiſe de Vigenere avec les Commentaires d'Artus Thomas Sieur d'Ambtis.

l) T. XIII. §. 248 ſeq. p. 209 ſeq.

m) Ad l. c. Hiſt. vniu. n. 241.

pag. 108. lin. 8. *Mendacia itaque esse oportet.* Attentum hic volumus lectorem ad hanc mentiendi audaciam, quam non scriptorum tantum veterum silentium in aperto ponit, sed, quod ipsius quoque auctoris, vel Damidis, vel, quod magis verisimile nobis videtur, Philostrati characterem prodit, quem praeter mendacii turpitudinem impudentiae perfrictae frontis in re tam manifesta aliis huius furfuris hominibus praefert. Ad quem hoc loco detegendum sufficit monuisse, nullibi eum apertius prodidisse, se, rhetorum more, fabulam veterem exornare voluisse, quamuis id cum insigni veritatis detrimento, et infami fingendi licentia fieret, quam hoc loco. Cogitare iubemus lectorem ipsius Apollonii, et tum Damidis, tandem Philostrati, et, quae ἐργοδιώκτην se praebebat, Iuliae Dominae characterem, mores, circumstantias, vt manibus palpet delirorum hominum insaniam, qui id studio egisse videntur, vt omnis, non veritatis modo, sed et verisimilitudinis vmbra ex hac impudentissima fabula absit. Plura sine dubio nostra perlegenti lectori ipsa succurrent. Monuere id ex parte biographi recentiores Apollonii, et imprimis B. Bavmgartenivs [n].

pag. 145. lin. 4. *An mentiendi peritia magis sit miranda.* Non obiici possunt imagines telesticae, ad quarum mirandos effectus suo adhuc tempore editos prouocare Cedrenum, Anastasium aliosque, supra [o] obseruauimus. Quamuis enim praefracte negare velimus, eiusmodi talismanes et amuleta, vel effinxisse Apollonium, vel illi tamen apud Graecos tributa esse, plurimumque virtutis illis plebem adscripsisse, quorum illud professio Apollonii magica suadet, hoc Graecorum testimonia innuunt: notum tamen est, et ex historia eclecticorum infra danda constabit, hos homines impostores talia saepenumero conflasse, et imperitae plebi, ac superstitioso cuique ita imposuisse. Qualia, vt auctoritatem acciperent, Apollonio auctore ea fabrefacta eos dixisse, et ex hoc genere imagines Byzantinas et Antiochenas fuisse, est verisimillimum; scriptorum autem adductorum, hominum Graeca fide famosorum testimonium non sufficit ad probandam earum vim magicam, qui, quam anili superstitione plebeculae fabulas saepe ratas habuerint, haud vno exemplo demonstrauerunt. Valde iuuat hanc coniecturam Moshemiana obseruatio [p], nihil legi apud scriptores coaeuos, quod Apollonius huiusmodi imagines Byzantii conflauerit, tacere ipsum Philostratum atque Hieroclem, non praetermissuros, si suo tempore extitissent, nec esse narrationes de iis seculo V. vel VI. antiquiores, primosque inter earum auctores esse Malalam, conditorem *chronici Alexandrini.* Haec enim satis euincunt, non Graecae modo fidei, sed et Aegyptiacae, id est, philosophorum Alexandrinorum totam fabulam deberi.

pag.

n) In Comp. H. E. T. I. §. 95. p. 432 seqq.
o) pag. 136. not. k.
p) Bibl. Brem. Class. III. Fasc. I. no. 1.

Digitized by Google

pag. 159. not. u. lin. vlt. *Ferri altercationem Hadriani et Epicteti infra referemus.* Dedit ad Cl. Nagelium profeſſorem Altdorfinum luculentam de Hadriani imperatoris eruditione epiſtolam V. C. Io. Conr. Fevrlinvs; miramur tamen, has eum concertationes imperatoris cum philoſophis vix extremis digitis tetigiſſe, cum in iis tamen potiſſimum eminere cuperet Hadrianus, et ne altercationis quidem cum Secundo, et Epicteto meminiſſe. Quanquam enim in eadem adhuc ſumus ſententia, vel ſuppoſitionis, vel interpolationis ſaltem ſuſpectas eſſe, quas hodie legimus altercationes Hadriani cum Secundo et Epicteto, et acumen quoque ſophiſticum huic ſeculo proprium, ei, qui naſum habet, facile prodere, in qua ſchola nata ſint, cui philoſophiae generi originem debeant; recte tamen ex iis concludimus, Hadrianum imperatorem non has quidem, at ſimiles tamen quaeſtiones philoſophis ſoluendas propoſuiſſe, rectequeinde conici poſſe, quales illae fuerint, ad quarum imitationem ſophiſtarum genus ingenii vires exercuerunt, et definiri poſſe indolem imperatoris, quem ob oculos habuiſſe harum altercationum architectos, eſt euidentiſſimum. Quo ipſo tamen non negamus ſequiorum temporum acumina in illis augendis et ornandis fuiſſe valde ſedula, id quod attenta earum conſideratio illis, qui naſum habent, facile poteſt manifeſtare. Exemplum iucundum ſi deſiderat lector, reſponſionem legat, ad quaeſtionem octauam, quid eſt mulier?

AD CAP. II. SECT. III.

DE PHILOSOPHIS PLATONICIS.

pag. 164. not. l.

IDEM in Suet. c. 14. Corrigendum ſphalma et ponendum pro Sueton. 14. in *Tiberio* c. 14. vbi ea narrantur, quae hic collata cum Tacito, ſunt expoſita. In quo Suetonii loco illud imprimis notandum, quod Thraſyllus non curioſarum artium, ſed mathematicarum, et profeſſoris ſapientiae nomine in contubernium adſcitus dicitur: ex quo colligi poteſt, quanquam artes magicas inuiſas haberet Tiberius, princeps ſuſpicionibus deditiſſimus, *μαντικὴν* tamen ex aſtrologiae praeceptis deriuatam magni feciſſe, donec et aſtrologiae quoque diuinatricis periti tanquam genus fallax et dominantibus infidum, odio principum eſt expoſitum. Quo pacto autem ancipiti diuinationis periculo Caeſaris fiduciam Thraſyllus meruerit, apud Tacitvm [a] meretur legi, isque ipſe de his praeſagiis audiri: Eodem teſte filium quoque Thraſyllus habuit, qui Neroni imperium praedixit. Naturalis quoque hiſtoriae et artis ſalutaris peritus

a) Ann. L. VI. c. 20. et Caſaub. ad h. l.

tus fuit, nisi alius est Thrasyllus laudatus a PLINIO [b]; Mendesium Thrasyllum libri *de lapidibus* auctorem a PLVTARCHO [c] memoratum putat VOSSIVS [d], qui tamen mox incertus haeret, an Thrasyllus haud vno loco a Plinio memoratus, idem sit cum mathematico, a quo distinguere quoque videtur FABRICIVS [e]. De qua ne in nominis huius homonymia nihil certi dici potest.

pag. 168. not. y. col. 2. lin. vlt. Comparanda cum his V. C. Io. CONRADI FEVRLINI erudita epistola *de Hadriani imperatoris eruditione* [f].

p. 173. lin. 30. 31. *Vel vna eius metamorphosis, et eius imprimis epilogus luculenter suadent.* De scopo elegantissimae fabulae Milesiae, de Lucio artibus magicis in asinum commutato, vt, non nisi coniecturis aliquid, quod verisimilitudinem habeat, decerni potest, ita mirum non est, varium quoque fuisse virorum doctorum iudicium [g]; et visum quidem nonnullis ad tuendum philosophiae theurgicae honorem (cui se iuuenis adeo addixerat, vt sacra quoque arcana atque mysteria pleraque exploraret) et vindicandam a magorum, goëtarum et similium hominum, propter imposturas, praestigiasque infamia, iucundissimam istam narrationem scripsisse, eamque propalasse, vt ostenderet, quam longe ab hac impostura sapientiae theurgicae cultores absint, et meliori ordine modoque animum his prius sordibus inquinatum purgent. Quo fine lepidam fabulam, vel a Lucio Patrensi, vel a LVCIANO [h] (vterque enim, ante Apuleium eam conscripserat) mutuum sumsisse magnaque arte et ingenio auxisse, ornasse et philosophicis dissertationibus comsisse, facile nobis persuadet apologia eius, quam, vt magnam pro tuendo magiae diuinioris atque purioris honore et innocentia ardorem spirat, ita ad deprecandam hominum impostorum, qui per totum orbem Sec. I. et II. vagabantur, inuidiam et accusationem scriptam esse, manifestum est. Quem quidem scopum non se melius obtinere posse iudicauit Madaurensis philosophus, quam, si notam dudum et iucundam fabulam [i] de Lucio in asinum commutato, ita istorum nebulonum artibus accommodaret, vt, quam longe illi a sublimiori et sacra philosophia ista, quam amplectebantur, Platonici eius temporis, abessent, et ab his ipsis contemnerentur, in pudorem acti et inter ridendas fabulas relatis nugis eorum, constare posset. Quo pacto promittere sibi facile poterat scriptor eruditissimus, fore, vt, qui magiae accusatione philosophos premerent, id quod ipsi Apuleio accidit, occasione destituerentur, in hos philosophos accusationibus et obtrectationibus debacchandi, quos ipsos videbant, ludicras et ridendas fabulas exagitare [k]. Quo sensu recte subscribere possumus iudicio CASP. BARTHII [l], quod FABRI-

b) L. XXX. c. 5. et alibi.
c) De flumin.
d) De hist. Gr. L. IV. c. 16. p. 479.
e) Bibl. Gr. Vol. XIII.
f) Edita Altd. 1744.
g) Vid. PHOTIVS Cod. 129. p. 165. ed. Hoesch.
h) T. III. Opp. ed. Cogn. p. 339 seq.
i) Aurea dicitur, et asinus aureus, ob elegantiam et concinnitatem fabulae, quod tamen nomen iam ante Apuleium accepisse, nobis est verisimile.
k) Vide locum ex apologia not. n. pag. 173. adductum.
l) Aduers. L. 51. c. 11.

Digitized by Google

FABRICIVS [l] quoque ratum habuit: *totam hanc metamorphoſin Apuleianam et ſtilo et ſententia eſſe ſatyricon perpetuum, in quo magica deliria, ſacrificulorum ſcelera, adulterorum crimina, furum et latronum impunitae factiones palam differantur.* Quo tamen non negatur, non abeſſe a veriſimili, qui oſtentandae quoque eloquentiae, ingenii, variaeque atque elegantis doctrinae, quae vbique in hac fabula Mileſia regnat, cauſſa Apuleium hanc Lucianam fabulam nouo ornatu induiſſe, coniiciunt. Alium autem ſcriptionis huius finem ſibi detexiſſe viſus eſt vir doctiſſimus GVIL. WARBVRTONVS [m], qui, id egiſſe in hac fabula adornanda Apuleium, coniicit, vt pro myſteriis Deorum eorumque auctoritate et opinione theurgica apologiam contra obiectiones et impugnationes Chriſtianorum ſcriberet, et exemplo luculento luuenis laſciui et ad propudioſas libidines ſeducti, ſed myſteriorum diuinorum applicatione et purgatione ad ſanam mentem reuocati oſtenderet, quantum virtutis iſtis ſacris diſciplinis ad emendandum animum ineſſet, et quam recte illi, maxime inter Chriſtianos iniuriae poſtulentur, qui haec ſacra in contemtum adducant, et opprobriis cumulent. Vnde inter aduerſarios, qui Chriſtianam religionem aſtu et callido conſilio ſubuertere eo tempore ſtudebant, Apuleium referre nullus dubitat. Quam ſententiam ſuam ex eo quoque veriſimiliorem reddere ſatagit, quod putat, Licinium Aemilianum, qui Apuleium apud Africae proconſulem magiae accuſauerat, Chriſtianum fuiſſe, qui ad ſcribendam hanc apologiam et commendanda ſacra arcana, qualia fuere Eleuſinia, et deprimendam Chriſtianae fidei gloriam, iſtam fabulae conſcribendae occaſionem ſuppeditauerit. Cui coniecturae ſubſcribunt *auctores hiſtoriae vniuerſalis Britanni* [n], dubitant autem MOSHEMIVS [o] et BAVMGARTENIVS [p] τῶν ἐν ἀγγλοις, quorum ille monet, nihil afferri pro iſta coniectura, quod difficulter in aliam partem accipi poſſit, hic, ſpecie magis et colore, quam ſoliditate ſe commendare iudicat, vixque vlla veriſimilitudine licere eam tueri, eo quod non ipſe Apuleius huius fabulae Mileſiae auctor ſit, ſed dudum ea auctore, vel Lucio Patrenſi, vel Luciano ſit edita, quibus, quod ad hunc myſteriorum finem reſpexerint, et ad eum obtinendum laſciuae fabulae commentum adhibuerint, tribui non poſſit. Quae non ſine ratione monerī, fatendum eſt, aſt temperari tamen ex iis poſſunt, quae ſupra de generali Apuleii ſcopo in hoc libello coniecimus. Sed coniecturarum ſatis eſt.

pag. 179. lin. 9. *Haud raro ſectarum mentem peruertit.* Innumera debet Plutarcho hiſtoria philoſophica, qui tot libros veteres legit, excerpſit, eorumque obſeruationes annotauit, qui hodie deperditi ſunt, fruſtraque deſiderantur. Vnde multoties ad eius fidem et narrationem recurre-

l) Bibl. Lat. T. I. p. 35.
m) Demonſtr. diuinae legat. Moſis T. II. p. 117. n) T. XIII. c. 21. p. 407. verſ. Germ. et annot. h. l. p. 411.
o) Hiſt. Chriſt. ante Conſtantin. M. Sec. III. §. 21. p. 563.
p) Ad l. c. Hiſt. vniu. not. 392.

currere, Ipſi quoque in hoc noſtro opere coacti ſumus. Attamen negare hanc, quam appoſuimus cenſuram et reuocare non poſſumus; adeo in veteris philoſophiae hiſtoria multoties ceſpitat, multa doctrinae cauſſa fingit, et imprimis in barbaricae philoſophiae hiſtoria, multoties in gratiam Graecae theologiae et philoſophiae ſequius multa explicat, ſuoque magis ingenio obtemperat, quam accurato rerum iudicio, vt magna attentione opus ſit, ſi cum fructu libri Plutarchi, cetera doctiſſimi et multi lugae eruditionis atque πολυϊστορίας copia inſtructiſſimi, in philoſophica hiſtoria legendi ſunt. Itaque ſemper examine opus eſt, et adhibendum criticum iudicium, comparandus Plutarchus cum ſcriptoribus aliis, fontes, quos ſequitur, examinandi, et ſi ſolus refert, ſub conditione fidei eius, quantum meretur, illi acquieſcendum. Ex hac obſeruatione ſupplenda ſunt, quae in prolegomenis [q] parce nimis de Plutarcho in H. Ph. in partes aduocando diximus.

Ibid. lin. 21. *Cum intra mediocritatis limites eius philoſophia conſiſtat.* Hoc in homine ſolam lectionis varietatem et eruditionem ſectante, et inter omnes quidem veteris philoſophiae hortos, velut apis, diffuſo, mella tamen iuſto ordine exſugere non multum edocto, et, quod veriſimile eſt, nunquam de certo ſyſtemate philoſophiae ſollicito mirandum non eſt, nec in his quidem eam immodicam laudem poſcit, quam illi tot viri docti paſſim non ſine veteris literaturae inuidia tribuunt. Et videri quidem voluit in ciuili philoſophia aliis praeſtitiſſe et ſapientiae politicae praeclaras inſtitutiones dediſſe: at recte viris doctis [r] obſeruatum, παραγγέλματα magis popularia eum attuliſſe, nec vero ἐπιστημονικά; nempe, vt ſolent ſcriptores, qui amant multa, quae non ſine fructu dicuntur, corradere, quam ex certis principiis, doctrinae aedificium, quod iuſto ordine cohaereat, exſtruere. Quod forte inde deriuandum eſt, quod SCALIGER [s] monuit, quod aulicis illa ſcripſerit, non vero doctis, quapropter ex parte tantum ſubſcribi poteſt NAVDAEI [t] iudicio, praecepta eius politica eſſe ſedatae et compoſitae doctrinae, vt genium auctoris grauiſſimo iudicio ac moderatione temperatum prae ſe ferat.

Ibid. lin. penult. *Apuleium etiam maternae originis fundamenta Plutarcho prodita.* Ita quidem plerique, et inter eos quoque *hiſtoriae vniuerſalis ſcriptores Britanni* [u], ſed, nec ex iſto Apuleii loco id non recte probari poſſe, nec cum temporum rationibus conſiſtere, annotauit BAVMGARTENIVS [x].

pag. 183. lin. 4. *Pugnauit PETR. BAYLE.* Alio argumento impietatis ſuſpicione premit Plutarchum CVDWORTHVS [y], eo quod duplex principium, Deum atque animam rationis expertem ſiue daemonem ex infinito

q) pag. 32.
r) Conf. STRVVII bibl. phil. P. II. c. 21. §. 32. p. 149. et KAHLIVS ad h. l.
s) THOMASII Orat. acad. p. 430. Scaligeriana p. 49. conf. infra notata.
t) Bibliograph. polit.
u) T. XIII. p. 410. ed. Germ.
x) Ad h. l. p. 412.
y) Syſtem. intellect. c. 4. p. 586 ſeq.

Digitized by Google

Infinito tempore exiſtentem, vnde omnis ad homines fluxiſſet malitia atque proteruitas, tanquam principia duo coaeterna ponit. Veremur tamen, vt hoc rigido iure Plutarcho cetera ſobrie de Deo philoſophanti poſſit tribui. Quanquam enim paſſim, maxime in libro *de Coſmogonia ſecundum Timaeum* talia dixerit, hoc tamen eum hiſtorice dicere, et ex mente Timaei Platonici, apertum eſt. Ipſe, vt erat in multis incertus, et ideo ſcepticiſmo plerumque fauebat, iudicium huic quaeſtioni non interpoſuit. Quae annon melius propiusque ſcopum feriant, quam, quae cl. GERDILIVS [z] pro Plutarcho a contradictionis obiectione, quam ei P. Bayle intentauerat, liberando, acute et erudite, aſt ſuo, niſi fallimur, ingenio, ſubtilius excogitata attulit, viderint, quorum intereſt, in haec ſpecialius inquirere.

pag. 184. not. h. lin. 7. *Eius vitam praefixit.* Meruit quoque de Galeni hiſtoria cl. ACKERVS, qui eius libro de *affectuum cognitione* eius vitam praemiſit [a].

pag. 188. lin. 10. *De vſu partium libro.* Elegantiſſimum pro recta Galeni ſententia de Deo locum ex hoc libro [b] attulit RAD. CVDWORTHVS [c], qui totus legi meretur, vt ex eo pateſcat, non poſſe Galenum inter numinis hoſtes referri, quamuis nonnullas in libris ſuis doctrinas diſſeminauerit, quae non apte ſatis cum caſta Dei notitia cohaereant: id quod exploratori magis opinionis ſectarum, quam ſectatori earum ſententiarum accidiſſe, iudicari debet. Maxime vero ferri vix poteſt, inter Epicureos diuinae prouidentiae aduerſarios, eum a nonnemine [d] fuiſſe relatum, cum vix validius telum contra illam ſcabiem ſit, quam finium conſideratio, quam adeo apto ordine inſtruxit Galenus. Quare recte pronuntiauit Is. CASAVBONVS [e]: *Galenum vocari ἄθεον miror, virum tam aſſiduum in ſapientia Dei depraedicanda. Ego illum eo maxime nomine dignum laude et aeterna praedicatione ſemper iudicaui.* Cui iudicio ſubſcripſere quoque MORHOFIVS [f] et alii [g].

z) Introd. in ſtud. relig. p. 214 ſeqq.
a) Rudolſtad. 1715.
b) c. 10. T. X. Opp. p. 402.
c) Syſtem. intellect. c. 4. p. 525.
d) Auctori not. in L. ABBADIE librum de V. R. C. P. I. c. 6. p. 84.
e) Ep. 258.
f) Polyhiſt. L. I. c. 8.
g) Obſ. Hal. T. VIII. obſ. 10. p. 312. REIMANNVS l. c. p. 240.

AD

AD CAP. II. SECT. IV.

DE SECTA ECLECTICA.

pag. 190. not. c. lin. vlt.

Vol. I. diſſ. H. E. Dolemus valde, virum ſummum et in his literis egregie verſatum, dum viueret, poſt hanc noſtram eclecticae philoſophiae hiſtoriam, variarum obſeruationum ſyluam, quam ſe dare poſſe indicat, nobis inuidiſſe. Nemo enim aptior huic hiſtoriae cum iudicio explicandae, erat, hoc viro nunc *ἐν ἁγίοις* triumphante. Certe noſtra talia non ſunt, vt non multum ſuis ea iuuare potuiſſet, quamuis id neget [a]. Ea tamen, quae poſtea in hiſt. Chriſtiana ante Conſtantinum M. aliquot locis attulit, lectori non inuidebimus, lucemque accendere, amplius huic argumento conabimur.

pag. 191. lin. 6. *Inque his Perſae terram hanc inuaſiſſent.* Legenda hic et repetenda ſunt, quae ad *Tomi I. p. 289 et ſeqq.* diximus. Certe Perſarum occupatione et inuaſione Aegypti factum eſſe, vt ſyſtema emanatiuum, quod antiquiſſimis Aegypti populis placuerat, ad dualiſtici modum methodo Zoroaſtriana accommodaretur, ſuo loco veriſimili coniectura confecimus: multo plura autem auſos eſſe Graecos, cum Aegypti monarchia ſub ſceptro Graeco, et Ptolemaeorum imperio gemeret, multoties in hiſtoria Aegypti annotauimus, et a Graecis corrupta eſſe Aegyptica plurima, luculentis quoque teſtimoniis confecit doctiſſimus IABLONSKIVS [b]. Quae certa atque indubitata aera eſt, a qua theologiae et philoſophiae Aegyptiacae mutatio debet deriuari. Ad hoc vero tempus aſcendendum, et eius circumſtantiae ſollicite expendendae ſunt, ſi philoſophiae eclecticae, quam ob hanc originem atque ſedem, plaudentibus viris doctiſſimis, Alexandrinam vocauimus, ſcaturigines ſunt detegendae. Quibus ſuſpiciones et diſtinctiunculas opponere, ad veterum doctorum virorum excuſationes pingendas, recta via videtur, ad hiſtoricae fidei corrumpendae audaciam, et ſcepticiſmum hiſtoricum muniendum. Quae hic obiter notamus, ne iis, quae viri quidam eruditi ad tuendam eccleſiae doctorum nonnullorum, qui in Alexandrina ſchola atque philoſophia educati ſunt, auctoritatem attulerunt, vt ſunt erudita et ingenioſa, ita fundamento et veritate carent, nos decipi patiamur.

Ibid. lin. 33. *Nouum philoſophiae orientalis genus, quod ex Zoroaſtris diſciplina ceu ex fonte emanaſſe infra dicemus.* Recurrendum hoc quoque loco eſt ad ea, quae ad Tomum primum de Perſarum atque orientalium doctrina diximus, et olim allata ſuppleuimus, quaeque infra ea de re adducentur. Nos hoc loco id imprimis annotamus, quando de diſciplina philo-

a) App. ad Vol. I. diſſ. H. E. p. 753.
b) Pantheon Aegypt. Tom. I. p. 49. 139. 142. T. III. p. 42 ſeq. et paſſim.

Digitized by Google

philoſophiae Orientalis differimus, hancque appellationem perſpicuitatis cauſſa adhibemus, nos nullam aliam, quam propagines ſyſtematis Zoroaſtrei intelligere, variis modis in Oriente pictas, efformatas, mutatas comtasque et in Aegyptum traductas. Quod, vt ex diligenti comparatione dogmatum inter ſe patebit, ita obiectioni occurret, quam viri quidam docti huic hiſtoriae philoſophicae particulae opponunt, ignorare veteris Graeciae hiſtoriam iſtam diſciplinam orientalem et ignotum hoc illis nomen eſſe, quod obieciſſe nobis in literis olim cel. PFAFFIVM, iſtamque philoſophiam Orientalem foetum eſſe vel noſtri vel Moshemiani ingenii veteribus ignotum, contendiſſe meminimus. Dicemus eo de nomine infra; hoc loco ſuffecerit annotaſſe, Zoroaſtream, Chaldaicam, Hermeticam, exque his conflatam philoſophiam nobis iſto nomine deſignari, quam in oriente ante tempora nati Saluatoris et circa iſtam aetatem viguiſſe viri illi docti ipſi non negant. Quos faciles debere eſſe in nomine ſi res ipſa conſentiat, nemo inficiabitur, qui perſpicuitatis in hac hiſtoriae criticae parte curam habendam eſſe cogitauerit. Vt itaque Alexandrinae philoſophiae atque ſectae nomen non refugimus, quamuis, re magis, quam nomine veteribus notum, ita Orientalem philoſophiam hoc ſenſu dicimus, euidentiae cauſſa, etiamſi abeſſet vſus et appellatio veterum, cuius tamen exempla infra allegabimus. Quae in limine huius tractationis de ſecta eclectica non negligenda, ſed probe ponderanda ſunt.

pag. 192. lin. 25. *Exorientis ſolis inſtar, reliqua lumina extingueret, labaſcere valde coepit, vt gentilis ommis ita Aegyptiorum quoque ſuperſtitio.* Diligenter ad hunc fontem exſurgentis nouae ſuperſtitionis Alexandrinae, quam eclecticam vocauimus, attendendum eſt, resque ab ouo repetenda. Nempe non in ſacra tantum Aegyptiaca, ſed ipſum quoque cultum publicum et ſacerdotia inuolaſſe, et aliis quidem ſuisque coloribus ea pinxiſſe, ſibique regum, origine Graecorum fauore atque beneuolentia adiutis vindicaſſe, eaque inuolaſſe Graecos, ex hiſtoria Aegyptiaca ſupra ex parte tacta, repetendum eſt. Ex quo euenit, vt homines, maxime Pythagorico-Platonici, qui diuinius philoſophari credebantur, publicam quandam religionis cuſtodiam ſibi vindicarent, et, vt rem Graecis auxiliis communirent, rationibusque philoſophicis, ſyncretiſtica methodo ornarent, id quod annales religionis publicae ſatis luculenter teſtantur. Hos autem homines, quod aperta veritate non poterant, mendaciis fraudibusque effeciſſe, vt ſuperſtitionis late patentis latifundia confirmarentur, eius temporis hiſtoria loquitur. Enatum inde ingens ſacerdotum philoſophiam diuiniorem crepantium agmen, impoſtura, fraude, enthuſiaſmo omnia commiſcens, quod pro iſtis aris focisque ſtrenue pugnabat, et rem ſuam, qua diteſcere, et opinionem ſanctitatis atque eruditionis, tum apud vulgus, tum apud reges, eorumque amicos, regnorumque proceres ſe tueri poſſe videbat, omnibus auxiliis iuuare ſatagebat. Eos vero, vt exorientes diuinae religionis Chriſtianae radii, ex latebris

protrahebant, ita res eorum et consilia confundebant, auctoritatem conculcabant, omniumque contemtui exponebant, sicque homines illos diuiniores, quales Platonici, maxime in Aegypto videri volebant, reditibus, diuitiis, gloria priuandos publico examini sistebant. Nec hic malorum finis, sed publica quoque superstitio, templa, cultusque idololatricus, et quae illum sustinebat philosophia diuinior, tandem euilescebat. Quod tanta veritatis Christianae victoria, tanta tenebrarum gentilium confusione factum est [c], vt et reges atque imperatores, et ipsi quoque populi, et imprimis plebis pro religione Christiana fauor tandem ad diruenda et euertenda templa, eliciendum ordinem sacerdotum, exscindendas superstitionis propagines progrederetur, et imprimis horum hominum auctoritas pedibus quasi conculcaretur; id quod ecclesiae Christianae historia luculentis exemplis testatur, et ipsi hi homines non sine indignatione fassi sunt [d]. Talia cum Sec. I. II. III. IV. euenirent, quid mirum, omnes ingenii artes, impostura, mendaciorum et reliqua fraudis remedia adhibuisse hos homines, quorum primaria sedes erat Alexandria, vt rem suam fulcirent. Qui quam ideo consiliorum rationem inierint, nec sane frustra rei perditae succurrere conati sint, cognoscere, magnum et memorabile argumentum atque caput historiae, tum sacrae, tum philosophicae esse, quilibet, qui rem ponderat, intelliget, verasque et arcanas origines philosophiae inde eruet, et cum attentione et sine praeiudicio rem omnem examinabit.

pag. 203. lin. 20. *Omittendus plane est in tenebris suis Potamon.* Fassus est B. Mosheimvs [e], rationes a nobis de Potamone adductas, quos accurate rem expendisse, et ingeniose diiudicasse, qua erat humanitate, scribit, „nondum tamen penitus sibi persuasisse, vt credat: sed fatendum tamen „ait, tantum sibi otii nondum fuisse datum, vt in vim argumentorum at„tentissime inquirere potuerit. Mittere itaque se hanc quaestionem et „causae totius cognoscendae cupidos monere tantum, vt nostras ratio„nes audiant, et deinceps, cui parti adsentiri velint, constituant. Suum „et illum fore, qui se deferendum sibi esse iudicauerit, modo bonas et „solidas consilii sui rationes attulerit." Cui incomparabilis viri, cuius nec nominis nec virtutis gloriam vlla aetas extinguet, modestiae non habemus, quod adiiciamus, Lectoremque aequum iudicem poscimus, laeti, si quis certiora huic argumento lumina possit accendere.

pag. 206. not. n. *Malumus a Pantaeno, quam a Clemente talia accepisse Ammonium.* Monuit quidem IDEM vir beatus [f], posse se, si disputandi vreretur libidine, rationibus chronologicis a nobis adductis, opponere: aetatem Ammonii haud satis ab antiquis scriptoribus definitam esse, nec constare prorsus de tempore successionis scholae Alexandrinae praefectorum.

c) Dignus est, qui legatur Sozomenvs Hist. eccl. L. II. c. 5. p. 366 seqq.
d) Evnapivs in Aedesio p. 77.
e) App. ad diss. ad H. E. pertin. Vol. I. p. 754.
f) loc. cit.

Digitized by Googl

rum. Addit autem, nihil hoc referre ad rem, quam egerit, vtrum Pantaenus, an Clemens praeceptor Ammonii credatur: quare probabiliorem esse nostram opinionem, quo erat candore, confitebatur: et ad nostra qualiacunque, quae de Ammonio collegimus et illustrauimus, alio loco *f* lectores ablegauit. Difficilem vero esse Ammonii Saccae historiam, vel sola homonymia huius nominis euincit, quae facit, vt incertus lector haereat, quid saccario huic tribuendum sit, quid huius nominis aliis, vnde attentione et κρίσεως opus est, in consulendis veterum de eo narrationibus, nisi velimus in eius historia fluctuare, quod ipsi Moshemio, at, quanto in his literis viro! accidisse, curae eius posteriores infra adducendae docent.

pag. 210. lin. 18. *Ad religionem potius quandam mixtam, quam ipse commentus est, defeciſſe.* Habebamus hactenus consentientem B. MOSHEMIVM, a cuius aeque ac nostris, quas attulimus, rationibus de religione Ammonii publica, cur, instituto iterato examine, discedamus, nihil videmus, quod nos vrgeat. Ast vrgebant tamen aliae rationes illustre illud Academiae Iuliae sidus, vt postea, tum in annotationibus ad istam dissertationem *de turbata per recentiores Platonicos ecclesia*, licet timidiuscule, tum in *historiae Christianae ante Constantinum M.* praeclaro bonaeque frugis pleno opere, apertius a pristina sententia descisceret, anxieque rationes colligeret, quibus, qua erat incomparabili dicendi copia et facundia, lectori persuadere posset, publice nunquam totum et aperte a Christianae ciuitatis professione Ammonium defeciſſe. Cuius incomparabilis viri doctrinae memoria digna est, vt Φροντίδες posteriores quoque audiantur, et examinetur, vtrum, quod euenire haud raro posterioribus cogitationibus solet, meliores se probent. Quod, vbi deprendissemus, a nemine magis, quam Moshemio in his literis heroe vinci, docerique meliora, gauderemus. Adducemus itaque viri celeberrimi cogitationes, ast, quod in nostris quoque rectissime ipse fecit, examinabimus etiam et expendemus pondera. Et quod ad priores quidem obseruationes attinet, monet vir doctissimus, quo diutius intueatur Ammonium cum secta, quam peperit, eo certiorem fieri, hominem hunc, vt inter philosophos, ita etiam inter Christianos, et veteris religionis, quae plures colebat Deos, affectas concordiam molitum esse: non autem defeciſſe totum a sacris Christianis, nec ad Graecorum religionem totum transiisse, sed medium inter vtramque disciplinam haesisse, conciliatoris munere fungentem, animosque dissidentes coniungere cupientem. Ex eo vero ancipitem de religione hominis famam nasci potuisse, vt vtrique, tam Christiani, quam Deorum cultores eum sibi suisque partibus assererent: indeque causſam silentii, quam sectatoribus suis iniungebat, facile posse deriuari, nempe timuisse commune illorum fatum, qui sectarum et religionum certamina componere volunt, vt scilicet et Christianorum et

f) De reb. Christian. ante C. N. Sec. II. §. 27. p. 281. et Dissertt. ad H. E. pert. Vol. I. p. 754 seqq.

Antichriſtianorum animos accenderet, et infenſos ſibi redderet, quos tamen vtrosque ſibi amicos habere volebat. Magis ſe vero in hanc cogitationem ferri fatetur, recordantem vtriusque religionis iuuenes ei fingendos atque erudiendos ſe credidiſſe. Nam nec odium Chriſtianorum et hoſtium eorum tale inſtitutum paſſurum, niſi medius incederet, haberetque, quod vtraque pars laudaret, quamuis culparet nonnulla. Multo autem luculentius in altero loco [g] hanc quaeſtionem de religione Ammonii tractauit deſideratiſſimus Moshemius. Vrget illo loco I. quum ludum aperiret Alexandriae Ammonius, et diu poſtea, Chriſtianum adhuc ſine dubio fuiſſe: audiuiſſe enim eum per multos annos Origenem, Heraclem aliosque iuuenes Chriſtianos, quos eccleſiae Alexandrinae doctores, perfidum deſertorem religionis, magiſtrum ſibi adſciſcere nunquam paſſi fuiſſent, qui transfugas eiusmodi fugiendos eſſe tanquam peſtem, commendabant. Inde vero ſuſpectum fieri teſtimonium Porphyrii tradentis, ſimulatque per aetatem ſapere potuerit, et philoſophiae limen attingere, Chriſtiana ſacra Ammonium reliquiſſe: hoc enim ſine controuerſia falſum eſſe: II. Non neceſſe fuiſſe, vt Ammonius a Chriſtianis ſacris deficeret; cum Chriſtum tanquam virum diuinum probaret, et Chriſtianos tantum perperam eius dogmata interpretari cenſeret. Itaque inter Chriſtianos manere, atque Chriſtum colere, ſuo vero ex ſenſu Chriſtianam diſciplinam explicare potuiſſe, nam cultum Deorum non imperauiſſe, ſed contemtum tantum Deorum vetuiſſe, nec alium probauiſſe, quam iuſtum, quo, ablegato ad Deos inferiores ſiue genios populo, viri ſapientes purgatique animi facile poſſint ſuperſedere, cum largitores corporeorum bonorum, Deos inferiores ſecure poſſint negligere. III. Silentii ab eo diſcipulis imperati, cum cauſſa in dogmatibus, quae poſtea propalabant, nulla eſſet, quae vel inuidiam, vel periculum apud Dei cultores ei poſſet prouocare, verilimilem rationem eſſe, ne Chriſtiani, quos inter natus erat, et viuebat, eos reſciſcerent, ipſeque ſacrorum communione priuaretur. IV. Euſebii vero, et Hieronymi contentionem acriter negantium, Ammonium a Chriſtianis defeciſſe, tametſi erroris aliquid admittat, argumento tamen eſſe, Ignotam prorſus his viris rerum Chriſtianarum peritiſſimis, vt et aliis, defectionem hanc fuiſſe, qui tanti philoſophi lapſus memoriae hominum excidere non potuiſſet. Hactenus Moshemius, quem, quo erat ingenio foecundiſſimo, argumentorum aciem pro neganda deſertione C. R. Ammonii inſtruxiſſe, omnino fatendum eſt. Aſt et hoc fatendum nobis eſt, nihil nos videre, cur vel latum vnguem pedem a priſtina ſententia detrahamus, eo quod plus ingenii, quam veritatis iſtae rationes, cum aliqua induſtria excogitatae prae ſe ferunt. Et recte quidem ante omnia ſtatus quaeſtionis, quem vocant, explicandus eſt, qui non in eo vertitur, annon religionem henoticam et ſyncretiſticam inter Chriſtianos et gentiles paciſci volentem, et vtrique parti placere cupientem

g) loc. cit. p. 32a.

Digitized by Google

pientem Ammonius meditatus ſit et elegerit, ideoque ex hortis Chriſtianorum orthodoxis in ſenticeta ſua, paganiſmo ſqualentia deriuauerit, quantum vtrique parti placere poſſe iudicabat; in eo enim nulla inter vtramque partem diſſentientem diſcordia iſtorum ſyſtema eclecticum id aperte loquatur, cuius nos prolixam explicationem infra, quantum poteſt ſufficere, dedimus. Nec quaeſtio eſt, vtrum iam in clara luce et exiſtimatione poſitus Ammonius, ad cultum Deorum et religionem legibus imperatorum ſancitam et roboratam transfugerit, hoc enim, tantum abeſt, vt Porphyrius affirmet, vt contrarium expreſſe dicat, Ammonium, cum Chriſtianus inter parentes Chriſtianos educatus fuiſſet, *ſimulatque per aetatem ſapere potuerit et philoſophiae limen attingere, εὐθὺς πρὸς τὴν κατὰ νόμους πολιτείαν μετεβάλετο, ſtatim ad viuendi credendique rationem legibus definitam deſciuiſſe.* In qua Porphyrii narratione id tantum afferitur, Ammonium, licet inter Chriſtianos, ſine dubio in ſchola catechetica Alexandrina educatum, in qua ſtudium atque diſciplinam imbiberat, nullum tunc inter homines Chriſtianos nomen adhuc adeptum, nempe hominem σαπροφόρον et ignobilem ſtudio eclecticae philoſophiae accenſum, cum id conſiſtere cum Chriſtianae doctrinae ſimplicitate, quae alias religiones omnes excludebat, non poſſe cerneret, relictis Chriſtianorum ſacris, ad praedominantem tum Alexandriae et in toto Romano imperio religionem transfugam tale ſyſtema doctrinae et religionis adoptaſſe, quale poſtea illuſtres eius diſcipuli Origenes et Plotinus, rupto ſilentii ſacramento, vulgauerunt, poſthabita viuendi ratione, in qua Origenes Chriſtiano more et ritu aduerſus legum praeſcripta viuebat, Plotinus, Longinus aliique, mores publicos ſequebantur. Quibus ita definitis et circumſcripto quaeſtionis ſtatu, facile ad rationes Moshemianas poteſt reſponderi, modo ex ſuſpicionibus atque praeſumtionibus argumentum non deducatur, quem praepoſterum morem eſſe, in quaeſtionibus facti hiſtoricis omnes norunt, qui hiſtoriae fidem intelligunt. Nam I. quidem lubentes concedimus, quod totius philoſophiae Ammonianae habitus et complexus, qualem ex inſtituto hoc loco delineauimus, loquitur, Ammonium religionem neque Chriſtianam orthodoxam, neque gentilem legibus ſancitam publiceque in ſacerdotum cathedris explicatam atque traditam recte tenuiſſe, ſed mediam inter vtramque ſententiam miro artificio conſarcinatam longaque et matura meditatione excogitatam inter ſacculos et onera, cum ad philoſophorum cathedras acceſſiſſet iuuenis vix ephebus, ita apprehendiſſe, vt cum Chriſtianis principiis, quae puer hauſerat, et gentilibus, maxime Pythagoreorum placitis ſimul ſibi conueniret. Haec et verba Porphyrii aperta volunt, et res ipſa, et philoſophiae Alexandrinae indoles atque habitus loquitur. Et hactenus quidem cum Moshemiana obſeruatione lubenter concordamus. II. Iſtud autem non videmus, qua conſequentiae neceſſitate fluat, quod infert vir beatus, euenisse, vt vtraque pars ſibi Ammonium vindicaret. Non enim de ſyſtematis alicuius philo-

philoſophici defenſione ſermo eſt, ſed *de publico religionis cultu, in republica legibus introducto*, quo potuit Ammonius vir iuuenis et nondum doctrinae claritate inter Chriſtianos conſpicuus, publicae gentilis theologiae profeſſioni accedere, ſeruato tamen ſibi ſenſu et explicatione ſyncretiſtica atque eclectica? quo pacto hodie inter Chriſtianos quamplurimos viuere, qui religionem dominantem ſecuti, ſyncretiſticum, ſi non deiſticum, tamen doctrinae ſyſtema ſequuntur, eſt notiſſimum. Quo pacto cum viueret Ammonius, nec ſuo ſe defraudabat genio, et viuebat, quantum poſſet, rationibus henoticis conformiter, nec multum Chriſtianorum inuidiam metuebat, quos in Alexandrinorum philoſophorum ſcholis eclectico philoſophandi generi adhaerere probe nouerat: praecipue cum iuuenis tunc eſſet ignobilis nullaque doctrinae claritate illuſtris. In eo vero ſtatu poſitus Ammonius, quo a Chriſtianis pro philoſopho eclectico habebatur, quorum plenae cathedrae Alexandriae perſonabant, potuit habere ſine inuidia diſcipulos, non gentiles tantum, ſed Chriſtianos quoque, exemplo eius temporis vulgari, quo iuuenes Chriſtiani ad ſcholas Platonicas gentiles properabant, ſalua religione ſua, eclecticam illam philoſophiam, a ſuis doctoribus tantopere commendatam diſcere parati. III. Gratis autem ſupponitur, Ammonium, cum ſcholas publicas haberet, adhuc, et longe poſt, fuiſſe Chriſtianum. Nam hoc ſtatui quaeſtionis, ſupra ex Porphyrio definito aduerſum eſt, et principium petit, nec ſequitur ex allata ratione, quod Chriſtianos auditores habuit; quos ad Ammonium publicum fidei deſertorem abire diſciplinae cauſſa doctores eccleſiae paſſuri non fuiſſent. Haec enim ratiuncula, vt ſtudium rem ſuam quouis modo ornandi prodit, ita tantum haberet veriſimilitudinem, ſi apud Chriſtianos celebri nomine iam famoſus Ammonius a fide defeciſſet: aſt, aliter ſe res habet, et deſeruit fidem Chriſtianam vix ephebus factus, certe iuuenis, et ſine dubio tunc inter homines plebeios ex vitae conditione inglorius et ignotus: qui cum ad ſacra gentilia delatus eruditionis et imprimis eclecticae ſapientiae gloriam ſibi comparauiſſet, non videmus cauſſam, cur non absque Chriſtianorum inuidia more iſtius ſeculi diſcipulos Chriſtianos habere potuerit. Eos enim, qui vel epiſcopum, vel chriſtianum doctorem publicum et interpretem ſcripturae fuiſſe Ammonium inter Chriſtianos ſtatuunt, diuerſos homines confundere, eſt longe certiſſimum, et a nobis ſuo loco obſeruatum. Hoc vero pacto IV. ea ratio concidit, quae putat, non neceſſariam Ammonii ad gentiles tranſitionem fuiſſe, cum, ſaluo Chriſtiani ſyſtematis fundamento, Deorum minorum ſeu geniorum daemonumque cultum potuiſſet profiteri. Quae obiici potuiſſe a viro doctiſſimo, qui non ignorabat, quam inuiſa et deteſtabilis Chriſtianis eius temporis πολυθεότης fuerit, quamque ferio a cultu daemonum tanquam diabolico abhorruerint, merito miramur; argumentum autem inuertimus, concludendo, cum ſemel henoticae illius theologiae arripiendae conſilium cepiſſet Ammonius,

Digitized by Google

monius, non potuiſſe non eum ad Platonicum gentiliſmum abripi, in quo noſſet, ſalua gentili theologia, ſe doctrinam diuiniorem Chriſtianorum de Deo triuno poſſe ſeruare, ſicque, quod apud Chriſtianos impoſſibile erat, inter vtramque doctrinam foedus inire ſyncretiſticum, mutatis dogmatum et principiorum ſignificationibus. V. Porro arcanae diſciplinae, quam diſcipulis ſuis inculcabat, ratio fuit, non metus, ne a Chriſtianis ex eccleſia proſcriberetur, ſi intimiores eius ſententias noſſent; has enim non efficere potuiſſe apud vtramque partem, ipſe conceſſerat vir eruditiſſimus, cum dudum extra eorum communionem iam vixiſſet: ſed mos ſectae atque ſeculi, ſtudiumque ab oppugnationibus ſectarum, validis tunc Alexandriae armis infeſtis oppugnantium ſe, in tuto collocandi, ſimul etiam auctoritatem et admirationem comparandi ſyſtemati ſuo. Nec mouent nos valde teſtimonia Euſebii et Hieronymi, qui nec σύγχρονοι fuerunt, et aliorum conſenſu deſtituuntur, et teſtimonium, ipſe Moshemio fatente, dixere erroris ſuſpectum. Qui cum Porphyrii argumenta refutare vellent, errore in nominis homonymia admiſſo, plus nocuerunt cauſſae Chriſtianorum, quam eandem adiuuerunt: neque mirum nobis eſt, eos Ammonium Saccam cum Ammoniis aliis confudiſſe, quod paſſim viris doctis accidit, cum Ammonius Saccas, iam in iuuentute caſtra Chriſtiana deſeruerit, et ignotus, vt videtur, doctoribus Chriſtianis ob diſciplinam arcanam manſerit. Quibus omnibus vno faſce comprehenſis, cauſſam non videmus, cur priſtina de religione Ammonii ſententia nobis deſerenda ſit.

pag. 212. lin. penult. *Ab ipſis Ammonii diſcipulis.* Legi ad hunc locum merentur, quae Moshemivs [h] ex his Ammonii diſcipulis huius rei adduxit teſtimonia, et inter haec imprimis Plotini [i] ab illis probe notandum, qui Orientalia philoſophemata inter inuenta noſtri temporis detrudunt.

pag. 215. lin. 2. a fin. *Zenobia enim, quae poſt Odoenatum Palmyrenum maritum ſuum A. C.* CCLXV. *occiſum regni habenas ſola capeſſere auſſa.* Res celeberrimae inter purpuratas foeminas reginae apud hiſtoricos, qui Romanorum imperatorum res geſtas deſcribunt, tum antiquos, tum recentiores, non omiſſis quoque numiſmatibus, quaerendae ſunt, maxime in Aureliani Caeſaris hiſtoria, quorum loca indicarunt *ſcriptores hiſtoriae vniuerſalis Britanni*, qui et ipſi ſuccinctam de Zenobia narrationem exhibuerunt [k]. Addendi autem quoque ex recentioribus ſcriptoribus, qui hiſtoriam imperii Palmyreni digeſſerunt, et ex numis quoque illuſtrarunt, Cellarivs [l], Evs. Renavdotivs [m], Io. Foy Vaillant [n]. Non omitti autem in hiſtoria philoſophica Sec. III. regina haec orientalis debet,

h) loc. cit. §. 28. p. 284.
i) Vita Plotini c. 3. Bibl. Gr. Fabric. Vol. IV. pag. 96 ſeq.
k) T. XIII. §. 620 ſeq.
l) De imp. palmyr. §. 25 ſeq. p. 22. add. Salmasii hiſtoria Palmyrae c. 1 ſeqq.
m) Mem. de l'academie des inſcript. T. III. p. 336 ſeqq.
n) l. c. p. 228 ſeqq.

debet, non ob prudentiae tantum characterem, quo supra viros eminuisse, testatur Aurelianus imperator [n], et scriptores historiae augustae passim, sed imprimis ob literaturae et philosophiae quoque Aegyptiae Orientalis, Graecae et Romanae notitiam, atque philosophorum, quos secum habebat, conuersationem. Inter hos autem Longinus quoque fuit, quem praeceptorem in addiscenda literatura Graeca habuit, et, suo tandem malo, consiliarium [o].

pag. 216. lin. 10. *Videndus est* FABRICIVS. Iungi possunt ea, quae de Longino attulerunt doctissimi viri ZACHARIAS PEARCE, et ANT. FR. GORIVS, quibus elegantes libelli *de sublimi* editiones debemus.

pag. 216. lin. 12. *Ex intimae admissionis discipulis Plotini fuere.* Pro Plotino, legendum, Ammonio, cui intima admissione adhaerebat vterque, recepti in arcanam horum sacrorum disciplinam: Plotinus autem eos condiscipulos habuit.

pag. 224. lin. 13. *Hos et scriptis et viua voce docebat Plotinus.* Optandum esset, vt vir quidam doctus, et literaturae atque philosophiae, qualis sub imperatorum Romanorum imperio ante Constantinum M. vigebat, gnarus, huius scholae Plotinianae historiam, et imprimis discipulos, nominibus suis h. l. tantum tactos describeret, et fusius paulo, quam heic factum, celeberrimae scholae rebus lucem accenderet, quod a nostra tractatione in generali tantum philosophiae historia occupata non erat expectandum. Certi sumus, multa posse adhuc adferri, sacrae quoque ciuitatis Christianae rebus lucem allatura: qualis scriptio argumentum exhiberet libello academico siue dissertatione historica critica dignissimum. Talia plura historia eclecticae philosophiae suppeditat nondum elaborata, e. g. historiam criticam thaumaturgiae eclecticae etc.

pag. 237. not. f. lin. vlt. *Misc. Lipsi. T. I. p. 806.* Adiecta quoque est luculenta vitae et scriptorum Porphyrii historia, breuitate se commendans, versioni Batauae et Germanicae *historiae vniuersalis*, *a Britannis* editae [p], quae ab illis consuli potest, qui prolixam Holstenii diligentiam non sine molestia legi posse putant. Nos, more nostro, veterum memorias secuti, nostrae aetatis obseruationes ideo adiecimus, vt in luce, qua fieri potest, clara celeberrimi philosophi historia collocetur. Cui tamen haud contemnenda fieri potest accessio, si ea addantur, quae ad limites nostros non pertinent, sed ad historiam ciuitatis sacrae, quae acerrimum in Porphyrio hostem habuit: quo respectu consulendi sunt praeter annales ecclesiasticos Sec. III. historiae literariae ecclesiasticae scriptores, more suo, cumulate nominati a I. A. FABRICIO [q]. Nos, quae biographiae nostrae adiiciamus, pauca habemus, nec illa in se satis prolixa multas accessiones postulat.

pag.

n) In ep. ad Sen. apud POLLIONVM trig. tyr. c. 30. p. 528. ed. Obr. conf. c. 15. §. 513.

o) Ideo script. H. vn. p. 629 seq. Longini historiam attigerunt.

p) loc. cit. §. 685. p. 679. ed. Germ.

q) l. c. Bibl. Gr. Vol. IV. et Luc. euang. toti orbi exoriente p. 154. BVDDEVS Isag. T. II. p. 1009 seq.

pag. 245. lin. 22. *Sicque gaudia ſua et triſtitiam ibi ſimul deponebat.* Ita verba EVNAPII verterat Iunius, πάλιν μὲν ἔτε ἰδεῖν ὑπέμενε, ἔτε ἀνθρώπων ἀκοῦσαι φωνῆς, ἔτω τὸ λυπέμενον αὐτῷ καὶ ἡδόμενον ἀπέθετο: quibus Sardianus, ſophiſta indicat, Porphyrium adeo μισανθρωπίᾳ melancholico-hypochondriaca correptum hominum conſortium euitaſſe, vt ne in anguſto quidem Siciliae freto appelleret terrae, vel vrbes vicinas litoribus frequentaret, ſed eo prorſus eſſet animo, vt velut ſaxum ſine ſenſu neque gaudii, neque triſtitiae ſtimulos ſentiret, et humanitatem ipſam exuiſſe videretur: quod ſolere melancholicos, et nullo humani affectus ſenſu tangi, eſt notiſſimum: Effeciſſe autem hoc animi deliquium ſenſusque carentiam, vt inedia ſe liberare cogitaret, ſequentia manifeſte ſuadent.

pag. 250. not. p. lin. 10. *Ad Euſebium N. MMLXXXIX.* Iulianum vtrumque theurgum, Alexandrina placita ſecutum fuiſſe, vel ex eo tantum conſtat, quod Θεουργικὰ τελεστικὰ λόγια δι' ἐπῶν ei tribuit SVIDAS [r], quae non ipſa quidem fuere oracula Zoroaſtris, quae tempore Antoninorum, quo vixere Iuliani pater et filius, vterque theurgi et magicis artibus celebres iam in horum hominum manibus verſabantur [s], aſt veriſimile tamen, eum vel commentatum in iſta oracula, vel ad eorum ſimilitudinem carmina teleſtica effinxiſſe. Talia autem adhibebantur ad conſecrationem rerum magicarum, quibus mala propulſari et auerruncari credebantur. Eiusmodi conſecrationes τελεταὰς dictas eſſe, conſecratores, τελεσὰς, res conſecratas et ad magicas operationes deductas, τελέσματα vel τετελεσμένα, hiſtoria ſectae Alexandrinae multis exemplis loquitur, et memorabilia eorum exempla attulit KVSTERVS [t]. De vtriusque huius Iuliani libellis magicis, quae veteres habent, diligenter collegit FABRICIVS [u], qui videndus. Huius enim generis homines non contemnendum ſcholae Alexandrinae decus eſſe cenſebantur, cuius exemplum eſſe poteſt Apollonius Tyanaeus.

pag. 260. n. c. col. 2. lin. 23. *In ipſa Syria duae fuere Chalcides.* Vnam tantum in Syria Chalcidem veteribus celebrari, aliter atque aliter ab adiacentibus locis denominatam, nec quemquam de gemina Syrorum Chalcide mentionem feciſſe, ſed vnam eandemque et Plinium et Ioſephum intelligere, quae Chalcidenes regionis caput fuit, et regulis ſub Romanis ſedem praebuit, contendit CHR. CELLARIVS [v], qua in re habet conſentientem STEPHANVM in *Chalcis.*

pag. 271. lin. 5. *Cum Chriſtianae religionis propagatione gentilis ſuperſtitionis euerſio fuit coniuncta.* Diligenter id ex hiſtoria ciuitatis ſacrae repetendum, et, quo pacto horum hominum fraudes poſt diruta et euerſa templa detectae ſint, ex ſcriptoribus eius temporis, maxime SOZOMENO con-

r) T. II. v. Iulianus Chaldaeus p. 183.
s) Vid. NIC. DAMASC. in excerpt. Peireſc. pag. 461.
t) Ad loc. cit. Suidae not. 7.
u) Bibl. Graec. Vol. I. c. 36. §. 11. p. 151.
v) Geogr. antiq. L. III. c. 12. p. 432.

conſiderandum, publicae quoque Imperatorum Chriſtianorum conſtitutiones intuendae ſunt, quibus ſuperſtitionem gentilem coërcuerunt, quarum hiſtoriam eleganti atque rara commentatione *de ſtatu paganorum ſub chriſtianis imperatoribus ad L. XVI. t. 10. Cod. Theodoſ.* dedit IACOBVS GOTHOFREDVS [z].

pag. 274. not. m. *Ad Galienum.* Delenda haec ſunt, quoniam minus accurata, vt locus Fabricii, in quo pro Galieno ponendus eſt Sapor rex Perſarum, non autem Conſtantius. Rem omnem paucis explicat AMMIANVS MARCELLINVS [y], qui narrat, cum ad ſuperbas Saporis literas, non contemnendam orientis partem a Conſtantio repoſcentes reſponderetur, neque ita quicquam obtineretur, poſt paucos dies ſequutum eſſe Proſperum comitem, et Spectatum tribunum et notarium, itemque Euſtathium (Euſtachium habet editio Acidalii) Muſonio ſuggerente philoſophum, vt opifex ſuadendi imperatoris ſcripta perferentes et munera emiſſuri apparatum interim Saporis arte quadam ſuſpenderent. Quam legationem cum alia hanc ſecuta euentu caruiſſe, in ſequentibus notat. Quanquam autem ex hoc loco certum eſt, Euſtathium inter imperatorios legatos facundiae cauſſa electum miſſumque in aulam Saporis fuiſſe, nihil tamen de hac mirabili Euſtathianae eloquentiae virtute et efficacia annotauit, ſed conatum vanum fuiſſe non tacuit, quod et alii eius aetatis ſcriptores referunt [z]. Vnde ſuſpecta valde nobis fit Eunapii, futilis encomiaſtae narratio, in gratiam ſuae ſectae, quae mendaciis rem ſuam ornare ſtudioſa valde fuit excogitata, quam Ammianus hac occaſione non ſiluiſſet, ſi tantum apud Saporem, quem ad Cteſiphontem iſta legatio offendebat, Euſtathii facundia valuiſſet: cum huic ſectae cetera Ammianus fauere ſoleat.

pag. 275. lin. 6. a fin. *Se ſectae illi, quae Chaldaica dicatur, adhaerere, et initiatos eſſe eius myſteriis, dixerunt.* Euidens locus, ex quo conſtare poteſt, philoſophicam quandam ſectam, in Aſia minore inter Graecos tunc viguiſſe, quae Chaldaicae ſiue Orientalis nomen obtinuerit, vnde hanc appellationem non nudius tertius excogitatam eſſe, ſi alia teſtimonia non extarent, recte poteſt concludi. Quam Graecis iam antea non fuiſſe ignoratam, ſed Pythagoricae ſectae confuſione tantum obſcuratam, vel ex vno Apollonii Tyanaei exemplo, ſi cum Soſipatrae hiſtoria, qualem tradit Eunapius, comparetur, diſcitur. Verum de hoc nomine ſuo loco pluribus agimus, heic lectorem ea de re monuiſſe contenti.

pag. 293. not. k. lin. vlt. *Seuerus vitiorum cenſor eius laudatorque virtutis.* Inter plures, qui Iuliani vitam ſibi enarrandam elegerunt, legi imprimis et cum hoc, quem tractamus, loco, comparari meretur, PETRVS MARTINIVS, Morentinus Nauarrus, qui Iuliani *Miſopogoni* praefationem

z) Edita 1616. 4.
y) L. XVII. c. 5 ſeqq.
z) THEMISTIVS Or. 4. ZONARAS p. 17. ex recentioribus hiſtoria vniuerſalis T. XIII. §. 171. p. 157. comparanda quoque TILLEMONTII hiſtoria imperat. T. IV. aliique.

Digitized by Google

nem praemiſit doctiſſimam, in qua de auctoris vita, ex varils, praecipue Marcellini, locis differitur. Is non negat, Iulianum imperatorem ſingulari ingenio et eloquentia fuiſſe, caeterarum etiam virtutum principe dignarum laudes ei non mediocres in hiſtoria tribui, vt, ſi vera ſint, cum ſummis ille principibus conferri poſſit: monet autem, vnam impietatis et ἀποστασίας maculam omnes iſtas laudes in perpetuum deleuiſſe. Quae vt latius deduceret, Iuliani vitam primum ex natura et educatione, deinde ex moribus ipſius diligenter deſcripſit. Non repetemus ea, quae vel apud ipſum auctorem, tum in ſua operum Iuliani editione, tum in Pariſienſi PETAVII, tum in Lipſienſi EZ. SPANHEMII [a], quae in omnium manibus eſt, facile poſſunt inueniri: ſed ea tantum in lectoris gratiam paucis annotamus, quae noſtrae Iuliani hiſtoriae philoſophicae lucem poſſunt accendere. Obſeruat autem biographus, et vel ipſius Iuliani, vel ſcriptorum coaeuorum teſtimoniis [b] roborat 1. inſitam atque ingenitam huic homini perpetuam leuitatem et inconſtantiam, erroris inde conſecuti primam iam cauſſam fuiſſe. 2. Libanii paulatim conſuetudine deprauatum, non tantum in ſcholam, a qua primo iubente Imperatore ſe continuerat, ventitare, ſed etiam Graecorum more in Chriſtianos declamare, tanquam exercendi ingenii gratia fuiſſe auſum, quo pacto haec altera Iuliani ſchola, erroris et impietatis magiſtra fuerit. 3. Philoſophiam ibidem percepiſſe, non Platonicam omnino aut Ariſtotelicam, ſed ex vtraque miſtam, cuius inſtituti et Porphyrius paulo ante et tunc Iamblichus [c] principes ferebantur, hunc autem, cuius ſumma tunc erat auctoritas apud omnes, philoſophum in primis coluiſſe et amauiſſe, magnisque honoribus ac praemiis affeciſſe, et hanc ita philoſophiam habuiſſe, vnde ſe in epiſtolis, τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους ζηλωτὴν δογμάτων nominauerit: hanc vero ad rem eunuchi quoque praeceptoris ſui opera vſum eſſe, quem ipſe IVLIANVS [d] tradit, eum puerum et diſcendi cupidum nactum, perſuaſiſſe, vt illorum veſtigiis inſiſteret, vt melior ſe ipſo euaderet. 4. Acceſſiſſe autem Nicomediam Maximum Epheſium philoſophum ob magicas artes atque impoſturas a Valentiniano poſtea capitis ſupplicio mulctatum, qui Iuliani corruptor alter fuerit, cumque, teſte Nazianzeno, docuerit, ὅσα τὲ περὶ ἀστρονομίαν, καὶ τὰς γενέσεις καὶ φαντασίαν προγνώσεως τερατεύεται, καὶ τὴν ἑπομένην γοητικὴν, *quae in aſtronomia et natalitiis et ſpecie diuinationis mirifice ludit, horumque comite magia:* haec autem, cum ſcholas Graecorum Athenis inuiſeret, eum confir-

a) Vterque hanc Martinii praefationem propter variam doctrinae, qua conſcripta eſt, elegantiam et diligentiam ſuae editioni inſeruit, et Petauius quidem in fronte operum, Spanhemius Tomo III. qui poſt Cyrilli opus contra Iulianum Petauii, ſuasque annotationes continet, praefixit. Omnium vero inſtar legendam eſſe DE BLETTERIE vitam Iuliani Gallice Amſtel. 1735. editam, et ingenue non minus, quam ſtudite ſcriptam commendat MOSHEIM. Hiſt. Chr. ant. Sec. IV. c. 1. §. 12. p. 289.

b) Optimo conſilio loca veterum pleraque, quae de Iuliano agunt, ſuae editioni praefixit SPANHEMIVS, ad quos fontes lectorem dimittimus.

c) Confundit Martinius Iamblichos duos, vt ſuo loco monuimus.

d) In Miſopogone.

mauiſſe. 5. Acceſſiſſe autem ad hanc diſciplinae formam, quae modeſtiae et moderationis ſpeciem praebebat, aeſtum quendam perturbationis, quae tertia cauſſa fuerit, a qua a vero et recto deductus in fraudem ac ſcelus ſe praecipitauit, id quod per potiora et eminentia fortitudinis, temperantiaeque ſpecimina luculenter depingit, at loquacitatem et indecoram actionem in eo notat. 6. Ingenii autem diſcendi cupidiſſimi exemplum adducit librorum a pueritia cupiditatem, ſcribendi et legendi induſtriam, philoſophiae veteris cognitionem, mathematicas rationes, phyſicasque et theologicas probe perſpectas, aſtrologiae notitiam cum arithmetica et geometria, aſt aſtrologiam diuinationum ſophiſmatis, phyſicam magicis impoſturis corruptam peruerſamque dolet, vnde falſa, impia et ſuperſtitioſa theologia ei enata eſt, quae in ἀποφασίαν ab agnita, quam profeſſus erat, religione, eſt ſecuta. Iuſtitiae autem labem intuliſſe imperium Conſtantio ereptum, Chriſtianos iniquiſſimis et acerbiſſimis legibus vexatos, odium in rem Chriſtianam, aequitatem et clementiam mire proculcatam in teſtimonium aduocat. Quae omnia, vt veterum teſtimoniis lucent, ita characterem Iuliani philoſophicum miris depingunt coloribus. Alia haec illuſtrantia dabit SPANHEMIVS [a].

pag. 296. lin. 25. *Cum animi ſenſa haudquaquam prodere liceret.* Hic vnus locus omnem diligentiam in tuenda opinione, Iulianum nunquam fuiſſe Chriſtianum, euertit: habemus enim non teſtem tantum σύγχρονον in Libanio, ſed praeceptorem quoque et in ſeducendo ad caſtra gentilium principium atque ducem. Cui Ammianum Marcellinum, quin ipſum IVLIANVM, teſtem omni exceptione maiorem adiungimus, qui in epiſtola ad Alexandrinos memorabili loco ſcribit [f]: οὐχ' ἁμαρτήσεσθε παρὰ ὀρθὴν ὁδὸν πειθόμενοι τῷ πορευθέντι κακεῖνην τὴν ὁδὸν ἄχρις ἐτῶν εἴκοσι, καὶ ταύτην ἰδὲ σὺν Θεοῖς πορευομένῳ δωδέκατον ἔτος. *Non enim a recto tramite aberrabitis, ſi ei fidem habentes, qui* AD ANNVM VSQVE VICESIMVM *aetatis illa* (Chriſtianorum) *via progreſſus eſt, et hanc alteram modo duodecimum iam annum circa Deos verſatus inſiſtit.* His innumera veterum eius aetatis ſcriptorum Chriſtianorum teſtimonia poſſent addi, qui coaeui plerique rem cognoſcere potuerunt, niſi vniuerſae fere antiquitatis conſenſus id euinceret, quem hoc loco poſt B. AD. RECHENBERGII [g] diligentiam heic in ſcenam producere, loci anguſtia vetat. Quae cum ita ſe habeant, vt ſalua fide hiſtorica euerti non poſſint, mirandum certe eſſet, virum quendam eruditum peculiari eaque docta diſſertatione, quae inter *obſeruationes Halenſes* [h] legitur, ſibi hanc traditionem hiſtoriae veteris euertendam ſumſiſſe, multoque puluere concitato demonſtrare conatum fuiſſe [i]: *Iulianum nunquam ex animo Chriſtianae fidei alumnum fuiſſe, ſed, vel ex*

a) In erudita praefatione, Opp. Iuliani praemiſſa, quam breuitati litaturi non exſcribimus. Concordat cum his imago Iuliani expreſſa a MOSHEIMIO Inſt. hiſt. Chriſt. Sec. IV. §. 13. p. 289.
f) Epiſt. LI. p. 434.
g) Diſſ. de apoſtaſia Iuliani apoſtatae.
h) T. III. Obſ. 9. p. 185 ſeqq.
i) Ibid. p. 197.

Digitized by Google

ex gentilium philoſophorum perſuaſione in tenera aetate, aut in adulta ex proprio conſilio inſeruiuiſſe ſcenae, et tempori, ac Chriſtianum ſe finxiſſe, cuius rei illuſtre documentum praebuerit, cum Auguſtus a milite ſalutatus fingeret, ſe Chriſtiano cultui adhaerere, et in Chriſtianorum eccleſiam progrederetur, vt omnes, nullo impediente ad ſui fauorem illiceret, quod MARCELLINI *nouimus teſtimonio* [k]. Qua lecta diſſertatione incerti fuimus, vtrum auctoris ingenium non ſine doctrina varia certiſſima fidei hiſtoricae fulcra euertere conantis, an audacia friuolis ratiunculis omni hiſtoriae contradicendi magis notanda ſit, niſi conſilium virorum quorundam doctorum, qui huic collectioni literariae, cetera eruditiſſimae manus auxiliatrices porrexerunt, notum fuiſſet, omnibus ita contradicendi, vt nouitas admirationem pareret. Quod praeiudicium vt ineptum eſt et viro candido veritatisque ſtudioſo indignum, ita lectionem eruditae diſquiſitionis neminem valde in partes pertracturum, ſumus perſuaſiſſimi, obſeruantem, vel aperta negatione et reiectione teſtimoniorum ſupra adductorum, vel ratiunculis anxie conquiſitis totam eam repleri, nec habere, quod cogat, ludendo autem quaeſtionisque ſtatum ſubreptionis vitio alterantem fluctus mouere in ſimpulo. Qua de re tamen cum in hiſtoria ciuitatis Chriſtianae ex inſtituto agendum ſit, heic prolixe differere velle, a noſtro ſcopo alienum eſt. Nos, quod vnum toti illi quaeſtioni expediendae ſufficere poſſe putamus, monemus, non quaeri, vtrum candide vnquam, et mente vera Chriſtianae fidei profeſſioni animum Iulianus adiecerit, hoc enim neganti, facile, ſi non vt certum, attamen vt probabile valde, concedent, qui imperatoris characterem animi, a ſcriptoribus coaeuis gentilibus et Chriſtianis delineatum norunt; certe haut difficulter credimus AMMIANO MARCELLINO, tradenti [l], *quanquam a rudimentis pueritiae primis inclinatior fuerit erga numinum cultum paulatimque adoleſcens deſiderio rei flagraret multa metuens, tamen agitaſſe quaedam ad id pertinentia, quantum fieri poterat, occultiſſime. Vbi vero abolitis, quae verebatur, adeſſe ſibi liberum tempus faciendi, quae vellet, aduerterit, ſui pectoris patefeciſſe arcana et plane abſolutis decretis aperiri templa, arisque hoſtias admoueri et reparari ſtatuiſſe Deorum cultum.* Quo Marcellini teſtimonio clandeſtina quidem ſuperſtitionis inclinatio ad gentilem Deorum cultum a pueritia innuitur, quam Conſtantii quoque metus et ſuſpicio, et arctior pueri Iuliani cuſtodia ſatis prodit: aſt manſiſſe tamen in publica eccleſiae Chriſtianae communione fideique profeſſione, donec auguſtus declaratus, ruptis metus et reuerentiae vinculis ad publica philoſophorum et ſacerdotum ſacra tranſiret, eadem euidentia colligitur. Quare totam hanc quaeſtionem tantum non ineptam putamus, nec haeremus animo pro vero habere, quod de baptiſmo Iuliani aſſeritur, ſine quo Conſtantius haud facile eum toleraſſet [m], quod ſola negatione et ratiuncula lubrica ac incerta, velut

k) L. XXI. c. 2.
l) Lib. XXII. c. 5.

m) NAZIANZEN. Or. 3. ϛηλιτ. in Iul. I. p. 70. quibus friuolas rationes opponunt obſeruationes

vno halltu diffiare velle, non pertinet ad hiſtoriae fidem, ſed academicam arrogantiam. Epiſtolam autem Iuliani ad Alexandrinos datam, ad quam ex Baronio tantum prouocault obſeruator, ideo ſuſpectam ſuppoſitionis habere, quod huic coniecturae contradicit, cum cetera tamen et veterum codicum fidem, et circumſtantiarum harmoniam et dictionis a Iuliano adhibitae ſimilitudinem exhibeat, non valde criticum acumen redolet, quod non magis cupiuiſſe oſtendere, quam Ingenii foecunditatem ſcriptor laudatus videtur. Verum haec et alia multa, quae de Iuliano memoratu digna ſunt, lectori iudicanda relinquimus.

Ibid. lin. 26. *Licet aliarum quoque ſectarum placita teneret.* Nempe, vt mos erat in ſchola Plotini, quae tota corrupta fuit ſyncretiſmo Platonico-Peripatetico atque Stoico, vt ſupra probatum. Mirandum itaque non eſt, quod dialecticas ſubtilitates Peripateticorum interdum riſerit, quas meliores in Plotino inueniri credebat, cum grauiora et religionem atque pietatem magis decentia in his contineri fateretur. Qua de re notabili loco [n]: *ſatius eſt, ac dignitati noſtrae conſentaneum, vni ſtudere philoſophiae, ſed eam praeſertim adſciuero, quae diſciplinae ſuae Deos prae ſe fert auctores ac duces, qualis eſt Pythagorae, Platonis Ariſtotelisque ſecta; tum eorum, qui Chryſippum ac Zenonem magiſtros ſequuntur: neque enim aut omnibus, aut omnium dogmatibus auſcultandum eſt, ſed illis et eorum decretis duntaxat, quae pietatem ingenerare animis poſſunt - - quo circa, nec Epicureo apud nos dogmati neque Pyrrhonio pateat aditus. Iam enim recte Dii immortales ſectas iſtas extinxerunt, vt plerique earum libri interciderint.* Sed et reliqua legi merentur, in quibus igniculos quidem nonnullos ex Chriſtiana diſciplina ſuperſtites intelligas, re ipſa autem cognoſcitur, philoſophiam hanc purpuratam eo traductam potiſſimum eſſe, vt religionis gentilis cultus Chriſtianae nihil cederet, quod conuenire dignitati, quam gerebat, ſuae pontificis maximi iudicabat. Ex quibus diiudicari poſſunt ea, quae GAVDENTIVS loco infra nominato [o] aſſeruit: non ita videri, Iulianum fouiſſe Stoicos et Peripateticos, quamuis mox, more ſuo, mutatus ſtatuat: *licet ſapiant eius ſcripta philoſophiam Platonicam, non tamen ſpreuiſſe Ariſtotelem*: quem nemo vnquam eclecticorum contemſit. Quid vero de Cynicis ſtatuerit, ex oratione *de Cynicis* conſtare poteſt, quae infra [p] in hiſtoria huius ſectae adducuntur.

pag. 311. lin. 22. *Tanquam peſtem aliquam in coetus Chriſtianorum induceret.* Habuit tamen, quod veriſimile, alium quoque huius prohibitionis ſcopum Iulianus. Cum enim videret, colliſis inter ſe et comparatis veterum ſcriptorum gentilium, maximeque philoſophorum decretis et ſen-

uationes Halenſes, cum veriſimile ſit, Conſtantium, cuius intererat, Iulianum puerum, vel adoleſcentem eſſe Chriſtianum, curaſſe, vt ſacro fonte abluerctur.

n) In fragm. epiſtol. p. 300. conf. Mosheim. diſſ. de turbatâ per Platon. rec. eccleſia Vol. I. diſſ. ad H. E. pertinentium p. 160 ſeqq.

o) De phil. Iuliani c. X. p. 177.

p) pag. 500.

Digitized by Google

ſententiis validiſſima inde tela Chriſtianos ſcriptores in gentilem ſuperſtitionem conieciſſe, et triumpho de inſignibus errorum commentis acto in contemtum adduxiſſe ſacerdotum et philoſophorum ſcripta, maluit eis omnem humanitatis diſciplinam interdicere, quod ſine humanitatis ignominia vix fieri poſſe peruidebat, quam pati, vt ex his pharetris reſtitutus a ſe ex his lacunis ſuperſtitioſus cultus oppugnaretur, quare Chriſtianis iſta tela eripienda eſſe, ſtatuebat. Legant, qui de hac re dubitant, *epiſtolam quadrageſimam ſecundam* [q], vt impietatis radices veras at occultas detegant. De re ipſa conſulendi ſcriptores hiſtoriae eccleſiaſticae, inter quos IOANNES ANTIOCHENVS [r], ad quem tamen notat VALESIVS [s], non diſcendi, ſed docendi tantum publice facultatem Chriſtianis ademiſſe, quod vero perperam dici, aliis viſum eſt [t]; certe ſine doctore ereptisque humanitatis literarum fontibus, ne diſcendi quoque occaſionem ſuppetere, quilibet intelligit. Ceterum quo philoſophiae fato id euenerit, hoc ipſo prouidentia diuina dirigente, vt fontes defectionis ab imperatore tantopere euecti, Chriſtianorum manibus eriperentur, lectori cogitandum relinquimus.

pag. 302. not. u. lin. 4. *Parum tamen ſolidi promittit Gaudentii feſtinatio ſolita.* Dudum iſta ſcripſeramus, cum tandem diſſertatione PAGANINI GAVDENTII, quae adiecta eſt tr. *de tranſmigratione Pythagorea* potiremur, vnde ad hunc locum obſeruationem olim adiecimus: Gaudentium in hoc ſcripto eundem quidem ſe praeſtare, qualis in ſcriptis ſuis deprehenditur, nempe ab argumento, quod tractandum ſibi ſumit, ad locos quosdam communes delilientem et a ſcopo deflectentem, ignorata vera ratione ſectae eclecticae: at de ipſo tamen argumento pleraque veterum teſtimonia collegiſſe, quae memorabilia ſint in haud paucis quoque candidum et accuratum ſe demonſtrauiſſe, ita, vt ex hac tractatione rariori multa ad augenda noſtra poſſint tranſferri, dictaque confirmari. Quem in finem, cum Gaudentii opuſcula in ipſa Italia, maxime vero in Germania noſtra ſint rariſſima, argumenta capitum indicauimus, paucis ex re noſtra additis lacinils. Eam vero iam recenſionem hoc loco omittimus, ex quo vir olim doctiſſimus Io. GERARDVS MEVSCHENIVS, qui anxie ſcripta Gaudentii rariſſima paucisque obuia conquiſiuerat [u], inter *vitas*, quas collegit *ſummorum virorum*, hanc de Iuliani imperatoris philoſophia diſſertationem recuſam dedit. Quae cum iam obuia inter nos ſit, ad hunc ipſum fontem lectorem remittimus. Vnum ex annotationibus priſtinis repetimus, falli Gaudentium, (quod haud raro in philoſophiae hiſtoria illi contigit,) quando c. 10. miratur, Themiſtium in Iuliani hiſtoria non commemorari, ſuſpicaturque, aut ignotum eum fuiſſe imperatori,

q) Opp. p. 402 ſeq.
r) In excerpt. Peirec. p. 845.
s) pag. 119.
t) MONTACVTIO ad l. c. Naz. PAGI ad A. C. 362. n. 39. aliisque, quos nominat FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. VII. p. 77. not. l.
u) Conf. VOGT catal. libr. rar. p. 302. 303.

Digitized by Google

tori, aut neglectum, tum, quod acceptus Constantio fuisset, tum, quod Peripatetice philosopharetur. Patet enim ex epistolis Iuliani ad Themistium, ad quas infra [x] prouocauimus, nec ignotum fuisse imperatori philosophum eo tempore celeberrimum, nec neglectum, SVIDAE enim testimonio [y] constat, imperatorem hunc philosophum ob praestantiae opinionem praefectura vrbis Constantinopolitanae ornauisse. Peculiaris quoque est obseruatio Gaudentii, videri ideo vetuisse Iulianum Christianis, ne quis ex eorum numero sophistam ageret, et iuuentutem doceret, eo quod sophistas non solum verborum, sed etiam morum magistros se esse velle, et ad se philosophiam de administrandis rebus publicis pertinere, crediderit contendere; quae longius petita esse, nec scopum prope ferire, est in propatulo. Quae vero de genio Iuliani ille disputat, Platonicorum eius temporis commenta esse, nulli dubitamus. Memorabile autem et impietati gentili propudiosum, glorioſum autem religioni Christianae est, quod in mortis articulo *perplexius* de anima Iulianus disputauit [z], egregio exemplo, quantum superet vanam hominum nugiuendulorum iactantiam Christianae religionis euidentia, solatio et certitudine in morte plena.

pag. 304. not. r. *In Aedesio.* Memorabilis locus ad pernoscenda fata scholae Plotinianaeatque Iamblichianae, qui cum scriptoribus historiae ecclesiasticae christianae meretur comparari, indeque intelligi, religionis potissimum curam hos homines anxisse, non philosophiae, hanc enim publice docebat Proaeresius. Inde character Eunapii, et ex eo fides eius historica diiudicanda, ne omnia pro veris admittantur, quae interdum ille splendide mentitur de secta sua.

pag. 305. not. y. *Multis in locis lapsi.* Nouam nobis olim versionem spondebat celeberrimus hodie Academiae Iuliae apud Helmestadienses theologus Io. BENED. CARPZOVIVS [a], quo nec doctior, nec ad emendandam Iunii versionem saepe fidem fallentem nemo erat aptior, verum, ex quo ad maiora et sanctiora tradenda traductus est, etiam hic Aiax in spongiam incubuit, quod vehementer dolemus.

pag. 312. lin. 34. *Christianis, quos loco mouerat Iulianus, iterum succedentibus, illo sublato interiisse, non est dubitandum.* Hoc si alia non essent, totius sectae Alexandrinae siue eclecticae fortuna testatur, quae non longe post hanc aetatem publico doctore ex schola Plotiniana caruit. Arcadius, patris Theodosii et suas constitutiones atque leges aduersus paganos et haereticos non tantum confirmauit, sed ipso quoque paganorum nomine ordo philosophorum gentilium, qui theologiam et philosophiam docebant,

x) pag. 485.

y) In Themistio T. II. p. 171.

z) AMMIANVS l. c.

a) Vid. qui has constitutiones collegit et illustrauit IAC. GOTHOFREDVS, de statu paganorum sub Christianis imperatoribus XVI. Cod. Theod. 70. p. 18 seqq.

Digitized by Google

cebant, in contemtum adductus est [b], sacerdotum priuilegia per orientem tota sublata, priuilegia hierophantis concessa abolita [c], quae circumstantiae Athenienses philosophos gentiles in magnas angustias coniecerunt, coactos ex suis et familiae reditibus viuere. Tacemus alia postea sub Theodosio iuniore consecuta, quae tandem philosophos gentiles, quamuis solo philosophorum nomine se tegerent, sub Iustiniano in exilium eiecerunt. Ad quod non parum contulisse Alexandrinae philosophiae per Origenis sectarios in monasteria admissae incrementum, quod ad captam vsque Constantinopolin durauit, de quo Tomo III. ex instituto dictum est, quilibet coniiciet, quia hoc pacto sine idololatriae et superstitionis suspicione et periculo fas erat secundum Alexandrina principia philosophari. Et hoc pacto sec. VI. schola Plotiniana exoleuit, quod in Iustiniani tempora incidit, qui philosophos gentiles philosophiam Athenis docere vetuit, eosque illa persecutione pressos ad Chosroëm Persarum regem fugere coëgit, vt in sequentibus [d] demonstratum, vbi etiam Marini auctoritate euictum [e], Asclepigeniam, Plutarchi filiam, Procli magistram, vltimam fuisse, quae artem theurgicam docendo tradiderit, et ξυναρὴν τῶν σεφῶν Πλατωνείων istis egregiis artibus erudiuerit. Nam quae, istis tandem redeuntibus, ab iis gesta sunt, et in sequentibus tetigimus, exspirantis sectae huius gentilis signa sunt, cuius reliquiae in historia Christiana medii aeui debent quaeri.

pag. 341. lin. 25. *Mature ad literarum studia adplicuit animum.* Isidori res quoque, post scripta haec nostra, more suo, id est, doctissime tetigit et in compendio enarrauit cel. Io. Christ. Wernsdorfius *loco mox citando.* Recte is obseruat ea, quae apud Suidam de Isidoro memorantur, ad Isidorum referenda esse, qui Gazaeus audit, Vlpiani fratrem, quamuis corrupta et misere habita a descriptoribus Damascii, quibus medela afferenda est.

pag. 346. lin. vlt. *Quaecunque vero erroris caussa sit, certe eiiciendus est ex historia ecclesiastica* etc. Id quoque apud Hoeschelivm [f] et Menagivm [ff] atque Tolandvm [g] faciendum, quos reliquosque magni et acuti ingenii et attentionis in veterum lectione probatae viros decipi se a Suida vel eius exscriptoribus passos fuisse, mirandum esset, nisi constaret, quam facile eiusmodi errores chronologici etiam attentissimis possint subrepere.

Ibid.

b) Paganus proprie rusticum, agricolam, agrestem indicat, postquam gentiles ex vrbibus eiecti sunt; vnde Hesychio paganus, ἰδιώτης, ἀγροῖκος. E palatio principis, in vulgaris loca paganorum hominum recedere coacti. Aliter Gothofredvs, l. c. coniicit, vocatos paganos, quod pro pagorum inter se diuersitate sacris diuersi et ἑτερόδοξοι viderentur. Illud ex Orosio praef. L. I. constat, ex locorum agrestium compitis et pagis, paganos vocatos.

c) Vid. Idem lit. 14. p. 291 seqq. Viuente Iuliano sacris praeerant hi philosophi, non tamen omnes.

d) pag. 349. 350.

e) pag. 314.

f) Ad loc. cit. Photii.

ff) Hist. mul. philosoph. Tom. II. Comm. Laërt. p. 490.

g) Diss. de Hypatia, quae est Tetradymi.

Ibid. not. t. *Act. erud. noua Suppl. T. III. f. 9.* Idem, qua erat sinceritate, fecit quoque B. Moshemivs in *Additamentis ad Volumen I. dissertationum ad H. E. pertinentium*, cl. Werensdorfivs [a] autem nouis hanc nostram emendationem rationibus confirmauit.

pag. 347. lin. 3. a fin. *Ex his enim concluditur.* Paulo aliter instituit rationes chronologicas Isidori cl. I. C. Werensdorfivs: „qui non negat, bene omnia, quae hoc loco dicta sunt, se habere, si ea solum, „quae de vita et fatis Isidori relata legimus, considerentur. Quando vero „aetas Vlpiani, fratris Isidori, et tempus, quo scripsit Damascius excu„tiatur, recedendum paulisper ab hac sententia, et natalem Isidori „paulo antiquiorem ponendum esse pronuntiat." Dignae vero rationes eius sunt, quae candide afferantur et explorentur, vt obscura haec philosophicae historiae particula lucem, quantam potest, accipiat. Huc autem eae quoad summam redeunt [b]: „scripsisse Damascium Isidori vitam „defuncto Isidoro, regnante, vt ipse testatur, in Italia rege Theodorico, „cuius imperium in finem seculi V. et initium VI. cadit. Porro nullius „imperatoris, qui post eum regnarunt, illum meminisse toto scripto suo, „licet Valentiniani III. Seueri, Anthemii, Zenonis imperatorum mentionem iniiciat: vitam autem Isidori eo demum mortuo descripsisse necesse „esse. Cum vero Theodoricus anno circiter DXXVI. decesserit, prius, „quam Iustinianus imperium capesseret, certum inde esse, Isidorum hunc „inter eos esse non potuisse, qui sub Iustiniano ad Persas profecti sunt, „ideoque illum ex horum philosophorum catalogo deleri, vel alium et „diuersum censeri debere. Porro Vlpiani Gazaei aetatem suadere vi„deri, vt Isidorum antiquiorem faciamus. Hunc enim Syriani discipu„lum a Svida, et Procli commilitonem a Marino [c] diserte dici, ideo„que ipso Marino Isidori magistro antiquiorem esse. Iam si largiamur, „quod fere nimium, Vlpianum decem annis iuniorem Proclo, et totidem „seniorem Isidoro fuisse, huius tamen natales in annum DXXXI. inci„dere. Proinde, si hoc anno natus sub Iustiniano ad Persas iter fecisset, „necesse esse, vt plus, quam centenarius obierit. Sed centenarios tanti „itineris molestias non subire. Testimonia quoque supersesse, Isidorum „iam sub Anthemio et Zenone imperatoribus floruisse. Nec necesse esse, „vt statuamus, Proclum ab Isidoro iuuene iam senem auditum esse; hoc „enim nullibi legi. Immo, cum legamus, Proclum sollicitum fuisse de au„rea Platonis catena seruanda, deque Marini infirmitate metuisse, ideo„que Isidorum iam destinasse cathedrae successorem, probabile esse, Isido„rum tum in philosophia non fuisse tironem, sed magnae dudum au„ctoritatis." Hactenus clarissimus Werensdorfius. Non deessent, si nos disputandi libido vreret, quod eruditis his obseruationibus, quibus, nec eruditio, nec color deest, oggereremus. Maxime, disertum testimonium Agathiae scriptoris coaeui, qui historiam suam ab anno Christi DLIII. ad

a) loc. citando. b) Diss. I. de Hypatia §. 20. p. 38. c) ll. cc.

Digitized by Google

ad cladem Hunnorum A. C. DLIX. deduxit [l], adeoque circa illam aetatem vixit, qua pax illa inter Romanorum imperatorem et Chosroëm Persarum regem inita, inter cuius conditiones haec quoque fuit, vt philosophi, qui in Persiam iuere legati, in sedes suas reuersi, securi postea et arbitratu suo viuerent, neque quicquam, quam quod probarent, sentire, aut patriam opinionem mutare cogerentur. Hic enim, cum rem scire potuerit, videritque sine dubio viros istos philosophos, qui in Persiam ad Chosroëm regem literatum et imprimis philosophis fauentem [m] confugerant, indignationem Christianorum imperatorum euitaturi, certe res, quas descripsit, explorare potuit, graue est et periculosum, in eius textu ex nudis coniecturis delere nomen Isidori Gazaei, aut notissimum hunc philosophum cum alio ignoto, qui ostendi nequit, commutare. Qui modus rationes chronologicas ex coniecturis tantum definitas fidei historicae scriptoris nec indiligentis, nec suspecti opponendi, audax nimis fideique historicae inimicus videri potest, certe violentus est. Incertum quoque, an vita Isidori a Damascio, eo demum defuncto, descripta sit, nec a silentio illius de reliquis imperatoribus, potest secure concludi, tunc eos nondum regnauisse, nec ea tempora eius narrationem attingere; praecipue, quod pleraque scripta Damascii perierunt, vt de illis, quae ipse narrauit, iudicium fieri non possit, quousque pertingant, et, annon sub Theodorico Italiae imperante tantum scribendi initium fecerit. Verum, cum hoc loco ex solis coniecturis disceptatio instituenda sit, malumus lectori arbitrium relinquere, quam contentiose et pertinaciter aliquid statuere, patiemurque libenter, si rationes Werensdorfianas nostris praetulerit, modo rem prius accurate ponderauerit. Quod si enim concedamus, Isidori tempus paulo supra eam aetatem ponendum esse, immo, si ex Platonicorum catalogo, qui ex Persia redierunt, eum eximimus, certum tamen, et a V. C. inuictis rationibus corroboratum est, Isidorum Hypatiae tempora attingere non potuisse, multoque minus doctissimae philosophae, a nugis theurgicis, quibus vnis fere vacabat Isidorus, abhorrenti nupsisse.

pag. 350. lin. 1. 2. *Vbi haec philosophia aliquantisper adhuc personabat.* Comparandum hic fatum templi Serapidis, post furores hierophantae Olympii a Christianis euersi, quaeque ideo decreuit Theodosius. Quae res in annalibus ecclesiasticis solet enarrari legique possunt SOCRATES [n], SOZOMENVS [o] aliique, quos recentiores fere omnes sequuntur [p]. Factum id An. C. CCCLXXXIX. Memorabile autem exemplum Olympii est, qui

l) L. II. p. 69. 70. hunc exscripsit SVIDAS v. *Περσβὺς* T. III. p. 171. Conf. Cl. ASSEMANNVS biblioth. Orient. T. III. P. I. p. 406.

m) Conf. quae de hoc rege eiusque in philosophiam moralem amore, cui Pilpai fabulas debemus, T. I. p. 211. dicta sunt. Magni regis Parthorum res, a PROCOPIO, de B. P. AGATHIA, de reb. Iustin. aliisque narratas, prolixe prosequuntur auctores histor. vniuers. Britanni, T. IX. §. 599 seqq. T. XIV. §. 668 seqq.

n) H. E. L. V. c. 16.

o) L. VII. c. 15. p. 587.

p) Hist. vniu. T. XIV. §. 418 seq. p. 589 seq.

quanquam mire a DAMASCIO laudetur [p], seditionis tamen causſa et euerſi Serapii ſuo pro gentili ſuperſtitione furore extitit. Eum autem ex hoc philoſophorum genere hierophantam fuiſſe, ex allato Damaſcii loco apud SVIDAM recte colligitur [q].

pag. 351. not. t. lin. 19. *Doctaque Hypatia in matheſi celebri.* Praeter veteres hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores etiam Syneſii hiſtoria literaria huc aduocanda in ſubſidium, qui ex *γνησίοις* diſcipulis Hypatiae fuit. Recentioribus illis, quos in hac annotatione laudauimus, ſcriptoribus adiiciendi ſunt, duo viri doctiſſimi, IOANNES TOLANDVS, et Io. CHRISTIANVS WERENSDORFIVS, qui reliquis facile palmam praeripuerunt, Hypatiae hiſtoriam critico examine explorantes. Et prior quidem, edito, anno MDCCXX. *Tetradymo*, ſiue diſſertationum quaternione, in tertia ex inſtituto Hypatiae hiſtoriam tractandam ſibi propoſuit, quem tamen laborem ita abſoluit, vt allatis, quae ad rem pertinent, multis, omiſiſſe tamen nonnulla, quaedam falſa aſſeruiſſe, quaedam perfunctorie tradidiſſe iudicaretur. Quod permouit eruditiſſimum virum Ioannem Chriſtianum Wernsdorfium, filium magni parentis doctrina atque nomine digniſſimum, vt integram Hypatiae hiſtoriam ſingulari tractatione iterum examinandam atque deſcribendam ſibi ſumeret. Id quod *diſſertationibus quatuor academicis de Hypatia Alexandrina in academia Leucorea anno* CIↃIↃCCXXXXVII. *et ſequente*, in cathedra philoſophica publice ventilatis, tanta eruditionis doctrinaeque variae, maxime vero literaturae veteris ad philoſophiae et eccleſiae hiſtoriam pertinentis, et accurato iudicio digeſtae copia perfecit, vt, quid vltra in Hypatiae hiſtoria enucleanda ſuperſit, vix indicari, vel deſiderari queat. Nam *prima diſſertatione*, interſperſis vbique obſeruationibus literariis elegantiſſimis biographiam Hypatiae omnem exhibet, natales, parentes, ſtudia et diſciplinam, celebritatem philoſophicae eruditionis, habitum philoſophi ſumtum, diſcipulos, ſcripta, virtutes, vitam coelibem, falſo traditum matrimonium Iſidori, tolerantiam religionis fuſe et ex inſtituto adhibito iudicio acri luculenter delineat; *ſecunda diſſertatione*, de eius potiſſimum caede diſquirit, multamque eccleſiaſticae literaturae notitiam ſpargit, et imprimis in annum atque tempus accurate inquirit, quo ſanguine Hypatiae manus nefarie plebs Alexandrina commaculauit, idque anno CCCCXV. vel ſequenti poſt C. N. euenisſe, rationibus ſolidis firmat, et contra obiectiones munit; *Diſſertatione tertia* autem, de cauſſis caedis eius curioſe diſquirit, et imprimis Tolandi in cumulanda in Chriſtianos inuidia conatus reprimit; tandem *diſſertatione quarta, de Cyrillo epiſcopo Alexandrino in cauſſa tumultus caedisque Hypatiae contra Gothofredum Arnoldum et Ioannem Tolandum defenſo* agens, vtriusque ſcriptoris inuidiae Chriſtianos Alexandriae viuentes prementis iniquitatem reprimit. Et ad hos quidem vberrimos fontes ipſos

p) Apud SVID. T. II. v. Olympus p. 681.
q) Nam recenſet eum inter ſacrae familiae philoſophos.

Ipſos lectorem Hypatiae fama atque admiratione occupatum dimittere malumus, quam riuulos exiguos, quos tantum patitur praeſentis ſcriptionis anguſtia, in noſtra prata deriuare: certe optamus haud immerito, vt plura huius generis ſpecimina in hiſtoria philoſophica de argumento ſingulari exhiberent viri docti, cum in generali philoſophiae hiſtoria talis tractatio inſtitui nequeat. Alios recentiores, hoc lecto, facile praeterimus.

Ibid. 351. not. t. *Theone.* Conf. de eius ſiderali ſcientia WEIDLERVS in *hiſt. aſtron.* [r]

pag. 354. lin. 31. 32. *Cauſſam in plebem Alexandrinam, quae ad ſeditionem prochui fuit animo, reiiciunt.* Affert cl. Werensdorfius eiusdem ſententiae aſſeclas et Innocentiae Cyrillianae teſtes, HENRICVM SPONDANVM [s], G. I. VOSSIVM [ſſ], L. EL. DVPINIVM [t], FRID. SPANHEMIVM [u], MARTINVM CHLADENIVM [w], quos tamen omnes doctiſſima pro Alexandrino praeſule apologia ſuperauit, nihilque eorum omiſit, quae ad eum exculpandum a circumſtantiis rei, vel ingenio florente poſſunt proficiſci. Monet tamen prouide, ſe nec partibus eorum accedere, qui, quod ad caedem Hypatiae attinet, mitius tantum de Cyrillo iudicare volunt, neque etiam iis conſentire, qui de vniuerſa ſeditione Alexandrina ſtatuentes, eum penitus defendere audent. Etſi enim certum ſit, Cyrillum ſanguinis appetentem non fuiſſe, alia tamen violentiae indicia prodidiſſe, quae quidem non exagitanda in viro alias laudatiſſimo ſint, ſed potius excuſanda: ferri autem non poſſe inſana Arnoldi et Tolandi conſultia, quibus ita Cyrillum deturpauerint, vt non, niſi peſſima malefici, parricidae, latronis, verbo, hominis inſigniter mali imago ob oculos ponatur. Quae cum indigna ſint epiſcopo, et effata ac teſtimonia ſcriptorum peſſime contorſerint et ſubuerterint, ſuum eſſe credidiſſe, vt honorem Cyrilli aſſerat, eumque tot diris deuotum refecret. Quod ſibi non tantum contra Arnoldum agendum, quem HENR. BENZELIVS [x] repreſſit, ſed imprimis contra Tolandi dicteria vrgendum fuiſſe videtur, quoniam is eo tantum fine diſſertationem ſuam de Hypatia ſcripſiſſe videtur, vt memoriam Cyrilli omnibus modis macularet, virusque in ipſam religionem effunderet. Ita vero aciem inſtruit vir doctiſſimus, vt per ſingula hiſtoriae turbarum Alexandrinarum momenta eundo, quid immerito Cyrillo imputatum, quidue iure ei imputandum ſit, diſpiciat, veramque iſtorum motuum rationem ob oculos ponat, tandem vero ab ipſa caedis Hypatiae ſuſpicione Cyrillum liberet. Non patitur praeſentis loci anguſtia, vt rationes viri celeberrimi, quibus ingenioſe doctiſſimeque aciem ſuam inſtruit, afferamus, ſed legendae apud ipſum ſunt, cuncta nitide enarrantem,

r) c. VII. ſ. 4. §. 22. p. 188 ſeq.
s) Ann. eccl. 415.
ſſ) De philol. c. 2. §. 3.
t) B. nou. S. E. T. III. P. 2. p. 41.
u) T. I. Opp. p. 1027. et in Intr. p. 166.
w) Diſſ. de philoſoph. Synefii §. 3. p. 8.
x) In vindic. Cyrill. Alex. Tom. II. ſynt. diſſ. acad.

Digitized by Google

dolemus autem, eiusmodi libellos academicos non in omnium manus peruenire solere, vt consuli queant. Addemus tamen summam eorum, quae in hac caussa decernenda statuit, vt cum historia sacra seculi V. ineuntis possint comparari. Nempe monet: praeconceptum Orestis contra Cyrillum odium caussam et originem extitisse: hoc odio in Cyrillum factum esse, vt Orestes mitius cum Iudaeis ageret. Hieracem quoque in iniuriam Cyrilli atque iniuste tormentis subiectum esse; Cyrillum Iudaeos expellendo minime feciſſe, quod erat episcopi, ipsam tamen expulsionem fuisse iniustam et coactam. Orestem quoque oblatam a Cyrillo amicitiam recusantem, caussam suam pessimam feciſſe. Porro probari non posse, a Cyrillo monachos Nitrienses excitos et in Orestem immissos, quod autem ille Ammonium tormentis enectum, vt martyrem pro concione laudauerit, id vitio suo et seculi sui feciſſe: non maiori autem veritate caedem Hypatiae insidiis Cyrilli adscribi posse, quam monachorum impetum, sed furenti potius plebi Alexandrinae deberi: Socratem autem in hac turbarum Alexandrinarum enarratione paulo iniquiorem se erga Cyrillum gessisse, cum faueret Nouatianis. Haec momenta sunt, quae ab illis penitius excutienda sunt, qui de caussa Cyrilli et Hypatiae sine partis studio volunt discernere, quod huius loci non est. Nos a culpa caedis Hypatiae ipsa facile Cyrillum liberamus, longe aliter autem a tanto praesule, et muneri suo magis, quam characteri animi et temperamento conuenienter agendum fuisse, censemus. Placet nobis modestum B. Mosheimii iudicium [x]: *omnem Cyrillo laudem aequum neminem detracturum, sed neminem quoque bonum immoderatam eius rixandi libidinem, turbulentum ingenium, grauissimaque peccata excusaturum.* Sufficit, a caede Hypatiae eum videri absoluendum culpamque in Theodorum lectorem esse referendam, accusandam quoque Alexandrini populi ferocitatem inque seditiones procliuitatem, multum quoque deberi furentibus plebis moribus, Orestem autem et Cyrillum et religione et partis studio inter se diuersissimos, potuisse totam istam lanienam auertere, si auctoritate et officiis, quibus poterant, voluissent vti. Ita scilicet Iliacos intra muros peccatur et extra. Ceterum memorabile testimonium innocentiae Hypatiae, religionis controuersiis se nunquam immiscentis est, quod, quamuis nondum ex memoria hominum apud Alexandrinos deleta fuerit facinoris huius atrocitas et inuidia, nemo tamen Isidoro, eiusdem sectae homini post fata Hypatiae Alexandriam venienti grauis fuerit, quod nos Suidas [y] docuit.

pag. 355. lin. 19. *Virginem itaque obiisse oportet.* Luculenter hoc euinci potest ex epigrammate Pauli Silentiarii [z], in quo canit:

Ὅταν βλέπω σὲ, προσκυνῶ καὶ τὺς λόγυς
Τῆς παρθένυ τὸν οἶκον ἀςρᾶον βλέπων,

Εἰς

x) Inst. H. E. C. antiq. Sec. V. P. II. c. 2. §. 9. p. 380.
y) In Isidoro loc. cit.
z) Anthol. L. I. p. 108. ed. Steph.

Εἰς ἠρανὲν γὰρ ἐξὶ σᾶ τὰ πράγματα
Ὑπάτια σεμνὴ τᾶν λόγαν ἐυμόρφια,
Ἄχραντον ἄστρον τᾶς σοφᾶς παιδεύσεως.

Ex quo conſtat, poëtam, capta occaſione a virginitatis ſtatu, in quo tantam ſapientiae dulcedinem Hypatia oſtenderat, eam cum virginis aſtro in coelo comparauiſſe. Fauiſſe autem ſcholam Platonicam coelibi vitae et abſtinentiae a coniugio, ſupra iam obſeruatum et exemplis illuſtratum, quibus hoc loco addimus, Theoſebium ex hac ipſa hominum familia philoſophum, referente DAMASCIO [a], cum vxorem haberet, neque liberos ſuſciperet, pactum eſſe cum vxore abſtinenter viuere, atque in perpetuam huius rei teſſeram annulum continentiae ei dediſſe. Ceterum annus Hypatiae natalis incertus eſt. Παλαιὰν γυναῖκα fuiſſe cum occideretur, affirmat IOANNES MALALA [b], famaeque ad ſummum productae; vnde non ſine veriſimilitudine conficit WERENSDORFIVS [c], circa annum CCCL. natam eſſe, ſic, vt ſexageſimum quintum viuendo expleuerit, et ſic natales eius inciderint in tempora Conſtantii, SVIDAS autem ſub Arcadio ait floruiſſe [d]; et ſub Valente et Valentiniano iam celebrem fuiſſe, ex PHILOSTORGIO concludi poteſt, qui ſub horum imperatorum geſtis Hypatiae meminit.

pag. 358. lin. 11. *Curatius cupiunt eruditi.* Valde ſumus laetati, cum vir beatus, qui in hoc doctrinae genere vere regnabat, et, qui primus nobis lucem accenderat, curatius huius ſectae hiſtoriam enarrandi, publice teſtaretur [e], hos noſtros labores illi non diſplicuiſſe.

pag. 360. lin. 4. *Qui haec negauerit.* Rogamus lectorem, vt cum hac obſeruatione ea iungat relegatque, quae ad *Tom. I.* [f] *de philoſophia Aegyptiaca* attulimus, et dudum dictis, maxime contra Wachterum adiecimus, conſulatque τῦ πάνυ IABLONSKII diligentiam, qui pluribus exemplis confecit [g], Graecos dogmata theologica Aegyptiorum vehementer interpolaſſe atque corrupiſſe, ſuam porro theologiam cum Aegyptiaca commiſcuiſſe atque confudiſſe, et quae alia huius generis ſunt, quae ſine pudore negari non poſſunt.

Ibid. lin. 21. *Non videtur tamen Polemo.* Pro Polemo, quod ſphalma typographicum expreſſit, ponendus eſt Potamo, quem ſyncretiſmi huius primum parentem fuiſſe, ſuo loco euicimus.

Ibid. lin. 31. *Omnem doctrinam Chriſtianam eiurans.* Etiam de hoc capite ſupra mentem noſtram expoſuimus, addentes B. Moshemio in curis poſterioribus [h] Ammonium viſum eſſe, ſyſtema quidem Chriſtianum cum gentili Platonico vel Alexandrino miſcuiſſe, publicam tamen Chriſtianae religio-

a) loc. cit. PHOT. Cod. 242.
b) Hiſt. chron. T. II. p. 60. ed. Oxon. Edw. CHILMEADI, et T. vlt. Scr R. B.
c) loc. cit. d) loc. cit. diſſ. I.
e) Append. ad diſſ. H. E. Vol. I. p. 757.
f) Ad p. 249. et paſſim.
g) Panth. Aegypt. P. I. p. 43. 46. 51. 69. 87. 94. 139. 169. 191. 288. P. II. p. 26. 38. 202. etc. et paſſim per totum librum doctiſſimum.
h) loc. cit.

religionis profeſſionem non deſeruiſſe. Quanquam autem id nobis non perſuaſerit vir ſummus, nihil hic tamen diſſenſus de religione eius publica facit ad debilitandam hanc obſeruationem, quae ipſo ſyſtemate eclectico nititur, quod inueniſſe Ammonium, certe in formam redegiſſe, neuter negat.

pag. 361. lin. 26. 27. *In ſe iam ad enthuſiaſmum pronam.* Repetendum hoc loco, quod ad T. I. obſeruauimus, quamuis Plato materiam Deo e diametro opponeret tanquam principium *συναΐδιον*, rerum tamen intelligibilium, et quae inde exortae ſunt ſpiritualium originem ex emanatione deriuauiſſe, eo quod ex nihilo nihil oriri ipſe quoque ſtatueret, mira autem temperatura haec emanatiua cum materiali principio in anima mundi mixta, et ſic etiam cum anima humana comparata eſſe, quae liberanda et in fontem ſuam reducenda ſit, ſomniaret. Haec cum Platonici recentiores recepiſſent, materiam quoque ex Deo ortam eſſe commenti ſunt, ſed contradictorio ſenſu, excogitantes materiam intelligibilem mundumque aeternum et pariter intelligibilem, in quem omnia remeatura ſint, relictis materiae grauioris inquinamentis, idque multis reuertentium ad ſuos fontes ordinibus gradibusque fieri, de quibus infra ex inſtituto docetur. Ita vero non potuit non ſyſtema exſurgere, quod totum eſt enthuſiaſmo infectum. Sine hac claue mirabile et phantaſticum ſyſtema intelligi nequit. Conferendus vero *de enthuſiaſmo Platonico* MICH. HANSCHIVS, qui prorſus ex vero obſeruat [h], *enthuſiaſmum Platonicum apud Aegyptios ſub Mercurio, apud Chaldaeos Indosque ſub Zoroaſtre natum eſſe, nutritum apud Thraces ſub Orpheo, adoleuiſſe ſub Pythagora, apud Graecos et Italos et tandem a Platone et ſectatoribus in Graecia maxime et Italia eſſe conſummatum et in literas redactum.* Quod malum non a Platone tantum conceptionis ſemina accepiſſe, ſed imprimis a Platonicis ſequioribus ad *ἀκμὴν* perductum eſſe, libere quoque fatetur, et ex horum quoque hominum praeceptionibus totam huius ſyſtematis fanatici faciem erudite depingit, dignus, qui ab illis legatur, qui hoc argumentum curatius ſcire cupiunt, quod magnum momentum habet in hiſtoria eccleſiaſtica atque philoſophica. Vnum in hac docta commentatione dolemus, Platonismum ante C. N. ab eo, qui poſt illud tempus in ſchola eclecticorum regnault, non ſatis eſſe diſtinctum, cui tamen medebitur attenta, quod exhibuimus, ſyſtematis Platonico-Alexandrini lectio atque conſideratio, et imprimis eorum, quae §. ſequente prouide et accurate monita ſunt, ad argumentum hoc applicatio.

pag. 369. lin. 8. *Ven. MOSHEMII commentatione.* Repetiit vel nouo magis examine refinxit vir acutiſſimus ſuas de origine ſyſtematis Ammonii cogitationes in *hiſtoria ſiue commentariis de rebus Chriſtianorum* [i], bona fruge plenis et paulo ante beatam analyſin emiſſis, in quibus maturius ſe multa perpendiſſe, nos paulo ante fata ipſe per literas monuerat: ſuntque talia,

h) Sect. III. p. 42.

i) Sec. II. §. 27 ſeqq. p. 280 ſeqq.

Digitized by Google

talia, quae consideratione dignissima sunt, lucemque plurimam a nobis dictis foenerantur, nosque in hac nostra argumenti obscurissimi explicatione mire confirmauerunt. Pulchre is inter alia obseruat, „Ammonium „non tantum sectarum omnium tam Graecarum, quam barbaricarum ve„rum etiam omnium religionum, et imprimis Christianae concordiam „fuisse molitum, idque studuisse vt omnium gentium bonos et sapientes „viros, tanquam vnius matris filios, vt in vnam migrarent familiam, ad„duceret. Itaque disputauisse: sapientiam inter populos Orientis, Indos, „Persas, Chaldaeos, Aegyptios auctore Hermete Trismegisto, Zoroastre „Orpheo, aliisque magnis et diuinis viris natam et educatam inter Grae„cos a Pythagora potissimum et Platone susceptam et cultam fuisse, a qui„bus licet alii Graecorum philosophi dissentire viderentur, iudicio tamen „et attentione adhibita discordiam illam sanari atque ostendi posse, mi„nutis tantum rebus et tradendi modo egregios istos homines distare: „cum philosophia popularem religionem amice conuenire; verum huic „idem euenisse, quod philosophiae, vt paullatim commentis hominum, „superstitione ac fabulis corrumperetur, et obscuraretur; purgandam ita„que et ad veram rationem suam reuocandam et ex philosophiae prae„scripto interpretandam esse. Atque hoc vnum in animo habuisse Chri„stum, vt veterem sapientiam restauraret et integritati suae redderet, vt „superstitioni vbique dominanti modum poneret, vt errores in populo„rum religiones inuectos partim corrigeret, partim necaret. Et hoc fa„natici et insanientis hominis consilium omnes sectas et religiones con„sociandi non tantum iniquissimas interpretationes veterum sententiarum „ac dogmatum postulasse, verum etiam dolos et fallacias.“ Quae omnia vera omnino esse, ea quae a nobis allata sunt veterum testimonia comprobant, quamuis non nihil in inquirendo Ammonii et sequacium consilio, virum incomparabilem nimis dedisse suspicioni atque coniecturae, nolimus prorsus negare. Certe res ipsa testis est, et quae in obseruationibus eruditissimis attulit testimonia manifeste euincunt. Imprimis autem egregia est obseruatio, Ammonium, Plotinum aliosque huius γεννήματος homines ex Orientali Persarum et Indorum sapientia, quam ad Aegyptios postea fuisse delatam, credebant, suam philosophiam cupiisse haurire. Quae causa est, cur in tot dogmatibus et placitis Ammoniana philosophia, siue systema eclecticum et Alexandrinum cum Orientali conueniat, vt multis exemplis demonstrauimus, et ipse Iamblichus negare non potuit. Quale vero systema philosophiae hoc henoticum studium Ammonii et sequacium genuerit, posito semel principio, ex Aegypto accepto: omnia ex Deo esse, omnia in Deo esse, omnia vnum esse, Deum et mundum vnum quoddam totum constituere, id in sequentibus distinctius enarrat Moshemiana industria, quae pro prolixioris nostrae narrationis compendio adhiberi possunt. Is vero diligenter quoque et ex instituto enumerat, quale Ammonii iudicium de Christo fuerit, et, qua

ratione Christianae religionis mysteria et decreta ad suum scopum inflexerit, et corruperit, quae gratius ex ipso fonte, quam ex riuulis nostris lector hauriet: quae, etsi nihil noui afferunt, luculenter tamen narrationem nostram de hoc argumento confirmant, cur toties Christianis placitis suas nugas Ammonius attemperauerit, in aprico ponentes, et imprimis euidenti moralis doctrinae facie, qualem hi homines pinxerunt, Christianis vsi coloribus rem illustrantes. Vbi tamen cauendum, quod illustri scriptori accidit, ne omnia ad vnam Christianam, cui adhaeserat Ammonius, professionem velut fontem referantur. Nam, nec certum est, immo nec verisimile, Ammonium in Christianae fidei confessione perstitisse, vt supra probatum; nec totum illud systema eclecticum, praecipue morale Ammonio soli tribui debet, de quo pauca scimus, sed Plotinianae scholae, iisque philosophis, qui iurati fuerunt Christiani nominis hostes: qui non, quod haec Christiana pro sacris haberent veritatibus, suas nugas illis attemperarunt, sed, quod persuasum illis erat, ita melius se inualescenti et publica auctoritate nixae religioni Christianae vulnus posse infligere mortiferum, quae spes quoque eos non fefellit.

pag. 430. lin. 8. *Aliisque praeterimus.* Non omittimus tamen luculentum locum eiusdem furfuris philosophi, ALEXANDRI LYCOPOLITAE in libello *contra Manichaeos* [k], vbi ait: *καί τοι ὲ δεομένε τε Θεε πρὸς τὰ ἀποτελέσματα ὕλης, Deum non indigere materiae ad condenda mundi opera.* Non poenitebit operae lectorem harum rerum curiosum, ad hunc locum relegere eruditam et magno iudicio conscriptam dissertationem MOSHEMII *de creatione ex nihilo*, qua acute in his tenebris videre, et, quid distent aera lupinis, intelligere licebit. Inseruit eam vir beatus Cudworthiano operi [l]. Multum in hoc argumento se passi sunt decipi Platonici recentiores, Ficinus, BESSARIO [m] aliique, qui tamen recte viderunt, hoc ad creationem ex nihilo nihil posse afferre, cum mundum aeternum esse statuant, eumque Deo velut vmbram adhaerere. Luculenter ZACHARIAS MITYLINAEVS [n]: *quemadmodum quoduis corpus est cauſſa vmbrae ſuae, aequalis autem est tempore vmbra corpori, non item honore: ita mundus hic est ſequela Dei, qui cauſſa est ipſi, vt ſit et coaeternus Deo, at non compar honore* [o]. Quae quanquam ita se habent, nec Platonicae scholae arrisisse materiae creatio ex nihilo sensu christiano sumta, affirmari possit, certum tamen est, formulam atque verba a Christianis mutuum sumsisse, vt tela eorum effugerent.

pag.

k) In COMMERSII auctar. nouiss. B. PP. Tom. II. p. 6.
l) pag. 957 seqq.
m) In Calumn. Plat. c. 5.
n) De opific. mundi p. 187. ed. Barth.
o) Conf. LIVIVS GALANTES comparat. theol. Christ. cum Platon. L. IX p. 236. et quae ad h. l. monuit Moshemius, qui recte quoque CVDWORTHVM Syst. int. c. V. s. 2. p. 751. 758. ideo notat, itemque HVETIVM Q q. Alnet. L. II. c. 5. atque P. BAYLE Dict. T. II. v. Hierocles not. A. quorum vterque Hieroclis loco assertionem hanc tuentur, neque tamen sensum eius satis assecuti sunt.

Digitized by Google

pag. 456. lin. 13. *Homo duas habet animas.* Locus hic eſſet, de hac duplici anima prolixius differendi, cum non ignobile in ſchola eclecticorum argumentum, innumeris nugis veſtitum et ornatum quaſi, exhibuerit. Sed vetat paginae anguſtia ad hanc ſpecialem materiam deſcendere, ideo lectorem ad MOSHEMII obſeruationes dimittimus, qui, quae de duplici hac anima ex veteri philoſophia illuſtrata dici poſſunt, vberrimis annotationibus CVDWORTHI diligentiae p) in eo argumento itidem feliciter et erudite verſatae adiecit. Huius enim generis diſputationibus voluminoſius opus hoc noſtrum efficere non licet.

p) Syſtem. intell. c. V. ſ. 3. §. 16. p. 1526 ſqq. quibus Moshemianae obſeruationes p. 1036 ſeqq. iunctae ſunt.

AD SECTIONEM QVINTAM.

DE SECTA PERIPATETICA.

pag. 463. lin. 20.

Plenam tamen huius ſectae non dedere notitiam. Promittit quidem *bibliotheca philoſophica* STRVVIANA a Cl. KAHLIO poſt alias acceſſiones *vltra dimidiam partem auctа*, ſingulari capite de fontibus philoſophiae agere, ideoque paragrapho tertio [a], multa, quae ad hiſtoriam literariam ſcholae Ariſtotelicae pertinent, erudite cumulat, et imprimis Alexandrum Aphrodiſaeum, Themiſtium, Ammonium Alexandrinum, Simplicium, Ioannem Grammaticum, dictum Philoponum, Ammonium Hermeae, Michaëlem Epheſium, tum ex Arabibus vnum Auicennam, et ex Latinis Seuerinum Boëthium enumerat, ſequenti vero paragrapho Scholaſticos celebriores adiungit: ea vero methodo, vt ſolis fere editionum recenſionibus vacet, nec afferat multa, quae ad philoſophiae hiſtoriam pertinent, vnde tota iſta tractatio manca eſt, et ſplendidum capitis titulum minime exhaurit, multa omittit, quae vel ex ſola bibliotheca *Graeca Fabriciana* poſſent ſuppleri.

pag. 465. lin. 4. 5. *Simplicius videtur vsque ad Mauritii tempora vixiſſe, qui imperium coepit anno* CCLXXVI. *poſt renuntiatum a Diocletiano imperium.* Mire hic rationes chronologicas obſcurat Patricius. Abdicauit enim ſe imperio Diocletianus, A. C. CCCIV. Simplicius ſub Iuſtiniano imperatore vixit, et circa Sec. VI. medium cum aliis Platonicis ad Choſroëm confugit, facta pace et obtenta ſecuritate paulo poſt redux, vt ſupra probatum, Mauritius, mortuo Tiberio, imperare coepit anno Chriſti DLXXXII. quas epochas imperatorum demonſtrauit accuratiſſimus PETAVIVS [b]; itaque verba Patricii, *qui imperare coepit anno* CCLXXVI. *poſt renunciatum a Diocletiano imperium*, ad ſolum Mauritium, non vero ad Simplicium, quod

a) pag. 40 ſeqq. b) In rationario temp. P. II. c. 10. p. 894 ſeqq. c. 15. p. 909 ſeqq.

Digitized by Google

quod verba prima facie prae se ferre videntur, referri debent: qui hiatus in serie Peripateticorum enumeranda, quam, vnde suppleret Patricius, non habuit, inde deriuandus est, quia schola eclectica Peripateticos genuinos omnes in illa temporis a Diocletiano ad Mauritium periodo deuorauit, vnde Eclecticis istam Peripateticorum periodum quoque Patricius repleuit, quamuis Platonici voluerint haberi, nempe, quod praeclare quoque in exponendo Aristotele versati sunt.

pag. 468. not. m. *Historiam astronomiae delineauerunt.* Inter eos consulendus quoque WEIDLERVS [c]. Loca de Sosigene allegata extant PROCLI [d] in hyp. astron. SIMPLICII L. II. *de coelo* [e].

pag. 484. not. f. *De Themistio praeter Suidam.* Addendi illis, qui Themistii vitam descripserunt *Auctores historiae vniuersalis* [f], qui quidem Tillemontianis memoriis maxime vti sunt, in eo tamen cum commodo lectoris possunt consuli, quod potiora loca, quae res Themistii tangunt, ex illius orationibus indicarunt. Illi aetatem Themistii in Sec. IV. coniiciunt, et non tantum coaetaneum faciunt Constantii, sed eodem cum eo anno natum nempe CCCXVII. statuunt. Peruenit autem in aulam Constantii circa annum CCCXLVII. quo prima vice orationem ad eum habuit, a quo deinde CCCLV. in senatum vrbis CP. cooptatus est. Tantus autem non eloquentiae tantum laude, sed philosophiae, cum Platonicae, tum Peripateticae celebritate fuit, vt ingens auditorum eius atque discipulorum numerus esset, et Sicyon quidem philosophus, Iamblichi discipulus, omnes auditores suos ad hunc ablegaret [g]. Id quod eo facilius fieri potuit, quia fine mercede docebat, eo quod nomen sophistae quaestus caussa docentium refugiebat [h]: verum haec ad priores eius vitae annos pertinent: virilem enim et senilem aetatem maximam partem in aula eiusque negotiis muneribusque publicis consumsit.

pag. 493. lin. 12. *ZONARAS.* L. III. p. 84. quem locum ad illustrandam historiam literariam huius temporis memorabilem nos supra [i] in his accessionibus commendauimus, mentione huius incendii facta.

Ibid. lin. 15. *Quod fatum Athenas ex ea caussa passas esse notat Eunapius.* Consulenda de hac Graeciae calamitate, quae in compendio affert IO. MEVRSIVS [k], qui Synesii loca adducit, quibus episcopus literatissimus ingentem literarum iacturam, quam Athenienses Musae tunc passae erant, vehementer dolet. Coepit istud fatum in inuasione Alarici, quod extenuat quidem ZOSIMVS, ceteri autem scriptores coaeui grauiter depingunt. Certe SYNESIVS [l], testis oculatus de Athenarum suo tempore fato philosophico: *αἱ δὲ Ἀθῆναι, πάλαι μὲν πόλις ἐστὶ σοφῶν, τότε νῦν ἔχουσι συμφύσιν αὐτὰς οἱ μελιτουργοί.* Sed et reliqua huius loci legenda sunt.

c) Hist. astr. c. 6. §. 19. p. 151.
d) pag. 353.
e) Com. 46.
f) T. XIII. p. 414 seqq. ed. Germ.
g) Vid. Or. XXIII. p. 295.
h) Ibid. i) Ad pag. 13.
k) De fortuna Attica §. 10. p. 107 seqq.
l) Ep. 135.

AD

Digitized by Google

AD SECTIONEM SEPTIMAM.

DE SECTA STOICA.

pag. 545. lin. 28.

NIC. ANTONIVS. Conſulendaquoque, quae de rebus Senecae tam politicis, quam literariis differit *hiſtoria orbis vniuerſalis, Tomo XIII.* [a]:

pag. 546. lin. 1. *Adſcitos fuiſſe conſtat.* Memorabile in hiſtoria literaria Romanorum nomen eſt Cordubae vrbis clariſſimae, quod haud vnum virum literis excellentem orbi Romano dedit. Vnde MARTIALIS [b]:

Duos Senecas vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Et CICERONIS quidem aetate poëtae Cordubae nati pingue quiddam ſonabant atque peregrinum, aſt non contemtos fuiſſe a Metello, qui de rebus eius ſcriberent, idem teſtis eſt [c], et breui poſt: *feraciſſima ingeniorum facta eruditiſſimos et illuſtres viros iſta colonia aluit, eminens inter colonias Romanas in Hiſpaniam miſſas:* vnde coloniae Patriciae nomen accepit, quia ὤκησαν ἐξ ἀρχῆς Ῥωμαίων τε καὶ τῶν ἐπιχωρίων ἐπίλεκτοι ἄνδρες, *inhabitarunt cum initio ex Romanis et indigenis ſelecti viri* [d]. Inde coloni eius abſolute dicti Patricienſes, quod ex inſcriptionibus apud GRVTERVM [e] confirmat CHR. CELLARIVS [f]. Ex quibus conſtat, celebrem iam ante Auguſti tempora inter Romanos Cordubae famam atque nomen fuiſſe. Equeſtri et prouinciali loco ſe ortum eſſe, ipſe iactat Seneca [ff].

pag. 549. lin. 20. *Et haec quidem ita ſe habere, dicta ſatis probant.* Diligenter hic in ſtudio philoſophiae ſectario inter ſe diſtinguendo verſandum eſt. Et purum putum quidem Stoicum Zenonis vel Cleanthis veſtigia preſſe ſequentem ſe efformare non voluiſſe Senecam, ex dictis apertum eſt, et paſſim in epiſtolis [g] probat, ſe a Stoicis diſcedere audere, ſuumque vel aliorum iudicium ſequi. Sed, nec nomen quoque Stoicae Sectae ex inſtituto dediſſe, vt Stoicus audire poſſet, ipſe ſatis prodidit ſcribendo [h]: *Non me cuiquam mancipaui, nullius nomen fero, multum magnorum virorum iudicio tribuo, aliquid et meo.* Vbi imprimis ad vocem mancipaui attendendum eſſe putamus, quod ex vſu Romanorum ſignificat, e poteſtate ſua abire, nec amplius ſuum eſſe, alienum fieri, deſinere ſui iuris et mancipii eſſe [i]. Quibus recte et eleganter, Seneca a ſectario obſequio ſe liberauit, nec in Zenonis vel Chryſippi ſeruitute et obſequio viuere et ſentire ſtatuit. Et hoc quidem ſenſu facile Senecam a ſectae

a) pag. 645 ſeqq.
b) L. I. ep. 62. quo celeberrimos ex coloniis Rom. viros nominat.
c) Pro Archia c. 10.
d) STRABO l. c. p. 97.
e) pag. 460. n. 10.
f) Geogr. Antiq. L. II. c. 1. p. 86.
ff) Ap. TACITVM Ann. L. XIV. c. 54.
g) Vid. ep 113. 117. h) Ep. 45.
i) Conf. GRONOVIVS ad h. l. n. 4. T. II. p. 198.

Digitized by Google

Stoicae mancipio liberum pronuntiamus: nec magnopere id quoque mirabitur ea recogitans, quae ſupra de philoſophiae Romanae ſtudio ſectario diximus probauimusque, nullum virum grauem et prudentem adeo ſe ſectae alicui dediſſe, vt non eclectica quadam libertate ex aliarum quoque ſectarum decretis delibauerit, quae ipſi, aut veriora, aut veriſimiliora videbantur. Id quod eo magis ad Stoicam ſectam trahendum eſt, quod in hac eligendi vel conciliandi potius libertate Antiochum Aſcalonitam ducem, Ciceronem, et Iuriſconſultos Romanos plurimos habebant comites atque exempla. Quae Senecam ipſum fuiſſe ſecutum, memorabili loco prodidit; ita enim de *vita beata* [k]: *noſtram opinionem cum dico, non alligo me ad vnum aliquem ex Stoicis proceribus: eſt et mihi cenſendi ius. Itaque aliquem ſequar, aliquem iubebo ſententiam diuidere: fortaſſe et poſt omnes citatus nihil improbabo ex his, quae priores decreuerint, et dicam: hoc amplius cenſeo. Interim quod inter omnes Stoicos conuenit, rerum naturae aſſentior: ab illa non deerrare, et ad illius legem exemplumque formari ſapientia eſt.* Quibus verbis, vt morem ferendae ſententiae ſenatoriam Seneca expreſſit [l], luculenter conſtat, non ſe aliena quadra in philoſophia ſuſtentauiſſe, ſed ſuo ſtatuiſſe peculio. Sed haec tamen omnia non euincere poſſunt, vt ex Stoicorum albo, quales nempe eo tempore Roma aluit, delendus eſſe videatur: cum quaeſtio non ſit, an Stoicam ἐκλεξιν ſecutus Seneca, nec ne, ſed, an integrum ſyſtema porticus in toto ſuo ambitu et connexione, maxime quoad principia phyſiologica et moralia admiſerit illique adhaeſerit, quod ille demum negabit, qui eius decreta, quae copioſe per omnes tractationes ſuas diſſeminauit, nunquam ſuis nexibus copulata inſpexit. Id quod ipſe in adducto loco ſatis prodidit, vbi πρῶτον Stoiciſmi moralis principium: naturam ſequi, pro primo ſententiae ſuae axiomate poſuit, cuius plurima exempla poſſent afferri, ſi id hoc loco ageretur. Interim ex hac obſeruatione haec cautela enaſcitur, ſtudium ſectariae philoſophiae inter Romanos Caeſarum tempore non adeo ſtricto ſenſu ſumendum eſſe, quam valebat in libera adhuc Graecia, et non erubuiſſe, primipilos ſectarum, principesque etiam ex alienis, quae placebant, in ſua arua deriuare. Id quod Senecam ex Chriſtianis decretis, quae tunc in aula Neronis increbuerint, feciſſe, luculentis exemplis [m] manifeſtum fecimus.

pag. 553. lin. 17. *Quod eleganter enarrans Tacitus.* Comparandus ad h. l. Io. SCHILDIVS in *exercit. in Tacitum* [n], quique alii vitam mortemque Senecae conſiderationibus illuſtrauerunt, DELRIO [o], FR. SALVATOR [p], alii.

pag.

k) cap. 3.
l) Vid. LIPSIVS ad h. l.
m) Diſſ. de Stoicis ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus §. 3 ſeqq. Miſcell. hiſt. phil. P. I. Obſ. 9. §. 3 ſeqq. p. 231 ſeqq. conf. quos laudat FABRIC. B. L. T. II. p. 513 ſeq. qui copioſe ſcriptores enumerat.
n) Prodiere Lugd. Bat. 1645. 12.
o) Proleg. ad Synt. tragoed. Lat. L. II.
p) Vid. FABRIC. bibl. Lat. T. II. p. 497.

Digitized by Google

pag. 558. not. z. *Vita Senecae t. 7. p. 28.* Addendus locus inter *epiſtolas ad Belgas* [q], vbi non erubuit Lipſius ſcribere: *poſt ſacras literas nihil in vllo orbe in vlla lingua ſcriptum vtilius, meliusque.* Dubitabit de hoc affirto, qui vel ſolum ex Stoicis Epictetum, cum Seneca comparauerit.

pag. 568. not. m. *De philoſophia Epicteti.* Diligenter vir doctiſſimus, more ſuo, in hac diſſertatione obſeruationibus virorum eruditorum ſuas adiecit, de Epicteti ſtirpe, patria, ſeruitute, praeceptore, ſtudiis, migratione Nicopolin, diſcipulis, ſtatu corporis, coelibatu, paupertate, morte et aetate, vbi curatius quoque inquirit, an adhuc ſub M. Antonino ſuperauerit, quod nouis rationibus negat, tum de ſcriptis et illuſtratoribus Phil. Epicteteae, cuius poſtea compendium luculentum exhibet, quocum IAC. SCHALLERI *philoſ. moralis Epicteti* comparanda.

pag. 578. not. f. col. 2. *Alios vbique occurrentes tacemus.* Vitam Marci Aurelii nemo praetermiſit, qui vel hiſtoriam orbis vniuerſi, vel res geſtas in orbe Romano enarrauit, qui in bibliothecis hiſtoricis ſolent nominari. Qui ſuccinctam Antonini hiſtoriam, cum reliqua rerum vniuerſi cohaerentem legere cupiunt, illis ſatisfaciet auctorum *hiſtoriae vniuerſalis*, quae inter Britannos primo prodiit, narratio [r]. Illi tamen in plerisque Tillemontium ſequuntur, laudatis tamen veterum hiſtoricorum locis atque teſtimoniis, quos lector etiam in hac parte, quae philoſophiae hiſtoriam reſpicit, ipſe reſpiciat, commendamus, et cum Antonini commentariis moralibus comparare iubemus, vt verus Stoiciſmi character in magno imperatore appareat, ex quo tot eius actiones velut ex fonte propullularunt [s].

pag. 588. lin. 15. *Poenam luendam eſſe.* Secuti ſumus in referendo hoc decreto imperatorio ad Marcum Aurelium Antoninum, plerorumque ex recentioribus opinionem, decretum hoc de non vexandis Chriſtianis, cuius meminere Iuſtinus et Euſebius, ad Aurelium pertinere, perſuaſi inſcriptione ſcripta anno I. eius imperii, cum tertium eſſet conſul. Vnde recte ab Euſebio Antonino pio hanc epiſtolam tribuente itemque Zonara, et ex recentioribus P. Halloix, Idem ſentientibus diſceſſiſſe VALESIVM, iudicauimus. Aſt non diſſimulandum, graues occurriſſe difficultates viris aliis doctis in hac ſententia, quibus tutius viſum eſt, cum Euſebio hoc decretum ad Antoninum pium referre. Hi, vt alia taceamus, imprimis ad teſtimonii fidem prouocant, qua ſcimus, terrae motus illos, quorum edictum meminit, quorumque occaſione populus Aſiaticus Chriſtianos aggreſſus erat, teſte CAPITOLINO in *vita Antonini* [t], ſub huius imperio accidiſſe. Vnde colligunt, viros doctos, qui Marco hoc edictum tribuunt, ideo tantum hoc facere, vt mala ſub Antonino Pio Chriſtianis illata extenuent, atque poſt leuem calamitatem, quam ſub initium

q) Cent. I. ep. 42. T. III. Opp.
r) Tom. XIII. §. 374 ſeqq. p. 363 ſeqq. verſ. Germ.
s) Vid. MOSHEIM. Hiſt. Chriſt. ante Conſt. M. Sec. II. §. 14. p. 240 ſeqq.
t) cap. 9.

Digitized by Google

Initium Imperii eius ſenſerant, ſuperatam, perpetua eos pace ſub hoc Imperatore vſos eſſe, perſuadeant. Qua de re, curatius definienda, alio loco in hiſtoria Chriſtianae ciuitatis diſpiciendum eſt. Illud dubio caret, ſub ipſo Marci Imperii exordio priſtinam illam Chriſtianos accuſandi licentiam recruduiſſe, vnde Iuſtino Martyri occaſio enata eſt, Chriſtianorum apologiam ad imperatorem componendi, priori et oratione et argumentis ſimilem, eam autem ſucceſſu caruiſſe, ſed potius calamitates Chriſtianorum acutas fuiſſe et exaſperatas, addidiſſe quoque imperatorem edicta Chriſtianis inimica, per quae voluntas deferendi et accuſandi accendi poterat. Qua in re ad Melitonis apologiam apud EVSEBIVM [a] prouocant, vbi Melito nouorum in Chriſtianos edictorum in Aſia promulgatorum meminit, vnde impudentiſſimi homines occaſionem ceperint, palam diu noctesque graſſandi, quamuis hoc inſcio imperatore fieri ad leuandam inuidiam Melito aſſerat. Qua de re tamen hoc loco fuſius diſputari non poteſt, alibique prolixius eae accuſationes examinandae ſunt, quibus hoſtes Chriſtiani nominis confeſſores apud Marcum deferebant, impietatem ſiue Atheiſmum, coenas Thyeſteas, et Oedipoteos, ſiue inceſtos concubitus cauſſantes, qua de re ex apologiis PP. iudicandum eſt, quae ad hos noſtros limites non pertinent. Quicquid autem eius rei fuiſſe momentum poteſt, illud dubio caret, imperatorem natura benignum atque aequum a philoſophis, in quorum arbitrio totus fere erat, excitatum fuiſſe, vt impietatem, inſaniam, obſtinationem, quam Chriſtianis delatores illi obiiciebant, tanquam veram admitteret, indignosque haberet, qui in ciuitate rationali et humana, velut generis humani hoſtes tolerarentur. Ceterum expendi meretur deſideratiſſimi MOSHEMII [b] conſideratio, vnde euenerit, vt ſub imperatore philoſopho, nec hebetis ingenii deterior fuerit Chriſtianorum conditio, quam ſub imperatoribus antecedentibus, philoſophiae cognitione deſtitutis. Nam ſuperſtitionem eius accuſari non poſſe, inde probat, quod propter religionem plecti eos noluerit: veriſimilius autem putat, immoderatam eius lenitatem, quae propius aberat ab incuria et inertia, atque ex Stoica illa mentis conſtantia et ſerenitate, quam ἀπάθειαν nominant, oriebatur, effeciſſe, vt malos homines, quae facere vellent, pateretur, et facinora etiam tranquilla mente ſpectaret. Addit his vir κριτικώτατος: philoſophum imperatorem contemplationi deditum et ſpeculando magnam partem temporis fallentem modice curaſſe, quid rerum in imperio gereretur, et qua fide praefides et magiſtratus commiſſa munera obirent. Malam autem de Chriſtianis opinionem philoſophorum odio et criminationibus tribuendam eſſe, certe eam, quam de Chriſtianis imperator opinionem prodidit, non aliis, quam philoſophis poſſe adſcribi, a quibus inductus ſit, vt Chriſtianos velut amentes et furibundos ſine ratione mortem fortiter ſubire crederet, etc. ſed et reliqua apud virum doctiſſimum legenda

a) L. IV. c. 26. b) loc. cit. pag. 244.

Digitized by Google

legenda et examinanda ſunt, an ſoluendae quaeſtioni ſatisfaciant. Nobis vna philoſophorum ſeu omnium communis quaedam conſpiratio atque odium in Chriſtianam religionem potiſſimum accuſandum eſſe videtur, eo quod Chriſtianae fidei aſſeclae omnem aliam religionis ſectam condemnabant atque reiiciebant, non adducto noui ſyſtematis ratiocinio, ſed inculcata tantum ſimplici fidei auctoritate. Quod cum omnem philoſophiam ſectariam eiurare iuberet, facile imperator, philoſophis addictiſſimus perſuaderi potuit, vt remoueri ex ſocietate humana eiusmodi homines iuberet, quorum amentia omnis philoſophia periret. Certe ignotum rerum Chriſtianarum huius aeui gnaris eſſe non poteſt, a philoſophis gentilibus ideo fortitudinem Chriſtianorum in obeundo hilariter martyrio fuiſſe caiumniis preſſam, quod non rationibus ſyſtematicis atque philoſophicis ad hunc mortis contemtum fuerint progreſſi, ſed, quod ipſi putabant, ψιλῇ παραταξει (quae ipſius ANTONINI [x] vox eſt) mera obſtinatione, et amentia quadam inconſiderate in mortem proni ruerint, cum e contrario ſapiens conſiderate et conuenienter ſyſtemati ſuo ex hac vita migrare ſoleat. Nota atque peruulgata ea de re PLINII [y], ad Traianum narratio, *non dubitauiſſe ſe, qualecunque eſſet, quod faterentur Chriſtiani, peruicaciam certe et inflexibilem obſtinationem debere puniri:* et luculenter non minus ex Epicteti ore ARRIANVS [z], εἴτα ὑπὸ μανίας μὲν δύναταί τις ἕτω διατεθῆναι πρὸς ταῦτα καὶ ὑπὸ ἔθους οἱ Γαλιλαῖοι, ὑπὸ λόγου δὲ καὶ ἀποδείξεως οὐδεὶς δύναται μαθεῖν, κ. τ. λ. *Furore quidem ſic aliquem poſſe affici contra formidinem gladii, et conſuetudine, vt Galilaei, ratione vero et demonſtratione neminem cognoſcere poſſe,* (hominem eſſe partem Dei etc.) Ex his facile locus ANTONINI [a] intelligitur, praecipientis: *eam eſſe animam, quae parata eſt ſtatim, ſi oportuerit, e corpore migrare, et vel extingui, vel diſpergi, vel permanere; ita paratam dico,* ἵνα ἀπὸ ἰδικῆς κρίσεως ἔρχηται, μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν ὡς οἱ χριστιανοὶ, ἀλλὰ λελογισμένως καὶ σεμνῶς καὶ ὥστε καὶ ἄλλον πεῖσαι ἀπραγόδως, *vt a iudicio proprio et peculiari promtitudo haec profluat, non ab obſtinatione mera pro Chriſtianorum more, ſed vt mortem obeas conſiderate, compoſite, citra tumultum, quo et aliis idem ſuadere poſſis.* Poſſent his addi loca TERTVLLIANI non minus memorabilia, niſi ſpatio excluderemur, et otium nobis feciſſet diligentiſſimus GATAKERVS [b], qui non ſine veriſimilitudine poſt Caſaubonum coniicit, nimium ſui temporis Chriſtianorum feruorem, ſponte ſe et cum auiditate ad quaeſtiones et ſupplicia offerentium imperatorem perhorruiſſe, quod ratione et philoſophia carerent. Qua in re eo magis huic coniecturae accedendum eſſe putamus, quod Stoici propter ſpem futurae felicitatis poſt mortem κατ' ἐξοχὴν Elpiſticorum nomen obtinuerunt, id quod peculiari

x) loco citando.
y) Lib. X. ep. 97.
z) Diſſ. Epict. L. IV. c. 7.
a) Lib. XI. §. 3.
b) Ad l. c. Anton. p. m. 387.

culiari dissertatione verisimile esse, ostendimus [c]. Namque huic systemati ita Christianam in obeunda morte fiduciam opponebant, et hanc ἄνευ ἐνθυμήματος et ex nuda pertinacia mortem contemnere [d], doctrinae Christianae ignari iudicabant. Ex quo simul luculenter quoque intelligi potest Epicuricorum philosophorum nomine Christianos intelligi non posse [e], quos adeo ἀφιλοσόφως mori iudicabant. Talia multa cum vbique auribus imperatoris Stoica praecepta depereuntis insusurrarentur, facile fuit, eum ita a philosophis animo accendi, vt pateretur Christianos more animalium irrationalium caedi, qui sine ratione et philosophia mortem ipsi cupiant oppetere. Ceterum, quid in isto Antonini loco sit, e corpore migrare ἀπαγωγῶς, forte ex Peregrini morte voluntaria et tragici apparatus plena potest colligi, cuius generis Christianos martyres omnes esse, illo tempore philosophi clamitabant, vt ex LVCIANI narratione [f] manifestum. Ex his autem constare quoque potest, non solam eclecticorum scholam, sed Stoicam quoque Christianos persecutione pressisse. Verum de his fusius in ciuitatis Christianae historia, praecipue, quae persecutiones et martyria, qualia tunc imprimis Lugdunensi ecclesiae obtigere, enarrat, tractandum est, disquirendumque, quo pacto de ἀδεισιδαιμονίᾳ Antonini iudicandum sit, et num euinci possit, imperatorem, qui se a patre τὸ ἀδεισιδαίμον περὶ τοὺς Θεοὺς didicisse ait, a superstitionis nota propter hoc in Christianos odium posse liberari, de qua quaestione post MOSHEMIVM [g] erudite disputauit Cl. CHRIST. WOLLIVS [h], qui eleganter obseruat, Antoninum a populari tantum superstitione liberum posse pronuntiari, et inuidia Stoica commotum, de Christianis abiecte sensisse.

pag. 594. lin. 3. *Quod non chartis inscriberet.* Comparandus de meritis M. Aurelii Antonini de literis I. NIC. FVNCCIVS *de vegeta L. Lat. senectute* [i], haec enim *ad historiam literariam* vniuersalem pertinent.

pag. 597. not. b. *Germanice nobis dedit.* Quos libros *de se ipso* nostra vernacula ciuibus nostris legendos exhibuit Io. ADOLFVS HOFMANNVS [k] nescio, an tuto satis consilio et scopo: lectorem enim postulant Stoicorum placitorum peritum et moralis philosophiae gnarum, vt aurum a stipula secernere queat. Tales oppido pauci inueniuntur, qui Germanicas tantum versiones legunt, latensque in αὐτόφοις et ὑπερτόφοις Antoninianae doctrinae venenum possunt detegere, sibique a confundenda aretologia Christiana cum Stoica cauere, satis norunt. Hunc vero scopum, vtrum obseruationes Hofmannianae, versioni Germanicae non ineleganti subiectae attigerint, isque satis Stoicum imperatorem intellexerit,

c) Miscell. P. I. diss.
d) Conf. Rom. VIII, 35.
e) Contenderat id post τὸν πάνυ Heumannum Cl. LEVTSCHNERVS in triga diss. de secta Epicurica.
f) In Peregrino.
g) Obs. Sacr. p. 136 seqq.
h) Diss. de ἀδεισιδαιμονίᾳ M. Aur. Antonini philosophi Lipsi. 1730. edita.
i) c. II. §. 5. 6. 7. p. 50 seqq.
k) Lipsi. 1737. 8.

Digitized by Google

xerit, lectori examinandum relinquimus, qui noſtra lingua vitam Imperatoris in fine libri adiectam poteſt legere, qualem Dacierius, Stanhopius, Collierius aliique ſuppeditarunt. Ex rebus enim ſuis nihil ad eam attulit. Parum autem vtilitatis philoſophiae morali ex his Antonini praeceptis poſſe exſurgere, Stoicae ethicae peritus facile perſpiciet, quicquid contendant in diuerſum Lipſius, Gatakerus, alii.

AD SECTIONEM OCTAVAM.

DE SECTA EPICVREA.

pag. 607. lin. 29.

Demonſtraturum in ſe recepit. Monemus lectorem, nos nihil certi de Celſi, quam ſecutus eſt, ſecta definire, ſed veriſimiles rationes expendere, quae perſuadeant, an Epicureus fuerit, nec ne? Itaque prudenter feciſſe B. BAVMGARTENIVM, iudicamus, quod, cum de Celſo hanc noſtram tractationem legendam commendaret [a], monuerit ſimul, ea quoque cum his noſtris comparanda eſſe, quae B. MOSHEMIVS, in contrariam partem attulit. Quod et Ipſi merito lectori inculcamus, cum in argumento hiſtorico non ſoli poſſibilitatis gradus, ſed et veriſimilitudinis debeant ſollicite examinari atque expendi. Dignum autem argumentum hoc putauit aeternum Germaniae noſtrae ornamentum MOSHEMIVS, quod prolixius excuteret, rationesque diſpoſita acie adduceret, quibus euinci queat, Celſum Origenis antagoniſtam ab Epicureo veteribus memorato diſtinguendum huncque Platonicis ſequioribus ſiue Eclecticis, in quorum caſtris contra religionem Chriſtianam aperte dimicat, reſtituendum eſſe. Fecit id more ſuo, ita, vt neque doctrinam, neque eloquentiam Moshemianam facile deſideres, in erudita *praefatione*, quam Germanicae verſioni *operis Origeniani contra Celſum* ſcripti praefixit [b]. Hic, cum omnia pulchre inſtruxerit, dignus eſt, cuius rationes hic ſummatim addamus, vt cum noſtris, etiam ab iis, qui Germanica Moshemii non intelligunt, poſſint comparari, ſicque quaeſtionis ſententia veriſimilior definiri, habeatque lector ipſe, cui iudicium poſſit, re attente expenſa, interponere. Ea autem, quae luculenter et iucunde differuit vir etiam poſt vltima fata deſideratiſſimus, huc potiſſimum redeunt. I. Origene auctore ſuo tempore duos Celſos inclaruiſſe, Epicureum vtrumque, vnum ſub Neronis imperio, alterum ſub Hadriano. Et de priori quidem nihil, praeter nomen ſuppetit, incertumque prorſus, an is auctor fuerit duorum librorum aduerſus Chriſtianos, quos ab iis,

a) In annot. ad Hiſtor. vniuerſ. P. XIII. not. 592. p. 411.

b) p. 23 ſeqq. In hiſt. Chriſt. ante Conſt. M. Sec. II. §. 19. p. 256. in partes vocat PETR. WESSELINGIVM, qui probabil. c. XXIII. p. 187. Celſum ex Epicureorum numero excludit.

quos ſibi refutandos ſumſit, diuerſos eſſe, ipſe vidit monuitque Origenes. Alter ipſe ille Celſus plerisque viris doctis videtur, qui opus contra magos conſcripſit, et ad quem *Pſeudomanten* ſuum transmiſit Lucianus. Hunc auctorem eſſe operis contra Chriſtianos, quod refellendum ſibi conſtituit, certiſſime credidit Origenes, cuius loca h. l. nominauimus. Alterum enim vetuſtiorem eſſe, quam, vt huc referri queat, vidit ipſe Origenes, et inepte negauit PETRVS TAYDIT[c], cuius ineptias pulchre iſto loco notat Moshemius. Ex hac Origenis affirmatione ſola profectum fuiſſe iudicium virorum doctiſſimorum, Baronii, Spenceri, Ionſii, Samuelis Baſnagii, Valeſii, Dodwelli, Fabricii, Buddei, monet et vehementer miratur vir doctiſſimus, cum, nec argumentum aliud, nec rationem veriſimilem Origenes afferat, quam quod ita ſibi viſum ſit, et tota tractatio Epicureum reſpuat, illa ridentem, quae in hoc libro magnis vocibus Chriſtianis Celſus obiicit. Adeoque prorſus nihil pro Celſo Epicureo veriſimilitudinis ſupereſſe, decernit Moshemius, quam nomen et tempus, quae prorſus nihil probant, niſi cupiuiſſe Origenem, vt quem ſibi elegit, aduerſarius habeatur Epicureus, eo quod Epicurei homines male tum audirent, ſicque certiorem ſibi victoriam ſponderet. Huius autem vnius Origenis auctoritatem ſequi, eumque deſcribere Graecum Scholiaſten Luciani, pro nouo teſte non habendum. II. Verum, nec HENRICVM DODWELLVM[d] audiendum eſſe, monet Moshemius, qui nec ſibi ſatis de aetate Celſi conſtat[e], nec probare potuit, quod coniecerat, Celſum fuiſſe profeſſorem Epicureum ſcholae Alexandrinae, a Marco Aurelio Antonino reſuſcitatae, qui in cathedra quidem κυρίας δόξας Epicuri tradiderit, eas autem in vita communi et conuerſatione tacendo, quod inuidia premerentur, ad captandam plebis gratiam Alexandrina placita, quae eclecticorum ſecta propinabat, Chriſtianis obiicienda eſſe putauerit. Quibus praemiſſis, cum de Celſo hoc nullibi notitia poſſit reperiri, vrget porro Noſter III. ab ipſo Celſo diſcendum eſſe, quis fuerit, qui, licet ſcripta eius ſint deperdita, adhuc loquatur in excerptis ab aduerſario. Quibus fontibus conſultis in Aegypto Celſum vixiſſe, coniicit, ſed et Palaeſtinam atque Syriam inuiſiſſe, et cum Iudaeis conſuetudinem iniiſſe, quorum execrabiles blasphemias, prout hodie inter eos contra Chriſtianos frequentes ſunt, apte et maligne ipſe exprimit et Chriſtianis oggannit. Cum his Chriſtianis autem orthodoxis eum habuiſſe conuerſationis vſum, ex nullo loco apparere, Noſter porro obſeruat, ex multis autem veriſimillime conſtare, gnoſticas ſectas homini profano innotuiſſe, earumque ex parte libros arcanos eum legiſſe, picturas vidiſſe, vſum magiae inter eos offendiſſe, idque forte ſub ſpe his homi-

c) v. DATIEY DE ROME memoires contre les memoires de l'H. E. de Mr le Nain de Tillemont, quae recuſae ſunt in differt. Miſcell. ſuper diuerſas materias a Io. FRID. BERNARDO Amſt. 1740. editis T. II. p. 57.

d) Not. ad SIDETAE fragm. de catechum. Alexandrinis p. 100. ad calcem diſſ. ad Iren.

e) Vid. diſſ. I. ad Iren. p. 32.

Digitized by Google

hominibus facta, quod partes eorum sit secuturus. Hinc esse factum, vt, quod apud Gnosticos audiuerat, ad omnes Christianos referret, ratus, ex istorum hominum somniis a se pleno splene amarisque cachinnis derisis, magnam in omne nomen Christianum ignominiam cumulatum iri. IV. De tempore, quo scripsit, certi nihil se habere quod afferat, fatetur Moshemius. Ex iis tamen locis, quibus hominum ante sua tempora viuentium meminit e. c. colloquii Iasonis et Papisci, quod Aristo prosecutus ex Iudaeis sub Hadriano vel Antonino Pio conscripsit, Iudaeosque refutauit, itemque ex locis, quibus prodidit, Marcionitas, Carpocratianos, Marcellianitas sibi innotuisse, quod ante Sec. II. medium fieri non potuit, aliquid definiri posse. Cum enim Origenes eum ὀδὲ κατοτέρω ζωὴν ζῶντα ἐν ἀνθρώποις ἔτι, ἀλλ' ἤδη καὶ πάλαι νεκρὸν, *dudum rebus humanis exemtum* appellet, recte inde concludi, aetatem eius in posteriori seculi II. decursu ponendum esse, siue sub M. Aurelio, quod vult Seb. Tillemontivs [f], siue sub Antonino Pio, quod coniectat Io Phil. Baratierivs [g], Christianos allatrauerit. V. De religione Celsi, post haec vir doctissimus obseruat, voluisse eum videri publicae religioni, quae gentilis eo tempore fuit, adhaerere, adeoque pro cultu gentilium publico fortiter concertasse, et ad ipsas de Deorum apparitionibus traditiones prouocasse: interdum tamen eclecticum agere, et de Diis gentilium non pie satis statuere, cultu diuino ad vnum Numen supremum reuocato. Vnde iudicat, rationalem quandam atque philosophicam et eclecticam religionem voluisse eum confirmare, potestate cuilibet concessa, vt secundum mores patriae Deorum cultum instituat. Et de Deo quidem eiusque attributis, si verbis fides, sana dicere plurima, et sublimem quandam theologiam prae se ferentia, licet alibi Deum cum anima mundi ipsoque mundo confundere videatur, quam veram eius opinionem fuisse, verisimiliter iudicat eruditissimus Moshemius; qui tamen non negat, dubie et incerta ratione de mundo eiusque aeternitate Celsum disputauisse, in plerisque autem Platonis *Timaeum* fuisse secutum, et ad eundem fere modum, quo Plato, de eius natura, partibus, fato, origine mali, perfectione, gubernatione diuina, eiusque administris, et, qui inde originem accepit, cultu Deorum Inferiorum, disputauisse, inde occasionem excusandae pingendaeque superstitionis gentilis quaesiuisse, imo de animalium quoque natura, hominum animabus praestantiore, deque natura animae humanae passim, Pythagorice et Platonice, interdum etiam Sceptice differere, deque futura earum felicitate caute tecteque mentem prodere, et de eius immortalitate passim fluctuare. Hactenus de placitis Celsi, quatenus ex Origeniana refutatione possunt colligi, adductis ipsis Origenis locis erudite plane, et luculenter differit Moshemius, dignus, ob scribendi et dicendi in vernacula Veneres, quas in potestate sua habebat,

f) Mem. Hist. eccl. T. III. P. III. p. 212 seqq.
g) De success. antiquissima episc. Rom. c. 9. p. 117. c. 10. p. 131. 134.

Digitized by Google

bebat, qui ipſe prolixius eis inſiſtens, et elegans theologiae eclecticae, quale Seculo II. in Aegypto coepit inualeſcere, coeperat compendium complexus ab iis, qui vernaculam noſtram callent, legatur, qui et hoc obſeruationibus ſuis addit, haud raro ſcenam ſuam ita Celſum inſtruxiſſe, vt facile ſit, tela ex eius propria pharetra contra illum depromere. VI. Tandem, vt omnem cauſſam hanc peroret, atque Iacobum Thomaſium refutet, ſtatuentem, Celſum interdum deſertis hortis Epicuri et ſequacium in caſtra Stoicorum tranſiiſſe, fruſtra id dici, recte inde probat, quia, quae Stoice ab eo dicta videbantur Thomaſio, ex hoc ſyſtemate eclectico, quale tunc ſenſim caput coepit attollere, ſponte et facile poſſint deduci.

Habes lector ſummam diſſertationis Moshemianae de Celſo eiusque ſecta atque religione, quam in compendio ideo enarrauimus fideliter, vt iudicium ipſe poſſis interponere. Nos, qui leue inter viri beati noſtramque ſententiam, diſcrimen eſſe, libere fatemur, totam diſceptationem tuo iudicio relinquimus, vnum tantum atque alterum momentum tibi commendantes, quo excuſſo, facilius de Celſi religione atque ſecta poſſis decernere. Et 1. quidem monemus, nihil intereſſe noſtrae Epicureorum poſt C. N. hiſtoriae, ſiue Celſus Origenis aduerſarius Epicureus fuerit, nec ne, cum ſufficiat, duos vixiſſe circa illa tempora Celſos philoſophos Epicureos, vnum tempore Neronis, qui et ipſe Chriſtianos oppugnauit, alterum tempore Luciani, qui contra magos ſcripſit, vtrumque Chriſtianorum hoſtem atque deriſorem. 2. Concedimus quoque lubenter, et in ſententiam Moshemianam deſcendimus, ſi ea conſulantur, quae ex libro Celſi excerpſit nobisque in opere ſuo reliquit Origenes, totam iſtam diſſertationem nihil proprie habere, quod Epicuri hortos ſpiret, cuncta autem hominem philoſophum Alexandriae, ſi non natum, in eius tamen ſcholis eclecticis gentilium educatum prodere, qui nutanti ſuperſtitioni ſuppetias laturus, ſyncretiſticum theologiae gentilis publicae ſyſtema contra obiectiones Chriſtianorum fulcire conatus fuerit. Hoc enim adeo manifeſtum eſt, vt vix luculentius ſpecimen theologiae philoſophicae gentilis, maxime in ſcholis Alexandrinorum eius temporis inueniri poſſit, quam quod Celſus adhibuit. 3. Apertum quoque, ſciuiſſe id Origenem, nec diſſimulaſſe, qui expreſſis verbis, Celſum ait, cum Epicureus eſſet, noſſet autem iſta ſecta communem religionem violari, communem fidem ſecutus, philoſophiam, ſiue religionem publicam, et, quod putabat, rationalem commendauerit: adeoque nec de eo lis eſt, vtrum in hoc ſcripto polemico publica Alexandrinae theologiae religio adoptata ſit. 4. Sed ex iſtis quoque Origenis locis manifeſtum eſt, eum hunc Celſum habuiſſe pro Epicureo, nec de ea re quenquam eo tempore dubitauiſſe, credidiſſe id autem et ſciuiſſe non Origenem modo, ſed et Ambroſium, quia hunc λόγον φιλαλήθη Celſi Origeni refutandum transmiſit. Quem de auctore monuiſſet Origenes, niſi ſciuiſſet, idem de eius ſecta ſtatuere Ambroſium, quod ipſe ſtatuebat. 5. Neque tamen adeo

Digitized by Google

adeo obſcurum et ignotum fuiſſe Celſum, qualis nobis eſt, Origenis tempore, luculenter ille prodidit, monet enim, in reliquis ſcriptis ſuis Celſum deprehendi Epicureum, adeoque illum deteſtandae ſimulationis accuſandum eſſe, qua, vt probabilior fiat accuſatio, alia dogmata ſyſtemati Epicureo aduerſa ſequatur et obiiciat, et hoc ipſo *adulterinam animam* manifeſtet. Num haec de Celſo tanquam omnibus, maxime Ambroſio, notiſſima potuiſſet in limine apologiae ſuae praefari Origenes, niſi omnibus ea nota fuiſſent, Celſusque is viſus fuiſſet, qui, ne propria ſectae Epicureae vineta caederet, aliam ſectam ſimulauerit? 6. Nec obſtare huic ſententiae, quae ipſius Origenis verbis nititur, putamus, quod ad nullum ille teſtem prouocet: id enim contrarium euincere videtur, concludendo, adeo notam iſtam Celſi ὑπόκρισιν inter Chriſtianos fuiſſe, vt teſtimonio opus non haberet, ſed is ſcenae inſeruiuiſſe et ex hypotheſi, quod aiunt, Chriſtianos circulatoribus et praeſtigiatoribus mithriacisque et ſabadiis ſimiles aggreſſus eſſe, vt et auram populi ſectaretur, et faciliorem, quam apertus Epicureus, victoriam reportaret, crederetur. 7. Neque tempus quoque ab Origenis aetate diſtans quicquam impedit, quo minus, quis ille Celſus fuerit, ipſe noſſe potuerit, cum vnius fere ſeculi decurſu liber Celſi, in omnium manibus verſatus, non ita obſcurari potuerit, vt de auctore nulla certa extaret notitia. Haec cum Moshemianis comparari a Lectore volumus, antequam ſententiam de Celſi ſecta interponat, et de eius religione ſecurus decernat.

pag. 609. lin. 27. *Plinii quoque res non omiſerunt.* De variisque Plinii patria, rebus geſtis, ſcriptis codicibus, editionibus atque interpretibus agit ANTONIVS IOSEPHVS A REZONICO [e] IC. Nouocomentis, vbi praeſertim L. VI. et VII. de auctoritate et fide hiſtoriae naturalis Plinianae diſſeritur illaque ſuo auctori vindicatur. De reliquis, quae ad literariam hiſtoriam Plinii maioris pertinent, more ſuo diligenter diſſeruit ὁ πάνυ FABRICIVS [f]. Pulcherrima editio HARDVINI nouam lucem debet IO. MATTH. GESNERO τῷ μακαρίτῃ.

pag. 615. lin. 22. *Quam annotationibus auxit Fabricius.* Conferenda de iis, quae ad Luciani hiſtoriam literariam pertinent, quae copioſe attulit Cl. REITZIVS diſſ. *de aetate, vita, ſcriptis Luciani*, praemiſſa editioni Opp. LVCIAN. Wetſtenianae CIↃIↃCCXLIII. Certum autem ex huius temporis hiſtoria eſt, Epicureos, quo magis Eclectici, quique eorum partes tuebantur, ſacrificuli, Pythagorei, ſimilesque in defendenda ſuperſtitione inſaniebant, eo fortius non reſtitiſſe modo, ſed omni quoque religioni euertendae animum adhibuiſſe, id quod Celſi atque Luciani exemplo mire probant [g].

pag.

e) Diſquiſ. Plinian. T. I.
f) Bibl. Lat. T. III. p. 362 ſeqq.

g) Hanc obſeruationem plerosque negligere, qui hiſtoriae Chriſtianae annales ſcripſere, miramur.

pag. 624. lin. 11. *Aetatem non definiunt.* Vltra centum annos poſt Auguſti tempora Laërtium non vixiſſe, coniicit GASSENDVS [1], eo quod πρὸ ὀλίγου Potamonem philoſophatum eſſe, dicat, ille autem ſub Auguſto vixiſſe Suidae dicatur. Sed fallitur Vir doctiſſimus, ſeductus Suidae relatione, quamuis vim vocis πρὸ ὀλίγου ſenſerit, ex iis, quae hoc loco et ſupra in Potamone oſtendimus, eſt manifeſtum.

1) Syntagm. phil. c. 3. T. I. Opp. p. 24.

AD SECTIONEM NONAM.

DE SECTA SCEPTICA.

pag. 631. not. a.

Viri docti paſſim. Imprimis illi, qui hiſtoriam matheſeos vel in genere, vel mathematicarum ſcientiarum ſcripſerunt, et inter hos imprimis Cl. WEIDLERVS [a].

pag. 633. lin. 23. *Huetii.* Eidem ſententiae ſubſcripſit WEIDLERVS [b].

a) Hiſt. aſtron. c. 7. ſ. 2. §. 13. p. 176. b) Ibid. §. 14. p. 184.

AD CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIA ORIENTALI.

pag. 639.

Saltem iuſta nunquam luce colluſtratae. Hoc vnico ſenſu B. Moshemio productae ex tenebris philoſophiae Orientalis ſpeciali ſenſu acceptae hiſtoriae gloriam aſſeruimus. Fuiſſe enim paulo ante et circa Chriſtum natum et poſt eius inter homines apparitionem, viuentibus adhuc Apoſtolis in Orientalis Aſiae regionibus, maxime vero inter Perſas, quaeque Aſiae illorum religionem admiſerunt gentes, populosque vicinos, imo in Aegypto quoque ſacerdotes atque philoſophos, qui proprium theologiae et philoſophiae ſyſtema, quod totum diuinum, myſticum magicumque erat, tradiderunt, et cum vulgi religionis decretis commiſcuerunt, dudum obſeruatum eſt viris doctiſſimis. Hi enim cum in ſacrarum pandectarum libris eiusmodi philoſophiam paſſim [a] tangi atque a viris diuinis

a) Vid. Io. I, 1 ſeqq. Col. II, 8 ſeqq. 1 Tim. I, 6. 7. 2 Petr. I, 16. etc. ad quae loca in carena exegetica bibl. Anglic. noſtras obſeruationes adiecimus, ea, quod ſperamus, perſpicuitate ſcriptas, vt docere et conuincere de hoc argumento lectorem queant, in quibus non habemus, cuius nos ſcripſiſſe hactenus poeniteat, niſi euidentior appareat Oedipus, quam hactenus factum. Summam paucis elegantes et luculenter expreſſit biblioth. theol. S. Ven. ERNESTI, quem incomparabilem in exegeſi S. virum honoris cauſſa nominamus T. V. p. 6 ſeqq.

Digitized by Google

diuinis reprehendi cernerent, et in hiſtoria naſcentis eccleſiae Chriſtianae ſe prodere obſeruarent, cuius capita non poterant ſine vi quadam obtorto collo cuncta rapiente, et inepte explicante ex philoſophia Graecanica illuſtrari: facile viderunt, alios doctrinae iſtius fontes accerſendos eſſe, qui non ex hortis Graecorum, ſed barbarorum latifundiis deriuarentur, et a ſyſtematibus Graecorum de Deo, de emanationibus ex Deo, de ſpiritibus, de mundi creatore, deque materiae malique ipſius origine longius recederent: quos, quia inter Graeciae ſectas inueniri non poſſe, probe videbant, ad populos orientis, maxime Aſiatici retulerunt, et ex iſtis deinde originibus, enatas iſtas in Chriſtiani Orientis eccleſiis haereſes, quae Gnoſticorum poſtea nomine circa ſeculi II. initia emergebant, deriuauerunt. Quibus facem praetuliſſe nobis videtur magnus archaeologiae philoſophicae interpres, THOMAS BVRNETIVS, qui dudum monuit [b], ſyſtema mundi, (quo nomine omnem phyſiologiam diuiniorem comprehendit, quae periodos mundanas explicat) Pythagoricum omnium antiquiſſimum eſſe, et AB ORIENTE deductum, hoc autem inter myſtas ſeruato, alterum, (exotericum) magis percrebuiſſe. Inter illos vero imprimis conſulendus eſt diligentiſſimus veteris eruditionis et hiſtoriae dogmaticae ſcrutator CAMPEGIVS VITRINGA [c], qui imprimis erudite in eo verſatus eſt, vt oſtenderet, quo pacto iſta ψευδοδιδασκαλία inter Iudaeos diſſeminata cabbaliſtica ſomnia genuerit, quae ſentinam eiusdem Pſeudophiloſophiae Aſiaticae ſiue Orientalis exhibent, vt in fine huius Tomi ex inſtituto doculmus. Vitringam ſecuti ſunt alii, ex parte nominati HEVMANNO [d], inter quos CLEMENS STRESO in *Commentario in ep. ad Coloſſenſes* [e] *et poſteriorem* [f] *Petri*, tum B. BVDDEVS in *Obſ. Hal. T. I. obſ. I.* [ff] meretur audiri. Hi enim omnes ex impuris his Orientis lacunis Cabbaliſticam, et ex hac Gnoſticam philoſophiam ſenſim progenitam fuiſſe, non ſine veriſimilitudine ſibi perſuaſerunt. Moshemius autem, cum, miſceri multa et fontes cum riuulis confundi, acute cerneret, de prima ſcaturigine ſciſcitatus tandem detexit, vt erat conſiciendi acutus ſcriptor, verſatum fuiſſe in Perſiae, Aſiae minoris, Aegyptique prouinciis, paulo ante et circa tempora reſtauratae ſalutis, genus quoddam philoſophiae theologicae myſticum, quod tum cabbaliſtarum ſyſtemati, tum haeretico, quod poſtea Gnoſticos errores genuit, occaſionem atque materiam ſuppeditauerit. Qua de re, poſt loca a nobis adducta, conſulenda ſunt, quae curis poſterioribus *in hiſtoria Chriſtianorum ante C. M. Seculo I.* [g] luculenter diſſeruit. Secuti ſunt virum, poſt fata quoque de literis meritiſſimum, alii quoque viri eruditiſſimi, et imprimis poſt

b) Archaeol. philoſoph. c. 8. p. 382.
c) Obſ. SS. T. II. L. IV. c. 9. ad Iſaiam c. 45, 7. T. II. p. m. 581. non tamen omnia ſatis euoluit.
d) Ad Col. II, 8. p. 509.
e) pag. 170 ſeq.
f) p. 274. qui luculenter multa obſeruauit.
ff) §. 14 ſeqq. p. 15 ſeqq.
g) §. 31. p. 46.

poſt parentem doctiſſimus CHRISTIANVS GVIL. FRANCISCVS WALCHIVS [h], et ante eum B. Baumgartenius, Kortholtius aliique; et his noſtrum quoque calculum addere perſuaſit nobis tum Orientalis philoſophiae poſt Zoroaſtris, a quo condita eſt, tempora, in ſcholis Perſarum et Aſiaticorum propagatae [i] doctrinae conformitas, tum quod alia via nobis diu omnia explorantibus viſa non ſit, tot Cabbaliſtarum hominumque fanaticorum dogmata, gnoſticaque ſomnia, ipſumque Alexandrinae philoſophiae ſyſtema inter ſe conciliandi, quam fruſtra ex Graecanica philoſophia deriuari, ex ineptiis TERTVLLIANI [k] magni cetera et doctiſſimi ſcriptoris, ſed in notitia rerum Orientalium minus, quam in Graecarum verſati, poteſt intelligi, qui, vt alios nobis eosque Graecos fontes fanatici huius, quod in Aſia tum miſcebatur, et inter omnes inualuerat, ſyſtematis exhiberet, quadrata rotundis miſcuit. Quem in tanta, qua praeſens ſeculum fruitur doctrinae rerumque veterum luce, poſſe ſequi viros nonnullos cetera eruditiſſimos, et acute cernentes, mirari ſatis non poſſumus [l].

pag. 641. lin. 14. 15. *Ad quam prouocare potuerit Eunapius.* Quanquam haec, quae adduximus, teſtimonia de exiſtentia ſyſtematis alicuius theologici et myſtici inter populos Orientis paſſim circa prima naſcentis Saluatoris tempora vigentis, verum ſitienti animo, ſi non prorſus ſatisfacere, ei tamen rei veriſimilitudinem perſuadere, niſi moroſius contradicendi ſtudio teneatur, poſſunt; fatendum tamen, inter tot veſtigia exiſtentiae eius circumſtantias hiſtoricas valde eſſe obſcuras, nec huius ſectae vel philoſophiae orientalis, id eſt, inter Aſiaticos populos maxime, qui Perſarum ſubiecti erant imperio, itemque ex Aſia minore in Aegypto vigentis hiſtoriam ea radiare luce, qua Graecanicae philoſophiae ſectae, vel etiam haereſium in chriſtiana ciuitate enatarum nobis hiſtoria manifeſta eſt. Faſſus eſt id ipſe prouide B. MOSHEMIVS [m], non tot adhuc orientalis philoſophiae monumenta in lucem eſſe edita, quot ad plenam eius cognitionem conſequendam ſufficiant, et imprimis auctorem eius vetuſtatem tegere, poſſe tamen ex diuiniore illo atque myſtico emanationum diuinarum ſyſtemate, quod in orientalibus regionibus obtinuit, concludi haud incerto, occaſionem ei ſuppeditaſſe quaeſtionem in philoſophia barbarica, cuius illa celebris pars fuit, ſatis volutatam, et a multis ſeculis agitatam, maxime inter gentes Aſiaticas, Chaldaeas, Perſicas,

h) In hiſtor. haereſ. P. I. p. 235 ſeqq.

i) Hic comparari volumus ea, quae in his ſupplementis de hiſtoria Zoroaſtrianae diſciplinae diximus. In ea enim veri fontes huius philoſophiae, quae nec hodie quidem tota exſpirauit, quaerendi ſunt.

k) Exhibuimus integrum locum de praeſcr. c. 7. p. 232. l. c. eumque attente inſpicere iubemus lectorem, vt intelligat, quam infelix interpres veterum doctrinarum Tertullianus fuerit, et hunc tamen nobis obiiciunt, qui haereticorum veterum origines ad Graecos referunt, quae ſane in hodierna H. P. luce non amplius debebant audiri, adeo manifeſtum eſt, inuidiae in haereticos cumulandae cauſſa haec Tertullianum ſcripſiſſe, in quo mores eum ſuos ſecutum eſſe, recte vidit DVPIN Bibl. S. Eccl. T. I. p. 104.

l) Rem T. III. p. 412 ſeqq. ex inſtituto diſcuſſimus.

m) l. c. §. 31. p. 26.

Digitized by Google

eas, Indicas, *vnde malum? et quare? et vnde homo, et quomodo?* quibus quaeſtionibus philoſophorum ingenia vexari, vidit iam TERTVLLIANVS a). Et fatemur nos quoque, licet in veteris hiſtoriae philoſophiae per L. fere annos, (quod obiter dicimus,) volutatis, tam certam atque luculentam nondum enatam notitiam, qualem e. g. de ſectis Socraticis, vel etiam Pythagoricis habemus, magnaque nos in hac parte nocte premi, praeſertim, ſi nudis relationibus hominum librorumque Graecorum ſtandum eſt, quos ſemper fere in philoſophia iſta pueros fuiſſe, et in exotericae philoſophiae crepundiis haeſiſſe, logicis phyſicisque atque ethicis ſuorum ſomniis intentos, dudum exclamauit ſacerdos Saiticus ad Solonem. Orientalium autem gentium documenta rara eſſe, et neglecta, tanquam quae non ſatis intelligi queant, et de rebus tractent, quae, quia ſupra nos, nihil ad nos pertineant, nemo eſt, qui ignorat, et magnae tenebrae, quae nos in enarranda barbarica philoſophia, quae mater cenſenda eſt iſtius orientalis, ſupra cinxerunt, ſatis teſtantur. Non miramur ideo magnopere, fuiſſe viros doctos, qui de ſectae huius exiſtentia dubitarent, aſſenſumque viro ſummo, a quo primo in ſcenam publicam producta eſt, denegarent. Nec diffitemur, diu nos in eodem luto haeſiſſe, diu iſta in arena cogitationes volutaſſe, antequam hoc de philoſophia orientali caput ſcriberemus, ideoque et rerum circumſtantias diu inter ſe comparaſſe, et virorum quoque ſummorum, quorum doctrinae magna apud nos erat exiſtimatio, mentem de hoc argumento exploraſſe. Inter quos, vt hoc quoque candide fateamur, vir, dum viueret, ſummus et veteris literaturae cognitione celeberrimus B. CHRISTOPHORVS MATTHIAS PFAFFIVS fuit, qui, quid nobis, de hac orientali philoſophia rogatus, reſponderit, vt candorem hoc in argumento noſtrum probemus, commodo hoc loco non tacebimus. Scribebat vir magnae eruditionis, cum tertium H. P. Volumen ei miſiſſemus, hunc in modum: „Quum a me po„ſtulas, vt, quid de philoſophia iſta orientali ſentiam, quam cum cel. „Moshemio in ſcenam producis, exponam tibi, vereor, ne iudicium „poſcas ab homine, in hoc eruditionis campo fere hoſpite. Ita ſemper „exiſtimaui, ſed fallor fortitan, veterum philoſophorum ſyſtemata accu„rata dari vix poſſe, tum propter documentorum penuriam, tum, quod „ipſi condiderint fere nulla, ſed ſententias vix cohaerentes ideasque fo„uerint confuſas, terminisque expreſſerint, quorum nulla, niſi confuſa „notio mentes ipſorum oberraret, tum, quod, qui eorum tradidere do„gmata, vel parce nimis, vel haud accurate tradidere. Maxima illorum „pars in ſomniis et deliriis conſiſtit, qualia et haereticorum veterum pla„cita ſunt, Gnoſticorum maxime. Horum cum ſcripta ad nos non per„uenerint, cum et, quae veteris doctores eccleſiae de iis eorumque pla„citis tradunt, obſcura ſint, et manca valde et diſſona, foetus quippe de„lirantis cerebri, mihi quidem non licuerit de illis dicere plura, quam

 „hiſto-

a) loc. cit. §. 7.

„hiſtorice referre ſaltem, quae veteres de illis dixere. Vix eſt in tene„bris illis criſi locus, quae pedem figat in glacie, etſi multa erudite con„licere detur. Philoſophiae orientalis ſectam facile ſtatuerem, ſi ex docu„mentis hiſtoricis probari poſſet illa, darique ex iisdem eius ſyſtema. „Video, non fere, niſi ad Theodoti fragmentum hic prouocari: ſed illa „διδασκαλία ἀνατολικὴ eſt theologia Gnoſtica, non philoſophia quaedam „antiquior, quae huic originem dederit. Nec in hoc fragmento philo„ſophiae orientalis cuiusdam datur ſyſtema, ſed loca ſcripturae S. ſaltem „ad mentem theologiae gnoſticae explicantur, vel accommodantur potius. „Ignoſce infantiae meae, in hoc ſtudiorum genere, ſi peccem et fallar etc.“ Erudite haec et modeſte atque prouide pronuntiaſſe virum ſummum, nemo temere negabit, qui literas intelligit, et nouit in veteri argumento veriſimilia a falſis accurate diſcernere. Quanquam enim ſuſpicio enaſcebatur, virum celeberrimum telum intentaſſe non hiſtoriae tantum orientali, ſed omni veteri hiſtoriae, et Pyrrhonice de hiſtoria antiqua ratiocinatum omnem fere explorandae veteris hiſtoriae philoſophicae conatum in exilium eieciſſe, nimium autem probando, parum, quod nos teneret, attuliſſe: ea tamen laudabilis cautionis prouidentia nobis viſa eſt, quae nos excitaret, vt in viginti duorum annorum decurſu, ex quo illa epiſtola ſcripta eſt, omnem ad hoc argumentum de philoſophia orientali attentionem adhiberemus, quoties de illa diſpiciendi occaſio nobis ſubnaſcebatur. Candide autem fatemur, nos poſt vel decies repetitum examen et explorata veterum teſtimonia et imprimis hiſtoriam philoſophiae cabbaliſticae in lucem protractam lectaque difficilia eius loca, poſtque exacte conſideratam philoſophiam Alexandrinam ſemper magis de exiſtentia eiusmodi philoſophiae per regiones Orientis, tempore reſtitutae ſalutis orbis humani fuiſſe confirmatos. Maxime autem noua nobis lux exorta eſt, ex quo tum ad noui foederis loca illa, quae huius philoſophiae veſtigia referre videntur, in *catena biblico-exegetica in Britannia edita* et noſtra quoque vernacula vulgata, nobis fuit commentandum; tum hanc noſtram hiſtoriam criticam philoſophiae relambendi, ſupplendique neceſſitas fuit impoſita, qua coacti ad noua lumina de philoſophia barbarica, maxime Chaldaeorum, Magorum, Perſarum, Indorum, Aegyptiorum reſpeximus, quae lectio multorum annorum et imprimis magnorum virorum, qui literaturam orientis intelligunt, nobis accenderat. Nihil autem hanc noſtram attentionem magis exacuit, quam excellentiſſimae doctrinae viri, qui hodie Lipſienſem academiam magna laude ornat, Io. Avg. Ernesti, de philoſophia orientali iudicium, quod expoſuit, cum noſtras obſeruationes exegeticas in *bibliotheca nouiſſima theologica* recenſuiſſet *). Candide hoc quoque viri ſummi iudicium deſcribemus lectori huius rei curioſo, maxime cum vernacula tantum ſcriptum ſit, nec ab omnibus poſſit legi. Fatetur is, diſplicere ſibi ſtudium doctorum virorum

*) Vol. III. p. 430.

Digitized by Google

rum hodie caput erigens, quo philoſophiam orientalem ſe vbique inueniſſe putant, eique applaudunt, eo quod eruditionem ſpirare videatur. Neque vero tum in Philone, tum in Ioſepho, vllam huius philoſophiae, quatenus ad Iudaeos dimanaſſe traditur, mentionem occurrere, nihil de ea inter Graecos recepta apud ſcriptores Graecos p. Imprimis autem ad ea, quae nos hoc loco attulimus, veterum teſtimonia excepit q, nulla ſe huius philoſophiae inter Iudaeos atque Graecos in Aſia vel Corinthi etiam in Graecia Europaea tempore apoſtolorum veſtigia deprehendiſſe, vel inueniſſe, quod ad eam poſſit referri; teſtimonia autem a nobis allata carere fide hiſtorica, non adductis quidem rationibus, pronuntiat, nec eam ſe in libris Graecorum vnquam conſpexiſſe ait, nec recentiores eius fidem ex hiſtoricorum teſtimonio potuiſſe confirmare: Clementem enim Alexandrinum et Hegeſippum apud Euſebium, ad quos tanquam omnium antiquiſſima teſtimonia ſoleat prouocari, epocham deliriorum Gnoſticorum ponere temporibus Adriani, quod ſimplici negatione Moshemii non poſſit refutari. Certe Tertullianum hanc orientalem philoſophiam ignoraſſe, et quaecunque de Gnoſticis hodie ex orientali philoſophia deriuentur, ex Graeca deducere. Tandem etiam repetita vice Tom. XVII. *Optris biblici* Anglici more ſuo eleganter pariter atque erudite recenſendo, qua eſt humanitate et modeſtia (quam in viro literarum ornamentis clariſſimo ſatis exoſculari non poſſumus,) ad iſta loca, ad quae paſſim prouocauimus, eaque ex opinionibus orientalis philoſophiae, quatenus a cabbaliſtis Iudaeis cum placitis eccleſiae ſuae et traditionis veteris inter ſuos vno ſub iugo ire coactae ſunt, explicuimus, monet r, poſt hanc hypotheſin a Vitringa, Schoettgenio, Buddeo obſcurius adhibitam, rem eo redire, vtrum omnes locorum adductorum difficultates queant ex hac hypotheſi reſolui atque explicari, et, cum de antiquitate ſomniorum cabbaliſticorum multis dubitandi rationes multae excreuerint, vtrum ſcripta cabbaliſtica, ad quae potiſſimum prouocauimus, tantam, quantam nos criticis argumentis vſi illis adſcripſimus, aetatem prae ſe ferant. Rectiſſime autem lectorem monet, illius aetatem ex orientali philoſophia nos diiudicare, nec, qua eſt inſigni humanitate, noſtram ſyſtematis cabbaliſtico-orientalis explicationem reiicit, ſed attendendum eſſe inculcat, quod per hoc ſyſtema nos intelligamus doctrinam de Deo, origine mundi, angelis ſiue ſpiritibus, rerum eſſentia, animae ortu, aſcenſu atque reditu in Deum, quales illius origines ad Zoroaſtrem referri debeant, cuius cum aſſeclae atque ſucceſſores in Aegypto eſſent delati, occaſio inde Iudaeis enata fuerit, domeſticas ſuas doctrinas cum his peregrinis commiſcendi, nouisque inſtitutis ſectas Therapeutarum in Aegypto, Eſſenorum in Palaeſtina generandi. Hoc ſyſtema peregrinum Iudaicis et poſtea Chriſtianis ac haereticis admixtum, illud philoſophiae genus nobis vi-

p) pag. 432. q) pag. 495. r) Tom. V. p. 7 ſeqq.

Digitized by Google

deri produxiſſe, quod primus Orientale vocauerit Moshemius. Non his vero alia affuit vir ſummus, niſi, quod poſtulet, vt antiquitas atque aetas iſtius philoſophiae inter Graecos ex documentis hiſtoricis genuinis probetur, de reliquis enim poſtea diſpiciendum.

Pulchre haec omnia atque ſobrie dici, lubentes fatemur, et hanc viro doctiſſimo hederam merito ſuſpendimus: quoniam autem nihil nobis certius enarrant, niſi, quod argumentum negatiuum, quod vocant, nobis inculcent, et GRAECORVM teſtimonia a nobis poſcant, ratione nulla, tum teſtimoniorum orientalium atque domeſticorum, tum ipſius rei et traditionis philoſophicae, habita, ex ſolo auctoritatis allegatae decreto de re ipſa certiora ſtatuendi neceſſitatem videre quidem nondum potuimus, aſt excitatos nos tamen eſſe fatemur ad adhibendam ſine vllo partis ſtudio attentionem, cuncta iterum ſecundum leges fidei hiſtoricae ponderandi, vt, ſi non certa et indubitata prorſus notitia, veriſimilis tamen, et regulis fidei hiſtoriae conformis emergat.

Itaque lectoris patientia hoc loco (cum alium et commodiorem de hac re diſquirendi nos nacturos non ſperemus) nobis exoranda eſt, vt lento et prouido gradu in inquirenda huius philoſophiae exiſtentia progrediamur, et, quouſque perſuaſi de ea eſſe poſſint, qui a praeiudiciis liberi ſunt, nec erubeſcunt

quae pueri didicere, ſenes perdenda fateri,

intelligamus. Nobis certe nec nouae opinionis celebritas, nec doctrinae fucus, nec Moshemii aliusque viri docti auctoritas perſuadere exiſtentiam huius philoſophiae poteſt, niſi rationibus legitimis adhibitis, et ad lapidem lydium artis rationalis atque criticae excuſſis. Quae, ſi veriſimillimam nobis eam faciant, tuto contemnemus, quod a negatione deſumitur argumentum, eo quod in quaeſtione rei peregrinae et antiquiſſimae et a noſtro quoque cogitandi modo longius remotae, inque defectu vel raritate monumentorum domeſticorum, ad alia ratiocinii genera deſcendendum eſt, quae rem vere extitiſſe, probabilibus argumentis euincant: de quo tamen, cum ad philoſophiam rationalem et criticam res pertineat, hoc loco plura dicere nihil attinet. Nobis quid hic prouide ſemitam rationalem ſecutis in examinanda quaeſtione hac hiſtorica verum viſum ſit, candide aperiemus, et exponemus cauſſam, cur hoc de philoſophia Orientali caput ex philoſophiae veteris hiſtoria abliciendum non eſſe, ſed ſeruandum putemus, relicto deinde ſtatuendi iudicandique Lectori arbitrio.

Et I. quidem de nomine philoſophiae Orientalis monendum eſſe exiſtimamus, haud obſcure patere, appellationem hanc in veterum libris non occurrentem obſtare viris doctis et in lectione veterum ſcriptorum apprime verſatis, quo minus eius exiſtentiam admittant, eo quod hoc nomine nuſpiam peculiaris cuiuſdam philoſophiae orientalis fiat mentio. In quo pollicem nos eis premere non poſſe, libere fatemur. Quod ſi enim con-

Digitized by Google

concedimus, nouam hanc appellationem esse, nec vnquam apud veteres et recentiores ante Moshemium auditam, qui primus eius parens fuerit, hancque philosophiae speciem, assumto hoc nomine, in apricum ex antiquitatis latebris produxerit, nondum tamen inde sequitur, ipsum hoc philosophandi genus circa nati Saluatoris tempora in Asiaticis et Aegypti prouinciis non inualuisse. Non putamus magnopere opus esse, vt hoc viris doctis et vel mediocriter philosophiae veteris historiae peritis persuadeamus, quibus ignotum esse non potest, systemata et philosophandi genera complura fuisse olim et haud parum floruisse, quorum propria nomina interciderint. Cuius vt exemplum habeat lector, Elpisticum philosophandi genus, vni Plutarcho memoratum, considerare iubemus, cum nomen illud alibi prorsus euanuerit, philosophandi autem genus et ratio in Stoico systemate sit manifestissima. Nos in praesentia non de nomine cuiusdam *sectae* vel ab auctore suo atque duce appellatae, vel a philosophandi modo designatae, nec de aliis appellationibus sectarum, quarum meminit LAERTIVS [c], disputamus, sed de *genere quodam vel systemate* metaphysico, atque mystico, *quod longe lateque per aliquot secula Asiae atque tempore Romani imperii in Africa inualescentis, Aegypti quoque prouincias peruagatum, antiquissimam Asiae philosophiam, proprio doctrinae genere de principiis diuinis, physiologicis, cosmologicis, metaphysicis et moralibus de emanatione rerum omnium ex primo fonte, de origine emanatiuorum, de subordinatione entium spiritualium, de ortu materiae eiusque tenebris diuinae luci oppositis, de fonte animarum et effluxu ex primaria diuinitatis scaturigine, de mali ortu et natura, deque modo per ascensum ad superiora, mediantibus principiis intermediis spiritualibus perueniendi, et quae alia huius generis dogmata sunt in hoc systemate Asiatico comprehensa, opinionibus et dogmatibus de rebus diuinis inter Asiae et Aegypti populos atque nationes receptis admistum, nouam eamque mysticam philosophiae diuinioris faciem produxit; quae philosophia variis deinde et singularibus sectarum placitis commixta, Cabbalistarum, Gnosticorum similiaque nomina accepit, cum ipso fonte suo, nempe ista philosophia per Orientis prouincias obtinente, non confundenda.* Haec si rite teneantur, speramus, fore, vt difficilior dubitationum contra hanc philosophiam orientalem numerus in fumum abeat, multaeque logomachiae, ex neglecto quaestionis rite formatae statu ortae diffugiant. Quibus I. omissis et electis, perinde nobis erit, si admissa certissima existentia huius de diuinis philosophandi systematis, nomen philosophiae Orientalis omittatur, dicaturque vel philosophia Asiatica, vel Zoroastrea reformata, vel theologia mystica orientalium gentium, vel quocunque nomine appellari libeat, erimus in nomine atque verbis faciles, si, quod nos sperare iubet virorum istorum doctorum insignis iudicandi acies rerumque veterum peritia, in re ipsa nobiscum consentiant. II. Verum, priusquam nomen atque appellationem hanc dimittamus, ratio quoque reddenda est, cur incertum et obscurum nomen ORIEN-

c) Lib. I. s. 18.

Digitized by Google

ORIENTALIS philoſophiae aliis cum Moshemio (cui tamen praeiuit VITRINGA [t] et Burnetius) praetulerimus. Poteramus eam philoſophiam Aſiaticam, vel propius Perſico-Zoroaſtream vocare, ſicque origines eius, quas ſe neſcire faſſus eſt B. Cancellarius, paulo notiores pandere, pauciοribus forte difficultatibus inde emergentibus. Aſt non adaequata ſatis haec nobis appellandi ratio viſa eſt, tum, quod non omnem ſyſtematis Perſici, quod a Zoroaſtre variis modificationibus ad ſequiora tempora tranſmiſſum eſt, doctrinam complectatur, ſed eam tantum partem exhibeat, quae de emanatiuo ſyſtemate, maxime, tum quoad diuina, tum quoad originem materiae atque mali, praecepit; tum, quod non Perſici tantum imperii, ſed aliarum quoque prouinciarum Aſiaticarum, et imprimis Ioniae, Cappadociae, Syriae, Parthicique regni omnis fines peragrauit, et in metaphyſicis atque theologicis dogmatibus tandem fundamenti loco aliis ſyſtematibus ſpecialibus applicatum eſt, quod vno orientalis philoſophiae nomine omnium maxime luculenter poteſt deſignari. Neque vero excogitaſſe B. Cancellarium hoc nomen, putandum eſt: Is enim diſerte ad Theodoti, hominis Gnoſtici fragmentum prouocauit, cuius titulum ex Combefiſio h. l. adduximus, ex quo patet, nomen *διδασκαλίας καλυμένης ἀνατολικῆς*, *ſyſtematis doctrinalis, quod Valentini tempore* ORIENTALE dictum eſt, iam, ſeculo II. ineunte, notum fuiſſe, quam appellationem Aſianos vel Syros indigitare, non inepte coniecit COMBEFISIVS *). Et adduximus quidem ſupra animaduerſionem *τῦ πάνυ* Canc. PFAFFII B. M. qui, haec non ad philoſophiam illius aetatis pertinere, ſed notare delirla ſyſtematis theologici Valentiniani, monuit, qua in re verum vidit. Aſt non id voluit Moshemius, quem hoc quidem non latuiſſe, magna, qua in eccleſiae hiſtoria valebat, eruditio, nobis aequum iudicantibus perſuadet: Sed voluit tantum illuſtris theologus inde probare, nomen Orientalis *διδασκαλίας* (ſyſtema philoſophicum vel theologicum nos hodie vocamus) iam Valentini tempore obtinuiſſe, poſſeque inde coniectura probabili concludi, etiam illud doctrinae genus, ex quo dictis S. Scripturae ſuas nugas Theodotus ille aſſuit, Orientale dici potuiſſe, cum fundamenta ea ſequatur, quae in Aſia ſiue Oriente iam tum diu erant peruulgata et recepta. III. Aſt obiicient viri docti, ſi tam nota fuerit et in vſus vocata domeſticos iſta philoſophia orientalis, impoſſibile fuiſſe, vt ipſum nomen intercideret, nec multoties inter tot Graecorum ſcripta, in quibus philoſophiae barbaricae fit mentio, eius nomen occurrat? nec rationem eius ſilentii aliam dari poſſe, quam quod plane fuerit ignota et nunquam extiterit. Speciem obiectio habet, fundamento caret. Ita enim tunc demum concludi liceret, ſi appellatio philoſophiae orientalis nomen eſſet ſectarium, quemadmodum Graecanicarum ſectarum nomina innotuerunt, eaque intercidere non potuerunt: quo pacto nec Pythagoreae

t) Obſ. SS. L. V. p. 146. quem locum h. l. legi a Lectore, cupimus, cui hiſtoria orientalis philoſophiae diſplicet; totus enim noſter eſt. *) Apud FABRIC. l. c. p. 181.

Digitized by Google

reae philoſophiae, nec Eleaticae, nec Academicae Stoicaeue nomina ſoquentium vſibus erepta vnquam ſunt et in obliuionem traducta. Sed perierunt tamen et vix ex vno alteroue veteris ſcriptoris loco nobis ſuperſunt nomina *Eudaemonicorum*, *Philaletharum*, *Elencticorum*, *Analogeticorum*, *Elpiſticorum* [x] a ſyſtemate deſumta, quae adeo hodie euanuerunt, vt vix coniectura aſſequi liceat, quali ſectae adhaeſerint. Cuius ſola ratio eſſe videtur, quod generalia ſyſtematum nomina a ſpecialibus abſorpta et ſuppreſſa ſunt, et e. g. felicitatis futurae ſpes, qualem poſt fata in diuinitatis oceano promittebat ſecta Stoica, hac notiſſima appellatione ſua *Elpiſticum nomen* quaſi deuorauit. Ita quoque philoſophiae orientali accidiſſe coniicimus, quae, cum a regione, vbi vigebat, diceretur ἀνατολικὴ, notius Zoroaſtreae ſapientiae, vel etiam Magicae nomen, (nam hoc quoque recitat LAERTIVS [y]) illud ſuppreſſit, cumque ſequiori ſeculo per varias populorum ſectas mutaretur et in varia ſyſtemata, admixtis domeſticis, transfunderetur, ex hoc ſyncretiſmo τῶν νομοδιδασκάλων ſiue Cabbaliſtarum apud Iudaeos, itemque Therapeutarum apud Aegyptios, et Gnoſticorum inter Aſiae et Libyae Chriſtianos haereticos, nomen accepit, vetus autem religionis Zerdushticae nomen inter Perſas ſequiores atque Arabes ſeruauit, omiſſo Orientalis philoſophiae nomine, quod generalem tantum fontem ſuae ſapientiae innuere, paſſim harum ſectarum homines prodiderunt, et imprimis, tum Zoroaſtreae diſciplinae, declinante imperio Perſarum, tum Gnoſticae, ineunte Seculo poſt C. N. ſecundo, nomen iactauerunt [z]. Et hinc rationem petendam eſſe putamus, cur Theodotus ille Valentini aſſecla theologiam magiſtri vocauerit διδασκαλίαν ἀνατολικὴν, quod hae ſectae Gnoſticae putarent, ſe ſapientiae antiquae Orientalis genuinam prolem eſſe, atque eius myſteria in ſyſtemate ſuo Gnoſtico pandere. Similiter inter Arabes ſiue Saracenos idem eueniſſe, nomenque philoſophiae Almoshrakiae, i. e. ORIENTALIS ad eam vſque aetatem in regionibus Orientalibus ſuperfuiſſe, in obliuionem autem apud plerosque perductum a philoſophia Graecanica inter Saracenos florente, cum iſta velut myſtica et arcana a plerisque ignoraretur, memorabili THOPHAILI loco infra *tomo ſequente* [a] oſtendimus, qui totus legendus eſt. Haec omnia a nobis explicata cum ſe ita habeant, an mirum eſt, nomen orientalis philoſophiae in ſcriptis veterum tantum non euanuiſſe, rem vero ex ſectis, quae eam in viſcera quaſi ſua reconderunt, ſuamque fecerunt, protrahendam tantum eſſe? Quod cum primus ex inſtituto facere ſuſceperit B. Moshemius, immortales ei gratias debere hiſtoriam philoſophicam et eccleſiaſticam, nemo inficias iuerit, quod hoc pacto innumeris locis philoſophiae et hiſtoriae veteris lucem accenderit, ſine qua nos

x) LAERT. l. c. y) loc. cit. ſ. 2.
z) Comparandus Cel. MICHAELIS Intr. in libr. S. noui foed. §. 125. 126. p. 515 ſeqq.
a) pag. 173. not.

nos quoque multoties, aut nihil recte viſuros, aut ad ignes fatuos Graecanicae philoſophiae ceſpitaturos fuiſſe, candide fatemur, cum iſta capita doctrinae, ipſumque ſyſtema ex graeca philoſophia nemo vnquam derluare potuerit. Verum haec a partis ſtudio et contradicendi feruore alieno cum ſufficere de Orientalis philoſophiae nomine queant, verbum non addimus; et in exploranda eius hiſtoria atque exiſtentia, eo, quo nobis innotuit modo, pergimus.

IV. Mittamus itaque tantiſper Orientalis philoſophiae nomen, et ponamus, ὑποθέσεως tantum deſignandae et ab aliis diſtinguendae gratia fuiſſe effictum; ipſam huius philoſophiae Aſiaticae diuinioris exiſtentiam non ignorauiſſe veteres, etiam Graecos, adeo manifeſtum nobis eſſe in philoſophiae veteris hiſtoria putamus, vt, aut nos non ſatis intelligere viros doctos, qui contrarium tuentur, aut illos non ſatis attendere, in quo quaeſtionis ſtatus verſetur, et de qua re proprie quaeratur, fatendum nobis ſit. Itaque paulo luculentius, quid de hoc teſtimonio exiſtentiae P. O. videatur, explicabimus. Et 1. quidem vigniſſe per omnes fere Aſiae totiusque orientis prouincias non ab antiquiſſimo tantum, ante Graecae philoſophiae infantiam, tempore, ſed etiam, cum haec in cunis vagiret et paulatim, obſtetricantibus magnis viris Pythagora, atque Socrate, quibus ſectae Graecanicae omnes origines ſuas debent, adoleſceret, philoſophiam antiquiſſimi nominis atque famae, eamque Graecorum infantiae fuiſſe oppoſitam, nemo, credimus, erit, qui negauerit, ſi vel per tranſennam hiſtoriam philoſophicam inſpexit, vel ex noſtris quoque annalibus didicit, philoſophiam barbaricam tantopere ab ipſis Graecis deſideratam magnisque itineribus apud barbaras gentes quaeſitam, magnam partem inter Orientis gentes viguiſſe, et ab iis cultam, diuinorem maxime partem ſyſtematis phyſiologici de rerum originibus et eſſentia deque emanatiuo eius principio illis tradidiſſe. Non morabimur, ea, quae Tomo primo de philoſophia barbarica inuictis teſtimoniis adducta ſunt, quaeque eos refutare poſſunt, qui negant Orientalis philoſophiae inter Graecos, neque famam, neque nomen fuiſſe: ſed lectorem harum forte rerum ignarum ad vnum Clementem Alexandrinvm [b] ablegamus, qui, vt erat orientalis hiſtoriae et doctrinae callentiſſimus, longus atque multus eſt, vt hanc veritatem indubitatis teſtimoniis euinceret, et contra Epicurum oſtenderet, „ea, quae ſunt praeſtantiſſima in philoſophia, Graecos eſſe mercatos a barbaris: et cum variae fuerint barbarae gentes, eſſe inter alias, „qui publice philoſophati ſint Brachmanes vniuerſos, et Odryſos, et Getas, et Chaldaeos Arabes, qui dicti ſint felices, et quicunque habitarunt Palaeſtinam, et non minimam Perſici generis partem et alia praeter „haec genera innumerabilia.“ An hi, quaeſo, omnes philoſophiae Orientalis pars non ſunt, et ignota veteribus ſcriptoribus nomina? Nolumus plura

b) Stromat. L. I. p. m. 303 ſeqq. conferendus quoque, qui erudite in hoc argumento verſatus eſt, acutus veterum doctrinarum iudex Thomas Burnetivs archaeol. c. 4. 5. 6.

Digitized by Google

plura in tanta rei luce cum lectoris taedio cumulare, cum haec manifeſtum ſatis faciant orientalis veterum gentium philoſophiae ſemper magnum nomen et celeberrimam famam atque opinionem fuiſſe, nec ad Clementis aetatem vſque dubitatum fuiſſe, quod philoſophia, maxime, quae diuinius argumentum tradebat, inter Aſiae populos non floruerit. Comparare autem cum his iubemus TATIANVM [c], qui in hoc argumento multus eſt, et, cum ipſe eſſet Aſſyrius, ex Orientali ſtemmate oriundus, omnium optime nouiſſe potuit, quae inter gentes orientales geſta ſint atque euenerint. 2. Nec eſt, quod obliciant viri docti, qui hanc orientalem philoſophiam pertinacius negant, haec quidem de philoſophia barbarica veteri in genere valere poſſe, non autem de peculiari illa philoſophia diuiniore, quam orientalem vocamus, et quam tanquam nobiliſſimam philoſophiae in oriente florentis partem Graecis non innotuiſſe modo, ſed tanquam meliorem quoque philoſophiae partem ab iis fuiſſe excultam, et peculiare de rebus ad Deum, mundum, materiam pertinentibus ſapientiae genus conſtituiſſe, ſtatuimus; nam et hic ipſa Graecorum teſtimonia aduerſantur, qui hanc philoſophiam Orientalem non Orphei modo, et poſtea Pythagorae, ſed Anaxagorae quoque Archelai et Socratis, Graecanicam philoſophiam a coelo in terram deducentis tempore, eadem in exiſtimatione floruiſſe, teſtantur. Cuius rei vadem damus Democriti circa iſtam aetatem, adeoque diu poſt Zoroaſtrem Perſarum philoſophum ad ſcholam magorum, ex iſtius diſciplina et ſyſtemate reformatam, excurrentis exemplum [d], quod ſuo loco ex veterum, maxime LAERTII [e] fide memorauimus, qui diſerte tradit, eum non ad Aegyptios modo, ſed et in Perſidem, et ad Chaldaeos atque ad rubrum mare philoſophiae addiſcendae cauſſa peregrinatum fuiſſe, cui ſuccinunt Diodorus Siculus, Aelianus, Suidas, Clemens Alexandrinus, aliique, quorum loca adduxit diligentiſſimus MENAGIVS [f], et nos in hiſtoria magni philoſophi [ff] quoque nominauimus. Quamuis autem, non huius generis et ſyſtematis philoſophiam inter hos populos orientales atque barbaros illum didiciſſe inde poſſit conilci, quod de Diis alia, quam iſta philoſophia Orientalis tradebat, ſtatuiſſe videatur, vt ex illis conſtare poteſt, quae de philoſophia Democriti ſuo loco attulimus: certum tamen eſt, duplicem habuiſſe eum philoſophiam, publicam, quae Graecanica fuit, et ſecundum quam Eleaticos ſecutus de rebus diuinis, de mundo, de moralibus eſt philoſophatus, alteram arcanam atque myſticam, in qua Chaldaeorum vel Perſarum aliorumque orientalium magorum myſteria ſecutus eſt. Teſtem habemus PLINIVM [g], referentem, *Democritum praeter alios, ad diſcendam* PHILOSOPHIAM MAGICAM *nauigauiſſe exiliis verius, quam peregrinationibus ſuſceptis, hanc reuerſum praedicauiſſe, hanc in arcanis habuiſſe,*

c) Vid. quae de eo dicta ſunt T. III. p. 378 ſqq.
d) Tom. I. p. 1178 ſeqq.
e) Lib. IX. ſ. 28.
f) Ad loc. cit. Laërt. p. 407.
ff) T. I. p. 1177 ſeq.
g) Hiſt. nat. L. XXX. prooem.

philoſophorumque Orientalium *Captidenis et Dardani e Phoenicia volumina in ſepulchrum eius* (quo commorabatur) *petita, illuſtraſſe, ſua vero ex diſciplina eorum edidiſſe - - -* Quod etſi *alii haec eius opera eſſe, inficientur, fruſtra tamen eos eſſe, hunc enim maxime affixiſſe animis eam dulcedinem conſtare.* Hactenus Plinius, ex cuius loco memorabili, qualiscunque etiam illa, quam Democritus in oriente a magis didicit, philoſophia arcana fuerit, certo tamen conſtat, aliam, quam Graecanicam fuiſſe, et opinione profundioris et diuinioris ſapientiae ſe maximis Graecorum ingeniis commendauiſſe. An, his ſaluis, dici poteſt, ex Graecorum teſtimonio nihil de Orientali philoſophia conſtare? Illam autem magorum orientalium philoſophiam eandem prorſus fuiſſe, quam nos ſuo loco denominauimus, et Zoroaſtream de origine vniuerſi, natura et eſſentia boni et mali, eiusque mixtura, pugna, de demiurgo rerumue mundi conditore, tum de emanationibus lucis diuinis et abolendo tandem cum materia malo retuliſſe, grauis nobis auctor eſt PLVTARCHVS, cuius inſignem locum tomo primo H. C. P. [h] attulimus, eumque noua luce colluſtrauimus, ex quo ſole meridiano clarius eſt, ſyſtema hoc philoſophiae, quam orientalem diximus, idem illud doctrinae genus continuiſſe, quod a vetuſtiſſimi Orientis magis acceptum Zoroaſter emendauit, et dualiſticum ſyſtema in emanatiuum commutando, nouam diſciplinam arcanam Perſiae aliisque Aſiae prouinciis intulit, quodque inter hos homines diu non manſit modo, ſed etiam per Indiae prouincias ſe diffundendo, totam Aſiam emanationis dogmate repleuit, et ſub regibus Aegypti ex Graeco ſanguine ortis etiam in hac terrarum parte diſſeminatum et cum variis Pythagoreorum, Iudaeorum, aliorumque hominum religionibus miſtum nouoque veſtitu in ſcenam productum eſt, vt ex iis, quae de philoſophia barbarica fuſe ſuo loco diſſeruimus [i], eſt manifeſtiſſimum. 3. His iam praemiſſis, et, niſi nos omnia fallunt, vt negari nequeant, euictis, radiabit iam ſua luce locus PORPHYRII, ad quem h. l. potiſſimum prouocauimus [k], et quem huc non pertinere, ſed ad Gnoſticam philoſophiam Sec. II. ineunte demum enatam, viri illi doctiſſimi contendunt, qui orientalis philoſophiae eo tempore exiſtentiam negant. In qua diſceptatione cum videamus nonnulla inter ſe confundi, exoramus Lectoris patientiam, vt liceat nobis totum hunc Porphyrii textum iterum adſcribere, et paulo accuratius in partes ſuas reſoluere, vt habeat ipſe, ex quo iudicium, ad quod prouocare poſſimus, formare queat. Dabimus autem, vt anguſtiae paginae parcamus, Latina tantum ex verſione FICINI: *Erant Chriſtiani eo tempore multi, tum alii, tum ex antiqua philoſophia progreſſi haeretici, Adelphii et Aquilini ſectatores, qui Alexandri Libyci, Philocomi,*

h) p. 173. Extat in lib. de Iſide, et conferri debet, cum iis, quae ad illuſtrandum ſyſtema Perſicum in his ſupplementis ſupra copioſe adduximus.

i) Comparanda quae T. I. p. 1351 ſeq. lectorem ex veterum teſtimoniis docuimus.

k) In vita Plotini c. 3.

Digitized by Google

comi, Demoſtrati Lydi plurimos libros circumferebant, et reuelationes quasdam Zoroaſtris, Zoſtriani, Nicothei, Allogenis, Meſi aliorumque eiusmodi, palam oſtendentes, et deceperunt multos, et ipſi decepti iam fuerant: afferentes, Platonem intelligibilis eſſentiae profundum minime penetraſſe. Quamobrem Plotinus multas in diſputationibus ſuis in eas argumentationes intulit; ſcripſitque contra eos librum, quem contra Gnoſticos nos inſcripſimus, nobisque reliqua diſcutere et iudicare permiſit; Amelius autem libros quadraginta compoſuit contra librum Zoſtriani. Ego vero Porphyrius argumentationibus multis oſtendi, librum Zoroaſtri ab iis inſcriptum, adulterinum nouumque eſſe, et ab eis confictum, qui ſtruebant haereſin, vt inſtitutionis ſuae eſſe Zoroaſtris veteris crederentur. Haec Porphyrius, ad cuius locum rite intelligendum, ex ipſo hoc PLOTINI libro [1], cui contra Gnoſticos titulus a Porphyrio editore et diſtributore praefixus eſt, quique hodie inter celeberrimi philoſophi Opera legitur, obſeruamus: totam diſputationem verſari circa fontem fontium omnium emanatiuorum, et quo pacto cum eo conciliari poſſit materiae malorumque in mundo omnium origo, et annon complures fontes ſecundarii conſtituendi ſint, ex quo principiata omnia fluxerint, praeter trinitatem Platonicam. Ex quo patet, cardinem totius ſyſtematis emanatiui cum dualiſtico ſub vno iugo ire coacti conſtitiſſe in eo: „numen „quoddam in quadam quiete omnia in ſe continere, intellectum vero ſe„quentem quae ſunt in illo ſuſpicere; alium excogitare, ex quo deinde „deriuentur, immortalitas animae, intelligibilis mundus, item, animam „oportere commercium corporis fugere, ſeparationem animae nihil „aliud eſſe, quam a generatione ad eſſentiam ſe conferre etc.“ Haec autem communia veteris philoſophiae principia eſſe, putat Plotinus, et articulos fundamentales, quos vero ille in cancellos Platonicos reuocat, quibus deinde haeretici illi ſuos errores et particulares ſententias alleuerint. His pro claue habitis, ex loco Porphyriano, quem exſcripſimus, recte et manifeſtis indiciis concludi poſſe putamus: *a*) Fuiſſe ante enatam horum haereticorum, qui Chriſtianum nomen prae ſe ferebant, ſectam, certum quoddam philoſophiae genus, quod pro antiquo iſtarum regionum ſyſtemate habitum ſit, et ad quod non illi tantum haeretici tanquam ad matrem ſuam prouocauerint, ſed id quoque notum omnibus fuiſſe, et definitiuo articulo *τῆς παλαιᾶς φιλοσοφίας* nomine potuiſſe vocari, ex quo recte concluditur, antiquiſſimae philoſophiae genus ante exortos Gnoſticos in Oriente viguiſſe, nec id confundendum eſſe cum ipſa mataeologia Gnoſticorum haereticorum, qui diſerte atque luculenter tanquam propagines a radice hac a biographo Plotini diſtinguuntur. *b*) Hanc veterem philoſophiam non quaerendam eſſe inter Graecos, ne Platone quidem excepto, ſed his potius oppoſitam fuiſſe, tanquam et antiquiorem et veritati propiorem magisque conſonam, quae myſteria diuinitatis felicius multo attigerit. *c*) Opinionem autem fuiſſe, eam veterem

1) Enn. II. L. V. p. 204.

Digitized by Google

philoſophiam habere Zoroaſtrem auctorem, et ad eum potiſſimum eiusque celebriores diſcipulos referendam eſſe, adeoque totam eſſe orientalem, vnde iſti philoſophiae parentes prodierint. *d*) Hanc vero haereticos ſibi tanquam fontem et originem vindicaſſe, et videri voluiſſe, ac ſi ſomnia ſua ex iſtis ſcaturiginibus hauſerint; demonſtratum autem contrarium ab Ammonianae ſectae philoſophis, falſam eſſe deceptricemque hanc iactantiam, cum veteris illius philoſophiae nomine, celebritate atque auctoribus abuſi, noua ſua iſtis veteribus affuerint. *e*) Argumentum autem iſtius veteris philoſophiae, quae Zoroaſtrianae ſcholae natales ſuos debeat, totum fuiſſe de principio primo-primo ſiue Diuinitatis fonte in abyſſo latente, de principiatis illis, quae velut fontes entium, ſpiritualium ex illo proſilierunt, de naturis ſpiritualibus inde emanantibus, de mundo intelligibili et materiali, et quo pacto malum in eo emerſerit etc. quae omnia ex doctrina τῦ παλαῖϐ Ζωροάςρϐ (ita diſerte Porphyrius) fuerint deriuata. Iam lectorem ipſum iudicem conſtituimus, annon ex luculento hoc Porphyrii teſtimonio exiſtentia eiusmodi philoſophiae Zoroaſtrianae, qualem ſuis characteribus deſcripſimus, colluceat, et, annon Plotini ſchola eam minime negauerit, ſed contenderit tantum, falſa multa haereticos ei admiſcuiſſe, et celebrato in Oriente nomini quisquilias ſuas atque ſomnia tantum affuiſſe? Rogamus lectorem, vt ſyſtematis Gnoſtici exempla, quorum vnum *Tomo tertio* [m] exhibuimus, alterum in ſupplementis his ad hunc Tomum ſuppeditabimus, cum hoc loco comparet; itemque, vt ſyſtema philoſophiae Aegyptiacae, quale illud ex ſui temporis doctrina IAMBLICHVS [n] nobis delineauit, et ex quo Alexandrinam theologiam fuiſſe enatam, ſuo loco probauimus, cum his conferat, tandem, vt Cabbaliſtica placita libri *Sohar*, qui antiquitate reliquos vincit, in partes comparationis adhibeat, et tunc iudicet aequus et a partis ſtudio alienus, num orientalis philoſophiae exiſtentia veterum teſtimonio careat, nec ne? Plura enim de ea re dicere, et imprimis luculentam, quam nos ſuo loco [o] inſtituimus comparationem, huc traiicere, opus non eſſe putamus. 4. Ex his autem fuſe iam diſputatis ratio quoque conſtare poteſt, cur Plotinus, cum Alexandrinam philoſophiam in ſchola Ammonii iam didiciſſet, per vndecim annos conſtituerit apud ſe, etiam *φιλοσοφίας παρὰ τοῖς Πέρσαις ἐπιτηδευομένης πεῖραν λαβεῖν*, *Perſarum, qualis apud eos traditur philoſophiam addiſcere*, immo etiam Indorum philoſophiam explorare, quod ſupra [p] in vita Plotini ex Porphyrii teſtimonio narrauimus. Hoc enim diſertum nominis teſtimonium eſt, Gordiano adhuc imperante, in cuius exercitu Perſiam Plotinus adire conſtituerat, velut celeberrimum philoſophiae Perſicae nomen extitiſſe, et ab Alexandrinis quoque Graecis hominibus fuiſſe commendatum: qui igitur contendemus, Orientalis philoſophiae exiſtentiam nullo nomine apud veteres comprobari? Annon

m) pag. 297 ſeqq. *n*) Sect. VII. c. 2. conf. omnino, quae T. II. p. 454 ſeqq. allata ſunt.
o) Infra p. 960 ſeqq. *p*) loc. cit. p. 220.

Digitized by Google

non enim Perſae atque Indi Orientales gentes ſunt, et ea ipſa illorum philoſophia fuit iſtud de diuinis et origine materiae atque mali ſyſtema emanatiuum? 5. Idem autem ex mendacio Eunapiano quoque ſuo loco memorato [e] non minus luculenter conſtare, putamus, qui, cum Soſipatrae miraculoſam Inſtitutionem a duobus aduenis praeſtitam narrauiſſet, addit, rogatos in fine diſciplinae ab eius parente, quinam eſſent, dixiſſe cunctabundos: *εἶναι τῆς Χαλδαϊκῆς καλουμένης σοφίας ἐκ ἀμυήτους*, *ſeſe Chaldaicae philoſophiae, quae hoc nomine appelletur, eſſe initiatos.* Non iam In praeſentia mendacia nugatoris moramur, quae ſuo loco iugulauimus, illud euidentiſſimum ex hoc loco eſt, orientalis philoſophiae, ſiue Chaldaicae, (vnum enim vtrumque nomen ſignificat,) appellationem etiam In Graecanica Iamblichi ſchola, quae in Cappadocia florebat, fuiſſe celebratiſſimam, ipſamque iſtam philoſophiam non habitam tantum diuiniori ſapientia, ſed *θειασμοῖς* quoque pleniſſimam. Tacemus teſtimonium *Thophaili Tomo tertio* [f] memoratum, qui orientalem philoſophiam hoc *nomine Arabico*, ſenſuque Graecae philoſophiae oppoſito, quatenus philoſophiam quandam myſticam ſignificat, ſuo adhuc tempore ſuperfuiſſe, ſcriptum reliquit. 6. Neque magnopere nos mouet, quod viri docti obliciunt, Philonis ſilentium de diuiniore hoc philoſophiae genere, quod non taciturum fuiſſe, contendunt, ſi tunc extitiſſet. Philonis enim ſtudium philoſophicum, quod infra [g] prolixe ſatis excuſſimus, non caruit quidem huius philoſophiae principiis, ſed decretis Pythagoreae atque Platonicae attemperatis, et imprimis gentis ſuae, maxime Therapeutarum placitis accommodatis. Quae cum ſolum tunc in Aegypto nomen inter Iudaeos obtinuiſſent, mirum eſſe nobis non videtur, quod orientalis philoſophiae nomen vel ſuppreſſerit ſtudio, vel incurioſius tanquam genti ſuae non ſatis decorum neglexerit atque praetermiſerit, ſyſtematis tamen ipſius veſtigiis luculentis inter philoſophumena ſua, quae pro patriis vendebat, relictis. Quo pacto ſupra iam obſeruauimus, ſectas ex hac philoſophia orientali ortas et ſuis propriis nominibus diſtinctas, matrem velut vaccas Aegypti deuorauiſſe. Sufficit, Philonem orientalis philoſophiae ſyſtema ſaepius ſecutum, adeo euidenter prodidiſſe, vnde ſua hauſerit, vt alia demonſtratione opus non habeamus. De quo locum illuſtrem infra [h], cum integrum adduxerimus, lectorem rogamus, vt eum conſulat, quo lecto ſperamus, palpaturum eſſe, ex quo fonte ſua hauſerit, quanquam nomen reticeat, quod eo tempore ſectae Iudaeorum et Platonicorum *κεκτερίζοντων* ſuppreſſerunt, et in ſuas appellationes conuerterunt. Et hoc quidem pacto, nec nomine quoque orientalem philoſophiam hominibus Graece ſcribentibus fuiſſe ignotam, ſatis eſſe a nobis demonſtratum, confidimus, niſi moroſius quis contradicere amet, quocum altercationis ferram reciprocare non libet. V. Quod ſi enim haec omnia rem ipſam non ſatis euincerent, vna tamen eius euidentia, cer-

e) pag. 275. f) pag. 773. g) pag. 799. h) pag. 767.

Digitized by Google

certissimus nobis testis a tot annis fuit, estque curis his secundis hodie. Omnia enim philosophiae systemata, quae Graecis opposita inter homines Asiaticos et Aegyptios increbuerunt, Zoroastriano-Chaldaicum siue Magicum, Indicum, Aegyptiacum, Cabbalisticum, Gnosticum, Alexandrino-Eclecticum inter se comparantes, apertis argumentis vbique harmoniam manibus palpauimus, cum huius philosophiae generalis principiis, quae cum communia sint, et vbique luceant, ne sacrarum quoque paginarum locis nonnullis exceptis *, (quibus tormenta et equulei adhibendi sunt, si de aliis sectarum Iudaicarum dogmatibus debeant explicari) clauem nobis vniuersalem exhibuerunt ἔχοντα, eorum mysteria explicandi. Quam si reiiciant alii, habeantque ipsi aliam et feliciorem, rogamus, vt eam eruditis inuidere nolint, interimque nōs nostris oculis vti, nostrisque luminibus, quantum pote, frui permittant, donec certiora nobis demonstrentur. Iam ex longo diuerticulo in viam redeundum est.

pag. 643. lin. 8. *In plures opiniones diuiserunt.* Vidit id iam ante Moshemium, et ante nos acutissimus VITRINGA [x], qui recte statuit, hoc systema emanatiuum, quod postea excoluerunt Basilides, Valentinus, Ptolemaeus similesque Gnosticae sectae doctores, his magistris esse antiquius, et iam ante Ioannis Apostoli obitum, quod ad summa et praecipua eius capita, per Asiam disseminatum, etiamsi Basilides et Valentinus praeceptorum suorum institutiones expoliuerint, et in iis in ordinem digerendis ingeniose luserint. Id quod postea [y] ad emanatiuum systema luculenter transfert et applicat, et id circa Apostolorum aetatem iam inualuisse ex praeceptoribus, ad quos prouocarunt isti haeretici, ostendit. Id quod potissimum in Aegypto quoque factum esse, inde colligit, quod multis videretur, *ex doctrina Platonis non posse demonstrari, vnde malum, et quare: et vnde homo et quomodo*, quam huius disputationis originem dudum indicarunt TERTVLLIANVS [z], et EPIPHANIVS [a]: inde enim exortam, maxime in Aegypto, opinionem: *multae cum sint in vniuerso essentiae, atque inter se valde diuersae, multa quoque earum principia, diuersos habentia ordines, tradenda fuisse*, quae ipsius IAMBLICHI [b] verba sunt satis luculenta. Addit his vir doctus non minus verisimillima: tandem prouti hic quisque alio videri voluerit accuratior, et sui prae alio commendare ingenii subtilitatem, plura prodiisse systemata, quibus γένεσις et origo omnium rerum a prima et summa causa secundum gradus et ordines tradebatur. Hancque disciplinam ex Aegypto, vbi Gnosticorum doctrina primum fata est, et Syria in Asiam transiisse inferiorem, eiusque florentes ecclesias infeciisse, iam sub imperio Neronis: quae in historia ciuitatis Christianae pluribus debent explicari et demonstrari.

pag.

*) Comparanda, quae ad Commentarios Anglorum in catena bibliorum exegeticorum Ep. ad Coloss. Timoth. Petri etc. annotauimus. Esaiam vatem iam ad hanc philosophiam Persicam et Chaldaicam alluisse, coniicit VITRINGA ad Is. XLV, 8. T. II. p. m. 581.

x) Obs. SS. L. V. p. 153.

y) pag. 161.

z) De praescript. adu. haer. c. 7.

a) Haeres. 24. §. 6.

b) Sect. VIII. de myst. Aegypt. c. 1.

Digitized by Google

pag. 645. lin. 20. *Intercideret philoſophia orientalis.* Non tamen tota; nam remanſerunt magna et memorabilia λείψανα, quae nouas ſectas genuerunt, inter quas in Oriente Manetis inſania fuit celebratiſſima, quippe omnem fere orbem habitabilem peruagata; ipſae quoque Perſarum ſcholae philoſophicae, ſui praeceptoris φιλοσοφήματα, variis quidem rationibus temperata et adulterata ad poſteros propagauerunt, licet a Muhammedanis in anguſtias angulosque orbis Orientalis coniectos, quo factum eſt, vt hodie quoque inter Gauros ſimilesque haut obſcura deprehendantur P. O. veſtigia, de quibus ſupra ſuo loco dictum.

pag. 646. lin. 5. *Talia tradidiſſe.* Vidit id et monuit dudum THOMAS BVRNETIVS, qui hac claue omnia barbaricae archaeologiae ſacraria reſerari poſſe, non inepte, ſi id recte inſtituatur, ſtatuit.

pag. 647. lin. 28. *Temporis ex mutatione ſucceſſiui expertem naturam haberent.* Viſus eſt B. MOSHEMIO [c] Epictetus quoque αἰῶνος vocem pro natura immortali, quaeque infinitam habeat durationem, adhibuiſſe. Verba eius apud ARRIANVM [d] haec ſunt: *ὁ γὰρ ἐμὶ αἰὼν, ἀλλ' ἄνθρωπος, μέρος τῶν πάντων, ὡς ὥρα ἡμέρας*: quae ita conuertit WOLFIVS, *non enim ſum aeternitas, ſed homo, pars vniuerſorum, vt hora diei.* Quo loco αἰῶνα et ἀνθρωπον ſibi inuicem opponi, nemo non videt. Valde tamen timemus, vt eundem, quem Orientales philoſophi de voce αἰὼν conceptum ſibi formauerunt, Stoicus quoque habuerit philoſophus, et an ſubſtantiam ille intellexerit, et ex ſe tantum perſiſtentem atque immutabilem, et ſemper quoque duraturam; vt Gnoſtici, certe, non αἰὼν ἀνθρώπῳ, ſed μέρει τῶν πάντων opponere videtur, quo pacto non tam male interpretatus eſt Wolfius, ideo a Moshemio reprehenſus, *aeternitas*. Idem enim ex ore praeceptoris videtur Arrianus praecipere: ſe non eſſe aeternum illud, quod immutabile duraturum, id eſt, non partem mundi immutabilis et aeterni, ſed partem omnium rerum, quae mutationi obnoxiae ſunt, vt hora diei: quo ſenſu αἰὼν recte aeternitatem, id eſt, rerum aeternarum naturam et ſtatum ſignificare, dici poteſt, non definita, quae in iſta aeternitate contineatur, ſubſtantia. De locis Scr. S. vbi αἰὼν ſubſtantiam quandam aeternam, immutabilem, ſpiritumque primi ordinis interpretibus nonnullis cum Hieronymo, ſignificare videtur, quaeque coacta viſa eſt Cel. ERNESTI [e] ad iſta loca in catena exegetica bibliorum Anglicorum nonnulla diximus. In quibus locis Eph. II, 1. αἰὼν τοῦ κόσμου τούτου, ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος Principem ſpiritum, vel potentiam naturae aeternae, omnium planiſſime ſignificare poſſe, et nos rationibus non leuibus communiuimus, et concedit quoque MOSHEMIVS, negat, et contortum videtur eruditiſſimo bibliothecae theologicae auctori, nos in medio relinquimus, id vnum monentes, communiorem explicationem

c) Hiſt. Chr. ante C. M. Sec. I. c. 1. §. 33. p. 38.
d) Diſſ. Epict. L. I. c. 2.
e) T. IV. N. T. n. 1761. p. 828.

Digitized by Google

nem plus habere coactionis, verisimilitudine carentis, quam istam, de quo agimus, facile autem cum altero Ebr. I, 2. conciliari posse, eo loco [f] demonstrauimus, et huius interpretationis auctores laudauimus.

pag. 649. lin. 17. *Emanationis necessitate eueniant.* Non sine insigni Lectoris commodo hoc de materia maloque illi inhaerente φιλοσοφέμενον comparari potest cum explicatione systematis Zoroastreo-Persici, qualem tum supra Tomo I. tum in his supplementis dedimus, et non coniecturis tantum, sed testimoniis quoque confirmauimus. Ex hac enim comparatione speramus, fore, vt intelligat lector, qua matre philosophia orientalis gaudeat, quibusque foetum suum parentibus debeat, et quo fundamento ea dicantur, quae §. sequenti affirmauimus.

f) T. VI. n. 76. p. 62.

AD LIBRI II. CAP. II.

DE PHILOSOPHIA IVDAICA.

pag. 653. lin. 19.

Non Hebraeorum porro nomen illis datum est. Vniuersae quidem gentis Israëliticae nomen post captiuitatem Babylonicam, Iudaeorum appellatione comprehensum est, non ita tamen, vt nomen Hebraeorum intercideret. Namque Paulus se Ἑβραῖον ἐξ Ἑβραίων vocat [a]: eo nomine autem, qui, vel ex vtroque parente, vel ex vno ortum habebat Hebraeus quoque vocabatur. Confusis tamen post captiuitatem Babylonicam tribubus et dispersis Israëlitis, vna Iudaeorum appellatio obtinuit. Non tamen peculiarem Hebraeorum appellationem prorsus intercidisse, vel ex vna ad Hebraeos inscriptione epistolae Paulinae patet. Inde enim constat, diuisa terra Canaan, in longe aliam, quam olim obtinuerat, prouinciarum distributionem, inter eos tamen fuisse, qui Ebraeorum nomen ἰδιωτικὸν conseruarent. Quo de argumento consulenda est τῇ κριτικωτάτῃ MICHAELIS de Hebraeis in epistola ad eos scripta dissertatio [b]. De qua re, cum in *prolegomenis Comm. de Epistola ad Hebraeos* plura monuerimus [c], hoc loco multa addere non vacat; id vnum hoc loco apponentes, bonis rationibus ostendisse nos, eo tempore, quo D. Paulus scripsit, Hebraeorum nomen tributum fuisse illi Galilaeae parti, quae supra Palaestinam Syrorum confinia attingebat.

pag. 655. not. q. *De quibus infra dicendum.* Adiiciendi his sunt Io. HVLSII *theologia Iudaica*, AVG. PFEIFFERI *theologia Iudaica et Muhammedorum*, aliique.

pag.

a) Phil. III, 5.
b) In Comm. ad PRICII exeg. Ep. ad Ebraeos.
c) Ad caten. exeg. bibl. Angl. P. VI, p. 34. not. 44. In qua collectione biblica etiam BERNSONII nostraeque obseruationes ad Iac. I, 1. p. 34. not. 47. consuli possunt.

Digitized by Google

pag. 661. lin. 6. a fin. *Excutienda sunt.* Magna latet in hac idololatriae populorum, ex quibus coloniae in Samariam deductae sunt historia, obscuritas, quae cum ad nostros limites non pertineat, illi consulendi sunt, qui curiositatem lectoris expleturi, gentis Samaritanae origines, et historiam scrutati sunt, addenda vero illis, quos hoc loco nominauimus, triga virorum doctissimorum, qui in historia Samaritana explicanda, multa eruditione et industria versati sunt, Io. Iacobi Hottingeri [d], Christophori Cellarii [e] et Hadriani Relandi. Vnam tamen, quae in iterata huius loci lectione enata est, coniecturam non omittemus. Praecipuum populum, ex quo rex Assyriae colonias in Samaritanam prouinciam deduxit, Chutaeos fuisse, sacer nobis tradit historicus. Quanquam autem tota horum populorum notitia incerta et multis difficultatibus obnoxia est, illud tamen certum nobis esse videtur, fuisse orientales, et imprimis Chutae incolas designare, non Chuti s. Chusi posteros, Arabiam felicem inhabitantes, sed, vel gentem Babylonicam, vel Chaldaicam, quae non diu post Persarum concessit imperio. Hos potiorem partem istius coloniae deductae in Samariam constituisse, facile nobis persuasit nomen Cuthaeorum, quod toti postea coloniae adhaesit. Eorum sedem in hac orientis parte fuisse, multa eruditione demonstrare annisus est ex veterum orientalium scriptorum fide Thomas Hyde [f]. Cuius opinionem tamen non totam facile sequi nos posse, putamus, cum non tantum ipsi se non Babyloniorum, sed Persarum esse colonos, dicerent, teste Iosepho [ff], sed et eorum idolum, quod coluerunt, appellatum fuisse Nergal, sacer nobis referat historicus. Quod, quale fuerit, candide quidem se nescire fatetur magnus Bochartus [g], valde vero se commendat coniectura Ioannis Seldeni, *Nergalem fuisse ignem perennem in septis a Cuthaeis religiosissime seruatum, Cuthaeos enim a Cutho Persidis fluuio, et regione cognomine nuncupatos esse* [h], *atque inde numerose, vt sacrum, in Samariam deductos. Ignem autem sacrum apud Persas fuisse,* ex Strabonis [i], testis oculati fide probat [k], resque est notissima multisque probata testimoniis ab Hydeo [l]. Quae si admittimus, facile, nec sine verisimilitudine coniicimus, vetustissimam magorum religionem, πυρολατρείαν ab his populis in Samaria introductam cum Numinis Israëlitici cultu fuisse copulatam, sicque antiquissimum illud theologiae systema inter Samaritanos prima fundamenta Orientalis theologiae posuisse, quae a Persis, duce Zoroastre, emendata est. Quo pacto mirum nobis

d) App. ad pentad. diss. bibl. chronolog.

e) Gent. Sam. historia in diss. Acad. p. 109 sqq.

f) De relig. vet. Persar. c. 2. p. 38 seqq. vbi multis contendit, sedem Chus patriarchae non fuisse in Aethiopia, sed in terra Shin'ar, in territorio Babylonico, prouincia Erac, non illa Persidis, sed Babyloniae, cuius idolum fuisse putat Nergal.

ff) Antiqq. Iud. L. XII. 7. p. 410.

g) Hierozoic. P. II. L. I. c. 16.

h) Gens montana, de qua vid. Cellarius not. orbis ant. P. II. L. III. c. 19. p. 806. et in collect. hist. Samarit. c. 1. s. 19.

i) Lib. XV.

k) De Diis Syris Synt. II. c. 8. p. m. 312 seq.

l) l. c. conf. Patrick ad l. c. polt. reg. bibl. exeg. Angl. T. IV. p. 442.

non eſt, homines fanaticos, qui in gente Samaritana ex iſtis feminibus enati ſunt, haec principia poſtea elegiſſe, et hoc pacto huic emanatiuo ſyſtemati adhaeſiſſe. Quam tamen coniecturam Lectori pluribus, quam in hac paginae anguſtia licet, examinandam relinquimus. Certe haec veriſimilius dicuntur, quam ſi, cum BOCHARTO idolum Nergal a palma, Nergil Perſis et Indis dicta, nomen accepiſſe coniiciamus.

pag. 667. not. u. *Hiſt. Chriſt. mai. Sec. I.* Repetiit potiora, et luculenta narratione expoſuit in *Hiſtoria Chriſtianorum ante Conſtantinum M.* [m]. Pleraque quoque more ſuo eruditiſſime collegit TILLEMONTIVS [n], quem vel anteceſſerunt, vel ſecuti ſunt alii. Quae de eo Act. II, 9 ſeqq. breuiter LVCAS dixit, ea ſtrictim ad h. l. in *catena exegetica bibliorum Anglicorum* [o] recenſuimus et explicuimus.

pag. 669. lin. 30. *Cum ſeculo XVI. ea ipſa ſtatua.* Accidit id anno cIↃIↃLXXIV. in inſula Tiberina. Permutationes literarum Semonis Sanci pro Simone Sancto, facile euenire potuiſſe, viri docti paſſim oſtenderunt. Vid. Cl. C. HAGENBVCHIVS, in *Epp. epigraphicis* [p].

pag. 670. lin. 10. *Deferenda itaque ea iactantiae Simonianae expoſitio.* Aliter quidem viſum viris quibusdam doctiſſimis et ſagacibus. Hos nominare poſt laudatam MOSHEMII [q] induſtriam, opus non eſt. Memorandus tamen nobis vir doctiſſimus STEPHANVS HATHVANVS, Hungarus, qui animaduerſiones theologico-criticas, primo ſub Ven. BECKII praeſidio Baſileae ventilatas, auctas poſtea inſigniter et emendatas *Muſeo Heluetico* [r] inſeruit. Vbi inter multa alia potiſſimum ad Iuſtinum M. aliosque PP. pertinentia, hoc quoque teſtimonium beati Martyris excuſſit, et imperitiam, quam ei H. VALESIVS [s], obiecit, detergere conatus eſt. Cuius potiſſimum pro Iuſtini et Tertulliani teſtimonio praeſidium eſt: non perſuadere ſibi quemquam facile poſſe, hos bonos viros in tam graui ſcripto, quod ad imperatorem ac ſenatum Romanum perferri volebant, eius generis narrationem ſcribere vel voluiſſe, vel auſos fuiſſe, quam ante non recte perſpexerant, nec rite explorabant, quamque vel pueri Romani exſibilare potuiſſent. Vrget alia, et nec impoſſibile fuiſſe putat, vt talia pudenda et atrocia ſub Claudio fuerint perpetrata; nec in hac Simonis ſancti Dei conſecratione quicquam fuiſſe, quod in iſtius temporis corruptione morum non expectandum fuerit, monet, et Iuſtinum verum de hac ſtatua et ſcribere potuiſſe et voluiſſe, probare contendit. Quae omnia docte quidem et ingenioſe ornat, fatetur tamen, ſe fabuloſam illam Simonis iſtius impoſtoris opera S. Petri factam ex aëre praecipitationem, veram non eſſe, cenſere, ſed eam legendis PP. adſcribit, cetera certum, Petrum Romae fuiſſe. Noſtra non hoc loco eſt, haec curioſius excutere, non diffitemur tamen, viſum nobis eſſe virum

m) Sec. I. §. 65 ſeqq. p. 187 ſeqq.
n) Tom. II. H. Imp.
o) Tom. III. p. 183.
p) pag. 70.
q) pag. 192.
r) T. II. p. 575 ſeq.
s) Ad Euſeb. L. II. c. 3. p. 38.

Digitized by Google

virum doctum principium petere, et ſuppoſita ex coniecturis nonnullis ingenium magis, quam veriſimilitudinem prae ſe ferentibus, ſententia, doctores illos, cetera venerandos, ſe nec decipere ipſos potuiſſe, nec deceptos ab aliis eſſe, hanc concludendi rationem demonſtrationi immiſcuiſſe. Recte nobis Moshemius monuiſſe videtur, ſibi tot alios errores animo repetenti, quos iidem imprudentes admiſerunt, facile hoc creditu videri: illud vero omnis veriſimilitudinis expers eſſe, Romanos Iudaeum, aut Samaritanum, vilem hominem, circulatorem praeterea inter numina ſua cooptaſſe, atque ſtatua honoraſſe. Certe quaecunque beatorum doctorum candor et auctoritas eſſe poteſt, nota tamen in haud paucis eſt eorum credulitas in eo argumento, quo Chriſtiani nominis cauſſam defendi poſſe, credebant, vnde a veriſimilitudine non abludit, non neminem nimis properantem, hanc ſtatuam intuitum obiter legiſſe, et zelo plenum ad hos duumuiros retuliſſe, eos autem, nec veritate amplius non explorata, ſed ſuppoſita, tanquam certa ſuis ſcriptis inſeruiſſe, quamuis circumſtantiae male cohaereant.

pag. 683. lin. 19. *Lectoris relinquimus iudicio.* Nihil ad hanc noſtram explicationem repoſuit B. Cancellarius, cum Menandri mentionem in *hiſtoria Chriſtianorum ante Conſt. M.* [f] iniiceret, quare, nec nos coniecturam prolixius vrgemus, patiemurque facile, ſi quis Menandrum, vt ille vult, pro vecorde atque amente, et ſyſtematis formandi incapace habuerit.

pag. 693. lin. 26. *Quae allegoriae recepta, et cum patriis placitis male, ſano conatu conciliata.* Hoc ex dicendis plenius conſtabit. Interim PHILONEM [t] vadem fiſtimus, qui de Therapeutis ſuis, φιλοσοφῶσι ait, τὴν πάτριον φιλοσοφίαν ἀλληγορεῦντες, quae ſcopo et ſenſu ſcriptoris verti debent, patriam philoſophiam, eos per allegoriam tradere, id eſt, de rebus diuinis, quae a patribus acceperant, allegorica methodo differere. Cuius generis homines IOSEPHVS [u] quoque vocat φιλοσόφους θεῖα λέγοντας.

pag. 693. not. n. *Miſcellaneis Berolinenſibus inſerta.* Legitur ea T. VI. [x] et in noſtris quoque *Miſcellaneis hiſt. phil. crit.* [y].

Ibid. lin. 6. a fin. *Quod veritatis cupidum in hac agnoſcenda remorari poſſit.* Adeo hae rationes veritatem perſuaſere doctiſſimo philoſopho VDALRICO WEISSIO, monacho Benedictino Vrſinenſi, ante paucos annos non ſine literaturae et philoſophiae ſobriae iactura denato, vt plena manu concederet [z], librum ſapientiae Platonicis opinionibus repletum eſſe. Quid de Gundlingiana diſſertatione ſtatuendum ſit, nos l. c. candide diximus [a], nec dictorum poenitet.

f) §. 68. p. 194 ſeq.
t) De vit. contemplat.
u) Ant. Iud. L. VIII. loquitur ibi de Eleazare in Maccabaeorum hiſtoria celebrato. Abuſi hi ſcriptores generali philoſophiae nomine, dicebant, eſſe τὸ φιλοσοφεῖν ἄλλο τι ἢ ταῦτα, σπουδάζειν ἀκριβῶς ἰδίων. Ita PAVLO de conf. ling.
x) pag. 150 ſeqq.
y) p. 187. quibus paucula nota adſperſimus.
z) In erudito opere de intellectu humano, aliquot locis.
a) l. c. p. 189. not. f.

pag. 700. lin. 13. *Quorum Ioſephus non meminit.* Quadrat huc reſponſio τῦ πάνυ FABRICII, Philonis Platoniſmum contra Ionſium, a ſilentio Ioſephi contrarium concludentem, eodem modo tuentis: *gratis obiicitur, Ioſephum Iudaeorum ſuorum nimium laudatorem et qui caetera gentis ſuae ſatis extollat, neque librorum Philonis fecere mentionem, neque Platonicam eius eruditionem nouiſſe. Neque enim alibi Ioſephus elenchos ſcriptorum auctorum ſolet encomiis adiicere, neque expreſſam dogmatum Philonis Platonis mentionem multum ad amplificandas gentis ſuae, vel etiam Philonianas laudes facere, arbitratus eſt* etc. [b].

pag. 708. lin. 20. *Verum haec ὡς ἐν παρέδῳ.* Diſſeruit poſt haec noſtra In lucem emiſſa B. CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS [c], de his originibus philoſophiae traditiuae et arcanae, ſiue cabbaliſticae, et allam atque rectiorem viam ineundam eſſe, ſtatuit, ſi verum doctrinae arcanae inter Iudaeos ortum detegere cupiamus. In quo argumento vir doctus et pius, et laudabili pro Chriſtiana theologia ex veteri Iudaeorum traditione afferenda zelo accenſus, aliam prorſus rationem atque viam iniit, euicturus, non Aegyptiacam illam philoſophiam traditiuam ſiue cabbalam metaphyſicam, ſed arcaniorem vaticiniorum propheticorum de Meſſia explicationem per manus a ſcripturariis ex ore vatum patrumque ad poſteros propagatam intelligendam eſſe. Hanc variis quidem mutationibus obnoxiam tandem ad Simeonem Iochaidem peruenisſe, quem verum Cabbaliſticorum myſteriorum, aſt orthodoxo et Chriſtiano fere ſenſu explicandorum parentem in libro *Sohar*, ea obſcure deſcripta reliquiſſe, contendit, et alios ſecus ſentientes ipſumque Knorrium libri Soharici editorem erroris in originibus Cabbaliſticis definiendis coarguit: quo modo etiam nobis, ſed, vt amicos literatos decet, humaniſſime, mentem ſuam declaraſſe, nobisque in quadam epiſtolarum mutuarum dicam ſcripſiſſe, cum adhuc in viuis ſupereſſet, recordamur, candide et niſi fallimur, luculenter tunc ſententiam noſtram tuitis. Dicemus ea de re nonnulla ad hiſtoriam et origines philoſophiae Cabbaliſticae delati; hoc loco autem, ne confundatur lector in his nondum ſatis exercitatus, monemus, virum iſtum doctiſſimum, at in Iudaeorum magis, quam ceterarum gentium antiquitatibus verſatum, cabbalam exegeticam, ſiue traditionem explicationum V. T. et vaticiniorum diuinorum prophetarum cum cabbala philoſophica, quam ex Aegypto in Palaeſtinam introductam fuiſſe h. l. probauimus, confudiſſe, et cum huius nullam fere notitiam haberet, (id quod quodam loco ipſe haud obſcure prodidit [d],) ita quaecunque de cabbaliſtica theologia, ſiue traditione orali doctrinae arcanae occurrebant, ad ſolam iſtam cabbalam exegeticam retuliſſe; quo pacto in hac diſqui-

b) Diſſ. de Phil. Plat. §. 4.

c) In libro docto bonaeque frugis pleno: Ieſus, verus Meſſias, ex veteri et orthodoxa Theologia Iudaica demonſtratus et illuſtratus, Lipſ. 1748. 8.

d) l. c. L. I. c. 2. §. 9. p. 69. ex quo loco manifeſtum eſt, eum doctrinalem ſtatum Iudaeorum in Aegypto vel ignoraſſe, vel, quod malumus, non recogitaſſe.

Digitized by Google

diſquiſitione, in qua certa et vera, incertis, atque alienis immixta ſunt, diſcrimen inter cabbalam illam veteris eccleſiae Iudaicae theologicam ſeu myſticam, vtcunque in commentariis midraſchicis huiusque generis monumentis aliis de Meſſia eiusque regno ad poſteros propagatam et cabbalam illam philoſophicam, quae ex Aegypto potiſſimum, opera Schetachitis in Palaeſtinam inter doctores nonnullos dimanauit, commiſcuit [e], magna ſyſtematum turbatione, quam non facilius, qui hac in re naſum habent, detegent, quam ſi libri Sohar explicationem, qualem ille orthodoxam dedit et a Chriſtianis decretis non nimis abhorrentem, cum ſyſtemate Soharico ipſo, quod totum emanatiuum eſt, et ab orthodoxia Iudaica inſigniter diſtat, comparabunt. Qua de re, cum infra commodior dicendi locus ſe aperiat, quae hic monenda ſunt, ad eum annotabimus, et inſigne diſcrimen in apricum producemus. Nos hoc loco ex viri pii, et iſto libro doctiſſimo de V. R. C. praeclare meriti, obſeruationibus haec tantum notamus, quanquam vel ex ipſo ſacrarum literarum N. T. teſtimonio demonſtrari queat, floruiſſe ante aduentum Domini I. C. in carnem, purioris et orthodoxae doctrinae quasdam ſocietates ſacras, et myſterium Meſſianum in ſpecie ab iis diligenti meditatione excultum, ſicque conſeruatam, quae ex vaticiniis prophetarum in Iudaea reſtabat, traditionem ſacram, (de quo infra adhuc dicendi locus erit, interimque conſulendus eſt P. ALLIXIVS [f]:) quamuis etiam in ſcholis midraſchicorum ſcriptorum talia λείψανα contenta fuiſſe, non ſit improbabile, certum tamen eſſe, et a Schoettgenio ipſo prouide monitum, praeter bella et perſecutiones regum Syrorum et Aegyptiorum, maxime tempore Maccabaeorum, magnam hanc doctrinam diuiniorem obſcurationem ex eo paſſam eſſe, quod genti preſſae gentilia et profana rerum ſacrarum collegia obtruderentur, amiſſasque fuiſſe veritates propheticas, auctamque hanc calamitatem odio philoſophiae, qua omnem interpretandi peritiam cum Graecanica ſapientia Iudaei execrabantur, ſuppreſſiſſe porro ſtudium Iudaeorum ſectarium iſta purioris doctrinae lumina, et innumeris traditionibus πατροπαραδότοις homines fuiſſe cumulatos, et Ioannis quoque Baptiſtae, atque ipſius Saluatoris in carne apparentis et diuina myſteria vulgantis molimina fuiſſe magna vi deiici tentata, ſicque infelici huic lolio corruptae traditionis ſucceſſiſſe humanarum nugarum cateruas: eas vero, quae ex parte a doctoribus midraſchicis con-

e) Monendus hic lector eſt, quod in ſequentibus huius libri capitibus fuſius explicuimus, confuſionem vocis Cabbalae multas quoque opinionum confuſiones peperiſſe. Aliam autem eſſe Cabbalam exegeticam, quae dicta et ratiocinia de Meſſia eiusque regno arcana et allegorica ratione explicat, aliam ritualem, quae traditionum πατροπαραδότων ſyſtema exhibet, aliam philoſophicam, quae originationes mundi, et eſſentiarum emanationes, ordines et effluxus atque reditus periodicos ex ſyſtemate orientali in Aegypto transſumta explicet. Hanc cum Schetachides in Palaeſtinam introduxiſſet, et cum Cabbala exegetica mira allegoriarum machinatione conglutinaſſet, enatum inde ſyſtema Cabbaliſticum, quod Ckibha, Iochaides et his ſimiles propagauerunt, et de quo nobis ſermo in hac tractatione eſt.

f) Teſt. eccleſ. Iud. contra Vnitarios.

conſeruatae erant, veritatis ſcintillas, fuiſſe ſuppreſſas, et mutatas etc. Haec omnia more ſuo proſequitur vir beatus, nec negari quoque poſſunt. Aſt ex his quoque manifeſtum eſt, cabbalam illam puriorem, ſiue veteris eccleſiae traditionem plane fuiſſe ſeculo ante N. C. vltimo et ſequente obſcuratam, donec doctrinae Chriſtianae fulgur eam in noua luce poneret. Sed filuit vir beatus eam corruptionem, quae ex Aegypto in eccleſiam Iudaicam Palaeſtinam translata eſt, quaeque nouum aliquod ſyſtema metaphyſicum et theologicum clanculum erigebat, quod diu in arcanis habitum, vt pulchrius niteret, cum traditionibus exegeticis virorum ſanctorum copulatum, et plumis doctrinae veteris incruſtatum eam faciem ſuſcepit, quam Iochaides atque eius diſcipuli in arcanis libris cabbaliſticis depinxerunt, auxit vero inſigniter ſequentium temporum maleſana curioſitas. Ad quae non attendiſſe, nec ſollicite comparaſſe cum ſatis doctrinae Iudaicae *μυςικωτέρας* virum doctum, eo magis miramur, cum iſta poſt noſtram cabbaliſticae metaphyſicae deſcriptionem et hiſtoriam demum ſcripſerit. Sed abiicere ille conceptum de Simone Iochaide praeiudicium, fuiſſe clandeſtinum Chriſtianum, noluit, vnde dein tota hiſtoria cabbaliſtica turbata eſt. Certe extitiſſe tempore Pauli eiusmodi *νομιδιδασκάλους*, qui ex ſyſtemate emanatiuo vetus Iudaicum et Chriſtianum de Meſſia traditionis veteris, id eſt, cabbalae nomine adulterarunt, facile videre potuiſſet explorato penitius loco Paulino 1 Tim. I, 2. [g] ad quem locum lectorem ablegamus, noſtrasque, ſi tanti videbuntur, animaduerſiones ad eum, ſimul conſiderari ab eo, cupimus.

pag. 709. lin. 4. a fine. *Quo loco Graecam eum et Aegyptiacam philoſophiam didiciſſe, qualis inter contribules ſuos vigebat, dubium non eſt.* Recte id inde colligitur, tum, quod methodum allegoricam, qualis eo tempore inter ſuos, maxime Therapeutas vigebat, et quam, nec alii quoque Iudaei, et imprimis Philo reſpuebant, admiſit, et compoſiturus erat ad Eſſenorum imitationem opus *de philoſophia ſublimiore* [h], quod tamen non exſecutus eſt. De quo eius conatu videſis BASNAGIVM [i].

pag. 711. lin. 31. *Quae a philoſophia orientali admixta adulterata fuit.* Talem philoſophandi rationem Pythagoricam orientalibus decretis admixtam, circa iſtam aetatem inter Iudaeos inualuiſſe, vnius Philonis exemplo luculenter poteſt demonſtrari.

pag. 712. not. c. *Vid. GOODWIN Moſes et Aaron L. I. c. 9.* Prodiit poſt haec noſtra abundantiſſimus Ven. Senis Io. GOTTLOB CARPZOVII *Apparatus hiſtorico-criticus, antiquitatum S. Codicis, et gentis Hebraeae*, quo vir ſummus et rerum Iudaicarum longe peritiſſimus, vberrimas anno-

g) Cat. exeg. bibl. Anglic. T. V. n. 997 ſeq. pag. 517 ſeq.

h) Vid. in prooem. p. 4. vbi ſe philoſophicam, i. e. allegoricam hiſtoriarum S. S. theoriam moliri indicat. Quod opus intermiſſum eſſe, ideo dolemus, quia ex ſcriptore Palaeſtino diſcere potuiſſemus, quomodo in ea regione conſilium iſtud fuerit ſuſceptum.

i) Hiſt. des Iuifs T. III. ch. 16. p. 409 ſeq. conf. FABRICIVS l. c. p. 841. not. l.

Digitized by Google

annotationes in *Th. Goodwini Moſen et Aaronem* ſubminiſtrauit. In quo pleno horreo, ad hunc locum ingens copia obſeruationum ſelectiſſimarum ad hunc ſtatum Iudaeorum eccleſiaſticum ſectasque inter eos vigentes exhibetur. Qui cum fuſe ea colluſtrauerit, quae nos hoc loco ſtrictim, ſcopi et argumenti memores attulimus, omnino a lectore adeundus eſt, vberiorem huius hiſtoriae ſectariae copiam deſiderante: nobis enim eo magis manus hic cohibere, par eſſe videtur, quo iucundius ex ipſo hoc fonte iſtae aquae potantur. Ingentem autem is quoque aliorum ſcriptorum numerum cumulat, qui idem argumentum excuſſerunt, quosque alios felicius, alios infelicius de iis ſcripſiſſe, recte pronuntiat MOSHEMIVS [k]. Nos de eo ſtrictim dixiſſe, et quae memorabilia ſunt lectuque non indigna, collegiſſe, iudice B. BAVMGARTENIO [l], pro inſtituto noſtro ſatis eſt. Cum his autem obſeruationes BASNAGII [m] comparandae ſunt.

pag. 713. lin. 29. *Tantum non opprimi ab Antiocho Epiphane videret.* Dignus eſt, qui de vexata hac ſodalitate, miris a Syriae rege furoribus excruciata legatur IOSEPHVS in *antiquitatibus Iudaicis* [n]. Hi martyres Haſidaeorum nomine ab apoſtatis diſtinguebantur. Alluſiſſe ad hoc nomen D. Paulus Roman. V, 6. 7. nonnullis viſus eſt; quod tamen acute magis, quam vere dici, et CARPZOVIVS [o] vidit, et nos ad iſtum locum commentati [p] obſeruauimus.

pag. 715. not. o. lin. 2. *Licet ceteras ſectas omiſerit.* Scriptores de Sadducaeis plurimos cumulat CARPZOVVIVS ad Goodwinum [q], quorum plerique vnus alterum exſcripſit, pauci critico acumine, quid in veterum, maxime Iudaeorum narrationibus, vel verum ſit, vel veri valde ſimile, examinauerunt. Vnde ad pauca nomina ſectae Sadducaeorum hiſtoria euocari poteſt. Inter hos omnino nominandus eſt B. MOSHEMIVS [r].

pag. 716. lin. 20. 21. *Fuiſſe ab Eſrae temporibus.* Eandem iam coniecturam ſecuti ſunt viri quidam docti, impietatis memores, quam ex Babylonica commoratione nonnullos attuliſſe Iudaeos poſtremi vates ſacri, eo tempore viuentes ſunt conqueſti, qua de re imprimis LEYDEKKERVS [s] videndus. Recte autem obſeruatum CARPZOVIO [t], id non de Sadducaeorum ſecta, ſed de peſtilentiſſimi tantum erroris affinitate capiendum eſſe. Quanquam enim impietatis fautores iſti materiam quan-

k) Hiſt. Chr. ante C. M. Sec. I. c. 2. §. 10. p. 46. Commendat inter eos etiam LARDNERI et WARNERI obſeruationes B. BAVMGARTENIVS l. citando.

l) Ad hiſt. vniuerſ. orbis T. IX. n. 191. p. 222.

m) Hiſt. Iud. T. II. c. 15.

n) Lib. XII. c. 5. 6.

o) Ad GOODWIN. §. V. p. 81. apper. ant. SS. pag. 167.

p) Ad caten. bibl. exeg. Angl. p. 659. n. 1142.

q) loc. cit. p. 804.

r) loc. cit. §. 12. p. 47.

s) De rep. Hebr. c. VIII. §. 3. p. 498. L. VII. c. 9. p. 574.

t) loc. cit. p. 205.

quandam improbarum ſententiarum ſuppeditauerunt, factum tamen id eſt quoque maturiore aetate, et eiusmodi impios diuinitatis hoſtes iam Dauidis aetate caput extuliſſe, ex odis [a] eius conſtat, cuius tamen tempora ab his, quibus Sadducaeorum ſecta propullulauit, remota nimis ſunt. Scilicet de ſectae *γενέσει*, non de placitorum origine quaeſtio eſt, quam tantum non omnes ad Antigoni tempora referunt, eiusque diſcipulos Sadocum et Baithum auctores conſtituunt, cuius tamen poſterioris nomen in ea mature exſpirauit. Incidunt autem tempora Antigoni Sochaei, ſi coniecturam viri doctiſſimi HVMPHR. PRIDEAVX ſequimur [x], in annum CCLXIII. ſi alios, in A. CCXL. quem tamen alii aliter definiunt, et recentiorem atque propiorem ſtatuunt; quos non audiendos eſſe, putamus, eo quod IOSEPHVS [y] rerum gentis ſuae peritiſſimus tradit, *Ἰουδαίοις τρεῖς εἶναι ἐκ τῶ πάνυ ἀρχαίου τῶν πατρίων, τῶν Ἐσσηνῶν, καὶ τὴν τῶν Σαδδυκαίων, τρίτων δὲ Φιλοσόφων τῶν Φαρισαίων λεγομένων*, *Iudaeos tres patriae ſapientiae* (hanc enim philoſophiam intelligit) *familias ſiue ſectas* AB VALDE ANTIQVO *tempore habuiſſe, Eſſenorum, Sadducaeorum, et qui dicti ſunt Phariſaeorum.* Si enim longe antiquiſſimus ſub Veſpaſiani imperio harum ſectarum ortus fuit, altius aſcendendum eſt, et perueniendum ad illas gentis Iudaeae periodos, quibus tota inter eos rerum facies commutari coepit. Hoc cum non vno momento atque definita temporis periodo factum ſit, ſed ſucceſſiue ſenſimque, donec matureſcente fato, occaſionem ſuppeditauit Antigoni pietas in malum ſenſum a diſcipulis detorta, facile inde iudicabit lector, omnem de certo tempore originis ſectarum Iudaicarum diſputationem ambiguam eſſe, nec certo ſatis definiri poſſe, quomodo definiri queunt origines ſectarum Graecanicarum, quae certos conditores habuerunt. Id quod eo aequius poſſe ſtatui, cenſemus, quo certius tamen eſt, ante Sadocki aetatem in ſectae formam hos homines non coaluiſſe. Confirmabit hanc noſtram coniecturam hiſtoria reliquarum ſectarum Iudaicarum, eodem fato enatarum. Certius aliquid forte poſſet conilci, ſi ratum eſſet, quod EPIPHANIVS [z] ait, Sadducaeos eſſe *ἀποσπάσμα*, itemque *γέννημα* Doſithei; aſt et temporum rationes obſtant, et tota Doſithei hiſtoria adeo incertitudine laborat, vt obſcurum et incertum per incertius et obſcurius probetur, qua de re in hiſtoria eccleſiaſtica Sec. I. dicendum eſt [a]: ex qua apparebit, ſolam quandam opinionum affinitatem Epiphanium ſeduxiſſe. Qui ſi cogitaſſet, Doſitheum illum, qui immortalitatem animarum et reſurrectionis, atque ſubſtantias angelorum negauiſſe dicitur, poſt C. N. demum innotuiſſe [b], ſi

a) Vid. Ψ, X, 5.

x) Conn. hiſt. Iud. et prof. P. II. pag. 69. v. Germ. SPANHEMIVS pater dub. eu. P. III. d. 29. pag. 110. annum 226. ante N. C. ponit, quae variatio Iudaeorum incertae chronologiae adſcribenda eſt.

y) Antiq. Lib. XVIII. c. 2.

z) In Panar. haer. 13. 14.

a) Duos Doſitheos ideo ſtatuit COTELERIVS ad Conſt. Apoſt. L. VI. c. 8. vt extricet ſe dubiis et difficultatibus, eumque ſequitur ITTIGIVS de haereſ. Sect. I. c. 1. Sel. Cap. H. E. Sec. I. c. 5. §. 1. p. 255 ſeqq.

b) Certe circa N. C. tempora.

Digitized by Google

ſi modo vera ſunt, quae de eo veteres referunt, Epiphanii teſtimonium nihil ad hoc argumentum valere, vidiſſet: qua de re expendenda ſunt, quae *h. l. p. 720.* diximus.

pag. 721. not. m. *Bartoloccius Bibl. Rabb. T. I. p. 380.* Comparandae hic ſunt obſeruationes Carpzouianae [c].

pag. 724. lin. 18. *An ſatis orthodoxi in eo fuerint Iudaei?* Habet haec dubitatio fundamentum haud leue in doctrina Chaldaeorum et Perſarum, inter quos per LXX. annos captiua gens Iudaea gemebat. Concepiſſe iſtas gentes ſibi Deum quoad mentem puriſſimae veritati ſimilem, aſt luce quadam inacceſſa circumfuſum, et in ea habitantem, ſupra ſuis locis aliquoties docuimus. Certe totum ſyſtema Zoroaſtreum hoc fulcro inaedificatum eſt, eſſe Deum lucem puriſſimam et ſupra omnem hominum cogitationem in inexhauſta aeternitatis eſſentiae ſuae abyſſo habitantem et inacceſſibilem; aſt talem tamen, ex qua emanationes effluere poſſint, reueraque effluxerint, quae deinde certis emanatiuorum generibus fundamenta atque fontes rerum euaſerint. Haec ſuis locis inuictis rationibus probauimus, et teſtimoniis quoque iſtarum gentium communiuimus; et ex his ſcaturiginibus quoque totam orientalem pneumatologiam de aeonibus ſ. principiis emanatiuis, archangelis, angelis ortam eſſe, luculentis ſpeciminibus confecimus. Nec magnopere mirabitur quoque, qui populorum orientalium ingenia nouit, ab abſtractis notionibus et conceptibus abhorrentia. Inter hos homines cum Iudaei totis LXX. annis viuerent, et naturae atque ingenii indole, ad conceptus materiales ferrentur, accidit, vt etiam de natura Dei haud pauci a ſimplicitate ſcripturae S. deuiarent, eamque vel luci puriſſimae ſimilem, vel in luce tamen quadam incomprenſibili habitantem eique velut animam corpori immerſam crederent, et, quae figurate a vatibus diuinis atque ſcriptoribus Θεοπνεύσεις dicta erant, ſecundum literae ſenſum ἁπλῶς intelligerent [d]. Quod vbi ſemel ingeniis, vt ſunt in inuiſibilibus rimandis iuſto curioſiora, fuit perſuaſum, recto conſequentiae tramite inde concludi neceſſe erat, ſpiritus omnes non ſine eiusmodi lucido ochemate eſſe poſſe atque ſubſiſtere, adeoque vt animam humanam, habere ſuſtentaculum aliquod aethereum, vel corporeum cui quaſi inſideant. Hoſpes plane ſit, oportet, in

c) p. 808. ibi contra H. Prideavx iuſtis armis pugnatur, qui locus ipſe inſpiciendus eſt. Nos hac addimus, Luc. XVI, 19 ſeqq. vbi ſatis luculenter homo Sadducaeus, de ſtatu mortuorum poſt vitam rectiora edoctus, cum defunctam animam, qualem fratribus ab Abrahamo expetebat, ad legem et prophetas ablegatur, quod fieri non potuiſſet, niſi prophetarum ſcripta habuiſſent pro canonicis. Sadducaeum autem hominem in eo loco pulchre delineari, facile perſpicient, quibus mores ſectae cogniti ſunt, qua de re a nobis ad h. l. in Cat. exeg. bibl. Anglic. T. III. p. 409. n. 702. dictum, quocum conferenda, quae Mosheim. hiſt. Chriſt. ante C. M. p. 49. attulit. Addi his poteſt Matth. II, 4. inter legis peritos enim illos etiam Sadducaeos fuiſſe, dubitandum haud eſt. Aſt illi e Vate Micha reſpondebant.

d) Conf. Mosheim. hiſt. Chr. ante C. M. Sec. I. c. 2. §. 7. p. 39. Hanc non nudam coniecturam eſſe, ſed ſua veriſimilitudine conſtare, facile palpabunt, qui notabilem locum, huic gentis perſuaſioni oppoſitum 1 Tim. VI, 13. conſideraverint, adhibitis clauis inſtar illis, quae in cat. exeg. Angl. not. 1125. p. 630. annotauimus.

Iudaicae theologiae secretioris siue cabbalisticae arcanis, qui haec negauerit, dubiumque non est, vulgus Iudaeorum crassius cogitans in hanc opinionem captu facilem lubenter descendisse. Itaque verisimile est, et in genere multos Iudaeos post captiuitatem Babylonicam isti errori se dedisse, et imprimis Sadducaeos, corpori litandi studiosos, hypotheses inde suas de spiritibus sine corpore aliquo non subsistentibus desumsisse. Eiusmodi autem corruptiones dogmatum orthodoxorum in captiuitate Babylonica et postea genti Iudaeae obtigisse, nec IOSEPHVS [e] negare ausus est, et historia gentis ex Oriente reuersae multis exemplis probat [f]. Tacemus, ex isto canali similes latices paulo post cum coloniis in Aegypto ad Iudaeos defluxisse. Haec vbi admittuntur, facilis ratio dari potest, quomodo Sadducaei ad eius generis dogmata fuerint delati, et imprimis, quo pacto veterum relationes, negauisse eos Spiritum DEI, possint admitti, vt salua tamen manserit Dei vnitas et puritas, cui Sadducaei quoque adhaerebant, et quisquis sacrae legis vatumque effatis parebat, subscripserat. Ex quibus iam paucis explicatis ea illustranda sunt, quae de Sadducaeorum orthodoxia in articulo de Deo h. l. diximus.

pag. 725. lin. 14. *Entium intelligentium phantasmata fuerint.* Vel creata eiusmodi a Deo entia ad illos effectus producendos, quae iterum esse desierunt. Coniectura haec est WHITBYII [g]. Quod si coniicere licet, videntur credidisse, angelos in pentateucho memoratos eius generis fuisse, vt cum corpore, quod eos circumfluebat, iterum extinguerentur, quemadmodum anima cum corpore ex eorum sententia extinguitur. Non miramur magnopere has Sadducaeorum opiniones, quae facillime subnascuntur, vbi orientalia placita semel recepta et admissa sunt, et emanatio substantiarum fons est, vel crassiores imagines rebus spiritualibus applicantur. Plura de hoc argumento coniectandi occasionem Lectori suppeditabit cl. IAC. ODE erudita commentatio *de angelis* [h].

pag. 727. lin. 4. a fin. *Quam tamen recipiebant.* Haec vero praemia in vitae huius felicitate, opibus, fortuna, voluptatibus, honore, poenas in contraria infelicitate, paupertate et miseria posuisse, ideoque sectam hanc reliquis numero angustiorem, sed ex hominibus opulentis atque fortuna secunda vsis, compositam, reliquis sectis minorem frequentia hominum fuisse, quod paucis istam Corinthum adire licebat, duram quoque se praebuisse egenis et immisericordem, IOSEPHVS passim [i] prodidit. In cuius rei rationes inquirit MOSHEMIVS [k], qui ipse legendus, ad quae tamen suis limitibus circumscribenda ad ea attendendum est, quae pagina sequen-

e) De B. Iud. L. II. c. 8.

f) Conf. PHILO, quod a Deo immittantur somnia; MOSHEM. diss. de resurr. mort. dogmate a Christo restaurato §. 6. Vol. II. diss. ad H. E. pert. p. 596 seqq.

g) Conf. GROTIVS ad Matth. XVIII. Tit. GALE ad Iamblichum s. II. c. 3. p. 106. MOSHEM. loc. cit.

h) Sect. II. c. 1. p. 205 seq.

i) Antiqq. L. XVIII. c. 1. L. XIII. c. 10. de B. I. L. II. c. 8.

k) loc. cit. p. 48 seq.

Digitized by Google

ſequente de vita Sadducaeorum monuimus, nec in omnibus credendum Phariſaeis, obtrectationibus Sadducaeos valde prementibus.

pag. 729. lin. 10. *Inter hoſtes Dei numerarentur.* Factum id ab ipſis Rabbanitis, qui Epicureos et רשעים, impios nominant, et inter haereticos numerant [l].

pag. 730. lin. 8. *Amorique et miſericordiae exiguum locum reliquiſſe.* Exemplum memorabile ſi cupis hominis Sadducaei, pleraque, quae huic ſectae obiiciuntur, opprobriis grauati, legendus eſt IOSEPHVS, indolem ſummi Pontificis Annani deſcribens [m], cuius hominis ferocitas, rebellionis ſpiritus, faeultia, Chriſtianis coetibus exitialis, potiſſimum principiis ſectae circumſtantiis temporis ſuffultae adſcribenda eſt.

pag. 737. lin. 25. *Qui νομικὸς in ſacra Euangeliſtarum hiſtoria memorator.* Multa de his *νομικοῖς* eſt virorum doctorum diſputatio, ambigultate nominis diuerſitatem opinionis poſt ſe ferente. Cuncta vero, quae ſolent a viris eruditis, tum, qui ad ſacram euangeliorum hiſtoriam, tum, qui de antiquitatibus Ebraeorum commentati ſunt, eleganti ordine enarrata in compendio a S. Reu. CARPZOVIO [n] ſi conſiderentur, prouide nos et diſtincte in eorum notitia enarranda fuiſſe verſatos, apparebit.

pag. 744. not. a. *Qui in euangelicam hiſtoriam commentarios ſcripſerunt.* Longo agmine hos de Phariſaeis ſcriptores quoque enumerat CARPZOVIVS [o], quibus addi velimus *hiſtoriam orbis vniuerſalem* [p] et *hiſtoriam* MOSHEMII *Chriſtianam* [q], quod pragmatico ſcopo hanc hiſtoriam attigerunt.

pag. 746. lin. 26. *Eandem prae ſe ferre antiquitatis notam, quam habet ſecta Sadducaea.* Hoc haut inuiti concedent, qui hactenus dicta ſollicite examinarunt. Quamuis autem nec ſemel, nec ſimul has duas ſectas, (quas παραλλήλας non inepte vocaueris,) ortas eſſe, ex dictis ſit veriſimillimum, ſed pedetentim in ſectae formam coaluiſſe videantur: auſus tamen eſt vir doctus et literaturae Iudaicae nimis mature ereptus, Io. GOTTFR. LAKEMACHERVS [r] certam periodum definire, et origines has ad Ionathanis Maccabaei tempora referre, ratus, inferre hoc verba IOSEPHI [s], qui, cum de epiſtola Ionathanis ad Lacedaemoniorum populum narrauiſſet, et comiter legatos Iudaeorum exceptos annotaſſet, ſubiicit: *κατὰ τὸν χρόνον τρεῖς αἱρέσεις τῶν Ἰουδαίων ἦσαν, αἳ περὶ τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων διαφόρως ὑπελάμβανον, ὧν ἡ μὲν Φαρισαίων ἐλέγετο, ἡ δὲ σαδδουκαίων, ἡ τρίτη ἐσσηνῶν κ. τ. λ.* *Circa illud tempus tres Iudaeorum ſectas fuiſſe, quae de actionibus hominum diuerſum ſentirent, Phariſaeorum, Sadducaeorum et Eſſenorum.* Ex quo loco, cum recte inferri queat, eo tempore iam inualuiſſe ſectas iſtas, Lackemacherus, ἦσαν in ἐγένοντο mutat, et ita illi temporl origines ea-

l) Conf. CARPZOV. l. c. p. 810.

m) L. XX. antiq. c. 8. Is cum Annano patre non eſt confundendus. Deſcribitur ab hiſtorico velut audax et ferox ingenio, tanquam Sadduceeus, quod in caede Iacobi Apoſtoli demonſtrauit.

n) pag. 133. o) pag. 173.

p) T. IX. §. 221 ſeq. p. 222 ſeq. qui tamen imperisque Baſnagium ſequuntur.

q) pag. 45 ſeqq.

r) Obſ. Hal. P. I. p. 3.

s) Antiqq. Iud. L. XIII. c. 9. p. 448 ed. Ittig.

rum adſcribit. Violentum hoc eſſe, nihilque prorſus probare, quamdiu non codicum antiquorum auctoritate iſta lectio fulciatur, quilibet videt: vnde recte viri docti [t] audacem et incertam ſententiam reiecerunt. Tutiſſimum itaque et vero proximum eſt, quod vir in his literis magnus, Io. LIGHTFOOTVS dudum perſpexit, et ratum habuit [u]: *non arbitrandum eſſe, Phariſaiſmum ſimul et ſemel natum, ſed diutinae admodum conceptionis, et formae non ſtatae, cum pareretur, fuiſſeque, velut traditiones ipſas, plurimorum annorum foetum; nempe ſemina iacta longe ante partum, partumque iam editum diu multumque adoleſcentem, antequam peruenire ad maturitatem, ſi modo definiri poſſet, quae eius maturitas.* In his acquieſci poſſe arbitramur, cum etiam aliis id ſectis euenisſe olim et nuper, hiſtoria philoſophica et ciuilis teſtentur. Teſtamur ſectam et nomine et re Phariſaeis ſimilem Separiſtarum. Certe eiusmodi ἀφορισμὸν iam ante captiuitatem Babylonicam ex opinione melioris et perfectioris ſanctimoniae ortum huius mali prodidiſſe, memorabili loco ESAIAS vates [x] prodit, diuino nomine pronuntians: *abominationem eſſe Domino, qui dicunt cede verſus te, ne propinques mihi, quippe te ſum ſanctior;* quod materialem tum phariſaiſmum exponere, habereque futurae illius loliginis ſemina, vidit doctiſſimus VITRINGA [y], qui illud tandem formaliter impletum eſſe tempore aduentantis regni Meſſiae, pluribus exponit, ipſe legendus. Plura et magis definita poſcere, iniquum eſſe putamus.

pag. 751. lin. 12. *Omnino fidem meretur.* Expendenda autem obſeruatio MOSHEMII [z], Ioſephum, cui dogmata Phariſaeorum notiſſima ſine dubio fuere, in explicandis illis parum ſibi conſtare, nec facile componi poſſe omnia, quae de Phariſaeorum narrat opinionibus, cum illis, quae noui foederis libri de iisdem memorant. Cuius quidem et inconſtantiae et diſcordiae vix aliam rationem dari poſſe, quam, ſi dicamus, diſſenſiſſe Phariſaeos inter ſe de variis rebus et errantes vagasque, non ſtabiles et certas ſententias in multis habuiſſe. Nos in totum haec negari non poſſe, facile perſuademur, edocti comparatione narrationis ſcriptorum N. T. Ioſephi doctorumque Iudaicorum: cauſſam tamen malumus in Ioſephum, quam ſectam Phariſaicam eiusque in capitibus dogmatum ſuorum ſummis diſſenſum referre. Nempe conſtitutum erat hiſtorico Iudaico ita enarrare ſectarum ſuae gentis hiſtoriam, vt non nimis a placitis Graecanicae philoſophiae diſtarent, quapropter etiam et vocem, philoſophiae, et alias, e. g. εἱμαρμένης et ſimiles mutuum accepit, non addita tamen definitione clara et rem iuſto ſenſu exponente. Cum autem inter Graecas et Iudaicas dogmatum ſententias in multis diſcrimen ſit apertum, factum inde, vt ex incertis iſtis notionibus et nominibus, incerta quoque multa, et ipſis ſectis non tribuenda, in eius narrationem admiſceren-

t) Vid. CARPZOV. l. c. p. 198.
u) Hor. Hebr. ad Matth. III, 7. T. II. Opp. pag. 573.
x) Cap. LXV, 7.
y) Ad h. l. T. II. p. m. 1046.
z) loc. cit. p. 47.

Digitized by Google

ſcerentur. De quo qui dubitat, eum tantum doctrinam de fato, rogamus, exploret, quaeque de diuerſiſſimo eius apud Ioſephum ſenſu, diſputarunt viri docti a CARPZOVIO [a] diligenter adducti, conſideret et mirari deſinet, cur non hic tantum ſcriptor accuratiſſimus, ſed et alii viri docti in explicandis Iudaeorum de eo argumento placitis fluctuent. Quod plerumque factum eſſe placitorum inter ſe diuerſorum, ſed communi ſectae nomine propoſitorum confuſione, multiplex nobis teſtis eſt hiſtoria philoſophica.

pag. 755. lin. 21. *Veriſimilior eorum videtur opinio, qui transmigrationem Phariſaeis tribuunt.* Ancipitem hanc facit controuerſiam IOSEPHVS, cuius de Phariſaeorum placitis circa futuram hominum vitam narratio [b] adeo ambigua eſt, vt mirandum non ſit, in diuerſas ſententias abiiſſe viros doctiſſimos, et non paucos magni nominis Phariſaeis metempſychoſeos Pythagorico ſenſu explicatae opinionem tribuiſſe, ſed non minoris tamen auctoritatis alios ſenſus ἐνδοξοτέρους apud eos vidiſſe. Factum inde, vt, cum dudum iſta, ad quae h. l. commentamur, ſcripſiſſemus, Vir ſummus B. MOSHEMIVS [c] moneret, inſigni quidem veri ſpecie nitere rationes, quibus viri docti efficere cupiant, loca Ioſephi de reditu animorum accipienda eſſe de tranſmigratione animarum; at infirmiores eſſe, quam vt diſſipari nequeant, ſe opinari, malleque propterea communem ſententiam probare. Quibus tamen ſubdit vir cautus, et in veterum diiudicandis opinionibus apprime verſatus, quae in hac tota Ioſephi narratione de ſectis Iudaeorum magnum pondus habere concedimus, quaeque coniecturam noſtram paulo ante proditam mirifice confirmant, „oriri „ambiguitatem iſtam, quae orationi Ioſephi adiuncta eſt, ex eo, quod „conſulto ſectae, quam amplexus erat, dogma velare voluerit, ne cauil„landi et ridendi locum religionis Iudaicae hoſtibus aperiret. Id nimi„rum egiſſe, vt talem religionis Iudaicae formam Romanis exhiberet, „qualem ne ipſi quidem eius inimici aſpernari poſſent. Quo circa, cum „non ignoraret, vix eſſe, quod minus in ea ferendum putent Deorum „cultores et philoſophi, quam dogma de corporibus mortuis noua vita „donandis, ſtatuiſſe, caute de eo ſibi et ad opinionem eorum, quibus „placere cupiebat, accommodate differendum eſſe.“ Vtroque pollice haec premenda eſſe, lubentes fatemur, aſt in iſta tamen ambiguitate quid de Phariſaeorum dogmate de reſurrectione ſtatuendum videatur, nondum deprehendimus. Nam nec loca N. T. definiti quid de doctrina Phariſaeorum in hoc articulo nos docent, ſed communem tantum Iudaeorum traditionem referunt, nec poſſunt omnia ita illuſtrari, vt dubium non remaneat, varios errorum panniculos de vita animae poſt fata eiusque habitaculo huic purpurae fuiſſe aſſutos. Et ſcripſit quidem eruditam poſt Moshemii obſeruationes commentationem criticam vir S. R. FRID. WILHELMVS

a) pag. 180 ſeqq. b) De B. Iud. L. II. c. 8. L. III. c. 8. Antiq. Iud. L. XVIII. c. 2.
c) Diſſ. ad H. E. pertin. Vol. II. p. 603 ſeqq.

HELMVS SARTORIVS [d], *de metempſychoſi Pythagorica a diſcipulis Chriſti et gente Iudaica ante excidium Hieroſolymitanum ſecundum non credita ad loca Matth. XIV, 2. XVI, 14. Io. XI, 2. Sap. VIII, 19. 20.* in qua non negat, metempſychoſeos veſtigia ſecundum ſenſus Pythagoreos inter Iudaeos reperiri, ſed ea ſequioribus temporibus adſcribenda eſſe contendit, et imprimis monet, ex Ioſephi narratione hoc tantum Phariſaeos aſſeruiſſe, piorum animos in ſanctiſſima coeli regione (χῶρον ἱερανῦ ἁγιωτότατον) habituros, atque inde, elapſo multo tempore, (ἐκ περιτροπῆς αἰώνων) ad caſta et munda corpora iterum animanda demiſſum iri, ſiue, quod alio loco ſcriptor Iudaeus habet, poteſtatem datum iri, in alia tranſeundi corpora; id vero eſſe dogma de reſurrectione, a D. Paulo Phariſaeis tributum. Recentiorum autem Iudaeorum opiniones et teſtimonia ad illius temporis antiquitatem non aſſurgere etc. Nobis poſt nouam locorum Ioſephi et N. T. conſiderationem, quaeſtio ambigua adhuc viſa eſt, non diſplicuit tamen Moshemiana obſeruatio: „ſtatuiſſe Phariſaeos, improborum animos perpetuis ſub terra ſuppliciis excruciatum iri, piorum autem ad „caſta et munda corpora iri poſt longas periodos demiſſum: fallere autem nos vafrum Iudaeum, quod toti Phariſaeorum gregi perſuaſum hoc „fuiſſe, tradat, noui enim foederis locos aliquot oſtendere, magnam huius generis partem melius ſenſiſſe: ſectae autem principes nemini reſtitiſſe, ne de corporum inſtauratione pro arbitrio ſuo decerneret, multosque idcirco longo a veritate interuallo ſemotos fuiſſe, plurimos inficiatos eſſe, fore, vt improborum corpora in lucem et vitam reducantur. Sed dubio hoc quoque vacare, fuiſſe inter Phariſaeos, qui animos „de corpore in corpus deuolui, et pluribus idcirco corporibus ex ordine ſociari, ſomniarent." Qua in re Iudaeorum, etſi recentiorum, teſtimonia ſed a magiſtris antiquis accepta eo minus inſuper habenda eſſe, putamus, quo magis illi metempſychoſin animorum cum reſurrectione mortuorum iugiter componunt: quo pacto inter Phariſaeos quoque veteres haud paucos ſtatuiſſe, credamus par eſt, ſi omnia veterum loca ſacra et profana inter ſe conciliare cupimus. Sed haec lectoris conſiderationi longiori permittere, iubet nos locus et ſpatium.

pag. 760. *not. citati GOODWINO* etc. Ad cuius locum breuiuſculum plura de tempore ortus Eſſenorum annotauit ven. CARPZOVIVS [e], et opiniones virorum doctorum recenſuit, in quibus tamen nihil, quod vel mediocriter verum ſitientem ſatiat, inuenies, adeo incertiſſimis coniecturis inaedificata ſunt omnia.

Ibid. lin. 8. *Origines ſupra natales reliquarum ſectarum poſuiſſe.* Iudaeorum Aegyptiorum maxime inter has ſectas viuentium vel iis adhaerentium iactantiam conſiderantes veriſimile nobis videtur, ſuperbam hanc ſectam ſibi ab ipſa legis publicatione per Moſen facta ortum vindicauiſſe. Cum

d) Recenſionem ſcripti exhibet bibliotheca theologica, quae Lipſiae editur T. I. p. 1015 ſeq. quae eruditiſſimi viri ſententiae prorſus ſubſcribit. e) loc. cit. p. 230 ſeqq.

Digitized by Google

Cum enim isti genti persuasissimum esset, accepisse Mosen praeter scriptam literam, aliam quoque atque arcanam legem, quae Cabbalae siue traditionis medio ad posterorum notitiam peruenerit, illi autem se istam traditionem a patribus accepisse dicerent, facile persuadere recutitis philosophis potuit, cum lege orali arcana et mystica atque allegorica, qualem ipsi intra septa sua excolebant, etiam sectam antiquissimo illo tempore floruisse. Quod itaque de traditione orali Pharisaei iactabant, et suorum suisque constitutionibus ritualibus vindicabant, id Aegyptios aliosque Mysticos, doctrinali traditioni et metaphysicae suae vindicauisse et ad cana ista secula retulisse omnino est verisimile. Quo pacto etiam diuersae sententiae de origine Cabbalae possunt conciliari inter se et explicari. Plinius autem, rerum Iudaicarum plane ignarus et a nonnemine ipsoque forte iactabundo Iudaeo aliquo deceptus et delusus, ipse, quid scriberet, non cogitasse videtur.

pag. 725. lin. 3. *Qui ex Aegypto hanc sectam deriuandam esse agnouerunt.* Iuuat hanc coniecturam obseruatio DRVSII [f], monentis, *Iosephum nullam memoriam vsurpare Hessenorum in bello, quod Iudas et fratres eorum gesserunt cum Syro-Macedonicis: mentionemque primam eorum inueniri in historia Hebraica, et apud* IOSEPHVM [g] *de Aristobulo, Ioannis Hyrcani filio,* (qui annis circiter centum ante incarnationem I. C. vixit) *et praedixit caedem Antigoni.* Quanquam enim inde male concluditur, Essenorum origines ad tam sera tempora detrudendas esse, rectequc obseruat S. reu. CARPZOVIVS [h], Aristobulum illum A. M. 3541 seq. praefuisse Iudaeis, cum integris quinquaginta annis prius Ionathan A. M. 3793. praeesset, qui Essenos iam sibi habuit aequales; verisimiliter tamen ex hoc Iosephi de Essenis silentio in historia Iudaica Maccabaea colligitur, illos tunc nondum in vicinis Iudaeae desertis, vti postea, habitauisse, sed in confiniis Aegypti, vbi misceri bellis Iudaeorum Palaestinis non facile potuerunt, adeoque restituta demum tranquillitate in agros et planitiem Iudaeae, eiusque deserti, velut commodiorem locum, processisse, cum in paludibus Aegypti, vbi Therapeutae degebant, viuere dedignarentur, in quibus agriculturae, cui tamen se dederant, nulla ratio esse posset.

pag. 760. lin. 32. *Vt distincta semper ab Israële gens fuerit.* Hoc vero pacto tota ista fabula in fumos abit, cum diserte Iosephus testetur Essenos Ἰουδαίους μὲν γένος ὄντας. Scilicet a quadam institutorum similitudine illepide argumentum petit, videt, qui parum alias videt. Reliqua itaque argumenta superuacanea sunt, enarrata a CARPZOVIO [i], qui harum rerum curioso faciet satis.

pag. 765. lin. 13. *Etymon adeo incertum est.* Loca scriptorum, qui varias huius appellationis originationes coniecturis prodiderunt, diligenter affert

f) De Hasidaeis p. 29.
g) Antiq. Iud. L. XIII. c. 15.
h) loc. cit. p. 232 seq.
i) pag. 531.

affert CARPZOVIVS [k], quae apud ipſum quaerenda ſunt, ſi quem lubet incertis coniecturis tempus perdere.

pag. 766. lin. 2. *Quorum ille aſcetas.* Parum tamen ponderis vtriusque Iudaei auctoritas apud nos habet, quibus multis exemplis conſtat, quam male ſibi in huius generis argumento conſulere ſoleant, ſolo allegoricae explicationis praeſidio tecti.

pag. 768. not. q. col. 2. lin. 27. *Reliquae obiectiones facile poſſunt repelli.* Acceſſit his rationibus deſideratiſſimus BEAVSOBRIVS, in eleganti atque erudita *hiſtoria dogmatum Manichaeorum* [l], recte vrgens, homines et gente et lege Iudaeos diuinum quendam cultum ſolari lumini non exhibuiſſe, vnde Ioſephi verba, de precibus Eſſenorum εἰς τὸν ἥλιον optatiue exponit; qua tamen coniectura duriori opus haud eſt, ſi explicationem praepoſitionis εἰς naturali ſignificatione nixam amplectimur. Ceterum ſi quis cum MOSHEMIO [m] ex inſtitutis eorum nonnullis concludente contendat, ſolem aut tanquam Deum aliquem inferiorem, aut tanquam ſpectabilem ſupremi numinis imaginem eos fuiſſe veneratos, non moroſi equidem refragabimur; ſubſcribentes eius coniecturae, Eſſenos praecepta quaedam Orientalis philoſophiae cum religione Iudaica ſociaſſe atque hanc ad illius normam accommodaſſe; ex hoc tamen Ioſephi loco ſine quadam vi extorqueri non poteſt, nec perſuaderi, ſectam ex Iudaeis ortam poſt captiuitatem Babylonicam Perſarum ritibus affinia in cultu diuino introduxiſſe, etiamſi ſideri huic ſpiritum quendam diuiniorem πάρεδρον tribuerint: notum enim, poſt reditum ex captiuitate Iudaicam gentem ſollicite ſibi ab omni idololatriae ſpecie cauiſſe, nec a Seruatore ſimile dogma illi fuiſſe obiectum.

pag. 769. not. t. col. 2. lin. 1. *Certo tamen ſenſu inter empiricos referri poſſunt, locumque aliquem inter veteres medicos tuentur.* Erat ab antiquiſſimo tempore mos in gente Ebraea, ſine dubio ab Aegyptiis, cum inter eos habitarent Iſraëlitae, traductus, vt medicinam quandam empiricam curandorum corporum et auerruncandorum morborum, maxime epidemicorum et popularium, exercerent; quae cura tribui Leuiticae imprimis in conſtitutionibus legis Moſaicae commendata erat. Ex cuius praeſcriptione memorabilis pars pathologiae Iſraëliticae hodie ſupereſt in ſacris pandectis nobis conſeruata [n], quae de leprae cognitione atque ſignis deque modo eam curandi praecipit. Hanc cognitionem medicam empiricam fuiſſe, ex illo ſpecimine ſatis eluceſcit, veriſimillimum autem eſt, Iſraëlitas ſiue Iudaeos vetuſtiſſimos morbi Aegyptiaci medelam, et remedia praeterea, quae Moſes ex diuina reuelatione peculiari acceperat, ſimiliter in Aegypto didiciſſe [o], vbi ſingulis morbis peculiaria remedia aſſignata fuiſſe, ſupra, vbi de philoſophia Aegyptiorum tractauimus, demonſtratum eſt. Et hanc quidem medicinam empiricam non Iſraëlitae tantum,

k) loc. cit. p. 216.
l) L. IX. c. 1. §. 13. p. 661.
m) Hiſt. Chr. Sec. I. p. 51.
n) Leu. c. XIII.
o) Conf. Gen. L. 2.

Digitized by Google

tum, poſt occupatam Palaeſtinam et florente regno atque republica exercuerunt, vnde paſſim in gentis eius hiſtoria medicorum fit mentio [p], ſed vates quoque diuini ad hanc curam ſuſcipiendam adhibiti ſunt, cuius exemplum exhibet Iſaias vates, Ezechiae regis febrem inflammatoriam ſanans [q]. Haec cum inter Iſraëlitas ab antiquo obtinuiſſent, non potuere non poſt reditum ex captiuitate Babylonica altas radices agere, et eiusmodi medicinae empiricae vſus ob neceſſitatem conſeruari atque exerceri [r]: ſed et homines illi, qui in Aegyptum tempore euerſi regni Iſraëlitici aufugerunt, quique eos ſecuti, coloniam Iudaicam in Aegypto erexerunt, eandem medendi curam ſuſcepiſſe, et cum medica ars cum a ſacerdotibus, tum a peculiarium morborum medicis apud Aegyptios non ſine fama exerceretur, ab iis hanc artem didiciſſe, nihil eſt, quod non verſimilitudine ſe commendet. More autem gentis Ebraeae antiquo cum ad ſacerdotum quoque et Leuitarum munus iſta medendi peritia et officium eſſet relatum, Eſſeni Iudaei, qui in Aegypto degebant, et hanc artem ab Aegyptiis diſcere poterant, cum ſe eiusmodi collegium ſacrum Leuitico aemulum et ſacerdotum vices inter ſuos explentem referre crederent, hanc quoque artem ſibi vendicauiſſe dubium non eſt. Quam tamen cum ob religionis diuerſitatem a ſacerdotibus Aegyptiis, qui magicis et arcanis ritibus eam peragebant, diſcere totam non poterant, a medicis vulgaribus, quibus praxis clinica empirice et ex formulis veterum relicta erat, didicerunt, et in vſus inter ſuos introduxerunt. Qua obſeruatione mire illuſtratur Ioſephi relatio, qui Eſſenis ſtudium ſanandorum morborum, et cognoſcendarum radicum atque ſalutarium herbarum et proprietatum lapidum tribuit. Vnde miramur, Cl. SCHVLZIVM [s] inter medicinae ſtudioſos ex Hebraeis Eſſenos praetermiſiſſe, quos recte huc aduocaſſe D. CLERICVM [t] ignorare non poterat. Qui cum tacito dicterio ſuae obſeruationi adiiciat, exemplum Eſſenos eſſe, quod probet, ab antiquo homines μονάζοντες ſe medicinae forulis immiſcuiſſe, non cogitauit, theologiae diuinioris et medicinae ſtudia olim in iisdem ſubiectis coaluiſſe. Ad quorum imitationem ſe Eſſenos Aegyptios accommodaſſe, recte ex Philone colligitur, narrante: *medicinam eos profiteri vulgata praeſtantiorem; hac enim corporibus mederi, illa animas liberare.* Quae Aegyptiorum ſacerdotum medicinam quandam myſticam et magicam naturali et vulgari lungentium morem quendam atque imitationem referre, quis non videt? Therapeutarum autem nomen qui huc aduocant et ideo ſanantes dictos eſſe contendunt, incertum per aeque incertum probant: tantum abeſt, vt quod non nemo [u] affirmare auſus eſt, cum hanc ſcientiam totis ſeculis exercuiſſent, obſeruationum

p) II Paral. XVI, 12. Eſ. III, 7. Ier. VIII, 22.
q) Eſ. XXXVIII, 21.
r) Syrac. XXXVIII, 11 ſeqq.
s) Hiſt. medic. Per. I. ſ. 1. c. 5.
t) Hiſt. de la medec. P. I. p. 37.
u) I. G. WACHTERVS in libro ἀνταῤῥησις de primordiis Chriſtianae religionis, (de quo infra dicetur) P. I. c. 25.

beneficio eam ad tantam certitudinem prouexerint, vt inde Therapeutae id eſt curatores humani generis dicerentur. Quae ſane ſine teſte, ſine auctore ad fulciendam nugivendulam hypotheſin excogitata et dicta eſſe quilibet palpat.

Ibid. lin. 20. *Et ſanctarum lotionum ſit particeps.* Habuiſſe hoc etiam ex gentis ſuae conſuetudine, quae proſelytos lotionibus in communionem religionis gentisque recipiebat [x], manifeſtum eſt, vnde haec Eſſenorum initiatio luculenter poteſt illuſtrari. Nempe maiores ſuos ab ipſo Moſe ita fuiſſe initiatos legerant; ad quos cum ſuas quoque origines referrent, inſtitutis quoque ſe confirmari ſtudebant, vt priſtinum ortum ſibi vindicarent. In quibus omnibus nihil eſt, quod Moſaicum, vel ſi mavis Iudaicum, non ſpiret. Non negamus autem, lotiones gentilium etiam Aegyptiorum eos in hoc quoque ritu mire confirmauiſſe.

pag. 770. lin. 21. *Non aliter, ac ſolent, vbi ſe polluerunt.* Veriſimile eſt, Moſaicam praeceptionem eis ob oculos fuiſſe, illos vero, vt erant ἀλληγορῶντες, aliam rationem, quam puritatis et modeſtiae, ſubdidiſſe, ex quo de diuinitatis praeſentia corpoream quandam lucis imaginem ſibi, more orientalis doctrinae, conceperant. Certe ſuperſtitionis aliquid latuiſſe, totus ſectae habitus ſuadet.

Ibid. lin. 22. *Diuiduntur autem ſecundum exercitationis ſuae tempora in quatuor claſſes.* Hos ita ſe detexiſſe ex loco Cedreni putat Wachterus [y], vt ſit primus ordo *Nouitiorum*, qui extra ſocietatem ſunt, ſed iuſſu ſocietatis ſimili victu, amictu, iisdemque moribus vtuntur: ſecundus *Receptorum*, qui cibos et aquas ipſius ſocietatis participiant, ſed eodem non loco; tertius *Exploratorum*, qui nouo biennio feliciter ſuperato, in contubernium recipiuntur, cum iuramento; quartus *Theoreticorum*, quibus myſteria ſectae, rationes dogmatum, nomina angelorum et vniuerſa doctrina interna cum ipſis libris concredebantur et principatus in ceteros ordines conferebatur. Sine labore videt lector, Eſſenae ſectae hiſtoricum afferre coniecturas, pro teſtimoniis, et candidatos ſectae cum γνωρίμοις et affectis confundere. Male autem in iſta tractatione pro teſtimoniis afferri loca ſcriptorum, quorum vnus alterum exſcripſit, omnes autem ex Ioſepho et Philone hauſerunt, ipſa eorum inter ſe inſtituta comparatio ad oculum docebit.

Ibid. lin. vlt. *Quas iterum accepturi eſſent.* Videtur Ioſephus, vt Eſſenorum hiſtoriam auguſtiorem redderet, Haſidaeos cum Eſſenis conſunxiſſe vel potius confudiſſe. De illis enim talia praedicata eſſe et ipſe narrat et Maccabaeorum teſtatur hiſtoria. Talem autem perſecutionem Eſſenos vel theoreticos vel practicos in deſertis habitantes a Romanis paſſos eſſe, nullibi teſtatur vetus hiſtoria; vnde nobis Ioſephi narratio ſuſpecta eſt, ad hiſtoriam belli Romani ſub Veſpaſiano vel Tito prouocan-

x) Teſtimonia huius initiationis per baptiſmata habes apud Lightfoot. hor. Hebr. ad Matth. III, 6. T. II. Opp. p. 266. y) loc. cit. c. 11.

Digitized by Google

cantis, forte quod hoc pacto gentis suae philosophos graecis anteponi posse crederet. Certe quae in isto bello gesta sunt, non ad Essenos sed Iudaeos vniuersos pertinent.

Ibid. not. u. col. 2. lin. 5. 6. *Ita enim Cabbalistas quoque feciſſe, in ſequentibus oſtendemus.* Sicco quidem pede hanc ἀγγελοδουλίαν Essenorum, nationi Iudaeorum inuisam, explicatione sua clariorem reddere subterfugit WACHTERVS[a], cum autem is tanquam veram totius Essenae fabulae clauem supponat: *Eſſenae philoſophiae* et *Cabbalae hodienum ſuperſtitis praecipuum obiectum eſſe diuinitatem, eiusque emanationes et productiones, et ſine vllo erroris periculo affirmari poſſe, philoſophiam cabbaliſticam fuiſſe proprium Eſſaeorum tam practicorum, quam theoreticorum ſtudium, eamque apud Eſſaeos et natam eſſe et ab Eſſaeis ad nos vsque peruenisſe;* facile inde explicari potest, non tantum, quae de angelorum nominibus et potestatibus praecepisse illi videantur, sed imprimis, quae de sephiroth nominibus statuerint, quae in sequentibus clara luce perfudimus, quaeque ipsam Cabbalistarum mentem exacte referre, ipse nobis, dum viueret, fassus est auctor doctissimus, vt infra commodiori loco docebimus. Commendamus autem hanc obseruationem lectoris industriae et meditationi, exploraturi, vtrum cabbalisticum systema, quale hodie nobis innotuit, veteri Aegypto tribuendum sit, nec ne? Haec enim hoc loco definire, ab eo alienum est.

pag. 772. lin. 16. *Quod in hac ipſa doctrina ſaepe in eccleſia Chriſtiana euenisſe, eius hiſtoria teſtatur.* Paulo altius Essenorum systematis fontes rimantes, et quod omnium maxime vero videtur simile, cogitantes, accepisse eos systema suum theologicum in Aegypto, ex quo Orientalis philosophia in ista regiōne coepit inualescere, pleraque autem allegoriarum machinis eos omnia cothurno Mosaico adaptasse valde nobis fit probabile, systema illud emanatiuum, quod Orientalis Theologiae prora puppisque est, his doctrinis ἀσυζάτοις et male cohaerentibus ansam exhibuisse, In vnam eandemque massam confiandi. Illud enim vt ex Deitatis fonte emanationis beneficio cuncta deriuarat, ita mali causam et originem ex emanationum longiori a Deo distantia et remotiori gradu necessitate prouenire statuit, nec in hoc emanationum ex fonte lucido eiusque graduum systemate aliud obtinere potest, quam necessitas, quam quoque necessitatem emanationum earumque subordinationum εἱμαρμένην Essenorum esse nulli dubitamus. Ex cuius lege cum omnia eueniant necessitate subiecti et fontis, inde potest concludi, ex remotiori emanationis a luce primigenia distantia tenebras, materiam, limitationem, tandemque lucis amissionem ortum suum accipere, et fati siue ineuitabilis consequentiae ordine et necessitate exsurgere: verum si hoc emanatiuum systema sequimur, ex contentione inter tenebras et lucem, inter materiam et spiritum ex illis id contingere, vt ad lucem appropin-

a) loc. cit. c. 3.

Digitized by Google

quet indeque ſumma et auſtera cura in id enitendum eſſe, vt ex ordine emanationis, quod effluxit in deterius, in melius redeat iterum, tandemque ad beatas purasque ſedes perueniat, quas beatis et victricibus animabus fato defunctis Eſſeni pollicebantur. Hoc pacto Eſſenam doctrinam explicando, facile a contradictione eam abſoluimus: loquitur autem multis teſtimoniis et argumentis hiſtoria ſectae, eam ab hoc emanatiuo ſyſtemate non fuiſſe alienam, et eodem fere pacto fati neceſſitatem cum diſciplinae ſuae auctoritate copulauiſſe. Quae cum in cabbaliſtico quoque ſyſtemate eadem ratione occurrant, cur non ſuſpicemur, vtrumque eosdem parentes habuiſſe, et ſororio vinculo inter ſe conſenſiſſe? Id enim refluxus emanatiuus in fontem ſuum per ſe poſtulat: et ex eo etiam ratio dari eius dogmatis poteſt, quod beatis animis poſt fata lucidas ſedes, malis et materialibus tenebras et frigida loca deſtinauit; de qua Eſſenorum opinione legendus MOSHEMIVS [a]. Immo ex hac quoque ſyſtematis connexione vaticinii gloriam eos fuiſſe ſectatos, licet coniicere: hanc enim emanationum ſeriem et ordinem detegere poſſe credebant, quae futurorum euentus poſt ſe traheret.

pag. 772. lin. 19. *Communi templo excluſos priuatim ſacrificia facere.* Ita quidem IOSEPHVS [b], contrarium narrante Philone, et fortaſſe ſi ſectae conſtitutionem intueamur, rectius: incruenta enim ſacrificia et Pythagoreis, et aliis ſanctioris diſciplinae philoſophis, quales Eſſeni videri volebant, praelata fuiſſe cruentis, multis exemplis conſtat. Non tamen refragabimur, ſi quis nonnullos contendat fuiſſe, qui priuatim ſacrificia fecerint, reliqua et potiore parte ab hoc profano more, quem lex vetabat, abhorrente, quo ſenſu hoc loco coniecimus, Eſſenos nonnullos Palaeſtinae incolas tale quid fuiſſe auſos. Nouum autem huius ſententiae fulcrum deſideratiſſimus MOSHEMIVS [c] aduocat, hauſtum ex teſtimonio PORPHYRII [d], vbi ita philoſophus in his terris natus et educatus: *Iudaei qui Syriam incolunt, propter primum ſacrificiorum inſtitutum eo modo etiamnum animalia, vt ait Theophraſtus, ſacrificant: quo, ſi nos iuberent facere, a ritu immolandi deficeremus. Non enim victimas epulantur, ſed eas integras per noctem comburentes, multo melle et vino iis ſuperfuſo, ſacrificium ocyus conſumunt, ne, qui omnia videt, facinus hoc intueatur. Hoc autem faciunt diebus interiectis ieiunantes, et per totum tempus, tanquam e philoſophorum eſſent genere, de numine colloquuntur. Noctu etiam aſtra contemplantur, ea intuiti et precibus Deum inuocantes.* Recte et acute vir doctiſſimus ex hac Porphyrii narratione concludit, non vniuerſam Iudaeorum nationem, ſed certam ſectam longius a vulgari religione remotam intelligi: nam contraria ſacris Iudaeorum conſuetudinibus cuncta eſſe, quae nobis refert, quilibet videt. Putat autem Moshemius inter Eſſenorum mores ſacrosque ritus etiam hunc fuiſſe, vt noctu ſacra facerent. Ingenioſam

a) Diſſ. ad H. E. pertin. Vol. II. p. 594. 598.
b) Ant. Lib. XVII. c. 1.
c) Hiſt. Chr. ante C. M. Sec. I. p. 52.
d) De abſtin. L. II. §. 26. p. 78.

Digitized by Google

ſam hanc coniecturam eſſe fatemur, at quae tamen veriſimilitudine ſe nobis non probauit. Quamuis enim ſint in relatione Porphyrii nonnulla, quae cum Eſſenis amice conſpirant, valde tamen obſtat 1. quod has quidem terrae iſtius partes, quas Porphyrius indicat, Coeleſyriam puta, ipſius patriam Eſſeni non inhabitauerunt, ſed teſte PLINIO, meridionalem plagam, quae ab Aſphaltide lacu occidentem verſus recedebat, nec ad Theophraſtum prouocaſſet, ſed ad propriam experientiam, ſi inter Syros habitaſſent. Certe ſi *συμπατριώτας* Porphyrius Eſſenos habuiſſet, nomen, vt erat rerum Iudaicarum non adeo ignarus, non tacuiſſet. 2. Nec Ioſephus, nec Philo, nocturna ſacra celebraſſe Eſſenos tradit, quos ſolem magno cultu honoraſſe ille diſerte teſtatur. Nec ratio intelligi poteſt, cur Eſſeni noluerint, ſolem, qui omnia intuetur, ſua ſacrificia intueri, cum placandi Dei cauſſa ſacrificia offerantur, inque iis cardo religionis publicae apud Iudaeos ſit verſatus. 3. Quae vir eruditiſſimus ex orientali diſciplina affert, vt demonſtret, ex ea nocturnorum ſacrorum ſolennitates ad Eſſenos peruenisſe, prius erant probanda, atque demonſtrandum, Eſſenos, qui ſua ab Aegyptiis acceperant, Philoſophis Syris, Phoenicibus ſimilibusque illa debere. 4. Quod vero maxime dubiam nobis hanc rem facit, ipſa Porphyrii narratio ſuppeditat, qui de more Iudaeorum *ſua aetate* obtinente loquitur, eo autem tempore ſectam Eſſenorum adhuc floruiſſe facilius dicitur, quam probatur. 5. Ipſe vero vir beatus, vt erat antiquorum dogmatum et rituum explorator curioſus et peritus, probabiliorem nobis, quod quidem videtur, loci Porphyriani explicationem ſuppeditat, obſeruans, orientalium populorum multos (addi poſſunt theogoniae Graecae, quae propago philoſophiae barbaricae ſunt) noctem die non antiquiorem modo, verum etiam ſanctiorem et praeſtantiorem iudicaſſe, immo noctem magni numinis inſtar coluiſſe. Qua de re erudite commentatus eſt IABLONSKYVS [e], qui legendus. Et haec recte quidem ad locum Porphyrianum quadrant, Eſſenos non item, qui cum ortu ſolis ſacrorum initia fecere, et tum demum profana tractauerunt. Vnde, ſi quid coniicimus, longe facilius et felicius ad illos Iudaeos applicantur, qui orientalem philoſophiam cum placitis Moſaicis coniungentes ſectas peculiares Gnoſticas condiderunt, et quos Porphyrii tempore viguiſſe ex Plotini diſputatione contra hos fanaticos diſcimus. Verum hanc quoque coniecturam vltra pondus atque dignitatem ſuam non extollimus, et aliorum quoque teſtimoniorum fidem, praeter vnius Porphyrii, qui Theophraſtum exſcripſit, deſideramus.

pag. 774. *Iudaizantes.* Suffixit has diſſertationes 1725. *faſc. diſſ. de immortalitate animae humanae*, et ad ea quoque reſpondet, quae HEVMANNVS [f], et FR. IACZINCKIVS [g] monuerant.

pag.

e) Panth. Aegypt. P. I. p. 11. ſeqq. f) Act. philoſ. Vol. III. P. XVII.
g) In diſſ. hiſt. critica de Therapeutis.

pag. 780. lin. 17. *Maxime vero in Aegypto frequentatur, per praefecturas ſingulas, et imprimis circa Alexandriam.* Probe haec Philonis verba notanda ſunt, quia inſtar clauis inſeruiunt ad detegendas origines huius Monaſtici generis Iudaeorum. Lucem debemus incomparabili PAVLO ERNESTO IABLONSKYO, dudum acerbo fato antiquiori literaturae, maxime quae res Aegypti illuſtrat, erepto, qui in *epiſtola ad τὸν πάνυ* CROZAEVM [g], peculiarem *de therapeutis* diſputationem promittit, eiusque primas lineas ita delineauit, vt paucis in prooemio hactenus receptam ſententiam indicaret, et quid ſingula difficultatis habeant, cur homines illi neque Chriſtiani neque Iudaei fuerint, exponeret: oſtenderet autem nomen Therapeutarum fuiſſe Aegypti ſacerdotibus tributum, de quibus SVIDAS dicat, in *Θεραπευτῆες· οἱ τῶν ἱερῶν περιῳκέμενοι θεραπευταὶ Ἴσιδος παρ' Αἰγυπτίοις, fuiſſe Therapeutas ſacerdotes ſiue antiſtites Iſidis apud Aegyptios*; euinceret autem nomen omnibus Aegyptiorum ſacerdotibus commune fuiſſe, et patrium nomen fuiſſe, Senuti: exponeret porro varios ſacerdotum ordines in Aegypto, fundamento potiſſimum ex SYNESII [h] *de prouidentia* libro deſumto; concludendo ex eo, therapeutas Philonis fuiſſe reipſa Arpedonaptas apud Clementem. Nempe tres fuiſſe, monet vir doctiſſimus, ſacerdotum ordines; primo ordini praecipue curae fuiſſe, quaecunque ad intimam ſacrorum et ceremoniarum omnium rationem ſpectant. Illos vocatos eſſe proprie prophetas, ex quorum numero fuerit Plont, ſacerdos ſummus, et ſacerdos *κατ' ἐξοχήν* huius vel illius ciuitatis, huius vel illius numinis. Secundum ordinem curauiſſe potiſſimum ſcientias ſacras, aſtrologiam, mathematicam ceterasque diſciplinas, quas Aegyptiis in acceptis ferebant Graeci. Hos fuiſſe homines Arpedonaptas, id eſt *νομίους*, ſcientiis excolendis vnice deditos. Arpedonaptam enim ſignificare in lingua Coptica *τὸν πράττοντα τὰ τῶν νόμων*, vel *νομικὸν*, vnde Heſiodorus eos ſaepe appellet *νομικούς*, Philonis itaque philoſophos, plane fuiſſe *θεωρητικούς*, ſcientiis mathematicis et aſtrologicis deditos. Philonem autem ſua a Chaeremone accepiſſe, apud Porphyrium. Haec ad Crozaeum Iablonskius. Subiecit in alia epiſtola ad eundem: Incidiſſe in ſuas manus diſſertationem quandam de eodem argumento in Saxonia habitam, in qua auctor velit, therapeutas fuiſſe gentiles Iudaizantes, quibus verbis ſine dubio Langianam diſſertationem intelligit, vocatque ſententiam longe, quam omnes aliae, veritati propiorem. Tandem promittit, argumentum hoc aliquot diſſertationibus, quae mediocre volumen conſtituent, pertractaturum. Has vero nobis eripuiſſe, quantum nos quidem nouimus, fata auctoris vltima, ob notam eius doctrinam vehementer dolemus. Pluſcula tamen eodem de argumento attulit in eleganti Aegyptiacae literaturae ſacrario, quod *Pantheon Aegyptiacum* inſcripſit, et nos ſuo loco [i] ſupra ex merito com-

g) T. I. Theſaur. epiſtol. Croziani p. 179. ſ.
h) T. II. p. 186. ſeq.
i) Proleg. c. III. §. 39. ſeqq. p. 90. ſeqq.

Digitized by Google

commendauimus. In cuius *prolegomenis*, poſtquam obſeruaſſet, varios fuiſſe ſacerdotum ordines eosque a primis temporibus, quibus reges Aegypti duplicem curam iniunxerunt, cultum Deorum, et accuratum ſapientiae ſtudium, ſingulis ſua penſa ac munia fuiſſe aſſignata, nempe quosdam fuiſſe prophetas - - quosdam *νεωκόρους* ſiue aedituos - - alios denique in diligenter colendis ac ſtudioſe expoliendis ſcientiis Aegyptiorum ſacris totam vitam ſuam impendiſſe. Hos eſſe, quos Graeci dicere ſolebant *ἱερογραμματεῖς*, quaſi dicas ſcribas ſacrorum, vel potius literarum ſanctiorum in ſacris eorum libris expoſitarum, quibusque tota ipſorum religio nitebatur et theologia, profeſſores ac magiſtros. Hos primo quidem Sapientes vocatos, quo nomine in Pentateucho [k] occurrunt, vel Sabeos [l], itemque comaſtas [m], ſucceſſiſſe autem nomen Arpenodaptarum, cuius mentio fit a Democrito apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM [n]. Horum hominum quendam depingere LVCIANVM [o] Pancratis praeceptorem ex eorum genere introducentem *ἱερὸν εἶδος, ἐξυρημένον, ἐν ὀθονίοις, νέμμενα, virum ſacrum, raſum, lineis veſtibus indutum, ſcientiarum peritum*, quales ſacerdotes Aegyptii fuerunt

linigeri, calui, ſiſtrataque turba,

qualem philoſophum Memphiticum LVCIANVS deſcripſit, *τῶν ἱερῶν γραμματέων, θαυμάσιον τὴν σοφίαν, καὶ τὴν παιδείαν πᾶσαν εἰδότα τὴν Αἰγύπτιον, qui tres et viginti annos in adytis ſubterraneis manſerit, magiam edoctus ab Iſide.* Et hos quidem a Graecis dictos *ἱερογραμματεῖς*, quia eſſent ſacrarum literarum periti, eosdemque, vt ex SVIDA ſupra obſeruatum, Therapeutas. Vnde coniecit in alia *Epiſtola ad Crozaeum* [p] vir doctiſſimus, veriſimilem valde eſſe Langianam de Therapeutis Philonis opinionem, fuiſſe eos ſectam ſacerdotum gentilium, in nonnullis mores Iudaeorum imitantem. Afferenda erat tota viri eruditiſſimi ſententia, tum quod nonnulla magis confirmat et illuſtrat, quae in deſcribenda philoſophia Aegyptiaca ſupra adduximus, tum quod credit, hoc pacto certius nos ſcire poſſe, qui Therapeutae Philonis fuerint, et ita illos ex Iudaea gente eſſe proſcribendos. Fatemur autem, cupere nos, vt quod promiſerat, potuiſſet exequi, et melioribus argumentis nobis iſtam ſententiam perſuaſiſſet. Dabimus enim, quod facile dari poteſt, Aegyptiorum Sabaeos, ſcribas ſacros, Arpenodaptas, noëmonas eum fuiſſe ordinem ſacerdotum Aegyptiorum, qui noſtro loquendi more ſacrarum et mathematicarum ſcientiarum profeſſores fuerint, immo ſubſcribemus teſtimonio SVIDAE Philonis locum allegantis, quamuis in mendo cubet [q], quo

k) Geneſ. XLI, 8.
l) In dialecto Aegyptiaca, Sabe ſapiens dicitur: inde nomen Sabiorum, philoſophorum Arabum, ortum eſſe coniicit multaque de eo cumulat, cum illis, quae ex Pocockii ſententia ſupra ſuo loco attulimus, conferenda.
m) Id eſt Magos. vid. SELDENVS de Diis Syris p. 69. 70.
n) L. I. p. 304. EVSEB. praep. L. X. c. 4. p. 472.
o) In Philopſeud. T. III. opp. p. m. 597.
p) loc. cit. ep. 156. p. 181.
q) Vidit id et notauit KVSTERVS h. l.

quo οἱ τῶν ἱερῶν περιῤῥάμενοι θεραπευταὶ Ἴσιδος παρ' Αἰγυπτίοις, foeminaeque huius inſtituti Θεραπευτρίδες nominantur, quid ex omni iſta veteri literatura concludemus aliud, niſi Aegyptios ſacerdotes habuiſſe claſſem quandam inter ſe, Therapeutarum dictam, quae id proprie fuerit, quod Graeci initio σοφὲς, poſtea φιλοσόφους vocarunt, dictosque eos eſſe therapeutas, et omnem literaturam ac philoſophiam Aegypti, magiam quoque homines doculſſe, amictos lanea veſte, raſoque capite, vt ſolebant homines iſti ſacri. Nihil inde videmus amplius ex quo ſequatur, ideo therapeutas Philonis huius generis ſacerdotes Aegyptios fuiſſe, niſi hoc, quod ipſi quoque Philonis narrationi damus, per totam Aegyptum maxime in praefectura Alexandrinae prouinciae eiusmodi collegia philoſophorum μοναζόντων inueniri, qui Therapeutae, et vbi foeminae hoc inſtitutum ſequuntur, Therapeutriae vocentur. Quid vero haec omnia ad ſodalitates, quae a Philone, cui ſoli omnem eorum notitiam debemus, tanquam homines, non aliam niſi Moſaicam ſapientiam et legem, allegorica methodo ad peculiarem theoriam trahentes deſcribuntur, niſi vt inde concludamus, eiusmodi inſtitutum eremiticum, inter ſacerdotes Aegyptios vſitatum, etiam genti iſti Iudaicae, ruſticam ſolitudinem coetibus vrbanis praeferentem, placuiſſe, eosque diligenter ab hominum Aegyptiorum conuerſatione more Iudaico ſanctiore ſibi cauentes ad paluſtria et campeſtria loca receſſiſſe? Hos in traditiua quidem legis patriae ſecundum allegoricos ſenſus explicatione cultuque quodam diuiniore et ſimpliciore Deo placere et ſeruire ſtuduiſſe Philo narrat, mathematicas autem et Aegyptiacas literas ſuis tradidiſſe velut ἱερογραμματεῖς Aegyptiorum, minime refert, ſed illud Therapeutarum Iudaicorum ſtudium deſcribit, quod ab iſtis diſciplinis eſt alieniſſimum. Ponamus itaque tanquam euictum, Therapeutarum nomen fuiſſe philoſophorum κατ' ἐξοχὴν dictum, quid impedit, quo minus illud de ſodalitiis iſtis Marianis, a loco, vbi degebant, ita dictis, etiam adhibitum ſit, cum ſanctitatis et θεραπείας diuinioris opinione reliquos Aegyptios philoſophos, qui monaſtice non viuebant, ſuperare crederentur? Nempe accidit therapeuticorum appellationi, quod monachorum et eremitarum euenit, quorum vtrumque Chriſtianorum aſcetarum ad hunc diem nomen eſt, et pro inſtituto Chriſtiani coetus habetur: quis vero ignorat, et Turcas et Indos ſuos habere monachos, ſuos eremitas? et quis adeo inſipidus eſt, vt ex iſto communi nomine inſtituti vitaeque ſtudii concludat, hos quoque eſſe Chriſtianos? quamuis certiſſimum ſit, monachos atque eremitas Turcarum et Indorum antiquiſſimum vel Aegyptiaci regni, vel Chriſtiani orbis morem fuiſſe imitatos, vt Therapeutae Iudaei Arpenodaptarum theoriam ritusque ſacros non imitati tantum, ſed morum quoque ſingularitate longe ſupergreſſi ſunt. Dolemus autem, non amplius nobis ſupereſſe Iablonskium, cui ſententiae arbitrium libenter tradidiſſemus. Itaque lectorem, regularum criticarum memorem et in his ſacris exercitatum, iudicem ſubſtituimus.

pag.

d by Google

pag. 784. lin. 16. *Nec ſpes huc Meſſiae recte tralatur.* Memorabile eſt, et in definienda religione Eſſenorum et Therapeutarum momentu mhaud paruum habet, quod PHILASTRIVS refert r: *Eſſenos, qui monachorum vitam exercent, Chriſtum Dominum Dei filium non expectantes, nec in lege atque prophetis eum Dominum agnoſcentes annunciatum, ſed vt prophetam et iuſtum hominem ſolum credentes, exſpectare.* Vides, niſi plane coecutis, Iudaeos tales, quales tunc natio comprehendebat, ἀπίστους, a Chriſto Ieſu autem recipiendo alieniſſimos, quem tunc, cum iam iſtae ſectae florerent, nondum natum fuiſſe, ex Philonis aetate conſtat.

Ibid. not. h. lin. vlt. *Congregation de S. Maur* etc. Mirum equidem non eſt, Romanae eccleſiae aſſeclas in therapeutarum ſodalitiis Chriſtiano axiomate ornandis deſipere maluiſſe, quam ineptum pro antiquitate vitae monaſticae in eccleſia ſerius longe, quam illa tempora patiuntur, introductae praeiudicium abiicere, viſosque ſibi eſſe recte feciſſe viros cetera magnae eruditionis Serrarium, Bellarminum, Petauium, Tillemontium, Natalem Alexandrum, Hippolytum, Helyotum, Bernardum Monteſalconium, Edmundum Maclot, Danielem Papebrochium aliosque minoris nominis s, quod Therapeutas albo Chriſtianorum adſcripſerint, quibus tanta Euſebii, Epiphanii, Sozomeni, Hieronymi auctoritas viſa eſt, vt ſine haeſitatione affirmarent, fuiſſe eos religioſos Chriſtianos, S. Marci miniſterio, qui primus ad praedicandum evangelium in Aegyptum miſſus ſit, e Iudaiſmo ad Chriſtianiſmum conuerſos: ſed inueniſſe hanc opinionem fautores inter Proteſtantium viros doctos, Brunonem, Voſſium filium, Beueregium aliosque maxime ex Britannia, qui originem huius ſectae ad tempora infantiae vel adoleſcentiae Chriſtianae ciuitatis retulerunt, ferri vix poteſt, qui auctoritatis et ineptl erga PP. ſtudii faſcino ſe teneri alias non paſſi ſunt, ex ipſis Pontificiis, Valeſio, Buhierio ſimilibusque cordatis viris contrarium recte tuentibus. Quicquid autem auctoritatis laudata nomina in commendanda iſta opinione habere poſſunt, illud certiſſimum eſt, et rerum veterum vel mediocriter peritum non latet, adeo huic ſententiae refragari temporum rationes, vt vel mediocriter attentus errare in hoc argumento non poſſit. Infra enim luculentis rationibus confecimus t, tempus, quo Philo libros hos ſcripſit, incidere circiter in tempora triumuiratus Romani, quibus in Aegyptum nulla peruenerit de Chriſto praedicatio, adeoque ipſis natalibus Chriſtianae ciuitatis eſſe ſeniores. Sed ponamus, ſub Claudio demum Philonem ſua ſcripſiſſe, an illa aetate euangelii in Aegypto ea erat celebritas atque cognitio, vt integrae ſodalitates illud amplecterentur? Et qui hi homines ex maiorum ſuorum inſtituto monaſticam vitam, Chriſtianae legi conformem, amplecti potuerunt, quam, teſte HIERONYMO u, ante Paulum Eremitam occaſione perſecutionis Declanae circa an-

r) De haeref. c. 9. p. 21. ed. Fabricii.
s) Indicat eorum loca Ven. CARPZOVIVS l. c. p. 237.
t) pag. 797. not. r.
u) In vita Pauli.

num Chr. CCL. nemo inter Chriſtianos erat ingreſſus? Tacemus reliqua ἀσύσατα innumera, et imprimis abnegatam Chriſti Ieſu Meſſiae diuinitatem, quae tamen inter Chriſtianos eius quoque temporis publica doctrina fuit. Tacemus ἐθελοθρησκείαν Eſſenorum et Therapeutarum, quae Cabbaliſticum ſyſtema ita ex aſſe refert, vt ex qua impura ſcaturigine iſta Aegyptiaca et Orientalis ſapientia emanauerit, omnes qui res veteres intelligunt, palpare poſſint. De inſigni vi, quae narrationi vtriusque ſcriptoris Iudaei infertur, ſilemus. Recte igitur, et vt veritatis amantem decet, fabulam hanc proſcripſit IOSEPHVS AVG. ORSI [x], et Philonis nuperus editor THOMAS MANGEY [y].

pag. 785. not. l. lin. vlt. *Reſpondere conatur BASNAGIVS.* Plura de hac quoque diſſenſione dabit Carpzoviana diligentia [z]. In iſta plurimam quaeſtionem de nomine magis eſſe, quam re ipſa, fatendum eſt. Saepius autem ex vna ſecta novas quasdam prodiiſſe, quis neſcit?

pag. 787. lin. 14. *Ad eos peruenisse.* Hoc tamen non prius factum eſſe iudicandum eſt, quam vbi Perſarum et Orientalium placita omnisque theologia Orientis increbeſcere in Aegypto et domeſticis admiſceri coepere, qua de re videndum, quod in fine Tomi I. oſtendimus. Hic miſerabilis ſyncretiſmus autem ante Graecorum imperium in Aegypto caput non extulit, et philoſophiae Alexandrinae generationi natales praebuit: tunc vero, cum etiam Iudaei plenas manus Aegyptiacae ſapientiae dediſſent, philoſophos et theologos ſiue ſacerdotes regionis imitatos hoc quoque fanaticum Iudaicae philoſophiae genus prodiiſſe cenſendum eſt, indeque cabbalae origines accerſendi.

pag. 788. lin. 2. *Improbante tamen recte, niſi fallimur, Henrico Valeſio.* Multis variisque ſuſpicionibus atque coniecturis cumulata eſt Eſſenorum atque Therapeutarum Iudaeorum hiſtoria, in quibus plerique diſcipulos gente foedereque Moſaico Iſraelitas ſiue Iudaeos viderunt, nonnulli ſacerdotes Aegyptiacos ſe detexiſſe iudicarunt, quidam philoſophos barbaros Iudaizantes ſe obſeruaſſe ſibi viſi ſunt, quidam magni nominis et auctoritatis non Chriſtianae tantum gentis primordia, ſed monachos quoque et aſcetas ſatis euidenter ſe deprehendiſſe contenderunt. Quod quidem ſententiarum diuortium magnopere mirandum haud eſt, ſi in ea teſtium narrantium paucitate, et rei atque temporis iſtius circumſtantiis iudicium paulo preſſius et acutius ſubducatur, et ad criticae atque rationalis artis regulas omnia trutinentur. Cuncta enim ad duorum Iudaeorum, Philonis et Ioſephi, relationes redeunt: quicunque enim poſt eos horum philoſophorum mentionem fecerunt, manifeſte hos duos fontes non ſecuti modo eſſe, ſed exſcripſiſſe cenſendi ſunt. Vterque autem ille teſtis ita ſuam fidem prodidit, vt iuſtiſſimam cauſam in hiſtoria critica huius ſectae habeamus, dubitandi, an propter gentis ſuae praciudicia vel potue-

x) Hiſt. eccl. Vol. I. p. 77. y) Praef. ad Op. Phil. p. III. z) loc. cit. p. 239.

Digitized by Google

tuerint vel voluerint verum dicere? Quapropter maluimus veterum ſententiam enarrare, quam noſtram dicere. Fatemur tamen, videri nobis Eſſenos, et imprimis eorum ἐμοψήφους Therapeutas gente Iudaeos, diſciplina, dogmatibus et opinionibus Orientalis et Aegyptiacae philoſophiae alumnos fanaticos, mixtum theologiae emanatiuae genus, quod Ptolemaeorum aeuo in Aegypto obtinere coepit, ſequentes, parentes philoſophiae illius traditiuae, ſiue Cabbalae metaphyſicae, quae paulo ante C. N. in Palaeſtinam inuexit, R. Simon Schetachides promouit, et comtius ſeculis ſequentibus ornauit, Akibhae, Iochaidis aliorumque ſimilium, qui ſuo loco enumerati ſunt, diligentia, quam infra in cabbaliſticae hiſtoriae enarratione tangemus. Mirandum autem magnopere nobis eſſe videtur, fuiſſe tot viros doctos, qui leui circumſtantiarum ſimilitudine perſuaſi neſcio quae ſpectra ſe vidiſſe ſibi perſuaſerunt, cum ex ſolis anachroniſmis in illorum explicationibus occurrentibus palpare potuiſſent, ſuum ſe iudicium decepiſſe. Id quod imprimis de illis viris doctis valet, qui Chriſtianos aſcetas, fideique Chriſtianae alumnos ex manifeſtis indiciis deprehendiſſe, integris diſputationibus contenderunt, cum extra omnem plane controuerſiam ſit, Eſſenos atque therapeutas, ſi Philonis et Ioſephi, vnicorum in hac re teſtium, fide ſtandum eſt, vtramque ſectam inualuiſſe, et adultam viguiſſe, antequam FILIVS DEI orbis ſoſpitator Chriſtianam rempublicam condidit, luculento exemplo religionis, ſectae partisque praeiudicium errores palpabiles poſſe commendare, et veriſimilitudinis colore tingere. Nemo autem, quod candide fatemur, artis criticae atque hiſtoriae limites adeo tranſiliit, tantumque in Eſſenorum hiſtoria multo ſudore, et cumulatis eruditionis ſpeciminibus illuſtranda ineptiit, quam IOANNES GEORGIVS WACHTERVS, vir cetera πολυμαθέστατος et imprimis veteris doctrinae reconditae promus condus, ingenii et coniiciendi arte, quam in doctiſſimo *gloſſario etymologico linguae noſtrae vernaculae*, multis ſpeciminibus demonſtrauit, teliciſſimus, et παραδοξοφιλίας κακοζηλίᾳ dudum nigro ⊙ cum adhuc in viuis ſupereſſet, notatus, cum in *elucidario Cabbaliſtico* et *Spinoziſmo ante Spinozam* procliuem propenſionem ſyſtemati cabbaliſtico, quale etiam Spinoziſticum eſſe putabat, ſubſcribendi prodidiſſet. Quod tacitus ille et ſuſpenſo quaſi pede in his ſcriptiunculis manifeſtauit, id luculentius et audacius prae ſe ferre auſus eſt, in libris duobus, quibus integram *Eſſaeorum hiſtoriam* complexus eſt, demonſtraturus, in ea *primordia Chriſtianae religionis* ſe detexiſſe, contendendo I. *Eſſaeos eſſe Chriſtianorum inchoatores.* II. *Chriſtianos Eſſaeorum poſteros ſed emendatiores*, ipſum Chriſtum Ieſum fuiſſe huic ſectae adſcriptum. Dici non poteſt, quam vehementer inuenuſtus hic venuſti cetera et a multa doctrina commendati ſcriptoris pullus orbi literato diſplicuerit, quo euenit, vt ad declinandam inuidiam, quae eum ἑτεροδοξίας ſuſpicione premebat, librum ſupprimeret, qui typis nunquam excuſus, ſed pauciſſima quaedam ἀπόγραφα

γραφα in nonnullorum virorum doctorum manus peruenerunt. Possedit hanc Essenorum historiam msc. b. Io. Fr. Reimmannvs [a], cuius iudicium satis criticum hic adscribimus. Ita autem ille, viuo adhuc Wachtero: *auctor huius meletematis msc. et inediti est I. G. W. a Christianorum sacris ad cabbalistarum profanas Scholas progressus, et iisdem ita inescatus, vt Christianismum quendam esse Essaeismum a Christo Essaeorum discipulo in capitibus quibusdam repurgatum tradiderit. Laudandus ab ingenio, doctrina rerumque varietate, et verborum lenitate ac probabilitate compositionis, sed caute legendus ob καχεξιαν Spinozisticam, qua cibos optimos, aliunde acceptos, male concoquit, peius digerit, et in succum et sanguinem pessime conuertit.* Subscripsere eidem iudicio, qui ipsum quoque meletema habuerunt, Io. Chr. Wolfivs [b], et ven. Carpzovivs [c]. Quod cum tandem post fata auctoris vltima reculis nostris literariis accesserit, nostris nos oculis vti, et quid distent aera lupinis cognoscere licuit. Non tacebimus autem et subducemus lectoris oculis hypothesin παραδοξοφιλοτατην, et satis, quod fatemur, impiam, de qua diu dubitauimus, an serio rem auctor egerit, et non orbem ita tentare literarium, pulueremque oculis theologorum obiicere voluerit, donec ex lectione stupentes intelligeremus, omnes, quotquot apparente in carne λογω in via iustitiae ambulauisse sacra testatur historia, eum Essenorum sectae adscribere, non Ioannem tantum Baptistam, Simeonem iustum, Iacobum fratrem Domini, sed hunc ipsum diuinissimum magistrum, multisque eum argumentis huic sectae vindicare, immo, quod nos in stuporem coniecit, asserere: philosophiam cabbalisticam, quam apud Essaeos primum natam et excultam esse §. 15. contendebat, „Iesum repurgasse addendo in systemate cabbalistico trinitatis articulum vnitati, et per verbum primogenitum in serie et ordine citra vllam diuinitatis mutationem deducendo, hancque sapientiam „discipulis in aurem dicendo, et salua tantum arcani disciplina in totō „terrarum orbe publicando: hincque veterem traditionem esse, Iesum et „discipulos philosophiam antiquo barbaricam instaurasse et a corruptelis „antecedentium vindicasse et perfeciſſe." Quae ita quidem timidiuscule affirmat auctor, vt heterodoxiam Essaeorum sui temporis repurgasse Iesum dicat: alt alio loco [d] se ipsum prodidit vt sorex, fassus, „philosophiam Hebraeorum *sub cabbalae nomine hodienum superstitem,* plenam figurarum et allegoriarum et summo semper studio occultatam. Huius philosophiae praecipuum obiectum esse diuinitatem eiusque emanationes „et productiones, posseque sine erroris periculo affirmari, philosophiam „istam cabbalisticam fuisse proprium tam Essaeorum practicorum, quam „theoreticorum, studium, et ab eis ad nos vsque peruenisse." Quo pacto auctor emanatiuo systemate totus occupatus, dum Essenorum doctrinam a Iesu Christo repurgatam articulo de trinitate statuit, ipse incautus

a) Cat. crit. bibl. suae T. I. p. 1025 seqq.
b) Bibl. Hebr. P. IV. p. 332.
c) Antiq. Hebr. L. I. c. 12. p. 216.
d) Diss. I. §. 15.

Digitized by Google

tus in eum errorum campum ingreſſus eſt, quem omnia Deiſmo replere, nobis olim in literis ipſe confeſſus eſt *). Quanquam autem huius furfuris pleraque ſunt, quae iactauit fanaticae philoſophiae, cui tunc adhaerebat, ſtudio, nihilque ſani cohaereat: dabimus tamen lectoris curioſitati libelli inediti indicem per ſumma capita, vt ex vngue leonem cognoſcere liceat, ne conqueri is poſſit, nos in Eſſenorum hiſtoria aliquod, quod cardinem eius conſtituit, ſilentio ſuppreſſiſſe. Et profecto, ſi verum eſt, quod vir doctus ſibi perſuaſit, „ſuam tractationem, quamuis in „illa forte aliquid addi vel emendari poſſit, ad eum tamen veriſimilitu„dinis gradum perductam eſſe, qui ad certitudinem proxime accedat: „moneatque, ſibi conſtitutum id vnum eſſe, vt Chriſtianiſmi ortum ex „reconditis hiſtoriae Iudaicae monumentis inueſtigaret et hiſtorici mu„nus ſuſciperet, non dogmatici, ſeque, ſi quid offendere poſſit, non ha„buiſſe in poteſtate, ea ſecus proponere, quam antiquis tractata ſunt:" magnum iſte labor momentum in grauiſſima quaeſtione de origine Chriſtianiſmi inter Iudaeos merito obtineret. Aſt cum attentione et ſine praeiudicio totam iſtam diſſertationem legenti et examinanti patebit, auctorem inauditarum hypotheſium amore dudum ineſcatum, et imprimis cabbaliſtici ſyſtematis et phyſiologiae emanatiuae praeconceptae dudum opinioni eo tempore vehementer addictum, 1. iſtud ſyſtema hypotheticum (ita ipſe nos id intueri in literis ſuis iuſſit) tanquam veriſſimum, ſapientiſſimum et Deo digniſſimum conſideraſſe, 2. eumque in finem, vt antiquitatem eius tanquam veras veteris orthodoxiae origines vendere poſſet, hiſtoriam Eſſenam elegiſſe, et 3. incertas et obſcuras narrationes duorum teſtium Iudaeorum, eorumque, qui has ſine criſi adhibita exſcripſerunt, prout hypotheſi electae fauere poſſent, inter ſe comparauiſſe, 4. toti autem naſcentis eccleſiae Chriſtianae hiſtoriae adhibitis fortiſſimis ingenii machinis ita iſta collatione cum Eſſaeiſmo vim intuliſſe, vt tandem illa rudis et indigeſta opinio digeſtionis eruditae ſpeciem quandam exhiberet, quae tamen nec regulis fidei hiſtoricae, nec ſanctiſſimi Seruatoris inſtitutis facit ſatis. De quibus omnibus cum lectorem peritum et ſanctiſſimae religioni fauentem iudicem conſtituere cupiamus, en argu-

*) Cum in germanico H. P. Opere Tom. IV. ſyſtema cabbaliſticum prima vice ex obſcuritatis latebris produxiſſemus in apricum, rogauimus Wachterum, tunc Lipſiae degentem, per B. I. G. Lotterum, poſtea Prof. Petropolitanum, vt viri docti ſententiam de explicatione noſtra ſyſtematis cabbaliſtici exploraret. Fecit id Lotterus, et reſponſionem accepit, quam hic, vbi de ſenſu huius ſyſtematis iuxta Wachteri mentem agitur, non poſſumus commode omittere. Ita vero ad nos communis amicus: Heri apud me inuiſens W. bone Deus! quantum exultauit optimus ſenex de interprete, ſic aiebat, myſteriorum cabbaliſticorum et feliciſſimo et doctiſſimo. Nemo vnquam, addebat, ſcriptorum quos viderim, quosue legerim, ita penetrauit ingenii acumine in intimos doctrinarum receſſus, nemo ita rotunde, ita candide illas explicuit ciue suo. Vnum ſcripto monebat, nullum ſyſtema de Deo et creatione ex Deo ita ſe habere, quacunque ratione ſe explicet, vt atheiſmi accuſari poſſit, alias fore appoſitum in oppoſito. - - Adeo vero ab atheiſmo differre doctrinam Iudaicam, vt potius Datsmvs ſit, ex Deo velut primo principio cuncta euoluens. Atheiſmum vero, mundum non eſſe opus Dei, ſtatuere, quod nec Cabbaliſtae faciant neque Spinoza; ſed eſſe ipſorum ſyſtema hypotheſin de originationibus mundi. Habes itaque, Lector, veram viri docti mentem in noſtro opere expreſſam.

argumenta ſcriptionis paradoxae, et cum reuerentia, quam et annalibus Chriſtianae ciuitatis et caſtitati diuini euangelii debemus, valde pugnantis. Nempe

Libro I. Eſſaeorum, vt ille vocat, hiſtoriam traditurus et inchoatores Chriſtianorum enarraturus c. I. De ſecta Eſſaeorum circa tempora Euangelica differit, et tactis Phariſaeorum et Sadducaeorum haereſibus, quibus etiam ſicarios ex Act. XXI, 38. annumerat, ſectam cum factione confundens, ſilentii de iis in euangelica hiſtoria cauſſam in eo quaerit, quod credat, eos in illa et ſcriptis Apoſtolicis non prorſus taceri, quod in ſequentibus quomodo demonſtrauerit, inueniemus. c. II. De praeſtantia et celebritate huius ſectae loca Ioſephi, Porphyrii, Suidae affert, quae ſupra a nobis adducta, et quod vnum tantum teſtimonium efficiant, idque non omni ſuſpicione vacuum, demonſtrata ſunt: prouocat etiam ad cetera monumenta Graecorum et Latinorum, quibus conſtet, celebriores fuiſſe ceteris fere ignoratis: alios tamen Graecos et Latinos ſcriptores, ſi Iudaeos, Philonem et Ioſephum, excipias, non deprehendimus adductos, quam Plinium, quem vel Monachos ſacerdotesque Iſidis μοναζοντας cum Eſſenis confudiſſe, vel numuſculo incerto ductum eorum mentionem feciſſe ex inſpectione loci eſt In propatulo, tum Euſebium, vel Chaeremonem potius atque Solinum, qui a Plinio longe abit, Cedrenum, Suidam, Philaſtrium. Horum vero teſtium fide ſi ſtandum eſt, qui et tempore remotiores fuerunt et Iudaeos iſtos exſcripſerunt, actum erit de iactata tantopere Eſſenae hiſtoriae certitudine. c. III. De antiquitate huius ſectae diſſerens, Ioſephum ſibi contrariari fatetur, teſtem quidem ſatis idoneum, qui ſub ſecundo templo natas has eſſe ſectas prodit: aſt veriſimilius noſter habet, Pythagoram, cum verſaretur in Aegypto, Eſſaeos ad Paludem Mareotidem conueniſſe eorumque diſciplinam Graeciae importaſſe, ſicut alia multa a barbaris hauſerat; cuius tamen aſſerti fidem non aliam habet, quam conuenientiam quandam conſuetudinum Eſſaearum et Pythagoricarum dudum a Goodwino obſeruatam, ex quo tamen conſequentia pro origine nulla necti poteſt, cum ſupponatur, eam ſectam tunc iam viguiſſe et a Pythagora eſſe detectam, id quod quaeſtionis principium petere, vel pueri vident; melius Burnetium, ab Indis eos deriuantem notat, Evsebio autem ſubſcribit, Moſen primum auctorem atque ducem Eſſenorum conſtituenti, quod populum Iſraëliticum in multitudinem et ſapientes diuiſerit, illisque legem et ritus relinquens, his philoſophiam a cortice liberatam et altiorem legum ſententiam tradiderit. Quae Euſebium accepiſſe a nugiuendulis Iudaeis, Philone et Ioſepho, palpaſſet quo erat acumine vir doctus, niſi hypotheſeos amore fuiſſet faſcinatus. Nam quod de Therapeutarum ad paludem Mareanam nidificantium rebus ex Plinio adducit, confundere Aegyptiaca et Iudaica, aliquoties iam monuimus, nec ad probandam Therapeutarum antiquitatem, ſed ad ſolam eorum exiſtentiam, valet Pliniana auctoritas. Et recte quidem

Digitized by Google

dem ſtatuit ſectam Eſſenam aliquot (multis ait, per ἐξεργασίαν) ſeculis tempora euangelica anteceſſiſſe, quod quouſque admitti poſſit, ſupra nos luculenter oſtendiſſe putamus: Solini teſtimonium autem, Plinium exprimere, ipſe c. IV. non negat, neque habet, quod c. V. de origine nominis et appellationis afferat, et de diſtinctione inter theoreticos et practicos non alia niſi vulgaria c. VI. affert, eiusdem inſtituti monaſtici fuiſſe ex ceremoniarum harmonia recte coniicit, c. VII. vero adducto Philonis loco practicos deſcribit, et c. VIII. eius fragmentum ex eius apologia apud Euſebium commemorat, totumque illum locum prolixum deſcribit: idemque c. IX. et X. circa Ioſephi teſtimonia inſtituit, et c. XI. ex iisdem quoque fontibus diſciplinam iſtorum hominum, et quatuor, quos ille ſe vidiſſe putat, ordines enumerat, c. XII. Plinium et Solinum, ineptum vtrumque teſtem de ſilentio Eſſaeorum conciliat, quorum vnus ſectae, alter inſtituti et ſyſtematis ſilentium reſpexiſſe coniicit. Tum c. XIII. XIV. de Eſſaeis theoreticis tractaturus, Philonis iterum, Ioſephi, eorumque exſcriptoris Suidae loca integra repetit cum quodam faſtidio c. XV. curioſius de philoſophia Eſſaeorum tractaturus, falli eos exiſtimat, qui ſolius philoſophiae moralis ſtudium eos fuiſſe ſectatos coniiciunt, et ex theoreticorum nomine, acute ſatis, ſi ita placet, colligit, veri eos nominis philoſophiam ſiue rerum altiſſimarum diuinarum humanarumque ſcientiam naturalem excoluiſſe: quaſi vero iſta theoreticorum et practicorum nomina non a vitae ſtudio et inſtituto, ſed ab obiecto philoſophiae, iuxta noſtri temporis ideam fuiſſent deſumta. Hanc autem ſublimiorem philoſophiam fuiſſe theologiam reconditam et traditiuam, quae Deum et originem rerum pro obiecto habet, et occultando propagatur, aſſerit, nempe Cabbalam hodie non apud Iudaeos ſuperſtitem, quae diuinitatem eiusque emanationes et productiones explicat, et proprium eorum ſtudium fuiſſe, (non ſine omni veriſimilitudine) aſſerit. Recte autem feciſſe, pronuntiat, Eſſenos, quod dialecticam et phyſicam vulgarem, tanquam artes fallaces et praeſtigiatorum principiis (atomis et particulis) tantum innixas reliquerint, c. XVI. autem et ſequentibus, Eſſenorum opiniones de Deo eiusque cultu, de fato, de angelis, de ſcripturae interpretatione, de immortalitate animarum, earum poenis et praemiis poſt hanc vitam, de Meſſia, de philoſophia morali, de abſtinentia a potu vini et vſu carnium, de eorum diſſenſu circa nuptias, de eorum medendi peritia, vaticinandique facultate ita ediſſerit, vt non aliis, quam quos indicauimus, fontibus vtatur, eademque verba repetat, nuſpiam autem rectum et accuratum iudicii examen adhibeat, quae a Wachtero, fatemur, proficiſci non potuiſſe crederemus, niſi certo ſciremus, inficetae et indigeſtae molis parentem eum fuiſſe.

Longe infelicius in libro II. vbi *de Chriſtianis Eſſaeorum poſteris* agit, nugari auctor videtur, prolixe a capite XXVII. ad LIV. contendendo, Eſſaeorum non veſtigia tantum in Chriſtianorum diſciplina reperiri, ſed

Digitized by Google

veras quoque Chriſtianae reipublicae origines inde eſſe deriuandas. Non eſt tamen huic argumento locus in hoc noſtro campo, ſed integrum ad hiſtoriam ſacram et eccleſiaſticam pertinet, ibique inſulſa et indigeſta argumenti huius moles examinanda et in ordinem redigenda eſt, vbi vera quaedam atque erudita innumeris falſis et inſulſis ſuſpicionibus atque coniecturis admixta ſunt: quae optamus, vt vir quidam eruditus et rerum antiquarum, maxime vero artis criticae gnarus examinet, vt intelligatur, quam leuia et inania, et, ſi dicere fas eſt, puerilia ea eſſe ſoleant, quae Chriſtiani nominis famae labem affricant. Quid enim tam docto et acuto viro, qualem auctorem fuiſſe multis ſpeciminibus nouimus, indignius, quam quod c. XXV. contendit, Eſſaeos in euangeliis memorari, eo argumento, quod Ioannes Baptiſta dicatur, veniſſe ad Iudaeos in via iuſtitiae, via autem Hebraeis dicatur ſecta, indeque colligendum ſit, et ipſum ex hac quarta Iudaeorum ſecta prodiiſſe, et omnes, quotquot in euangeliis a iuſtitiae exercitio et praeconio iuſti vocentur, fuiſſe ex hac ſecta, eo quod inter Sadducaeos et Phariſaeos non inueniantur, ſed in Eſſenis, quorum iuſtitia apud Philonem et Ioſephum ſit decantatiſſima, adeoque omnes iuſtorum appellationes, quotquot in euangeliis occurrunt, ad Eſſaeos eſſe transferendas, niſi aliae adſint cauſſae, quae aliam interpretationem deſiderent. Non il nos ſumus, qui Lectoris iudicio tantum diffidamus, vt non ipſe nugari auctorem, vel volentem, vel inſcium pueriliter, iudicet, monemus autem, vt ex vno vngue totum leonem ſibi depingat, quidque ab hac exercitatione expectandum ſit, paulo plenius conſideret. Eiusdem enim commatis ſunt reliqua, tantum non omnia, E. c. Ioannem, qui Ieſum baptizauit, fuiſſe Eſſaeum, ob abſtinentiam victus, carnis et vini, et comeſtionem ἀκρίδων, quas in ἐγκρίδας commutat, et ſumma arbuſculorum germina intelligenda eſſe contendit, vt abſtinentia Ioannis a carne locuſtarum exemplo in hoc afferendo eius Eſſeniſmo obſtare minus poſſit, Lepidum autem eſt, quando inter alias ſimilitudines inter Ioannem et Eſſenos occurrentes, hanc etiam ponit: Ioannes ad poenitentiam exhortatus eſt populum, et poenitentes luſtrauit, et praeceptis inſtruxit: Idem conati ſunt iuſtitiae ſectatores Eſſaei, in horum igitur contubernio Ioannes baptiſta ſuae diſciplinae hauſit primordia. Certe, ne primas quidem hiſtoriae euangelicae lineas is legiſſe cenſendus eſt, qui ita ineptire, et contradicere ſacris hiſtoricis, omnia Ioannis ad Dei mandatum peculiare referentibus auſus ſit, putaueritque ideo, Ioannem Eſſaeos nunquam reprehendiſſe. Eandem viam ingreditur auctor c. XX. oſtenſurus, Ieſum fuiſſe Eſſaeum moribus et doctrina eorum inſtitutum: quae adeo frigida ſunt et non cohaerentia, vt ex luto lapidem effingere citius liceat, quam inde concludere, Ieſum Chriſtum habitum fuiſſe a populo reueraque repraeſentaſſe hominem ſectae Eſſenae. Nam, quod eum vita in cruce defunctum iuſtum ſalutauit, num inde Eſſenus exſculpi poterit? num quod iuſtus

Digitized by Google

iuſtus vocatus eſt, Eſſenos illum agnouiſſe pro Meſſia, concludi poteſt? qui Meſſiam non alium, quam hominem prophetam, non autem DEI filium expectarunt? teſte Philaſtrio. Num is Eſſeni inſtituti conſors cenſendus eſt, qui et edit carnes, et bibit vinum, vt alii homines, et conſortia hominum quaeſiuit, et in templo frequens fuit, et ſocietatem in ciuitatibus in medio foro ambulantem inter homines inſtituit, et ineptam Iudaeorum iuſtitiam, quam affectaſſe illos ſtatuit auctor, condemnauit, et, vt verbo dicam, Eſſenum repraeſentauit, vt nox lucem meridiei? Inde iudica Lector, qua veriſimilitudine auctor noſter Ieſum Saluatorem noſtrum Eſſenis adſcribat, c. XXX. quod in ſolitudinem ſeceſſerit, non ad omnem vitam, ſed ad dies quadraginta, vt tentaretur a Diabolo, c. XXXI. quod poenitentiam praedicauerit, longe aliam, quam Eſſeni, nempe fidei et conuerſionis, c. XXXII. quod communem cum diſcipulis vitam inſtituerit, quod et aliae ſectae fecerint, c. XXXIII. quod iuſtitiam praedicauerit, quod omnes prophetae et apoſtoli, c. XXXIV. quod corporalem et ſpiritualem ſimul medicum egerit, aſt miraculis, non therapeuticis medicaminibus illuſtrem, c. XXXV. quod tacite iuſtitiam Eſſaeorum commendauerit, quod ferri non poteſt, cum in eodem iuſtitiae commaculatae et propriae luto haeſerint Iudaei Eſſeni cum contribulibus, quam Ieſus tantopere eſt deteſtatus. Sed et, lectorem reliquis argumentis obtundit, quibus, Eſſenum fuiſſe, probat, c. XXXVII. quod doctrinam moralem ex iisdem fontibus deducat cum Eſſenis, nempe ex amore Dei, virtutis et hominum, c. XXXVIII. quod exiſtentiam animarum, et angelorum cum Eſſaeis tueatur, c. XXXIX. quod myſteria ſua non, niſi exploratis tradiderit, c. XL. quod allegorice docuerit, et quod palmarium putat, c. XLI. quod hanc ſapientiam, quae fabulis cabbaliſticis pene oppreſſa erat, Ieſus reſtituerit, dum Trinitatem in vnitate demonſtrauerit, et ex vnitate cetera per Verbum primogenitum in ſerie et ordine citra vllam diuinitatis mutationem deduxerit, et diſcipulis in aurem dixerit: quo inconſiderato epiphonemate auctor prodidit, quantum ab orthodoxia Scr. S. ſeceſſerit, quae nunquam Cabbaliſticam trinitatem in vnitate per verbum ſe manifeſtantem, et per emanationis viam ſe aperientem, tradidit, quem tamen ſenſum iſtius trinitatis Cabbaliſticae genuinum eſſe, dudum oſtendimus et recte atque conuenienter nos demonſtraſſe, faſſus eſt ipſe Wachterus. Quam illepidum autem eſt, quod teſte aduocato EPIPHANIO *f*, Chriſtianos Eſſaeos vocatos eſſe, dicens contra ſcriptoris mentem, inde Eſſaeorum nomen exſculpit! eo quod cum Eſſaeo, Dauidis parente non conueniat Chriſtiana appellatio. Sed taedet pigetque his coniecturis nugiuendulis inhaerere amplius, cum nobis perſuaſiſſimum ſit, noctem felicius cum meridie comparari, quam Chriſtianos veteres cum Eſſenis, quod tamen c. XLIV. inſtituit. Omittimus longam diſceptationem, vtrum Eſſeni fuerint primi apud Alexandrinos

f) Haeref. 29.

drinos initiati Christianorum, quae contra Eusebium, discipulos Marci exsculpentem, haud infeliciter disputat. Haec enim ad hos nostros cancellos non pertinent: quibus sufficit demonstrasse, nihil habuisse Essenos theoreticos atque practicos cum Christianis commune, et hypothesin esse, ridendam potius, quam examinandam, quae contrarium asserit. Quare ex hoc luto pedem tandem retrahimus, nihil certius de Essenis ex hac dissertatione edocti: et Therapeutas Christianorum inchoatores ad Scepticos HUETII [e], quos Abrincensis praesul se vidisse inter Essenos per somnium olim coniecerat, amandamus: ad Anachoretas autem et solitarios homines, quales Aegyptus postea produxit, respicere lectorem iubemus, qui meliori iudicio et colore, Christianos Essenae disciplinae alumnos vel imitatores mixtis Aegyptiacis et Alexandrinis dogmatibus, inter eos deprehendet, quibus sola theoretica vita commendata fuit, qua de re videndus, quae ex Cassiano eleganter obseruauit MOSHEMIVS [f]. Ea autem ad Sec. II. post C. N. pertinent, quo tempore syncretistica philosophia iam caput inter Alexandrinos extulit, id quod T. III. fusius a nobis demonstratum est.

pag. 798. lin. 14. 15. *Ipsam quoque philosophiam Pythagorico-Platonicam integram puramque in Aegypto non mansisse.* Acute id probauit MOSHEMIVS [g], quod nos origines eclecticae sectae suis locis [h] pandentes multis testimoniis roborauimus, quae ad intelligendam Philonis philosophiam relegenda et huc applicanda sunt: nempe non tantum circa tempora regum Graecorum, qui Aegypto imperarunt, et Ptolemaeorum nomine inclaruerunt, eclecticum vel syncretisticum philosophiae studium ibi obtinuisse, adeoque illud ipsa Potamonis aetate esse antiquius; sed probare id imprimis Philonis quoque philosophiam: quae, quamuis veteribus plerisque pro Pythagorico-Platonica habita sit, eo quod Philo Platonem plerumque sequitur, ex ipsa tamen philosophi haud incelebris philosophumenis patere nonnunquam Aristotelicos, Stoicosque eum sequi, adeoque ex illis censendum esse, qui nulli se sectae addicunt, sed ex omnibus, quae rationi conuenire censent, arripiunt, et in rem suam conuertunt. Idem vidit et fassus est nouus operum Philonis editor THOMAS MANGEY [i], et fatebuntur, quotquot vel vnum exordium libri [l] eius, *quod mundus sit incorruptibilis*, legerunt. Nempe illum ex eorum numero fuisse, qui parentes quasi eclecticae vel, vt rectius appellatur, Alexandrinae philosophiae inter Christianos postea introductae fuerunt, nemo ibit Inficias, qui ea cum attentione legit, quae de hac secta supra diximus, et dicuntur infra in historia philosophiae veterum Christianorum. Maxime tamen prae aliis memorabilis Philo est, quod cum a contribulibus didicisset barbaram, Orientalem, et Aegyptiacam sapientiam

e) De imbecill. intell. hum. L. I. c. 14. §. 61.
f) T. II. p. 162. 190 seqq.
g) Hist. Chr. ante C. M. Sec. II. p. 313.
h) loc. cit. p. 26.
i) Praef. pag. VIII.
l) pag. 897 seq.

Digitized by Google

tiam cum domeſticis ſuorum placitis coniungere, id potiſſimum effecerit, vt philoſophia myſtica Iudaeorum Aegyptiacorum, Eſſenorum, Therapeutarum traditiua, adhibitis allegoriae machinis, Graece philoſophari inciperet; vnde factum, vt, quod Orientale prius eſſet, et ex Perſiae fontibus in Aegyptum erat delatum, quodque Cabbaliſticam philoſophiam genuit, a Philone et ſimilibus habitu Graecanico indutum, et Platonico veſtitu ornatum in mundum prodiret, nefandumque ſententiarum atque dogmatum Alexandrinorum chaos, quod poſtea perfecit et in ſyſtema redegit ſchola Ammonii, Plotini et ſequacium, conſummaret.

Ibid. lin. 19. 20. *Domeſticae itaque eruditionis non ſatis gnarus, parumque in lege et ſcriptura eruditus.* Teſtantur hoc eius exegemata in hiſtoriam Moſaicam, vbi haud raro ſuperficiariam et leuiuſculam rerum gentis ſuae notitiam prodit. Inde factum, vt nonnulli viri docti [m] in eam pedibus iuerint ſententiam, Philonem rituum templi fuiſſe plane ignarum, quaeque de iis tradit, ex fama aliorumque relatione tantum accepiſſe, cum ipſemet Alexandriae in Aegypto vixerit, quin immo textum Hebraeum ipſe non legerit, parum in eo verſatus. Quod lectori Philoniana cum codice Hebraeo comparanti facile perſuadet inſtituta comparatio, ex qua patebit, quicquid ſacrarum literarum Philo ſciebat, id tantum ex Graeca verſione accepiſſe, vnde factum, quod Ven. I. B. CARPZOVIVS [n] diligenter obſeruauit, vt Epiſtola ad Ebraeos, in qua LXX. Interpretum dictio atque loca ſaepe regnant, cum Philonianis pulchre multis locutionibus conuenire videatur. Non negabimus quidem, Philonem Palaeſtinam fuiſſe ingreſſum, cum ipſe in libro *de prouidentia* diſerte teſtetur [o], ſe per Aſcalonae vrbis fines iter feciſſe ad precandum et ſacrificandum in templo, concedemus etiam facile, non ſemel tantum, ſed ſaepius hoc iter religioſum itidem inſtituiſſe: nihil autem inde pro eruditione eius Ebraea concludi poteſt, cum non, niſi Graecis, vt Graecanici Iudaei ſolebant, literis vteretur. Contrarium enim, quod tuetur FABRICIVS [p], non probauit, loquiturque Philoniana lectio.

pag. 804. lin. 4. a fine. *Et de anima quidem ita praecipit.* Non indignus labor eſſet, ſi vir quidam doctus et philoſophiae veteris, maxime in Aegypto reformatae, vel turpi potius mixtura deformatae probe gnarus, ingenio autem, non tamen doctrina Wachtero diſſimilis, ex inſtituto Philonianam philoſophiam, et in ea quidem praecipue, quae de diuinis et de anima humana agit, exponeret, et cuncta quae corraſerat Iudaeus, ad ſuos fontes, Moſaicos, barbaricos, orientales atque Perſicos, Aegyptios etc.

m) BONFRER. ad Leu. XXI, 14. CHR. LVD. SCHLICHTER. de panibus facierum P. I. p. 50.

n) In Comm. in Ep. ad Ebr. ex Philone illuſtrata.

o) EVSEB. de praep. Lib. VIII. c. 14. p. 398. Integrum habes in editione Philonis MANGEIANA T. II. p. 647. Ex hoc vero loco probari quoque poteſt, Philonem cum Eſſenis nullum habuiſſe commercium, nec illorum ſectae fuiſſe addictum, quamuis eorum inſtitutum ei ſanctitatem ad extollendam ſuae gentis gloriam mire depraedicauerit. Eſſeni enim a templo arcebantur, quem ſe eſſe ſacrificii cauſſa ingreſſum, ipſe Philo refert.

p) Bibl. Gr. Vol. III. p. 105.

referret, quo pacto huic memorabili veteris philoſophiae et religionis hiſtoriae lux poſſet accendi, et elegans libelli academici ſpecimen exhiberi. Hoc vero labore, cum nobis, nec praeſentis inſtituti ratio, nec temporis, ſenii, et laborum conditio defungi concedat, monemus lectorem harum lautitiarum curioſum, vt vnum alterumque librum Philonis ipſe adeat, lectione nec indignum, nec plane inlucundum, vt propriis videat oculis. Tantum autem de hac philoſophiae Aegyptiacae, orientalisque, Graecae admixtae fontibus et riuulis hactenus nos congeſſiſſe et digeſſiſſe, nobis perſuademus, vt facilis labor inde diligentiam aliquam adhibituro poſſit euadere. Nos hic ſpicilegii loco ad ea, quae h. l. de animabus ex mente Philonis dicta ſunt, illuſtranda, monemus tantum; Philonem, emanatiuo ſyſtemati, vt ſolebant therapeutae, quorum principia iuuenis imbiberat, totum addictum, idque cothurno Pythagorico-Platonico adaptantem animas, quas Deum homini in creatione inſpiraſſe legerat in Geneſi, ex DEI ſinu deduxiſſe, et ex eius eſſentia emanantes, (alium enim fontem non nouerat, et ex nihilo nihil fieri, mordicus tenebat;) ſtatuiſſe, ex ſuperis regionibus deſcendiſſe, et, quod in libro *de gigantibus* [q] vrget, diſtinctas in duo genera, quasdam in corpora deſcendiſſe, alias ab omni materia abhorrere; et ex his quasdam corporibus prorſus implicari et neglecta aut ignorata ſapientia, vanitate delectari, ſenſibusque vinciri, alias, ruptis tandem ſenſuum vinculis, meditando, et corpus indies magis ſubigendo et ſublugando, ſe tandem expedire, vt reuolare ad ſuperas regiones poſſint, vnde venerant. Et illas quidem labe expertes in Moſaica philoſophia angelos dici: has eſſe animas ſupernam quandam philoſophiam edoctas, quae ab initio ad finem vsque meditantur mortem corporis, vt incorpoream incorruptibilemque vitam apud illum incorruptibilemque adipiſcantur. Eſſe tamen quasdam animas, quae ſolutae a corpore tactaeque vitae mortalis deſiderio rurſum ad eam recurrant: alias tamen carcerem hunc refugientes in ſublimibus contemplandis totum aeuum exigere. Ex quibus Philonis locis ſatis addiſcitur emanationis periodicae ſyſtema eum puriſſimae pſychologiae Moſaicae adaptaſſe [r], longe remotum a Iudaeorum veterum de reſurrectione corporum et beatis piarum animarum ſedibus doctrina: id quod recte oppoſuit MANGEIO ex adhibita a Philone *παλιγγενεσίας* voce contrarium concludenti B. MOSHEMIVS, qui, etſi in hac vocis a Clemente Alexandrino et Strabone adhibitae explicatione a nobis diſſentit, recte tamen ad beatas ſedes vitamque meliorem animarum eam quoque trahi poſſe, ſaluo emanationis ſyſtemate fatemur, quod in eo conſiſtere, ait Philo, vt *ſpiritus reuertens in ſe ipſum incipiat a medio et pertingat ad extrema, moxque a ſuperficie curſum reflectat, donec in eum locum deuenerit, a quo primum profectus*

q) p. m. 285.

r) Loquitur id tota Hla de gigantibus tractatio, quam plena luce intelligent, qui Orientale emanationis ſyſtema norunt. Conf liber, quod a Deo immittantur ſomnia.

Digitized by Google

fectus eſt. Ex dictis quoque intelligi alterum ſyſtematis emanatiui apud Philonem caput poteſt, de angelis malis, vltimis emanationum corticibus, qui humanae animae malum inducunt, et a quibus ſpiritibus materialibus debet liberari anima *εἰκόδε* felicis et diuinae conſors futura, quae late perſequitur in libro *de gigantibus* [1], quae omnia, tum cabbaliſtico, tum orientali ſyſtemati ſunt aptata, ingenioſe quidem, aſt adeo fanatica, vt manibus palpare liceat, Philonis ſyſtema a Iudaico veteri et Moſaico atque prophetico longiſſime diſtare: ex quo ad eos, a quibus ſe hanc ſapientiam in Iuuentute didiciſſe ait, Eſſenis iudicium poteſt ferri. Mirandum itaque non eſt, hoc Philoniani ſyſtematis a Iudaico diſſidium, quamuis id mirum viſum fuerit B. SCHOETTGENIO [2], qui Philonem et huius generis alios apocryphos in Aegypto in angulis latitantes, Semi Iudaeos tantum habendos eſſe pronuntiat. Et ſic mirum non videbitur, de Meſſia nec Eſſenos diuinum quicquam tradidiſſe, nec Philonis *λόγον* cum Ioanneo poſſe comparari.

pag. 812. not. q. *Ab eruditiſſimo BENZELIO.* Nouam et plenioren editionem accepimus a THOMA MANGEY, quae cIↃIↃCCXXXIV. prodiit. Legationis Philonianae ad Caium Caeſarem hiſtoriam ex recentioribus narrant TILLEMONTIVS [3], et *hiſtoria orbis uniuerſalis* [4], qui vitam quoque auctoris libris notiſſimis tetigerunt.

pag. 832. lin. 31. *Iam ad cabbaliſticam doctrinam pedem promouemus.* Iterum, quod quidem ſupra iam factum eſt, monemus Lectorem, vt cauto in hoc argumento pede, et ſuſpenſis velut digitis incedat, totus ad diuerſam famoliſſimae Cabbalae appellationis ſignificationem attentus. Qui enim ſine hypotheſeos praeiudicio huius ſcientiae origines ex hactenus traditis altius perquirit, videt tandem, praeter diuinae legis ſcriptam atque publicam doctrinam, iactauiſſe Iudaeos etiam arcanam, et traditiuam *μυσταγωγίαν* a Deo Moſi in monte concreditam, nec defuiſſe, quamdiu ſedibus ſuis publico cultu diuino vterentur, vates diuinos, qui tum foederis diuini a Moſe publicati, tum fatorum regni Meſſiae arcanorum rationes, vaticiniis pariter et explicationibus oralibus panderent, ſicque quandam doctrinam traditiuam ad poſteros propagarent; ſed abducto diuinorum iudiciorum acerbitate populo in captiuitatem, ne hic quoque vocem prophetarum docentem illis defuiſſe, quae arcanos et myſticos ſenſus tum legis ceremonialis, tum totius regni Meſſiani panderet; ſublato autem et obſignato prophetico dono, ex his ſanctorum virorum ſcriptis et commentariis atque pandectis vocem doctrinae publicam inter Iudaeos, variis quidem viciſſitudinibus iactatam ad poſteritatis memoriam traductam fuiſſe, et de hoc argumento ſacro ad Ioannis Baptiſtae et ipſius Saluatoris noſtri tempora veſtigia multa perueniſſe, et in actis Chri-

[1] p. 286. vid. Infra annotata p. 897.
[2] Dem. Ieſum eſſe verum Meſſiam c. III. §. 9. pag. 65 ſeqq.
[3] pag. 434 ſeqq. [4] T. XII. p. 631 ſeqq.

Chriſtianae eccleſiae naſcentis ſe prodere, in ſcriptis autem doctorum Iudaicorum, qui ante templi euerſionem vixere, complura reperiri, ex quibus inter ſe iunctis et ex allegorico orientalis methodi veio euoluris haud contemnendum traditionis exegeticae compendium poſſet excitari et ad corroborandam Ieſu Chriſti et eccleſiae eius doctrinam non leuibus momentis applicari: cuius egregium et eruditum ſpecimen B. CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS, ex laciniis ſcriptorum Iudaicorum multis affaniis et ineptiis plerumque refertorum collegit. Et hanc quidem arcanam explicationem myſteriorum Myrianorum Cabbalam exegeticam et ille nominauit, et traditionem doctrinalem vocauerunt ante eum alii. Verum et hoc hiſtoria nos docet Iudaica, mature ex eo tempore, quo vox vaticinii Θεόπνευστος deſiit, incepiſſe doctorum ingenia nugari, et ſeducta partim methodo myſtica, quam in Oriente admirari, vt fieri in arcanis ſolet, didicerant, partim faſtu gentis innato, partim cultus publici bellicis calamitatibus valde conculcati, reſtaurandi ſtudio coepiſſe nouos ritus introducere, et imprimis propriae ſanctitatis opinione turgentia ad quandam ſapientiam πατροπαραδότην declinare, quae Imprimis ab Hilleliana ſchola in immenſum poſtea aucta eſt tantaque indignatione vituperauit Ieſus Chriſtus, ipſa quoque Schammaeana ſchola reiecit. Quod imprimis factum, ex quo Phariſaeorum ſecta in hoc nugatorio campo vere inſaniuit, et legi ſcriptae has traditiones a patribus, et, quod mentiebantur, ab ipſo Moſe acceptas longe praetulit, ſenſu autem carnali et charactere proprio, felicitatem huius aeui ſectandi atque vrgendi, inſtigata doctrinam de Meſſia arcanam, quae in eorum cathedra ſonabat, his humani ingenii tricis accommodauit, ſicque nouum et carnale Cabbalae genus parturiuit, quod, vt erat puritati reuelationis et euangelii totum aduerſum, Chriſti, et diſcipulorum vituperia et maledictionem meruit: Sadducaeis atque Karaeis in ſola legis et Scripturae S. litera haerentibus, magnisque niſibus ſe iſti traditiuae ſapientiae opponentibus, quae tandem in publicas concertationes atque perſecutiones exierunt. In quibus valde a Sadducaeis et Karaeis preſſi Traditionarii, ſiue Cabbaliſtae rituales paſſim diſiecti, pars quaedam in Aegyptum ſecedere coacti ſunt. Id quod accidiſſe quoque Simoni Schetachidae, ſuis locis adductis ipſis Iudaeorum teſtimoniis probauimus; qui cum Cabbalae patriae ritualis gloria adeo excelleret, vt ea tota cum doctore ſuo patria electa et ad monſtra Libyca relegata crederetur; cumque in Aegypto quoque, quo ſeceſſerat, Cabbalam quandam arcanam, a Moſe ipſo deriuatam et miris allegoriis legi patriae, vt cothurno ſoccum adaptatam inueniret, ex Orientalibus dogmatibus et Graecanicis hypotheſibus cum Moſaicis vno ſub iugo venerabilis nominis ire coactam, et metaphyſicam quandam diuiniorem reuera Deiſmum introducentem et ſyſtema emanatiuum Aſiae et Aegypti incruſtantem; qualem ſe inter Eſſenos et Therapeutas ſupra deprehendimus: ipſe quoque ille Simeon B. Schetach huic ſe ſtudio applicuit, tandem-

Digitized by Google

tandemque pacatis in Palaeſtina rebus nouam ſapientiam Cabbalae Aegyptiacae Cabbalae rituali Phariſaeorum infarſit, et, vt cuncta auctoritate et Θεοπνευςίας opinione conſiſterent, quicquid vaticiniorum propheticorum de Meſſia ſuperabat, ad hoc βδέλυγμα ex ſcriptoribus Midraſchicis ad ſyſtema iſtud metaphyſicum referre cum ſequacibus allaborauit. Quod Cabbalae ſiue doctrinae arcanae monſtrum, nouum tandem ſplendorem, cum arcaniſſime cuſtodiretur, obtinuit, Seculo II. R. Simeone filio Iochai cum ſocis nouum eius doctrinae aedificium extruente, quale hodie foetus eius liber Sohar continet, quae omnia in ſequentibus exponuntur. Dici non poteſt, quam turpiter neglecta haec triplex Cabbalae ſignificatio viros doctos ſeduxerit, vt in varios errores inciderent, quos nobis ſequens exponet Cabbaliſticae ſapientiae apud Iudaeos hiſtoria. Acceſſere poſtea aliae nugae Cabbalae nomine inſignitae; literalis ſ. grammaticae, magicae ſ. practicae, nominalis et realis, aucto ſcilicet inſanientium Iudaeorum ſtudio, de quibus infra ex inſtituto eſt actum: haec praelibare eo lubentius voluimus, quod videbamus, ipſum Schoettgenium, in verborum ſcriptis exercitatiſſimum vehementer ad hunc lapidem offendiſſe.

pag. 842. lin. vlt. *Ex Philonis doctrina cum hoc libro collata facile poſſet oſtendi.* Dignum hoc argumentum eſt, quod, quia a nobis praeſenti in loco pro rei momento ſatis euidentibus rationibus demonſtrari ob tractationis noſtrae limites non poteſt, a viro quodam docto rite, et ex inſtituto excutiatur. Experientia enim et libri Soharici cum Philonianis comparatione nobis euidentiſſimum fuit, Soharicum ſyſtema, quod totum emanatiuum eſt, adeo ſimile eſſe Philoniano, vt ouum ouo ſimilius eſſe non poſſit. Certe ex vnius tantum tractatus Soharici lectione, aſt attenta et patiente lectorem palpaturum, quid antiquum ſit, quid recentior manus adiecerit, totque pannos huic purpurae, ſi placet, cabbaliſticae aſſutos eſſe, vt iudicio ex iterata lectione profecto opus ſit, eſſentialia ab acceſſoriis diſtinguere.

pag. 845. lin. 33. *Quam cum SS. Trinitate Chriſtianorum comparari.* In omnia alia de Simeone Iochaide abit SCHOETTGENIVS, qui in eam delatus eſt ſententiam, Simeonem cum initio inter Phariſaeos, magna opinione valeret, quippe traditionibus ἀγραφοις totus addictus, adeo, vt eius honorifica in Talmude fiat mentio, has ingenii humani nugas poſtea abieciſſe, et de ſapientia Hebraea ita ſtatuiſſe: totam ſcripturam agere de Meſſia, eiusque neceſſitatem magnopere eſſe inculcandam, cui totus theologiae cardo inhaereat. Ideo, eum, putat, ſacras pandectas traditionibus non ſolum longe praetuliſſe, ſed ex dictis quoque V. T. doctrinam Chriſtianam eleganter tradidiſſe, ſed obſcurius, quod ad eos attinet, qui nec ſyſtema eius, nec ſtilum norunt, nec attenti ſatis ad vtrumque ſunt. Cum enim fundamenta Chriſtianae diſciplinae tenuiſſet, ipſe elegantiae ſcribendi, more gentis, incurioſus, perſecutionibus Iudaeorum et gentilium ita depreſſum animo et fortuna fuiſſe, vt tredecim annos in exilio

viueret, neminem nactus, qui clariorem ei Christianae religionis lucem accenderet. Itaque coactum solo Veteri testamento vti, ex eius vaticiniis systema doctrinae cabbalisticum composuisse, sibi quidem et familiaribus satis perutum, aliis autem subobscurum et vix intelligibile. Iustum itaque esse, vt in tam veteri monumento, perspicuis et lucidis selectis, vtamur ad illustranda obscuriora. Et non penitus quidem Iudaeos pharisaeorum placita secutos systema Soharicum ignorasse, vt ex Talmude constat, sed contemsisse diu, ipsique Simeoni adeo fuisse molestos, vt de secessu cogitare cogeretur. Sicque librum Sohar per aliquot secula ignotum latuisse, donec sopitis sub cineribus igniculis litium inter sectatores Iochaidis et pharisaeos tandem emergeret, at tristiori fato cum apta ineptis et alienis iungeretur. Hactenus Schoettgenius, cuius coniecturae nec historia, nec systema cabbalistico-Soharicum fauet, quique non attendit, cabbalam doctrinalem atque exegeticam in eo in vnam massam cum metaphysica conlici, sana omnia putauit, quae re ipsa putidis Deismus sunt, vt infra sole meridiano clarius demonstratum. Cuius Christianismus ex solo V. T. enatus, siue potius Messianum systema Iesum Christum Θεάνθρωπον plane ignorat, nec capi potest, cur in tanta crescentis ecclesiae Christianae amplitudine, qualis Sec. II. efloruit, neminem Iochaides inuenerit, qui eum doctrinam Christianam docere potuisset, nec Christianam religionem, missis nugis, I. C. Θεάνθρωπον amplexus cum Iudaica et cabbalistica commutauerit, sed huius Messiam, reiecto Iesu Nazareno cum Essenis expectauerit? id de Simeone credidisse Iudaeos, non negat Schoettgenius. Verum haec adeo inania sunt et probabilitate carent, vt ne vltimo quidem fidei historiae gradui faciant satis, vnde in re tam manifesta plura non addimus, lectoremque tantum monemus, vt vaticinia prophetica, quibus ad incrustandam Cabbalam metaphysicam schola Iochaidis abusa est, ab huius systemate distinguat.

AD CAP. III. SECT. II.

DE PHILOSOPHIA IVDAEORVM ESOTERICA SIVE CABBALISTICA.

pag. 917. lin. 12.

Ipsa vox Kabbala diuersas significationes apud Iudaeos habet. Probe ad hoc attendendum, et ideo relegenda sunt, quae ad p. 832. annotauimus, vt ratio constet, cur, neglecta traditione, de Messia prophetica, quae, introducto ex Aegypto metaphysicae arcanae μιάσματι velut purpura praetexta est, solam hanc de diuinis philosophiam in hac lectione explicuerimus. Quae cum displiceret olim Schoettgenio, ostendimus ei luculenter,

Digitized by Google

lenter, nec negare nos vatum diuiniorum explicationes, et credere veteris ecclesiae Iudaicae doctrinam orthodoxam de Messia ex illis laciniis, quamuis misere, vt solent syncretistae, habitis, erui posse; ast, nisi fallimur, manifestis indictis constare, ex Aegypto aliud systema fanaticum in Palaestinam a Schetachide et similibus adductum, istam, quam tantopere iactat cabbalam doctrinalem Iudaicae ecclesiae, corrupuisse. Id quod oculos quidem aperuit viro optimo, vt in commentario, *de* IESV CHRISTO *seu Messia vero ex orthodoxa theologia Iudaica demonstrato* [a], quem post haec nostra edidit, fateretur, in libris apocryphis atque Philonis, nec nomen Messiae inueniri, nec alia vestigia illius doctrinae, quam de eo Palaestina siue Iudaica ecclesia tradebat, et habendos ideo esse pro Semi-Iudaeis potius, quam veris Iudaeis, qui in quodam Aegypti angulo latuerint, vel viciniam occupauerint, et exiguam sectam prodiderint. Vbi recte vidit vir doctus atque pius, propheticum traditionis pharum his Iudaeis Aegyptiacis non luxisse, id est, ita de Messia non locutos esse, vt in Palaestinae scholis solebat olim fieri, adeoque aliam esse Cabbalam metaphysicam, quae inter Essenos, Therapeutas similesque homines Aegyptiacos arcana habebatur; falsus autem est in eo, quod putaret, traditionem propheticam eos ignorasse, quod videbat, longe aliam illis de filio Dei opinionem insidere, quam habebant vates sanctissimi, vt ipse candide est fassus. Qui si cogitasset, quod Philo ipse fatetur, non Mosis tantum, sed veterum quoque prophetarum libros hos Iudaeos legisse et sacrosanctos habuisse, ea autem, quae de Messiae persona in vatum libris scripta sunt, tantum de excellenti quodam doctore venturo, siue de propheta quodam intellexisse, (id quod diserte testatur Philastrius, sacra historia non contradicente [b],) sponte concluisset, reliquam doctrinam, de filio siue verbo Dei eiusque diuinis operibus, quod alterum theologiae propheticae caput est, istos Iudaeos Aegyptiacos ad systema illud fanaticum et mysticum extruendum et ornandum adhibuisse, adeoque longe sublimiorem se de hoc Dei filio, vel verbo philosophiam possidere, sibi persuasisse, quam Palaestinae incolas. Quod eo magis fieri poterat, cum methodus allegorica inepte satis a Palaestinis doctoribus adhibita eos incitaret tales explicationes admittere, quae in Aegypto habebantur pro *φιλοσοφιχωτέροις*, quasque infelix systematis emanatiui lolium tanquam arcanos veteris ecclesiae Iudaicae sensus commendabat. Haecce Palaestinae tandem illata, cum a *τρόπῳ παιδείας* hactenus adhibito deuiarent, adeo clanculum et latenter habita, et allegoriis obscurata sunt, vt mirum non sit, sectatores huius doctrinae arcanae reliquis doctoribus Iudaicis factos esse suspectissimos, quod de iis, qui Iesum Christum Messiam esse publica sponsione erant professi, dici non potest, qui non suspecti tantum erant, sed excommunicati, et ex Iudaeorum ecclesia secesserant. Qua obseruatione cadit per somnium excogitatus Christianismus

a) pag. 63.

b) Io. I, 21. Matth. XXII, 16.

niſmus Iochaidis, euincitur autem, cabbalam illam μυστικωτέραν, quam exhibet liber Sohar, non veteris Iudaicae, ſed Aegyptiacae theologiam explicare, indeque clauem totius obſcuriſſimi libri repetendam eſſe [c].

pag. 950. lin. 35. *Cuncta ex Deo emanarunt.* Omnino hic legendam commendamus ἀκριβεστάτην BVRNETII diſſertationem *de cabbala Iudaica* [d], quae defecatos ſenſus de hoc argumento dabit, quamuis nimius in eo nobis videatur, quod affirmet, doctrinam creationis ex nihilo nouum eſſe dogma Chriſtianae religionis: quod perperam dici, conſentient omnes, qui cogitabunt, homines protoplaſtos ſine erroris labe ad Dei imaginem creatos, non potuiſſe non ex idea exiſtentiae Dei neceſſaria et aeterna concludere, Deum vniuerſum creaſſe ex nihilo: et huius demum veritatis obliuionem et Deiſmum inde introductum generaſſe diſperſionem humani generis neglecta protoplaſtorum traditione, de qua tamen re alibi dicendum.

pag. 974. lin. 30. *Initia eius in Sec. III. reiicere.* Longe antiquiores et ſaniores putat has crepundias SCHOETTGENIVS [e], et eſſe non contemnendum argumentum, quo pacto doctrinam de Meſſia vbique veteres Iudaei quaeſiuerint. Non diſputabimus hoc loco de ſcopo harum ἐξηγήσεων, monemus autem lectorem, vt ſibi caueat, ne quaeſtionem pro ratione demonſtrante medioque termino habeat, quod prae nimia Cabbalae exiſtimatione Schoettgenio accidit, ſed rationes eius cum noſtris componat. De quibus adeo ſecuri ſumus, vt lubenter arbitrium lectori relinquamus. Nolumus enim inter grauia leuibus eum detinere luſibus, quos ipſe vir doctiſſimus in ſequentibus ex merito exagitauit, et nugatores fuiſſe Iudaeos plerosque imaginationis ſuae ludibriis deceptos et decipientes, eſt faſſus, aſt, cum ſemel pro claue cabbaliſtica adhibuiſſet hypotheſin: Iochaidem fuiſſe Chriſtianum veterisque orthodoxiae Iudaicae vatem, ea, quae ſaniora apud vates diuinos inuenit, huic cothurno adaptauit, et nobis Cabbalam quandam Chriſtianam propinauit, quam ex libro Sohar ſolam hauriendam eſſe monens, ἀσύστατα, inepta, nihil ſani ſignificantia ad ſequentium temporum futilitates et ſomnia retulit [f]. Quo iure, qua ratiocinandi ἀκριβείᾳ, ex comparatione eorum, quae, tum in noſtro opere, tum in hoc ſpicilegio diſputata ſunt, Iudex aequus facile ipſe ſtatuet.

pag. 1004. lin. 11. *Licet cum numerorum generatione et progreſſione comparari eorumque ſymbolis et imagine adumbrari queant.* Retinet explicationem hanc vocis Sephiroth B. SCHOETTGENIVS [g], ſed ita, vt moneat, ספר, praeter numerandi ſignificationem, etiam inſignire: proprietates, attributa et perfectiones recenſere, indeque concludit, ſephiras nihil eſſe aliud,

c) Comparanda ſunt, quae Tom. II. p. 990. diximus, quae cum orthodoxia prophetica conciliare, impoſſibile putamus.
d) Arch. c. 7. p. 362.
e) l. c. c. 4. §. 19 ſeqq. p. 83 ſeqq.
f) §. 31. p. 86.
g) §. 84. p. 84.

Digitized by Google

aliud, quam indicem diuinorum attributorum et imperfectionum. Quod facile concederemus, nisi principium emanatiuum, praeter attributorum nomina, nobis principia quoque emanatiua sub isto nomine traderet. Nam ad quae prouocat loca V. et N. T. vbi sephirarum mentionem fieri dicit, 1 Cor. IX, 11. Apoc. V, 12. 13. VII, 12. id illo quidem sensu biblico, qui attributa Dei nominat, (ast non ordine denario,) verum est, sensu vero cabbalistico et Soharico, id est, emanatiuo falsum, quo sunt fontes luminis diuini finitate a fonte fontium diuersi, licet in eo radicentur. Legat lector, qui patientia satis instructus est ad intrandum in has occultas latebras, quae in *Idra Rabba*, libro Soharico siue *Synodo magna* [a] afferuntur, et suis oculis verum sine praeiudicio iudicet, annon emanationis ordine et idea Microprosopon siue Messias designetur, et sic reliqui etiam spiritus, qui procedunt e cerebro occulto Senioris seniorum in foramen nasi, intelligi debeant: attributa enim diuina non emanant, sed inhabitant diuinitatem, et operationes tantum ostendunt, hae autem cum ratione subiectorum in quae agunt, et effectuum, quos producunt, limitentur, ipsa attributa diuina dici non possunt: nisi omnem terminorum sanorum sensum eiuraueris.

Subtilius autem multo et non sine labore atque sudore in explicandis his mysteriis et ad orthodoxos sensus reuocandis multam eruditionem, ingeniique foecunditatem adhibuit vir summe reuerendus FRIDERICVS CHRISTOPHORVS OETTINGERVS, tunc ephorus dioeceseos Herrenbergensis, hodie autem abbas coenobii Murbacensis, cuius singulare ingenium in explicandis doctrinarum difficiliorum aenigmatibus, eruditis obseruationibus nominis celebritatem illi conciliauit, sed et contradictionum grauium fons extitit. Occasionem is nactus est de hoc argumento sententiam suam explicandi per epistolam viri doctissimi IACOBI FRIDERICI KLEMMII, qua vberiorem ab eo explicationem petit *tabulae* cuiusdam *symbolicae* [b], a pientissima principe Antonia, Wirtembergica, quae singulari studio Cabbalistica aenigmata ad orthodoxorum sensuum mentem recluſa deperibat, in templo Deinacensi, loco fontium salutarium foecunditate celeberrimo suspensae, in qua sapientia maxime Sephirothica Ebraeorum ad mentem systematis Soharici, purioribus sensibus et veteris nouique foederis indiciis explicati, vel, si dicendum, quod res est, reformati potius et emendati admodum ingeniose depingitur. Postulabat vir ille doctus a cel. Auctore non explicationem tantum perspicuam systematis Sephirothici, et quidem talem, in qua omnia theologiae veteris Iudaicae capita ex his fontibus deducerentur, sed iudicium quoque theologicum de orthodoxia eius, et annon adsperſa sint placita Platonica, tum eius quoque sententiam cupiebat, quomodo illa mysteria

a) Sect. X. T. II. Cabb. denud. p. 409 seq.
b) Monumentum publicum tabulae symbolicae Antoniae principis Wirtembergicae, de decem Sephiris ad fontes Deinacenses suspensae, qua philosophia Ebraeorum ad normam N. T. explicatur, cum tab. aenea. Tub. 1763. 8. lingua Germ.

ria sephirothica cum doctrina Pauli apostoli in epistolis ad Ephesios et Colossenses possint comparari. Fuse ad haec respondit Vir eruditissimus, eo quod cabbalistice de summis mysteriis Θεοπρεπῶς καὶ Θεοσεμνῶς tractari in hac tabula statuebat. Non patitur hic locus noster atque institutum, vt explicationes et differendi copiam, quam vir venerandus inde arripuit, ad cabbalistice de mysteriis Trinitatis et Messiae Θεανθρόπου tractandum hic prolixe pandamus. Longiora pro nostro instituto sunt, et merentur tota in sua connexione, quae ad illustrandum argumentum integro libro attulit, legi et cum patientia expendi atque sine praeiudicio examinari; praecipue cum ex foecundo ingenii mire scaturientis fonte plusculas digressiones admiscuerit, nouasque de recentissimis philosophorum systematibus, ne eo quidem excepto, quod Sans-Soucianum appellat, observationes, quae pleraeque henoticae sunt, et innumera noua, insolita a communi philosophandi via recedentia continent, intertexuerit, quae tractationem ex indole sua obscurissimam magis tenebris cumulant, quam noua luce illustrant. Nobis pro praesentis loci scopo pauca tantum tangenda in lectoris, vernaculam nostram, in qua scriptus liber est, non callentis gratiam, ne huic, quod tractamus, argumento, aliquid, quod momentum habere videtur, subtraxisse videamur. Nempe ita statuit auctor, trinitatem in hoc emblemate cabbalistico exprimi, secundum tres hypostases Dei, eius, qui est, qui erat et qui venturus est; sequi hos septem spiritus Dei, qui cum ex vno fonte exeant in horto inferiori in Christo infra concentrentur, eo quod sit, huius Paradisi centrum. Itaque distinguendas esse tres Sephiras superiores a septem inferioribus, quorum tamen omnium centrum sit Christus. Sensit ven. Auctor, haec tum cum simplicitate verbi Dei, tum cum rerum conceptibus primitiuis, quibus intellectus noster iudicat, videri pugnare, et innumeris obiectionibus esse exposita: sed putat, cum (quod suppositit magis, quam probauit,) Scripturae S. sint conformia, se non teneri ad soluendas obiectiones: quod, an homini formali rationis vsu non carenti conforme sit, et, num inde sequatur, quod vrget, abliciendo criterii veritatis vsum in id curam intendendam esse, vt regeneratio fiat ex aqua et spiritu, lectori iudicandum relinquimus, et theologis expendendum, num πλήρωμα Deitatis, quod ille contendit, decem emanationes ex Deo inuoluat, et Christo ideo tribuantur, non vna, sed decem progressiones מוצאות Mich. V. vt intelligatur, *emanationes* (de hoc enim progressionis genere sermo est,) esse in I. C. Spiritum I. C. qui per varias virtutes diuisus, per complexiones naturales earumque characterem diuersum communicatus, naturam fidelium exaltet, quae vellemus non excidisse viro venerabili, cuius ἄδηλον est; eo connitendum esse, vt ad πλήρωμα diuinitatis simplificemur (haec eius vox est). Quae omnia cum nec simplicitati Scripturae S. nec connatis notionibus conueniant, ille vult, vt non disputemus de hac veritate, sed ea ex ingenio suo supposita fruamur, quare frustraneum

Digitized by Google

neum erit, de hoc toto argumento toties inter se vagis et indeterminatis verbis pugnante et somniante aliquid, quod sanum secundum cognoscendi principia sit, reponere. Miramur autem, virum venerabilem et ingeniosum, dum recte contendit, esse Sephiroth typum communicationis infinitae profunditatis diuinae, ad id fuisse delatum, vt cabbalistas secutus, primam sephiram putet innuere communicationem Dei SS. creaturis factam, in expansione puncti centralis et intimi ad peripheriam, vt se ipsum concentratum DEVM ostendat, secundam statuat, Deum esse se ipsum intuentem, tertiam distinctiuam idearum originalium et ὑπερκοσμίων in se ipso, ita vt in heptade sephirarum sequentium, vocibus, si dicendum, quod res est, nihili, certe nihil definiti significantibus, de extensione et intensione, in harmoniae pulchritudinem commensuratam, de victoria virium consumentium a conseruantibus impetrata, de quiete Dei actu purissimo, vbi est actio aeterna in quiete agatur: ad quam accedit octaua sephira, gloriae propius accedens, itemque nona, in qua omnia sensoria, viresque reflexiuae, animae perpetuitas et quae aeternum duratura sunt, radicantur, sicque decima sephira Malckut diuinitatem ex actu purissimo endelechico, perpetua actione ad quietem tendentem innuat, vnde oriatur sabbathismus, Adonai, vti deitas in nouum statum hominibus et angelis hactenus non reuelatum transeat. Et hoc quidem pacto mysterium Sephirothicum consummari ille statuit. Cum vero Cabbalistae Sephirarum superiorum triada ab heptade inferiorum distinguant; superiorem triada dicit esse tres substantiales operationes; septem autem spiritus istos coram throno Deo velut lampadas stantes, successiuum in simultaneo subinnuere[1]. Dicet lector, nos spectra adducere et ἀσύμφωνα, cabbalisticis ipsis obscuriora, et, quod multi iudicabunt, contradictionum plena enarrare, quae in simplicissima diuinae essentiae et actionum comprehensione locum inuenire non queant, nisi Deismi alicuius admisso systemate: sed non habemus, quod reponamus, nisi quod ex Ven. auctoris responsione ad quaestionem, num haec sephirothica doctrina Scr. S. respondet, ei regeramus, et ad Zach. IV, 10. eum amandemus. Videat ille, num Spiritus S. haec aenigmata ibi definiat, innuatque, trinitatem maxime intellectualem habere heptada gloriae in certa mensura virium, licet gloria ipse sit immensurabilis. Vidit auctor haec contradictoriis conceptibus laborare, sed iubet is intellectum, rationemue (formalem, qua iudicamus) talpae instar coecae ad fidei (nempe suae) formam accommodare, licet eclipses in ratione maneant. Haec vidisse ex parte Platonem iactat, de quo sibi rabbinum quendam rationibus chronologicis confirmasse ait, quod pauca quaedam a sophis Babylonicis, Ieremia et Ezechiele acceperit. Ex hoc fonte didicisse, ait, Aristotelem, quod sit anima endelechia, virtusque progressiua ab vna sephira ad alteram:

1) Habes, Lector specimen peritiae in historia philosophica, auctoris, cuius propiora exempla optamus, et rabbinum quendam expectamus, qui nobis tantas nebulas dispellat.

ram: haec enim habuiſſe ex traditione: animam enim eſſe Dei imaginem, Deum autem actum puriſſimum in perpetuo effluxu ſiue emanatione ex ſe ipſo ab vna ſephira ad alteram endelechicę conſtitutum, ensque manifeſtatiuum ſui, et repraeſentatiuum aeternum mundorum, ſed et ſui ipſius, decem emanationum, in domicilio ſeptem ſpirituum gloriae DEI. Hincque vocari ἀπαύγασμα Ebr. I, 3. quod tendat in quietem, donec in Chriſto, et per hunc in corpore manifeſtatus, et per eum omnia in omnibus conſtitutus fuerit. Habes hic Lector explicationem digniſſimi, quod ille ait, ſyſtematis Hebraici, quod tantopere Ven. auctor commendat: quodque poſtea innumeris ingenii prurientis et luxuriantis foecunditatibus ornat. Quae, ſi vnum πρῶτον teneas, haec ſine emanationis conceptu plane ne cogitari quidem poſſe, eum autem in diuinam ſimplicitatem ſacrorumque oraculorum veritatem et ſapientiam eſſe iniurium, vt tot alia loca ſunt, quae in libro cetera erudito, ſed παραδόξῳ occurrunt, quaeque vt candide ſententiam noſtram fateamur, concoquere non potuimus, omnes has Siculas, vel Chaldaicas potius gerras cum nauſea abiiciet, quod aliis quoque nobis doctioribus eueniſſe, publica iudicia [k] demonſtrauerunt. Ceterum ex collectione amici cuiusdam exhibentur [l] quoque loca Soharica, quibus integrum theologiae orthodoxae compendium contineri dicitur. Optamus, vt vir quidam doctus et acutus, et non φαντασίᾳ ſed νῷ ad hoc opus inſtructus, locorum horum periphraſes cum ipſo libro αὐτογράφῳ conferat, certi, palpaturos omnes eſſe, accommodata tantum eſſe loca Soharica ad ea ſignificanda, quibus ſyncretiſtae inter lucem et tenebras paciſci cupiunt, cuius exemplum imprimis p. 69. memorabile habes, quo prodidit, tandem omnia ad emanatiuum aliquem Deiſmum tendere. Verum tempus eſt, et his modum ponendi, et relinquendi lectoris ipſius iudicio: qui cum alio loco [m] pluribus commentantem de hac re auctorem inueniat, ipſe, ſi attentus eſt, iudicium formare poterit. Verum (ne hoc quidem, aequitatis rationem habituri taceamus,) ex his ſomniis et delirlis cabbaliſticis euigilat tandem auctor ven. et modeſtiores longe et ſaniores ſe vſus cabbaliſticis explicationibus tribuit, oſtenditque acute et eleganter, quae ἀσύσατα, et ſanis de Deo verbis non conſonantia in ſyſtemate cabbaliſtico contineantur: qui pie et recte monet, melius eſſe, ſi accurate ſequamur conceptus et verba ſymboli apoſtolici, ipſiusque ſcripturae ſacrae. Reliqua, quae de idealiſmo, et ſimilibus in ſequentibus fuſe afferuntur, quibus rationis principiis fanaticiſmo oppoſito bellum videtur intendi, cum ad hunc locum noſtrum non pertineant, omittimus, candide faſſi, nos non omnia ſatis Intelligere, e. c. inter ſimplex et compoſitum dari conceptum medium et ſimilia, quae Boehmianos, Mallebranchianos reliquorumque conceptus tangunt, et defendunt, de quibus non facile errauerit, qui iudica-

k) Vid. nou. lit. Lipſ. 1765. n. 29. p. 231. l) pag. 52. m) c. 8. p. 127.

Digitized by Google

iudicabit: eum, qui non vult intelligi, non velle legi. O quam ple vir venerandus Deo gratias agit [v], quod in N. T. non sanos tantum sensus, sed et verba nobis propinauerit, de mysteriis Dei Christique rotunde et praecise loquendi. Hoc enim consilium secuti et mitiora omnia de hac explicatione Cabbalistica sperantes, in obscuris his dumetis, in quibus hos homines Christum incarnatum non cognouisse, candide fatetur, amplius moram non nectimus, et has difficillimas nugas Schwenckfeldianis, Zinzendorfianis similisque farinae hominibus tanquam cassas nuces relinquimus.

pag. 1009. lin. 8. *Euerterent adorandum mysterium.* Vidit id acute rectcque monuit ven. OETTINGERVS: non tantum satis improuide, et crasse loqui Cabbalistas, qui Deo contractionem luminis sui, (Zinzum vocant) tribuunt, vt posset creare mundum; adeoque tantum id intelligendum esse, quod Deus non ex necessitate infinitae essentiae suae, sed ex libera voluntate certis limitibus libere circumscripta res creauerit: sed et hanc limitationem adieciſſe Adam Kadmon, principiato primo, hocque reuera respectu Ensoph poni finitum: quod quamuis explicari similiter ita possit, vt dicatur, Zimzum siue limitationem finitam indicare, quod Adam Kadmon in rebus producendis non ex necessitate naturae, sed consilio voluntatis egerit: inepte tamen et perperam dici, quia, si Adam Kadmon verbum est, quod apud Deum fuit, necessario inde sequatur, esse infinitum cum Deo et apud Deum, et quicunque Adam Kadmon finitum dicant, origini Arianismi frigidam suffundere. Quae cum recte Schwenckfeldianorum gentis opponat, totam quoque orthodoxiam cabbalistici systematis hactenus defensi simul euertunt, et trinitatem cabbalisticam cum primigenito Dei perfundant. Id quod in systemate emanatiuo aliter fieri non potest, vbi fons emanans infinitus ab emanatiuo finito sola limitatione distinguitur. An vero haec omnia materialismo contra idealismum faueant, quod contendit auctor, iudicent lectores, qui purgatos sensus habent, nostrum non est de illis hoc loco amplius dispicere

Quibus non licet esse tam disertis
Qui Musas colimus seueriores.

pag. 1037. not. l. col. 2. *Refutat et emendat Apostolus.* Rogamus lectorem, vt ad hoc caput recte intelligendum ea relegat, quae in *obseruationibus exegetico-criticis bibliorum Anglicanorum*, nota *368. et seqq.* [o] fuse et, nisi toti fallimur, luculenter differuimus. Certissimi enim sumus, ex comparatione loci Paulini cum hac Iudaeorum philosophia mystica et arcana palpaturum Lectorem, quod ex his fontibus illa placita dimanauerint.

v) pag. 126.
o) pag. 175 seqq. Ita vero satisfactum putamus desideriis Ven. auctoris bibl. theol. Vol. V. pag. 6 seqq.

Digitized by Google

rint. Quae cum ſole meridiano clarius totum ſyſtemate Zoroaſtreo-orientale exprimant, et nos ſupra, antiquitatem iſtius philoſophiae euicerimus, non habemus, quod in tanta rei luce addamus, quodque non lectorem, non plane contradictionis ſpiritu turgidum poſſit conuincere.

pag. 1053. lin. 7. a fin. *Enumeratos tacemus.* Illis hoc loco adiiciendos eſſe B. SCHOETTGENIVM et ven. OETTINGERVM, ex iis, quae hactenus de iis narrauimus, iam lectori conſtare poteſt, dignique ſunt, qui audiantur, aſt, vt ceteri quoque prius recte et definite conſt tuto ſtatu quaeſtionis ſine praeiudicio examinentur, vt intelligatur, quid in hac ſententia verum ſit, quid falſum, quid probabile, quid legibus interpretationis et fidei hiſtoriae faciat ſatis, vel, quid auctoris tantum tribuendum ſit ingenio et hypotheſi? Ita enim recte demum ſtatuetur in ambigua diſceptatione iudicium, et euitabuntur delirantis ingenii ſomnia.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIAE CRITICAE
PHILOSOPHIAE
ACCESSIONES ET SVPPLEMENTA
AD
TOMVM TERTIVM.

Digitized by Google

AD TOM. III. LIB. III. CAP. I.

DE ORIGINE ET PROGRESSV PHILOSOPHIAE INTER SARACENOS SIVE ARABES.

pag. 4. ad fin. not a.

E BEAVSOBRE Hiſt. Manich. T. I. L. I. c. 2. p. 24. Nomina Arabum varia apud veteres occurrunt; et Sabaeorum appellationem ſupra ad T. I. conſideravimus, quae h. l. repetenda ſunt. Hagarenorum nomen, ſive populi Hagher ab vrbe primaria in Bahrein, prouincia Arabiae, vel a locis lapidoſis tanquam petraea incolentibus, quod viſum PROCOPIO [a], et BOCHARTO [b], deriuandum eſſe, priſtina Arabum ſedes ſuadet. Saracenorum autem appellationem orientalem ſignificare, et Africanis, Mogrebinis, i. e. occidentalibus opponi, recte obſeruatum POCOCKIO [c], et ante eum I. HENR. HOTINGGERO in *archaeologia orientali* [d], quem tamen miramur, deriuationem Saracenici nominis maluiſſe a latrociniis deſumere, quanquam is ad Abulfedam prouocat, et praeiuit eidem BOCHARTVS. Qui tamen obſeruat, Saracenos ſe ipſos nunquam hoc nomine appellare, ſed a vicinis populis per contemtum ita vocitari, quod tamen veriſimile nobis non videtur, cum commune fuiſſe gentis nomen et Madianitas iam ſuo tempore habitos eſſe, qui nunc Saraceni vocentur, AVGVSTINVS [e] obſeruauerit. De ipſa regione conſulendus eſt, qui multa docte cumulauit CHRIST. CELLARIVS [f], qui poſt HARDVINVM obſeruat, PLINIVM [g] iam ſuo tempore eos in Arabia felice poſuiſſe, ſecus

a) Perſic. L. I.
b) Geogr. S. L. IV. c. 2. p. 241.
c) Specim. hiſt. Arab. p. 34.
d) cap. 1. p. 4.
e) In Numer. p. 20.
f) In geograph. antiq. P. II. L. 3. c. 14. p. 707.
g) L. VI. c. 25. et HARDVIN. ad h. l.

Digitized by Google

ac vulgo creditur, ſerius nomen iſtud Arabum nationi obtigiſſe, ſi quid coniecturae locus eſt, ex Plinii allegatione coniici poteſt, Saracenorum nomen prius certae tantum nationis Arabicae fuiſſe, poſtea vero latius ſumtum toti genti haeſiſſe, cum etiam Petraeae loca obſedinet.

pag. 5. not. c. lin. vlt. *Solos annos Hegirae nominabimus.* Conſulenda hic doctiſſimi PETAVII [g] induſtria, qui cum plerisque Hegirae epocham in A. C. DCXXII. Iulii XVI. feria 6. collocat. Magno autem lectorum commodo annos Hegirae a condita epocha ad ſua tempora cum annis aerae Chriſtianae comparauit ED. POCOCKIVS ſubiunxitque eorum indicem Abulpharaii *dynaſtiis* a ſe editis, qui, vbi libri rarioris copia datur, conſuli poteſt. Occaſionem et hiſtoriam introductae Heirae ſiue Hegirae, quae ſub Caliphae Omari imperio demum coepit, et difficultates huius computationis luculenter delineant *auctores hiſtoriae vniuerſalis Britanni* [h], qui videndi.

pag. 6. not. m. lin. vlt. Conſulendae de hoc ſpecimine eiusque raritate obſeruationes *relat. bibl. Halenſis* [i], itemque CLEMENTIS *bibl. ſcript. rar* [k].

pag. 7. lin. 3. *Ex quibus plurima ad philoſophiae Saracenicae hiſtoriam hauriri poſſunt.* Cum non doctus tantum, ſed rerum quoque gentis ſuae peritiſſimus Abulpharaius fuerit, ipſe quoque a philoſophiae ſtudio non alienus, diligenter in gentis ſuae hiſtoria ad philoſophiam quoque attendit, et cum illi eius gloriam vindicare vellet, magna induſtria philoſophos indicauit, qui inter Arabes hoc nomine inclaruerunt. Qui cum domeſticus et fide dignus auctor atque narrator ſit, non incommodum hic et a ſcopo alienum putamus fore lectori, ſi eos philoſophos, notatis eius hiſtoriae locis indicauerimus, quorum nobis memoriam inter Saracenos conſeruauit: et ex quorum numero celebriores et eminentiores in ſequenti narratione exponemus: Commendat autem Abulpharaii diligentia ex Sec. IX. praeter Ioannem Ebn Batrik Honainum Ebn Iſaac medicum et philoſophum Chriſtianum p. 263. itemque filium eius Iſaac Ebn Honain et nepotem eius ex ſorore Hobaish, tum Iacobum Alkendi, medicum et mathematicum celeberrimum, p. 273. Koſtam Ebn Luca p. 274. ex Sec. X. Thabet Ebn Korra; Ahmed Ebn Muhamed Ebn Merwan Ebn Tiyeb Sarachenſem, p. 282. Muhamed Ebn Zacharia Alrazi p. 291. Matthaeum filium Yuneſi, Chriſtianum p. 304. Muhammed Ebn Muhamed Ebn Tarcham Abu Naſi Alpharabi, eiusque praeceptorem Ebn Iaballad Almoſtaufi, p. 316. Afrihi Ebn Adda Hamid Ebn Zacharia, logicorum principem p. 317. Abu Soliman, p. 327. Ex Sec. XI. Abu Ali Iſa Ebn Zaraa Chriſtianum, p. 338. Abul Rihen Muhamed Ebn Ahmed

g) Doctr. tempor. L. II. c. 50. L. IX. c. 22. L. XI. c. 50.

h) T. XIX. L. I. c. 2. ſ. 2. §. 73. p. 90 ſeq. difficultatem pariunt anni Arabum lunares, eorumque reductio ad ſolares, quare commodiſſime iſta tabula Pocockiana adhibere lector, et ſupersedere ingrato reductionis labore poteſt.

i) T. V. p. 291.

k) T. I. p. 20.

Digitized by Google

Ahmed Albinasi, p. 348. Abu Alhosaim Abdalla Ebn Sina, quem Auicennam vocant p. 349. Abu Sahlum Almasiehi p. 349. Abulpharai Abdalla Ebnol Tiyeb Erakensem, p. 355. Yahya Ebn Isa Ebn Zazla, p. 365. Abu Hamed Muhamed Ebn Ahmed Algazeli Tusensem. Ex Sec. XII. Abul Chair Iudaeum Aegyptium, p. 375. Hebdolla Ebn Malca Abulbaracat, Iudaeum, p. 394. Samuel Ebn Iuda Mogrebinum Andalosenum, medicum Iudaeum, et filium p. 408. Ex Sec. XIII. Adossalam medicum et philosophum ob sapientiae studium in carcerem coniectum, p. 451. Yahya Ebn Said Ebn Mari, medicum Christianum, Maimonidem p. 454. eius praeceptorem Ebn Thophail αὐτοδιδάκτου autorem, Auerroëm Eben Rast siue Ibnu Rasdin; Yuseph Ebn Yahya Ebn Sabtensem Mogrebinum, p. 461. Hasun medicum Kohensem Locrensi philosophiae deditum p. 482. Eminuere quoque iuxta Abulpharaium Sec. XIII. medio sectatores et discipuli Alemami Phacrodin Razis, v. g. Zainoddin Cassiensis, Rotboddin Aegyptius, Aphdallodin Chowangiensis, Shemsoddin Chosrawshensis Athirroddin Alabharensis, Taioddin Ormiensis, et Seraioddin Ormiensis, p. 485. Memorat etiam historicus Noiomoddin Nachiawensem, p. 521. Ezzodinum coecum, philosophum celeberrimum, p. 526. Sec. XIV. Choiab Nasirrodin Tusensem, Platonis quoque studiosum et Noiomoddinum Kazwiensem logicum praestantissimum p. 548. Vnde patet, florentissimam segetem philosophorum ex principum suorum indulgentia Saracenis succreuisse, fuisseque inter hos magnos viros, quibus singularis laudis tabulas Abulpharaius suspenderat. His si addas purpuram Saracenicam, magno splendore in circulis philosophorum splendentem, facile ex vno Abulpharaio constabit, fugientem a Christianis philosophiam Saracenos apertis amplexibus excepisse, quorum pleniorem scenam danda porro philosophiae Saracenicae historia pandet [1].

Ibid. lin. 26. *In historia ecclesiastica attulit.* Iungenda eius *archaeologia Orientalis*, exhibens I. compendium theatri Orientalis, de Arabum, Persarum, Turcarum, Tartarorum, Indorum, Mauritanorum, Muhammedanorum potissimum statu politico, ecclesiastico, oeconomico. II. topographiam ecclesiasticam orientalem s. ecclesiae orientalis anatomen. In quo breui libro, sed bonae frugis pleno, concise more suo, sed abunde, non res tantum Arabum, reliquarumque gentium orientalium summatim tetigit, sed fontes quoque, vnde plura hauriri queant, aperuit, dignus, qui in hac historiae philosophicae parte consulatur, et cum historia eius orientali comparetur. Habes enim ibi lineas theologiae Muhammedicae ordine locorum communium digestae, et tam ex scholasticis, quam exegeticis Muselmannorum scriptoribus, indicata subinde doctorum inter se pugna, collectae et ex nostrorum suffragiis illustratae. III. politiae tam ante, quam post Muhamedem inter Saracenos, maxime, quae

1) Heidelberg. 1662. 8.

quae ab introducto Islamismo obtinuit, apud Arabes primum, postea etiam Turcas et Persas. IV. Academiae, siue succinctam de studiis et academiis Arabum enarrationem. V. Militiae, quae et vires et successum et modum militandi, clades etiam tam Arabici, quam Turcici imperii explicat. VI. Oeconomiae denique, vbi in rationem viuendi priuatam inquiritur. Ex quo compendio historiae Saracenicae non summa tantum rerum gestarum, sed fontes quoque a diligenti lectore, quem concisa breuitas non offendit, possunt feliciter hauriri.

Ibid. lin. 30. *Copiose egit.* Ad intelligendum celebris huius operis vtilitatem in historia Arabum literaria et philosophica legenda diss. V. C. ADAMI EBERTI *de eruditione Arabum et Turcarum et de versione Latina bibliothecae orientalis Herbelotianae* [l], qui, qua ratione theologiae, iurisprudentiae, medicinae, philosophiae, historiae ciuilis, matheseos, philologiae, et totius literaturae Arabicae notitia ex hoc opere Herbelotiano augeri queat, ostendere annisus est. Versio illa Latina mss. bibliothecae regiae Berolinensi illata dicitur [m]. Qualis autem in hoc literaturae genere Herbelotius fuerit, rerum orientis gnaros non latet, consulendique eius biographi Ephemerides Parisinae [n], PERRALTIVS [o], ANCILLONIVS [p], NICERONIVS [q], et ipse libri titulus exponit, quas orientalis literaturae diuitias opus istud spondeat.

pag. 8. lin. 12. *de fatis studiorum apud Arabes disseruit.* His addenda tertia dissertatio academica, quam praeside Cel. Io. ANDR. MICH. NAGELIO lingg. Orient. in acad. Altdorf. P. P. *de studio philosophiae Graecae inter Arabes*, commilitonum ventilationi submisit CHRIST. CAROLVS FABRICIVS [r]. In qua potissimum laudandum, quod ex ipsis fontibus Arabum bibere, quam exscribere et corradere alios maluit. Ampliori tamen tractatione argumentum dignum erat.

Ibid. lin. 16. *Enarrare non neglexit.* In curarum vero partes vocare iubemus lectores nostros harum literarum cupidos, historiae Saracenicae omnis scriptores, qui res literarias haud raro tangunt [s]. In quo tramite percurrendo imprimis laudanda est *Historiae vniuersalis, quae in Britannia collecta est, sylloge* [t], quae dum fuse et ex instituto huius gentis et imprimis Muhammedis historiam enarrat, diligenter quoque passim ad res Saracenorum literarias respicere solet, fontesque earum referat. Certe in Muhammedanae historiae narratione vix habet ista historia vniuersalis, sibi parem, superiorem forte neminem [u].

pag.

l) Suppl. Act. erud. T. VII. sect. 9. art. 6.
m) V. Nou. lit. Lipsi. 1720. n. 76. p. 608.
n) 1696. 3. Ianv. T. XXIV. p. 8.
o) Hommes illustres T. II. qui ephem. Paris. exscripsit.
p) Memoires T. I. p. 134. sqq. qui prolixe de hoc opere agit.
q) Vir. erud. T. V. p. 152 sqq. vers. Germ.
r) Altdorf. 1745.
s) Consulenda hic erudita praef. Reu. Io. SAL. SEMLERI ad Tom. XIX. Hist. vniuers. Britannorum, p. 10 sq. Praeiuit exemplo POCOCKIVS in specim. historiae Arabum.
t) T. XIX.
u) In partes autem vocanda quoque cel. ASSEMANNI bibliotheca orientalis, rerum literariarum Orientis plena.

Digitized by Google

pag. 16. ad fin. not. 2. *Vlmae 1730. 8. edita.* Multum quidem Chriſtiani ſcriptores deſudarunt non hodie demum, ſed iam ante aliquot ſecula, in condenda Muhammedis hiſtoria, ita tamen, vt multis quoque erroribus labores ſuos commacularent. Ad huius autem rei fidem faciendam non alio labore opus eſt, quam vt noſtrae aetatis labores, quos viri docti in examinanda Muhammediſmi hiſtoria poſuerunt, cum veterum laboribus comparentur, et imprimis examinentur narrationes, quas in rariſſima *Mahumetis vitae ac doctrinae omnis* compilatione congeſſit THEODORVS BIBLIANDER, vel ſcriptor vetus, qui *de origine et moribus Turcarum hiſtoriam* reliquit [x]. Et hos tamen fontes alii velut duces errantes ſecuti ſunt [y]. Itaque iudicio et examine opus eſt, ne vel falſa et putida obiiciantur ſine certitudine iis, qui a nobis diſſentiunt, vel in alterum extremum currendo omnia excuſentur, pallientur, vel negentur, quae homini impoſtori ſolent obiici, quod noſtrae aetatis ſcriptores nonnullos maxime Boulainuillierum ſuſcepiſſe, dolendum eſt [z]. Quae autem in hoc argumento vel cauenda, vel ſequenda ſint, in hiſtoria critica ſectae Muhammedicae quaerenda ſunt, et alium locum poſtulant [a], talem autem hactenus deſideramus. Expendenda vero imago Muhammedis critico-moralis, qualem delineauit *hiſtoria vniuerſalis Britannorum* [b].

pag. 17. lin. 5. *Ad ſectarios hos pertingeret.* Accedit ratio altera, quae philoſophiam ex Chriſtianorum ſcholis in Arabum tuguria traducere impediuit Mahummedem, conſilium eius nouam illam, quam finxerat, legem non rationibus philoſophicis populo perſuadendi, qui a ſtudiis literarum eo tempore erat remotus, ſed armorum vi et ſtrepitu nationi metum iniiciendi, vel etiam nouas res et molimina cupientibus ſpem ſucceſſus iniiciendi, fore, vt in violenta nouae legis commendatione, vel obtruſione magis, rerum ſuarum acceſſiones inuenirent. Tota legis Islamiticae cum compilatio, tum publicatio hanc coniecturam roborat, ſimul autem rationem pandit, cur viri docti inter Saracenos poſtliminio opus habuerint, legem Islamiticam ſiue Coranum rationibus et hypotheſibus philoſophicis munire cum deſiiſſet illa neceſſitas, armorum vi religionem nouam propagandi, quam gentis principumque eius violentia iam longe lateque ſparſerat. Ad has primas auctoris ſui rationes autem Saracenorum principes, qui ex Ommiadarum familia orti ſunt, omnia conſilia ſua reſpicere iuſſerunt, vnde ſerius, quam ſperari poterat, Arabibus nouam Muhammedis religionem ſequentibus, philoſophiae quosdam radios oriri neceſ-

x) Prodiit collectio longe rariſſima prima vice Baſ. 1543. et praeſtat editioni ſq. anni 1550. conf. FABRIC. Syll. ſcript. de V. R. C. c. L. p. 741. Cat. bibl Reimm. T. I. p. 937. quique libros ceros deſcripſerunt, NEUDRIND p. 56. VOIGT p. 124.

y) Specimina varia collegit BAYLE dict. T. III. art. Mahomet.

z) Legendum eſt de hoc ſcriptore accuratum iudicium auct. hiſt. vniu. T. XIX. c. 1. Sect. I. §. 12. p. 18 ſeqq. GAGNIER hiſt. de Mah. P. II. introd. L. I.

a) Conferenda erudita praefatio Cel. SEMLERI ad T. XIX. hiſt. vniu. Brit. p. 7. n. 1, 2.

b) l. c. §. 171. 172. p. 216 ſeq.

neceſſe fuit. Et haec quoque genuina ratio fuiſſe videtur, cur Muhammedes, homo vaferrimus, et callidiſſimus, maluerit ſuos naenias et fabulas vulgi et haereticorum ſequi, quam veritatum philoſophicarum iubar pati inter eos reſplendeſcere, quos e re ſua erat ignorantiae tenebris porro tegi, quo facilius et promtius eius imperio velut bruta ingenia adſueſcerent. Quo pacto haud difficile fuit homini impoſtori, auctoritatis ſuae capiſtro captiuare, quicquid ad aliquam veritatem philoſophicam aures arrigere audebat, quod impune ne fieret, armorum metus impediebat.

Ibid. lin. 33. *Dialogo reſpondit.* Hoc autem pacto, cum magna eloquentiae patriae opinione Arabes ſuperbirent, effecit verſipellis impoſtor, vt leges et religiones aliorum, maxime Iudaeorum et Chriſtianorum a ſuis contemnerentur: quas illa linguae ſuae puritate et elegentia ſcriptas non eſſe ſciebat, nec ſcriptum iri nouerat, eo quod aliud prorſus argumentum Arabiſmo linguae ſuae accommodatum multis modis reſpuebat. Tacemus opinionem ſingularis reuelationis diuinae, cuius gloriam inde ſperauit, quod illiteratus ipſe et rudis tam egregium ſpecimen patriae poſt ſe eloquentiae patriae reliquerit, vt ex loco Algazelii conſtat.

pag. 26. not. i lin. vlt. *De claris et illuſtribus medicis apud Arabes.* Eruditionem tantum non penitus ſuppreſſam et extinctam ſuſtentauit, et philoſophiae viam redeundi parauit artis medicae ſtudium. Et ipſum quidem Muhammedem peritia ſcientiae naturalis artisque ſalutaris excelluiſſe, iactant ſcriptores Arabes, et qui hos ſequitur biographus prophetae GAGNIERIVS [c]. Extat quoque inter mſc. codices Arabicos bibliothecae Oxonienſis [d], phyſica prophetae, in quo auctor anonymus, vetuſtis traditionibus nixus Muhammedi, in omnibus naturalis atque medicae ſcientiae partibus et capitibus magnam tribuit ſapientiam. Vt autem omnem eo tempore medicinam in methodicam et empiricam diſtinctam fuiſſe notum eſt, ita facile conilci poteſt, non illam magis ſyſtematica methodo et hypotheſibus florentem, quam hanc vſu et experientia nixam hoc loco intelligendam eſſe. Quanquam et illam artis diuinae partem, quae theoriam inſtruit, Muhammedem calluiſſe, non ſtudio et meditatione, ſed Θεοπνευσίᾳ edoctum, auctor ille Arabs ſtatuit, indeque ſummum naturalis medicaeque ſcientiae apicem attigiſſe contendit, et ad naturae leges cuncta retuliſſe atque exegiſſe affirmat, ſic, vt nec corporis humani fabrica, partesque hominis naturales, nec natura rerum, ex quibus componitur, neque dependentia partium, cauſſarum, euentuum, morborumque indoles et ratio cum pharmacorum efficacia eum latuerit, et medicinam promtam afferendo, quaecunque circa artem ſalutarem tentare voluerit, potuerit quoque vel mediis naturalibus, vel diuinis et ſuperna-

c) Vit. Muham. P. II. c. vlt.
d) HVTINGTON. Cat. Bibl. Bodl. Oxon. n. CCCXXXIII. vbi liber ille aſſeruatur.

Digitized by Google

pernaturalibus efficere. Multa huius generis obſeruauiſſe memoratu digna prophetam, ex hoc mſc. affert GAGNIERIVS [e], quae apud ipſum, ne longiores ſimus, quam par eſt, videri poſſunt, ſi non alio ſcopo, hoc certe, digna, quae conſiderentur, quoniam breuem quandam inter Saracenos, quae obtinuit, medicae artis διατύπωσιν exhibent, quae ad condendam eius artis hiſtoriam aliquid poteſt afferre. Parum autem inde fidei ad ipſam medicae artis experientiam Muhammedi vindicandam afferri, ex hoc ſcriptore poſſe vel ex ſolis ineptis narratiunculis et fabellis conſtare poteſt, quae auctoris nugas et contemtam fidem produnt, vt recte nonnemini obſeruatum. Certe circumſtantias vitae impoſtoris nihil huius pati, et infantiam eius, callide quidem phaleris ad populum tectam prodere norunt, qui annales Moslemicos cum attentione legerunt, et vbique fraudulentum hominis inter paſtores educati ingenium obſeruauerunt. Sane ſi aliquam medicinae empiricae cognitionem poſſedit, quod ex vitae conſuetudine et vſu inter huius generis homines obtinente facile concludi, hominique astuto et ampullas proiicienti tribui poteſt, vulgare illud atque e triuio fuiſſe, eſt longe veriſimillimum. Quanquam autem nihil habent res Muhammedis, quod augere naturalis et ſalutaris philoſophiae hiſtoriam poſſit, fatendum tamen, vt hoc obiter afferamus, gentem Saracenicam ſiue Arabum medii aeui, quos quidem iſto nomine a vetuſtis Arabibus ſolemus diſcernere, de ſtudio medico et ipſa philoſophia naturali multis modis praeclare meruiſſe. Conſtabit id ex ſequenti narratione, vbi aliquot celeberrimorum Arabum nomina et philoſophiam excitabimus. Hoc autem loco ad *ſecundam* tantum *partem hiſtoriae medicinae* prouocamus, vbi plurimis id exemplis confecit et vberrimis obſeruationibus cumulauit cel. FREINDIVS, quem, ne falcem in alienam meſſem iniiciamus, lectori conſulere iubemus, quem ipſum legiſſe, harum literarum curioſos non poenitebit. Nobis in praeſentia ſufficit, ad ABVLFARAII hiſtoriam prouocare, eaque, (quod ſupra de philoſophis fecimus) loca indicare, vbi medicorum mentionem iniicit, cum pleriſque philoſophorum quoque perſonam induerunt. Nempe memorat Theodocum et Theodunum p. 128. Georgium Ebn Bachthiſtuam p. 143. Iſa Ebn Thalata p. 145. Ioannem Meſue p. 153. Talchum medicum Indum p. 154. Salmawachum p. 166. Bachthiſtuam Ebn Gabniel p. 152. 171. Honain Ebn Iſaac p. 171. Ioſephum Alſaher p. 186. Bachthiſtuam Senani p. 192. Senani Ebn Thabet p. 197. Thabet Ebn Abraham p. 213. Nadhifolnaſſum p. 215. Manſur Ebn Mokasher p. 223. Auicennam, p. 229. Abulfaraium p. 233. Ebn Botlan p. 234. Yahya Ebn Iſa p. 240. Abul'helm p. 261. Samuel Ebn Iuda p. 268. Abdoſſallam p. 295. Yahya Ebn Said p. 296. Muhammed Ebn Adoſalam p. 297. Moſen Maimonidem p. 297. Al Razi p. 298. Ebn Habal p. 300. Said Ebn Tuma p. 300. Yuſeph

e) l. c. Inde repetierunt auctores hiſt. vniu. Britanni T. XIX. c. I. ſ. 3. §. 384. p. 244 ſeqq.

Ebn Yahya p. 302. Haſnum p. 316. Iackul Ebn Saklan p. 316. Abuſalem Iacobitam p. 317. Theodorum Antiochenum p. 341. Maſud Ebnol Kaſſi p. 341. Iſa Bagdenſem p. 342. Takioddini p. 342. Tharſoddini p. 341. Qui catalogus ex indice medicorum veterum, quem conſtruxit B. I. ALB. FABRICIVS [f] facile poteſt augeri. Tacemus verſiones librorum medicorum ex Graeca lingua traductorum, quibus res medicas valde inter Saracenos promotas eſſe, conſtat, de quibus poſt alios infra nominatos videſis Cl. NAGELIVM [g].

pag. 29. not. u. *FREIND l. c. p. 10.* Addendus ABVLFARAIVS, qui multa cumulauit ad hiſtoriam Honaini pertinentia. Ob contemtas Chriſti et apoſtolorum imagines excommunicatus, veneno ſumto, obiit. Filium Iſaacum animo in philoſophiam propenſiore fuiſſe, IDEM refert, notatque, plerasque Hobaiſi nepotis verſiones perperam tribui Honaino. Honainum autem, caue, diſtinguas ab Humaino, idem enim nomen eſt, ſed hoc corruptum. Fuit etiam geometriae et aſtronomiae peritus [h].

pag. 31. lin. 5. a fin. *Vera et aperta indicia ad Al Mamonis tempora referenda eſſe.* Hoc non ita intelligendum eſt, quod ante Al Mamonem nullus inter Saracenos philoſophiae flos atque vſus obtinuerit. Aliud enim teſtatur hiſtoria Saracenica, ex qua diſcimus, quamprimum finita Ommiadum familia Abbaſidarum regnare coepit, magnis niſibus florem literarum, et imprimis philoſophiae, aſtronomiae et medicinae ſuccreuiſſe, et imprimis id egiſſe Caliphum Almanſurem, qui quotidie philoſophos et aſtrologos ſecum habebat [i]. Aſt impediuit hunc principem vehemens legis Muhammedanae ſtudium, in qua ita, optimis et eruditiſſimis praeceptoribus vſus, excelluit, vt parem haberet neminem: quo pacto eam, quam pronepos Almamon, induſtriam in vrgendis philoſophiae incrementis adhibere non potuit. Tacemus eius auaritiam, quae nunquam non philoſophiae fortunae obfuit. Itaque vera promotae inter Saracenos literarum et philoſophiae gloria ad Almamonem referenda eſt, veramque eius epocham conſtituit.

Ibid. not. g. lin. 4. a fin. *Ex his innumeri.* Comparandi omnino de famigeratiſſimo principe ſcriptores Arabes in praec. nota indicati, nemo enim eum praetermiſit. Strictim ſummam rerum Almamonis complexa eſt *Hiſtoria vniuerſalis Britannorum* [k], non indiligenter in hoc argumento verſata. Rerum ciuilium gloriam auxit literarum beneficio atque gratia, quas, non obſtante religione, qua tenebatur, ita fouit, vt nouum ſapientiae ſolem apparuiſſe omnes crederent. Qua in re conlicimus, ſub initio

f) Bibl. Gr. Vol. XIII. p. 17 ſq. add. HOTTINGERI bibl. Orient.

g) De ſtudio phil. Graecae apud Arabes §. 7. p. 21 ſeqq.

h) Explicuit enim Euclidem et Almageſtum Ptolemaei.

i) Videndi atque conſulendi hiſtoriae Almanſoris ſcriptores Arabes ABVLFARAIVS p. 220. KHONDEMIRIVS, ABV IAAFAR AL TABARI, AL MARIN p. 104 ſeq. EVTYCHIVS ann. T. II. p. [illegible] ſ. Ex recentioribus noſtris Cl. Ios. SIM. ASSEMANN. bibl. Orient. Clementino-Vatic. p. 552. HERBELOT. bibl. Orient. Hiſt. vniu. Auctores Britanni T. XX. §. 80 ſq. p. 101 ſeqq. quosque hi nominant.

k) l. c. §. 129 ſqq. p. 179 ſeqq.

Digitized by Google

initio imperii auctoritatem celeberrimi inter Muhammedis asseclas commentatoris, (Sonnitas vocant), Abu Abdallah Muhammed Ebn Edris cognomine Al Shaffei, qui tertiam Sonnitarum orthodoxorum sectam excitauit, et multum apud Calipham valuit, aliquid contribuisse. Hunc enim theologum maximi nominis in omni disciplinarum genere fuisse versatissimum, scriptores Arabes testantur, qui eum cum sole in mundo comparant. De quo tamen in historia theologiae Muhammedanae pluribus agendum, legendaque, quae ex Saracenorum relationibus afferunt POCOCKIVS [l], HERBELOTVS [m], *Historiae vniuersalis* conditores [n], alii.

pag. 34. not. q. *Annal. T. II. p. 415.* Comparandi scriptores Orientales, quos laudat *histor. vniuers. Britannorum* [o].

pag. 36. lin. 2. *ad not. b.* De studio Almamonis Astronomico videnda Historia astronomiae WEIDLERIANA [p].

pag. 39. lin. 22. *Parum de literis cogitabant.* Duplex huius negligentiae, qua a vestigiis Almamonis isti Caliphae recedebant, causa a Saracenis scriptoribus proditur. Vna in absurdo et insano astrologiae apotelesmaticae studio quaerenda est: huic enim cum ad delirium vsque adhaererent, cuius pluscula exempla huius temporis historia narrat; euenit, vt reliquas disciplinas negligerent: altera debetur vehementi pro legis Islamiticae interpretatione studio, quod ad persecutionem vsque et carceres, et cruenta inter Motazalitas, qui Coranum creatum contendebant, et Sonnitas siue orthodoxos, Increatum asserentes, dissidia emersit, et quo partium studio reliqui conatus suppressi sunt: sed non diu iste contemtus durauit, maxime, cum medici Caliparum et imprimis Honainus, qui magna Al Motawakeli gratia et fiducia fruebatur, rem literariam apud principes suos vehementer commendarent. Fuit inter hos filius Honaini Isaacus, versionibus philosophorum Graecorum commendatus, itemque Hobaishus eius nepos, versione Euclidis et Almagesti Ptolemaei celebris, vt supra iam obseruatum. Huic potiores debentur versiones, quae Honaino tribui solent. Arabica quoque versio *Analyticorum* Aristotelis et tr. *de interpretatione* hunc in censum veniunt, de quibus aliisque huius generis videndus HERBELOTVS [q] et RENAVDOTIVS [r].

Ibid. lin. 26. *Anno Hegirae CXXVII.* Ponendum, CCXXVII. etiam hic princeps vehementer astrologis adhaesit, inter quos fuit Al Hasan Ebn Sahel Ebn Nubakht, de quo videsis scriptores Arabes, laudatos ab Historiae vniuersalis scriptoribus Britannis [s]. Cum eo non confundendus est Abul Hasan Al-Adib, id est, literatus cognominatus, quem inter

l) Specim. hist. Arab. p. 297 seqq.
m) Biblioth. Orient. p. 545. 546.
n) l. c. §. 132. p. 183 seqq.
o) T. XX. §. 187 sq. p. 176 seqq.
p) C. VIII. §. 3. p. 204.
q) Bibl. Or. art. Honain p. 456. et art. Ebadi p. 307.
r) l. c. §. 153. p. 213.
s) De vers. Arab. et Syr. in FABRICII bibl. Gr. Vol. I. p. 814. Conferendi quoque, quos in not. p. laudauimus.

ſummos viros numerat Abulpharaius. Is vixit ſerius, ſub Calipha Al Moſtarshed.

pag. 41. not. g. *Dynaſt. IX. p. 179.* Comparanda, quae in compendio adducuntur in *hiſtoria vniuerſali Britannorum* [s].

Ibid. not. r. *Dicemus de eo infra §. 28.* Delenda haec nota et ſupplenda hoc modo. Roſta Ebn Luka Al Baalbeki philoſophus Chriſtianus, Alkendio coaeuus, ob coëmendos libros Graecorum aliquoties iter per imperatoris regiones ſuſcepit et in Syriam reuerſus Erakum euocatus eſt ad libros vertendos. Addit ABVLFARAIVS. *Fertur Senḥaribum eum in Armeniam allexiſſe, ibique ſubſtitiſſe ipſum, donec moreretur, ac ſupra ſepulchrum ipſius extructam fuiſſe teſtudinem, honore, qualis regum et legum conditorum ſepulchris exhiberi ſolet, illi delato.* Sed et reliqua legenda ſunt, quibus inter praeſtantiſſimos philoſophos numeratur [t].

pag. 42. lin. 32. *Cuncta inundaret.* Nihil quidem habet hiſtoria famoſiſſimi conquaeſtoris Timur Beck, quod laetabilem faciem literarum in his terris, vbi Saraceni florebant, narret, cum a fortiſſimo quidem et ſua laude non priuando imperatore omne tempus in armis et in occupandis regionibus et ſupplantandis Aſiae incolis conſumtum ſit: non negligenda tamen ea eſt tota in hac hiſtoriae philoſophicae inter Saracenos particula, eo quod fortuna eius bellica, quae victorem eum vbique inuincibilem exhibebat, influxum in ſtudiorum et imprimis philoſophiae culturam, habuit. Nempe, vt inter bellicos armorum ſtrepitus Muſae conticeſcere ſolent, ita tunc in Aſiae regionibus factum, vnde rara eſt virorum doctorum huius ſeculi in iſtis regionibus hiſtoria; docet autem, quo pacto ſtudiorum flos emarcuerit, cum deuictae gentes praeliis cruentis et concuſſionibus intolerandis tandem cogerentur ſolum vertere. Qua de re et fortuna Timuri legenda eſt, quae ex ſcriptoribus Arabibus accurate ſatis contexta eſt magni principis hiſtoria [u]. Et hac quidem occaſione factum, vt regionum Saracenicarum incolae ſolum tandem vertere, et veteres migrare coloni iuberentur, quo pacto ad interiores Aſiae angulos ſe receperunt, et imprimis interioris Perſiae atque Indiae latebras quaeſiuerunt. Id quod inprimis a Zoroaſtris affectis, quos Gauros et Ghebros vocari, ad T. I. obſeruauimus, factum eſt, quos Timuri magnis odiis ob πυρολατρείαν proſequebatur. Quos Zoroaſtreae religionis reliquias conſeruaſſe, ad Tom. I. obſeruauimus. Poſtquam autem victor Perſiam ſubegit, et inſignibus cladibus iſtam gentem ad internecionem, commiſſo ad Ispahanum praelio deleuit, ad vrbem Deli autem, quae Indiae

s) l. c. §. 190. p. 268 ſeq. vbi obſeruatur, Alkendium unicum fuiſſe, qui κατ' ἐξοχήν philoſophus ſaluatus ſit.

t) l. c. Scriptores Arabes; de quo vid. in hiſt. vniu. l. c. conf. HERBELOT. art. Mohamed p. 638.

u) Excellunt in hiſtoria Timuri inter ſcriptores Arabes duo magni nominis, MVLLA SHARIF EDDIN ALI, Perſa, qui iuſſu principis nepotis hiſtoriam occupationum et expugnationum Timuri conſcripſit, alter AHMED EBN ARABSHAH Syrus, eloquentia magis, quam fide praeſtans. Ex his etiam in Gallicum ſermonem conuerſus prodiit Hiſtoire de Timur Bek, cuius veſtigiis inſiſtit hiſtoria vniuerſalis Britannorum T. XXII. p. 295 ſqq.

Digitized by Google

Indiae metropolis eſt, iterum victor feliciſſime pugnauit, dici non poteſt, quam cruentae ſtrages inde emerſerint, quot ignicolae perierint, et tota fere Zoroaſtriana ſecta in extremis Orientis angulis circa Gangem deliteſcere, pars ad Oceani litora, indeque in ipſam Americam confugere nouamque fortunarum ſuarum ſedem quaerere coacta ſit. De quo tamen ſuo loco in philoſophiae exoticae, Indicae, Americanaeque hiſtoria non nihil monendum eſt. Inde factum, vt lex Islamitica ſola vinceret, omnis autem Aſiae philoſophia, maxime aulta orientalis a patribus accepta periret.

Ibid. lin. 3. a fin. *Chondemiri hiſtorici Perſae hiſtoria vniuerſalis nondum edita.* Confunduntur ſaepe in hiſtoricorum Perſarum catalogo Condemirius et Mirkondus, tanquam vnius eiusdemque hiſtorici nomina, cum tamen pater a filio diſtinguendus ſit [x]; Vterque magni nominis, et inter hiſtoricos ſuae gentis multae auctoritatis, quae tamen non obſtat, vt non multa more Orientalium ſuſpecta ſint. Argumentum hiſtoriae eius vniuerſalis, cuius tantum epitomen lingua Gallica habemus, indicat B. BAVMGARTENIVS, qui ad *hiſtoriam vniuerſalem Britannorum* [y] videndus, qui de eius hiſtorica fide ſobrie iudicat. Ipſa Perſiae hiſtoria ſatis adhuc confuſa et incerta eſt, eo quod in tanta populorum Arabicorum et Tartarorum armorum ferocia, quae Perſiam ſupplantauerunt, veri hiſtoriae iſtarum regionum fontes non potuerint non exareſcere. Recentiores autem hiſtorici [z] confuſam tantum narrationem exhibent.

pag. 43. lin. 5. *Luculenter demonſtrant.* Latius hic excurrere liceret, ſi theologiae Muhammedicae hiſtoria ſcribenda eſſet, oſtendendumque, quo pacto de Deo eiusque voluntate, decretis et actionibus Muhammedani inter Perſas, Ali partes ſecuti, philoſophati ſunt. Summam tamen ſi cupis, HOTTINGERVS adeundus eſt, qui iliada in nuce exhibebit [a].

Ibid. lin. 9. *Vbi Saracenorum hiſtoriam philoſophicam ſcribimus.* Res Turcicas et ſtatum, tum eccleſiaſticum atque religionis, tum literarium et ſtudiorum breui compendio, laudatis tamen fontibus, exhibuit HOTTINGERVS, qui apud eos, iurisconſultorum, philoſophorum, aſtrologorum, hiſtoricorum meminit, et ex LEVNCLAVIO, ſapientes ſeu peritos dici, obſeruat. Prolixiora qui cupit, el *hiſtoria vniuerſalis* Britannorum [b] facile faciet ſatis.

Ibid.

x) Vid. HERBELOT. bibl. orient. h. v.

y) T. IV. not. 155. p. 323 ſeqq. dabunt plura quoque T. I. §. 697. not. h. Auctores Britanni p. 570. conf. T. XXI. L. II. c. 1. p. 239.

z) Tales ſunt Bizarius, Della Valle, Herbertus, Olearius, Theuenotius, Tauernierius, Chardinus, Kaempferus, conf. Hiſt. vniu. T. XXII. pag. 491.

a) Comp. theatri Orient. P. II. c. 2. quod agit de vario ſtatu Perſarum eccleſiaſtico p. 93. fontesque, vnde plura hauriri poſſunt, indicat. Diuemus tamen nos quoque nonnihil de hoc argumento ad hiſtoriam metaphyſicae Muhammedanae delati.

b) T. XXI. L. II. p. 237 ſeqq. vbi fontes, ex quibus hauriendum, indicantur. Fuſe ſcriptores recentiores, inter quos memorabilis Hiſtoria Orientalis HOTTINGERI, exhibet bibliotheca hiſtorica STRVVIANA, c. X. §. 11 ſeq. T. I. p. 203 ſeqq. Sed et nos catalogum ſcriptorum de rebus Turcarum praemiſimus verſioni Itinerarii legationis Caeſareae CORNELII VAN DALEEM Aug. Vind. 1722. 8.

Ibid. lin. 35. *Niſi philoſophiae ope.* Relegentibus integrum Abulfarali locum adeo is memorabilis nobis viſus eſt, vt hic totum exſcribendum iudicauerimus, cum ABVLFARAII *hiſtoria Dynaſtiarum* non in omnium manibus ſit. Ita vero ex Abu Hlyan Tauhidio ille: „Intra annum trecen„teſimum ſeptuageſimum ſeptimum rogauit me Vizierus Samſamo'ddaulae, „quid ſentirem de Zaido Ebn Raphaa. Audio, inquit, continuo de „Zaido Ebn Raphaa, quod intellectum meum ſuperat, et ſectae eum eſſe, „quam non habeo perſpectam: nuntiatum autem eſt mihi, te ipſum fre„quentare, vnaque cum eo conſidere, ac multum cum eo eſſe; qui au„tem diu cum aliquo conuerſatus fuerit, poteſt abditos animi eius ſenſus „dignoſcere. Reſpondi: o Viziere, acumen illi eximium eſt, et inge„nium igneum; at, inquit, cum ita ſit, quamnam amplectitur ſectam? „reſpondi, nullius ſe profitetur, verum diu Baſorae ſubſtitit, vbi quoſdam „reperit in variis ſcientiarum generibus doctos, quibus ſe adiunxit atque „operam collocauit. Coetus ille ſocietatem inter ſe conflantes, ac ſin„cera coniuncti amicitia in ſanctitatis, puritatis ac ſinceritatis ſtudio coa„luerunt, atque inter ſe ſectam conſtituerunt, qua viam ad conſequen„dam Dei beneuolentiam propinquam ſe reddidiſſe autumant, dicentes, „religionem Islamiticam polluram eſſe, et mixtam erroribus, nec ablui „et mundari poſſe, niſi philoſophiae ope, afferentes, vbi coniunctae fue„rint philoſophia Graecanica et religio Arabicae, tunc demum conſecu„turam perfectionem. Compoſuerunt autem quinquaginta epiſtolas de „quinquaginta ſcientiarum generibus et quinquageſimam primam, quae „ſpecierum in prioribus ſectionibus tractatarum compendium et epito„men continet. Has epiſtolas Echwano'ſſapha, ſeu fratrum ſincerorum „appellarunt, nominibus ſuis celatis, easque apud bibliopolas diſperſas in „hominum manus dederunt, refertas verbis ad fidem ſpectantibus, et ſi„militudinibus ex lege petitis, et dictionibus implexis modisque fucatis „ſuntque ex omni genere petitae, ita, vt nec ſatient, nec ſufficiant: ſint„que in iis fictiones et alluſiones variaque hinc inde conſarcinata et con„glutinata. Crocitarunt, non cantarunt, cecinerunt, at non modulati „ſunt; texuerunt, at tenui filo, plexuerunt et criſparunt. In ſumma di„ſcurſus ſunt, qui affectum quidem moueant, ſed ad metam neutiquam „pertingant, nec probationes et argumenta manifeſta adhibeant. Cum„que auctores nomina ſua celauerint, in diuerſas itum eſt ſententias de „earum compilatore, ſingulis ſuas coniecturas et opiniones ſecutis, di„centibusque aliis, ſermones eas eſſe cuiusdam ex antiſtitibus Alis, quem „ſequi Perſas, ſupra monuimus, aliis, compoſitas eſſe olim a ſcholaſtico „quodam Mo'tazelio." Habes hic, Lector, non tam ſcholam quandam theologico-metaphyſicam, quam ſectam, cum Nominalium inter Chriſtianos ſecta in haud paucis comparandam, et imprimis ſodalitatem quandam literariam et philoſophicam, legibus contubernii, quod conflauerat, adſtrictam, vt philoſophiam quandam theologicam (metaphyſicam noſtro more

Digitized by Google

more vel philoſophiam primam cum ſcholaſticis occidentalibus vocaremus) *eclectico* inſtituto vel *ſyncretiſtico* potius ſiſteret. Ex quo colligi iure poteſt, magnam eo tempore in his ſcholis atque ſectis, de quibus infra differimus, ſentiendi et ſtatuendi liberatem obtinuiſſe, et pertinere has ſodalitates Perſico-arabicas ad hiſtoriam ſocietatum literariarum. De obiecto meditationum huius ſectae conſulendus eſt POCOCKIVS [e].

pag. 45. lin. 14. *Teſtis eſt Abulfaraius.* Non abſimile vero, principes Saracenorum ea in re vt in aliis literariis, ſecutos eſſe exempla imperatorum Romanorum, qui ὕπατον τῶν φιλοσόφων creauerant.

Ibid. lin. 21. *Anno Hegirae.* Scribendum anno Chriſti, DCCCLXXVII. qui fuit Hegirae annus CCLXIV. Anno enim ſequente Ahmed Ebn Tolun, quem Eutychius Muhamed vocat, iſta rebellione Aegyptum adortus eſt, id quod ſcriptores Arabes narrant, laudati ab *hiſtoria vniuerſali Britannorum* [d].

Ibid. not. o. *edita.* Comparanda tota illius temporis hiſtoria orientalis, cuius ducem ſe dabit *hiſtoria vniuerſalis* hactenus laudata [e].

pag. 51. lin. 12. *Ex quo Alis nouam factionem condidit.* Nihil hoc ſchiſmate in hiſtoria Muhammedica celebrius notiusque, eo quod magnis animarum diſcordiis inter Shiitas Alis ſectatores, quod nomen quoque ſignificat, et Sonnitas ſiue traditionarios dimicatum eſt, et hodie adhuc partes inter ſe ſelunguntur. De quo animorum et factionum diuortio ea poſſunt in compendio legi, quae ex ſcriptoribus orientalibus collegit *hiſtoria vniuerſalis Britannorum* [f], ſcriptoresque rerum Muhammedicarum fere omnes, quos illi indicant: quae tamen magis ad hiſtoriam religionis Muhammedicae, quam philoſophiae pertinent. Turcas autem Sonnitarum partes ſequi, Perſas Alis, neminem latere exiſtimamus, huius diuinam auctoritatem autem adeo mordicus ſectatores tuentur, vt ipſi Muhammedi tantum non Alin praeferant, plurimumque eius doctrinam extollant, quam ratiocinationibus quoque ex philoſophia theoretica petitis hunc gentis prophetam confirmauiſſe, aſſeuerant.

pag. 57. n. l. *A demonſtrationibus ſermo.* Quaeſtiones theologiae Scholaſticae apud Muhammedanos, in compendio exhibuit OMARVS, nondum quidem editus, excerptus autem ab HOTTINGERO [g], quo auctore [h], quaeſtiones ſectae theoreticae ſunt: de locis communibus, quos in fundamentales et non fundamentales diſtinguunt: de diſtinctione demonſtrationum

e) Specim. hiſtor. Arab. p. 195 ſeqq. qui huic Abulfaraii loco lucem commodabit.

d) T. XX. §. 184. p. 258 ſeqq.

e) T. XXI. init. p. 3 ſeqq. valde depreſſa eſt eo tempore Alis factio. Conf. HERBELOT p. 742. Ira in Aegypto exſpirauit Caliphatus Fatemicus. Conf. SCHVLTENS l. c. p. 13. 14.

f) T. XIX. vbi ſect. 4. §. 359 ſeqq. prolixa rerum ſub Alis Caliphatu geſtarum narratio exhibetur p. 501 ſeqq. Commode autem cum hac comparari poteſt HOTTINGERVS hiſt. Or. L. II. c. 6. p. 366 ſeqq.

g) Scriptores theologiae ſcholaſticae apud Muhammedanos enumerat HOTTINGERVS in biblioth. Orient. p. 186. qui de Omaro quoque plura dabit p. 188. multa hinc poſſunt hauriri ad hiſtoriam theologiae elenchticae pertinentia.

h) Theatr. Orient. c. II. §. 3. p. 48.

Digitized by Google

tionum theologicarum, de iudicio ſenſuum, quantum illi tribui poſſit, de principiis theologicis, de compendio ſiue capitibus Islamiſmi. Tota itaque iſta theologia ſcholaſtico-muhammedana elenchtica eſt, ſed principiis ſceptlcis ambigue dimicans, contra diſſentientes Mutazalitas, Aſcharitas, Ceramitas, Ghabarios, Henbelitas, Schafaeos, quorum opinionibus infra lucem nonnullam accendimus. Loca autem fontesque huius ſectae ipſi quaerendi apud HOTTINGERVM [j]. Reliqua, quae de prophetica inſpiratione, de apoſtolatu, antiſtitio, presbyterio, monachatu, miraculis pſeudo-prophetae differunt, ad ius eccleſiaſticum Islamiſmi pertinent, ideoque a nobis praetermittuntur, leui negotio apud allegatos auctores quaerenda. Nos hoc vnum notamus, quod infra latius explicabitur, locum de Deo hanc theologiam ſcholaſticam prae ceteris occupare, et de eſſentiae vnitate, aeternitate, ſimplicitate, infinitate, ſpiritualitate, accidentium et ἀνθρωποπαθειῶν, comparationis cum vlla alia eſſentia remotione, vita, attributis, numero citra multiplicationem eſſentiae, potentia Dei eiusque obiecto, effectu, voluntate, ſcientia, viſu et auditu, operibus ad extra, creatione, angelis, praedeſtinatione, prouidentiae Dei circa bonum et malum concurſu cum cauſſis ſecundis, de regimine et permiſſione Dei, ſiue induratione, et ſimilibus, quibus practica multa de peccato eiusque poena, de fide et orthodoxia, de libero arbitrio, rebus licitis, fato, vita aeterna et metempſychoſi, reſurrectione, iudicio extremo, damnatione etc. adiunxerunt. Haud difficile inde conlici poteſt, hos Scholaſticos Muhammedanos Chriſtianorum theologorum et philoſophorum ſcrinia compilaſſe, et non modo methodum ſolam iſtius theologiae naturalis, ſed principia quoque inde in arua ſua tranſtuliſſe, vt tolerabilior facies Islamiſmi Chriſtianis arrideret, vel tela tamen eorum, quae in Alcorani ἀσύστατα euibrabant, eultarent.

pag. 61. not. s. *De Rashidi et Mamonis imperatorum moribus.* Laudabili inſtituto id egerunt, quos aliquoties laudauimus, ſcriptores Britanni *hiſtoriae vniuerſalis* quod, de principibus et imperatoribus Saracenorum differentes, eorum mores et characteres deſcripſerunt, et exemplis quoque illuſtrarunt [k], quo pacto haud parum huius gentis practicae adiectum eſt hiſtoriae, et plus ſemel pulchre hiſtoria Saracenorum philoſophica illuſtrata, eo quod Calipharum mores et inſtituta plurimum ad conſtituendam philoſophiae fortunam collineauerunt, cauſſaeque inde erui poſſunt vel neglectae, vel promotae philoſophiae, maxime ex quo Muſae ex Graecorum imperio ad Saracenos Aſiae, et ab his Africae incolas migrauerant.

i) l. c. eos diligenter annotauit. Conf. liber περιεχανοντάτευχος apud EVNIVM bibl. Or. pag. 173.

k) E. c. T. XIX. §. 269 ſeq. deſcribitur perſona et character Muhammedis pag. 468 ſeq. Omari, p. 486. Othmani pag. 540. Alidis, pag. 576 ſeq. Moawiyaeh p. 671 ſeq. Walidi Tom. XX. p. 11. Nuroddini p. 27. Moltadi p. 113 ſeq. Salahaddini quo vix infenſiorem habuere philoſophi et ſcholaſtici Saraceni, donec anno Heghirae 656. Saracenorum imperium exſpirauit.

Digitized by Google

rant. Cuius rei haud iniucunda exempla possent adduci, si haec nostra pagina illa pateretur. Itaque lectoris diligentiae et attentioni ea relinquenda sunt.

pag. 66. lin. 5. *Musae Domicilium eligerent.* Noua vrbs Bazra sub Omare anno Heg. XV. demum excitata, hodie inter celeberrima Arabiae loca eminet, Persiae et Arabiae contermina, vnde ad mercaturam faciendam populis vicinis Syris, Arabibus, Persis, Indis commodissima: in regione feraci et iucundissima ad litora Tigridis sita, ab antiquo prouerbiis Arabum celebrata, mater atque alma nutrix eruditorum, inter quos eminuerunt, Al Hariri eloquentia patria celeberrimus, Hasan al Bazri, Scholasticus eminens, peculiarisque scholae auctor, Abu Ishak Ismaël, Yacub Ebn Ibrahim, ICtus, Abu-Becr Muhammed, compilator historicus, Helal Ebn Yahya, ecclesiasticae historiae scriptor, Abu Said Omar, poeseos Arabicae magister. Academiam Bazrensem a Nezam Al Molk erectam, hodie adhuc studiorum gloria et studiosorum frequentia vehementer extolli atque eminere, tradit *Historia vniuersalis Britannorum* [l].

Ibid. lin. 13. *Et alia id genus.* ABVLFARAIVS ita de Iacobo Al Cendi [m]: *illustris prosapiae fuit, Basorensis, fuit pater ipsius Ishak Al Cutae nomine, Al Mohdii et Al Kashidi praefectus. Iacobus vero philosophiae, medicinae, arithmeticae, dialecticae, musicae, geometriae et astronomiae peritus fuit, ac in plerisque scientiarum harum libros celebres et tractatus longos composuit: nec fuit inter Muhammedanos, qui philosophiae studio apud homines adeo claruit, vt philosophus nominaretur praeter Iacobum istum; coaeuus fuit Kostae Ebn Luca Baalbaecnsi* [n].

pag. 72. lin. 16. *Campum totum emensus est.* Etiam in astronomicis excelluit, in qua scientia, quid illi visum sit singulare, exponit WEIDLERVS [o].

pag. 79. lin. 22. *Amisisse quibusdam traditur.* Videndus ABVLFARAIVS [p], qui et alio loco [q] scribit, concessisse eum in castra Pyrrhoniorum, quod Aristotelis sensa assequi satis non posset.

pag. 80. lin. 5. *Vixisse putat.* Incerta sunt Raziael, s. Al-Razi tempora, varieque computantur, illud certum, intra annum Heg. ccc. et cccxx. eum vixisse et floruisse. Eminuisse dicitur, iuuenis in musica, vir in philosophia, vbi partem physicam et metaphysicam potissimum prosecutus est, artem autem medicam in ptocho trophaeo siue hospitali Ray vel Iondisabur, cui praeerat, perfecit. Oculorum vitium ex nimia fabarum comestione passus, auxilium refugit, quod a medico expectare poterat, eo quod oculorum naturam partesque ignoraret. Laudari solet ob singularem diligentiam, quam in legendis, excerpendis, de-

l) T. XX. §. 83. p. 106.
m) Dyn. IX. p. 273 seqq.
n) Ex hoc loco probari potest, recte Alkendium sub Almamone poni.
o) Hist. astronom. c. 8. §. 7. p. 211.
p) pag. 179.
q) Dyn. V. p. 50.

Digitized by Google

ſcribendis libris veterum probauit: Inde non ſine encomio de eo ABVLFARAIVS [e]: *fertur Abu Becr Muhamed Ebn Zacharia Al-Razium ſingulare temporis ſui decus et ſeculi phoenicem omnes antiquorum ſcientias calluiſſe, praecipue medicinam, ac fuiſſe ſenem capite magno, quadrato; neque unquam ſcribendo deſtitiſſe, ſiue aduerſaria ſiue apographa compoſuiſſe in chymia duodecim libros, eam a poſſibili quam ab impoſſibili propius abeſſe aſſerentem. Porro liberalem fuiſſe, munificum, benignum erga homines, magnae in pauperibus et aegrotis medendis miſericordiae, adeo, ut in eos, cum aegrotarent, largiter erogaret.* Haec ſcriptor Arabs, qui tamen non negat, fuiſſe, qui contrarium de eo affirmarent, ſed videri inuidiae cauſſa ei alchymiae peritiam, cenſus abundantiam, medicinae experientiam denegaſſe. Dictus autem eſt Al Razi ab vrbe patria Ray. In Ariſtotelem commentatus Scepticum ſe probauiſſe dicitur. Alia dabunt HERBELOTVS [f], LEO AFRICANVS [g], FABRICIVS [h], ex quibus colligi quoque poteſt, plus interdum eum iactauiſſe, quam praeſtitiſſe. Nonnullis inter medicos aulae Al Mohtaderi eminuiſſe dicitur.

pag. 81. lin. 16. *Bocharam eum patriam habuiſſe.* Hoc vt veterum teſtimoniis aliorum narratione praeſtat, ita facile concedi poteſt, vicum Aufrene, quem alii Afshana appellant, eum patriam habuiſſe, ita enim veteres plerique ſolent ignobilem locum, cum vicino nobiliore commutare. Patrem ex vrbe Balkh fuiſſe ciuem, ipſe narrat.

Ibid. lin. 26. *Ad celebrem quendam mathematicum.* Artis magis vſu, quam nomine celebrem, nempe hortulanum, ſed arithmeticae Indicae, quae tunc vſu valebat, valde peritum. Nempe cerea hoc tempus Arabicorum numerorum, ſiue figurarum arithmeticarum natiuitas quaerenda eſt [i].

pag. 82. lin. 3. *Totam encyclopaediam.* Cui artis quoque ſalutaris principia adiungunt, qui vitam eius enarrant, eo quod praeſtantiſſimos eius libros eo tempore iam legerat. Addunt alii, aegrorum haud paucorum ſanitatem iam tum reſtituiſſe.

Ibid. lin. 12. *Philoſophiae myſteria pernouiſſet.* In iis autem pernoſcendis vſus eſt praecipue libris Abu Naſr Al Farabii, quo eo tempore praecipuo doctore gloriabatur Orient.

pag. 83. lin. 1. *Indefinenter connixus eſt.* Obiit circa illud tempus pater, poſt cuius funus, et ſuperatos morbos in prouinciam Ioriam redux primum ad ſcribendum animum applicuit, variaque ſcripta, e. g. partem primam *Al Kanun*, *extractum Almageſti* aliaque elaborauit. Tandem ad Codlanawiyam Sahebi principem delatus, primus rerum adminiſtrandarum

e) p. 191. 192. conf. hiſtor. vniu. T. XX. p. 319.
f) v. Al Razis.
g) De medic. et philoſ. Arab. c. 6.
h) Bibl. Graec. Vol. XIII. p. 267.
i) Ducentis annis ſerius ciphras Arabicas innotuiſſe, putat VOSSIVS de ſcient. math. c. 8. §. 7. p. 34. qui ex hoc loco emendari poteſt. Obiit enim Auicenna A. C. 1036. edidit Voſſius librum ſuum 1640.

Digitized by Google

darum praefectus, Vezirium hodienum vocant, delectus, a militibus autem infensis valde ad necem postulatus, vix ista pericula euasit, munus vero splendidum retinere, inuidiae cedens, noluit, et priuatus magis in domo pharmacopolae cuiusdam philosophiam metaphysicam et naturalem excoluit. Debemus haec pleraque ABVLFARAIO [u], cuius narrationem repetit *Historia vniuersalis* Britannorum [v]. Cum his comparandus HERBELOTVS [w]. Immodicam Venerem, philosopho et medico indignam mortem ei attulisse, affirmant omnes, quam ei morbus cholicus et clysterum incautus abusus contraxerat. Habuit quoque praeceptorem insignem Abu Sahlum Christianum medicum. Vitam suam ipsum descripsisse, nonnulli volunt, certe multa ipsius Auicennae verbis de eius vitae historia retulit Abulfaraius: verisimile tamen ea ex biographia Auicennae, quem Abu Obeidah Al Iuziani conscripsit, Abulfaraium hausisse: ad hunc enim ipse prouocat [x].

pag. 88. lin. 27. *Facile caremus.* Inseri hoc loco catalogo philosophorum Arabicorum debet memoria celeberrimi philosophi et astronomi Abu'l Rihan Muhammed Ebn Ahmed *Al Biruni*, quem his annis scientiarum veterum gloria inclaruisse, ait ABVLFARAIVS [y], qui hoc etiam addit: *fuisse in variis philosophiae Graecorum et Indorum* (nempe, qualis ex Persia ad Indos circa ea tempora migrauit) *generibus profunde eruditum, praecipue in mathematicis, de quibus libros insignes composuerit. Indiae regiones ingressum ibique multos annos commoratum, a sapientibus eorum disciplinas ipsorum * edoctum esse, ipsosque Graecorum philosophandi rationem edocuisse. Libros ab eo compositos esse multos certae solidaeque admodum doctrinae: non fuisse inter sui similes vel eo tempore, vel ad hunc vsque diem quemquam ipso in scientia astronomica perspicaciorem, nec, qui eius qua minima, qua maxima magis perspecta habuerit.*

pag. 84. lin. 11. *Ex morbo obiit.* Variant in recensendis his mortis Auicennae circumstantiis scriptores Arabes. Et Abulfaraius quidem cum Leone in mortis genere et caussa consentit, tradit autem, adhibitis vno die octo clysteribus, secutam excoriationem epilepsiam concitasse, medicamentis variis autem assumtis a morbo quidem ex parte, non vero totum reconualuisse. Deinde Alao'ddaula Hamdanum tendente, cum itineris comes esset, eodem cholicae morbo vexatum illucque translatum cognouisse, deficere sibi vires, nec pellendo morbo sufficere, remedia neglexisse, sicque, cum in hoc statu per aliquot dies mansisset, obiisse. Hamdani sepultum annos natum LVIII. denatum anno Heg. CCCCXXXVIII. qui secundum Pocockium incidit in annum Christi CIↃXXXVI.

u) l. c. p. 358.
v) T. XX. §. 368. qui not. (h) p. 528. quoque scriptores allegant Arabes de Auicenna consulendos, qui adeundi.
x) pag 812. 813.
y) l. c. p. 353.
z) l. c. p. 248.
a) Quales illae fuerint, disci ex illis potest, quae supra ad Tom. I. p. 11. c. 3. de philosophia Persarum post C. N. in his supplementis adduximus. Repetit hanc Abulpharaii narrationem historia vniuersalis l. c. p. 528.

Digitized by Google

pag. 85. lin. 34. *Fabulam cudere.* Nititur autem illa traditio narratione eius, qui se comitem fuisse Auicennae apud Abulfaraium testatus est. Verum fatemur, multis modis nobis suspectam eam narrationem, cui aliae Arabum contradicunt, suntque nonnulla in ea, quae se mutuo euertunt, videnturque ideo ab amicis conficta esse, vt infamia, quam exitus vitae Auicennae infelix illi contraxerat, auerteretur, isque ad vitae finem in honore vixisse crederetur. Vnde maluimus Leonem sequi, cuius relatio plana est et cohaerens, et ex scriptoribus Arabibus desumta. Facile tamen persuaderi nobis patimur, Auicennam Caliphis consilio in regimine adfuisse, id quod saepius medicis Arabibus accidit. Nam in aula eum vixisse satis potentem, negari nequit. Quod si tamen potior videatur lectori fides testis vnius ab Abulfaraio adducti, explodenda tamen nonnulla sunt, quae non satis cohaerent.

pag. 89. not. y. *Scriptoresque historiae pontificiae et schismatum alii.* Ante omnes consulendi τῷ πάνυ MVRATORII *Annales Italiae* [b], qui istius aetatis tempestates a Rogerio excitatas accurate narrat. Memorari in philosophiae historia meretur, princeps ille propter astronomiae et geographiae studium, cuius gratia argenteum sibi globum terraqueum, magni ponderis conflari, et singulari libro explicari iussit [c].

pag. 112. lin. 12. *Leo X. P. R. peculiari bulla illam reiicere damnareque opus habuerit.* Exhibuimus memorabilem bullam impietatis eius temporis, quo ecclesiae doctrina reformata est, testem infra Tomo V. [d] vbi testimonium quoque Ficini attulimus, fatentis: totum orbem Peripateticum secta Alexandrina et Auerroica occupari, quarum illa intellectum mortalem existimet, haec vnicum esse contendat, vtraque omnem religionem euertere, et ab Aristotele suo defeciſſe. Eius specimina multa nominauimus, quae h. l. repetenda sunt.

Ibid. lin. 19. *Sed infima intelligentia Auerroi fit.* Reuocanda in memoriam hic sunt, quae T. I. [e] de animae immortalitate ex mente Auerrois differuimus, et quem animorum fontem Aristoteles statuerit, excussimus, vnde constare potest, quantopere Auerroës ab ipso Aristotele dissenserit. Neque tamen Auerrois intellectus immortalis cum Platonis, multo minus cum Pythagorae et Stoicorum anima humana confundendus est, quibus anima forma informans est, Auerroi forma assistens, quales sunt omnes motores Stagiritae. Vnde vero iste intellectus vniuersalis originem habeat, nec Auerroës quidem dicere ausus est, ne systemati emanatiuo se frigidam suffundere proderet. Vti enim ipse quoque Auerroës cum Aristotele credidit, ex nihilo nihil fieri posse, ita re ipsa cogebatur emanationem intelligentiarum, quae immateriales sunt, admittere, quo pacto coactus quoque est statuere, intellectum agentem hominis, qui extra accessit, esse emanationem diuinam, ex Deo ortam et in Deum tandem redeun-

b) T. VI. p. 503 seqq.
c) Pococк. specim. p. 373.
d) pag. 63.
e) pag. 826 seq.

Digitized by Google

redeuntem, ſed ordine emanatiuo, vnde hunc intellectum vltimo loco collocauit: quo pacto vetera ſomnia reſuſcitauit, etſi noua dicere, et faniora videri cupiebat: ſufficiebat ita, ſuae religionis theologis obleuiſſe os, ne impietatem ſentirent, quae in hac hypotheſi latet. Id quod ad diſſenſum inter BAYLIVM et FREINDIVM a nobis h. l. notatum, intelligendum probe obſeruandum eſt.

pag. 117. lin. 20. *In omnibus, quae ſub imperio Mogulenſium erant regionibus.* Offenſus a Calipha ſuo Al Moſtaſem Billah Naſirrodinus ad Tartaros transfugerat, et, cum magna eius eſſet propter aſtrologiae peritiam auctoritas atque exiſtimatio, a Hulhacu Il Chano expeditionem in occidentales regiones moliente gratia multiplici acceptus et cumulatus, et ad interiora rerum conſilia admiſſus eſt. In qua conſiliariorum conſeſſu cum plerisque placeret, verſus Occidentem belli initia facere, et Thraciam Scythiamque aggredi, aliud Naſirrodinus ſuaſit, et Bagdadi expugnationem moliendam eſſe perſuaſit, quam non poſſe has aggreſſiones ſuſtinere praeuiderat, permouitque Hulacum, vt Aſiaticam Iſmaelitarum expeditionem ſuſciperet, in qua poſt ſuperatos in praelio hoſtes vrbem tandem Bagdadum metropolin expugnault, poſtquam publicaſſet antea, viros doctos omnes, quotquot ſine armis eſſent, tutos fore; quae expeditio, et fortuna belli, conſilium Naſirrodini ſecuta, plerisque Orientis hiſtoricis, Khondemirio, Abulfaraio, Abulfeda Ebn Halckan, Mirkhondo aliisque fuſe narratur, ex quorum memoriis hanc rerum Aſiaticarum apud Mogulenſes fortunam deſcripſerunt rerum Saracenicarum et Tartaricarum hiſtorici, inter quos imprimis comparandi, qui luculentius iſta deſcribunt, HERBELOTVS [f], RENAVDOTIVS [g], *hiſtoriae vniuerſalis* [h] auctores *Britanni.* Feliciter ceſſit literis et philoſophiae hoc fatum vrbis Bagdadi, quae hactenus literatorum atque literarum caput atque primaria ſedes fuerat: inde enim philoſophi, mathematici, medici, quibus Tartarorum principes valde fauebant, per Aſiae prouincias diſperſi, philoſophiae reliquarumque literarum fortunam valde amplificarunt, poſtquam Caliphatus Muſelmannorum cum Aloſtaſemo, magnos quidem ſpiritus gerente, ſed miſere tandem a gradu deiecto, exſpiraſſet [i].

pag. 118. lin. 5. *Nec ipſum Tamerlanem a doctis viris abhorruiſſe.* Id non mirabuntur, qui magni herois et feliciſſimi conquaeſtoris hiſtoriam legerunt, et, quantis naturae et ſapientiae praeſidiis fuerit munitus, didicerunt. Certe inter maximos principes non ob militarem tantum fortitudinem et felicitatem, ſed ob artis quoque ciuilis et prudentiae praeſidia, immor-

f) Bibl. Orient. art. Moſtadhem p. 629 ſeqq.
g) Hiſt. patriarch. Alexandr. Iacob p. 598 ſeq. de quo libro vid. Hiſt. vniu. T. XX. not. g. p. 337.
h) T. XXI. §. 111 ſeqq. p. 211 ſeqq.
i) Catalogum virorum doctorum Bagdadi literarum gloria fulgentium exhibet eadem Hiſtoria vniuerſ. l. c. §. 85. p. 161 ſeqq. quae plerorumque hiſtoriam ex Abulfaraio hauſit. Eorum nomina h. l. cum liber in omnium manibus ſit, non recitabimus, quosdam iam nominauimus, alii §. ſeq. indicantur.

Immortale ſibi nomen peperit. Res eius fata, characteres animi poſt biographos eius Saracenicos, ex horum relationibus, omnium diligentiſſime deſcripſit PETIT DE LA CROIX filius [k].

Ibid. lin. 8. *Succeſſere arma Turcarum literis inimica.* Hoc adeo in ipſa Aſia peruulgatum eſt, vt diſtichon aliquod inuentum ſit, quod monet: etiamſi Turca vel Tartarus aliquis omnium ſcientiarum perfectionem poſſideret, Barbarum tamen natura intime in illo radicatum eſſe [l].

pag. 120. lin. 6. a fin. *Tacemus.* Dedit quoque breuem recenſionem virorum doctorum, qui ſub Caliphatu vltimi Caliphae eminuerunt inter Muſelmannos, *hiſtoria vniuerſalis* [m] ſaepius laudata, qui omnes ex Abulfaraio hauſti ſunt. Ex his noſtra nonnulla ſuppleri poſſunt, facili ipſius lectoris labore.

Ibid. lin. vlt. *Ad mathematicarum diſciplinarum annales.* Eos, et praecipue aſtronomos, cum in erudita *aſtronomiae hiſtoria* diligenter recenſuerit WEIDLERVS, ille plura fitientibus, ipſe adeundus eſt.

pag. 121. lin. penult. *Coniicit GOLIVS.* Confirmat eius coniecturam ABVLFARAIVS *Dynaſtia nona* [n].

k) Hiſtoire de Timur Bec connu ſur le nom de grand Tamerlan, Empereur de Mogols et Tartares. Prodiit cum notis hiſtoricis et geographicis Delfr. 1723. 12. IV. Vol. alios biographos Tamerlanis, Achmed Arabſidam Arabice a Golio, Gallice a PETRO VALTERIO edituum, Sanctyonem, Petrum Ioſephum Aurelianenſem nominat Biblioth. hiſtorica STRVVIANA T. I. c. 10. §. 8. p. 197. quibus hiſtoria vniuerſalis toties nobis laudata eo magis adiicienda eſt, quod praeter verſiones recentiorum ipſa autographa Arabica conſuluerunt, vid. ibid. p. 226.

l) Hiſt. vniu. T. XXI. §. 155. p. 289.

m) l. c. not. y. p. 221 ſeqq. Dolemus autem hiſtoriam dynaſtiarum Africae et Europae deeſſe quam adhuc ſperamus.

n) pag. 161.

AD CAPVT II.

DE NATVRA ET INDOLE PHILOSOPHIAE SARACENICAE.

pag. 124. lin. 14.

Nec veſtigium philoſophiae vllum admiſſum. Itaque ex ſententiis Arabum ante Islamiſmum philoſophia Arabica exſculpi magis non poteſt, quam ex Homero Graeca. Secus qui faciunt, illi philoſophiae nomen cum ſapientia naturali confundunt.

Ibid. lin. 32. *Tomo primo luculenter demonſtrauimus.* Rogamus hoc loco lectorem, vt ea quoque patienter relegat, quae in his ſupplementis ad iſtum locum de Zabiis adiecimus, ne cramben recoquere cogamur. Non inutiliter autem HOTTINGERI *archaeologiam orientalem* itemque *hiſtoriam Orientalem* comparabit, qui fontes plures in vtroque libro indicauit.

pag.

Digitized by Google

pag. 127. lin. 23. *Prout in Aegypto modificata et hypothesibus Pythagorico-Platonicis temperata est.* Haec recte quidem dici, constare Lectori potest ex iis, quae supra in his supplementis de philosophia Aegyptiaca diximus. Sed rogamus eum quoque, vt illa relegat, quae de philosophia Persarum et systemate Zoroastriano attulimus demonstrauimusque, philosophiam illam orientalem, quam foecundam habuisse progeniem in Oriente inter haereticos Christianos et gentiles, ostendimus, talia potissimum e Zoroastris schola et systemate exhibuisse, quae tum demum in diuersas sectas diuisa sunt. Vera igitur clauis Zabianismi, qualis seculis a C. N. III. IV. V. viguisse scriptoribus Arabicis dicitur in propagine illa systematis Zoroastriani, de mediatore inter Deum et malum, Oromasden et Arihmanium, quaerenda est, quae Aegyptiacam theologiam in multis alterauit, vt ex Essenorum historia constat. His accessere Pythagorica reformata, quae omnia pristino, qui in Oriente ab antiquo tempore viguit, Magianismo et astrolatriae assuta et admixta tandem his seculis, quibus in Oriente integra agmina fanaticorum philosophorum prodierunt, tales homines genuerunt, quales Zabiorum religio prorepere passa est. Ex his coniecturae nostrae, quas h. l. de origine Zabiorum attulimus, illustrandae et supplendae sunt.

pag. 132. not. p. lin. penult. *Diss. VII. p. 1296.* Ponendum *p. 296. editionis Lipsi. p. 310. ed. Angl.* quem totum describeremus, nisi editio Lipsiensis vbiuis occurreret: sed tamen iterum monemus lectorem, vt ad Algazelii recensionem interpretationum Alcoranicarum attendat, ne ab iis decipiatur, qui, vt ex obliquo christianam legem calumnientur, Islamiticam tantum non vbique sanam rationalemque, ast inimicorum detorsionibus corruptam esse, luxuriante calamo somniant.

pag. 133. lin. 24. *Quem tenuit Muhammedes.* Aliter quidem visum, quibus Muhammedis historia ad Christianae religionis calumniam traducta est, qui Muhammedis integritatem in persuadenda non tamen vi et armis iniungenda noua lege sua laudare non satis possunt. Ast his recte opponitur, tamdiu quidem Muhammedem leni pede incessisse, quamdiu potentia carebat, hanc cum per complures affectas Medinenses obtinuisset, illico mentitum esse, iactantem, potestatem sibi factam esse ex coelo, legem suam contra aduersarios defendendi. De qua eius contentione GAGNIERIVS [a] et *historiae vniuersalis* auctores [b] videndi, et ipse *Alcoranus* [c] consulendus.

pag. 134. lin. 6. *Alcoranum increatum Dei verbum esse.* Insipida et longa de hac assertione fabula est apud theologos Muhammedanos, praecipue ab illis magno feruore in controuersiam adducta, qui orthodoxi videri volunt. Nam Coranum non tantum pro verbo diuino atque Θεοπνεύστῳ habent, sed librum quoque diuinum immediate ex coelo demissum,

a) In vit. Mohammed. c. 14. b) T. XIX. §. 66. p. 81 seqq. c) Surat. XXII.

Digitized by Google

ſum, et innumeris miraculis, tanquam immediatum diuinitatis opus a creaturis diſtinctum eſſe crocitant. Inde factum, vt Traditionarii, (Sonnitas vocant) increatum DEI verbum Alcoranum eſſe, ambitioſe contendant, miraque ambiguitate ita de hac theſi loquantur, vt facilis res ſit in vtramque partem de hac quaeſtione differere, licet ad ipſum Muhammedem eius aſſerti referatur auctoritas. Ex eo vero euenit, vt pro incredulis quidem haberentur, qui Coranum creatum dicerent, hoc vero opprobrio non obſtante, ſurgeret ſecta Motazelitarum, itemque ſectatores Iſa Ebn Sobeih Abu Muſa dicti Al Mozdar, qui contrarium ſtatuerent, eo quod ita duae ſubſtantiae aeternae ponantur. Cui ſententiae tanto feruore adhaeſerunt Caliphae, qui ex Abbaſidum familia orti ſunt, vt alteram partem perſecutione premerent, et imprimis Almamon pro creatione Corani publico edicto decerneret, eius autem ſucceſſores Al Motaſem et Alwahtek flagellis et carceribus contrarium ſentientes perſequerentur. Quam tamen faeuitiam ſuſtulit Al Motawakelus, liberumque permiſit, quod cuique videretur verum, de hac quaeſtione ſtatuere. Viderunt ſcilicet viri docti, qui naſum habuere, logomachiam ſubeſſe quaeſtioni, quam ita ſuſtulit ALGAZELIVS [d], vt diceret, Alcorani archetypum fuiſſe in Intellectu Dei, adeoque ad diuinam eſſentiam pertinere, et illi perpetuo adfuiſſe, ectypa autem creata eſſe et hominum diligentiae deberi. Quae ſpecimen eſſe poſſunt λεπτολογίας philoſophicis ſubtilitatibus in theologiam introductae, qua ipſe philoſophiae vſus in theologia perlit. Plura cum ad hiſtoriam magis Muhammediſmi theologicam, quam philoſophicam pertineant, de his obiter adductis non cumulamus, videndi autem, qui plura dabunt, theologiae Muhammedanae ſcriptores fere omnes, tum Arabes nominati a POCOCKIO [e], tum Chriſtiani, et in his I. H. HOTTINGERVS [f], LVDOV. MARACCIVS [g], *hiſtoriae vniuerſalis* conditores Britanni, et ex ipſis Arabibus Chriſtianis ABVLFARAIVS [h] aliique.

pag. 137. lin. 13. *Praeſtantiſſimus MOSHEMIVS.* Concinit, quisquis hiſtoriam Muhammedis αὐτόγραφον cum fabula Romanenſi Boulainuillerii comparauit, id quod accurate, optimis memoriis et candido pectore vſi fecerunt *Hiſtoriae vniuerſalis ſcriptores Britanni* [i], quorum de hac *vita Muhammedis*, quae Boulainuillerium parentem habet, iudicio ſubſcribent, quos animus rectus verique ſitiens ad lectionem ipſorum fontium Arabicorum adduxit.

pag. 139. lin. 12. *Communi opinione licet falſa, pro Sadducaeis habiti ſint.* Cauenda hic nominum et hypotheſium confuſio, Zendicaei enim non ſectae propagine, ſed opinionum tantum affinitate pro iisdem cum Sadducaeis habiti ſunt, cetera commune nihil habuerunt. Vnde non probamus

d) In Profeſſ. fidei apud Pococ. Specim. p. 219.
e) pag. 217 ſeqq.
f) Hiſtor. Orient. L. II. c. 3. p. 252.
g) Prodr. Alcorani, p. 43 ſeqq.
h) p. 245. ELMACIN. Hiſt. Sarac. p. 138.
i) T. XIX. §. 12. p. 18.

Digitized by Google

mus Interpretationem HOTTINGERI [k], HERBELOTI [l] aliorumque, qui Zindicaeorum appellationem per Sadducaeiſmum expoſuerunt, cum praeter communem quandam prouidentiae negationem in ceteris longe inter ſe diſſenſerint. Interim hoc nomine, verum eſt, ſectam iſtam, (nam peculiare doctrinae ſyſtema publice profeſſa eſt,) maxima fuiſſe inuidia preſſam, tandemque extinctam. Et tempore quidem Al Walidi, Caliphae, adeo caput extulit Zendiciſmus inter Arabes, vt ipſe princeps huic impietati nomen ſubſcriberet. Sed non diu iſta fortuna durauit. Calipha enim Al Mohdi imperante, in eos dira inquiſitione ſaeuitum eſt, qui Zendiciſmi impietati adhaerebant, et, quicunque declarabantur in his caſtris haerere, interfecti ſunt [m]. Quod fatum etiam ſub Calipha Muſa Al Hadi Zendiciſmi aſſertores preſſit, qui patris veſtigia ſtrenue legit. Haec ſcriptores Arabes hactenus citati paſſim, qui tamen de ſyſtemate Zendickaeorum adeo variantes nobis relationes reliquerunt, vt in concordiam eas redigere non liceat. Conſulendi autem ſcriptores Arabes hactenus laudati, et, qui eorum teſtimonia collegerunt, *Pocockius*, *Hottingerus*, *hiſtoriae vniuerſalis ſcriptores* [n], alii.

pag. 140. lin. 10. *Et cognomen Dararaeo.* Exſcripſit locum HOTTINGERVS, et repetierunt *auctores hiſtoriae vniuerſalis* [o], apud quos is legi poteſt ab illis, qui Elmacini hiſtoria Saracenica, rarius obuia carent. Hi ab Alfarabi narratione diſſident, vnde coniici poteſt, nomen Dararianorum fuiſſe quoque generale, et impios quoque et in Dei naturam iniurios ſignificaſſe.

pag. 144. lin. 3. *Aliique.* Addendus B. AVGVSTI PFEIFFERI *theologia Iudaica atque Mohammedica*, ſeu *Turco-Perſica*, cuius *exercitatio VI.* [p] proprie cum appendice huc pertinet. Iungi illi poteſt DAVID NERRETERVS, qui ALEXANDRI ROSSAEI religionum orbis ſect. V. continuauit, et duce LVDOVICO MARACCIO, Alcorani verſionem Germanicam cum annotationibus exhibuit [q]. Alios huius generis tacemus.

pag. 149. not. g. *Loca ZONARAE huc facientia.* Narrauimus iſtam literarum et philoſophiae infelicitatem barbariemque ingruentem infra *Lib. II. cap. primo* [r], quae cum hoc loco comparanda ſunt, vt intelligatur, quae lolia feminibus foecundis Sec. VIII. et IX. ſuccreuerint. Cuius cauſſas praeter perditos imperatorum mores et infelices Chriſtianorum controuerſias maxime de cultu imaginum fuiſſe Saracenorum in Graeciam incurſationem, qui ſub Conſtante, Heraclii nepote circa annum DCLX. litorales omnis Graeciae ciuitates atque inſulas claſſibus inuadere ac populari coeperunt, pulchre vidit monuitque FR. PATRICIVS [s].

k) ll. cc.
l) T. XX. §. 344 ſeqq. p. 493 ſeqq.
m) Conf. HOTT. l. c. p. 359 ſeq.
n) loc. cit. p. 355 ſeq. vbi etiam de Hamzaei ſectatoris eius impietate locus ELMACINI p. 265. extat. Mi vero omnes non ad hiſtoriam philoſophicam, ſed theologicam Muhammedanam pertinent, ideo hic obiter tantum allegati.
o) l. c. §. 344. p. 493.
p) pag. 263 ſeqq.
q) Norimbergae 1703. 8.
r) pag. 536. s) loc. cit.

pag. 152. lin. 1. *Suffudit Salmaſii auctoritas.* Aequum tamen putamus, hoc loco, vbi a tam graui viro Salmaſius accuſatur, ipſa eius verba dare, quae non tantum ad eum excuſandum facere poſſunt, ſed et argumento huic, de verſionibus Arabicis philoſophorum Graecorum lucem affundunt. Ita vero vir magnus, diſſertationis occaſione a verſione Arabica tabulae Cebetis exſurgente, cuius mendas non tacet [1]: „ſcriptor „multa adtexuit, quae in Graeco textu non ſunt, alia vero detraxit, plu„rima interpolauit, immutauit, inuertit, nec pauciora non ipſi intellecta „perperam et contra mentem auctoris Graeci expreſſit. Quod non huic „tantum verſioni vel paraphraſi peculiare eſt, ſed fere omnibus commu„ne, quaecunque hodie ab Arabibus ex Graeco expreſſa viſuntur. Nec „profecto id tantopere mirandum φιλάραψ, videri debet, vt eos hac in „parte praeter aequum iuſtumque propterea protegere cupide nimium „feſtinent, eorumque erroribus patrocinari. Quo tempore iſtae verſio„nes curabantur auctorum, praecipue antiquioris Graeciae, qui in Ara„bicum ſermonem a doctis Graece Arabibus transferri ſolebant, non li„cuit meliores dari, cum nec maior inter ipſos Graecos priſcae eorum „linguae eruditio diluceret. Ante Muhammedem vix vlla, certum eſt, „linguae Graecis cum Arabibus interceſſiſſe commercia, ad hoc, vt „artes Graecanicas ac diſciplinas Arabes affectarent, libros illorum legere „atque intelligere laborarent eosque in ſuam linguam vertendos ſtudioſe „curarent. Heraclii illud aeuum Graeciae fuit, quo aeuo ne ipſos quidem „Graecos conſtat admodum peritos fuiſſe antiquae Graecanicae dialecti, „qualis Socratis ſeculo Athenis Atticis vigebat. Quis enim ignorat, „tum nec Atticos Attice amplius loquutos eſſe, nec Graece Graecos, „quorum ſermo Latinis vocibus in Graecum ſonum ac formam tradu„ctis, totus inquinatus ac contaminatus ab antiqua puritate Attica Grae„caque deſciuerat. Qui illo tempore, vel ex Graecis ipſis, linguam, quae „in vſu fuit Socratis aeuo et ſequentium philoſophorum, mediocriter „intelligerent, quam rari fuerint, hinc palam eſt. - - Quo magis igno„ſcendum reor Arabibus, qui Graeca in Arabicum eo tempore verte„runt, quo ne ipſi quidem Graeci, quibus vtebantur magiſtris in illa lin„gua addiſcenda, promittere poterant, omnia a ſe intelligi, quaecunque „in Socratici aeui ſcriptis Graecis occurrebant. Non poterant iſti Arabes „ſuis magiſtris eſſe doctiores. Non itaque mirum, ſi paucae Arabicae „verſiones Graecorum operum ita fideles reperiuntur, vt nihil in his „deſiderari poſſit. Maximam eae partem, non Heraclii imperio, quo „primum tempore prodiit Arabs ille impoſtor, ſed longe adhuc inferiori „aeuo Graeciae, ideoque etiam imperitiori et corruptiori exierunt. Non „enim latet Arabiſmi peritos, regnante apud Arabes Abbaſidarum familia „ſub regno praecipue Almamonis, qui ſeptimus Califarum ex ea gente „fuit,

1) In praef. in tabulam Cebetis Arabicam et aurea carmina Pythagorae Lugd. Bat. 1640. 4. editam.

Digitized by Google

„fuit, ſcientiarum omnium ſtudia floruiſſe, Arabasque eo Imperante, qui „et doctus erat, et doctos amabat, fouebatque, certatim ſe Graecis in „Arabicum vertendis adplicuiſſe quamplurimos: vt proinde conſtet, plu„res verſiones ex Graecis Arabicas circa illud ſeculum prodiiſſe, quam „reliquis omnibus retro Arabicae dominationis temporibus, aut dein„ceps ſequentibus. Atqui ſeculum iſtud a Chriſto fuit nongenteſimum, „(nonum) non minus in Europae et occidentis nationibus Latinae lin„guae in barbarum degeneranti fatale, quam in Aſia et reliquo Oriente „Graecae. Si quis Arabs ex ea aetate Graece ſciuit, non potuit eam „ſcientiam haurire, niſi ab imperitis Graeci ſermonis magiſtris. Hinc „tam multi hodie errores in Arabum ſcriptis occurrunt, ſiue dedita ex „Graecis ea conuerſa ſint, ſiue etiam ſententias Graecorum auctorum in „operibus ſuis obiter citauerint. Quod hic occaſione data conſignare „debui, ne, qui Arabicae linguae ſtudioſi ſunt, prae ſtudio, ſicut plerisque „moris, ſeſe ita quaſi auctorare, et addicere pergant eorum partibus, „quorum doctrinam conſectantur, vt nihil eos peccaſſe, Iouem lapidem „iurare parati ſint.“ Pergit haec porro exemplis illuſtrare, iubetque a ſe diſcere monitos, quid fidei illis habendum ſit, ne, ſi nimiam de earum ſinceritate fiduciam conceperunt, ſaepius decipiantur etc. Deſcribendus erat totus locus etſi longiuſculus, tum, quod multam lucem argumento, quod tractamus, affundit, Salmaſiani nominis celebritate ſuffultam: tum, quod eam inuidiam Salmaſiano nomini deprecaremur, qua eum Renaudotius cumulauit, et nos hacce Salmaſiana praefatione nondum lecta ex Renaudotio repetiimus. Vnde malumus cauſſam, cur tamdiu Arabicarum verſionum auctoritas durauerit, adſcribere admirationi exoticorum, cum inter coecos domi, luſcus imperaret. Id quod durauit donec in academiis, Pariſina et Medicea, Graecarum literarum ſtudium reflorescere coepiſſent.

pag. 153. lin. 1. *Quem tam male habuit Arabum induſtria.* Idem adductis exemplum de Dioſcoridis verſione monuit SALMASIVS, eadem *praefatione:* Sed in Cebetis quoque verſione tot naeuos indicauit, vt plane conſtet, in omnibus philoſophiae partibus Arabes iſtos Dauos fuiſſe, non Oedipos, non natura magis et ingenio, quam temporis iniquitate et infelicitate.

pag. 157. lin. 19. *Quam hodie adhuc deſideramus.* Multi quidem in hac arena defudarunt in Chriſtianorum caſtris, vt Muhammediſmum vel Islamiſmum potius aggreſſuri, illius prius ſummam ac *διατύπωσιν* exhiberent. Eorum nomina pleraque cum indicauerint Io. ALB. FABRICIVS [x], et Io. FRANC. BVDDEVS [y], lectorem ad iſta literaturae horrea dimittimus, cum

x) In ſyllabo ſcriptorum de V. R. C. c. 50. p. 733. vbi quoque Maraccii, Hackſpanii, Gerhardi, Forbeſii, Hottingeri, Relandi aliorumque labores indicantur.

y) In Iſag. hiſtor. in theologiam L. II. c. 7. p. 1403 ſeqq. His iungi poteſt catalogus Bibliothecae RAIMANNIANAE Tom. I. ſect. IV. p. 915 ſeq. vbi ſcriptores ad theologiam Muhammedanam ſpectantes enumerantur.

ad noſtrum illa campum proprie non pertineant. Legenda autem et examinanda eſſe haec ſcripta prouide et ſine praeiudicii occupatione eo magis monemus, quo certius eſt, multos de Muhammedis perſona et lege ſcripſiſſe, qui, nec potuerint, nec voluerint mentis acie in veros pſeudo-prophetae ſenſus penetrare, et, vel nimium premendo, vel nimium pingendo vatem Arabicum, peccarunt y). Vnde priſtinum deſiderium repetimus, vt vir quidam doctus et candidus, auxiliisque doctrinae, ſapientiae et literaturae ſatis inſtructus criticam hiſtoriam legis Islamiticae exponat, verosque ſenſus, non naſcentis tantum, ſed vigentis quoque Muhammediſmi (quae duo momenta vehementer inter ſe differunt), fundamenta, dogmata, ſententias, ſyſtemaque totum Islamiſmi cum cauſſis veris critice extricet, tali enim hiſtoria religionis Muhammedicae hactenus deſtituimur, qualis, ſi exiſteret, facile natiuos philoſophiae naturalis atque moralis vultus eius poſſemus detegere, luſtosque philoſophiae Muhammedicae vultus effingere.

pag. 164. lin. 6. *Quam malis ſequelis fataliſmus Muhammedanus ſubiectus ſit.* Conferendus ad hunc articulum Io. Chr. Krvgeri diſſ. *de fato Muhammedano* z).

pag. 176. lin. 7. *Fieri poteſt iſta generatio ſpontanea.* Rationes, quibus pro generatione ſpontanea ſiue aequiuoca, neſcio, ſerio, an per luſum, non indocte tamen et acute poteſt pugnari, peculiari diſſertatione olim explicuit Polycarpvs Lyservs a). Non tamen generationis ſpontaneae idolo tantum tribuit Thophailus, vt non emanationis ſyſtema in auxilium vocet, afferendo, ſpiritum qui, iungitur corpori, ex Deo effluxiſſe, vt radii ſolis in mundum: quo pactō ipſe prodidit, iſtud generationis aequiuocae ἔνρημα carere ratione ſufficienti, adeoque ſine principio externo vel interno cooperante totam ſuam fabulam de Yoktanidis ſui ortu collabaſcere. Vnde rationem quoque dare non potuit, quae ſit origo inanimatorum.

pag. 199. lin. 2. *Summam rerum complectendo.* Vt habeat Lector, cui ad orientales fontes non tam facilis patet aditus, vnde moralem doctrinam Muhammedis diſcat, et, quid valeat, iudicare poſſit, exhibebimus ei XL. regulas morales, ſiue apophthegmata moralia, quae aſſeclis ſuis prophetam inculcaſſe ſcripſit Muhammed ben Abibeker. Ita vero ait vates b): „Qui e populo meo quadraginta ſeruauerit dicta aut conſilia, is hortum „(Paradiſum) ingredietur, eumque excitabit Deus excelſus cum ſapientibus „et prophetis vltimo die. Diximus ó apoſtole Dei, quae ſunt quadraginta illa

y) Prius multis euenit, et, ſi verum fatendum, pauci ſunt, qui limites non exceſſerunt. Sed fatendum quoque, nonnullos in alterum extremum incurriſſe, et legis Coranicae ſenſus, longe tolerabiliores, quam veri et non ſuſpecti fontes tradunt, effinxiſſe. Notauimus ideo Relandum, ipſumque P. M. Innocentium XI. Maraccii editionem Alcorani impediuiſſe, quod benignos nimis ſenſus ei affricuerit, narrat Leibniziana, pag. 83.

z) Lipſ. 1750.

a) In appar. liter. Witteberg. T. I. Sp. XI. p. 175.

b) Extant lingua Arabica apud Hottingervm hiſtor. Orient. L. II. c. 3. p. 248 ſeqq.

Digitized by Google

„illa dicta? respondit Muhammed: 1. Si credis in Deum, 2. et diem „vltimum, 3. esse item librum, 4. prophetas, 5. resuscitationem post „mortem, 6. prouidentiam circa bona et mala, 7. si testaris, non esse „Deum, nisi τὸν Θεὸν, meque apostolum eius, 8. si statis temporibus tuas „preces peregeris, praemissa abluitione seu purificatione larga, suo quo- „que tempore conuenienti, et consummatione incuruationum et in- „clinationum, precibus singulis destinatarum, 9. si decimas dederis, „10. si mense Ramadam ieiunaueris, 11. si Meccanum iter, vbi possis, „feceris, 12. si singulis diebus et noctibus duodecim Reccas ordinarias „oraueris, tres autem ex abundanti pietatis studio, 13. si a foenore absti- „nueris, 14. nec vinum biberis, 15. nec per Deum in vanum iuraueris, „16. nec contra quemquam Deum testem appellaueris, propinquum siue „remotum, 17. nec praecipitanter iudicaueris, 18. nec fraudaueris fra- „trem tuum vel a facie, vel a tergo, 19. neque mulierem castam abege- „ris aut repudiaueris, 20. neque suum cuique exprobraueris naeuum, „21. neque vi quenquam coegeris aut ludibrio habueris, 22. neque affli- „ctionis seu cruciatus Dei timorem omnem abieceris, 23. neque, quae „inter homines sparguntur, calumniose effutiueris, vel, si non fueris „obtrectator, 24. si Deo gratias egeris, pro quolibet accepto beneficio, „25. si patientiam probaueris in calamitatibus et afflictionibus, 26. si non „de misericordia Dei desperaueris, 27. si cognoueris, quod omne id, „quod euenit tibi, a te non aberrault (*i. e.* tibi destinatum euenerit), „28. si Dei iram in te propter gratiam creaturarum non concita- „ueris, 29. neque hunc mundum prae futura vita elegeris, 30. si ali- „quid abs te frater tuus fidelis (Muselmannus) petierit, auare illi non „denegaueris, 31. si in negotiis religionis obseruaueris eum, qui su- „pra te est, in rebus vero mundanis eum, qui infra te est, 32. ne- „que iuraueris, 33. neque cum Satana amicitiam contraxeris, 34. si „vanitati valedixeris, 35. facultates orphani non rapueris, 36. clamo- „rem auditum non suppresseris, 37. familiam tuam et liberos tuos si „institueris in iis, quae vsui eis esse possunt apud Deum, eosque „ad Deum ter O. M. adduxeris, 38. si vicinis tuis benefeceris, neque ab „iis, si misericordia tua egeant, eam cohibueris, 39. nulli creaturae ma- „ledixeris, 40. laudes Dei et celebrationes, si multiplicaueris, et in Alco- „rano in omni statu legeris, nisi sis immundus. Si non deseruerís septa „coetus, si tandem feceris alii, quicquid gratum esset, si tibi fieret". Adiiciuntur his complura, rectius ad doctrinam catecheticam et dogma- ticam Muhammedorum pertinentia, quae h. l. praetereunda sunt. Haec enim sufficiunt, vt pateat, Muhammedem religionis naturalis et reuelatio- nis sacrae capita expilasse, et cum nugis suis coniunxisse, vt vbique diui- nam vatis auctoritatem consequeretur.

pag. 208. not. x. *Suſpicamur.* Satis aperte hoc loco poëta amaros vxoris mores perſtringit, addito hoc epiphonemate c).

Mulier praua in aedibus viri boni
In hoc quidem mundo illi tartarus eſt,
Caueas a mala muliere, caueas.
Serua nos o Domine ab iſtius ignis infernalis
Supplicio.

Maxime vero linguae eius proterulam deteſtatus, quam acutis dictis mira feſtiuitate repreſſit, ipſe deplorat, quod matrimonium elegerit. Conſtat autem ex hoc quoque loco, tum cum paupertate, tum cum prolis multitudine virum bonum fuiſſe colluctatum; vnde plenus queremoniarum tandem in hos verſiculos erupit:

O tu qui familiae vinculis es oneratus,
Noli poſthac libertatis opinionem capere,
Cura prolis, panis, veſtitus et opum
Retinet te ab angelici mundi contemplatione
Toto quidem die hoc magno ſtudio mihi propono,
Vt tempore nocturno cultui diuino inuigilem;
Nocturno tempore cum preces exordior
Haec me cura vellicat; craſtina die proles mea quid comeaet?

Dignum exemplum, quod ad augendum catalogum eruditorum, qui ex matrimonio infelices euaſerunt, adhibeatur, ſed rarum quoque ſpecimen in tanta vitae acerbitate eam ingenii ſerenitatem fuiſſe ſeruatam, cuius generis exempla ex hiſtoria philoſophica ad vitae actionem formandam adhibere, iudicii practici argumentum eſt. Sed haec obiter.

Ibid. lin. 33. *Praeter alia.* Scripſit etiam eiusdem argumenti et generis librum, quem *pomarii* titulo ornauiſſe MVSLADINVM, ait GENTIVS d) decem capita complexum, et mera ſapientia, hiſtoriis et grauiſſimis, ſupra quam dici poteſt, ſententiis refertum, cuius primum caput de iuſtitia et iuſto mundi regimine, quomodo populus a principe ſit fouendus, et numen diuinum venerandum, agit; alterum de beneficentia et liberalitate; tertium de amore, temulentia et inſania, non tamen, qua agitati humana, ſed numine quodam correpti diuina ſpiramus; quartum de humilitate; quintum de conſtantia et animi tranquillitate, in prouidentia diuina per omnia ſuauiſſime quieſcentis; ſextum continentiae, et illorum, qui eam colunt, laudes effatur; ſeptimum diſciplinam, virtutem et bonos mores docet; octauum laudes pro beneficiis numini dicit; nonum de poenitentia et pietatis ſtudio; decimum de precibus, et neceſſariis ad vitam humanam differit; omnia autem ex propria fere experientia,

c) Eleganter ſatis Germanico carmine hunc locum expreſſit ADAM OLEARIVS p. 60.
d) In praefat. roſarii.

Digitized by Google

tla, et quibus interfuit, depromit. Quod opus, teſte EODEM [e], *cum roſario non tantum per totum orientem omnibus regibus, principibus atque magnatibus eſt longe cariſſimum, quod certatim laudibus ad coelum ferunt, et aureis plerumque literis atque inſignibus imaginibus ad luxum vsque exornant*: ſed etiam in Europae regiones delatum magnis plauſibus exceptum, in cimeliarchiis magnorum principium aſſeruatum [f], multis a viris doctis laudibus cumulatum [g], et verſioni atque editioni ab ipſo Gentio deſtinatum, qui tamen Aiax in ſpongiam incubuit [h], quod vehementer dolemus, cum tamen elegantis libri ἀπόγραφα paſſim in bibliothecis publicis et priuatis deliteſcant.

pag. 209. lin. 30. *Praeſta et vade.* Interpretationem elegantiſſimae et nobiliſſimae ſententiae in vernacula noſtra lectori Germano vehementer commendamus, certi, interpretis ἀκρίβειαν et ad veteres Arabum ritus applicandi ſolertiam hanc eius diligentiam eſſe demonſtraturam, ipſumque iri coniectum, quam leuis commatis ſint, quae Gentius in Olearii verſione, diligenter a nobis cum Gentiana comparata, culpauit.

pag. 210. lin. 10. *Anno Heg. DCLVI.* Annum poſt C. N. ponit Olearius 1257. concordat notatio Pocockii.

pag. 211. lin. 13. *Obtrectationes paſſa eſt.* Animus erat Gentio, Germanice quoque et Gallice hoc roſarium edere [i], ſed, cum difficiles eius mores moram iniicerent, interim Olearius, qui familiariter Gentio vtebatur, verſionem Germanicam *Sleswici 1654. fol.* vulgauit. Qua verſione cum conatus ſuos impediri, ſpemque ſuam fruſtrari Gentius cerneret, ſicque damnum metueret, laureolam in muſtaceo quaeſiuit, et quoscunque naeuos vel ἁμαρτήματα obelo configi poſſe, iudicaſſet, non ſine dicteriis in Olearium effudit: id quod ab amico ſe non expectaſſe, ipſe Olearius Gentio exprobrauit [k]. Verum in eo ſuos mores ſequebatur, eo maiori iniquitate, quo clarius ex comparatione verſionis vtriusque conſtare attento poteſt, ſatis vtramque cum altera conſpirare, niſi quod Olearius, qui poëſi Germanica delectabatur, id ſibi propoſuerit, vt verſiculos Perſicos etiam verſiculis Germanicis exprimeret, quo pacto ſenſum magis, quam ſtrictam verborum ſignificationem ſequi coactus eſt. Ceterum annotationes Olearii praeſtare Gentianis, αὐτοψίᾳ lectorem docebit, qui vtrique viro docto hederam ſuam non denegabit.

Ibid.

e) Ibid. HERBELOT. bibl. Or. p. 812. cet ouvrage de Sadi avec celui, qu'il a intitulé Guliſtan, ſont ſi connus, et ſi eſtimez dans l'Orient, que les auteurs, qui en parlent, diſent tout, qu'il eſt ſuperflu d'en faire eloge.

f) Extat eiusmodi exemplar inter codices Vindobonenſes Orientales mſc. cuius pretium elegantia ſcripturae in charta bombycina et imagines Perſicae arte elegantiſſime depictae, aliaeque, quibus ornatur, figurae imprimis augent. Vid. NESSEL. Cat. bibl. Vindob. p. 151. Eius imagines ad Perſica αὐτόγραφα aere deſcripta vernaculae editioni ſuae roſarii eppingi curauit OLEARIVS, qua parte Gentianam editionem, licet ſupra modum magnificam et ſuperbam ſuperat.

g) Vid. AVG. PFEIFFER. Critica S. p. 424. HOTTINGER. archaeol. Or. c. 3. p. 103. WAGENSEIL ad Sota, p. 1227. SAGITTAR. exerc. ad Iuſtin. L. XVII. p. 129. AVG. BRIERVS epiſt. ad Dn. de Schoenberg, HERBELOT. p. 789. aliique.

h) Vid. BRIERVS, in vita Gentii p. 1109.

i) Vid. praef.

k) Epiſtola Olearii extat apud BRIERVM l. c. p. 95.

Digitized by Google

Ibid. lin. 16. *Huius gentis ducem ſequuti.* Expreſſimus verſionem Gentianam editionis primae *Amſtelodami 1651.* apud Ioannem Blaeu excuſae, quod exemplar ex bibliotheca G. HIER. WERCHII ad nos peruenit, quem virum ſummum eruditionem Gentianam plurimi feciſſe, ex eius tr. *de Vena Medinenſi* [l], eſt apertum. Verſionem autem Germanicam Olearii ex priori editione adhibuimus, quae itidem ex bibliotheca doctiſſimi auctoris ad reculas noſtras cum *albo* eius *itinerario* [m] acceſſit.

pag. 240. lin. 3. a fin. *Bonam vitae partem huic rei intendimus.* Obiit auctor centenario maior, nonnulli CXX. annos vixiſſe tradunt. Dabimus lectori Germano verſionem Germanicam Olearii verſiculorum, quos hic in fine capitis Latinos attulimus, vt ipſe iudicium de vtraque interpretatione facere poſſit:

Wir haben allhier guten Rath
Aus trewem Herzen wollen geben,
Ob es uns ſchon gekoſtet hat
Den guten Theil von unſerm Leben.
Gibt man uns kein geneigtes Ohr,
So iſt es dannoch gut gemeinet,
Dann Sadi bringet nichts nicht vor,
Das nicht der Wahrheit aehnlich ſcheinet:
Wer aber dis Buch bey ſich hat
Und mag es gerne leſen
Der wünſche Sadi Gottes Gnad,
Auf daſs er mög geneſen.

l) Vid. p. 51. 169. 230.

m) Memorabile id cimelium literaturae Orientalis magnaeque exiſtimationis eſt, qua Olearius in iſta legatione Perſica, cui ab epiſtolis erat, fruebatur. Turget enim nominibus et inſcriptionibus virorum ſummorum ipſorumque principum Moſcouiae, Armeniae, Syriae, et imprimis Perſiae, et plerosque viros doctos, qui tunc in Oriente verſabantur, complectitur.

AD

Digitized by Google

AD PART. II. LIB. I. CAP. I.

DE PHILOSOPHIA CHRISTI ET APOSTOLORVM.

pag. 244. lin. 25.

Alio loco demonſtrauimus. Si haec loca cum illis comparantur, quae ad *Tomum ſecundum p. 272.* obſeruata ſunt, apparebit illico, haec loca non de Chriſtianorum moribus et ieiuniis, ſed de illorum philoſophorum conſuetudine intelligi debere, qui Noctem ſacram habebant et inter numina referebant.

pag. 247. lin. 19.20. *Lucem clariorem foenerabuntur.* Conſulenda hic ſunt, quae *capite ſecundo huius libri* de aſcetis moachisque Aegyptiorum Chriſtianorum dicta ſunt, quaeque de Therapeutis ad *Tomum ſecundum* differuimus, vt locus Euſebii hic allatus intelligatur.

p. 250. lin. 13. *Magni faciebat.* Non eſt nullius momenti haec obſeruatio, ſed eius nobis temporis, quo Chriſtus in his terris degebat, rationes haud obſcure detegit. Nempe ea ipſa aetate, qua tenebris obuolutam mundi compaginem coeleſti hoc ſole illuſtrare Numen dignatus eſt, obtinebat illud literaturae Orientalis genus, quod ſupra fuſe, et, niſi fallimur, euidenter ſatis deſcripſimus; quodque ſublimioris et a patribus acceptae doctrinae myſteria pandere ſe promittebat. Quod, qua ratione id fieri poſſe praeceperit, ex iis, quae *tomo ſecundo* fuſe differuimus, lectori conſtare poteſt, hicque repetenda ſunt. Fuiſſe ea humanarum tricarum ſomnia, et ad mentis humanae ludibria pertinentia, tota illa philoſophiae vel, ſi mauis, theologiae doctrina, quae hodie nondum perlit, aperte prodidit. Quae cum ſyſtema rerum emanatiuum ex impuris Orientis lacunis progreſſum commendaret, et ſublimiorem quandam perueniendi ad Deum viam iactaret, ad iſtas naenias genti Iudaicae inſinuandas progreſſum eſt, quas ſuo loco euidentibus teſtimoniis manifeſtas fecimus. His cum inhaererent ingenia Orientalia, quae ſeculo poſt C. N. ſecundo emergebant, et contemta ſapienti et ſimplici euangelii doctrina, ſublimiora ſequi coepiſſent, enatum inde inter Chriſtianae ciuitatis alumnos peſtilens illud hominum genus, quod, cum ſibi profundiorem diuinorum myſteriorum cognitionem arrogaret, Gnoſticum dictum eſt. Horum vero tricis cum caperentur ingenia Iudaeorum et Syrorum ſimiliumque nugiuendula, ad eiusmodi ſomnia delapſa ſunt, quibus Ieſum ſui ſimilem, nempe Gnoſticum orientalibus crepundiis animas e malo eripientem miſere nugati ſunt. Ex qua ſentiendi libidine cum multi errores peſtilentes et proterui orirentur, facti ſcriptores [a] acerbe de iis conqueſti ſunt.

a) Monuimus ea de re lectorem, in annot. ad catenam exeg. bibl. Angl. T. XVI. p. 368 f. p. 375 ſqq.

Digitized by Google

Et his demum omnis ea traditio adſcribenda eſt, quae ſapientiam hanc Cabbaliſticam θεανθρώπῳ tribuit, et quibus fabula quoque praeſens adſcribenda eſt.

pag. 256. lin. 38. *Sine fucis atque adminiculis perpetrarent.* Probe attendendum eſt ad huius argumenti vim et demonſtrandi ἐνεργείαν, ne putemus, doctores veteres propria vineta caedere, cum concedunt, illiteratis, rudibusque ex plebe hominibus tantum ſapientiam I. C. perſuaſiſſe: ita quidem Celſus et ſequaces, qui magno inde contemtu praedicationem euangelii ſubſannabant, qua in re praecurſores ei fuerunt Iudaei eadem chorda oberrantes. At concedebant quidem illi viri optimi, qui ſe paraſtatas chriſtianae doctrinae praeſtabant, hanc auditorum diuini myſterii infantiam, quoniam ea in re magiſter optimus eis exemplum praeiuerat: ſed cum ipſi quoque Iudaei pariter ac gentiles nec incredibilem perſuadendi atque conuincendi vim et efficaciam, inter tot populos negare poſſent, eſſentque ſemel de veritate religionis Chriſtianae perſuaſi adeo conſtantes, vt ne tormentorum quidem et ſuppliciorum metu deterrerentur; accederet autem publica miraculorum gloria, rectiſſime inde concluſerunt, omnia diuinitus agi, et ad veritatis coeleſtis teſtimonium facere, quoniam ab imperitis et rudibus nihil tale poterat expectari et patrari. Pulchre id et luculenter non ſine lectionis eccleſiaſticae laude demonſtrauit praeſtantiſſimus LAMIVS [b], qui, ſi in argumento euidenti teſtimoniis opus eſt, rem luculenter confecit: vna autem actorum apoſtolicorum hiſtoria rem inuictis rationibus comprobat, ipſeque D. PAVLVS [c] teſtis eſt omni exceptione maior, de quo in ſeqq. fuſe diſputauimus.

pag. 258. lin. 9. *Fluuius natiuitatis dicitur, intelligi.* Paulo accuratius obſcuram locutionem explicuimus ad hunc Iacobi Apoſtoli locum in *catena exegetica bibliorum anglicorum* [d] commentati, quae, ſi ita videbitur, poſſunt conſuli. Quicquid huic loco philoſophiae ineſt, id ex fontibus magis Hebraicis et Salomonaeis, quam ex lacunis Graecanicis defumtum eſt.

pag. 263. lin. 22. *Diſſertatio poſtulat.* Plurimum veritatis euangelicae, quam Paulus apoſtolus non docebat modo, ſed etiam defendebat, puramque conſeruare magna vi contendebat, intereſt, vt haec eius cognitio philoſophiae ſeductricis ſarta atque certa habeatur. Ex illis enim locis, vbi apoſtolus eam tangit, patet, quam alta vulnera doctrinae apoſtolicae iſta falſa et ſeductrix philoſophia inflixerit. Adeo vero libere et manifeſte ſuam diuus Doctor ſententiam de ea explicuit, vt, qui eius aetatis literaturam inter homines Aſiaticos et Aegypti aliorumque locorum nouerunt, non poſſint non certi eſſe, intus et in cute horum hominum mataeologiam D. Paulum pernouiſſe, et, quam noxia ſemina ſparſerit, intellexiſſe. Aſt hoc pacto tantum tamen abeſt, vt Paulum faciamus cabbaliſtam orientalemue philoſophum, vt potius ſimplicitatem atque puri-

b) De erudit. Apoſtol. c. 6. p. 106 ſeqq. c) 1 Cor. I, 1 ſeqq. d) T. XVIII. p. 103.

Digitized by Google

puritatem euangelii omni sectariae insaniae opposuisse dicendum sit. Quod vero, qua ratione fecerit, alibi ad ista epistolarum Paulinarum loca commentati[e] exposuimus, et in spicilegio hoc nostro H. P. de Orientali philosophia sententiam nostram iis rationibus confirmauimus, quae satisfacere lectori posse putemus. Ita vero Paulum non facimus quidem philosophum, sed historiae philosophicae peritissimum, qualem se Athenis quoque inter Graecos demonstrauit et dignitatem vtilissimi generis literaturae veteris confirmauit, memorabili exemplo, quo pacto etiam ex harum literarum vsu sacrarum disciplinarum studia queant adiuuari. Hoc autem modo omnis quoque de philosophia Pauli disputatio cessatura est, quem alio fine peregrina dogmata didicisse, probari non potest.

[e] Ad Eph. II, 21. not. 1755. T. XV. Bibl. ex Anglic. Col. II, 8. T. XVI. not. 367. 368 seqq. p. 176 seqq. 1 Thess. V, 24. not. 752. s. p. 585. 1 Tim. I, 4. not. 941. T. XVI. p. 512 seqq. vbi ea, nisi fallimur, luculenter adduximus, quae philosophiam Pauli cum philosophia orientali et cabbalistica comparare apta sunt.

AD CAPVT SECVNDVM.

DE PHILOSOPHIA VETERVM CHRISTIANORVM IN GENERE CONSIDERATA.

pag. 269. lin. 30.

Quae bonis cordatisque facile satisfecerit. Vehementer mirati sumus, viros quosdam doctos ex Romanae ecclesiae gremio in theatrum orbis literati, hodie tanta philosophiae luce collustrati prodiisse, quibus nec iudicandi vis, nec ingenii elegantia et dicendi facundia, nec antiquitatis et philosophiae auxilia, nec morum humanitas cetera defuit, qui hunc nostrum candorem et animi dexteritatem aegre ferrent, idque publicis quoque vocibus proderent, eo quod scapham scapham nominando, in beatorum ecclesiae veteris doctorum manes peccasse nos credebant, quando ad eorum testimonia et auctoritatem non, nisi lapide lydio artis criticae et rationalis prius adhibito, respeximus, et summorum cetera virorum nomina, officia, titulos, sanctitatis gloriam seduci nos non passi sumus, vt veritatis regulas transiliremus. Quod in nostri temporis elegantia, vbi mores philosophia emollit, nec sinit esse feros, expectari non debebat. Desiimus autem mirari, cum optimos cetera viros, ex eorum hominum genere esse vidimus, qui obsequii gloriam et auctoritatis patrocinium ex voto omni rationali philosophiae, ad iuuandam suae sectae causam, praetulerunt, et ingenii vires, quas pulchras habent, et eruditione perpolitas, ad id adhibuerunt, vt suae partis studia *ἔχοντα ἄχοντα* tuerentur, opinionesque veteres et electa dudum praeiudicia his nostris

ſtris obſeruationibus opponerent. Queiscum cur diſceptationis aleam experiri nolimus, Lector, nobis non monentibus, cauſſam ipſe coniiciendo poteſt aſſequi.

Noſtrum non eſt, tantas componere lites!

pag. 275. not. b. *Nos ſuo loco ex inſtituto diximus.* Adiecimus ſupra his, quae pag. 780. allata ſunt, alia, lucem argumento huic conciliantia et imprimis B. *Chriſtiani Schoettgenii* diligentiam laudauimus, ea vero, quae perperam dixiſſe nobis videtur, modeſte monuimus. Haec cum ipſius viri docti libro bonae frugis pleno, quo *Ieſum eſſe Meſſiam ex Iudaeorum ſcriptis* demonſtrauit, comparanda ſunt, vnde illa allegorica cabbaliſtarum methodus plenius poteſt intelligi, ita tamen, vt cum cabbala philoſophica haec exegetica non confundatur [a]. Momentum haec res habet in hiſtoria ſacra ſeculi I. et II. quo ea methodus admodum floruit, et tum a Iudaeis, tum a Chriſtianis eſt adhibita. Et prioris quidem exemplum eſſe poteſt *liber quartus Esdrae* [b], poſterioris *apocalypſis Ioannea* tota ad hanc methodum concinnata, de qua videnda et examinanda erudita Ven. HARENBERGII [c] induſtria. Tacemus, quae de Gnoſticorum ſomniis viri docti commentati ſunt, in hiſtoria ciuitatis ſacrae nominandi [d], nam et iſta fanaticorum generatio hanc methodum iſto tempore ad incruſtandos errores ſuos adhibuit diligentiſſime.

pag. 276. lin. 3. a fin. *Clementem Alexandrinum.* Huic omnino iungendus Pantaenus, quos magiſtros habuit Origenes, vt recte obſeruatum MOSHEMIO [e].

pag. 290. not. z. lin. 3. *De iis in epiſtolis Ignatii diſputarunt.* Quanquam famoſa eſt, multisque, tum veterum, tum recentiorum diſputata et conſiderata Valentini haereſis, vt ex illis, quae iam apud Irenaeum, Tertullianum, Clementem Alexandrinum de hac eccleſiae Chriſtianae loliglne occurrunt, conſtare poteſt, vt paulo iuniores Epiphanium, Theodoretum, Auguſtinum aliosque taceamus; fatendum tamen, plus illi ineſſe tenebrarum, quam lucis, quam a ſcriptoribus veteribus accepit. Cuius ratio inde magnam partem deriuanda videtur, quod ipſi errores, in quos Valentinus incidit, non ſemel et ſimul ex eius ingenio, quod fanaticum nactus erat, propullularunt, ſed ſenſim et per partes obrepſerunt, donec tandem his innutritus homo tumidus et Aegyptiacae indolis proprium doctri-

a) Praecipue c. IV. §. 9-14. p. 75 ſeqq.

b) Non diu poſt reſurrectionem I. C. fuiſſe exaratum, ex BARNABAE ep. c. 12. concludi poteſt. Conf. FABRIC. Cod. Apocr. N. T. p. 936. qui ex Iudaeo Chriſtianum fuiſſe auctorem, coniicit.

c) Comm. in Apocal. conf. Cel. SEMLERVS Obſ. de interp. Apocal. adiecta opuſculis Wetſtenianis p. 217 ſq.

d) Luculentum exemplum, et antiqua literatura plenum qui cupit, legat B. MOSHEMII hiſtoriam Ophitarum, ſectae Gnoſticae, quae partem I haereſeologiae, quam dare conſtituerat vir deſideratiſſimus, exhibet. Forte Auctor Apoc. Ioanneae et Hermae Paſtori ſuppar fuit, vnde ad cognoſcendam rationem ſcribendi arcanam adhiberi poteſt.

e) Hiſt. chr. ante Conſt. M. Sec. II. § 33. p. 290. qui tamen recte obſeruat, nec Iuſtinum, nec Irenaeum philoſophiam Aegypti ſacris literis accommodaſſe, ſed malum id ortum ex Aegypto.

Digitized by Google

doctrinae aedificium conſtrueret, et philoſophiam Aſiaticam atque Aegyptiacam copulando et conflando cum Chriſtiana religione in vnum nouum chaos confunderet. Itaque recte ad antiquius etiam tempus huius prauitatis primordia a viris doctis relata ſunt, quae tamen in neruum non eruperunt, niſi, poſtquam ipſe ſine ſpe reditus ex eccleſia erat proſcriptus; prius enim tum in Aegypto, tum Romae errores ſuos eum diſſimulauiſſe, TERTVLLIANVS teſtis eſt: vnde recte contendit MOSHEMIVS *f*, non ignominiam deiectae a cathedra ſpei, quod illi tribuimus, ſed fanaticiſmum, in quem homines Aegypti prae aliis inclinabant, cauſſam fuiſſe dogmatis fanatici Valentiniani. De qua tamen re non hoc loco, ſed in annalibus eccleſiaſticis diſceptandum eſt. Hoc certum, ad haereſes philoſophicas hominis inſaniam eſſe referendam, quam mature concepiſſe videtur.

pag. 291. lin. 4. *Maloque, quod in eccleſiam inuexit, maximo exemplum habent.* Addimus his, inſeruire breuem hanc ſyſtematis Valentiniani διατύπωσιν, vt intelligat lector, quo pacto ex turbidis philoſophiae Orientalis, et ſyſtematis emanatiui lacunis, cum iungi coelefti Chriſtianorum doctrinae coepiſſent, haec peſſimorum errorum ſentina profluxerit, quae generali Gnoſticorum nomine infamis, tot deliramentorum cateruas peperit. Valentinus enim non haec omnia excogitauit, ſed ex horreo illo haeretico, quaecunque ingenio ſuo ſupra modum foecundo arridebant, corralit. Credebant quidem eius temporis doctores eccleſiae, Graecanicam philoſophiam, qualem Pythagorae Platonisque aſſeclae tunc in Aſia et Aegypto vulgabant, horum errorum ſemina communicaſſe. Sed fallebantur oppido, eo quod Aſiaticam ſiue Orientalem philoſophiam non intelligebant, id quod imprimis Tertulliano accidit, in originibus philoſophiae valde rudi et ceſpitanti. Qui ſi ad earum regionum φιλοσοφήματα attendiſſet, vidiſſet illico, longe aliam, et a Graecanica ipſaque Platonica diſciplina longe diuerſam ſcaturiginem horum errorum eſſe quaerendam. Quod, ne ſine rationibus affirmauiſſe videamur, rogamus lectorem, vt noſtras Obſeruationes de philoſophia Orientali tum in ipſa hiſtoria hac philoſophiae critica, tum in his ſupplementis conſulat, et ad circumſtantias a nobis allatas attendat, easque cum Valentinianis comparet; certi enim ſumus, recta eum via inter diſſentientes virorum doctorum ſententias ad veritatem ipſam iri deductum. Idem autem de Gnoſticis quoque ceteris dictum eſſe volumus, quorum alma mater philoſophia Orientalis fuit, poſt Zoroaſtrem ad multas Orientis gentes et Aegypti quoque terras propagata, multisque aliis philoſophiae et theologiae ſyſtematibus (inter quae ludaicum fuit et Chriſtianum) ita implicata et aſſuta, vt nouae inde religiones et ſectae orirentur. Et hae intelligendae quoque ſunt, ſi cum

f) Conf. quae monet MOSHEM. l. c. §. 52. p. 372.

Digitized by Google

cum B. Buddeo [g] Valentinianorum maiores inter Cabbaliſtas quaerere placet, nempe quales in hiſtoria Aegypti Cabbaliſtico-orientali ſupra deſcripſimus. Recte et acute id vidit monuitque Mosheimvs [h], Valentinum ex Orientalium ſcitis prima elementa ſcientiae, quam profitebatur, hauſiſſe, at de ſuo quoque haud pauca addidiſſe, quae tamen inter ſe diſcernere hodie impoſſibile, quum veteres Gnoſticorum ſententias compendiaria tantum via exponant. Illud certum, veteres Gnoſticos ſua ſomnia prius excogitata et ex Zoroaſtrianis aliisque excerpta Chriſtiano demum ſyſtemati aſſuiſſe, Valentinum dogmata Chriſtiana ad Gnoſticorum deliramenta reformauiſſe. Vnde factum, vt tot Chriſtiana nomina in ſyſtemate Valentiniano inueniantur, quamuis ille diſſonantia ſe tradere, atque noua et meliora ipſe iactaret. Et hoc quidem pacto reliquos quoque, qui diuiniorem Graecanica philoſophiam ſe ſectari credebant, et barbaram ſapientiam iactabant, inſtituiſſe, vel ex vno Tatiano diſci poteſt. Ex his autem maior quoque lux accendi poteſt illis, quae §. XI. de mataeologia Valentiniana diſſeruimus. Plura vero ipſum Valentini ſyſtema illuſtrantia ſuppeditabit Mosheimvs [i], qui conſulendus.

pag. 294. lin. penult. *Longa illa Valentini fabula eſt.* Summa nos tantum capita attulimus, vt intelligatur, quo pacto ſyſtema emanatiuum, quod omnes Gnoſtici receperunt, cum origine rerum, ipſaque, quae extra pleroma, adeoque extra emanationum diuinarum fontem eſt, materia in hoc ſyſtemate coordinatum fuerit, ex quo de ipſa hac theologia philoſophica iudicium fieri poteſt. Multo autem plura inſanientis hominis ſomnia portendunt, quae enucleari hic omnia non poſſunt, quia ad hiſtoriam eccleſiaſticam totum argumentum pertinet, ad cuius ſcriptores Lectorem dimittimus, monentes, vt ab explicationibus gratis et precario aſſumtis ſibi caueat. Ducem qui eliget Mosheimvm [k], facile in haec conclauia penetrabit, ad quae referanda prolixiore tractatione opus eſt.

p. 302. lin. penult. *Sumus perſuaſiſſimi.* Nihil eſt in hac aenigmatum Valentinianorum explicatione, quod non cum toto Orientali ſyſtemate mire cohaereat. Vna reſtat difficultas, mota a B. Mosheimio [l], quam non tacebimus. Monet is: explicatis principiis Valentini emana-
„tiuis, concludi poſſe; quia Valentinus materiam ex Achamoth ſeu
„Enthymeſi, vti etiam vocatur, natam eſſe, vi ſyſtematis ſui aſſerere vi-
„deatur, Achamoth autem filia ſit Sophiae, haec autem genus ſuum ab
„ipſo Deo ducat, quoniam vltima eſt aeonum, itaque Valentinum non
„potuiſſe ponere duo aeterna principia Deum et materiam; ſed ex Deo,
„multis licet aliis generationibus interiectis, omnem materiam emanan-
„tem poſuiſſe. Non negat doctiſſimus veterum ſyſtematum interpres ita
„videri

g) Pec. diſſ. ad cale. hiſt. phil. Hebr. conf. Iſag. In hiſt. Theol. L. I. c. 4. p. 137 ſ. vbi tamen concedit, cabbalae Ebraeorum multa eo tempore ex philoſophia Pythagorico-Platonica ſcita admixta fuiſſe.

h) Hiſt. Chriſt. ante C. M. Sec. II. p. 575.
i) loc. cit.
k) Ibid.
l) Ibid. §. 55. p. 581.

Digitized by Google

„videri doctiſſimis quibusdam viris, et veterum etiam dicta illis videri „fauere. Aſt ſuo iudicio ſecus ſentiendum atque exiſtimandum eſſe ex „mente hominis huius, (Valentini,) nempe materiam ex infinito tempo„re extra Pleroma ſiue ſedem Dei extitiſſe, antequam Sophia filiam ſuam „Achamoth pareret, verum informem, confuſam et omni qualitate et „motu deſtitutam.“ Cuius aſſerti fidem vir beatus ex Irenaei relatione confirmat, qui σοφίαν εἰς τὴν τοῦ ὅλου ἀσίαν extra pleromatis limites ſeſe immerſiſſe Valentino tribuit. Hanc autem ἀσίαν extra diuinatis plenitudinem exiſtentem cum immenſum eſſe ſpatium ſeu vacuum, repugnante voce, dici non poſſit, relinqui ſolam materiam eo nomine intellectam, et quaecunque de Achamoth extra pleroma partibus referunt, ea omnia de mutationibus, quas perturbationes eius induxerunt in materiam antea prorſus tranquillam et qualitatis omnis expertem intelligi debere. Fatemur talem eſſe hanc obiectionem viri in talibus excogitandis ſupra modum acuti, vt noſtram explicationem euertere, et inter Dualiſtas, quos vocant, Valentino locum facere videantur. Cuius potiſſima ratio eſt, quod homo nugator more gentis et ſecundum ſectae ſuae diſciplinam atque methodum principia iſta emanatiua in perſonas et entia per ſe ſubſiſtentia conuertit, et conceptus metaphyſicos imaginibus mere phyſicis exprimit, quo pacto claros eius ſenſus defecatamque atque puram explicationem dare non licet, et, vt male cohaerent in ſyſtemate Gnoſtico omnia, ita ſingulorum quoque principiorum et concluſionum explicatio difficulter vel plane non expectari poteſt, niſi ex natura ſyſtematis emanatiui lux maior accendatur, vt noſtro cogitandi et philoſophandi more de toto ſyſtemate differere liceat. His praemonitis eo ſenſum obſcurae huius theogoniae redire putamus: ex infinito rerum omnium fonte ſiue vniuerſo, cum ſeruaſſet ſibi προαρχὴ καὶ προπάτωρ, lux diuinae eſſentiae infinita, emanationum ſubſtantiam, iuſto ordine ſecundum diuinitatis gradus atque modulos diſponendam, modificationis rationem extra hanc infinitam plenitudinem talem iniiſſe, vt, poſito emanatiui principii cuiuscunque termino, (Horum vocat) infinitatis ſubſtantiae limitationes orirentur, quae cum extra pleroma eſſent, naturam inde acciperent ab iſtis diuinis diuerſam, lucique infinitae diuinae eſſentiae oppoſitam; et haec eſſe materia in ſyſtemate Valentiniano videtur, negatiue magis, quam poſitiue a philoſopho indicata, ita, vt ex retractione infinitae lucis ad definiendam limitationem oriretur ſubſtantia paſſiua, tenebricoſa, luce et vita carens, nec diuinitatis attributo vllo conſpicua, in quam vero principia emanatiua ad conſtituendum τὸ ὅλον agere poſſent: quod qua ratione poſtea euenerit, Valentinus difficillimis aenigmatibus explicuit, quae nunquam retegemus, niſi abiectis iſtis ſymbolis obſcuris: quo pacto patebit, omnia ad id redire, vt oſtendatur, quomodo res omnes ex principio primiprimo, τῷ παντὶ, limitatione emanationis adhibita, profluxerint, donec materia, quae ex retractione diuinae infinitatis orta erat,

Digitized by Google

et velut profunda abyſſus omni luce et vita vacua extra pleroma iacebat, per communicationem inferiorum emanationum vitam acciperet, et quaecunque tenebris, inertiaque et ſtupore prius marcebant, luce, vita ſenſuque replerentur. Obiiciet nobis lector, nos laruas et ſpectra introducere, nec negamus, totum hoc ſyſtema emotae imaginationis extra orbitam raptae opus eſſe: ſed haec culpa non nos tangit, ſed Valentinum, qui, quae Zoroaſtrianum olim ſyſtema tradiderat, et in ſcholis philoſophorum Orientalium miris explicationum obſcuriſſimarum aenigmatibus tegebantur, comtius et artificioſius ornare atque pingere tentabat, et Chriſtiana ad hunc modulum refingere cupiebat, vt ſapientiam ſuam contribulibus oſtentaret. Ex his vero iam conſtare ſatis poſſe putamus, ſyſtema dualiſticum ſenſu abſoluto Valentino tribui non poſſe, qui materiam extra pleroma, diuinitatis pleromati non alio ſenſu, quam priuatiuo, oppoſuit: et ex his, ſi coniecturae noſtrae locus eſt, intelligi quoque poteſt, quid velit ſibi ὕλη ἀσία (ita enim apud Irenaeum legitur), quae non alio ſenſu concipi poteſt, quam de modificatione emanationis, ex ὕλω vniuerſo, (cui ſoli ἀσία tribui poteſt, non vero fluxae et inſtabili materiae). Iubemus in tanta aenigmatis obſcuritate cabbaliſticum ſyſtema tomo II. explicatum cum Valentiniano comparare, vbi paulo clarius expoſuimus, quomodo ſalua emanatione materia tamen iners, et luce carens infinitae luci opponi poſſit. Quod ſi haec Lectorem non ſatient, culpam quaeſumus in tenebriones hos coniiciat, aut clariora nobis enarret, quibus, dimiſſis noſtris coniecturis, libenter locum faciemus.

pag. 303. lin. 28. *Accuratiori perluſtrandi oculo.* Enata nobis, poſtquam dudum iſta de haereſibus ex philoſophia Orientali ortis ſcripſeramus, occaſio a viro quodam doctiſſimo nobis in publico ſynedrio eccleſiaſtico ſuppeditata, accuratius in aliud quoque aenigma ſectae cuiusdam ex Orientali diſciplina ortae, Baſilidis puta, inquirendi, et peculiari diſſertatione obſcuriſſimum argumentum ſimulque omnem diſciplinam Gnoſticorum orientalem illuſtrandi. Quae cum olim *Muſeo Heluetico* [m] inſerta vix patrios editionis fines egreſſa ſit, et muſeum illud extra Heluetiam et Germaniam a perpaucis inſpectum lectumque ſit, operae pretium nos facturos credebamus, ſi ad hunc potiſſimum H. C. P. locum, cui inſignem lucem foeneratur, noſtro ſpicilegio, illuſtrando et ſupplendo iſti operi deſtinato, hanc quoque diſſertatiunculam repetamus, et vulgatiorem faciamus. Quod non noſtra tantum intereſſe putamus, vt mens noſtra de haereſibus ex hac philoſophia ortis clarius intelligatur, ſed lectoris quoque, vt, qui ſine partis ſtudio his ſacris inuigilant, habeant, quod luculento exemplo illis opponant, qui pertinacius orientalis philoſophiae exiſtentiam negant, nosque ſomnia vendidiſſe conticiunt.

DE

m) T. VI. f. P. XXII. p. 229 ſeqq.

Digitized by Google

DE CAVLACAV BASILIDIANORVM
DISSERTATIO CRITICA.

§. I.

Inter veteris doctrinae aenigmata, Gnosticorum somnia obscuritate tantum non omnium maxime laborare, nemo rerum in Ecclesia Christiana gestarum adeo ignarus atque rudis est, vt nesciat. Cum enim disciplinam a communi ingenii humani mensura longe abhorrentem, et vulgares scientiae terminos excedentem affectarent Philosophi nugiuendi, cogitationibus abstrusis, notionibus fictis et nullibi nisi in emoto insanientis turbae cerebro deprehendendis vsi, ob antiquae, quae in Oriente et Aegypto ad ista vsque tempora regnabat disciplinae, quae arcana atque ideo symbolica et allegorica fuit, imitationem, aenigmata magis, quam doctrinas struxerunt, rati, vt solet apud imperitum vulgus fieri, plus scientiae abstrusioris, cuius nomen atque gloriam affectabant, prae se ferre posse, si obscuris symbolis verbisque sapientiam ereparent. Testem volumus omnem eorum Haereticorum historiam, qui excellentioris de rebus diuinis eruditionis gloriam aucupantes, paulo post conditam ciuitatem christianam, Gnosticorum nomine eam misere depraedati sunt: quorum nugas omnes ex latebris in apricum producere, et labor et opus est; ebrios enim loqui putes, vanos sine mente sonos fundentes, et nec sensum habentes nec inter se cohaerentes. Vnde EPIPHANIVS [a], in his *ἐν ἑξάτῳ γνώμῃ μεθύοντος καὶ παραλαλοῦντος τὰ ῥήματα, τὰ μὲν γέλωτι πεποιμένα, ἕτερα δὲ κλαυθμῷ ἔμπλεα*, *ebrii*, *animo sibi non constante et nugatorie loquentis verba*, *partim ridenda*, *partim commiseratione plena* deprehendit.

§. II. Quamuis autem haec ita se habere, nemo temere inficias iuerit, non adeo tamen insaniuisse homines, neque ab ingenii opibus neque ab eruditionis cultu imparatos, credibile est, vt vana nobis nihilque significantia verba dedisse, magnisque, quas proiecerunt, bullis plane nihil, quod momentum habet, dixisse censeri queant. Id enim, quamuis frequenter ab eius aetatis doctoribus christianis eis obiiciatur [b], minime tamen verisimile est, perpendentibus, ob eruditionis haud vulgaris laudem homines istos plurimum famae atque plausus retulisse, eosque per omnes veteris disciplinae campos non sine sudore volutatos, eruditae opinionis, quamuis ea fanatica fuerit, suspicionem reliquisse. Neque in ineptissimarum fabularum cortice haerendum, sed ad arcana dogmata, tanto studio, totque inuolucris recondita attendendum est, quibus sagaci mente erutis, stultissimae horum hominum nugae et obscurissima aenigmata, si non omnia, multa tamen, solui queunt, et eorum disciplinae lux potest accendi. Ast is difficilis atque diuturnus labor est, virumque

a) Adu. haeres. Lib. I. haer. 26. §. 2. Tom. I. Opp. p. 84.
b) Vid. TERTVLLIANVS contra Valent. c. 5.

poſcit non emanatiui tantum ſyſtematis, omnisque Orientalis et Barbaricae Philoſophiae peritiſſimum, ſed et arcanae diſciplinae methodique Aegyptiacae non ignarum, et diu in hac arena non ſine attentione et patientia verſatum. Quales cum non adeo multos eſſe, et ingratus labor et rerum magis vtilium ſtudia patiantur, non miramur, perpaucos eſſe, qui Philoſophiae Gnoſticorum multum lucis accenderint, vel etiam viderint ipſi, et innumera hodie eſſe aenigmata in harum ſectarum placitis ſepulta: Quibus noſtra demum aetate clauem repertam eſſe, laetamur, ex quo Orientalem Philoſophiam non ignotam quidem penitus, at neglectam tamen, ex vmbra protraxit incompatabilis MOSHEMIVS.

§. III. Quae omnis Gnoſticae diſciplinae conditio fuit, eam imprimis Philoſophiam Baſilidis referre, comparatio quemlibet docere poteſt. Fuit is natione Aegyptius patria Alexandrinus [p], homo, vt ſolebant Aegyptiorum ingenia, atrae bilis contagio mire corruptus, at eruditus tamen, et patriae Philoſophiae, quam ex Orientali enatam fuiſſe alibi probauimus, callentiſſimus, vnde recte obſeruatum EPIPHANIO [q] diſciplinam circulatoris illius ex his oris, Aegyptiorumque placitis originem habuiſſe. Quem cum difficillima quaeſtio de mali origine teneret [r], isque a ſcripturae ſimplicitate prae animi, quod gnoſticam ſapientiam affectabat, ſuperbia ſibi diſcedendum eſſe decerneret, ad ſyſtema illud emanatiuum delapſus eſt, quod mira ſagacitate cum dualiſtico in concordiam ire iuſſit Zoroaſter, excoluerunt, mirumque in modum auxerunt et variarunt Syri, Perſae, Aſiatici, ingenia plerumque anomala, et imaginationis morbis corrupta; a Chaldaeis, Perſis, Orientalibusque ceteris acceptum ſuae Theologiae adaptarunt, et ſymbolica methodo exornarunt Aegyptii, ſuum fecere Iudaei Cabbaliſtae, Pythagorici, Platonici, Chriſtianae legi attemperauerunt Haeretici, ex Syria et Aegypto progreſſi [s]. Id quod Inita comparatione luculenter demonſtrari poſſet, ſi id ageremus, et non ea, quae fuſe ſupra de Valentini haereſi diſſeruimus [t], rem in aprico ponerent: qui locus illis adeundus eſt, qui de ea re fluctuant. Itaque et Indole Philoſophiae eius ductus, et regionis illius, quam incolebat, et in qua praeclarus ſapientiae magiſter haberi cupiebat, more perſuaſus, ſymbolis, vocibus obſcuris, barbarisque, quibus ἔχοιτα ἄχοντα ſcripturae loca attemperata ſunt, doctrinam ſuam, de origine, cauſſa remedioque mali veſtiuit, et ita incertam et tenebris obſitam reddidit, vt mirum non ſit, et olim doctores eccleſiae eruditiſſimos eum non ſatis intellexiſſe, et haerere hodie aquam viris magnis, qui haec ſoluere aenigmata auſi ſunt.

§. IV. Nihil autem vel celebrius, vel obſcurius in Philoſophia Baſilidis quam Abraxas et Caulacau ſiue Caulaucau, (vtroque enim modo ſcribi

p) EPIPHANIVS l. c. p. 68. CLEM. ALEXANDRINVS Strom. L. VII. p. 764. EVSEBIVS hiſt. eccleſ. L. IV. c. 7. p. 97.
q) loc. cit.
r) Ibid. p. 72.
s) Probata haec omnia dedimus in Hiſt. crit. phil. T. I p. 1349. T. II. p. 190. T. III. p. 287 ſeq.
t) Ibid. p. 890 ſeqq.

Digitized by Google

ſcribi poſſe diuerſa pronuntiatio probat) huius nugatoris. Et illud quidem nomen adeo tenebris tectum et incertae ſignificationis eſt, vt doctiſſimos viros in diuerſiſſimas interpretationes pertraxerit *, quibus tamen heic, vbi alia agimus, non inhaeremus. Hoc tenebris ſuis ita interpretes hiſtoriae Baſilidianae terruit, vt tantum non omnes, etiam doctiſſimi, de definienda certa ſignificatione huius vocis, quidque ea in ſyſtemate Baſilidiano ſibi voluerit, decernendo, deſperauerint. Accidit id GRABIO [x] et MASSVETO [y], viris eruditiſſimis, in eum IRENAEI locum commentantibus, in quo huius nominis mentionem faciunt. Epiphanii, Euſebii, Theodoreti, quibus illud ipſum nomen ἀπηγματαῖος tactum eſt, editores commentatoresque vno PETAVIO [z] excepto, qui tamen nihil, quod rem iuuet, attulit, ſicco illud pede praetereunt. Eruditiſſimus BEAVSOBRIVS [a] cum omnem Baſilidis diſciplinam magno ſtudio enodaret, Caulacau quidem tetigit, ſed praeter coniecturam, in ſe veriſimilem, nullam rationem addidit, in qua animus conquieſceret. Itaque cum de obſcuro numine locoque Irenaei curatius cogitandi occaſionem nobis vir quidam eruditiſſimus ὁ νῦν ἐν ἁγίοις ſubminiſtraſſet, profundius paulo, quam fieri ſolet, in haec gnoſticae ματαιολογίας ſomnia et deliramenta inquirere placuit: quo euentu, lectorum ſententiae definire relinquimus [b].

§. V. Haurienda eſt de Caulacau Baſilidis notitia, cum Haereſiarchae ſcripta perierint, ex teſtimoniis veterum. Inter quos primus locus debetur IRENAEO [c], qui aduerſus hos homines ex inſtituto diſputauit, et eodem fere tempore vixit, quo inſanum hominum genus in eccleſiam irrupit, eamque deuaſtauit. Is de ea re ex verſione interpretis veteris ita: *Vtuntur autem et hi magia, et imaginibus, et incantationibus, et reliqua vniuerſa periergia: nomina quoque quaedam affingentes quaſi angelorum, annuntiant hos quidem eſſe in primo coelo, hos autem in ſecundo, et deinceps nituntur CCCLXV. mentitorum coelorum et nomina et principia et angelos et virtutes exponere. Quemadmodum et mundus nomen eſſe, in quo dicunt deſcendiſſe et aſcendiſſe Saluatorem, eſſe Caulacau. Igitur qui haec didicerit, et angelos omnes cognouerit, et cauſſas eorum, inuiſibilem et incomprehenſibilem cum angelis et poteſtatibus omnibus fieri, quemadmodum et Caulacau fuiſſe.* Illuſtrant haec Irenaei verba, ſatis obſcura, et in mendo cubantia, quae habet THEODORETVS [d], is enim paulo luculentius: *Quin etiam angelorum nomi-*

*) Vid. quae poſt Macarium et Chiffletium ſcripſit BEAVSOBRIVS hiſt. de Manichéens L. IV. c. 4. T. II. p. 50 ſq. MONTFAVC. Pal. Gr. L. II. c. 8. BASNAGE Hiſt. des Juifs T. III. p. 700.

x) Ad IRENAEVM L. I. c. 24.

y) Ad I. l. c. p. 102.

z) Ad Epiph. l. c. T. II. Opp. p. 44.

a) Iac. cit. p. 29.

b) Quadriennium effluxerat, ex quo hanc Diſſertationem ſcripſimus alii loco deſtinatam; interim prodiiſſe, nova Liter. Lipſ. 1750. n. 50. p. 798. referunt, OTTONIS NATHANAELIS NICOLAI Diſſ. de Saluatore Baſilidis Caulacau dicto. Quam licet nondum viſam cum explicatione obſcuri aenigmatis a noſtra interpretatione differre, ex eo loco didicerimus, noluimus has cogitationes noſtras diutius ſupprimere, comparatione vtriusque lectoris veteris Philoſophiae gnari iudicio permiſſa.

c) L. I. c. 24. p. 102. Ed. Maſſ.

d) Haeret. fab. L. I. T. II. Opp. p. n. 418.

na effingentes, hos quidem dixerunt primum habere coelum, illos vero secundum, et ita deinceps vsque ad trecentesimum sexagesimum quintum. Seruatorem autem et dominum Caulacauam nominant. Haec autem dicunt ineffabilia esse, et nec ab omnibus capi et comprehendi posse praeterquam ab vno ex mille. Tertium his addimus haeresiologiae veteris scriptorem EPIPHANIVM [e], qui Irenaeum legit, et in horrea sua eius obseruationes transtulit. Is reliquis luculentius de Caulacau ita, interprete PETAVIO: *Alii Caulaucauch cuidam eandem venerationem deferunt, quo nomine vnum ex principibus appellant* (ἄρχοντά τινα τοῦτον ὕτω καλοῦντες) *quibus vocum terriculamentis commentitiisque ac barbaris appellationibus imperitis hominibus imponere conantur. - - - Quod ad vocem Caulaucauch attinet, quis eorum qui nominis potestatem nouerit, risum tenere possit, cum ipsos videat vocabula quaedam hebraice bene concepta, nec minus commode graece reddita ab iisque qui graece legunt, plane intellecta, cum difficile nihil habeant, haec illos tamen exprimendis suis idolis accommodare, hoc est inanibus formis, ac subsistentibus principiis, (εἰς ὑνυποστατικὰς ἀρχὰς) et vt ita dicam, simulacrorum figmentis, dum vana illa nominum ambitione rudiorum mentibus errorem suum aspergunt, quo turpem illam ac fabulosam artem latius dissipent. Etenim vox illa Caulachauch apud Isaiam scripta legitur in duodecima visione cum ita loquitur: Tribulationem super tribulatione, spem super spe: adhuc paululum, paululum adhuc expecta. Quare ipsamet Hebraica verba vt illic leguntur descripta syllabis hoc loco subiiciam: Quippe tsaulatsau tsaulatsau tribulationem super tribulationem significat, Caulacau spem super spem, Zeenscham Zeer scham adhuc paululum, paululum adhuc expecta. Vbinam igitur est illorum commentum? vbi vanissimum illud somnium foetus instar ab istis conceptum? vnde haec in mundo zizania? quaenam genus hoc hominum necessitas coëgit, sibi vt voluntarium exitium conscisceret? Si enim eiusmodi vocabula eorum vim intelligerent, perniciosa ludificatione detorserunt, manifeste sibimet ipsis mali auctores fuerunt: sin per ignorantiam quae nescirent, vsurpauerint, nihil his fingi potest infelicius* etc. Hactenus Epiphanius. Reliqui veterum, qui Basilidis meminerunt, vno PHILASTRIO [f], qui κατὰ τὸ ῥητὸν cum reliquis conspirat, et qui verbo tantum eius meminere HIERONYMO et NICETA [g] exceptis, Caulacau tacent [h], et idolum hoc vel ignorauisse plane, vel non intellectum praeteriisse videntur.

§. VI. Eandem fere fortunam Caulacau Basilidis apud recentiores scriptores habuit, quorum omnes fere hoc nomen praetermisisse ideo videntur, quoniam quid illud significauerit, non assecuti sunt [i]. Certe qui

e) Adu. haer. L. I. haer. 25. T. I. Opp. p. 78 seq.
f) Haeres. XXXIII. p. 71.
g) T. I. thes.
h) Id CLEM. ALEXANDRINVM quoque, qui Alexandriae optime rem cognoscere potuit, et toties Basilidianarum nugarum meminit, fecisse miramur. Dolemus autem librum Agrippae Castoris, qui omnes Basilidis nugas clarissime exposuit et refutauit teste EVSEBIO H. E. L. IV. p. 97. intercidisse; sine dubio enim plus inde, quam coniecturas, quas nunc dare possumus, haurire liceret.
i) B. TH. ITTIGIVS, quamuis omnia de Basilide a veteribus relata attulisset, et de Abraxas quoque complura dixisset, Caulacau tamen omisit Diss. de haeresiarch. Sect. II. c. 2. p. 98. B. CLODIVS autem praes. CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIO Witeb. 1706. singularem de Caulacau Disserta-

qui Abraxas Basilidis explicare conati sunt, similem dare Caulacau explicationem non sunt ausi. GRABIVS et MASSVETVS [k] vt supra dictum, corrupto Irenaei interpretis loco deterriti de medicina et restituendo vero sensu desperauere, nec videre se Monachus Benedictinus fassus est, quomodo spes super spem Basilidianorum deliriis aptari possit. Id quod equidem non magnopere miramur, cum tantam veteris Philosophiae, maxime Orientalis, cognitionem non habuit, quantam prae se tulit antiquitatis ecclesiasticae. Itaque tria ista veterum scriptorum loca inter se dissentire, ratus est, quod veritati non concinere, in sequentibus patebit. Qui vero de nominis significatione dispicere conniss sunt SAM. BASNAGIVS [l], THEODORVS HASAEVS [m], aliique laudati FABRICIO [n]; de origine tantum vocis ex Esaia petita disputarunt, quae ad nostram tractationem, quae philósophica, non philologica est, non pertinent. Vnus, defideratissimus BEAVSOBRIVS [o], qui critico examine Basilidis mataeologiam erudite excussit, Caulacau quoque philosophice explicandum tetigit, et initio quidem totius systematis coelestis nomen illud esse conecit, at cum vidisset, repugnare id loco Irenaei, ad Theodoreti sententiam accessit, rectcque definiit, nomen id Saluatoris esse, eo quod omnis spei fundamentum nobis esset. In quo quidem vir emunctae naris, felixque veterum haeresium indagator deceptus haud est; ast nec rationem aliam addidit, nec ex systemate Basilidis explicuit, prodidit quoque vim et locum Caulacau in eo systemate non satis inspexisse, cum in tota ea re nihil mali latere pronuntiet. Quod aliter se habere ex dictis patebit. Nobis in praesentia, enarrata rei historia, iam id negotii dabitur, vt admissa Theodoreti explicatione eam ex systemate Basilidis probemus, et cur id nomen Saluatori imposuerit, perquiramus; deinde Epiphanium atque Irenaeum cum ista explicatione conspirare ostendamus; quo pacto tandem corrupto et obscuro Irenaei loco facile medicinam afferre licebit.

§. VII. Priusquam autem haec, quae diximus, capita probatum imus, pauca supponere magis, quam prolixe demonstrare necesse est, cum animus non sit integram nugarum Basilidianarum explicationem afferre. Et primo quidem facile nobis largientur, qui historiam Philosophiae, exsurgente monarchia Romana, florentis curatius perquisiuerunt et cum sacrae ciuitatis historia comparauerunt, Basilidis doctrinam, vt reliquorum Haereticorum, qui se a sublimiore diuinarum rerum cognitione Gnosticos nuncupauerunt, cum Philosophiae Orientalis et Aegyptiacae systemate, tunc magna diuinitatis opinione vigente, non conuenire tantum, quoad praecipua principia et opiniones, sed vero esse longe simillimum, Basilidem, hominem Aegyptium, et in patria can-

sertationem scripsit, quae philologica magis, quam philosophica est.

k) ll. cc.

l) Annal. polit. eccl. ad Ann. 121. T. I. p. 49.

m) Bibl. Brem. T. VII. p. 495.

n) Ad PHILASTR. p. 71.

o) loc. cit.

eandem ſi ſuperis placet ſapientiam edoctum inde occaſionem ſumſiſſe, manus his deliriis dandi, eaque Chriſtianorum placitis ita attemperandi, vt haec Chriſti diſciplina ſuae gentis genio et eruditioni placere poſſet. De quo ſi quis dubitauerit, eius patientiam exoramus, ad relegenda ea, quae in *Hiſtoria critica Philoſophiae*, de Philoſophiae Orientalis ſyſtemate, eiusque principiis, tum de eius auctoritate inter Gnoſticos prolixe ſatis diximus [p]. Quaecunque enim Orientalis Philoſophia praecepit, ea, ſi peculiaria quaedam, quae ad diſtinguendum ab aliis ſyſtema ſuum Baſilides excogitauit, demas, etiam apud haereſiarcham occurrunt: cuncta ad emanationum diuinarum ſeriem conſtituendam directa, omnia ſyſtemati emanatiuo applicata, rerum omnium origines ex Deo aſſertae, ineffabile Numen ſuppoſitum, exque eius abyſſo per varios ordines gradusque rerum omnium ortus deſcriptus; origo mali per declinationem emanationum ad tenebras et priuationem, id eſt, materiam introductarum, explicata, aeones et principia diuina *ἐνυποστατικὰ* ideo excogitata, pleroma diuinum miris ſubſtantiarum emanatiuarum ſeriebus repletum, mundi viſibilis origo et corruptio a principiis emanantibus longiusque a fonte primo deuiantibus aſſerta; reuocati homines per purgamenta a ſcoriis malorum geniorum eorumque poteſtate in mundum materialem ad refluxum per principium emanatiuum primum, ad fontem Deitatis etc. Quibus methodus ſymbolica, arcana, obſcura et initiatis tantum perueſtigabilis addenda eſt. Haec in Valentini ſyſtemate libro citato tecimus manifeſtiſſima, quod cum non niſi ingenii magis erudite luxuriantis modulo a Baſilidiano differat, facilis labor erit, omnia haec cum dogmatibus Baſilidis comparare, vt euidentiſſima pateat concordia. Itaque his latius probandis, ne actum iterum agamus, ſuperſedemus, et vnum HIERONYMVM [q] vadem ſiſtimus, fatentem, *vniuerſum pene errorem de Chaldaeo et Syro et Graeco ſermone exortum eſſe.* Idem Gnoſticos ipſos iactaſſe refert PORPHYRIVS [r].

§. VIII. Alterum, quod praemonendus lector eſt, in eo verſatur, Baſilidem, more Aegyptiorum, Philoſophiam ſuam de diuinis deque mundo et malo obſcuris vocibus et aenigmatibus texiſſe, vt et admirationem nouae et inauditae rei conſequeretur, et ſe Orientali atque Aegyptiacae methodo attemperaret, quae ſymbolis, figuris, numinibus ignotis cuncta recondit. Quem in modum Cabbaliſtas quoque ſimilia decreta occultaſſe alibi demonſtrauimus. Maxime vero ideo ſubſtantias ſuas diuinas atque aeonas in ignotos Deos transmutauiſſe videtur, vt eo magis conterraneis ſuis placeret, quos omnium maxime circa *πολυθεότητα* inſaniuiſſe, et religioſiores aliis videri voluiſſe conſtat [s]. Nempe perſuaſiſſe ſibi videtur homo ineptus, facilius ad recipiendam fidem Chriſtianam

p) T. III. p. 290 ſeqq.
q) Adu. Iouinian. L. II. p. 419.
r) PORPHYR. in vita Plotini c. 16. Hiſt. crit. phil. T. II. p. 368.
s) Geographus vetus a GODOFREDO editus pag. 17.

Digitized by Google

ſtianam philoſophica veſte ornatam perſuaderi poſſe Aegyptios, ſi noua et ignota illis numina adduci crederent. Et has quidem cauſſas Baſilidi fuiſſe veriſimile eſt, cur barbaras voces ex Hebraica et Chaldaica lingua quales fuere Barbeloth, Ialdabaoth, et Caulacau, vel ab inuſitato nomine Graeco petitas, qualis erat vox Prunicus, vel excogitatas cabbaliſtico literarum vſu et poteſtate, cuius generis Abraxas eſt, Philoſophiae ſuae decreta obſcurauerit. Nec procul a ſcopo EPIPHANIVS ferit, contendens, *his vocum terriculis commentitiisque ac barbaris appellationibus eum imperitis hominibus imponere conari.* Idem vſum EVSEBIO[1], qui Baſilidem, *προσχήματι ἀποῤῥήτων δυσσεβὲς αἵρεσεως τερατώδεις ἀναπλάσεως μυθοποιΐας ſpecie arcanorum* (verborum atque myſteriorum) *portentoſas fabulas impiae haereſeos commentum fuiſſe* Ideo conqueſtus eſſe videtur, quod eiusmodi vocum reconditarum et ad arcanam methodum referendarum artificio fabulas ſuas theogonicas texerit. Pari ratione de ea re loquitur HIERONYMVS: *abuti hisce verbis immundiſſimam haereſin apud ſimplices quoque et deceptos, vt terrorem faciat nouitate ſermonum, quod ſcilicet qui haec verba cognouerit, et in coitu eorum meminerit, abſque vlla dubitatione tranſeat ad regnum coelorum.*

His praeſuppoſitis, vt quid Caulacau Baſilidi dictus fuerit intelligamus, ſcrutandum ſyſtema fanatici Philoſophi eiusque theogonia et coſmogonia exploranda eſt, vt quem Caulacau ſuo locum in ea aſſignauerit, diſcamus. Idem vero cum Baſilidi conſtitutum fuerit, quod Gnoſticis reliquis, vt oſtenderet, quomodo ex ſummo Deo omnia fluxerint, quomodo malum exortum ſit, quomodo in Deum ſublato malo reuertantur omnia, quo mediatore diuino ab eius imperio liberari mundus queat, quod ex Irenaei, Theodoreti atque Epiphanii teſtimoniis conſtat, ſequitur inde Caulacau ex principiis illis diuinis et emanatiuis fuiſſe, quae ex inexhauſta et incomprehenſibili Diuinitatis abyſſo progreſſa pleroma diuini luminis ſubſtantiali hypoſtaſi repleuerunt, et quorum vnum ex pleromate progreſſum ad iuuandum mundum inter homines comparuerit. Diſerte hoc teſtatur THEODORETVS[2], *ingenitum, cum bella angelorum nationibus imperantium vidiſſet, mentem ſuam primogenitam miſiſſe, quam etiam Chriſtum appellauerit, vt ſeruaret eos, qui vellent credere. - - - Seruatorem autem et Dominum Caulacau nominare.*

§. IX. Quae cum ita ſe habeant, dicendum porro, quis emanationis ordo Baſilidi placuerit, vt intelligatur inde, idem principium emanatiuum diuinum ab haereſiarcha admiſſum eſſe, quod Simoni Mago *δύναμις Θεοῦ*, ſumma Dei poteſtas, Cabbaliſtisque Adamkadmon vocatum eſt, id eſt, prima et principalis emanatio, tanquam radius ex diuini luminis oceano transmiſſus in mundum inferiorem, vt cuncta illuſtraret, a tenebris

1) loc. cit. conf. PLOTINVS, Enn. II. L. IX. c. 10, p. 209. 2) loc. cit.

bris liberaret, et quos ad materialitatem fuſcepta inclinatio malos fecerat angelos (ſcorias vocant atque cortices Cabbaliſtae) vinceret. Rem itaque vt paucis ab ouo exordiamur, patientiam lectoris pauliſper rogamus. Diſplicuere Baſilidi Simonis Magi, Menandri et ſimilium genealogiae diuinae, ex Orientali Philoſophia hauſtae, eo quod philoſophicae tantum fuerint, minusque commode ad Chriſtiana placita transferri potuerint. Meliora itaque daturus, ad infiniti naturam accuratius attendendum ſibi eſſe cenſuit. Conſtat id teſtimonio IRENAEI [x], qui diſerte, *Baſilidem ait, vt altius quid et veriſimilius inueniſſe videatur, in* IMMENSVM *extendiſſe ſententiam doctrinae ſuae;* Idem EVSEBIVS [y] monuit, εἰς τὸ ἄπειρον τεῖναι τὰς ἐπινοίας *ad immenſum retuliſſe cogitationes ſuas*, quod minus recte aſſecutus eſt doctiſſimus VALESIVS [z], contendens *fabulas interminatas et vagas nullo certo modo ac termino deſinitas et veritati certae ac ſuis ſpatiis circumſcriptae oppoſitas* intelligi. Euſebius enim, Irenaeum ſecutus, de origine et generatione aeonum ſiue emanationum in infinito pleromate agit, et qua ratione melius, quam Menander et Saturninus fecerant, ſe infiniti rationes emanatiuas explicare poſſe Baſilides crediderit, exponit. Emendatius vero ſe philoſophari poſſe, propiusque ad Chriſtiana placita accedere ratus eſt Baſilides, ſi quantum poſſet mundi materialis originem quam longiſſime ab infinito pleromate et a ſumma poteſtate, ſecus ac Menander ac Saturninus inſtituiſſe videbantur, remoueret: Itaque ad emanationis diuinae ordinem confugit, quem Gnoſticae Philoſophiae cardinem fuiſſe, et ipſa ſyſtemata eorum inter ſe comparata loquuntur, et haud obſcure prodidit PLOTINVS [a]. In hac autem rerum diuinarum abyſſo, ita emanationum ordinem, teſtibus Irenaeo, Theodoreto, et Epiphanio diſpoſuit, vt diceret τὸν ἀγέννατον νῆν πρῶτον γεννῆσαι, ἐκ δὲ τῦ νοὸς προβληθῆναι τὸν λόγον, φρόνησιν δὲ ἀπὸ λόγε, ἀπὸ δὲ φρονήσεως σοφίαν καὶ δύναμιν, *ingenitum mentem primam omnium genuiſſe, ex mente proiectam fuiſſe* (memorabili ſyſtematis emanatiui vocabulo, vt alibi [b] demonſtratum) *rationem, ex ratione prudentiam, ex prudentia ſapientiam et virtutem* [c]. Haec iſta principia diuina ſunt, per quorum ordines Immenſitas diuina emanari attributa ſua et operationes ad inferiora paſſa eſt. Quae tamen caue meras affectiones, virtutes et attributa diuinitatis Baſilidi fuiſſe putes. Nam hoc vniuerſo ſyſtemati Gnoſtico et toti Philoſophiae Orientali et Aegyptiacae aduerſum eſt, quae emanationibus diuinis hypoſtaſin, licet cum ſummo Numine radicaliter vnam tribuere ſolebat, vt vel ſolae Sephirae Cabbaliſticae, et primus homo apud Cabbaliſtas docere poteſt. Neque aliud velle vel euincere aeonum nomen, ſuo loco probatum dedimus [d]. Teſtem autem damus EPI-

x) loc. cit.
y) loc. cit.
z) Ad loc. cit. Euſeb. p. 55.
a) loc. cit. c. 10. p. 110.
b) Hiſt. crit. phil. T. III. p. 385 ſeqq.
c) THEODORET. loc. cit. CLEM. ALEX. Strom. L. IV. p. 529. addit iuſtitiam et pacem.
d) loc. cit. T. II. p. 647.

Digitized by Google

EPIPHANIVM, qui idola Basilidis esse μορφὰς, καὶ ἘΝΥΠΟΣΤΑΤΙΚΑΣ ἈΡΧΑΣ *formas et principia subsistentia* et, quod ex suo addit, *ἀνδριαντοπλάστους, effictas statuas*, eo quod eiusmodi simulacra et statuas, siue personas quasdam in diuinis effingant, testatus est. Miramur itaque, non MASSVETVM tantum putauisse, Basilidem aeones non re, sed virtute duntaxat et ratione, ab innato patre distinxisse, sed BEAVSOBRIVM quoque, illo in veteris Philosophiae decretis perspiciendis longe oculatiorem, credidisse, aeones has tantum esse perfectiones diuinae naturae secundum Basilidem, quae ab ea se nunquam separent, sed concentratae ab omni aeternitate in essentia diuina, coeperint se extendere et dilatare, cum Deo placuisset res formare: nempe esse lumina atque radios ex diuina essentia emanantes, quae ab ea non aliter distinguantur, quam dimensiones a substantia extensa. Haec enim si mens Basilidis, et qui cum eo in hac parte omnes fere steterunt, Gnosticorum, fuisset, nonnisi in rationis signo istae aeones concipiendae essent, et hac quidam ratione, nec ex pleromate ad condendam NB. modo emanatiuo, materiam progredi potuissent, nec peculiarem hypostasin efformare. Quin ipse Caulacau noster plenus eius rei iudex est. Is enim cum princeps aeon fuerit nempe mens patris, descenderitque in mundum ad liberandos homines, necessario hypostatico discrimine a patre distinguendus est. Licet cetera lubenter fateamur, aeones et radicaliter vnum cum fonte Deitatis esse, et in eo subsistentiam, velut in scaturigine sua habere, et longa aliam significationem aeonis esse, quam est personae in mysteriis Christianis, vti latissime in explicatione systematis cabbalistici docuimus [e]. Quare perperam iudicasse virum eruditissimum putamus, cum diceret, hactenus rationi et prudentiae conuenienter Basilidem docuisse. Has vero, quae in diuino pleromate sunt, aeonas, coniugiis inter se ad propagandum emanationum ordinem, Basilidem copulasse, ex CLEMENTIS ALEXANDRINI loco [f] discimus, vbi mentione demiurgi Basilidiani facta diserte: *ὅσαι ἐκ συζυγίας προέρχεται, πληρώματά ἐστι, ὅσαι δὲ ἀπὸ ἑνὸς, εἰκόνες, quaecunque procedunt ex coniugatione, pleromata sunt, id est, plenitudines, quaecunque autem ab vno, imagines.* Qui canon praecipuus Philosophiae Orientalis, vbi recte intelligitur, cognosci inde potest, qua ratione ex principiis actiuis et passiuis in diuinis non tantum lucis plenitudinem (subiectum scholastico nomine diceremus), sed et formam et imaginem ineffabilis Deitatis tum Basilides, tum reliqui Gnostici, quique ex Orientali Zoroastris disciplina progressi sunt, Philosophi ceteri, deriuauerint. Et haec quidem secundum Basilidem in mundo intellectuali, diuino, luce coelesti pleno acciderunt.

§. X. Ex mundo intelligibili ad sensibilem progressus Basilides, non parum, vt videtur, offensus est difficili quaestione, qua ratione in hunc adspectabilem mundum praeter perfectiones diuino opificio dignas malum

e) Hist. crit. phil. T. II. p. 985 seqq. f) Lib. IV. p. 509.

Digitized by Google

quoque, tum imperfectionis, tum malitiae, phyſicum et morale hodie dicimus, irrepſerit. Quae quaeſtio vt omnem Orientalem metaphyſicam peperit, ita potiſſimum foecunda mater fuit ſomniorum Gnoſticorum. Quam vt ſolueret, ſuppoſitis emanatiuis principiis, non aliam, quam reliqui, originem rerum creatarum poſuit. Gnoſtici autem teſte PLOTINO [g], *demiurgum deſciſcentem a matre fingentes mundum ab ipſo deducebant ad extrema ſimulacrorum*, quo interprete quoque ſcimus, ex eorum mente *animam atque ſapientiam quandam, id, quod inferius eſt, concupiuiſſe* (νεῦσαι) *ſiue id coeperit anima, et huius generis cauſſa extiterit, ſiue ſapientia quaedam, ſiue vtraque idem concupiuerit: inde vero alias animas condeſcendiſſe veluti membra ſapientiae, et has corpora humana fuiſſe ingreſſas.* Ex quo memorabili loco patet, rerum materialium, conditi mundi, creatorum hominum origines obſcuriſſimos Philoſophos, ad quandam ſyzygiam diuinarum aeonum, pleroma egreſſarum et ad inferiora emanationem extendentium retuliſſe. Hoc vt Valentinus expoſuerit, alio loco planum fecimus. Baſilidem ſimilia praecepiſſe, Irenaei, Theodoreti, Clementis Alexandrini, Epiphanii narrationes nos dubitare non ſinunt, quamuis non in omnibus illae inter ſe concordent. Et Irenaeus quidem ita rem narrat: *A dynami atque ſophia virtutes et principes et angelos, quos et primos vocet, et ab iis primum coelum factum; dehinc ab horum deriuatione alios autem factos aliud coelum ſimile priori feciſſe, et ſimili modo ex eorum deriuatione cum alii facti eſſent, antitypi eius, qui ſuper eos eſſent, aliud tertium deformaſſe coelum; et a tertio deorſum deſcendentium quartum, et deinceps ſecundum eum modum alteros, et alteros principes et angelos factos eſſe, et coelos CCCLXV. quapropter et tot dies habere annum, ſecundum numerum coelorum. Eos autem, qui poſterius continent coelum, angelos, quod etiam a nobis videtur, conſtituiſſe ea quae ſunt in mundo omnia, et partes ſibi feciſſe terrae, et earum, quae ſuper eam ſunt, gentium.* Idem prorſus tradit Theodoretus. Nec abludit Epiphanius [h], *barbaras principum ac poteſtatum per vnum quodque coelum appellationes innumeras*, memorans, qui et alio loco [i] potiora nomina principum poteſtatumue coelis variis praeſidentium enarrat. Aſt non omnibus is angelis creationem mundi tribuit, ſed eum, qui ſeptimo coelo praeſit, Sabaoth dictum, eſſe coeli terraeque conditorem, tum eorum, qui conſequuntur, orbium coeleſtium, angelorumque ſuorum dicit. Aliter quam hi omnes, CLEMENS ALEXANDRINVS [k], ipſe Aegyptius, et nationis ſuae opinionum callentiſſimus. Is Baſilidis verba recitat, ſtatuentis: *mortis generationem eſſe opus eius, qui creauit mundum; deque hoc Deo dixiſſe* tradit: *quo eſt minor imago viua facie, eo eſt minor mundus viua aeone: quaenam eſt ergo cauſſa imaginis? faciei maieſtas, quae pictori exhibuit figuram, vt per eius nomen honoraretur: non enim ex ſe et ſua auctoritate fuit forma inuenta, ſed implerant nomen, quod in creatione erat imperfectum:*

g) loc. cit.
h) L. c. c. p. 78.
i) pag. 91.
k) Stromat. L. IV. p. 509.

Digitized by Google

fectum: cooperatur autem id quod inuiſibile eſt in Deo, ad fidem eius quod effictum eſt. Addit his Clemens: τὸν μὲν δημιουργὸν, ὡς Θεὸν καὶ πατέρα κληθέντα, εἰκόνα, τῦ ἀληθινῦ Θεῦ καὶ προφήτην προσεῖπεν· ζωγράφον δὲ τὴν σοφίαν, ἧς τὸ πλάσμα ἡ εἰκὼν, εἰς δόξαν τῦ ἀοράτυ· ἐπὶ ὅσα ἐν συζυγίαις περιέχεται, πληρώματά ἐϛι, ὅσα δὲ ἀπὸ ἑνὸς, εἰκόνες, *Creatorem, qui Deus et Pater vocatur, imaginem veri Dei prophetam dixit; pictorem autem ſapientiam, quae figmentum produxit imaginem ad gloriam inuiſibilis Dei: quaecunque enim ex coniugatione procedunt ad pleromata pertinent, quae vero ab vno, ad imagines.* Diſſidere haec inter ſe, et Irenaeum quidem multos creatores, eosque malas poteſtates ponere, Clementem vnum demiurgum, eumque diuinum, Dei imaginem, recte monuit acutiſſimus BEAVSOBRIVS [l], qui et putat fabulam nobis narrare Irenaeum, CCCLXV. coelos, totidemque angelos creatores commentum, quod Perſarum Philoſophiam, ex qua ſua hauſerit Baſilides, quaeque ſingulis anni diebus ſingulos angelos praeficiat, non rite intellexerit. Quamuis autem non ſatis accurate Baſilidis mentem expoſuiſſe videatur Irenaeus, putamus tamen eum cum Clemente poſſe in concordiam redigi, modo ad ipſum ſyſtema, et verba Clementis recte attendatur. Secundum ſyſtema enim Orientale, Perſicum, Chaldaeum, Aegyptiacum, quale eo tempore viguit, ex pleromate per ſyzygiam ſiue copulationem principii actiui et paſſiui progreſſus eſt ad condendum mundum demiurgus; nempe ex potentia et ſapientia, quarum aeonum in pleromate vltimarum productio, quae creatorem exhibuit, ſecundum emanatiui ſyſtematis leges, imaginem inuiſibilis Dei retulit, eique per ſapientiam rerum condendarum ideae ſiue formae et picturae, velut rerum αὐτόγραφα impreſſae ſunt. Itaque Clemente auctore demiurgus ratione originis ex diuino pleromate, nempe coniugatione vltima ortum habet, et ideas rerum habet ex deriuatione ab vno, vt Maieſtas ineffabilis Deitatis reluceret. Nihil hic dictum, quod non Cabbaliſtis quoque placuiſſe ſuo loco docuimus. Et hactenus creatorem bonum eſſe conſtat. Aſt cum ipſe quoque Clemens tradat, Baſilidem hunc ipſum creatorem mortis auctorem facere, certum inde eſt, mali, quod in mundo eſt, eum quoque auctorem eſſe. Id quod nulla alia ex ratione deriuari poteſt, quam quia demiurgus, oblitus originem ex pleromate, ſiue plenitudine lucis, propter illuſtrandas tenebras ad inferiora inclinauerit, ſicque ex mixtura lucis et tenebrarum mundum condiderit. Hanc enim Gnoſticorum doctrinam fuiſſe, diſertis verbis teſtatur PLOTINVS [m]; *Animam atque ſapientiam quandam ad id, quod inferius, inclinauiſſe, et alias animas condeſcendiſſe, et ſapientiae membra, easque ingredi corpora humana, cuius autem gratia animae collapſae ſint, illam rurſus minime labi, quaſi non annuerit, vel inclinauerit, ſed tantum tenebras illuſtrauerit: deinde hinc ſimulacrum in materia reſultaſſe, et inde ſimulacrum ſimulacri formam per materiam ſiue materialitatem, et ſic demiurgum conſtitui.*

l) loc. cit. p. 15.

m) loc. cit.

conſtitui. Obſcurus quidem hoc loco, more ſuo, eſt Plotinus, eo quod abſurditatis Gnoſticos rationibus metaphyſicis cupit conuincere. Ex iis autem, quae fundamenti loco ſubſternit, apertiſſimum eſt, inclinationem demiurgi, et ſapientiae in eo reſidentis ad illuſtrandas in creatione tenebras cauſſam fuiſſe materialitatis: nempe vt habet IAMBLICHVS [n]: *diſtinguendo materialitatem ab eſſentialitate*, id eſt, priuationem, quae tenebras mortemque inuoluit, ab eſſentia ſpirituali, quae ex principio emanatiuo omnibus ineſt. Compara cum his ſyſtema Valentinianum, et difficiles hae nugae, at toti tunc Orienti communes multa luce radiabunt.

§. XI. Altera difficultas, quam de numero creatorum coelorumque a principibus conditorum mouet Beauſobrius, ita tolli poteſt, vt inter creatorem ex pleromate progreſſum, et inter angelos ab eo emanationis lege productos, vt adminiſtri eſſent in creationis opere, diſtinguatur. Vidit id ipſum Vir optimus nobisque defideratiſſimus, et monuit, atque memorabili Clementis loco illuſtrauit. Poſſumus his addere Cabbaliſtas, qui ex iisdem fontibus ſua hauſerunt, in quorum ſyſtemate vnus mundus alteri ſubordinatus eſt, parique poteſtate ſubordinata angeli cuiusuis mundi ſunt, vt alibi demonſtratum [o]. Immo magis notandum, ipſum Zoroaſtrem, a quo haec Philoſophia excogitata, et ad ſequentia tempora transmiſſa eſt, hunc in modum creationem deſcripſiſſe, ſtatuentem: *ſex Deos Oromasden feciſſe, primum beneuolentiae, ſecundum veritatis, tertium aequitatis, reliquos ſapientiae, diuitiarum, et voluptatis, quae honeſta conſequitur, opificem. Deinde eum ſe triplicaſſe, et a ſole* (Mithra, fonte Ignis primaeui) *tanto interuallo ſe remouiſſe, quanto a terra ſol abeſt: ac coelum ſtellis decoraſſe, vnamque ante alias tanquam cuſtodem et ſpeculatorem conſtituiſſe Sirium, alios porro viginti quatuor Deos condidiſſe, et in ouo poſuiſſe* etc [p]. Aegyptios vero, ad quos ea quoque Philoſophia dimanauit, ſimiliter praecepiſſe, IAMBLICHVS [q] teſtatur, narrans, praeter aeonas vel duces coeleſtes ſupremos rerum viſibilium opificio alios duces praeeſſe, nempe *δημιουργικὸν νῶν, καὶ τῆς ἀληθείας προστάτην, καὶ σοφίας, ἐρχόμενον μὲν ἐπὶ γένεσιν, καὶ τὴν ἀφανῆ τῶν κεκρυμμένων λόγων δύναμιν εἰς φῶς ἄγοντα, opificem mentem, qui et veritatis cuſtos ſit et ſapientiae, quatenus ad generationem deſcendat, et incognitam rationum latentium vim producat in lucem. - - - Eſſe et alium principatum apud illos ſuper elementa tota in generatione poſita, virtutesque eorum, eſſe enim quatuor maſculas totidemque foemininas; hunc Soli tribuere: item alios principatus ſuper naturam omnem in generatione verſantem, quem Lunae aſſignent:* DIVIDENTES VERO COELVM IN PARTES DVAS VEL QVATVOR, VEL DVODECIM, VEL SEX ATQVE TRIGINTA, VEL HARVM DVPLAS, VEL ALITER QVOMODOCVNQVE DVCES HIS PRAEFICERET AVT PLVRES AVT PAVCIORES: *denique his omnibus vnum praeficeret,*

n) De myſt. Aegypt. Sect. VIII. c. 1. p. 152.
o) T. II. Hiſt. crit. phil. p. 1025 ſeq. quae accurate expenſa obſcuris Orientalium nugis lucem conciliare apta ſunt.
p) PLVTARCH. de Iſid. et Oſiride.
q) loc. cit. c. 3. p. 159.

Digitized by Google

ceret, qui omnibus ſuperior ſit. Atque ita Aegyptiorum doctrinam de principiis deſuper ad inferiora progredientes ab vno incipere, et deſinere in multitudinem vnius imperio gubernatam etc. Quem locum ſyſtema Gnoſticum mire illuſtrare, et veras eius origines pandere vidit iam MASSVETVS, aſt cum Perſicam et Orientalem Philoſophiam in Aegypto patriis placitis et Graecis theogoniis attemperatam ignoraret, et mere Platonica haec eſſe putaret, in errorem actus eſt. Mire autem, non omne tantummodo dogma Gnoſticum de origine et adminiſtratione mundi viſibilis illuſtrat, ſed imprimis ea, quae duce Clemente Alexandrino, Irenaeo, Theodoreto et Epiphanio de Baſilidis ea in re mente dicta ſunt, in aprico ponit. Nempe rationem aperit, quomodo per emanationis viam a ſummo fonte rerum omnium effluxerit demiurgus, POTENTIA et SAPIENTIA grauidus, qua ratione rerum ideas, ſimulacraque ſiue rationes latentes impreſſerit, et quo pacto deinde potentiae ſubordinatae in condendo et adminiſtrando mundo ſe geſſerint, gerantque adhuc. Quae cum clariſſima ſint, dubium non eſt, quin Baſilides, qui Aegyptiacam Philoſophiam ſecundum principia Orientalia expreſſit, eadem ratione ſtatuerit: ſicque in concordiam diuerſae narrationes doctorum eccleſiaſticorum poſſunt redigi. Neque praetereundum hoc loco eſt, conſtare ex verbis Iamblichi, Aegyptios pro lubitu coelum in plurimas partes diuiſiſſe, iisque poteſtates minores praefeciſſe. Quod cum Aegyptiis ſolenne fuerit, cauſſam non videmus, cur Irenaeus, Theodoretus, Epiphanius mendacii vel erroris, quod vult Beauſobrius, coarguendi ſint, quod ineptam hypotheſin Baſilidi tribuerint. Vt enim taceamus, non adeo ineptos eſſe tot coelos Baſilidis, vbi ſemel eius ſyſtema admittitur, ac videri poteſt illis, qui ſana ratione philoſophari ſolent, ipſe parallelismus inter placita Perſica, Aegyptiaca ac Baſilidiana euincit, reuera illas nugas his hominibus placuiſſe, quos ob abſurditatem opinionis excuſare velle, eſt cauſſam eorum agere, non hiſtoriam criticam ſcribere. Fatemur tamen veriſimile nobis videri, tot coelos, quot angeli et poteſtates varii ordinis illis praefectae eſſe dicuntur, non tam diſtinctos coelos, quam coeleſtes ſedes et potentias in illis definitas ſignificare: qua de re tamen plura, ne extra oleas vagemus, hoc loco dicere non licet.

§. XII. Qualis huius creatoris et adminiſtrorum eius coelis praeſidentium conditio ſecundum Baſilidis ſyſtema et opinionem ſit, ex dictis facile eſt colligere. Quamuis enim demiurgus ratione orginis bonus fuerit, quippe qui ex pleromate diuino proceſſit, ſapientiae et potentiae diuinae filius, attamen quia ad inferiora inclinauit, vt tenebras illuſtraret, ex ea mixtura mortem malumque inducere neceſſe habuit. Fatemur inſulſum et illepidum hoc ſyſtema eſſe, aſt de eo iam non quaeritur, ſed tantum de mente eius, quae alia eſſe nequit, vbi ſemel cum Orientali Philoſophia duce Zoroaſtre ſtatuitur, ex vno fonte lucis principium fuiſſe exortum, quod quia limitatae virtutis eſt, tenebras neceſſaria

ria ſequela poſt ſe traxerit. Quod qui capere nequeunt, quomodo lucis et tenebrarum principia cum emanatiuo principio conſiſtere queant, illis elegans locus Shariſtanii, ſcriptoris Perſici, a TH. HYDEO [r] productus legendus eſt, qui omnia plana faciet et clariſſima. His enim hoc loco immorari non vacat; ſufficit, teſte Clemente, mortis auctorem demiurgum viſum fuiſſe Baſilidi, nec aliter potuiſſe propter naturam ſyſtematis emanatiui, et remotum a pleromate demiurgi locum, quem illi aſſignabat ſtatuere [s]. Ex hoc autem ſua ſponte fluit, deterioris conditionis, peiorisque indolis debere eſſe angelos creatoris adminiſtros, mundi partibus coelisque praefectos, eo quod longius a pleromate remoti, magisque rebus materialibus immerſi ſunt. Hinc irae, tyrannides, ſanguinis ſitis, bellorum cauſſae, et mala alia innumera, quibus homines ab iſtis angelis mundi dominis et praefectis vexantur, quasque hac ratione malorum omnium phyſicorum pariter atque moralium cauſſas eſſe teſtibus Irenaeo, et Theodoreto, Baſilides ſtatuit, nec ille ſolus, ſed omnis quoque Gnoſtica Philoſophia profeſſa eſt. Comparari cum hac angelorum mundi directorum malitia Hebraeorum Cabbála debet, et ea expendenda, quae de Klippoth ſiue corticibus angelisque malis nugantur, et quae alibi expoſuimus: ea enim opiniones Philoſophiae Orientis in his deliriis ampliſſime inſanientis mire illuſtrabunt. Ipſam quoque hominis animam ex ſummo fonte delapſam et ad inferiora vergentem, cum per harum poteſtatum ſedes et regiones transiret, ſimulacra ſimulacrorum induiſſe, iuxta Gnoſticos, teſte PLOTINO [t] opus erat, ex qua cauſſa mali moralis originem repetebant, et ad hos angelos cauſſam deuoluebant: quo pacto ſcintillam illam, quae animae ex diuinae lucis oceano, ex quo effluxit, ineſt, ſupprimi, hincque omnis infelicitatis cauſſam oriri neceſſe erat. Magno itaque Saluatore opus erat, qui ſpem amiſſam reſtitueret. Et hic Caulacau ille eſt, de quo iam porro tractabimus.

§. XIII. Nempe ex inclinatione illa ad inferiora, quae tenebras poſt ſe trahebat, cum et ipſe demiurgus, et qui ab eo conditi ſunt angeli, in creando mundo innumeras reſtrictiones, priuationes, mala mortemque ipſam admittere deberent, anima ex coelo delapſa et hos limites transiens affectuum cacoëthes contraxit, qui ſecundum Baſilidem ſunt *προσαρτήματα, appendices ex hoc tranſitu adnata, nempe ſpiritus* (materiales,) *appenſi animae ratione praeditae, per quandam confuſionem et conturbationem principiorum* (σύγχυσιν ἀρχικὴν) *quibus et alias rurſus ſpirituum adulterinas et diuerſi generis naturas adnaſci dicebat.* Ita CLEMENS [u], cuius verbis lucem egregie affudit BEAVSOBRIVS [x]. Qui licet hanc confuſionem perperam ex Platonica materiae conditione deriuet, in eo tamen acute vidit, quod haec

r) De relig. vet. Perſ. p. 299.
s) Luci, quam viderat, obſtat, BEAVSOBRIVS loc. cit. p. 19. rationes Platonicas hic admiſcens, quae longe diuerſae ſunt.
t) loc. cit. u) Stromat. L. II. p. 408.
x) loc. cit. c. 2. p. 20 ſeqq. vbi recte Maſſuetum notat, qui hoc Philoſophiae genus non ſatis eſt aſſecutus.

Digitized by Google

haec confuſio principiorum, in mixtura lucis et tenebrarum, ad originem mundi materialis, ex Philoſophia barbarica ſiue Chaldaea, (Orientalem nos, ob latitudinem terrarum, in quibus floruit, dicimus) referenda ſit, licet materiam aeternam, quod tamen Vir eruditiſſimus vult, in tenebris non poſuerit, vti ex PLOTINO y) eſt euidentiſſimum. Ita cum in mundum et praecipue hominem, mali generis ſpiritus deſcendiſſent, remedium altius et ſupra demiurgum ad pleroma vsque aſſurgens aſſignandum erat, quo ſpirituum materialium malignitas ſuperari, hominesque ab iis liberari poſſent. Scilicet mentem diuinam, quae proxima ab ineffabili Deo aeon eſt, miſertam animarum, a malis iſtis ſpiritibus vexatarum, velut principalem Dei ſummi virtutem in mundum deſcendiſſe, Baſilides docuit. Rem ita narrat IRENAEVS: *Innatum et innominatum patrem, videntem perditionem, miſiſſe primogenitum Nun ſuum, (et hunc eſſe, qui dicitur Chriſtus) in libertatem credentium ei, a poteſtate eorum, qui mundum fabricauerunt. Et gentibus ipſorum autem apparuiſſe eum in terra hominem et virtutes perfeciſſe; quapropter neque paſſum eum, ſed Simonem quendam Cyrenaeum angariatum portaſſe crucem eius pro eo; et hunc ſecundum ignorantiam et errorem crucifixum, transfiguratum ab eo, vti putaretur, ipſe eſſe Ieſus: et ipſum autem Ieſum Simonis accepiſſe formam, et ſtantem irriſiſſe eos. Quoniam enim virtus incorporalis erat, et Nus innati patris, transfiguratum quemadmodum vellet, et ſic aſcendiſſe ad eum, qui miſerat eum, deridentem eos, cum teneri non poſſet, et inuiſibilis eſſet omnibus.* Eadem prorſus recitat Theodoretus: nec multum diſcedit ab ea narratione EPIPHANIVS z), qui eum ita de Chriſto ſenſiſſe dicit: *Specietenus* (ὡς δοκήσει) *duntaxat mortalibus apparuiſſe, quippe quod in eo cernebatur, nihil praeter imaginem fuiſſe, neque vero aut hominem extitiſſe, aut carnem induiſſe.* Quibus cum fabulam de Simone Cyrenaeo crucifixo ſubieciſſet, addit: *Eum nihil perpeſſum in coelum euolaſſe. Interea Simonem, non Chriſtum in crucem ſublatum eſſe: Ieſum enim in coelum euectum virtutes omnes penetrauiſſe, dum ad patrem ſuum reuerſus ſit. Hunc enim eſſe illum patris commemoratum filium, qui ad opem humano generi ferendam ſubmiſſus ſit, propter eam quam inter homines perinde ac angelos perturbationem coeleſtis pater viderat. Atque hunc eſſe ſalutem noſtram, qui in mundum venerit, ſolisque nobis hanc rei veritatem aperuerit.* His patrum teſtimoniis ſi ſtandum eſt, Chriſtus prima aeon fuit, emanatioque primaria, πρωτότοκος τῦ πατρὸς, mens diuina ad medendum malo in mundo materiali omnia ſusque deque vertenti miſſus, liberator et Saluator futurus. Is verum corpus non indult, ſed putatitium, in quo viſibiliter miracula diuina patrauit; Aſt cum odio angeli Iudaicae genti imperantis, et nationem hanc rabie in illum exagitantis ad crucis ſupplicium raptus eſſet, cruci tamen affigi non potuit, ſed aſcendit ad coelos, deluſa Iudaeorum proteruia, qui Simonem Cyrenaeum in eius figura cruci

y) l. c. c. 12. p. 211. qui locus memorabilis eſt. z) loc. cit. p. 71.

cruci affixerunt, cum ipse ad patrem rediens, transiensque angelorum malorum ditiones, eos viciſſet, ſalus ſpesque vna futura in eum credentibus. Fatemur, nos nihil vel abſurdi vel ἀπαραλόγιστον videre in hoc philoſophemate Baſilidis, vbi ſemel principia eius admittuntur, licet impium in ſe ſit, et euangelicae veritati aduerſum: Aſt interceſſit iterum eruditiſſimus BEAVSOBRIVS [a], et imprimis Irenaeum falſis narrationibus et documentis deceptum ineptam Baſilidi ſententiam tribuiſſe demonſtrare aggreditur. Nam nec Theodoreti nec Epiphanii teſtimonia reſpicit, forte quod eos exſcripſiſſe tantum Irenaeum adeoque pro diuerſis teſtibus habendos non eſſe crederet. Vt autem ſi non mendacii, deceptae tamen fidei Irenaeum arguat, ſe euidenti CLEMENTIS ALEXANDRINI [b] loco permoueri fatetur. Ibi Doctor Alexandrinus, quem propius conterranei ſui opiniones pernouiſſe contendit, late de Baſilidis decreto diſputat, quod martyrii nullum proprie praemium ſit; ipſa quoque verba Baſilidis affert, diſputantis, praemium dari non poſſe ei, qui ex merito patiatur. Omnes autem ex merito pati, aut enim propter delicta poenis et ſupplicio affici, aut pati quamuis innocentes, vt infantes, eo quod peccandi naturam et poteſtatem in ſe habeant, ideoque etiam pro peccatoribus habendos eſſe, ne prouidentiae paſſionem immittenti malum aliquod adſcribatur. Rationem addit Baſilides, ex Iobo, καθαρὸν εἶναι ἀπὸ ῥύπου, nullum eſſe mundum a ſordibus et hominem, quemcunque nominaueris, tamen hominem eſſe, Deum autem iuſtum. Quod ſi quis ipſum Dominum obiiciat tanquam hominem, vt ipſum pudore confundat, eo quod paſſus ſit, dicere ſe: *non peccauit quidem, ſed erat ſimilis infanti patienti, immo quemcunque hominem nominauerimus, hominem eſſe, et a naturali ſorde minime purum:* Quibus Baſilidis verbis enarratis haec, vt impietatem impoſtoris detegeret Clemens ſubiicit: Πῶς δὲ οὐκ ἄθεος, θειάζων μὲν τὸν διάβολον, ἄνθρωπον δὲ ἁμαρτητικὸν τολμήσας εἰπεῖν τὸν Κύριον; *quomodo non impius videatur Baſilides, diabolum quidem inter Deos referens, auſus autem hominem peccandi poteſtate praeditum Dominum dicere?* Quem locum clariſſime euincere putat Vir doctiſſimus, Baſilidem non verum tantum hominem putauiſſe Chriſtum, ſed vere etiam paſſum eſſe; ſine qua theſi vana fuiſſet Clementis contra haereſiarcham diſputatio: Vidit difficultatem MASSVETVS [c], at nugatoria exceptione eam tollere conatus eſt, ratus pertinere haec ad putatitium iſtum Chriſtum, Simonem Cyrenaeum, quod plane nihil ad rem facere recte Beauſobrio obſeruatum eſt. Non diffitemur nos, perlecto ſemel iterumque cum attentione Clementis loco, valde nos in partes ſuas pertraxiſſe virum ingenio et eruditione incomparabilem, et quaecunque ſemel elegerat, vi animi, qua pollebat, maxima, vrgentem. Aſt cum eius tamen ſtudium, quacunque liceret mercede, haereticos veteres excuſandi, paululum nos ſuſpicaces feciſſet, nec ſatis cauſſae nos videre putaremus, cur vnanimia Irenaei, Theo-

a) loc. cit. p. 25 ſeqq. b) Strom. L. II. p. 506. c) Diſſ. in Irenaeum p. 61.

Digitized by Google

Theodoreti, Epiphanii teſtimonia velut falſa eſſent reiiciendа, praecipue cum eorum relatio cum ſyſtemate Baſilidiano cohaereat, paulo curatius rem omnem excuſſimus. Iterato autem examine tanta nobis viri optimi nobisque olim amiciſſimi auctoritas viſa non eſt, vt veterum fidem ſollicitaremus. Rationem ſuggeſſit ipſe ille Clementis locus cum ſyſtemate Baſilidis diligenter collatus. Clariſſime enim ex verbis eius a Clemente adductis patet, ſtatuiſſe Philoſophum Aegyptium: nullum hominem, qui reuera homo eſt, eſſe labis expertem, etſi actu nunquam peccauerit, ideoque nunquam poſſe martyrii praemium poſcere, cum habeat diuina prouidentia, quod in eo puniat. Id principiis ſuis conuenienter dixerat, eo quod materiam omnem vi naturae ſuae et originis ex tenebris progreſſam, ſemina mali in ſe habere crederet. Hoc vero ex Baſilidis mente, quod nec negat Beauſobrius, admiſſo, neceſſario ſequitur, mentem patris in corpus hominis, qua hominis, verum deſcendere non potuiſſe, et impoſſibile fuiſſe, vt verum hominem Chriſtum extitiſſe affereret. Nῆς enim iungi corpori materiali, in ſe malo, et quod opus et productio angelorum mundi creatorum, malorum principium, eſſet, non potuit. Quod ſi verum Chriſtus corpus non habuit, nec vere paſſum eſſe oportet, aliumque cruci affixum fuiſſe cenſendum eſt, eius forma conſpicuum. Et haec quidem conuenienter dici orationi Baſilidis a Clemente exhibitae attenta lectio nobis fecit euidentiſſimum, poſtquam obſeruaueramus, Baſilidem κατ' ἄνθρωπον diſputare, et obiicientem: Chriſtum paſſum eſſe, plane nihil peccantem, deductione ad abſurdum conuincere voluiſſe, ineptam eſſe hanc inſtantiam. Vrget enim Philoſophus, omnem hominem, qua hominem, peccandi poteſtatem habere, ex quo tacita illatione concludit, nec Dominum tum eximendum fuiſſe, ſi verus homo fuiſſet, eo quod peccati tamen ſemina et poteſtatem in ſe haberet. Non addit vero, quae inde ſequuntur, Chriſtum non fuiſſe verum hominem, quales fuerint ſintque martyres, eo quod ad praeſentem diſputationem non pertinebat. Clemens autem accurationis logicae, quod eius ſcripta omnia teſtantur, ignarus, et in diſputando acer, argumentum ab inuidia petit, et quod κατ' ἄνθρωπον Baſilides diſputauerat, illi tanquam veram ſententiam tribuit, Chriſtum velut peccati capacem paſſum eſſe, quod tamen vtrumque vi ſyſtematis ſui, Baſilides non negare non poterat. Cuius generis paralogiſmos logicos quam plurimos facile detegent, qui Clementis Scripta attente legerint et examinauerint. Conuenienter autem ſyſtemati ſuo negauiſſe Baſilidem, Chriſtum crucifixum eſſe, ex effectu quoque apparitionis, quem illi tribuebat, conſtare poteſt. Cum enim angelos mundi principes, et inter eos imprimis, quem reliquis maiori tyrannide grauem aliis credebat, Iudaeorum terrae praefectum, vel Deum gentis Iudaicae, viciſſe, eorumque artes et inſidias euaſiſſe, redeuntem inuiſibiliter ad patrem, contenderet; qui potuit tantam illi Iudaeorum angelo dominoque gentis rebellis poteſtatem in mentem diui-

nam tribuere, vt hoc, quod infederat corpus, crucis ſupplicio afficere potuerit? Quae omnia luculenter, niſi fallimur, diſputata ſatis rationis ſufficientis afferunt, cur veterum narrationes ſequi, quam viri ingenioſe et erudite quidem, at parum verisimiliter coniicientis et pronunciantis effatis ſubſcribere maluerimus. Arbitrium rei autem non nobis poſcimus, ſed lectori relinquimus.

§. XIV. Huic vero menti diuinae, apparenti in mundo visibili et angelorum malorum poteſtatem atque tyrannidem expugnanti, animis quoque demiſſis in corpora, et ab appendicibus illis malis miſere vexatis medicinam afferenti ſalutem hominibus partam Baſilides tribuit. Seruatorem hunc vero, more ſuo ex patria diſciplina petito, Caulacau nomine inſigniuiſſe, ex teſtimoniis ſupra adductis tenendum, et, quod duce Epiphanio ſcimus, repetendum eſt, vocem hanc Baſilidem ex loco IESAIAE XXVIII, 10. deſumſiſſe. Quorum verborum licet varia ſit apud interpretes ſignificatio [d], cum alii canonem ſupra canonem, alii ſpem ſuper ſpem, alii aliter vertant, de quo in praeſentia diſpicere non vacat; dubium tamen nobis minime eſt, recte Epiphanium ex mente ſectae Baſilidianae vertiſſe ſpem ſupra ſpem. Ita enim verterant Graeci interpretes, quorum cum maxima et diuina fere inter Aegyptios eſſet auctoritas, et Chriſtianorum quoque plerique eam ſequerentur, ſatis rationis fuit Baſilidi, cur has potiſſimum voces, hoc ſpei ſenſu eligeret, ex quibus Seruatori nomen myſticum et diſciplinae arcanae conueniens eſſingeret. Cum enim illum Caulacau, ſpem ſupra ſpem, id eſt, ſpei ſummam, et maximum vnicuique ſalutis portum nuncuparet, id quod nominis ratio ex Ebraiſmo prodit, conſtat inde, animarum, quas in alia vita peccaſſe dixit Baſilides, ſpem omnem eum ad hanc Dei mentem fidemque in eum retuliſſe, indicareque voluiſſe, redeundi ad patrem inque ſinum oceani diuini, ex quo effluxerunt animae, ſpem maximam atque vnicam in eo niti. Diſerte id teſtatur THEODORETVS, Seruatorem ab illis dici Caulacau, nec aliter legi poſſunt Irenaei verba, vt ſenſum fundant, quam: eum, qui in mundum deſcendit et aſcendit Saluatorem, eſſe Caulacau. Satis luculenter enim pergit: *Igitur qui haec didicerit, et angelos omnes cognouerit, et cauſſas eorum, inuiſibilem et incomprehenſibilem eum angelis et poteſtatibus vniuerſis fieri, quemadmodum et Caulacau fuiſſe: et ſicut filium omnibus incognitum fuiſſe ſic et ipſos a nemine oportere cognoſci.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, filium Dei, mentem patris eluſa Iudaici angeli proteruia gentisque rabie inuiſibilem illis angelisque omnibus, cum ad patrem rediret, factum eſſe Caulacau. Commode itaque interpretandus eſt EPIPHANIVS, Caulacau, nomen eſſe contendens, *ἄρχοντος τινὸς*, principis cuiusdam. Per *ἄρχοντας* enim hoc loco aeones intelligi debent, de quibus nonnulla dixerat Epiphanius, ex quarum numero cum Ieſus prima et maxima fuerit,

d) Vid. quae ad h. l. erudite diſputat CAMPEGIVS VITRINGA; add. qui in genuinam ſignificationem vocis קו diligenter inquirit ED. POCOCK. ad Port. Moſis p. 48.

Digitized by Google

fuerit, conſtat inde, nec Epiphanium reliquis in aſſignanda barbarae vocl ſignificatione contradicere.

§. XV. Patet ex dictis, ad hanc ſpem omnia in ſyſtemate Baſilidiano redire, eamque proram puppimque ſalutis fidelium, ex horum hominum mente, eſſe. Diceremus, eſſe Baſilidianos, Elpiſticos Plutarchi peculiari Diſſertatione a nobis olim illuſtratos, ſi veriſimile eſſet, Gnoſticae Philoſophiae aliquid Plutarcho innotuiſſe. Qua vero ratione ſpem hanc in effectum deduci, et expectationis maximae finem attingi poſſe Baſilides tradiderit, iam porro exponendum eſt. Et huc tota quidem Philoſophia moralis Baſilidis pertinet, cum theurgia ſiue magia Aegyptiacis ſectis ſolenni: eam autem omnem hoc loco exponere, nec inſtitutum nec locus patitur: multa ex Clemente Alexandrino erudite collegit, digeſſit, illuſtrauit Beauſobrius qui adeundus eſt. Qui niſi nonnulla perperam eſſet interpretatus, non haberemus, quod eius obſeruationibus adiiceremus. Itaque vt omne Baſilidis ſyſtema conſtet, et vniuerſa nominis Caulacau ratio et comprehenſio intelligatur, paucis edifſeremus, quo pacto illam ſpem per Saluatorem elpiſticum liceat attingere.

§. XVI. Incipiendam eſſe ſalutis ex ſpe atque fide ſpe nitente exſurgentis acquiſitionem, a timore, genera ſpirituum diſtinguente, et electionem animae propriam prodente, ex loco CLEMENTIS ALEXANDRINI *) intelligitur, vbi, mentione facta canonis ſacri: Timor Domini initium ſapientiae, addit: *hic Baſilidis ſectatores hoc dictum exponentes, dicunt ipſum principem, cum exaudiiſſet dictionem Spiritus miniſtrantis (in baptismo Saluatoris) propter auditionem et ſpectaculum fuiſſe obſtupefactum, cum ei praeter ſpem annunciatum eſſet euangelium et eius obſtupefactionem appellatam eſſe timorem, ἀρχὴν γενόμενον σοφίας φιλοκρινητικῆς τε καὶ διακριτικῆς, καὶ τελεωτικῆς, καὶ ἀποκαταστατικῆς· ὁ γὰρ μόνον τὸν κόσμον, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκλογὴν διακρίνας, ὁ ἐπὶ πᾶσι προπέμπει. Qui (timor) factus eſt principium ſapientiae tum diſcernentis et diiudicantis, tum perficientis et reſtituentis. Non enim mundum ſolum, ſed et electionem diſcernit, et ad ea omnia amandat.* Memorabilis locus, ab interpretibus vero non ſatis intellectus, in quo illuſtrando non ſine ingenii et iudicii laude Beauſobrius verſatus. Quem prolixe cogitationes ſuas exponentem ipſe Lector adeat rogamus, nobis enim ea cuncta expendere, ob breuitatem non licet, ſed ad vnum potiſſimum Clementis locum attendimus, ex quo diſcere licet, angelos mundi conditores, et imprimis Iudaeorum Deum reliquis potentiorem, obſtupuiſſe, cum in baptismate Saluatoris ex Spiritus miniſtrantis confeſſione audiiſſet, filium Dei apparuiſſe, vt ſemen diuinitatis, hominis animae ab omni aeternitate inditum, excitaretur, et Spiritus diuinus, per mentem diuinam reduceretur ad ſuam originem, ita perficiendus, vt liberatus a malorum angelorum imperio et ſuam cognoſcat et diſcernat originem ab appendicibus illis ex creatorum opificio adnatis, et ita per ſpem, fidet

*) Stromat. L. II. p. 375.

auctorem, perficiatur ope Saluatoris, vt ſublatus ad ſuperas ſedes, et inuiſibilis factus angelorum Inſidiis, redire ad ſummum diuinitatis vnde exiit, fontem, poſſit. Haec angelos creatores cum audiiſſent, prius omnia ignorantes, obſtupuiſſe, quod, quem totum ſuum opus, ſuique imperii eſſe crediderant, electionem habere, id eſt, eſſe partem ex Deo auulſam, Deoque per Saluatorem reſtituendam iam intelligerent. Veram eſſe hanc Baſilidis mentem ex ſequenti Clementis diſputatione patet, qua euincere conatur eiusmodi metum attonitum angelis creatoribus non conuenire. Dabimus Graeca verba, interpres enim plane mentem Baſilidis non aſſecutus eſt. Ita vero Clemens: *Εἰ μὴ γὰρ προϋπῆρχεν ἄγνοια, ἐκ ἂν ὁ διάκονος (πνεῦμα) κατῆλθεν· ἐὰν ἂν ἔκπληξις εἶλε τὸ ἄρχοντα, ὡς αὐτοὶ λέγουσιν· ἐὰν ἂν ἀρχὴν σοφίας, ἐκ τοῦ Φόβου ἐλαβεν εἰς τὴν φιλοκρίνησιν τῆς τε ἐκλογῆς, τῶντε κοσμικῶν· εἰ δὲ ὁ Φόβος τοῦ προόντος ἀνθρώπου ἐπιβέλης τοῦ σφετέρος πλάσματος πεποίηκε τὸς ἀγγέλυς, ὡς ἐνιδρομένυ τῷ δημιυργήματι ἀοράτυ τοῦ σπέρματος τῆς ἄνωθεν ὐσίας, ἢ ὑπολίψει κενῇ παρεζήλωσαν ὅπερ ἀπίθανον, ἀγγέλυς δημιυργίας ἧς ἐπίστευσαν εἶον τέκνυ τινὸς αὐθέντας γενέσθαι ἄγνοιαν πᾶσαν κατεγνωσμένυς· ἢ προγνώσει ἐνεχόμενοι κεκίνηται.* Ex quo loco colligimus: 1. Spiritum diuinum miniſterio deſtinatum deſignandi deſcenſionem mentis diuinae ad liberandam ab angelis creatoribus eorumque principe animam, in baptismate I. C. id declarauiſſe, ideo deſcendiſſe filium Dei, 2 obſtupefactum angelum creatorem, cum haec audiiſſet, ſapientem inde euaſiſſe, vt cognoſceret originem animae, erroremque ſuum, credendo, hominum animam, ob animalem partem eſſe ſuum opus, adeoque ſuo imperio ſoli ſubeſſe, et didiciſſe inde diſtinguere inter opus inuiſibile, ſeminis ſupernae eſſentiae, id eſt hominis ſpiritualis, et inter opus mundanum, hominem animalem a ſpiritibus creatoribus productum. 3. Itaque electionem in eo verſari, quod ſpiritualis homo cognoſcatur originem ex ſemine diuinae eſſentiae habere, et diſtinguatur ab homine animali, liberaturque per ſpem in Saluatore poſitam, fidemque ei nixam, vt quod discernendo coepit, credendo continuetur, et tandem aſcendendo, quo Seruator aſcendit, perficiatur. Ex quo ſequitur, agnitionem electionis, id eſt originis diuinae, naturalem eſſe, producique a timore malorum ſpirituum, gignere vero ſpem liberationis per mentis diuinae apparitionem, eamque fidem eſſe electione nixam. Teſte enim iterum CLEMENTE [f]: *Φυσικὴν ἠγῶν τὴν πίστιν καθ' ὃ καὶ ἐπὶ τῆς ἐκλογῆς τατταμένην αὐτὴν*, Baſilidiani *fidem naturalem eſſe dicunt, et quidem fundatam ordinatamque in electione.* Quin et, illo auctore, dicebant: *Πίστιν ἅμα καὶ ἐκλογὴν οἰκείαν εἶναι καθ' ἕκαστον διάστημα, κατ' ἐπαλοκὴθημα δ' αὐτῆς ἐκλογῆς τῆς ὑπερκοσμίυ, τὴν κοσμικὴν ἀπάσης Φύσεως συνέπεσθαι πίστιν· καταλλήλων τε εἶναι τῇ ἑκάστυ ἐλπίδι καὶ τῆς πίστεως τὴν δωρεάν.* *Fidem pariter atque electionem domeſticam propriamque eſſe cuilibet interuallo*, (ſupramundano et mundano) *et ſecun-*

f) Str. L. II. p. 361.

Digitized by Google

cundum conſequentiam electionis ſupramundanae ſequi uniuerſae naturae fidem; et pro modo ſpei cuiusque conuenient quoque eſſe donum fidei. Ex quibus locis intelligitur, electionem, cuius toties meminit Clemens, ſecundum Baſilidem eſſe opus originis diuinae animae, ſiue potius hominis ſpiritualis, ab animali prope diſtinguendi, in cuius agnitione, apprehenſioneque ſpei in Chriſto fundatae, fides, et per eam ſalus nitatur. Non diſputabimus hoc loco, vtrum fidem ex electione ortam liberam vel neceſſariam fecerint Baſilidiani, quorum poſterius affirmat et oppugnat Clemens, prius facta diſtinctione inter hominem ſpiritualem et animalem probat Beauſobrius. Recte quidem, modo teneatur, ex neceſſitate naturae ſuae hominem ſpiritualem ſaluari, quod Tatianum quoque et Valentinum (addi poſſunt Gnoſtici, et Orientales Philoſophi omnes cum duce Zoroaſtre) affirmaſſe recte Viro eruditiſſimo obſeruatum eſt. Qui locis Clementis adductus electionem putat eſſe ſpiritum quendam diuinum animae collatum, particulam luminis ex coelo demiſſam, eſſentiam fonti ſuo ſimilem, naturae coeleſtis, et ſupramundanae, qua mors deſtruitur, Deus cognoſcitur, profunda intelliguntur etc. Quae omnia recte ſe habent, modo ab eſſentia hominis ſpirituali et ſupramundana, ab inuiſibili ſemine ſupernae eſſentiae (quas voces Baſilidianas Clemens habet) non diſtinguantur. Haec enim ſcintilla diuina vbi per fidem atque ſpem excitatur, inuiſibilem hominis partem angelorum malorum poteſtati ſubtrahit, et Seruatori nixa aſcendit, vnde deſcenderat ad ipſum Deitatis fontem, deluſis malis angelis, qui hanc electionem ignorauerant. Et hoc quidem pacto comprehendi luculenter poteſt, quo ſenſu Baſilides, teſte IRENAEO, credentibus promiſerit; *qui haec didicerit, et angelos omnes cognouerit, et cauſſas eorum, inuiſibilem eum et incomprehenſibilem* (nempe ſecundum electionem) *angelis et poteſtatibus vniuerſis fieri, quemadmodum et Caulacau fuiſſe, eosque cum ſciant ipſi omnes et per omnes tranſeant, ipſos omnibus incognitos et inuiſibiles eſſe.* Comparari haec cum Valentini deliriis velimus, quae lucem obſcuris Baſilidis ſententiis foenerabuntur. Ex his vero intelligi quoque poteſt, cur martyrium Baſilides reiecerit. Satis id obſcure indicat IRENAEVS: *Quapropter et parati ſunt ad negationem, qui ſunt tales immo magis, ne pati quidem propter nomen poſſunt, cum ſint omnibus ſimiles.* Cui aenigmati locus Clementis ſupra adductus lucem conciliat, vbi Baſilidem contendiſſe ait, pati quemlibet propter culpam, et alium quidem propter electionem, cum in alia vita peccauerit, per martyrium, alium propter maleficia ſupplicio. Huius enim rationem ex animae origine, id eſt, electione, deriuandam eſſe ſupra iam monuimus: anima enim cum particula coeleſtis eſſentiae eſſet, ad inferiora et materialia, ſiue ad tenebras inclinans peccauit, vnde vbi martyrium patitur, innatam labem luit. Quod cum martyrii notionem euertat, ſequitur inde, eius in ſyſtemate Baſilidiano locum nullum eſſe; vnde mirum non eſt, hos homines ad abnegationem, ad euitanda martyrii ſupplicia, fuiſſe paratos, quin et eo nomine paſſiones pro nomine

Chriſti

Christi suscipere non potuisse, quod omnibus corruptione lapsus animae sint similes, nec vnus sanctitatem prorsus innocentem habeat.

§. XVII. Plura sunt, quae Basilidis eiusque sectatores praescripsere homini spem summam salutis per Caulacau obtinendam anhelanti, quae huc omnia referre non vacat, cum constitutum nobis non sit, integram disciplinae Basilidianae historiam exponere. Non omittendum tamen, quod IRENAEVS, consentientibus Theodoreto et Epiphanio tradit: *Contemnere idolothyta, et nihil arbitrari, sed sine aliqua trepidatione vti eis, habere autem et reliquarum vsum indifferentem, et vniuersae libidinis. Vti autem magia et incantationibus, et reliqua vniuersa periergia.* In quibus omnibus excusare et famam Basilidis tueri conatur BEAVSOBRIVS. Et idolothytorum vsum et esum eos probasse mirum non est, qui licere multa nec nocere posse animae in electione consistenti affirmauerunt. Quod vero ad libidines attinet, quamuis certum sit, non peccatum tantum ipsum, v. gr. adulterium, sed et peccandi habitum et inclinationem Basilidem ad animae labem ex descensu ad inferiora deriuasse, vt allato Clementis loco est manifestum, quamuis etiam eodem auctore certum sit, pertinere libidinem inter appendices animae in transitu per ditiones malorum angelorum adnatas, adeoque opus materiae et malorum spirituum esse, et per consequens, Basilidem omnem libidinem hominis spiritualis non esse, statuisse; certum tamen quoque est, eum istud appendicis genus tantum ad animalem hominem, qui creatorum opus est retulisse; vnde verisimile est, eum docuisse, eiusmodi libidines animae electae non nocere posse, sed purgandas esse in animali parte. Quod occasionem deinde dedit, Basilidem accusandi, quod omne libidinis genus permiserit. De quo tamen in tanta monumentorum Basilidis penuria plura dicere, vel coniicere quoque non licet. Tertium quod Basilidianis tribui solet, *περιεργία* magica est, imaginibus, incantationibus, inuocationibus vsa. Fluctuat hic Beausobrius, et exculpandorum Basilidianorum desiderio plenus, mox confudisse Patres mathematicos et magos putat, mox in diuersis magiae generibus praesidium ponit, mox non omnem superstitionem magiam esse contendit, mox ex figuris symbolicis exsculpi magiam non posse exemplis eruditorum inter Christianos errorum probare satagit. Concedamus haec Viro eruditissimo omnia, eo quod clare apparet, non ausum fuisse negare, Basilidem cum sectatoribus in quodam cum spiritibus commercio eorumque inuocatione et euocatione imaginibus facta praesidium posuisse, ideoque causae tantum patrocinium in diuersa magiae notione, acute magis, quam accurate, quaesiuisse. Illud verisimillimum, Philosophum Aegyptiacum, Orientali Philosophiae, more gentis suae, innutritum, magiam philosophicam, qualem fouebat Philosophia Orientalis Chaldaica, Persica, Syriaca, Aegyptiaca, commendauisse, ad liberationem a potestate angelorum malorum. Quod facile succurrisset memoriae Viri optimi, si recordatus fuisset, eandem non Chaldaicae siue barbaricae,

Digitized by Google

cae, quam ipſe agnoſcit, Philoſophiae tantum ſententiam fuiſſe, ſed Aegyptiacae quoque, et PLOTINI quoque teſtimonio conſtare, praxin magicam inter Gnoſticos fuiſſe receptiſſimam. Inſectatur enim illos [f], quod *cantilenas quasdam componant, ad illa pro arbitrio commouenda, non corpora ſolum et animas, ſed etiam his ſuperiora flectenda: eosque faſcinationes et delinimenta perſuaſionesque compoſuiſſe, vt et verba exaudiant, atque trahantur. Si quis itaque noſtrum artificioſe admodum nonerit talia quaedam pronuntiare, et certa quadam ratione cantus ſonosque edere, atque aſpiramenta vocis et ſibila, et quaecunque alia apud eos SCRIPTA SVNT, VIRTVTEM MAGICAM continere. -- Gloriari praeterea, ſe morbos expellere, morbosque dicere eſſe daemones, eosque verbis expellere ſe poſſe profiteri, ideoque a vulgo, magorum vires nimium admiraute praeſtantiores haberi &c.* Quae cum magiam Gnoſticorum in aprico ponant, quae cauſſa quaeſo eſt, cur demamus fidem Irenaeo, Theodoreto, Epiphanio, vno Clementis ſilentio, infirmo ſatis argumento ducti, et magiam inter media Baſilidis ad conſequendam ſpem ſummam facientia non collocemus? Sed vt omni exceptioni effugium obſtruatur, notari velimus, magiam hos homines non ad ſaluandum hominem ſpiritualem, ſed ad animalem tantum, requiſiuiſſe. Itaque ſi priori ſenſu eorum magiam negaueris, recte facies, verum minus opportune.

§. XVIII. Reſtat, vt quem exitum humano generi peperiſſe Caulacau apparitionem dixerit, ex mente Baſilidis paucis edifferamus. Rediiſſe mentem ad patrem, victis malis angelis, viamque feciſſe inuiſibili modo ad eundem Deum reuertendi credentibus, ex dictis hoc loco repetendum eſt. Putat Beauſobrius et ex ſilentio PP. Baſilidem non reprehendendum concludit, eum reſurrectionem Ieſu hominis non negaſſe, eumque ex mortuis reſuſcitatum admiſiſſe, corpore iſto per aëra tandem diſſipato. De quibus quid ſentiendum ſit, ex ſuperioribus conſtare poteſt. Si enim pati non potuit, vel verum corpus non habuit, reſurrectioni quoque locus non fuit; dubium quoque haud eſt, Clementem reſurrectionem Chriſti pro refutando Baſilidis errore de martyrio adducturum fuiſſe, ſi eam vnquam credidiſſet. Et qui potuit reſurrectionem corporis Chriſti ſtatuere, cum omne corpus hominis demiurgi opus ad mortem inclinans eſſe crederet? Simile itaque fatum etiam fidelibus patet; negata enim, teſte IRENAEO [h] reſurrectione, quam cauſſam vitiorum immortalem reddere cenſebant, vt recte Beauſobrio obſeruatum, hominem ſpiritualem ſuo elemento, animalem, ſi ratione vti didicerit, coeleſtibus ſedibus aſſignabant, Valentino et Gnoſticis aliis ſimiles. In quo ſpem maximam expletum iri credentes, cum id Seruatoris auxilio adſcriberent, quo duce angelorum poteſtates euaſiſſent, recte inde CAVLACAV eum dici crediderunt. Et haec quidem, quantum Philoſophiae Baſilidianae obſcuri-

f) Enn. II. 9. c. 12. p. 212. h) l. c. c. 83.

ſcuritas paſſa eſt, de aenigmate hoo dicta lector aequus boni conſulat; clariora ſi quis dederit, lampada ei lubentes trademus [i].

Plura de his haereticis, qui Gnoſticorum nomine per Orientem et Occidentem tantum ſtrepitum ediderunt, eorumque doctrina dicere, inſtitutum noſtrum non patitur, et ad haereſiologiam Chriſtianae ciuitatis pertinet: quae a viris doctis tacta paſſim cum non ſatis faceret celeberrimo Halenſis academiae theologo Io. SALOMONI SEMLERO, iſque laudabili inſtituto hiſtoriae dogmaticae Chriſtianorum διατύπωσιν condere ſuſcepiſſet [k], magno labore et diligentia, eruditione adiutus prolixa ingenioque acuto, theologiam haereticorum ſeculorum primorum maximeque Gnoſticorum ex veterum, et praecipue Irenaei, ſcriptis delineauit [l]. Quae conſulenda et examinanda eſſe, eo magis lector iudicabit, quo plures is obſeruationes praeclaras obſcuriſſimis aenigmatibus lucem accendere aptas coaceruauit, in haud paucis etiam ab aliorum interpretationibus abiit, diligenter autem in id incubuit, vt origines harum nugarum ex philoſophia Iudaeorum orientali [m] demonſtraret. Quae cum argumento huic multam lucem concilient, quamuis coniecturis plurima definiantur (quod in tanta argumenti obſcuritate fieri aliter non poteſt) lectoris diligentiae expendenda relinquimus; vnum autem hic, quod, lectis doctiſſimis obſeruationibus, nobis mire ſe confirmauit, notamus, ſine emanationis ſyſtemate, quale id Zoroaſtriana per Aſiam ſecta Aegyptiis et Iudaeis quoque perſuaſit, et quod paulo clarius manifeſtabit, quae infra ſuo loco exhibetur Tatianeae philoſophiae hiſtoria, ſenſum clariorem ineptiſſimi fanaticiſmi, vix erui, et hoc demum eruto diſpici poſſe, quomodo cum doctrina N. T. apoſtolica delirantia horum hominum ingenia iſta dogmata fanatica ſub vno iugo ire coëgerint, quae omnia alium, quam in quo in praeſentia verſamur, campum poſtulant.

pag. 309. lin. 9. *Lucem ſtudio inter Chriſtianos literario et philoſophico.* Maxime id reſpectu methodi ſectae Eclecticae intelligendum, quae in hac panegyri vluis adeo coloribus depingitur, vt per totam illam ſectam Characteres inde detegere liceat, vnde vtiliſſime ad amplificandam ſectae Alexandrinae hiſtoriam adhiberi poteſt, aſt tot et tanta ſunt, quae Orator in hac oratione diſſerit, vt deſcribi et transferri in hunc locum non poſſint. Ideo lectori relinquimus, nobile hoc veteris literaturae ſpecimen ipſum legere, certi, laboris poenitentia non ductum iri, cum tot egregia veteris πολυμαθίας conſilia coaceruata offendit, multaque delegit, quae noſtrae aetatis ſtudio eclectico ſalubriter poſſunt applicari. Qui ſine dubio ſcopus fuit incomparabilis HOESCHELII noſtri, cur hanc orationem panegyri-

i) Ex his vero late diſputatis conſtat, nomen Caulacau non ad mundum referendum eſſe in loco Irenaei allegato, ſed pro mundus, legendum eſſe mundi, quamuis et hoc pacto non omnes corrupti loci tenebrae diſpareant.

k) Quam praemiſit theologiae dogmaticae iremque polemicae B. BAVMGARTENII.

l) T. I. Sect. II. P. I. c. 3. p. 118 ſeqq. vbi fuſe in hoc argumento verſatus eſt.

m) Vid. p. 119 ſeq. p. 179 ſqq.

Digitized by Google

gyricam, Origenis libris contra Celſum ſuffixerit n), nempe, vt ad melioris literaturae ſtudia ſuae aetatis iuuenes cohortaretur. Sed in lectione eius ſemper recordandum, eclecticum ſiue Alexandrinum diſcipulum deſcribi, atque ad hanc normam examinandum eſſe, ne voces et ſententiae magnificae lectorem decipiant. Legenda hic, quae de Origenis ſtudiis et philoſophandi conſuetudine etc. copioſe differit MOSHEMIVS. Certe ſi vlla ciuitatis literariae et eccleſiaſticae periodus attentionem et examen poſcit, haec eſt Seculi II et III. hiſtoria o).

pag. 324. lin. 14. *Quamuis noſtris moribus non arrideat.* Vtinam haec in omnes ſcriptores, cuiuscunque ſint partis vel ſectae, quadrent, vt animo compoſito et ab affectuum tumultu, maxime vero perſecutionis ſpiritu immuni ad decertandum pro ſuis opinionibus et ſententiis, quas veras, orthodoxas, et antiquae eccleſiae traditiones eſſe clamitant, accedant, et pacis atque modeſtiae linguam cum veritatis diuinae profeſſione coniungant. Sed nemo, proh dolor, in hoc pugnae feruore bellis ſacris ſaepe PP. quorundam impotentiae animi ſimilior eſt, quam qui acerrime pro PP. auctoritate et fide pugnant. Quales obtigiſſe quoque antagoniſtas hiſtoriae philoſophicae, exempla nos docuerunt, infanda in hac noſtri ſeculi elegantia. Scilicet hoc pro veritate ſacra certamen eſt, vbi conuiciis, iniuriis, vocibusque ab honeſtate alienis, maxime vero controuerſiae ſtatu et quaeſtione ambigue intricata et peruerſa non aduerſarius magis, quam aperta veritas proſcinditur, cuius ignominiae ſpecimen infra, ad philoſophiam ſcholaſticam delati Lectori ſiſtemus. Quanto magis patienter ferendi et excuſandi ſunt pii viri veteris eccleſiae, qui more ſeculi ſui pro cauſſa ſancta, aperta, victrice non argumentis tantum concertarunt, ſed interdum affectu quoque ad diſputationis aleam compoſito, vbi ſatis exiſtimarunt eſſe, ſi victores ex acie diſceſſerint:

virtus an dolus, quis in hoſte requirat?

Legendus de hac pugnandi arte theologica S. HIERONYMVS p), ipſe in hac arena exercitatus, cuius tamen locum, quia longiuſculus eſt, non exſcribimus, ſed ipſum inſpiciendum putamus. Cuius diſtinctio inter methodum gymnaſticam et dogmaticam num ſufficiat, ad excuſandas pugnarum acerbiorum et, ſi verum fatendum, doloſarum artes, quae toties in bellis ſacris adhiberi ſolent, Lectori examinandum relinquimus, ab vlcere hoc tangendo manum retrahentes.

pag. 337. lin. 24. *Eſt veriſimillimum.* Non hac obſeruatione id volumus: Athenagoram et Clementem Alexandrinum primos auctores fuiſſe, commiſcendi cum doctrina euangelii, Platoniſmum, qui iam tum regnare coeperat, reformatum, ſiue, eius temporis loquendi modo, philoſo-

n) In fine editionis Aug. ad inſigne pinus curatae et Latine p. 437. Prodiit illa Oratio panegyrica primum 1594 inter opera Gregorii a GER. VOSSIO edita. Etiam Antwerpiae prodiit 1603. 8. conf. FABRIC. bibl. Graec. Vol. I. p. 248. qui tamen Auguſtanam editionem oculis ſuis non vſurpaſſe videtur.

o) Conf. OVDINVS de S. E. T. I. p. 295.

p) Epiſt. ad Pammach. T. II. p. 136.

phiae ſtudia, ſed id tantum conſtare putamus, vel primos fuiſſe, vel inter primos, qui hanc philoſophandi atque ſtatuendi viam fuerint ingreſſi, quorumque ſcripta et teſtimonia ea de re ad nos peruenerunt. Certum enim eſt, et ex iis, quae ſupra diſputauimus, euictum, ſeculo II. adoleſcente, ex exiguis, quae a Iudaeis Aegyptiacis emanauerant, fonticulis, breui ſpatio magna fluenta huius ſyncretiſmi in eccleſiae prata ſe exonerauiſſe; verumque ſimile eſt, horum doctorum eccleſiaſticorum tempore hanc pruriginem ſyncretiſticam iam adulta aetate fuiſſe, et ante hos viros cetera ſummos et non ſine honore nominandos fimbrias dilataſſe conſuetudinem, quae in Aegypto omnium religionum Sectas occupauerat. Aſt hi Duumuiri dum publicis ſcriptis, iisque magna eruditione refertis, has partes tuebantur, hosque ſequebatur turba doctorum eccleſiaſticorum, ſi non pro auctoribus, certe pro praecipuis huius cacoethes ſtatoribus habendos eſſe, lectio ſcriptorum eorundem quemlibet poteſt conuincere. Cuius rationes cum ſuo loco, vbi de Aegypti recentioris, Sec. I. et II. philoſophia actum cum adduxerimus, haec cum illis, quae hoc loco adducta ſunt, ita comparanda eſſe monemus, vt a contradictionis labe noſtra liberetur de hoc argumento diſſertatio: quam illi demum recte intelligent, qui horum ſcriptorum lectioni ſe immerſerunt. Legi vero et expendi cupimus ad haec accuratius diſcutienda ea, quae B. Mosheimvs [q] pulchre obſeruauit, naſcente philoſophiae ſyncretiſticae ſtudio, diſplicenteque hac contentione viris multis piis inter doctores eccleſiae, metuentibus, ne vis coeleſti veritati afferretur, et diuinae ſapientiae dignitas atque pretium imminueretur, in binas inde diſtractam eſſe familias Chriſtianam ciuitatem, infeſtis armis concurrentes: quarum altera humanas literas, maxime philoſophiam deteſtabatur, ſimpliciterque Chriſtianos credere iubebat: altera vero pro philoſophiae vtilitate ac praeſtantia certabat, eccleſiaeque doctores religionis et rectae rationis conſenſionem demonſtrare volebat, eo litis per longum tempus protractae exitu, vt philoſophiae patroni vincerent, vtque ceteris maiores et ſapientiores ducerentur, qui ad explicanda religionis dogmata philoſophorum praecepta adhiberent. Id quod vir beatus et in hoc literaturae eccleſiaſticae genere acute videns, allato Evsebii [r] loco (quamuis ille Ariſtotelicum philoſophiae ſtudium proprie tangit) probat, et imprimis Clementem Alexandrinum has partes ſtrenue ſecutum hancque philoſophandi de diuinis rationes vehementer et inter primos tuitum eſſe, multis demonſtrat, dignus, qui ipſe de hoc argumento legatur. Qui dum rationes Clementis pro hoc ſtudio ſyncretiſtico affert, luculenter, qua parte in hac quaeſtione modus adhibendus ſit, regulis et exemplis ex hoc ſeculo petitis, explicat, et ad conciliandum Chriſtianae philoſophiae philoſophorum aſſenſum PP. hoc ſtudium adhibuiſſe, demonſtrat.

pag.

q) Hiſt. Chriſt. ante C. M. Sec. II. §. 26. p. 276 ſeqq.
r) Hiſt. eccl. L. V. c. 28. p. 197.

Digitized by Google

pag. 337. lin. 31. *Et in ſyſtema redactum orbi obtruſiſſet.* Repetere h. l. Lectorem iubemus ea, quae ad Tomum II. de hac re diximus, vbi rationes adductae ſunt, cur in priſtina ſententia perſiſtendum nobis viſum ſit, licet in diuerſa abiiſſet Moshemius.

pag. 345. lin. 3. a fin. *Semper Arianis futura ſint receptaculo.* Adeo grauem ſe Petauium in hoc *ſecundo dogmatum theologicorum tomo* exhibuiſſe Nicaenae de filio Dei patri ὁμουσίῳ ſententiae, vt indignationem praeſulum Gallicanae eccleſiae mereretur, opusque ipſi eſſet, in praefatione apologiam pro ſe dicere, non ex iſtis tantum, ad quae *not. n. et o.* prouocauimus, teſtimoniis patet, ſed inde quoque intelligi poteſt, quod in congregatione cleri Gallicani publica gratiarum actio Bullo decreta ſit [s] pro egregiis fidei Nicaenae vindiciis, quibus orthodoxiam PP. ante nicaenorum defendendo contra Arianos Petauianis argumentis valide pugnantes cauſſam orthodoxam ſua *defenſione fidei Nicaenae* adiuuit. Videbant enim doctiſſimi praeſules, ea, quae Petauius attulerat, tantum ponderis huic quaeſtioni de fide PP. Antenicaenorum attuliſſe, vt medicinam vix pateretur. Quod ipſam de trinitate tractationem Petauianam inſpicienti erit in propatulo. Vrgebat ideo doctiſſimum Ieſuitam neceſſitas praefatione ſe patresque veteres contra has obiectiones et obtrectationes muniendi, non ſola conſuetudo vel ſubdola quaedam intentio Bulli Romanae eccleſiae nocendi, quod putat R. SIMONIVS, et repetit biographus Petauii NICERONIVS [t], qui cum laudare theologum cetera doctiſſimum, et qui paucos pares habet, inſtituiſſet, ab hoc ἐγκλήματι frigide tantum eum excuſare potuit [u].

p. 326. lin. 12. *Oportere.* Memorabilis locus de Ariſtotelis philoſophia ab haereticis contra orthodoxam fidem, maxime contra diuinitatem D. N. Ieſu Chriſti, velut ex pharetra venenatis telis referta, adhibita apud EVSEBIVM in *hiſtoria eccleſiaſtica* [x], vbi veteris ſcriptoris orthodoxi verba affert, haec de haereticis iſtis teſtantia: Sacras ſcripturas audacter adul„terauerunt, primitiuae autem fidei regulam reiecerunt, Chriſtum ipſum „denique ignorarunt, non inquirentes, quid ſacrae doceant literae, ſed „cuiusmodi ſyllogiſmorum figura ad confirmandam impietatem ſuam re„periatur, aſſidue meditantes. Quod ſi quis aliquem ſcripturae ſacrae „locum illis obiiciat, examinant, vtrum connexum an diſiunctum ſyl„logiſmi genus ex eo confici poſſit: relictisque atque abiectis ſacris Dei „ſcripturis, geometriae ſtudent, quippe qui terreſtres ſint et loquantur „terrena, et illum, qui de coelo aduenit, ignorent. Euclidis igitur geo„metria apud nonnullos eorum ſtudioſe excolitur, Ariſtoteles autem et „Theophraſtus ſumma admiratione ſuſcipiuntur: Galenus autem a qui-

s) Vid. BAVMGARTEN ad l. citandum Niceronii Germanice verſum.
t) T. XXXVII. ed Gall. T. I. verſ. Germ. p. 801.
u) Legendus vel vnus locus L. I. de trin. c. 8. §. 2. p. 38. vt de aperta ſententia Petauii conſtet. conf. BVDDEVS Iatr. in hiſt. theol. L. II. cap. 5. p. 500 ſeqq.
x) L. VI. c. 28. p. 160.

„busdam etiam adoratur. Proinde iſtos, qui infidelium artibus et diſci„plinis ad ſtabiliendam haereſis ſuae opinionem abutuntur, et ſubtili im„piorum hominum verſutia ſimpliciſſimam ſcripturarum adulterant fidem, „remotiſſimos eſſe a fide quid attinet dicere". Facile palpabit Lector, ſcriptorem hunc ex eorum genere eſſe, qui ſtrophis dialecticis Peripateticorum in argumento maxime de diuinitate I. C. in anguſtias acti aliter euadere non auſi ſunt, quam ſi eos apertos ſcripturae hoſtes eſſe, ſine reſponſo ad ipſorum verſutias, clamarent; ab his enim technis plerique, qui Dialecticorum ſcholas non inuiſerant, et cognitione et ſtudio atque animo erant alieniſſimi. Multa huius generis et tenoris hoc loco cumulare liceret, niſi diligentiſſimus LAVNOIVS otium hic nobis feciſſet, cuius egregius liber *de fortuna Ariſtotelis* y) euoluendus eſt, vt intelligatur, quam ſiniſtra fuerit de Ariſtotele PP. opinio, qui plena de hoc argumento horrea aperuit, maximeque quas partes ea res, quamque fortunam in controuerſiis cum haereticis habuerit, explicuit, quae ipſi Lectori euoluenda relinquimus. Ceterum de philoſophiae ſtudio inter Chriſtianos cum egregias quoque obſeruationes exhibuerit MOSHEMIVS z) etiam hunc virum doctiſſimum cum noſtris comparare lectorem cupimus. Is incunabula philoſophiae Chriſtianae in ſchola Alexandrina catechetica collocat, id quod tamen proprie ad eclecticorum tantum philoſophiam pertinet.

pag. 350. *Non ſatis feliciter tenuiſſe, luculenter docent.* Pertinet huc ambigua et incerta PP. diſputandi et ratiocinandi methodus, quam *κατ' οἰκονομίαν* appellarunt, quaeque vel doloſae pugnae, (quam tamen malitiam viris pietatis gloria illuſtribus nolumus tribuere) vel craſſae ſatis ratiocinandi impotentiae et ignorantiae poteſt tribui, quos ideo ex merito in hac quidem parte culpauit DALLAEVS, qui videndus, excuſandi tamen ſunt, quoniam in illis ſcholis, in quibus liberales artes et imprimis philoſophiam rationalem didicerant, meliorem logicam non inuenerunt, vt alias rationes taceamus in textu noſtro h. l. adductas.

y) c. II. p. m. 131 ſeqq. z) Hiſt. Chriſt. Sec. II. §. 25. p. 272 ſeqq.

AD CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIA VETERVM CHRISTIANORVM SPECIATIM CONSIDERATA.

pag. 377. lin. penult.

Communi hoc PP. qui philoſophiam Platonicam didicere, praeiudicio. Recte hoc Platonicis, etiam illis, qui Chriſtiana caſtra ſecuti ſunt, tribui, paſſim in hoc tomo demonſtrauimus, et imprimis praeter Iuſtinum, Theophili, Athenagorae, Clementis Alexandrini, Origenis exemplis probauimus:

Digitized by Google

mus: qui num nomen λόγε ex Platonis vel Philonis ſchola acceperint, de quo inter viros doctos diſputatum eſſe, alio loco indicauimus, fruſtra quaeri videtur. Nam eo quidem ſenſu, quo λόγος principium in diuinitatis ordine Deo proximum, et emanationis natura et rerum ex Deo productarum ὑπηρεσία ſecundum iſta appellatione indigitatur, apud Platonem ipſum non legitur, qui νῶν vocat: certum autem, inter philoſophos Aegyptiacos, maxime qui ex Iudaeis Orientalem philoſophiam in ea regione didicerunt, ab ipſius fere eius incunabulis appellationem iſtam eo ſenſu viguiſſe, et δημιουργὸν Θεῦ λόγον dictum eſſe: cuius quidem primum vſum a Iudaeis ex Babylonica captiuitate redeuntibus eos accepiſſe, facile nobis perſuadet paraphraſtae Chaldaei exemplum, qui Iehouae nomen plerumque per *Verbum Dei* expreſſit [a]. Ipſam autem notionem theologicam et metaphyſicam ex Orientalis philoſophiae ſyſtemate emanatiuo a Iudaeis Aegyptiacis recepto hauſtam fuiſſe, credibile, quorum illi, qui ſecundum Platonem philoſophabantur, νῶν Platonis ſiue principium diuinorum ſecundum iſtum, λόγον eſſe, aſſumſerunt, eo quod eundem menti apud eum locum tribui videbant in emanationum diuinarum ordine, quem in Orientali ſyſtemate λόγος occupat; id quod Gnoſtica placita, quae ex eodem fonte profluxerunt, principiorumque in diuinis apud eos ordo luculenter confirmant. Et hoc quidem pacto veriſimile eſt, τῷ λόγῳ doctrinam in theologiam et philoſophiam Alexandrinam fuiſſe receptam, ac PP. quoque ab iſtis Platonicis Aegyptiacis, quibus Cabbaliſtae addi poſſunt, fuiſſe perſuaſam, quod deinde ſeculis ſequentibus ducibus Pantaeno, Origene, Clemente Alexandrino aliisque hanc theologiam Platonico-Aegyptiacam ſequentibus fuit frequens, et in eccleſiam traductum. Qua de re comparanda ſunt, quae eruditiſſimus SEMLERVS [b] obſeruauit, cum hac noſtra obſeruatione facile concilianda [c]. Non tamen huc aduocandi Indi philoſophi atque Stoici, qui Deum λόγον vocantes, non principium aliquod diuinum ſubordinatum et emanatiuum primum, ſed ipſiſſimam eſſentiam diuinam omnia peruadentem, et ſecundum leges naturae et potentiae ſuae diſtribuentem intellexerunt. Quos tamen nonnunquam ſecutum fuiſſe, et ad eorum modum de λόγῳ locum tum Iuſtinum, contendit SEMLERVS, quod in iſto, qui Iuſtini tempore obtinuit, ſyncretiſmo dogmatum et opinionum magnopere quidem mirandum non eſt, et ad confuſiones eius aetatis eclecticas pertinet, qua facile σπερματικὸς λόγος Stoicorum, cum λόγῳ Platonico ſiue Alexandrino et hic cum Ioanneo, ἄτερ γραφῆς confundi potuit. Quae tamen diuo martyri condonanda putamus, quem ſenſiſſe melius quam ſcripſiſſe, ſumus perſuaſiſſimi, qui vero ſcholae, in qua educa-

a) Vid. quae ea de re inter ſe diſceptarunt SOVVERAINVS, Io. VAN DER WAYEN, Io. CLERICVS.

b) Hiſt. theol. dogmat. praemiſſa BAVMGARTENII theol. polem. P. II. not. 60. p. 56 ſeqq. vbi variae veterum notiones explicantur.

c) Vid. Hiſt. cr. phil. T. I. p. 203. 928 ſeqq. vbi de Stoicorum mente ex inſtituto dictum. Ceterum conſulendus hoc loco ITTIGIVS, Sel. Cap. H. E. c. 2. p. 206 ſeq.

educatus erat, locutionibus assuetus incaute satis locutus est, memorabili exemplo, quam incerta et instabilis sit PP. in definiendis Christianae religionis dogmatibus auctoritas et testimonium.

pag. 377. lin. 22. *Recte obseruatum est eruditissimo PETAVIO.* Quem dicam ob haec παρεφάσματα theologica de angelis Iustino scripsere, qui PP. fuisse labiles et erroribus nonnunquam seductos falli sunt. Inter quos atro cum carbone notat SEMLERVS [d], qui systema de angelis Iustini fanaticum et Christiano doctore indignum vocat. Nec magnopere excusari et in saniores sensus transfundi possunt ineptiae pneumatologiae Iustini, quae vestigia philosophiae Aegyptiacae et, quae matrem se praebuit, orientalis manifeste spirat, in qua spiritus emanatiui minoris ordinis atque gradus talia, qualia apud Iustinum inueniuntur, patrant, quae lolia ne hodie quidem omnia potuerunt euelli: tantum abest, vt in eius temporis infantia eruditionis πατροπαραδότου naeui isti deleri potuerint. Verum recordandum quoque est, incertum adhuc esse, num omnia ex beati Martyris calamo fluxerint, quae ei in eius apologiis tribuuntur, quas nunquam Romani populi iudicio exhibitas fuisse libenter asserenti cl. SEMLERO [e] credimus.

pag. 378. lin. 13. *Euertere systemata philosophorum gentilium consueuerit.* Etiam ex his incertis Iustini scriptis multa cumulauit praestantissimi SEMLERI industria, ex quibus assertiones philosophicae Christianorum eius temporis possunt intelligi, quae tamen h. l. vbi breuitatem sectamur, non exscribimus, sed Lectoris attentioni commendamus, eumque ex hoc specimine seculi istius indolem in metaphysico argumento discere iubemus.

pag. 379. lin. 25. *Encratitarum haeresin condidit.* Etiam iste pullus orientali philosophiae, quam iam ante conuersionem suam Tatianus didicerat, quamque Graecanicae philosophiae longe praeferebat, debetur, quamuis ingenium, quod nactus erat, austerum, et exempla patriae haud parum quoque tribuisse, sit verisimile. Nam cum materiam natura sua malam (quod dudum schola Zoroastris orientalis tradiderat,) statueret, certe ex limitibus, quibus emanationes siue aeones circumscriptas et intra finitatem coarctatas esse putabat, oriri more orientali, domi didicisset, in corpus quoque iniquus non esse non potuit, sed animae, quae et ipsa emanationis diuinae particula illi visa est, ergastulum esse censuit, ideoque ad vincendam materiam, ea, quae ad nutriendum et fouendum corpus valent, vitari a philosopho praecepit, vnde et coniugia, et carnem animalium, et vinum quoque fugere abstinereque ab his lautitiis discipulos iussit, maxime quod putaret, in iis et praecipue in vino mali illius principii, quod Zoroastris sequaces Arihmanium vocant, vim et potestatem inesse [f]. Quae Orientis seueritas, in vitando vini vsu ad Muhammedis tem-

d) loc. cit. p. 62 seq. e) loc. cit.

f) Persarum philosophos siue magos vinum putauisse sel principum tenebrarum, refert AVGVSTINVS de moribus Manichaeorum Lib. II. §. 44. conf. EPIPHANIVS haeref. XLV. §. 1. et quae docte de hoc delirio Aegyptiorum, Persarum, Arabum collegit IABLONSKIVS in pantheo Aegypt. P. I. L. II. c. 1. p. 138 seq.

Digitized by Google

tempora perſtitit, quem familiae ſuae illud ideo interdixiſſe, quod indigna ſapienti viro potio eſſet, pulchre obſeruauit MOSHEMIVS [g]. Ideo mores aſperos atque agreſtes Syrorum ſuorum ſecutus Tatianus, cum meliorem, quam Chriſtianorum, diſciplinam introducere vellet, horum vſum prohibuit, et in ipſa S. Coena aquam pro vino adhibendam eſſe cenſuit, quae orientales ineptiae ſcholae Tatiani Encratitarum et Aquariorum nomen pepererunt. Verum haec ad poſteriora Tatiani tempora pertinent, quo ſemina Gnoſtica, quae in patria conceperat, largos errorum fructus tulerunt. Nos hoc loco ex apologia, ſcripta magis pro Chriſtiana religione, quam recitata, dogmata eius excerpſimus, vt pateat, cum adhuc Tatianus orthodoxus haberetur, a fanaticiſmo Orientali, qui gnoſtica deliria peperit, eum parum abfuiſſe, indignum pro cuius orthodoxia vindicanda viri doctiſſimi paſſim pugnarent [h]. Loca ipſa Tatiani a forma ſanorum verborum mire deuiantia, quem in ipſa apologia quaerere taedet, eius faſtidio medetur cl. SEMLERVS [i], qui Aſſyrii hominis nugas, quas orientalibus magis ſcholis, quam Ioannis vel Pauli debuit, collegit, et quam parum ſani profeſſus fuerit, non ſine taedii patientia collegit. Quae tamen humani ingenii ſomnia nemo mirabitur, qui nouerit, quanto antiquitatis et a maioribus acceptae ſapientiae praeiudicio homines illi Aſſyrii, Perſae, Aſiatici laborauerint, et ſuo cothurno aliorum φιλοσοφήματα adaptauerint. Certe ſine hac Orientali philoſophia Tatianus nec intelligi nec explicari ſatis poteſt.

pag. 382. lin. 22. *Saniori itaque ſenſu haec accipi non poſſunt.* Ita quidem contendit BVLLVS, ſed inuito Tatiani ſyſtemate, quod ex mera potentia nihil producit, ſed radicem rerum omnia in ſe continentem, ſupponit. Merito itaque Bullum caſtigauit Semlerus. Δύναμις enim in hoc ſyſtemate emanatiuo, non tantum potentiam externam, ſed internam, in emanante ſuo eſſentialiter radicatam ſignificat, nec Peripatetice, ſed emanatiue intelligenda eſt, ſenſuque orientali, vel, ſi mauis, cabbaliſtico. Quo ſuppoſito, non quidem adeo τὸ ἀσύστατον regnat in Tatiani ſyſtemate, aſt nugae tamen ſunt, nec rationis, nec reuelationis praeceptis conformes, et merito damnandae.

pag. 385. lin. 26. *Verbum ante creator homines angelos produxit.* Hoc de homine, in quem diuina immortalitatis imago immiſſa eſt, in illo emanationis negotio intelligendum ſine dubio eſt, iſta enim in emanandi ordine prior proſiliit angelis, quos corporibus ſubtilioribus veſtitos eſſe, more totius ſectae ſtatuebat. Ita vero ſequentia quoque cum dogmate de

g) Hiſt. Chriſt. Sec. II. §. 61. p. 299.

h) Vid. BVLLVS defenſ. fidei Nicaenae, Sect. III. c. 6. quem recte ideo notauit cel. SEMLERVS in hiſt. dogmatum, praemiſſa theologiae polemicae B. BAVMGARTENII P. I. c. 4. §. 58. T. II. p. 76 ſeqq. qui heterodoxiam Tatiani luculenter demonſtrauit.

i) loc. cit.

Digitized by Google

de hominis arbitrio siue voluntate libera melius cohaerent, distinctione inter spiritum et animam adhibita, sine qua Tatianus sibi non constat, quod p. 389. iam obseruauimus.

pag. 391. lin. 24. *Anteque cohaeret.* Leg. arcteque cohaeret, vel, si mauis, in eundum fontem reducitur, quantum patitur emanationis indoles.

pag. 394. lin. 10. *Lumen incorporeum et infinitum.* Diligenter ad hunc locum, et quae ex eius sensu fluxere assertiones Tatiani, totiusque scholae orientalis attendendum esse, lectorem monemus. Ex quibus patet, homines istos Asiaticos, crassiori Minerua de Diuinitate differentes, non tales conceptus metaphysicos, ab omni corporis natura et indole separatos, et mere spirituales, quales nos fouemus, de diuinis sibi formasse, sed sub lucis purissimae, et supra solis lumen infinitis modis eminentis imagine infinitum sibi spatii luminosi et extramundani, τὸ πᾶν vbique infinita virtute et actiuitate replentis notionem aliquam animo concepisse, quo pacto emanationis dogma, suo modo locum habere potuit. Quod cum cum depuratis sanioris metaphysicae et theologiae assertis stare non posset, ineptarum conciliationum istarum occasionem exhibuit, qua prima ista secula fanaticismo pudendo, et doctrinae sacrae corruptione intolerabili repleta sunt. Quae tamen omnia digito tantum hic tacta in sacrorum dogmatum historia pluribus explicanda sunt, ostendendumque non tantum, quid hi homines dixerint, verum etiam, ex quo fonte et in quem finem quoue systemate suis fundamentis connexo talia asseruerint, id quod multas in haeresiologia veteris aeui tenebras dispellet, in qua magnum momentum habet accurata et distincta fanaticismi Orientalis siue Asiatici dispunctio [k].

pag. 399. not. l. *Praefati sunt.* Dubitat de auctore cum Dodwello, vtrum Antiochenus episcopus, an alius Theophilus iunior auctor apologiae sit, quam habemus, cel. SEMLERVS [l], cuius rationes expendi merentur, locumque suum habent in historia critica ciuitatis Christianae. Nobis hoc loco sufficit, quod erudite obseruauit vir doctissimus, Theophilum, qui ad Autolycum scripsit, suam disciplinam videri in Aegypto hausisse, doctrinamque de λόγῳ qualem is tradit, hanc patriam prodere, in qua carmen quoque Sibyllae illi primum innotuerit. In hac enim regione Sec. II. inuenustum hunc pullum philosophia Orientalis, obstetricante Platonismo, iam produxerat.

pag. 408. lin. 12. *Qui egregie de eius scriptis meruit.* Dolendum tamen, non obstante MASSVETI diligentia, qui diss. II. *de Irenaei vita, gestis et scriptis* egit, pauciora nobis innotuisse, quam tanti viri nomen, fama atque merita postulant, vnde nouos labores tam egregii viri memoria poscit, sed sine partis studio sectaeue patrocinio suscipiendos.

Ibid.

k) Legenda, quae pulchre sobrieque de hoc argumento differuit Cel. SEMLERVS hist. dogmat. T. I. §. 7 seq. p. 83 seqq. Qui acute obseruat, primas scaturigines huius mali in Aegypto quaerendas esse.

l) loc. cit. not. 81. p. 88 seq.

Digitized by Google

Ibid. not. l. *PETAVIVS et HVETIVS.* Specialem ad Petauianas obiectiones contra Irenaeum et Maſſuetianas emendationes reſponſionem et diſpunctionem GRABIVS meditabatur, ſed labori immortuus non perfecit [m]. Diligenter quoque more ſuo de doctrinae Irenaei ſyſtemate atque ſenſu diſquiſiuit ven. SEMLERVS [n], ab iis legendus, qui ciuitatis ſacrae hiſtoriam practicam et doctrinalem haurire cupiunt, quod ad limites noſtros non pertinet, nec ex inſtituto tractari poteſt, virum autem attentum et veteris literaturae haud vulgariter peritum poſtulat, quem nec interpretis barbaries impedit, nec Gnoſticorum inſania deterret, quo minus ad primos iſtorum errores fontes penetret, quibus detegendis beatus epiſcopus inuigilauit, et plerumque in ea re acute vidit [o], quamuis totam emanatiui ſyſtematis indolem ſe non perſpexiſſe, interdum prodiderit: cuius praecipua cauſſa ex notionibus Platonicis deriuanda videtur, quae non patiuntur, vt dicatur materia quoque ex infinito vno fluxiſſe et tum demum mundo ſpirituali fuiſſe oppoſita, cum demiurgo materialis mundus per eius animam conderetur, vt *tomo primo* luculenter demonſtrauimus.

pag. 411. lin. 7. a fin. *Ipſi quoque Deo tribuit.* Multa λογομαχίαι in hac quaeſtione detegi poteſt, ſi vel varia corporis notio, quae eo tempore obtinuit, expendatur, vel notio Dei conſideretur, qualem ſibi Tertulliani tempore philoſophi et theologi conceperunt: quos incertis et ambiguis definitionibus concertaſſe de eodem argumento, ex illis manifeſtum eſſe poteſt, quae aliud quidem agendo, vtiliter congeſſit cl. SEMLERVS [p], qui audiendus, indeque de Tertulliani opinione atque ſententia de Deo ſtatuendum eſt. Qui cum Deum non ratione ſubſtantiae tantum conſideraſſet, ſed poteſtatis quoque et dominii rationem conſideraſſet, in conceptu Dei ambiguus eſſe coepit, maxime cum incorporalitatem quandam ſibi conceperit, quae *quoniam non habet, quod patitur, id quod habet, corpus dicendum eſſe* concludebat. Quod exemplo diuitis Sad-

m) Vid. NICERON. mem. vir. doctrina illuſtrium T. XXI. p. 7. verſ. Germ. qui teſtimonio REM. CEILLIERI vtitur, in tr. de S. E.

n) In hiſt. dogm. theol. §. 79. in fronte theologiae polemicae B. BAVMGARTENII T. II. pag. 86 ſeqq.

o) Vt exemplum memorabile lector habeat, quam pro-funde origines errorum Gnoſticorum Irenaeus inſpexerit, adſcribemus locum eius ex L. II. contra Gnoſticos c. 10. in quo luculenter verum totius metaſeologiae Gnoſticae fontem detexit. Cum enim ex morologia horum hominum προπάτορα, ſiue Deum primo priorem in Bytho latentem confinxiſſet, addit: haec ſomnia impios iſtos homines ideo excogitaſſe, vt putentur poſſe enarrare, vnde ſubſtantia materiae non credentes, quoniam Deus ex his, quae non erant, quemadmodum voluit, ea, quae facta ſunt, vt eſſent, omnia fecit, ſua voluntate et virtute ſubſtantia vſus, ſermones vanos collegerunt. Vidit acute B. epiſcopus negatam creationem rerum omnium ex nihilo ſolo iuſſu et voluntate Dei, omnium primam et potiſſimam cauſſam eſſe, ex qua emanationis ſyſtema, Gnoſticorumque deliria omnia profluxerunt. Cum enim alienum eſſe a diuina natura putarent, vt ex nihilo nos omnes et imprimis ſubſtantia materiae producantur, ante primum emanationum fontem eiusmodi infinitatem atque abyſſum excogitarunt, in qua rerum omnium ὕλην nondum formatae latarent, et commota hac profunditate, a principio actiuo primo per ſubordinatum λόγον producerentur. Quae clauis eſt totius metaphyſicae Orientalis, ex qua complures ſectae hanc de Deo primo-priore, vel infinito ſilentio (βύθον vocabant) ſententiam tranſſumſerunt, vt Tomo I. ſuis locis annotauimus. Sed reliqua quoque expendenda ſunt, in quibus Irenaeus demonſtrauit, quomodo pleroma Gnoſticum enatum ſit.

p) loc. cit. T. II. p. 825 ſeqq.

ducaei et pauperis Lazari illuſtrabat. Fluctuaſſe tamen in hoc articulo Tertullianum, inde concludimus, quod affirmat, *ſe corporales animae inſcribere lineas, non tantum ex fiducia corporalitatis per aeſtimationem* (a priori) *verum et ex conſtantia gratiae per reuelationem:* id quod ex narratione ſororis cuiusdam ecſtaticae ſe habuiſſe, ait, quae ſibi, faſſa ſit, *oſtenſam animam corporaliter, et ſpiritum viſam eſſe, ſed non inanis et vacuae qualitatis, ſed quae etiam teneri ſe repromitteret, teneram et lucidam et aërii coloris et forma per omnia humana* [q]. Mirandum itaque non eſt, Tertullianum vaga et incerta imagine deceptum definiuiſſe, animam *Dei flatu natam, immortalem corporalem, effigiatam, ſubſtantia ſimplicem, de ſuo ſapientem, varie procedentem, liberam arbitrii, accidentiis obnoxiam* [r]. Quae exemplo eſſe poſſunt, quam longe ratio philoſophandi Tertullianea in hoc argumento a praecipione et accuratione philoſophica, remota fuerit, et quod mirandum non ſit, quod *naturam animae aëream fecerit, nempe flatum et ſpiritum traducem, qui prae ipſa tenuitatis ſubtilitate de fide corporalitatis periclitetur* etc. [s]. Sed et alia, his theſibus innixa conſideranda ſunt, quibus doctrinam de origine animae explicuiſſe ſibi videtur, nos obſcuraſſe iudicamus: quae tamen, et ſimilia loci anguſtia nos cogit omittere. Conſuli autem PAMELII induſtria *de paradoxis Tertulliani* poteſt, quaeque SEMLERVS de iisdem annotauit [t].

pag. 420. lin. 17. *Magno ſtudio et commendauit, et ſecutus eſt.* Merentur loca Clementis de immodico, quo in philoſophiam, quam amplexus erat, eclecticam ferebatur, ſtudio et amore conſiderari, et quantum iſtud ſtudium eccleſiae nocuerit, Ipſumque Clementem parum illi profuiſſe oſtenderit, inde colligi, cum totius huius corruptionis doctrinae, quae a Sec. II. atque tertio initium habuit, potiſſimus dux et praeceptor merito iudicetur, quamuis omnium primum huius ſcabiei ſyncretiſticae parentem fuiſſe, fruſtra IOS. AVG. ORSI [u] contenderit, eo quod ante ſe Iuſtinum, Pantaenum aliosque hactenus recenſitos exempla habuiſſe negari non poſſit. Ipſe tamen Clemens eruditionis celebritate et ingenii laude reliquorum facile princeps tantopere pondus huic ſyncretiſmo, et philoſophiae in hortos ciuitatis Chriſtianae adducendae addidit, vt inter primos merito haberi poſſit, cui memorabilem hanc doctrinae Chriſtianae corruptionem adulterataque dogmata poſſimus tribuere. Non patitur loci anguſtia, vt in hunc campum prolixe exſpatiemur, dabunt, quantum ſatis eſt, certitudinis de ea re virorum doctorum obſeruationes, qui Clementis de philoſophia ſententiam explorarunt. Inter quos luculentiſſimis teſtimoniis ipſius Clementis probauit deſideratiſſimus MOSHEMIVS [x], „catechetam Alexandrinum Chriſtianam veritatem non aliam tradere „vo-

q) De anima c. 4.
r) Ibid. c. 22.
s) Il. ec. conf. OVDINVS de S. E. Tom. I. pag. 210 ſeqq.
t) Momentum hanc ſententiam Tertulliani habere, in quaeſtione de traduce animae, probe monuit Cl. SEMLERVS, iuxta emanationis viam enim animae origo oſtendi et explicari non poteſt.
u) Hiſt. eccl. T. II. p. 406.
x) Hiſt. Chr. Sec. II. p. 274.

Digitized by Google

„voluiſſe, quam admiſtam philoſophiae decretis, et abſconditam, quem„admodum teſta operitur id, quod in nuce eſt eſculentum: porro putaſ„ſe, huic philoſophiae generi ineſſe vim quandam, ad homines iuſtos „faciendos: eſſe ſapientiae Graecanicae medullam ſanam, dulcem et ſa„lutarem, et Chriſtianae ſapientiae ſimillimam, ſuperſtitiones autem ad„mixtas corticem eſſe, quo fracto, nucleus diuinae ſapientiae poſſit attingi.“ Vnde mirum non eſt, placuiſſe doctori Alexandrino: „philoſophiam ante „I. C. aduentum viam fuiſſe ſalutis aeternae, et idcirco de ſalute ſapien„tum Graecorum dubitari non poſſe:“ immo eo progreſſum, vt non erubuerit ſcribere [y], *philoſophiam Graecis diuinitus datam eſſe, tanquam proprium quoddam teſtamentum ſiue foedus eamque fundamentum eſſe philoſophiae, quam a Chriſto accepimus, itemque idem philoſophiam fuiſſe Graecis, quod lex Hebraeis.* Quem in modum inſanire potuiſſe virum grauem, doctum, acutum, qualis Clemens fuit, vix credi poſſet, niſi indoles hominum Aegyptiorum et imprimis ciuium Alexandrinorum dudum famoſa ob hunc characterem fuiſſet, quorum proprium fuit, in eiusmodi ſyncretiſmi labem magnis ardoribus ruere. Accedit tamen ſtudium Clementis malefana, iſta doctrinarum diuerſarum commixtione gentiles alliciendi, vt de Chriſtiana religione auguſtiores, quam de reliquis doctrinarum generibus cogitationes conciperent [z].

pag. 427. lin. 7. *Ignota ſacris literis tradidiſſe.* Non ſine laboris ingrati taedio, aſt accuratione et attentione adhibita, loca dogmatica potiora ex Clementis ſcriptis in compendium redegit, et innumera, quae illis inſunt ἄλογα καὶ ἄσοφα, Alexandrinum ingenium prodentia, adductis ipſis Clementis verbis, demonſtrauit eruditiſſimus SEMLERVS, cuius *hiſtoria dogmatica veterum Chriſtianorum* legenda eſt, vt ingenium modusque cogitandi Clementis innumeris ἀταξίαις conſpicuus rite intelligatur. Quare olim mirati ſumus magnopere, quod eminentiſſimus cardinalis Quirinus tantum ſtudium prae ſe tulerit, ſcriptorem hunc Alexandrinum ſanctorum catalogo vindicandi: quod non fieri poſſe, in tot doctrinarum male cohaerentium et ſanos ſenſus non exhibentium ſartagine, quae in ſcriptis Clementis regnat, cum euidentiſſimis teſtimoniis, rogati a purpurato epiſcopo, aliquot epiſtolis illi demonſtrauiſſemus, ſilentio totum argumentum ſupprimere, quam negare manifeſta Clementis παραράματα maluit. Ceterum non ignarum praeceptionum philoſophicarum Clementem fuiſſe, *octauus Stromatum liber* probat, qui ab illis inſpiciendus eſt, qui rationalis philoſophiae faciem inter Chriſtianos Sec. II. et III. cognoſcere cupiunt. Cetera ad hiſtoriam eccleſiaſticam et dogmaticam chriſtianam

y) Strom. L. VI. c. 8. p. 773.

z) Sine dubio eadem cauſſa fuit, cur arcanam et obſcuram inde cogitandi et ſtatuendi methodum elegit, quod ipſe non negat. Inde vero myſtica illa tradendi et imprimis Scripturam S. explicandi ratio originem habuit, quam ad ineptias vsque proſequitur. Effecit hoc occultandi ſtudium, vt difficulter de Clementis opinionibus et placitis ſtatuere queamus.

a) T. II. §. 61. p. 133 ſeqq.

ſtianam pertinent, alibi expendenda, vt de orthodoxia Clementis verſimilis ſententia ferri decidique poſſit, num talia ſenſerit Clemens, qualia ei tribuit Bullus, nec ne?

pag. 428. lin. 28. *Et quo veri fontes recte detexit.* Hanc Huetio laudem omnes tribuunt, qui de ſcriptoribus et rebus Chriſtianorum hactenus tractarunt, et ex Huetiano Origenianorum opere vitam, fata, dogmata, affectas, methodum, omnemque Origenianiſmi euentum deſcripſerunt. Dolendum autem, cum non omnia dixerit Huetius, quae dicenda et monenda erant, intercepiſſe mortem labores doctiſſimi ex Benedictinorum familia monachi CAROLI DE PARVE, qui *Origeniana* HVETII locupletiora, ſuisque obſeruationibus meliora et emendatiora dare conſtituerat. Quamuis enim omnino laude ſua dignum eſt, et ad poſteros durabit opus Huetianum, obſeruatum tamen viris doctis eſt [b], vitiis haud carere, nec raro curioſum deſtituere. Eſſe enim imperfectum, nec omnes Origenis ſententias a communibus diſcedentes perſequi, ſed eas tantum, quae in publicam reprehenſionem incurrerunt, et damnata ſunt, cum tamen alia multa Origenes affirmauerit, obelo non minus, quam iſta, configenda. Tractationem autem de philoſophia Origenis totam omiſiſſe Origeniana Huetii contenti, ſi monuiſſet, academiam fere totam ab Origene in eccleſiam eſſe introductam, cum tamen de erroribus eius in theologia iudicare nemo poſſit, niſi philoſophia eius perſpecta. Nec methodus Huetii in exhibendis opinionibus Origenis placuit, quod non ordinem magis naturae, quo dogmata et tota diſciplina cohaerent, quibusque nexuis continentur, ſed ſcholarum ſecutus ſententias, nulla connexionis ratione habita, locis quibusdam communibus ſubiecit, quo pacto ipſum Origenis ſyſtema difficilius in natura ſua cognoſcitur, quam diſputatione ancipiti excuſatur, raroque controuerſarum quaeſtionum momenta diſcutiuntur, quod tamen in hiſtoria dogmatica ſyſtematum vtramque facere paginam nemo non intelligit. Viſus quoque eſt, patronum magis Origenis, quam cautum et modeſtum hiſtoricum atque iudicem ſe praeſtitiſſe, denique vti ad excuſandum Origenem argumentis interdum infirmis nihilque efficientibus. Mirum itaque non eſt, poſt meſſem Huetianam inueniſſe viros doctos largum hiſtoriae Origenianae ſpicilegium et non literariam tantum huius doctoris hiſtoriam auxiſſe [c], ſed imprimis ad cognoſcenda Origenis dogmata et ſententias pluſcula attuliſſe, id quod ex noſtratibus eleganti doctrina adiuti praeſtiterunt, celeberrimi theologi Io. LAVR. MOSHEMIVS [d] et Io. SALOMO SEMLERVS [e], vt alios taceamus, quorum auxiliis adiutus paulo plenioren ſcenam hiſtoriae dogmaticae Origenianae poſſet inſtruere. Qui tamen labor a noſtris limitibus alienus eſt, qui hiſtoriam philoſophiae criticam vniuerſalem tantum damus, ſpecia-

b) Vid. MOSHEM. hiſt. Chr. Sec. III. p. 606 ſqq.
c) Vid. REM. CEILLIER hiſt. gener. p. 585 ſqq.
d) Hiſtor. Chr. Sec. III. §. 27 ſeqq. p. 694 ſeqq.
e) Introd. in hiſt. dogm. Chriſt. Sect. II. c. 4. §. 62 ſeqq. p. 156 ſeqq. in fronte Op. polemici Baumgartenini.

Digitized by Google

ſpecialem et particularem aliorum diligentiae relinquere cogimur. Ad id autem noſtra imprimis in tangenda philoſophia Origenis reſpexit attentio, vt dogmatum potiorum atque primariorum, quae ſectatus eſt, doctor Alexandrinus, fontes, nexum, et origines ex Alexandrina, ſ. Aegyptiaca, et, quae hanc genuere Orientali et Platonica philoſophia oſtenderemus, quo pacto ſcopo noſtro feciſſe nos ſatis inſtituti ſcopique noſtri ratio ſatis comprobat: putamus autem, virorum doctorum induſtriam multa adhuc in hoc argumento detegere poſſe, quae abſcondit hactenus atque obſcurauit Origeniana ambiguitas, et modeſtia parum decernens, et ſubinde fluctuans atque inconſtans, tum prolixa varietas in ſcriptis eius obuia, item veterum ſcriptorum in narrandis et diiudicandis dogmatibus Origenis diſcordia, aduerſariorum quoque acerbitas et ingenui candoris raritas, qua effectum, vt ipſe viuus adhuc Origenes de adulteratis doctrinis ſuis conqueri neceſſe habuerit, et ſimilia. Nos vnum monemus, Alexandrinam ſ. Aegyptiacam philoſophiam ex Platoniſmo reformatam, in noſtram ſcenam doctorem celeberrimum protraxiſſe, quo reſpectu laruam interdum depoſuit, et, quid ſentiat, paulo clarius prodidit, quo pacto eius *κυρίαι δόξαι* ex Alexandrinis puteis hauſtae facilius, quam ea, quae ſtudioſe celat, poſſunt erui. Quae conſiderata, reſpectu ad Origenis circumſtantias habito, manifeſtabunt ingenium magni viri fertile, et imaginationis fulcris ſubnixum, varium, atque ad fanaticas hypotheſes ſponte inclinans, diſciplina autem ſcholae Alexandrinae ad gentis et patriae ſuae opiniones formatum, iudicium vero mediocre, rarum, et ſubinde titubans, quodque lectio varia et copioſa et eloquentia e ſede ſua non raro deiecit, et praeceptorum ſectaeque ſtudium multis in locis errare coëgit vel luſſit arena excedere: denique Ammonii Saccae diſcipulum, in quem omnes eclecticae ſcholae naeui atque vitia confluxiſſe videntur, quique, quae bona habet et egregia aliis melius ſentientibus debet, non proprio ſyſtemati. Qui Origenis character, quem illi locum in hiſtoria philoſophiae eclecticae faciat, ex obſeruationibus noſtris ſuo loco datis et ad Origenem attente adplicitis lector, qui naſum habet, facile ipſe poteſt decernere, etſi magni et doctiſſimi viri laus ei denegari non poſſit, qui ſi mitioribus fatis tranquillitatem mentis atque ſtudiorum potuiſſet ſeruare, dubium non eſt, quin multa ipſe emendaſſet, quae forte ad attemperandum ſe auditorum et ſectariorum ingeniis, incautius protulit, et ad eum inuidia cumulandum pinxit et acuit perſecutionis, quae in eius caput exarſit atrocia. Reliqua, quae de eo moneri poſſunt, in hiſtoria critica eccleſiae Chriſtianae quaerenda ſunt, et ad noſtrum campum non pertinent.

pag. 429. not. fin. 1. *Induſtria.* Legendum, modeſtia. Tanta ea fuit, vt haud vno loco fateatur, *ſe magno metu et cautela dicere, diſcutientibus magis, et pertractantibus, quam pro certo et definito ſtatuentibus: et ſe in quibusdam*

dam disputandi specie magis, quam definiendi exerceri. Tales obtestationes, magnae modestiae de se modice sentientis omnino testes sunt.

pag. 441. lin. 31. *Ritui eum barbaro et superstitionibus Iudaicis adaptauisse.* Notari hic Porphyrii locus in historia philosophiae Origenianae ideo meretur, quod veros fontes detegit, vnde Origenes suam philosophiam hausit. Hos non Graecarum tantum sectarum decreta fuisse, maxime Pythagoreorum, Platonicorum, Stoicorum, sed Iudaeorum quoque barbaricam superstitionem: Ea non potuit esse alia, quam, qualis in Aegypto inter Iudaeos vigebat, et barbaricae philosophiae nomen atque gloriam sibi arrogabat, et deinde cum Pythagoricis, et Platonicis, et Stoicis quoque nonnullis commiscebat. Euictum autem suo loco[f] dedimus, barbaram istam philosophiam Iudaeorum Asiaticae siue Orientalis foetum fuisse, et hoc pacto sanctius aliquod et sublimius doctrinae genus se possidere, Iudaeos Aegyptiacos credidisse. Origenem autem ipsum dum ad haec barbarica animum intendisset, posthabitis Graecis orientali systemati subscripsisse, et tum demum id Graeco habitu ornasse, id quod male habuit Porphyrium, qui, quanquam ipse quoque fanaticam Aegypti philosophiam sequebatur, ferre tamen non potuit, vt ad barbaros, id est, Iudaeos orientalibus placitis imbutos gloria Graecae sapientiae deferatur.

pag. 442. lin. 3. a fin. *Qui passim hanc pestem tetigerunt.* Inter eos, qui allegorias Origenis critico oculo contemplati sunt, omnino legendus et audiendus est, quem toties in partes vocauimus, ὁ πάνυ MOSHEMIVS[g], qui praeclaras obseruationes attulit, probauitque, more Aegyptiorum Iudaeorum duplicem habuisse Origenem philosophiam, aliam popularem, aliam philosophicam: et hanc velut meliorem vltra simplicium hominum captum eleuare conatum, allegoricum interpretandi scripturam sacram genus, Aegyptiis Iudaeis dudum vsitatum et a praeceptore Clemente iam adhibitum, et Pantaeno quoque aliisque probatum ad id adhibuisse, vt peregrinas et insolitas, quas sibi construxerat, opiniones hoc fuco pingeret et commendaret. In quo adeo modum supra exempla antecessorum excessisse Origenem, vt magnam sibi eo nomine inuidiam conflaret, ipse scriptum reliquit[h]. Sed et reliquae ad H. E. et exegeticam pertinentes obseruationes Moshemianae legendae sunt, et conferenda illa, quae supra de methodo Orientali et Iudaica inter Aegyptios, maxime Alexandriae florente, attulimus, quibus ab hoc loco alienis inhaerere prolixius, haud licet.

pag. 443. lin. 18. *Et agendum materia subministrauit.* Peregrina et barbara sententia a Christianae ecclesiae doctrina magnopere abhorrens, quae Dei voluntati et sapientiae nullam materiam in condendo mundo adiungens ex nihilo omnia produxisse docebat: ast sententia tamen eius aetatis

f) De princip. L. I. c. 6. §. 1. p. 69. Maxime timidus et prouidus autem est in articulis theologicis puris, paulo elatior et fiducia plenior in mixtis.

g) loc. cit. §. 28. p. 628 seqq.

h) Hom. III. in Genes. T. II. Opp. §. 3. p. 95.

Digitized by Google

aetatis philoſophis accepta et veriſſima viſa, quoniam ex nihilo creare aliquid, contradictorium eſſe indeque Dei tribui non poſſe credebant. Quare vel materiam Deo συναΐδιον ad latus quaſi ponebant, vel ex eius ſinu derluabant, quod prius a Dualiſtis, poſterius a Pantheiſtis et fanaticis philoſophis factum eſſe, multis exemplis hactenus docuimus. Itaque cum ſimplex et popularis tantum et ad vulgus accommodata doctrina Chriſtiana Origeni videretur, cauſſas autem duas coaeternas et contrarias ſine manifeſta abſurditate poni non poſſe probe peruideret; neceſſario non ad emanationis tantum ſyſtema delatus eſt, ſed cum Deum ſpiritum eſſe infinitum ſtatueret, materiam indole ſua limitatam et finitam dicere et hanc tamen in Deo latere et aeternis periodis ex ſinu eius eiacularl ad condendos mundos afferere, ſicque neceſſario Omnipotentiae diuinae hac theſi iniuriam inferre coactus eſt. Quae eo facilius perſuaderi potuit Origeni profana opinio, quod et Stoici et Plato, quos vtrosque magni faciebat, materiae conditionem naturamque Deo opponentes, ipſi quoque in hanc diuinam omnipotentiam craſſis erroribus peccauerunt, id quod alibi fuſe olim oſtendimus, quae ſuo loco [f] videnda.

pag. 445. lin. 5. a fine. *Monuit HVETIVS.* Huetio in hoc Origenis de trinitate dogmate illuſtrando iungenda ſunt, quae doctiſſimus SEMLERVS de eo annotauit, et de BVLLI quoque explicatione Origeniani ſyſtematis obſeruauit: de quo argumento in annalibus hiſtoriae eccleſiaſticae agendum eſt [g]. Non magnopere autem mirandum eſt, quod Origenes ſe in deuia abripi in hoc dogmate paſſus ſit, cum communem doctrinam faſtidiens, nouas ideas, principia, notiones ſibi finxerit, quibus ſuae philoſophiae conuenienter magis de diuina eſſentia et perſonis poſſet differere. Quod quem ex ipſo Origene perdiſcere piget, ſola excerpta Semleriana affatim ſuppeditabunt hanc obſeruationem roborantia. Nempe tales foetus expectandi erant a philoſophia Aegyptiaca ſiue Alexandrina ad Orientale emanationis ſyſtema conformata.

pag. 446. lin. 21. *Moderatius et rectius ſentire videtur.* Id euincere ſtudebat BVLLVS in *defenſ. fidei Nicaenae* [l], ſed fruſtra, non patiente eam excuſationem emanatiui ſyſtematis indole. Vnde etiam maleſanas phraſes cumulat videndas apud HVETIVM et SEMLERVM [m].

Ibid. lin. 5. a fin. *Ex quo, vel quo mediatore, reliqua emanatiua proceſſerint.* Ex hac theſi, quam omnis orientalis et Aegyptiaca philoſophia recepit, explicanda dura iſta aſſertio, quam Origeni tribuit AVGVSTINVS, haereſium veterum enarrator, filium Dei ſanctis comparatum, veritatem eſſe, patri * collatum mendacium: quantum diſtent Apoſtoli a Chriſto, tantum filium a patre. Vbi vox mendacium ſatis feſtinanter et

f) In otio Vindelico diſſ. II. §. 10. p. 164 ſeqq. randus quoque MOSHEIMIVS loc. cit. p. 618.
g) l. c. T. II. §. 63 ſeqq. p. 263 ſeqq. Compa- l) Cap. 9. m) ll. cc. n) Cap. 48.

Digitized by Google

et imprudenter adhibita ab Origene, (modo ab ipso sit profecta, nec debeatur eius accusatoribus inuidia eum cumulantibus), non intelligenda est sensu morali, sed metaphysico, vbi veritas κατ' ἐξοχήν vnus omnium rerum fons est, reliqua omnia ex hac veritate tantum participant, quantum ex eo fluxerunt, et tanquam principiata emanatiua non aliam realitatem siue veritatem habent: vnde Platonicorum vocibus vsus Origenes, creata per emanationem omnia, teste Alexandro apud THEODORETVM ἰδέας ὄντας vocauit, sed sensu minime Christiano, iisque communicandae realitatis caussa mediatorem λόγον praefecit, per quem et ipsae existerent, et aeternae possent dici. Qua de re expendenda sunt, quae operose collegit WHISTONVS [e], quem ex parte secutus est SEMLERVS [f], qui comparandi.

pag. 449. lin. 15. *Quod ne hodie quidem amatoribus caret.* Repeti hic cupimus a lectore memoria, quae de Zoroastriano systemate ad Tomum II. in his supplementis diximus, vt verae scaturigines deliriorum Origenis pateant. Illud enim cum Aegypti quoque incolis persuasum fuerit, recte inde colligitur, hominem Aegyptiacum hanc quoque sententiam ab ipsis istis magistris didicisse. Ex quo, nobis quoque non monentibus, intelligit Lector, adeo diuersas, et magna ex parte subleſtas aut suspectas narrationes de erroribus Origeni fuisse tributas, quod pauci hos fontes placitorum Origenis nossent, pauciores intelligerent, recteque referrent. Itaque merito hoc systema emanatiuum orientale pro claue referandae philosophiae Origenianae adhibendum est, in quo ad summum gradum euehendo adeo bonus Origenes, ingenio magis, quam iudicio valens, insaniuit, vt periodicas et aeternas effluxuum et reflexuum siue emanationum periodos exsculperet, satis se prouidisse fatali rerum omnium necessitati ipsique pantheismo, qui necessario ex systemate isto fuit, ratus, si libertatem arbitrii adiecisset, quo pacto tamen non cogitauit, se propria vineta caedere.

pag. 449. lin. penult. *Ex hoc angelorum tutelarium et praesidiariorum dogmate ab Origenis tempore.* Legendae hic sunt ANONYMI, qui se *Asidaemonem Philoromaeum* vocat, acutae et eruditae *vindiciae aduersus Sycophantas Iuuenses* [g], qui hoc malum in ecclesiam, etiam suam, quam sequebatur, Romanam, irrepsisse ab Origenis tempore, eiicit, et doluit: Itaque viros doctos, qui huius ecclesiae partes sequuntur, rogamus, vt haec sine inuidia a nobis dicta esse, quae agnoscunt suorum doctissimi, credant. Ceterum ab angelorum cultu, ob hoc ipsum munus tutelare a prouidente omnibus λόγῳ illis tributum, totum Origenem absoluere ausus non est Huetius, contrariam sententiam pro Origene tuente Samuele Bocharto, quorum de hac ἀγγελοδουλείᾳ Origenis dissertationes atque

e) Account of the primitive faith, p. 72.
f) l. c. p. 182 seqq.
g) c. VII. p. 42 seqq. qui acute vidit, genio- rum cultum mediatorium ex Platonismo in ecclesiam, maxime per Pseudo-Dionysium irrepsisse, et ab eo D. Thomam mutuatum esse.

Digitized by Google

atque concertationes poſt eorum funera in vulgus emiſit Abbas TILLADETVS [r]. Totum liberari non poſſe Origenem ab hac angelorum Θεραπεία, ex *diſputatione* eius *contra Celſum* [s] haud obſcurum eſt, licet more ſuo ambigue et fluctuans differat.

pag. 450. lin. 30. *Vt videre eſt apud IAMBLICHVM.* Copioſa et erudita obſeruatione de Platonicorum anima aetherea, et ſpiritus ſiue animae, quae hominibus adeſt vehiculo, diſſeruit; et quam rationalem, quam ſenſitiuam hominis corpore concludi dixerint, expoſuit RADVLPHVS CVDWORTHVS [t], hoc loco omnino conſulendus, quibus his tamen luculentiora addidit totamque pſychologiam veterem de iis illuſtrauit incomparabilis Commentator [u], cum illis ad intelligendam theſin Origenianam comparandus, quae nos Tom. I. ſuo loco de pſychologia Platonis attulimus.

pag. 451. lin. 23. *Vt ille poſtulat.* Recte hoc a nobis poſci in interpretatione placiti huius ſiue problematis Origeniani, concedet, quisquis leges ſanae interpretationis nouerit, et quamplurimis exemplis ex hac noſtra hiſtoria critica philoſophiae didicerit, quam feliciter obſcuri ſyſtematum veterum ſenſus hoc pacto poſſint recludi. Fatemur autem, remoras nobis iniicere cogitationem, quae Origeniani characteris ideam nobis ſuggerit. Nempe incertus in ſyſtematico cogitandi artificio fluctuabat Origenes, et ſyncretiſticis ſtudiis detentus, non, quid ſyſtematis nexus poſtulabat, cogitandum eſſe ſtatuebat, ſed ad id animum intendebat, vt dogmata immo opiniones quoque inter ſe diuerſiſſimae vno ſub iugo ire cogerentur. Cum autem hoc efficere impoſſibile eſſet, niſi varia et fluctuans vocibus atque notionibus affingeretur ſignificatio, vocibus terminisque obſcuris, ambiguis, incertis, nihilque ſolidi ſignificantibus rem apertam dubiis ſenſibus inuoluere coactus fuit. Hinc illa Origenianae doctrinae incertitudo, hinc tot incertae interpretationes, accuſationes, excuſationes, hisque ſimilia. Quae vt aperta et cuilibet, qui res Origenis ſemel ſcrutatus eſt, certa videri poſſunt, ita incertum prorſus faciunt, quo ſenſu notiones, ideas, principia adhibuerit, an ſibi ipſi conſtans certusque perſtiterit, an dubius haeſerit, an in afferendis dogmatum praecipuorum conſectariis recte argumentatus ſit, numque recte illi talia tribuantur, quae vi ſyſtematis dicere poterat et debebat. Et hanc quidem criticam attentionem omnibus illis precamur, qui in hoc campo verſari non ſine fructu et laude cupiunt.

pag. 453. lin. 30. *Praeeunte Platone ipſo tribuunt.* Primam huius opinionis, dignae ingenio Origenis ad laſciuiam vſque foecundo, ſcaturiginem nemo facilius deteget, quam qui ex iis, quae ſupra Tomo I. de

r) Diſſertations ſur diverſes matieres de religion et de philoſophie, a la Haye 1718. 8.

s) Lib. VIII. init. ad quem locum in Germ. verſione videndus MOSHEMIVS p. 823.

t) In ſyſt. intellect. c. V. ſ. 3. §. 21. p. 1037.

u) Ad h. l. Cudw. et ad Verſ. vernac. Orig. adu. Celſ. L. VIII. n. 7. p. 431.

Zoroaſtreo et Perſico ſyſtemate memorauimus, repetit, emanationibus lucis diuinae, ſiue Oromaſdis, ſuis ordinibus progreſſis aſſignata eſſe ſidera coeleſtia velut thronos atque ſedes; quique recordatur, Aegyptios in eandem ſententiam pedibus iuiſſe, ſicque hunc articulum Orientalis philoſophiae fuiſſe enatum. Hos doctores cum Origenes haberet, et is ſideribus ineſſe vel praeſidere ἀρχὰς coeleſtes, atque irradiationes diuini ſupremique luminis, cuncta autem hoc pacto diſponi, vt ἐγκύκλωσις omnium, quae periodum rerum aeternarum abſoluunt, emanationum conſiſtat, ſtatueret, neceſſario inde ad has aſſertiones delatus eſt, quae veteri aſtrologiae velut fundamenta dudum ſuppoſita fuere, quaeque ab emanatiuo ſyſtemate reiici et ſeparari difficulter poſſunt. Qua in re Origenes eo magis confirmatus eſt, quia peruidebat, totum fere Orbem philoſophicum conſentire, Scripturae autem dicta methodo ſua his aſſertis facile accommodabat.

pag. 455. lin. 3. 4. *Nullo argumento ſatis firmo conſtat.* Hoc de arcana illa Iudaeorum diſciplina intelligendum, quam receptis inter gentem ſuam πατροπαραδόσεσιν attemperabant, et omnibus aliis ſyſtematibus opponebant: non vero fundamentali doctrinae orientalis ſcholae, quae in cabbaliſtica quoque placita influxum habuit, eaque emanatiuis principiis more Iudaico comtis et veſtitis ornauit, quaeque Alexandrino philoſopho in Aegyptiorum ſcholis philoſophiae rudimenta diſcenti ignota fuiſſe non potuerunt, quod ideo monemus, ne huic §. peregrinus ſenſus affricetur.

Ibid. lin. 15. *Flammis excoquenda ſunt.* Adeo natiuo hoc aſſertum vultu Orientalem philoſophiam exprimit, vt palpari queat, vnde ſuas naenias Origenes acceperit. In ea enim in conflagratione vniuerſi excocta quaſi et ſeparata a tenebris luce, Arihmanius ſiue tenebrae auferentur, et victoria erit Oromasdis cuncta in Mithram reducentis. Itaque recte ſuis haec ſedibus aſſignaſſe noſtram expoſitionem putamus, quamuis ex Stoicismo quoque poſſit explicari, qui tamen alios ἐκπυρώσεως fontes habuit, de quibus ſuo loco dictum.

Ibid. lin. 26. *Hancque Arihmanii.* Legendum: hancque in Arihmanium ſiue tenebras et materiam Oromasdis ſiue lucis victoriam fore etc.

pag. 456. lin. 2. 3. *Per intimam cum Deo coniunctionem et vnitatem ſit beatus.* Non moralis ea coniunctio eſſe poteſt, ſed phyſica, vbi omnes eſſentiae in vnam Deitatis profunditatem coaleſcunt et confunduntur, quemadmodum ex ea egreſſa ſunt. Hic eſt Deus, omnia in omnibus.

pag. 458. lin. 18. *Ad limites noſtros non pertinent.* Perluſtrari tamen poteſt obſeruationum *de Origine labili* a veteribus et recentioribus ſuppeditatarum catalogus, quam ex ſchedis ELIAE EHINGERI eius *vitae* olim adiecimus, quaeque, ſi hoc nobis agendum eſſet, recentiſſimorum ſcriptorum animaduerſionibus poſſent augeri. Sed tenendus modus eſt in argu-

Digitized by Google

argumento ad ſacram Chriſtianae ciuitatis hiſtoriam proprie pertinente. Monemus tamen lectorem, vt, ſi habere poteſt, doctiſſimi atque celeberrimi ERNESTI diſſertationes academicas *de Origene* cum noſtris obſeruationibus comparet, quas ad manus noſtras non peruenisſe eo magis dolemus, quo acutius et ſolidius plerumque de huiusmodi doctrinae capitibus vir laudatiſſimus ſolet decernere.

Ibid. lin. 27. *Ex ingenio confinxiſſe.* Miramur, ad has veterum ſyſtematum poſt C. N. explicationes ex Orientali philoſophia a nobis datas reſpicere noluiſſe viros doctos, qui exiſtentiam eius reiecerunt, et confictam totam eſſe clamarunt. Quod ſi euincere voluiſſent, aliam et facilem magis et natiuam huius generis dogmatum explicationem dare debuiſſent, quae non iſtis tantum ſyſtematibus faceret ſatis, ſed, quae fidei quoque hiſtoricae pondus melius a ſuis partibus haberet. Quare haec curis ſecundis attente iterum examinantibus curae priores mutandae viſae non ſunt [x].

pag. 463. lin. 1. *Apud Siccam Veneream.* Conſulendus de hac Arnobii conuerſione ſtudioque Chriſtianiſmi B. HIERONYMVS [y], et non fidei profeſſio, ſed et inſecuta mox vitae morumque mutatio miranda, et ad Chriſtianae philoſophiae commendationem adhibenda. Fatetur enim [z], *a ductore Chriſto in vias veritatis inductum, omnia iſta, quae ſint ſcire, digne de dignis ſentire, contumeliam nomini nullam facere diuino, et quid cuique debeatur, vel perſonae vel capiti in confuſis gradibus atque auctoritatibus tribuere.* Multa inſunt huic apologiae, quae veterem literaturam philoſophicam ſpirant, et hoc ſtudiorum genus ſectantem valde iuuare poſſunt, non ignobili exemplo, quid ad tuendam religionis veritatem faciat hiſtoria philoſophica. De eius editionibus videndus FABRICIVS [a].

pag. 472. lin. 7. *Feliciſſimo ſucceſſu diſceret et accurate teneret.* Valde laudant Didymi eruditionem philoſophicam ſcriptores eccleſiaſtici, HIERONYMVS [b], qui, vt ipſe fatetur, eius amicitia vſus eſt, SOZOMENVS, SOCRATES [c], quorum poſtremus de eo ita iudicat: *ἐλθὼν ἐπὶ τὰ φιλόσοφα θαυμαστῶς πως καὶ τὴν διαλεκτικὴν ἐξήμαθε, καὶ ἀριθμητικήν τε καὶ μουσικήν, ad philoſophiam progreſſus, admirabili facilitate dialecticam, arithmeticam, muſicam perdidicit.* Sed et reliqua Socratis de Didymo legenda ſunt, vbi inter alia ſubiungit: *reliquas quoque philoſophorum diſciplinas adeo penitus in animo ſuo recondidiſſe, vt aduerſus illos, qui eas artes oculorum beneficio perceperant, promte* (caecus nempe) *atque alacriter diſputaret.* Et has quidem diſputationes dialecticas contra Arianos eum habuiſſe, et validiſſime

x) pag. 151 ſeqq.

y) In Chronicis ad A. 325. et, de viris illuſtribus c. 79. p. 169. vbi in editione Fabriciana Bibl. Eccl. virorum doctorum annotationes videndae.

z) L. l. c. 31. p. m. 28. ed. Cant.

a) l. c. et in ſyllabo ſcript. de V. R. C. c. 5. §. 6. p. 224 ſeqq. itemque Bibl. Graec. Vol. VIII. pag. 352.

b) De Viris illuſtr. c. 109. B. E. Fabr. p. 108. qui cum reliquis annotatoribus plura de eo affert.

c) l. c. L. IV. c. 25. p. 197. qui p. 195. (non vero pag. 237. vt apud nos perperam expreſſum eſt,) iſtam ſententiam Didymi recenſet.

contra eos disputauisse, et imprimis strophas eorum et sophisticas caullationes falsosque et fraudulentos sermones refutasse, Socrates quoque narrat. Qui Didymi aduersarii, homines Ariani, cum ex Peripatetica dialectica contra orthodoxos pugnarent, vt supra obseruatum, recte inde concluditur, de Peripateticae dialecticae cognitione Didymi scriptores ecclesiasticos loqui, quae, salua philosophia eclectica et Platonica, quae in Didymi patria personabat, in iisdem tamen scholis iuxta Aristotelis institutiones tradita est, vt Tom. II. suo loco obseruatum.

pag. 489. not. z. *Longa est, quam Manes in ecclesiam intrusit errorum fabula paucisque exponi et ad origines suas reuocari non potest.* Non adeo peregrina quidem et ab historiae criticae philosophiae limitibus remota est historia Manichaeismi, vt non eius consideratio locum in ea habere possit; habuit enim fanatica Manetis religio origines barbaras, orientales, varie modificatas et ad singularis systematis imagines, crasso quidem, vt ab illius regionis incola aliter expectari non potuit, ingenio formatas, quae vero ad noscendum orientalem fanaticismum vtiliter possunt considerari. Ast adeo obscuram et diffusam tractationem complectitur, vt in hoc opere nostro, quod generalem philosophiae historiam enarrat, iusto modo explicari non possit, sed peculiarem dissertationem postulet, et singularem historiam. Quam tamen tanto eruditionis apparatu instruxit cel. BEAVSOBRIVS, post funera quoque ob doctrinae elegantiam et amicitiae fidem nobis memorandus, vt ad eius flumina sitientem Lectorem merito totum dimitteremus, nisi placuisset eruditissimo auctori plus interdum ingenio et eruditioni dare, quam ordini et argumento ipsi, sique abiecisset digressiones longas et ad rem parum facientes, maxime vero a consilio haereticos fere omnes, et imprimis Manichaeos excusandi, pingendi, et, quantum pote, ornandi, accusandi autem et in maleuolentiae atque inuidiae erga aduersarios suspicionem veteres ecclesiae doctores adducendi, caute abstinuisset, ipsamque Manichaeam tragoediam sine fuco, sine partis studio simplicem et incomtam, immo nudam plane explicuisset. Permouit id magnum Heliconis olim Iulii et Goettingensis decus B. MOSHEMIVM [d], vt, cum historia Manichaea non ignobilem partem historiae Christianae ante Constantinum M. absoluat, noua atque integra tractatione ex ipsis fontibus eam erueret, et imprimis, quae in splendida et erudita Beausobrii historia emendanda et supplenda essent, eruditis obseruationibus non tantum expenderet, sed et totius scenae Manichaeae rationes integras et luculenter, admirabili ordine illustratas exhiberet. Quae cum larga manu attulisset, materiam exhibuere ven. SEMLERO [e] ex collatis veterum locis cum obseruationibus huius bigae VV. CC. noua comparatione Manichaeismi historiam in ea luce ponendi, quae rem omnem plene illustraret,

d) In hist. Christ. ante Constant. M. Sec. III. §. 39-55. p. 728-903.

e) Intr. in histor. dogm. theol. T. I, s. 2. n. 1. c. 3. §. 46 seqq. p. 266 seqq.

Digitized by Google

ret. Ad quos triarios lectorem noſtrum remittere, nos iubet praeſentis ſcriptionis modulus et anguſtia, multis obſeruationibus deprehenſurum, qui fuerit origo Manichaeiſmi, vita et mors Manetis, dogma de duobus principiis, et vtrum illis duo Dii inducti ſint, tum, quis ex Perſae opinione Deus bonus, ſeu princeps terrae lucis, quamque ille ſtatuerit in eo trinitatem, ex illo educto Chriſto et Spiritu S. quod bellum tenebrarum et lucis introduxerit, quomodo formatum eſſe hominem putauerit, quomodo mundum formatum eſſe cenſuerit, et ſuſtentari erediderit, vnde mala huic terrae noſtrae eiusque incolis accidant, quisque Chriſto in eo locus fuerit, quod munus exegerit, quo pacto animae ad terram lucis redeant, quae fata animas non purgatas poſt corporis obitum maneant, quod mundi excidium futurum ſit, et qui huic ſyſtemati cultus diuinus innitatur, quae ſit eccleſia, et his ſimilia plura, digna, quae critico omnia perluſtrentur oculo, quo pacto ſatis luculenter appariturum putamus lectori, quae Perſarum veterum traditionibus, quae Orientis ſcholis, quae Gnoſticorum deliriis, quae Chriſtianis doctoribus quaeque ingenio fanatico extra orbitam rapto Manes ille debuerit, et qua veritate philoſophiae acumen ei poſſit tribui, vel is inter nugatores orientales referri, quae omnia ad ciuitatis Chriſtianae hiſtoriam proprie pertinent. Ceterum Perſarum religionem et theologiam, qualem tomo primo delineauimus, et in his acceſſionibus illuſtrauimus, hic in auxilium interpretandi obſcuri ſyſtematis vocandam eſſe, ſed ita, ne nouitates Manetis atque ſomnia pſeudo-apoſtoli huius cum iis confundantur, lector ipſe intelligit[f]. Scriptores de hac ſecta cum FABRICIVS[g] recenſuerit, et AVGVSTINI quoque libros contra hos haereticos ſcriptos enumerauerit nos h. l. lectorem ad eos quoque dimittimus.

pag. 507. lin. 23. 24. *Acriori cenſura veterum merita examinantes.* Poterant haec ex hiſtoria B. Doctoris latius deduci oſtendique, qua occaſione ille in controuerſiis Pelagianis et Semipelagianis philoſophia vſus fuerit, vt ſyſtema gratiae, quod ſibi efformauit, omnibus perſuaderet, qua in re dolemus, quod ciuilem et imperatoriam auctoritatem et ſeueritatem demonſtrationibus philoſophicis et theologicis immiſcuit, immo praetulit, quod a tanto philoſopho, cuius exemplum toties in conſuetudinem abiit, non erat expectandum. Ita vero homines etiam meritis illuſtres et eruditione incomparabiles ſunt homines, a quibus, licet in ſanctorum album adſcriptis nihil humani alienum fuiſſe, cogitandum, et ſobrie

f) Ita vero patebit, humani quid paſſos fuiſſe interdum viros doctiſſimos, qui Manichaea aenigmata explicuerunt. Quale accidit ipſi MOSHEIMIO, qui l. c. p. 787. contendit, Perſas Mithram, vt Manes Chriſtum, non in ſole tantum, verum etiam in luna praeſentem eſſe contendiſſe, ideoque in Mithriacis monumentis ſemper ſolem lunae adpingi. Quae perperam dici, Tom. I. luculenter confecimus, oſtendimusque, Mithram maſculum et Mithran foeminam inter ſe differre. Ex quo lux accendi poteſt iis, quae a Cl. SEMLERO l. c. T. I. p. 286. obſeruata ſunt, de quibus alibi diſpiciendum eſt.

g) Bibl. Graec. Vol. V. p. 289 ſeqq.

h) Syll. Script. de V. R. C. c. 5. p. 446.

ſobrie philoſophandum atque ſtatuendum eſt. Rem ipſam hiſtoria ſacra eius temporis loquitur clariſſime [i].

pag. 521. not. m. *Omni Deitate ſuperiorem.* Quarta haec Alexandrinorum Deitas, fons omnis diuinitatis, ſupra patrem omnem in abyſſo Infinitatis latens, quam ex Zoroaſtris Mithra finxit ſchola Orientalis, comſerunt Gnoſtici, retecit Plotinus, reuocauit in diuinorum ſyſtema Iamblichus, ad augendam diuinorum famillam intruſit ſchola Plutarchi, Neſtorii, Procli et ſimilium, queiſcum inſanire maluit, quam cum Chriſtianis ſobrie de diuinis philoſophari Syneſius, et huius generis alii. Non tamen putamus, ita viros cetera conſpicuos, grauesque multaeque exiſtimationis, qualem Syneſium quoque in ſcenam produximus, ad populum fuiſſe debacchatos, ſed libenter nobis perſuaderi patimur, caſtius eos et exoterica methodo multa docuiſſe: aſt effecit eſoterica Alexandrinorum methodus, vt, quod allegoriae velo et ſimpliciter populo tradebat, ſubducto velo profundius longe ex tam venerandis ſcaturiginibus, quas in ipſo Syneſio diximus, detexiſſe Nicephorum, (cuius locus clauis inſtar in hoc argumento adhiberi poteſt,) ſe inter intimae admiſſionis diſcipulos et ad amicos effutire; quam methodum *κατ' οἰκονομίαν*, noua, quam ab antiquioribus PP. accipi ſolet, ſignificatione vocarunt. Pluſcula de ea adduxit SOVVERAINIVS [k], ſed ita, vt mala multa mixta bonis ad incruſtandas partes ſuas ſimul coaceruauerit.

i) Teſtimonia omni exceptione maiora qui cupit, adeat is Cl. SEMLERVM in hiſt. dogm. theol. Sect. II. c. 2. T. III. p. 298 ſeqq. p. 300. n. 496 ſeqq.

k) Platoniſme deveilé ch. 20. p. 244 ſeqq. qui probe examinandus. Oeconomia antiquis PP. dicebatur incarnationis filii myſterium, Tertulliano Trinitatis. conf. SVICER. theſ. eccl. v. *οἰκονομία*, hac ſignificatione theologiae ſolebat opponi. Vid. PETAV. dogm. theol. prooem. c. 1.

AD

Digitized by Google

AD LIBRVM SECVNDVM

DE PHILOSOPHIA MEDII AEVI,

CAP. I.

DE PHILOSOPHIA CHRISTIANORVM GRAECORVM A SEC. VII. AD EXPVGNATAM CONSTANTINOPOLIN.

pag. 532. lin. 15.

Imperatoribus omnem cultum gentilem extirpantibus. Senſerunt mature imperatores, nimiam in gentiles philoſophos ſeueritatem ob ſtudium eorum impietatem ethnicam in cultu publico propagandi, luctuoſam atque triſtem bonis literis, et imprimis philoſophiae fuiſſe, quae cum in ſcholis gentilium locum amplius non haberet, ad monachos, maxime Origenianos, in clauſtra et monaſteria receſſit et preſſa Origenis factione, ipſa quoque multis modis preſſa eſt. Itaque ſubueniendum huic malo ſtatuentes, domi ſcholas erigere inſtituerunt, vbi etiam philoſophia doceretur. Quo pacto iam Theodoſius atque Valentinianus, tantum non, ſuppreſſa priuatorum magiſtrorum docendi licentia, in ſchola publica Palatina, ſiue auditorio Capitolino, quod Conſtantinopoli florebat, praeter ſophiſtas ob eloquentiam Graecam commendatos, profundioris quoque ſcientiae atque doctrinae viros, et inter hos, vnum etiam adiunxerunt ceteris, qui philoſophiae arcana rimetur, duos, qui iuris et legum voluntates pandant: qua de re conſtitutiones imperatoriae hodie ſuperſunt [a]. Parum tamen iſtis ſummorum principum curis promotum, barbariei autem porta patens aperta fuit, vt magnis paſſibus omnem Orientem et Occidentem inundaret. Teſtem damus Ioann. Zonaram [b], de tempore, quod Bardae imperium anteceſſit, teſtantem, philoſophiam dudum neglectam iacuiſſe atque propemodum extinctam fuiſſe, vt ne ſcintilla quidem eius ſupereſſet, cuius cauſſa fuerit imperatorum inſcitia. Et ab hoc demum Bardae tempore, qui Sec. IX. imperii habenas moderatus eſt, nonnullum diluculum philoſophiae in imperio Graeco exortum eſt, quae ad barbaros Saracenos dudum euolauerat, vt ſupra prolixe enarratum. Similia in occidente vsque ad Carolum M. eueniſſe, in ſequentibus copioſe tradidimus, Pariſienſi ſchola circa initia Sec. IX. tanquam ſtella noua ſenſim emergente. pag.

a) Codex Theodoſ. L. XIV. tit. 9. Cod. Iuſtiniani L. XI. tit. 18. de ſtudiis liberalibus Vrbis Romae et Conſtantinopolis. Conferendus Conringivs Antiqq. acad. diſſ. I. p. 82.
b) Ann. T. III. p. 125. ed. Hier. Wolf.

Digitized by Google

pag. 535. lin. 11. *Cum quod intelligendum eſt.* Legatur, quo vixit, ſeculi intelligendum, cum inter Arabes hoc tempore viam pararent fata ad philoſophiam, quae tunc vna videbatur ſupereſſe, Peripateticam.

Ibid. not. f. lin. 3. 4. *Pec. diſſ. Witteb. 1714.* Conſuli quoque de Damaſceno cum fructu poteſt, DANIEL PAPEBROCHIVS, *in Actis SS.* [c] et CASIM. OVDINVS, *pec. diſſ.* [d], vbi etiam LE QVIENI *editio operum Damaſceni* recenſetur. Mendacii Oudinus accuſat [e] Damaſcenum, quod allegauerit auctoritatem diui Baſilii, appellantis S. euchariſtiae Sacramentum ἀντίτυπον corporis et ſanguinis Chriſti ante conſecrationem, non poſt conſecrationem, qua verum Chriſti corpus et ſanguis efficiuntur, quod falſum eſſe ait, cum Baſilius in Liturgia ſua euchariſtiam etiam poſt conſecrationem ἀντίτυπον appellet, et ſymbolum atque figuram veri corporis et ſanguinis Chriſti: quae in theologorum ſcholis diſcutienda ſunt: parum autem ponderis quaeſtioni huic addit Damaſceni auctoritas, cuius opinio eccleſiae confeſſionem tempore Baſilii publicam non poteſt labefactare vel euertere; ſed haec ὡς ἐν παρόδῳ. Extat inter eius opera, *dialecticae* ſeu logicae liber, ad S. Patrem Coſmam Maiumae epiſcopum Gr. et L. quem Billius Latine conuertit, quaeque in multis bibliothecis mſc. reperitur [f]. Memorantur quoque a LAMBECIO inter mſc. codices bibl. Vindobonenſis [g] Damaſceni primae *inſtitutiones de decretis et placitis*, quae, an ad H. Ph. pertineant, dicent, qui Cod. mſc. inſpexerunt.

pag. 545. lin. 22. *Epitome logica et phyſica.* Poſtertorem paſſim Damaſceno, ſed fruſtra, tribui, ſupra monuimus. Rem definiunt codices noſtri mſc. Auguſtani, ex quibus has epitomas edidit Wegelinus, ſiue Carpentarius, qui Blemmidae adſcribunt.

pag. 551. lin. 14. *Etiam Chaldaeorum diſciplinas adiunxerat.* Quales illae diſciplinae fuerint, vel ex ſola Pſelli *expoſitione oraculorum Chaldaicorum* conſtare poteſt. Illa enim vltima fere agonizantis philoſophiae orientalis ſpecimina eſſe, quis eſt adeo hiſtoriae philoſophicae ignarus, vt id neſciat? Probe autem notandus hic Annae Comnenae locus eſt, qui nobis quidem in harum rerum lectione diu volutatis vltimus occurrit, vbi philoſophiae Chaldaicae ſiue Orientalis nomen apparet, luculento indicio, ad Secula vſque infima imperii Graeci decreſcentis iſtam philoſophiam ex Chaldaea in Aegyptum, et imprimis ad Alexandrinos delatam et Graecae, Platonis philoſophiae attemperatam perdurauiſſe, et demum cum monarchia imperii Graeco-Romani exſpirauiſſe, quae ad hiſtoriam huius ſectae rite ſua periodo complectendam omnino notari debent.

p. 552. lin. 32. *Quod peculiare in aula imperatoris fuiſſe, ex his locis eſt manifeſtum.* Dudum in aula Conſtantinopolitana conſuetudinem viguiſſe, vt

c) Ad d. 6. Maii, T. II. A. S. p. 723 ſqq.
d) Inſerta Comm. de S. E. T. I. p. 1714 ſeqq.
e) Ib. p. 1718.
f) Comparet in editione Lequieniana T. I. n. 1, titulo: Πηγὴ γνώσεως, cuius tripartiti operis primam partem exhibet. Conf. FABRIC. bibl. Gr. Vol. VIII. p. 779.
g) Cod. 188. n. 3. fol. 85. conf. OVDIN. l. c. pag. 1732.

Digitized by Google

vt ſummus quidam rerum literariarum et imprimis philoſophicarum moderator conſtitueretur, eique inter officia aulae locus eſſet atque dignitas doctoris oecumenici, ſupra iam obſeruatum eſt. Et ipſam quidem Hypatiam, ſuo iam tempore ὑπάτην τῶν φιλοσόφων dictam fuiſſe, in eius vita obſeruauimus, aſt id elogii, non vero characteris et muneris nomen atque appellatio fuit, vt praeſtare omnibus, magnamque et eminentem inter philoſophos foeminam fuiſſe, conſtaret. Certior huius axiomatis antiquitas ex ZONARA [k] colligi poteſt, qui refert: *in baſilica, ſiue regia, in qua multi codices humanae ac generoſioris et diuinae ſapientiae aſſeruabantur, ab antiquis temporibus domum fuiſſe ad inhabitandum ei attributam, qui eruditione excelleret, quem oecumenicum doctorem appellauerint. Eum duodecim contubernales habuiſſe, excellenter eruditos: his publicum victum praebitum: hos eruditionis et cognitionis auidos acceſſiſſe, hos imperatores ad rerum gerendarum conſilia adhibuiſſe.* Addit in ſequentibus, hos ob odium imaginum cum aedibus et libris Leonem (Iſaurum) combuſſiſſe. Ex his vero cineribus reſurrexiſſe hoc philoſophorum et literatorum muſeum, et, quod AENEAE SYLVII [l] elogium eſt, hoc vetuſtae ſapientiae monumentum et arcem philoſophiae, eſt veriſimile, tempora quoque concordant, atque dignitas. Idem enim ſcribit ZONARAS [k]: *Bardam imperatorem, cuique diſciplinae ſcholas conſtituiſſe, et doctores deſignauiſſe, et ſingulis publica ſtipendia decreuiſſe, et omnibus μέγαν καὶ κοινὸν διδάσκαλον,* MAGNVM *et* COMMVNEM DOCTOREM *praeſeciſſe*, Leonem philoſophum, cuius doctrinae inclyta fama fuerit. Et ab eo tempore par eſt credere, dignitatem ſupremi philoſophorum praefecti, τῆ ὑπάτῃ τῶν Φιλοσόφων in aula imperatoris obtinuiſſe, quo axiomate, cum per totum imperium Pſelli eruditio immenſe depraedicaretur, illum narrat ANNA COMNENA [l] ad hanc dignitatem euectum eſſe, eo autem CP. electo, eius aduerſarium Ioannem Italum Φιλοσοφίας πάσης προεστῆναι διδάσκαλον, ὕπατον τῶν Φιλοσόφων χρηματίσαντα *omnis philoſophiae primarium magiſtrum extitiſſe, principemque philoſophorum declaratum eſſe.* Alia de hac dignitate dabunt MATTH. SATRVS, *de palatii Conſtantinopolitani officiis* apud GOARVM [m], CAROL. DVFRESNE [n], alii [o].

pag. 553. lin. 17. *Splendidum nouumque hoc munus aulae ſi non exſpirauit, certum in contemtum adductum eſt, atque euiluit.* Hoc quidem ex moribus Ioannis Itali facile ipſe Lector colliget, quos ita depinxit COMNENA: *Pſelli ſe in diſciplinam dedit Italus, longe diſpari vir ingenio, immiti acerbaque natura. Itaque nec per hebetudinem mentis penetrare inadyta potuit philoſophiae, nec per contumaciam ſuſtinere inſtitutionem magiſtri, quem loci atque officii auctoritate vtentem iſte praetumidus et ſtolida ferox arrogantia iurgiis im-*

k) Annal. L. III. p. 85.
l) Ep. 162. qui tamen florem literarum apud Conſtantinopolitanos hoc tempore late ſe diffundentem nimium extollit.
k) l. c. pag. 129.
l) Alexiad. L. V.
m) Ad G. CODINVM de officiis A. CP. c. 2.
n) Gloſſ. v. ὕπατος τῶν φιλοσόφων.
o) MART. HANCK de Byzant. rerum Script. c. 16. p. 478 ſeqq. quo Pſelli res accurate deſcripſit, qui videndus.

potentibus ipso primo congressu lacessere coepit, iam a rudimentis ipsis longe se omnibus eruditione antecellere superbissime auctumans. Sed sequentia quoque legenda sunt, ex quibus status philosophantium eius temporis late potest cognosci. Pergit enim post quaedam: *His ille* (Ioannes Italus) *turbis admirationem sibi et plausum parauit, non plebis solum, sed magnatum quoque atque ipsius Michaëlis Ducae tunc imperantis et fratrum ipsius. Hi enim, licet primum doctrinae et existimationis locum Psello reseruarent, Italo tamen isto delectabantur, et eius opera vtebantur in logicis concertationibus. Erant enim literarum et eruditarum artium studiosissimi Ducae, cum omnes, tum fratres omnes et Augustus ipse Michaël. Quorum Italus fauore alens confidentiam, ardenti Psellum semper in congressibus et furioso figebat oculo facile se extricantem ex eius laqueis, et aquilina celeritate volucris mentis perplexas captiunculas odiosi sophistae alte superuolantem. Qua ille re vrebatur primum intime ac ringebatur, tum stomachus erumpebat in iactationes corporis ac clamores impotentes. Quibus artibus effecit, vt, Psello per inuidiam ex aula in monasterium eiecto, ipse effrenis philosophus hac dignitate potiretur*, de qua apud sequentium temporum scriptores mentio amplius non iniicitur.

pag. 553. lin. 22. *Non iniuria vero laudes illi tantas tributas esse.* Non putamus, huius famae gloriam quemquam Psello inuidere, ast sine inuidia tamen ferri vix potest, ipsum Psellum, indigno tanto philosopho charactere, ita de se iactanter gloriari: *et ego quidem ad artem dicendi et disciplinas philosophicas animum applicui et mathematica attigi ab aliis non tradita: lumen enim eorum extinctum euanuerat. Sed ipse demum illud accendens, qui similium desiderio tenebantur, illis praeluxi.* Et alio loco ad imperatorem iconomachum: *Vides o diuinissime Imperator, sacrum hunc vereque philosophum coetum. Omnes sunt meae culturae foetus, omnes ex meis laticibus adbiberunt, et ex meo fonte hauserunt: et nunc quidem lingua ad artem dicendi parati sunt et promti, non tantum, vt diuidant, argumenta ducant, curiose elaborent, et variis idearum formis orationem perficiant, sed et, vt emblemata construant - - et extinctam quidem philosophiam, ipse, vt nouo lumine illuceret, effeci, necesse est enim, cum occasio sese offert, suas quemque laudes libere proferre.* Habes hic characterem hominis quidem docti et nominis celebritate nobilis, ast Graecanici ingenii, quale illud circumagitauit Graecorum vanitas. Inde de practica huius temporis philosophia ex his paucis iudicari potest.

Ibid. lin. 27. *Ex compendio quaestionum, et responsionum.* Habet in fronte titulum *διδασκαλίαι παντοδαπὴ de omnifaria doctrina*, suntque *Qq. CXCIII. cum responsionibus* ad Michaëlem Ducam imperatorem. Operae pretium hoc loco esset, ex hoc compendio potiora doctrinarum capita carptim recensere, vt intelligi possit, quomodo infima Graecia Ptelli tempore fuerit philosophata: sed obstat nobis paginae et instituti nostri angustia, quo minus morem nostrum sequamur. Potest tamen ipse Ptellus consuli et ab illis legi, qui veterem literaturam et philosophiae medii aeui

Digitized by Google

aeui hiſtoriam amant, cum Fabricii τῷ πάνυ *bibliotheca Graeca* in omnium manibus verſetur, qui ſolidam veteris doctrinae notitiam haurire cupiunt. Immiſcuit quidem Pſellus nonnulla theologica, ex quibus coniectura ducimur, inſtar *κατηχήσεως* ad inſtruendum plenius imperatorem, pronas eruditis aures largientem, hoc opuſculum Pſellum conſcripſiſſe. Laudanda in eo lux et ſcribendi color, deſideranda *ἀκριβεια*. Exemplum ſi vis, lege, Qq. XL. quid ſit voluntas et ratiocinium practicum, et audies: *voluntatem ad ratiocinatoriam animae partem pertinere, mouere enim appetitum in rem deſiderabilem, quam quia non ſine ratiocinio deligimus, actio iſta impetus voluntatis vocetur, qui a ratiocinio ipſo ſit diuerſus.* Ex hoc vngue diſce leonem! Sed *expoſitio* quoque *oraculorum* et tractatio *de operatione daemonum* legenda eſt, vt intelligatur, veteris doctrinae Orientalis apprime fuiſſe gnarum Pſellum, aſt in ipſis *φιλοσοφουμένοις* talem ſe praeſtare, qui cum primis et maximis huius ſectae nugatoribus poſſit comparari. Inculcamus autem et commendamus iterum, quod h. l. monuimus, eum in explicandis Alexandrini ſyſtematis placitis pluſcula ingenio proprio dediſſe et non ſine teſte audiendum eſſe.

AD CAPVT II.

DE PHILOSOPHIA CHRISTIANORVM OCCIDENTALIVM A SEC. VII. AD XII.

pag. 554. not. a. lin. vlt.

Per decennium exaudiuerit nemo. Nec a viginti, quibus haec ſcripſimus annis, vlla huius hiſtoriae medii aeui Kochianae memoria nobis innotuit: quare dubium non eſſe putamus, quod hic Aiax in ſpongiam incubuerit, id quod valde dolemus. Quanquam enim is prima tantum operis aetatem laturi ſtamina duxerat, ipſa tamen delineatio, eiusque, quod ad manus noſtras peruenit, ſpeciminis mira eſt concinnitas et elegantia, fontesque accurate conſulti, vt ſpes fuerit, eruditi inde operis prodituri. Hanc vero prouinciam, vt commodo hiſtoriae ſacrae atque philoſophiae inſeruiturus vir quidam doctus, ſuſcipiat, eo magis vehementer optamus, quo magis hodie ſubſidia literaria ad hunc ſcopum ferientia ſuppetunt: ſed talis, qui ab omni auctoritatis et partis praeiudicio liberum habet animum, et aes circa pectus triplex, ad contemnendas ranarum coaxationes.

pag. 555. lin. 28. *Lucem haut contemnendam hiſtoriae medii aeui accendere apta ſunt.* Rationem, cur inter fontes hiſtoriae philoſophicae medii aeui Ioannem Sariſterienſem numerauerimus, velimus Lectorem a Gvil. Ca-

Digitized by Google

CAVEO [a] discere, qui ita de ciue suo et συμπατριώτῃ iudicat: *Vir aetatis suae eloquentissimus, et reconditioris cuiusue scientiae genere instructissimus: morum seueriſſimus censor, et, si quis alius rigidi seruator honesti; in carpendis aliorum, etiamsi regum vel pontificum vitiis parem adhibuit facundiam et libertatem. Nec amicis pepercit, nec inimicis* &c. Talem autem adhibere testem, et rerum, quas tractat, intelligentissimum, et fidei castissimae obseruantissimum, quis in ista aeui medii caligine refugiat? De quo optimi scriptoris Charactere lectorem ad ea remittimus, quae ex instituto infra [b] inter Scholasticos de eo narrantur.

pag. 560. lin. 24. *Qui in magnis quoque viris errores reprehendunt conspicuos.* Mereri censuram hanc Gregorium, sanctitatis et auctoritatis opinione Magnum dictum, si non alia essent, quae in eo solent configi, maxime hoc vnum eius, de seculari, quam tunc vocabant, literatura et imprimis philosophia, iudicium et internecinum erga bonas literas odium comprobat. Non tamen hanc eius, qua literaturam secularem suppressit inuidiam, magnopere mirandum esse putamus, cum negari non possit, ex charactere Pontificis huius hoc odium non potuisse non oriri. Quanquam enim facile subscribimus iudicio B. MOSHEMII [c], cui *vir boni rectique consilii* audit, concedimus quoque, si non recte et acute, pie tamen, quod putabat, et diuino zelo commotum, ad eiusmodi inimica philosophiae consilia fulsse delatum; fatendum tamen, quod ILLE addit: *fuisse simplicem valde, superstitiosum et omnis eruditionis inimicum*, in quo ad *epistolas* eius et *dialogos* recte prouocat. Ex his enim haud obscure patet, non tantum bono cetera episcopo iudicii vim atque aciem fuisse a natura denegatam, sed etiam, quantum eius illi inerat, ratiocinandi arte plane non fuisse perpolitum, cum autem bene tamen ecclesiae vellet, ideo philosophiam omnem proscripsisse, quia peruidere non poterat, quomodo rectus eius vsus commode in rem hert, cui ille seruiebat, posset conuerti; quod non potuit non tandem in superstitionem abire, quam eius historia luculenter testatur. Fatemur tamen, dolere nos vices tanti praesulis, qui rectius statuisset, nisi eo iam tempore philosophia adeo fuisset corrupta, vt gregi diuino nullam inde salutem et vtilitatem promittere licuerit. Qui status literarum effecit, vt, cum de disciplina et moribus iuuentutis Christianae viri boni sibi valde timerent, ad nouum eius genus tandem deducerentur, et Instituta monastica secuti, nouas, proscripta philosophia, vitae morumque atque studiorum regulas excogitarent, cuius illustre exemplum est condita hoc seculo a Benedicto Nursino regula [d]. Id quod mire omnem philosophiae curam atque studium suppressit,

a) Histor. lit. Script. Eccl. Sec. XII. ad ann. 1172. p. m. 595.

b) pag. 773 seq.

c) Hist. eccl. antiq. Sec. VI. §. 9. p. 442. conf. ad quos not. h. prouocauimus. Quibus addimus REN. RAPINUM, qui Gregorium M. philosophum per allegoriam, nescio, an sarcasmo? vocat, eique D. Thomam ratiociniis longe melius instructum praefert, reflex. sur la morale §. 9. Opp. T. II. pag. 901.

d) Conf. quae infra §. 9. p. 573. dicta sunt.

Digitized by Google

fit, portamque tandem, non aduertentibus ad ſequelas viris illis bonis, ſuperſtitioni erroribusque variis aperuit, quod multis exemplis comprobant annales eccleſiaſtici, in quibus de hac ſeculi huius infelicitate eiusque cauſſis prolixius ſolet diſquiri. Vnam reliquiarum commendationem Gregorii M. cupimus cogitare, qui exemplum cupit. Et talia quidem excuſare atque pingere auſus eſt REMIG. CEILLIERIVS [e], ſed ita, vt miſeram pro bono Pontifice apologiam ſcripſerit, quod vel ſolas BAYLII animaduerſiones, vel BARBAYRACII obſeruationes [f], de hac re legentes manibus palpabunt, quique veterum doctorum eccleſiaſticorum ſcrinia conſuluere, parcius de hac re eos ſtatuiſſe norunt [g]. Itaque neſcimus, qua fronte in Heumannum debacchetur *Conſpectus noui rei literariae ordinis S. Benedicti* Auctor MAGNOALDVS ZIGELBAVER [h], qui pleno ſtomacho in celebrem virum, in quo non unquam vel doctrinam vel eruditionem, ſed aliquando plus modeſtiae (nempe erga monachalem illius aetatis ignorantiam) ſe deſiderauiſſe ait, inſurgens, exclamationibus magis et interrogatiunculis, quam ratiociniis et teſtimoniorum fide rem in ſacra hiſtoria vel pueris notam, faſtu quodam non niſi *μοναζοντι* proprio, et a moribus virorum eruditorum emollitis per artes alieno, negare ſuſtinuit, non cogitans, ſuae ipſius partis vineta caedere, et illis obloqui, qui ex Romanae eccleſiae ſinu has ſeculi VII. ſordes agnouerunt. Et opponit quidem his IOANNIS DIACONI teſtimonium, quod, ne ſubdole nos tacuiſſe, quae cauſſam, quam ſcriptor nuperus tuendam ſuſcepit, ornare apta ſunt, videamur, pace Lectoris hic apponimus. Ita vero biographus Gregorii M.: *tunc rerum ſapientia Romae ſibi templum viſibiliter quodammodo fabricabat, et ſeptemplicibus artibus velut columnis nobiliſſimorum totidem lapidum apoſtolicae ſedis atrium fulciebat. Nullus pontifici ſamulantium a minimo ad maximum barbarum quodlibet in ſermone vel habitu praeferebat, ſed togata, Quiritum more, ſeu trabeata Latinitas ſuum Latium in ipſo Latiali palatio ſingulariter obtinebat. Reſloruerant ibi diuerſarum artium ſtudia, et qui vel ſanctimonia vel prudentia forte carebat, ſuo ipſius iudicio ſubſiſtendi coram pontifice fiduciam non habebat.* Quibus Ioannis Diaconi verbis recitatis turgens et tripudians miles velitarius ita inſurgit in aduerſarium: *Quid ad haec Heumanne? vel fidem Ioanni Diacono abrogare, quod qua ratione apud viros eruditos valeas, haud diſpicio, vel te in Gregorium admodum iniurioſum extitiſſe fatearis oportet.* Hactenus ille; ſiluit ad iſtam thraſonis iactantiam Heumannus, qui vel hunc conſpectum non vidit, vel contemſit, et velut a tyrone quodam ſcholaſtico ſub ferula praeceptoris gemente profectam indignationem contemſit. Nec meliora quoque meruiſſe hominem, fatendum, qui in compilandis ſine iudicio medii aeui ſcortis diligentiam ſuam in hoc opere proba-

e) Apologie de la morale de Peres.
f) Locis in textu indicatis.
g) Vid. quae obſeruauit IOSEPH. BINGHAM origin. eccleſ. T. II. L. VI. c. 3. p. 352 ſeqq.
h) Prodiit opus Ratisbonae 1739. fol. De alio in hac re commilitone, qui peculiari diſſertatione Gregorii cauſſam ſcholaſtica mentis impotentia et impudentia defendere conatus eſt, ad finem Tomi III. pauca quaedam monebimus.

probauit, quique melius feciſſet, ſi hanc ſcenam ornandam familiae ſuae ſodalibus, qui *hiſtoriam literariam Franciae* magna doctrina et ſingulari modeſtia adornarunt, reliquiſſet. Iam, cum vterque ex hac vita euocatus fuerit, nihil ad ea hactenus regerere aliquid, quantum nouimus, quisquam dignatus eſt. Quare et nos ipſi, qui cetera Benedictinae familiae laudes meritorum de conſeruatis medio aeuo auctisque literis, plenis buccis accinimus, ad eiusmodi effrenis licentiae calamique impotentis iniuriam, qua celeberrimum, dum viueret, virum, ſed ſcapham ſcapham nominantem, monachus hic cumulauit, reprimendam nihil addimus et opponimus, niſi, quod ille poſtulabat, quod Ioanni Diacono, panegyriſtae domini ſui fidem abrogamus, et nos ſplendido eum mendacio decepiſſe, audacter pronuntiamus. Cuius vt fidem faciamus lectori, biographo, neminem quod libet barbarum in ſermone vel habitu prae ſe tuliſſe, et trabeatam Latinitatem in aula pontificis iactanti, ipſum S. Gregorium opponimus trabeali nos mendacio non decipientem, ſed pium doctorem atque recti pectoris, qui in *praefatione magnorum moralium in Iobum* diſerte contrarium fatetur: *ſe ipſam artem loquendi, quam magiſteria diſciplinae exterioris inſinuant, ſeruare deſpexiſſe, nam: ſicut huius quoque epiſtolae tenor enuntiat, non metaciſmi colliſionem ſe effugere, non* BASBARISMI CONFVSIONEM *deuitare: ſitus motusque praepoſitionum caſusque ſeruare contemnere: quia indignum vehementer exiſtimet, vt verba oraculi reſtringat ſub regulis Donati.* Habes Lector barbaram Latinitatem non in aula tantum, ſed in ore quoque iactantis eam Pontificis [i]. Annon parasita ille aulae pontificiae falſitatis, vel mendacii trabealis accuſandus eſt, qui contra mentem Pontificis contrarium ipſi affinxit? Alia et plura, quod poſſemus, non addimus, ſed, quae in ipſo opere dicta et probata ſunt, repetere iubemus, conſuli autem velimus acutiſſimos viros SHAFTESBVRIVM [k] BAYLIVM [l], BARBAYRACIVM [m], ringentibus etiam barbariei patronis: quo pacto etiam, quae Zigelbauerus in Conringium τὸν πάνυ coniecit conuicia, ſi tanti videbitur, facile poſſunt a lectore retundi, modo florentium literarum atque diſciplinarum hiſtoriam melius teneat, quam tenuis hiſtoriae literariae Benedictinae compilator. Qui ſi diligentiae, quam in corradenda et in ordinem cogenda hiſtoria literaria illuſtris Ordinis Benedictini adhibuit laudabili parem iudicandi et pretioſum a vili ſecernendi facultatem adiunxiſſet, pulchrum nobis hiſtoriae literariae monaſticae, et imprimis Benedictinae corpus reliquiſſet. Aſt, dum magna, parua, limamque experta et probata cum rudibus ſeculorumque ſuorum felicitatem et barbariem prae ſe ferentibus conatibus vna patella offert, et tanquam dapibus opimis menſam inſtruit, prodidit haud obſcure, neſciuiſſe ſe, de quo conquerantur viri docti, qui medii aeui ſordes

i) Epiſtolam Gregorii M infra adducemus.
k) Characteriſtick, Miſc. V. c. 1. T. II. p. 239.
l) Dict. T. II. Art. Gregoire le grand.
m) De la morale des Peres c. 17. p. 339 ſq.

Digitized by Google

sordes deplorant, et quo sensu, salua tot virorum pro aetatis suae conditione satis doctorum, ast, ex seculi genio et ingenio tamen luscorum, tantum memoria, denegauerint eruditionis elegantiam seculis mediis heroës literarii: quorum voces ipse noster passim supprimere silentio non potuit. Sed haec obiter, in eorum potissimum lectorum gratiam monemus, qui hunc conspectum literarium Benedictinum vtiliter adhibere, et ex hac sylua incondita ligna colligere cupiunt, quibus pulchrius ornari queat historiae literariae aedificium: alia pauca de hoc argumento ad recentissimas nonnullorum cauillationes, in fine harum obseruationum ad hunc tomum adiiciemus.

pag. 572. lin. 18. *Multum ad hanc barbariem contulisse.* Pertinet huc *Gregorianum antiphonarium*, cum notis antiquis musicis excusum [m] curante Iosepho Maria Thomasio, itemque *Gregorianae psalmodiae enchiridion* [n], Gvil. Gabriel. Nivers diss. *in Canticum Gregorianum* [o], cum aliis [p], vnde intelliges, quantum isto tempore philosophia profecerit. Adeo difficilis enim erat addiscendi cantus ecclesiastici methodus, adeo perplexa et inconcinna, vt, indice et iudice, quem modo adduximus, Zigelbavero [q], cum Guido Aretinus nouam cantus scalam, atque methodum inuenisset, *quod vix decennio addisci antea poterat, abhinc annali spatio, aut, vt multum, biennio perfecte imposterum disceretur.* Itaque, vbi seuerioribus disciplinis, qualis philosophia, tempus relictum, cum in solo cantu ecclesiastico decennii mora erat transigenda? Cur itaque indignatur, qui haec ipsa annotauit auctor Heumanno, quod monasteria in scholas cantionum, superstitionum caecaeque obedientiae conuersa dixerit? Et nisi inter primaria sapientiae ecclesiasticae et philosophicae capita hic cantus ecclesiasticus inepte fuisset collocatus, qui potuisset musica (ecclesiasticam intellige) in quadriuio inter superiores philosophiae disciplinas collocari? O quam pulchra philosophia! cerebrum non habet. Non tacebimus tamen, ne quid partis studio dedisse videamur, phalangas pro defendendo cantu musico instruxisse doctissimum Cardinalem Bonam [r], nec victoriam illis, si placet, denegabimus, modo de illa musica ecclesiastica intelligantur, quae iuxta Sarisberiensem [s], *ad mores adlibetur instruendos et animos exultatione virtutis traiiciendos*, quae alio loco examinanda et, an ad philosophiam pertineant, expendenda sunt. Quid autem cantui animorum excitationi ad concinendas Numinis laudes adhibendo commune cum philosophia? quid cum musica Pythagorica? quae alio longe sensu in systemate philosophi Samii locum habuit, forte non satis quoque aptum. Verum de his obiter.

pag.

m) Romae 1691. 4.
n) Vid. Cangivs ad glossar. med. Graec. p. 80.
o) Vid. Iourn. des Savans 1677.
p) Balvzivs ad Capitularia T. II. p. 1134.
q) loc. cit. p. 27.
r) Diuin. Psalmod. c. 17. §. 3. 4. Opp. p. 535.
s) In policrat. L. I.

pag. 574. lin. 13. *Ex parte quoque decertarunt.* Id ex illa familia sacra quam maxime sibi agendum iudicabat, quem modo nominauimus MANG. ZIGELBAVERVS, qui, cum in campum sibi pro Ordinis sui gloria decertando progrediendum esse statueret, initio operis polemici (tale enim est, non literarium) Conringium sibi aduersarium delegit, contra quem disputaret, euinceretque patriarcham suae familiae etiam de liberalibus studiis iuuentutis caussa conseruandis fuisse sollicitum. Ast quibus tandem testimoniis? Ribadeneirae, Egassii, Bulaei, Lancitii: addidit Thomassinum. Ast, qui de monacho Sec. VII. testes? quae arma, quam impar congressus Achilli. Thomassini autem viri doctissimi verba ne gry quidem de institutione literaria Benedicti habent, sed de sacrarum literarum studio, in quo pueros nobiles suae fidei traditos omnipotenti Deo nutriendos dederit. Quali pugna si ita aërem verberare licet, actum est de historia ecclesiastica et philosophica. Verum cum huius generis velitibus decertandum multis non est, habetque literatissimus ordo meliores promachos [1], quibus cum viris doctissimis ex suae ecclesiae gremio de hoc argumento concertandum est, id quod ad annales ecclesiasticos proprie pertinet. Certe nec diui Benedicti honori derogat, quod ad literaturam sacram pueros sibi traditos tantum adduxit, quos ita seductioni seculi ereptum iri boni parentes sperabant, nec hodie literarum gloriam diligentissimae familiae quisquam facile denegabit, de quo suo loco dicendum, quam vtinam ineptae quorundam filiorum vociferationes non deturparent.

pag. 574. lin. 22. *Saraceni inuexerant.* Conquestus est de hac calamitate AGATHO P. M. in *epistola ad Constantinum imperatorem, et Heraclium ac Tiberium, Augustos*, apud MABILLONIVM [2], cuius verba merentur attendi: *non aestimamus*, inquit, *quemquam temporibus nostris reperiri posse, qui de summitate scientiae glorietur, quandoquidem in nostris regionibus diuersarum gentium cotidie aestuat furor, nunc confligendo, nunc discurrendo, nunc rapiendo. Vnde tota vita nostra sollicitudinibus plena est, quos gentium manus circumdat* etc. Concinit eiusdem seculi scriptor historiae Francicae FREDEGARIVS [3] scholasticus: *mundus senescit, ideoque prudentiae acumen in nobis tepescit, nec quisquam potest huius temporis nec praesumit oratoribus esse similis.*

pag. 575. lin. 5. *Ad littora nostra migrantem.* Probe hoc notari velimus, non negare nos Sec. VII. et VIII. omnem literarum scholarumque cultum et diligentiam, sed philosophiae, quanquam et omnis reliqua eius temporis eruditio a vero pristinoque nitore atque habitu distabat, vt plumbum ab auro. Aërem itaque verberant, qui barbariem ingruentem huius seculi negaturi scholasticorum catalogum ex hoc aeuo nobis recitant, qui ab omni disciplinae cultu non fuere prorsus remoti: non enim de literis in genere, sed de elegantia scientiarum quaestio est, quarum velut ferri

1) Vid. MABILLON. de studiis monast. P. I c. 7. 2) Praef. ad Sec. II. Act. SS. Ben. §. 5. obs. 17.
3) In prologo Chronici.

Digitized by Google

ferri aerugine obductarum facies tunc marcebat, philoſophiae autem ornatus plane euanuerat. Quod qui negat, eum exempla ex hoc ſeculo adducere oportet virorum, qui caſte ſobrieque, vel eclectica vel ſectaria ratione ad imaginem ſeculorum antecedentium ſunt philoſophati.

pag. 579. lin. penult. *Egbertus.* Habebatur Egbertus archiepiſcopus Eboracenſis Eadberti Northumbrorum regis frater, literatorum virorum fautor aetate ſua maximus et doctiſſimus, qui nobiliſſimam bibliothecam in ſtudioſorum gratiam inſtituit, cuius facit mentionem Flaccus Alcuinus, eius olim praefectus primus [y]. Haec HALEVS [z] ad An. 760. Ferax fuit hoc ſeculum monachorum doctorum in Britannia, ſed qui eius paupertatis literariae limites non tranſgrediebantur. Hoc fatebuntur, qui Bedae ſcripta philoſophica legerint, quem *aeterna omnium diſciplinarum monumenta ad nos tranſmiſiſſe etſi iam a puero in monaſteriis enutritus fuiſſet, Wirmuthae nimirum et Gernici, vbi rerum omnium ſcientiam aſſecutus ſit*, nugatur LVDOV. THOMASSINVS. Praeceptores eius Ceolfridum Abbatem, et Ioannem Beuerlacum commendat a literarum ſtudiis BALEVS [a], qui vero ſecundum ſenſum obſcurorum illorum temporum, vbi inter caecos luſcus imperabat, eſt intelligendus, quod vel ex catalogo ſcriptorum horum virorum apud BALEVM, PITSEVM [b], FABRICIVM [c] poteſt colligi.

pag. 582. lin. penult. *Et innumeri alii.* De diſcipulis Alcuini videndus CAROLVS LE COINAE in *Annalibus Francorum* [d]. Diligentiam Alcuini cognoſces ex iis, quae CAVEVS, LYSERVS [e], FABRICIVS de eius ſcriptis recenſuerunt, digni, qui in meliorem aetatem incidiſſent. Plura dabit elegans CREVIERII *Hiſt. Acad. Pariſienſis* [f].

pag. 584. lin. 1. *FABRICII diligentia.* Complebit indicem Fabricianum ſcriptorum de rebus Caroli M. ſatis prolixum et copioſum diligentia illuſtris ICti FRANCISCI DOMINICI HAEBERLIN, in *ſciagraphia hiſt. pragm. Rom. imperii* [g]. Inter eos maxime ad hos noſtros limites pertinent, BIERLINGII diſſ. *de virtutibus et vitiis Caroli I. imperatoris*, G. ST. WIESAND comm. *de Carolo M. AA. LL. reſtauratore ſummo*, IO. DAV. KOELERI diſſ. *de bibliotheca Caroli M.*, quibus nuper acceſſit CREVIERII *hiſtoria vniuerſitatis Pariſienſis* [h].

pag. 590. lin. 19. *Vt ad ſeculum X. dicamus.* Vt rite definiatur circulus ſcientiarum et artium, quas docere publice iuſſerat et vrgebat quotidie, obſeruandum, finem omnem atque ſcopum imperatoris fuiſſe, vt religio arma haberet, quibus tueri Chriſtianam fidem, et ornare cultum

y) Attulimus ipſa eius verba ex ep. ad Carolum M. p. 580.
z) Cent. II. c. 15. p. 109.
a) Cent. I. c. 93. p. 88. vbi nota adiecta meretur attendi.
b) pag. 123.
c) pag. 1025. et paſſim, haec enim vbertima ſcaturigo hiſtoriae virorum doctorum medii aeui adeunda eſt, ſi plenis cyathis haurire quis cupiat.
d) Vid. an. 793. T. VII. p. 18. T. VIII. c. 12.
e) Hiſt. poët. medii aeui p. 215.
f) T. I. p. 35 ſeqq. g) pag. 51.
h) Conf. Hiſt. liter. de la France Tom. III. p. 424. CAVEVS. l. c. T. I. p. 26.

diuinum poſſet. Itaque prima cura verſata eſt circa grammaticam, ne in deſcribenda Scriptura S. ſcriptisque PP. deſcriptores errarent, vel perperam explicarent; circa muſicam, vt concinno cantu Deus in cultu publico poſſet celebrari; circa rethoricam et dialecticam, vt artificioſa diſputatione et arguta dictione grauitas atque maleſtas diuinarum literarum conſtitueretur et definiretur. Vbi neceſſario euenit, vt in huius circuli anguſtia non theoreticae tantum et practicae diſciplinae negligerentur, ſed humanitatis quoque ſtudia ita euileſcerent, vt Alcuinus, cui tamen aduerſus barbariem aes circa pectus triplex, ſanos literarum ſenſus conſeruaſſe, illius aetatis ſcriptores tradunt, lectionem poëtarum contemſerit, ſuisque interdixerit, quam diſcipuli demum eius ex inferis in lucem reuocarunt, vt ex Sec. ſeq. hiſtoria, eſt manifeſtum. Itaque in magnis, voluiſſe ſat erat imperatori magno, qui plura maiorisque molis conamina ſuſcepiſſet, niſi ſenſu et exiſtimatione literarum omnis fere Europa eo tempore fuiſſet priuata, quo ſenſu recte barbariem ei ſeculo obieciſſe viros doctos, qui inſubidas et horrore quodam ſpinoſas tractationes ſeculorum mediorum deteſtati ſunt, humaniſtas ſeculi XIII. et ſequentium, Petrarcham, Platinam, Vallam, Politianum et ſimiles verum quidem eſt, aſt non tamen obiectae barbariei infamiae cauſſa eſt, vt putat Flevryvs abbas [i], qui ad ſolam linguae atque dictionis barbariem omne hoc ſeculorum iſtorum obſcurorum opprobrium referendum eſſe putat, et non ſine calumnia bonarum literarum ita pro ſcientiarum aerugine, a barbarie, quam ſuperſtitio et mores induxerant, exorta apologiam ſcripſit, vt hos viros doctos, dicat, „vel verius pro doctis tantum habitos, plus litteris imbutos, quam religione et prudentia praeditos in cortice haerere „conſueuiſſe: nihil ad palatum ipſorum fuiſſe, quam veteres Latinos atque Graecos ſcriptores, quo factum, vt medii aeui ſcripta et in ſummo „contemtu ponerent, et in ea haereſi viuerent, quod qui Romanum nitorem veterumque ſcribendi elegantiam perdidiſſet, omnia perdidiſſet. „Et hanc praeiudicatam opinionem etiam Proteſtantium mentibus altius „inſediſſe etc.“ Quam ratiocinationem adeo a veritate degenerem nollemus eruditiſſimo abbati excidiſſe, qui, quod certo nobis perſuademus, ita rerum in eccleſia orbeque literario geſtarum notitia erat inſtructus, vt fugere eum minime potuerit, quod hodie illi ſciunt, qui per tranſennam ſcientiarum hiſtoriam inſpexerunt, non barbaram tantum linguam horridumque ſermonem hoc iſtis ſeculis ἄγκλημα peperiſſe, ſed ipſam diſciplinarum tum ſanctiorum, tum ſecularium, et imprimis philoſophiae corruptionem talem tantamque fuiſſe, vt cum purioribus vel veteris, vel noſtri aeui inſtitutionibus collatum, nauſeam merito et contemtum excitet. Cuius rei vt fidem manu lectori palpandam faciamus, ex multis ad vnam, quae iam in manus inter reculas literarias noſtras incurrit, *margaritam philoſophicam*, ex Sec. XI. et ſeqq. [k] carbonibus pro theſauris collectam,

i) Hiſt. eccleſ. T. VII. fin.

k) 1480. 4.

Digitized by Google

lectam, et eo tempore, quo iam melioris sapientiae iubar in coelo philosophico et literario redire cepit, pro vnione pretiosa habitam, exemplum adducimus, vt de veritate vel falsitate Fleuryanae obseruationis, quam tantis ampullis iactat *historiae literariae Benedictinae* [l] conditor, ipse iudicare queat: miramurque, ob praeiudicium sectae atque partis superstitioni veteri patrocinium et excusationem quaerentis, malle viros doctissimos et in tot aliis Oedipos, Dauos esse, quam elegantiae scientiarum, quam ipsi tot egregiis laboribus literariis ornarunt, veritatis confessionem concedere. Quo tamen ipso cauebit lector, ne putet, omnium ingeniorum in isto aeuo medio elegantiam a Protestantibus (et non etiam a cordatis ecclesiae Romanae e. g. Naudaeo aliisque viris) negari; habuit scientiarum coelum tunc suas stellas variae magnitudinis, quae tamen nebulas barbariei dispellere non potuerunt. Cuius causas morales cum tot viri docti detexerint, nos hoc loco tantum non alieno nihil dictis adlicimus, sed lectorem suis oculis, vt videat, candide monemus.

pag. 590. lin. 3. a fin. *LAVNOIVS, qui adeundus.* Succincte et eleganter scholae Palatinae in aula Caroli M. historiam complexus est, quem supra laudauimus, CREVIERIVS, qui in *historia vniuersitatis Parisiensis* [m], ab ista schola recte, nisi fallimur, prima almae istius scientiarum matris, stamina deriuauit, eiusque vestigia iam inter reges Franconicos detexit, apud quos pro nobilibus pueris, regum ministerio dicatis eam primo quidem excitatam verisimiliter iudicat, et, quo pacto scientiarum, quarum quidem circulus eo tempore inualuerat, quemque supra definiuimus, rudimenta emerserint, exponit: vbi tamen obseruauit, vestigia quoque medicinae in schola Palatina tradita esse videri, quod nobis videtur incertissimum. Qua de re plura quaerenda in scholarum publicarum historia. Dedit haec schola discipulos egregios, et pro istius temporis conditione doctissimos, qui magnis encomiis ab auctoribus historiae literariae scriptorum ecclesiasticorum solent enarrari, ad quorum catalogos, in quibus exscribendis Ziegelbaueri diligentia multis versata est molimini-bus, lector curiosus dimittendus et cum *Creuierio, Bulaei* historia academiae Parisiensis commendanda est, ad quam recurri poterit, nobis enim tam prolixis esse non permittit Instituti nostri angustia.

pag. 591. not. u. lin. vlt. *Auctores historiae literariae Galliae T. IV.* Hisce tertius aggregandus est CREVIERIVS professor emeritus in Academia Parisiensi, qui comtius et concinnius istius corporis scholastici historiam *VII. Tomis* elaborauit [n], et nostrae quoque Germaniae ob eruditas obseruationes commendari [o] meruit.

pag. 591. lin. vlt. *Vt hodiernum obtinet.* In designandis scholae Parisiensis originibus tempora distinguenda sunt. Nam scholam quidem auctoritate publica excitatam iam Caroli M. temporibus fuisse, eumque primarium

l) P. I. p. 19 &q.
m) T. I. p. 26.
n) Paris 1761. 8.
o) Bibl. theol. P. III. art. 4. p. 724 seqq.

marium conditorem et auctorem habuisse, dubitari nequit, ast vniuersitatis siue academicae societatis, ex capite et membris constantis formam ante Sec. XII. non accepit, et hoc ipso tempore in quatuor nationes, cum procuratoribus suis distribuebatur: facultates autem, quas vocant, inter quas theologica aetate eminet, recentiores habuerunt origines: quae origines celeberrimae scholae cum influxum in eius constitutionem habeant, consulenda est CREVIERII post BVLAEVM p) diligentia, qui rem omnem ordine enarrauit. Confundi autem huius scholae origines cum aliarum scholarum initiis non debent, ne tempora simul misceantur. Totius vero Parisiensis scholae, disciplinarum culturam si respicias, vnde magna illi fama atque gloria enata est, illa ab Alcuino deriuanda videtur. Ab hoc enim Albino siue Alcuino eruditus est Rabanus, a Rabano Lupus Ferrariensis, a Lupo Henricus Antissidoriensis, et ab hoc Remigius Antissidoriensis, qui omnes, maxime Lupus et Remigius magna doctrinae laude claruerunt. De quibus cum infra §. XXXI. ex instituto egerimus, eorum historia literaria et philosophica isto in loco quaerenda est. Dabit autem obseruationibus nostris de iis auctarium laudatus CREVIERIVS, qui historiam Parisiensis scholae post nostram historiam philosophicam serius longe edidit, et a nobis eo tempore, quo nostra edita sunt, consuli non potuit. Quanta autem hanc scholam secuta sit celebritas et maxima opinio, quamuis eius res illo aeuo essent valde mediocres, scriptorum istorum elogia produnt, ex quibus, si cum historia medii aeui literaria comparantur, constare potest, καταχρησταῖς fuisse eos in laudanda huius scholae doctrina et fortuna versatos, et quod improuide agant, qui ex eiusmodi encomiis soopas magis nectunt, quam ratiocinia pro neganda huius aeui barbarie. Cuius vt lectoris curiositati exemplum afferamus, ecce, quae in laudes scholae Parisiensis cecinit, non ignotus Britanniae Sec. XI. et XII. poëta IOANNES HAVTIVILLENSIS, siue Hanvillensis, Magister Oxoniensis, Monachus Ordinis Benedicti, cui poëma debemus, quod *archithrenium* inscripsit q), vnde etiam sub hoc nomine solet adduci. Is inter alia de Parisiensi schola:

Exoritur tandem locus, altera regia phoebi
Graeca libris, Inda studiis, Romana poëtis,
Attica philosophis, mundi rosa, balsamus orbis,
Lydonis ornatu, sua mensis et sua potu
Diues agris, foecunda mero, mansueta colonis etc.

Est

p) In historia academiae Parisiensis, qui in illis, vbi dissidere inter se comparandi et imprimis Creuierianae obseruationes expendendae. His addendus LAVNOIVS de scholis celebrioribus, qui c. 2. fabulas de hac schola explodit. Ex quibus emendari possunt, quae de academia Parisiensi corrasit magis, quam cum iudicio enarrauit IACOBVS MIDDENDORPIVS in tr. de academiis L. VI. p. 358 seqq.

q) Videndus de hoc poëta medii aeui Diod. GYRALDVS dial. V. de poët. hist. T. II. p. 306. BALEVS Cent. III. pag. 49. LEYSERVS hist. poët. medii aeui p. 761. FABRICIVS Bibl. Lat. med. T. III. p. 236.

Digitized by Google

Ex hoc vngue cognoſcere licet Leonem. Quibus tamen non negamus, magna ingenia in ea academia viguiſſe, quale in Abaelardo deſcripſimus, quae ſi in noſtra tempora incidiſſent, magnis, qui hodie iſtam academiam ornant, viris palmam forte feciſſent dubiam.

pag. 592. lin. 10. *Qui A. C.* DCCCLXXXII. *floruit.* Conſulenda eſt de doctiſſimo pro aeui ſui conditione monacho *Hiſtoria literaria Galliae Tomo VI.* [r]

Ibid. lin. 27. *LAVNOII diligentia.* Cum eo comparandus eſt MIDDENDORPIVS [s], qui tamen plura potuiſſet afferre, niſi hiſtoriae literariae medii aeui mediocriter tantum fuiſſet peritus, quem ſupplebit Launoii eruditio. His, ſi vacat, adiici poſſunt, quae non ſine diligentiae laude de ſcholis huius aeui Benedictinis collegit MANG. ZIEGELBAVER [t].

pag. 606. lin. 32. *Nihil tamen ille praeſtitit, quo eruditio iuuari poſſet.* Adeo celebris eſt, Bonifacii, ſiue Winfridi rerum eccleſiaſticarum inter Germanos, maxime Francos, Thuringos, Haſſos fama, vt in Sec. VIII. hiſtoria ſingularem memoriam mereatur, de cuius rebus geſtis, ſeruitiisque, quae Romano pontifici praeſtitit, de promota inter gentes Chriſtianas religione et tentata conuerſione, ſed inſigni quoque ſuperſtitione et inſano rerum P. M. augendarum ſtudio, de monachatus, quod praeſtitit, patrocinio, denique de dominatu eccleſiaſtico, cui totam rem Chriſtianam inſeruire iuſſit, plena ſunt annalium eccleſiaſticorum volumina, vt haud difficile ſit, vel mediocri iudicio at candido pectore inſtructo, pleniſſime definire, quantum ille eccleſiae profuerit, quantum ſapientiae humanae bonisque literis. Et de meritis quidem eius in Chriſtianam ciuitatem, rebusque ad Bonifacium ipſum pertinentibus, acta eccleſiaſtico-literaria conſulenda ſunt, quorum ſummam de hoc Germaniae apoſtolo, quem vocant, peculiari libello comprehendit V. C. HENRICVS PHILIPPVS GVDENIVS [u], quae hoc loco, cum aliena a noſtro argumento ſint, tangi non poſſunt, explorandus autem character magni et famoſi praeſulis ex ſeculi VIII. hiſtoria *ἄνευ παθῶν*, et ſecundum iſtius temporis circumſtantias, moresque viri, quos delineauere in compendio CONRINGIVS [x], BVNAVIVS [y], MOSHEMIVS [z]; et imprimis examinandae Bonifacii epiſtolae [a]. A nemine enim eorum fere omiſſus eſt, qui hiſtoriam eccleſiae Sec. VIII. deſcripſerunt. In praeſentia autem de meritis eius in promouendas literas, artesque liberales atque philoſophiam nobis ſermo eſt, in quibus, vtinam eam diligentiam praeſtitiſſet, quam in amplificanda pontificis Romani ordinisque totius

r) p. 99. conf. BVLAEVS hiſt. acad. Pariſ. Tom. I. p. 633. et de ſcriptis eius, quae tamen omnia ad theologiam ſpectant, Fabriciana Bibl. Lat. mediae et infimae T. VI. p. 188 ſeq. et quae a nobis infra ſuo loco p. 640. adducta ſunt.

s) pag. 375 ſeqq.

t) loc. cit. P. I. c. 2. p. 67 ſeqq.

u) Diſſ. de S. Bonifacio Germanorum Apoſtolo Helmſt. 1722. 4.

x) T. II. Opp. p. 101.

y) Hiſt. imperii Germ. p. 295 ſeqq.

z) Inſtit. hiſt. Chriſt. antiq. Sec. VIII. P. I. c. 1. §. 2. 3. p. 507.

a) Editae a NIC. SERARIO Mog. 1605. 4. et in Bibliothecis PP. vid. FABRICIVS bibl. Lat. med. T. I. p. 711.

totius eccleſiaſtici dominatione et emolumentis demonſtrauit. Aſt parum ſuppeditant eius temporis monumenta, quo rem eum literarum atque eruditionis, maxime vero philoſophiae promouiſſe, poſſet euincl, quod quidem in obſcuri huius ſeculi conditione non valde mirandum, cum ſuperſtitioni, cui Bonifacius frigidam ſuffudit, cum philoſophia vna ſede morari, et conuenire inter ſe ſit impoſſibile. Et multum quidem puluerem excitat *conſpectus literarii Benedictini* [b] conſarcinator, vt omnia alia nos doceat, et Bonifacio non apoſtolatus tantum Germaniae laudem, ſed et eruditionis gloriam vindicet, ſimulque grauem ſatis dicam Heumanno et Caſpari Sagittario ſcribat, quibus de Bonifacii meritis aliter ſentire viſum eſt: quibus innumeros potuiſſet addere alios, qui non aliam in Bonifacio perſonam viderunt, quam pontificiae monarchiae ſatellitis, quam larua conatus conuertendi gentiles Germanos infeliciter ſatis eum texiſſe, perſuaſi ſunt: id quod in annalibus eccleſiaſticis et ab iis excutiendum eſt, qui fidei Chriſtianae propagationem enarrarunt, inter quos eminet I. A. Fabricius [c]. Aequum autem eſſe putamus, vt tanti nominis atque famae praeſulis eruditionem et imprimis ſapientiam artiumque liberalium ſcientiam ab iſto apologeta defenſam audiamus, lubenter archiepiſcopo Moguntino locum inter ſtatores rei literariae Sec. VIII. facturi, ſi meruerit. Argumenta autem, quae velut phalangas inuincibiles pro doctrina literisque Bonifacii in aciem producit vir doctus, ſed cum veritatis diſpendio ſui ordinis immodicus laudator, haec ſunt: 1. Bonifacium, teſte ipſo Gvil. Caveo [d], tredecim annorum iuuenem, in monaſterio Nuiſcellenſi Wigberti Abbatis diſciplinae ſe commiſiſſe, et ab eo politiori literatura inſtitutum inter primores aeui ſui eruditos locum tenuiſſe. 2. Cum in Germaniam transmigraſſet, omnes lacertos mouiſſe, ne dum in orthodoxa fide propaganda, verum et in ſcientiarum academiis conſtituendis, cum non ignoraret, quantum id Germaniae ad ſacra Chriſtiana conuerſae intereſſet. 3. Ideo curas ſuas eo direxiſſe, in Fritislarienſi primo aſceterio, poſtea in Fuldenſi tum Traiecti ad Rhenum aliisque in locis, vt publicas ſcholas aperiret. 4. Vtiloni etiam, duci Bauariae auctorem fuiſſe, vt paſſim per ditionem monaſteria excitaret, tanquam ſcholas, vnde verbi diuini praecones accerſerentur, ideoque etiam diſcipulos ſuos poſt obitum vehementer Fultrado magnae tunc in regno Francorum auctoritatis commendaſſe, vt poſſent miniſterio eccleſiae et populorum more ſuo defungi. 5. Iniquum autem eſſe Conringium, clamat, ex vita S. Liobi apud Svrivm probantem [e], Bonifacium *duplicem viam ad profectum religionis inſtituentem, monaſteria conſtruere coepiſſe, vt ad fidem catholici populi non tam eccleſiaſtica gratia, quam monachorum ac virginum congregationibus*

b) P. I. p. 9 ſeqq.
c) De propagat. lucis euang. c. 19.
d) Hiſt. lit. S. E. Sec. VIII. p. 409. quotum comparandus Balevs, Cent. III. c. 13. p. 103. qui acerba eum criſi depingit.
e) Suppl. Antiq. acad. n. 32. p. 509.

Digitized by Google

nibus raperentur: immo noua a Bonifacio condita monaſteria ſunt ad normam Benedictinam, ita ad ſtudia literaria propaganda plane inidonea fuiſſe compoſita. Quae a Conringio allata eſſe putat in gratiam Gabrielis Naudaei, Benedictinam familiam laedendi nullam occaſionem praetermittentis, eique GOEBELII, cui opera Conringii iunctim edita debemus, obſeruationem opponit, monentis, Bonifacium et varios libros ſcriſiſſe[f], et viros doctos ad conuerſionem gentilium adhibuiſſe, et ſaltem aliquos ex monachis ſuis bonis literis imbutos eſſe voluiſſe. His addit: nullam gentem aut nationem magis analphabetam rudemque literarum fuiſſe, atque Germaniae populos, prius Chriſtianis ſacris, quam erant a D. Bonifacio imbuti, vt primum vero is laborantibus corticem ſubiecerit, ingenuarum artium et ſcientiarum gymnaſia inſtituendo, tum vero ex profundo barbariſmorum enatare coepiſſe: a literis enim excultos, expolitos et quaſi recoctos fuiſſe: nec ſibi poſtea defuiſſe, ſed omne eruditionis ſpatium fuiſſe emenſos. Hactenus encomiaſtes Benedictinus, qui more in velitationibus ſolito turbat omnia, et puluerem oculis obiicit, ne leue militandi genus pro heroë ſuo diſpaleſcat. Accurate enim de his ratiunculis, quas bona fide deſcripſimus, diſpicientes, quam leues eae ſint, et ſcopum non feriant atque hoſti aciem intentent, ſed aërem verberent, ipſi Lectores a partis ſtudio alieni facile peruidebunt, iudicabuntque, num, vel Nudaeus infinitis paraſangis veterisque literaturae cognitione Ziegelbauero potior atque prior, vel Conringius in hac literaria parte ad inuidiam verſatus, hanc dicam meruerint? Non patiuntur locus noſter atque limites, quibus circumſcribimur, vt ex inſtituto de meritis Bonifacii in literas et artes liberales vel philoſophiam, diſputemus, et lubentes ordini Benedictino hanc promotarum iſta aetate literarum gloriam non inuidemus, modo recte probetur: at ſiculneis eiusmodi ratiunculis id non fieri debebat, indignum Benedictino nomine. Non diſpiciemus in praeſentia de merito, pretio et vtilitate conuerſionum Bonifacii inter Germanos, concedemusque ei rectae piaeque mentis voluntatem, quam tamen tot viri docti et cordati, etiam Romanae eccleſiae adſcripti, multo magis autem hiſtoriae Germanicae ſcriptores critici magnis argumentis in dubium vocant: nec diſputabimus quoque, an, ſalua patris ſui ordinis regula, ad liberarum artium et philoſophiae ſtudia Bonifacius in condendis monaſteriis potuerit reſpicere, et, annon ad ſola ſtudia monaſtica et aſcetica pertineat, quicquid de primae aetatis laudatiſſimi Ordinis ſtudiis aſſeclae gloriantur. Immo tantiſper erimus liberales, et perſuaderi nobis patiemur, Germanorum apoſtolum, etſi nihil ab eo ſcriptum ſupereſt, praeter *epiſtolas*, quae genium apoſtoli non ſpirant,

f) Recenſentur a BALEO l. c. ſuntque omnia eius ſuperſunt, de quibus vid. FABR. B. L. M. ea ſcripta theologica iuxta indolem auctoris, T. I. p. 710 ſeq.
quantum ex titulis conici poteſt, pauca enim

ſpirant, elucubraſſe libros ſacros et eccleſiaſticos, ad iuuandam, tum inſtituti monaſtici, quod tantopere vrgebat, cauſſam, tum conuerſionis gentilium promouendae opus; nihil enim horum quaeſtionis, quam tractamus, argumentum ingreditur, quod de eruditionis ſecularis artiumque liberalium ſtudiis Bonifacii cura promotis, non autem de ſtudiis aeui medii monaſticis diſputat, in qua velitatione pugnandi in arena literaria magis exercitatum cupimus aduerſarium. Noſter enim plerumque non ferit, nec vno gradu aduerſarium reprimit, adeo frigidas rationes expromit, et cum laruis luctatur. Nam, quam in prima aciei fronte ponit, iuuenilis Bonifacii educatio literaria nihil probat, niſi in illo diſciplinarum circulo, in quo adoleſcentes tredecim annorum eo tempore educabantur, non ignauum fuiſſe puerum Bonifacium, legendi forte pſailendique artem [g] non ſupergreſſum, non vero inter primores, niſi in claſſe ſcholae monaſterii vltima, fuiſſe conſtitutum. Curam vero ingentem habuiſſe monaſteriorum, vbicunque in Germania poſſet, excitandorum Bonifacium, eo minus negabunt hiſtoriae Germanicae periti, quo certius eſt, fuiſſe illa armamentaria, in quibus milites ſacros nouitios ad bella ſancta praeparabat et erudiebat, in quibus, armis ex philoſophia, artibusque liberalibus deſumtis, fuiſſe pugnatum, Nolter non probauit, nec probare potuit, cum ipſe barbariſmorum infantiam regnaſſe inter Germanos cum ad eos conuertendos Bonifacius appuliſſet, fateatur. Quid autem literis, quid artibus liberalibus, quid philoſophiae cum barbarie gentium rudiſſimarum? Nec ſcholae Bonifacii cura in monaſteriis erectae aliud probant, quam eam diſciplinam et ſtudiorum rationem monaſticam illum commendauiſſe, qualem ſcopus, et genius mosque ſeculi illius poſcebat, qui legendi pſallendique ſtudio tantum non plane abſoluebatur, certe pauca ingenia erectiora ſuo Marte ad Scripturae lectionem emergebant. Et eundem quoque habuiſſe ſcopum Bonifacii commendationem ſcholarum monaſticarum apud Vtilonem Bauariae ducem, Inde ſequitur, nempe, vt verbi diuini praecones ad conuerſionem populorum educarentur, quae encyclopaediae monaſticae limites non tranſiliebat, et, nec artes liberales, neque philoſophiam reliquam poſcebat, et, vt monachi et moniales formarentur, quod itidem hoc praeſidio non indigebat. Nec inepte conlecit Conringius, Bonifacium, methodum parentis ordinis ſui ſecutum, non magis de literatura et artibus cogitaſſe, quam ipſum D. Benedictum, quem, certum eſt, monaſticae ἀσκήσεως finem in condenda regula ſua, pro ſui temporis ratione, prudenter conſtituiſſe, et hunc Bonifacium fuiſſe imitatum. Quo pacto, nec Goebelii animaduerſio Conringio refragatur, qui concedere facile potuit, Bonifacium in monaſteriis, quae excitauit, viros quosdam doctos et ſacrarum literarum noritia ad obeundum praeconum ad populum munus, inſtructos conſtituiſſe, quae vero ad quaeſtionem,

g) Etiam hoc incertum, ſi Zigelbauero fides, quem annotauiſſe, ſupra indicauimus, ante Guidonem cantum eccleſiaſticum vix intra ſex annos potuiſſe addiſci.

Digitized by Google

ſtionem, quam tractamus, prorſus nihil faciunt. Germanos autem populos Bonifacii laboribus non tantum barbaros mores, ſed ingenia quoque barbara exuiſſe, et artes liberales diſcendo mores emolliuiſſe, nec feros fiuiſſe, facilius dicitur, quam probatur, et hiſtoriam teſtem deſiderat, quae contraria multa exhibet. Ex quibus ſtrictim tantum pro noſtro ſcopo allatis, omne, quod inſtruxit Noſter pro Bonifacii literatura et artium commendatione, robur concidit. Nihil autem magis omnem ab hoc celeberrimo praeſule eruditionis philoſophicae gloriam proſcribit, quam craſſiſſima, quae eum obſederat rerum philoſophicarum ignorantia, quam in cauſa Virgilii presbyteri et poſtea Archiepiſcopi Salisburgenſis turpiter prodidit [a]. Rem ex huius epiſtola ad Zachariam Papam in hiſtoria Sec. VIII. eccleſiaſtica ſatis notam, et in H. C. P. obiter tantum annotatam, paucis tangemus. Didicerat Virgilius Hibernas, forte in aula Pipini regis Galliae, in qua biennio commoratus erat, dari antipodes, hominesque obuerſis nobis pedum plantis erectos incedere. Id cum atrociſſima, quae tunc orbem occidentem tegebat, nox faceret incomprehenſibile, ad Bonifacium Pontificis legatum tanquam haereticum dogma delatum eſt, quod alium mundum, alios ſub terra homines, alium denique ſolem, aliam lunam eſſe aſſereret. Bonifacius, damus AVENTINI verba [f], haec velut impia, et *philoſophiae diuinae repugnantia* refutat, Virgilium publice, priuatim arguit, ad recantandum has naenias prouocat, efflagitatque iure ſuo, vt legatus Germaniae, ne ille huiusmodi deliramentis ſinceram et ſimplicem Chriſti ſapientiam polluat atque contaminet. Non in his ſubſtitit praeſulis Moguntini ardor atque zelus, ſed rem Romae apud Zachariam Papam defert, qui, miſſis ad Vtilonem Bauariae ducem legatis et literis, rem ipſi partesque ſuas Bonifacio commendat, Virgilium philoſophum, ſi ſacerdos ſit, ab templo Dei et eccleſia depelli iubet, Romamque mitti poſtulat, vt examinetur et canonicis decretis, ſi erroneus fuerit inuentus, condemnetur. Quod quem euentum poſtea habuerit, annales non referunt [g], certe magnam res ea non aulae tantum Romanae, ſed et legati pontificii, Bonifacii philoſophiae atque rerum mathematicarum et coſmologicarum ignorantiam turpiter prodit. Quae ita quidem emollire conatus eſt magnus WELSERVS

b) Videndus de eo WARAEVS de ſcriptoribus Hiberniae p. 37. et ex eo B. SCHORTGEN. in cont. Bibl. Lat. med. Fabr. Tom. VI. p. 838. Vitam eius ab anonymo ſcriptam exhibet CANISIVS T. VI. lect. antiq. p. 1173. MABILLON. Act. SS. Bened. Sec. IV. P. II. ann. Ben. Tom. II. L. 21. 22. ad ann. 747. 756. PAGI crit. in Baron. T. III. ad ann. 746. n. 6. p. 269. aliique.

f) Ann. Boi. L. III. et in Germ. ed. pag. 554. cuius relatio non valde fauet Bonifacio. Inde rem narrauit P. BAYLE dict. T. IV. art. Virgile pag. 459. qui tamen in quibusdam hallucinatur. Virgilius eo tempore, quo de eo a ſacerdotio deiiciendo ad Vtilonem Bauariae ducem ſcripſit Zacharias papa, nondum fuit epiſcopus, ſed poſt illius mortem demum An. 756. ſedi Iuuauienſi admotus eſt, conf. MEZGER hiſt. Salisburg. L. II. c. 9. Lex. hiſt. T. IV. art. Virg. p. m. 657.

g) Nempe ſatis interim concedente Zacharia, pontifice, tota iſta cauſſa quieuiſſe videtur, cumque tum demum Virgilius epiſcopus Salisburgenſis conſtitutus ſit, recte inde infertur, Bonifacii accuſationem habitam fuiſſe pro iniuſta; certe Virgilius poſt mortem SS. adſcriptus eſt.

noſter[l], vt conlciat, *quosdam, cum audirent, Virgilium de terrae ſpecie acutius, quam pro vulgi captu, diſputaſſe, globoſam eſſe, et viuere e contraria parte, qui aduerſis veſtigiis contra noſtra veſtigia, quos antipodas vocemus, hos perinde ac nos ſole et luna luſtrari: ea ignoratione audientium perperam accepta detortaque, longe alio ſenſu ad Bonifacium retuliſſe, offenſionumque praebuiſſe ſementem.* Sed recte iudicauit P. BAYLE [m], nihil hoc facere ad exculpandam archiepiſcopi, tum ignorantiam, tum calumniam, qui, ſi rerum iſtarum fuiſſet intelligens, et non omni philoſophiae naturalis praeſidio caruiſſet, facile vidiſſet, etiamſi a maleuolis, vel ignaris male allata, meliores et veriores ſenſus habere, et ad calumniam Virgilio atque inuidiam apud Papam concitandam malis conſequentiis non traxiſſet. Aſt, cum inter vtrumque eruditionis et gloriae quaedam eſſet aemulatio, qua facile fuit, Bonifacium ab his doctrinae ſubſidiis imparatum vinci, ille, quo erat vehementi et praepotenti animo, rem ad pontificiam ſedem detulit, vt Virgilium heterodoxiae obtentu opprimeret [n]. Cum vero litis euentum hiſtorici, qui huius rei meminerunt, taceant, Zacharias autem P. M. interim obierit, et poſt eius fata Virgilius Iuuauienſi eccleſiae epiſcopus datus ſit, facilis coniectura eſt, Inuidiam Virgilium non oppreſſiſſe, ſed, patefacta veritate et rei ratione, inculpabilem Virgilii doctrinam tandem victoriam obtinuiſſe, aduerſariis ad ſilentium redactis, de qua re coniecturam non audet Baylius interponere, nosque etiam plura non addimus, contenti hoc ſingulari exemplo nos docuiſſe, quam imparatus a philoſophia Bonifacius fuerit, quamque impotenti animo ſine iudicii et acuminis praeſidio eos fuerit perſecutus, qui illi diſplicuerunt.

pag. 610. not. v. *RELANDVS.* Legendum LELANDVS, et not. x. pro p. 69. ponenda pagina 65. 66.

pag. 614. lin. 8. *Potiſſimus dux et arbiter eſſet.* Paucis de Rabani meritis in literas omnia complexus eſt MOSHEMIVS [o], qui *communem eum Germaniae atque Galliae praeceptorem* vocat, *cum quo neminem huius aetatis, ſiue ingenium, ſiue variarum rerum cognitionem, ſiue librorum multitudinem cogites, conferre licet.* Recte porro et opportune monet, *huius qui cognitas habet ſententias, eum, quid per quatuor fere ſecula Latinorum meliores ſenſerint et crediderint, callere. Scripta enim eius in omnibus eruditorum manibus fuiſſe.* Non iniuſte ideo eum ſummum theologum, philoſophum, aſtronomum, rhetorem ac poëtam vocat BALEVS [p], in quo elogio praeeuntem habet TRITHEMIVM [q], quod tamen ſecundum modulum iſtius ſeculi intelligendum eſt, cui recentiorum teſtimonia collecta a POPE BLOVNTIO [r] con-

l) L. V. rerum Boicarum.
m) loc. cit. not. A.
n) Ita alia omnia abierunt, qui excuſare Bonifacium conati ſunt, Baronius, Pagius, le Cointe, Mezgerus, ſed laterem lauare eos, luculenter oſtendit GOTTL. SAM. BAVER pec. diſſ. Lipſiae edita.
o) Inſtit. H. E. antiq. Sec. IX. P. II. c. 2. §. 10. p. 566.
p) Ap. BLOVNT. cenſ. cel. aut. p. 346.
q) De ſcript. eccl. c. 267. p. 71. ed. Fabr.
r) loc. cit. De rebus ad eum pertinentibus legendi, quos nominat Biblioth. Lat. med. FABR. T. VI. p. 68. ſeqq.

Digitized by Google

concinunt. Praeclare quoque non de literis modo, sed et de bibliotheca quoque Fuldensi meruit, quam mirifice ditauit, de quo tamen alio loco in historia literaria medii aeui dicendum, in qua nunquam eius meritorum de literis memoria praetermittitur r.

pag. 615. lin. 3. *Mellitae facundiae philosophum.* Inde, sine dubio dictus etiam est Chrysostomus apud HONORIVM AVGVSTODVNENSEM s. Notitiam Scoti eiusque scriptorum dedit GALEVS praemissam libro *de diuisione naturae*, et imprimis FABRICIVS t, vt alios taceamus.

pag. 617. not. a. *Vt non in vtramque partem disputari posset. Simpliciter haec ante tempora credebant Christiani, vere corpus et sanguinem I. C. adesse in administratione et vsu S. Coenae, nec de veris huius praesentiae rationibus disceptabant. Genus autem praesentiae huius postquam Paschasius non minus quam Ratrannus ingenio determinare ausi sunt, fores hominum curiositati apertae, variaeque discrepantes opiniones partim futiles et ineptae propositae sunt. Magna in sententiarum varietate vtriusque partis assectae positi sunt, nec pauci ita loquuntur, vt aegre, quemadmodum senserint, intelligi queat:* egregia atque vera obseruatio B. MOSHEMII u, cuius quoque vsus esse potest in historia et controuersiis Scoti. Idem visum VSSERIO, qui obseruat x, *nusquam sibi constare librum Scoti de Sacramento fuisse damnatum ante Lanfranci tempora; qui primus Anglicanam ecclesiam hoc corruptae doctrinae de carnali praesentia fermento deinceps infecerit: eo usque quaestionem de reali praesentia problematicam semper fuisse, et perinde liberum fuisse cuique Bertrami aut Ioannis Scoti hac in parte doctrinam sectari, ac illam Paschasii Radberti, quae a tempore solutionis Satanae superior euaserit.* De qua re alio loco in historia controuersiarum sacrarum dispiciendum; cuius tamen consideratio in philosophiae, maxime medii aeui historia speciali locum meretur.

pag. 625. lin. 10. *Spicilegium, quod addamus, non habemus.* Nondum tunc videramus B. Io. HENRICI A SEELEN, Gymn. Lubecensis rectoris, *ad Eginharti Vitam Caroli M. hypomnemata*, quibus parentalia Carolina Carolo VI. gl. mem. anno cIↃIↃCCXL. praestanda a Musis Lubecensibus indixit. In qua feheda, more suo, vir diligentissimus et prolixae lectionis multa huc pertinentia attulit, et non de Carolo M. tantum, eiusque vita ab Eginharto scripta, sed ex ipsa quoque Eginharti historia literaria varia adduxit, ex quibus, quae nos de hoc biographo Carolino paucis diximus, possunt illustrari. Ex merito ille laudauit Schminkianam editionem, etiam ab OVDINO y recensitam, et a nobis hoc loco ideo nominandam, quod V. C. de vitae et scriptorum Eginharti historia accurate peculiari

r) Legendus omnino ZIEGELBAVERVS in Conspectu rei liter. Bened. P. I. p. 250 seq.
s) L. III. c. 12. bibl. eccles. Fabric. p. 86.
t) B. L. M. T. IV. p. 397 seqq.
u) l. c c. 3. §. 16 p. 584 seq.
x) Apud POPE BLOUNT. Cens. cel. auct. p. 151. Sec. XII. adhuc hanc problematicam libertatem de hoc dogmate viguisse, ex RVPERTO TVITIENSI in Ioann. c. 6. manifestum est, vid. Tom. II. Opp. pag. 331.
y) De S. E. Tom. II. p. 22 seqq: conf. Act. erud. 1711. p. 129. Journal des Savans 1711. p. 650. ed. Bat.

differtatione operi ſubluncta egit, ad quem fontem merito Lectorem dimittimus, ita tamen, vt ea quoque conſulat, quae Seeleniana iſti adiecere hypomnemata. In his enim excerpendis nobis prolixis eſſe non licet.

pag. 638. *Bridfertus.* Memorabilis hic monachus, quod rariſſimo in tam nubilo literarum coelo, quale hoc ſeculi apparuit, res mathematicas tetigit, et, quod LELANDVS [c], atque BALEVS [a] referunt, *aetatis ſuae prodigioſa ſtudia ſecutus eſt, et in hoc eruditionis genere ita enituit, vt artem per ſe claram, depictis graphice organis et additis commentariis tum doctiſſimis, tum lucidiſſimis clariorem adhuc redderet, et, quicquid ingenii aut eruditionis habebat, id totum ad haec et ſimilia conuerteret ſtudia.* Quo pacto in hac atra ignorantiae nocte velut ſtella emicans et philoſophus albo coruo rarior intuendus et in hiſtoria matheſeos non negligendus eſt. Praeterea notandus, quod chronologiae rationes, conſcripto *computu Latinorum, Graecorum, Hebraeorum, Aegyptiorum et Anglorum*, adiuuerit [b], quamuis in hodierna temporalis ſcientiae luce facile ferimus, eum hodienum in bibliotheca Bodleiana mſc. latere; nobis heic loci ſufficit, hoc exemplo demonſtrauiſſe, vigilaſſe diuinam prouidentiam, ne hae ſcientiae, hiſtoriae, maxime philoſophicae adeo neceſſariae, prorſus interirent, quod noſtri Inſtituti cauſſa hoc loco repetimus.

pag. 639. not. q. *Et inter eos WHARTONVS.* Extat iſta Dunſtani vita in Actis SS. [c]. Nigrum ei Θῆτα praeponit BALEVS [d], non tantum, quod presbyteros vxoratos magna vi a ſedibus ſuis deiceret, ſed illis etiam adiutoribus vſus fuerit, *qui omni fallaciarum genere inſtructi perditionis artifices etiam per loquentes et flentes ſtatuas et alia portentoſa experimenta practicauerint*, cuius exemplum ex POLYDORI VIRGILII *hiſtoria Angliae* [e] affert. Nec alienum hoc ab huius ſeculi more barbaro et ſatis impio et cum Serapideis impoſturis comparando eſſe, tot miracula huius aeui conficta ſatis comprobant: fatemur tamen, ſubnatam nobis eſſe, cum iſta legeremus, ſuſpicionem, Dunſtano hanc piae fraudis ignominiam inde ſuccreuiſſe, quod non tantum in fingendis ex aere, ligno, lapide etc. imaginibus aliisque artibus curioſis erat verſatiſſimus, ſed librum quoque ſcripſerat *de philoſophia occulta*, qui facile odio eum et inuidia cumulandi occaſionem ſuppeditare potuit, presbyteris e ſedibus ſuis et ab vxoribus expulſis, quas perſecutionis partes magna inſania Dunſtanus fulciebat. Ceterum l. l. huius paginae pro *Bignorienſis* l. *Wignorienſis*, vbi epiſcopus fuit per biennium, poſtea ad ſedem Cantuarienſem promotus. Laudandus ſi non alia cauſſa, certe, quod ad capeſſendas pereuntes literas alios excitauit.

pag. 640. lin. 3. *Remigius Antiſſiodorenſis.* Prolixe et ex Inſtituto, de celebri hoc ſeculi noni atque decimi magiſtro ſiue ſcholaſtico agunt aucto-

a) Cap. 136.
a) Cent. II. c. 35. p. 138.
b) FABRIC. Bibl. Lat. med. T. I. p. 763.
c) d. 19. Maii T. IV. p. 359.
d) Cent. I. c. 38. p. 141.
e) Lib. VI.

Digitized by Google

auctores *hiſtoriae literariae Franciae* [f], qui adeundi. Hunc cum aliis Remigiis in aeui medii ſeculis claris, quos *Fabriciana bibliotheca mediae Latinitatis* [g] enumerat, caue confundas.

pag. 641. lin. penult. *Omnes praeiuiſſe coëtaneos.* Notandus hic locus, vt, quam arctis aſtronomiae, geometriae et muſicae limitibus artes liberales ea aetas conſtrinxerit, appareat.

pag. 646. lin. 12. *Aluiſſe eum diſcipulos.* Hoc non ita intelligendum, quod ſcholaſticus ſedis ſuae formandis diſcipulis fuerit praefectus, quod cum dignitate Brunonis non cohaeret, qui non tantum Archiepiſcopi Colonienſis infula ornatus eſt, ſed anno quoque DCCCCLIII. a fratre Lotharienſis regni ducatum, et regimen cum epiſcopatu, teſte *chronographo Magdeburgenſi* ad hanc annum, ſuſcepit. Sed non obſtante duplici fulgore, eccleſiaſtico et politico, ad ſuae tamen ſedis ſcholam et diſciplinam tanto magis attendit, quanto melius ipſe a Baldrico Vltraiectino praeſule erat formatus, tanta diſciplinarum cupiditate ardens, vt, *quocunque circumagebantur, tabernacula et caſtra regalia, bibliothecam ſuam ſicut arcam benedictam circumduceret* [h]. Recte ideo philoſophis purpuratis adnumerari poteſt: quo nomine a S. Brunone Carthuſianae familiae parente, aliisque Brunonibus circa et poſt ea tempora inclareſcentibus [i] facile diſtingui poteſt. Henrici filius, Ottonisque frater plus ſeculo antiquior eſt Carthuſiani ordinis conditore.

pag. 647. lin. 4. a fin. *Illius aetatis teſtimoniis ſubnixum.* Sumſit ſua TRITHEMIVS a GVILIELMO MALMESBVRIENSE, qui in hiſtoria Anglorum [k] de Gerberto: *Vicit ſcientia Ptolemaeum in Aſtrolabio, Alkindum in aſtrorum interſtitio, Iulium Firmicum in fato.* Ibi (in Hiſpania) *quid cantus et volatus auium portendit, didicit, ibi excire ex inferno figuras: ibi poſtremo, quicquid vel noxium, vel ſalubre, curioſitas humana deprehendit. Nam de licitis artibus, Arithmetica, Muſica, Geometria nihil attinet dicere, quas ita ebibit, vt inferiores ſuo ingenio oſtenderet, et magna induſtria reuocaret in Galliam, omnino ibi iam pridem obſoletas. Abacum certe primus a Saracenis rapiens, regulas dedit, quae a ſudantibus abaciſtis vix intelliguntur.* In quo loco Alkindum pro Aleandraeo repoſuit WALLISIVS [l] et FABRICIVS [m], et pro Firmico a Trithemio male expreſſus eſt Firminius.

pag. 648. lin. 23. *Gerbertum non latuiſſe.* Vitris tamen vſus non eſt, ſed fiſtula tantum illa, quam Dithmarus vocat, ſiue tubo ad arcendos lucis radios. Fuit autem, vt ex hoc loco intelligitur, horologium ſideraie, quale deſcripſit I. C. STVRMIVS [n]. Acum magneticam Gerberto notam fuiſſe, nonnulli ex hoc loco Dithmari exſculpunt, teſte KIRCHERO [o].

pag.

f) Tom. VI. p. 59.
g) Tom. VI. p. 184.
h) Conf. ZIEGELBAVER. Conſpect. hiſt. liter. Benedict. P. I. p. 149.
i) Conf. Bibl. Lat. Med. Fabr. T. I. p. 784 ſeqq.
k) Hiſt. Angl. L. II. p. 64. 65.
l) De algebr. c. 4. T. II. Opp. p. 16.
m) Bibl. Lat. med. T. III. p. 132.
n) Math. iuuen. P. II. p. 841.
o) De arte magnet. P. I. c. 6. p. 29.

Digitized by Google

pag. 650. lin. 5. a fin. *Ambitioſius artem ſingularem iactaret.* Hoc valde nobis veriſimile facit locus Wilhelmi Malmesburienſis ſupra adductus, qui, quamuis praeclare de eruditione abſtruſa Gerberti ſentiret, non tacuit tamen, habitum fuiſſe, in Hiſpania verſatum, *qui didiciſſet auium cantum et volatum, itemque tenues excire ex inferno figuras, et ſciuiſſe, quicquid vel noxium, vel ſalubre humana curioſitas deprehenderit.* His ſcientiarum lictarum notitiam addit, haud obſcure prodens, philoſophiam quandam occultam Gerbertum, ad conciliandam famam iactauiſſe, et quod in ferreo illo ſeculo facile fuit, fumum vendidiſſe, cuius exemplum in lucidiori aeuo fuit Cornelius Agrippa. Certe ab hoc opprobrio rariſſimum ſuae aetatis philoſophum abſoluit, vel ſola ſummorum Imperantium gratia, quae filios illi ſuos tradidit, homini Magiae ſuſpecto non traditura, ſi eius vel mediocrem notitiam habuiſſent. Plura in eius excuſationem dabit BZOVIVS [p], NAVDAEVS [q] aliique ipſumque, quod ſupereſt epitaphium [r], loquitur.

pag. 651. lin. 10. *Verum etiam moralibus informaſſe diſciplinis.* Hoc Odonem Cluniacenſem abbatem vulgo philoſophorum huius aetatis eriperet, niſi certum eſſet, has diſciplinas morales, in quibus iuuenes informauit, non fuiſſe praecepta philoſophica, ſed moralia theologica ad modum Gregorii M. conſcripta: prodieruntque curante Domino MARTIN MARRIER titulo *librorum XXXV. moralium in Iob Pariſiis*, et poſtea in *bibliothecis PP.* [s], vnde, qualis moralis philoſophia iſta fuerit, coniicere poteſt Lector, collatis iis, quae ſuo loco de moralibus Gregorii M. obſeruauimus. Qui cum, neglectis principiis, quae ex natura hominis moralii hauriuntur, allegorias ſaepenumero frigidas fundamentum ſuorum moralium librorum poſuerit, poſt tantae auctoritatis epiſcopum, ab iis, qui exemplum eius ſecuti, ſolidius aliquod expectari non poteſt. Et talis quoque Odo fuit, quem in homiliis ſcribendis et declamandis ac maxime in componendis in honorem SS. cantibus eleganti ingenio praeditum fuiſſe, teſtatur SIGEBERTVS GEMBLACENSIS [t] et TRITHEMIVS.

pag. 652. *De fine mundi plerique cogitarent.* Digna, quae ex hiſtoria eccleſiae apud ſcriptores coaeuos, repetatur eius temporis cataſtrophe, quae extrema mundi fata portendere viſa eſt. Confirmauiſſe hunc terrorem barbariem ſeculi, quae ſuperſtitione infanum in modum aucta, omnem literaturam tantum non penitus extinxit, probat religio quadrata, ſiue illud vitae genus, quod citius euitari poſſe poenas aeternas credebat, ſi in ſeruorum ſupremi nominis ſeruitutem ſe dediſſent. Ita de conſcientiarum

p) In Syluestro III. Caeſio Aquitano a Magia et aliis calumniis vindicato, Rom. 1678. fol. vid. Journ. des Sav. 1678. p. 331. conf. KOEHLER. diſſ. de Gerberto.

q) In apol. magiae accuſ. c. 19.

r) Poſuit illud Sergius IV. P. M. exhibet FR. PAGI Breu. PP. T. II. p. 281. inde Leo Vrbeuitanus mendacii coargui poteſt, qui tamen ad inſcriptionem ſepulchri prouocat.

s) Conf. FABRIC. B. L. M. T. V. p. 460.

t) De S. E. c. 124. in FABR. bibl. eccleſ. p. 107. Anonymus Meurs c. 75. TRITHEM. de S. E. 252. qui obſeruat, opus in Iobum fuiſſe compendium librorum Gregorii.

Digitized by Google

tiarum et artium quoque libertate actum erat. Floruiſſe eum arte, et conlectura iam ſub Gregorio eius hiſtoriae patet.

pag. 655. lin. 22. *Medii aeui homines totos receſſiſſe.* Non patitur loci et inſtituti noſtri anguſtia, vt de hac Guidonis Aretini inuentione prolixe agamus, perthet hoc ad ſpecialem muſicae hiſtoriam, nec ſine cantus muſici cognitione explicari ſatis poteſt. Lectorem autem rationes philoſoph'cas huius cantus eccleſiaſtici, eiusque a veteri ſcala differentiae cognoſcendae cupidum ad ATHANASIVM KIRCHERVM [w] atque PETRVM GASSENDVM [x] ablegamus, quorum obſeruationes ex recentiorum muſicorum inſtitutionibus poſſunt explicari et illuſtrari. Nos, qui hiſtoriam dogmatum et inuentionum philoſophicarum perſequimur, cum iſta virorum doctiſſimorum biga tantum annotamus: „Ante tempus Guido„nis Aretini hymnorum cantum expreſſum fuiſſe octo lineis, quibus, non „item interuallis, notae adſcriberentur, ac tale ſchema repertum Meſſa„nae, cuius vſus fuiſſet a DCC circiter annis, cuiusque octo lineae ini„tium ducerent ab octo prioribus literis Graecis, α β γ δ ε ζ η θ. Alte„rum, non octo lineis, ſed duabus ſolum cum notis, tam in ipſis, quam „in interuallo et infra multiplicibus, vt ad *Saluæ regina.* Guidonem au„tem in Aretio Hetruriae oppido natum, monachum ordinis S. Bene„dicti et hiſce quaſi rudimentis inſtituiſſe, quem habemus ritum expri„mendi cantum per notas inſertas tum quinque lineis, tum interuallis, „facilitatis gratia, idque Pompoſae in Ducatu Ferrariae, tempore Ioan„nis XX. anno MXXIV. alii dicunt, MCLVII. deſumtis ex hymno S. Io„annis vocibus, VT, RE, MI, FA, SOL, LA, quae in progreſſu per ſcalam, „aut manum, quam compoſuit, adhiberentur literae A B C D E F G, ad„dita initio litera Γ graeca, qua nonnulli putant indicare illum voluiſſe „initialem ſui nominis literam: et hoc quidem modo illum hoc chara„cterum genere graduale primum notaſſe, et Ioannem hanc formam non „tantum probaſſe, ſed et omnibus praeferendam ſtatuiſſe. Sed et hoc in „Guidonis inuento obſeruandum; fuiſſe ei omnes notas vniusmodi, et „videri ſolum habuiſſe rationem grauis et acuti, non item temporis lon„gi et breuis: inuentorem autem notarum, quas iam habemus, et aucto„rem Ioannem Muriam fuiſſe (Jean des Murs) Pariſinum, CCC. poſtea „annis. Porro notandum quoque, Guidonem nec dum contentum hac „noua cantandi methodo, inauditam antehac plurium vocum ſympho„niam primum excogitaſſe, fuiſſe quoque auctorem inſtrumentorum „polyplectronon, vt ſunt clauicymbala, clauichordia, cum prius nihil „tale notum fuiſſet [y].“ Suſpicamur tamen, Sylueſtri II. ſiue Gerberti inuentio-

w) In Muſurgia, L. VII.
x) In Manuduct. ad theoriam muſicae c. 3. T. V. Opp. p. 653.
y) Ioannis de Muris inter muſicos theoreticos Gallos Sec. XIV. (1330.) meminit TRITHEMIVS de S. E. c. 580. pag. 140. Anglum fuiſſe, obſeruat PITSAVS et CANGIVS, et ex his FABRICIVS bibl. Lat. med. T. IV. p. 309.

uentiones fiſtularum pneumaticarum organorumque canororum viam illi aperuiſſe, de quo cum iis diſceptandum, qui de inuentoribus rerum diſputarunt. Alias Kircheri obſeruationes curioſas ſatis de veterum inſtrumentis monodiis, ſiue vnius tantum vocis, quae tamen lyrae vel tibiae accommodabatur, quia ad alium locum pertinent, hic praeterimus. Operae tamen pretium facturum exiſtimamus hiſtoriae philoſophicae ſtudioſum, ſi has mediae aetatis inuentiones cum muſica veteri Pythagorico-Platonica comparet, cum muſica theoretica ex philoſophiae circulis proſcribi tota non poſſit, qua in re vtilem operam illi praeſtabit Gaſſendus [z]. Ceterum verum quidem eſt, quod hoc loco quoque annotauimus, Aegyptios in cantu theurgico adhibuiſſe ſeptem vocales, verum alio longe ſcopo, ſenſu ac modo, quam Aretinus ſcalam ſuam inſtruxit, de qua re, cum in Supplementis his *ad T. I. lib. II. c. VII.* quantum ad hunc locum pertinet, attulerimus, Lectorem, ne cramben recoquere neceſſe habeamus, illuc amandamus.

Ibid. not. l. *De Burchardi collectione agitur.* Addenda his, quae magnus hic rei literariae bibliothecarius noſtri temporis in *bibliotheca Latinitatis mediae et infimae* congeſſit [a]. Qui cum de Burchardo quoque in eodem libro [b] pluſcula addiderit, hiſtoriam literariam huius viri et collectionis decretalium ab eo inſtitutae cognoſcere cupientibus affatim faciet ſatis. Argumenta eorum, quae typis edita ſunt, enumerant MASTRICHTIVS et OVDINVS [d], ex quo indice iudicari poteſt, quam pauca ad philoſophiae ſtudium ex iſta huius ſeculi collectione acceſſerint, quae cum ne ſuppoſititia quidem a genuinis diſcreuerit, multa accepta ex Reginone pleraque corruperit [e], de eius dignitate facile fieri poteſt iudicium.

pag. 656. lin. 29. *Et quamuis in Anglia Eduardus III. Ethelridi filius.* Pro Eduardo III. ponendus erat Eduardus, dictus Confeſſor, itemque a miti ingenio ſimplex, is enim in hoc ſeculo A. CIↃLXVI. defunctus eſt. Vitam eius conſcripſit Adilredus vel Aelredus proſa et ligata, de qua videndus FABRICIVS [f]. Memorabilia eius breuibus tetigit BALAEVS [g]; ex cuius indicio duplici nomine in philoſophiae hiſtoria non prorſus memoria indignus; tum, quod Editham Godwini Cantiorum comitis filiam, virginem eruditam ſibi deſponſauit, parentis autem odio non tetigit: tum, quod inter legislatores referendus eſt, quia ex immenſa legum congerie, quas Troiani, Britanni, Romani, Angli et Dani in hac regione condiderant [h], meliora quaeque ſelegit, atque in vnam redegit, quam vocari

z) Conſulendi ſcriptores de re muſica veterum excitati a FABRICIO bibliograph. liter. c. II. p. 373. ed. pr.
a) T. I. p. 807 ſeqq.
b) Ibid. p. 822.
c) In hiſtor. iur. eccleſ. §. 251 ſeq. p. 282.
d) De S. E. T. II. p. 750.
e) BALVZIVS not. ad Regin. et in praef. ad not. in Anton. Auguſtinum de emend. Gratiani p. 633.
f) loc. cit. T. I. p. 38 ſeqq.
g) Cent. II. c. 62. p. 164.
h) Leges has ex Canuti inſtituto fuiſſe deductas ex quorundam traditione obſeruat BALEVS l. c. in app.

Digitized by Google

vocari decreuit legem communem. Chartae illae tres vna cum epiſtola ad Nicolaum II. papam exhibentur in *Collectione conciliorum Angliae* ab HENRICO SPELMANNO [i] congeſta.

pag. 658. lin. 4. *LAVNOIO. l. c. p. 127.* non, vt, vitio legitur, p. 137. quo loco Centulenſis quoque Chronici [k] verba Launoius deſcripſit, quibus imprimis laudatur Fulbertus, quod diſcipulum induſtria atque ingenio valentem in Grammatica, Muſica atque Dialectica optime inſtructum ad congregationem Centulenſium remiſerit. Vbi attentionem meretur, tanti tamque celebris epiſcopi eruditionem conſtitiſſe in grammaticae, muſicae atque dialecticae ſtudio, adeoque ſummos heroës literarios, ſi cantum excipias, in tota encyclopaedia ſua triuium non ſuperaſſe. Ex his felicitas iſtius ſeculi literaria poteſt cognoſci, quo ob peritiam liberalium artium Carnotenſem epiſcopum tota Francia praedicabat. Noli tamen lector, id valde mirari. Valuiſſe praecipue Fulbertum, virum ſuper aethera notum in arte muſica ait Sigebertus Gemblacenſis: aſt illius artis tanta tunc erat exiſtimatio, quamuis inter elementa adhuc conſiſteret, vt, qui hanc recte noſſet, crederetur in artibus liberalibus maxime eminuiſſe [l]. Annon deploranda horum temporum infelicitas, qua tanta ingenia, quale habuiſſe Fulbertum, omnes coaeui ſcriptores teſtantur, emarcuiſſe in his crepundiis, magnis neglectis, experientia docuit. Dialecticas tamen ſubtilitates Fulbertum diſcipulis tradidiſſe, ex horum hiſtoria colligi poteſt, et vel ſola Berengarii eruditio loquitur.

pag. 659. not. i. *Vide, quos laudant FABRICIVS et BVDDEVS.* Addi his poteſt CAS. OVDINVS, qui integram diſſertationem *de vita, ſcriptis et doctrina Berengarii Andegauenſis archidiaconi* commentario ſuo *de Scriptoribus eccleſiaſticis* [m] inſeruit [n], in qua paſſim contra MABILLONII obſeruationes diſputat. In ea diſſertatione, quae ad hunc noſtrum campum non pertinet, lectione tamen dignum eſt caput quintum, in quo, allato non tantum epitaphio ab Hildeberto Turonenſi archiepiſcopo, illius olim diſcipulo ſcripto, ſed et aliorum ſcriptorum illi coaetaneorum teſtimoniis et laudibus Berengarii fama vendicatur. Memorabilis contentio Berengarii eſt, luculentum exemplum praebens, ad quas nugas deducatur ingenium humanum, ad quas ſyrtes et ſcopulos diuertatur, ſi dialecticae, qualis in ſcholis tunc vſus erat, inſeruiat.

pag. 669. lin. 3. *Maxime hiſtoria et philoſophia.* Conſulendus de erudito hoc Sueuiae ornamento GVNDLINGIVS in *miſcellaneis* [o], et ex eiusdem Augiae maioris monaſterio, in quo vixit Hermannus, IOANNES EGO prior monaſterii, cuius librum *de viris illuſtribus Augiae diuitis* inter ſcriptores medii aeuii edidit BERNARDVS PEZIVS [p], item de *Rhetorica et arte*

f) T. I. p. 698 ſeqq. et inde in Conciliorum tomis ad An. 1066.
g) Lib. IV. c. 1.
h) Ex ſcriptis eius a CAROLO DE VILLIERS Pariſ. 1605. editis, nihil hauriri poteſt, quod philoſophiam ſpiret.
m) T. II. p. 622 ſeqq.
n) Anal. T. II. p. 513. ed. nouae eam excudi fecit Io. VOGTIVS in bibl. Hiſt. haeret. faſc. I.
o) Gundlingiana T. I. p. 51.
p) Anecdot. T. I. P. III. p. 68.

poëtica Ariſtotelis ex Arabico ab Hermanno conuerſa Io. MEZLERVS *de viris illuſtribus Sangallenſibus*, c. XLVII. [t], qui cum FABRICIO [r] elenchum ſcriptorum Hermanni exhibent, inter quae *chronicon* eſt notiſſimum.

pag. 671. lin. 12. *Et Trithemius.* Non omittendus h. l. MANEGOLDVS, ex teſtimonio ANON. MELLICENSIS [s], *presbyter modernorum magiſter magiſtrorum, ſtrenuus aſſertor veritatis.* Hic, ſi idem eſt, cum Menegaldo, cuius vxor et filiae in philoſophia fuerunt permaximae, teſte PTOLOMAEO LVCENSI in *Ann. ad A. 1090.* [t] exemplum eſſe poteſt Canonici regularis et philoſophi vxorati. De eo plura dabunt FABRICIVS et CREVIERIVS [u], MVRATORIVS, alii. Vixit 1070.

pag. 674. lin. 6. *Ad hunc ſcopulum offendiſſe.* Difficile eſt, de vera ſententia Roſcellini, hominis dialectici, et qui in Porphyriana de praedicabilibus ſiue vniuerſalibus doctrina educatus erat, certo ſtatuere. Nam de ſcriptis eius nihil ſupereſt, et, quae ſcimus, aduerſariis eius, concilii Sueſſionenſis A. MXCII. habiti patribus, et imprimis LANFRANCO debemus [x], qui dialectice, id eſt, ſubtiliter et abſtractionibus innumeris vſus contra Compendienſem philoſophum ita diſputauit, vt veriſimillimum ſit, voluiſſe eum per latus Roſcellini, nouae Nominalium ſectae, quae tum ſurgere, magnoque plauſu multis placere coepit, vulnus infligere, et inuſto haereſeos per conſequentias dialecticas, ſtigmate, eius partes et fortunam labefactare. Certe paulo curatius acta huius controuerſiae rimanti patebit, dubium valde eſſe, vtrum vel compendienſes patres mentem Roſcellini recte intellexerint, vel Lanfrancus recte proponere potuerit vel voluerit. Et prioris quidem ſuſpicionem facit, quod Roſcellinus a concilio de emendando et abiiciendo errore monitus manum quidem dederit, et errori ſe renuntiare ſimulauerit, reipſa tamen, abiectis, quibus mentem ſuam de SS. trinitatis perſonis prius explicuerat, verbis, priſtinam ſententiam retinuiſſe dicatur, nempe quod putauerit, bonos PP. craſſiori, quam ipſe, dialecticus natus et factus, fecerat Minerua hanc quaeſtionem tractantes, mentem ſuam non fuiſſe aſſecutos, affirmantem: tres in natura diuina perſonas eo modo inter ſe differre, quo tres res differunt; rei vero vocabulo naturam intelligi, quae genus quidem cum aliis commune ac coniunctum habet, aſt per ſe tamen ſeparatim ſubſiſtit. Cuius explicationis et ſententiae auctores ex antiquioribus eum laudare potuiſſe, recte monet MOSHEMIVS [y]. Quo ſenſu tacite ſeruato, facile fuit Roſcellino, patribus concilii puluerem obicere, cum alio illi ſenſu Roſcellinianum dogma damnarent. Lanfrancum autem, dum dialectice diſpu-

q) Apud PEZIVM l. c. P. M. p. 582.
r) B. L. M. T. III. p. 715. ſeqq.
s) c. 105. p. 156. Bibl. eccleſ. Fabr.
t) Ita quidem viſum MVRATORIO, nec diſſenſit FABRIC. B. L. M. Tom. V. p. 35.
u) Hiſt. de l'Acad. de Paris T. I. p. 74. qui addit, filias Mangoldi huius praelegiſſe ſexui ſuo ſacras literas, quod ſi verum, ſingulare in hac academia exemplum eſt.
x) De fide trinitatis contra Roſcel. Opp. 41. et Epiſt. L. II. ep. 45. p. 357.
y) H. E. Antiq. Sec. XII. p. 668.

Digitized by Google

diſputat, et nudis conſequentiis, quas ex adhibitis ſuis definitionibus deriuabat, aduerſarium premit, veriſimile eſt, iſtis conſequentiarum machinis illius menti alienos colores vel inuidiae conflandae cauſſa, vt plerumque, hoc armorum genere adhibito, fieri ſolet, vel tamen, quod de tanto doctore magis credimus, nimiae ſubtilitatis amore, induxiſſe. Vnde non aegre ferendum, ſi prouidi ſacrarum controuerſiarum arbitri, qui ſeculi huius mores et characteres profundius aliquantum inſpexerunt, arbitrantur, hominem, noxia temeritate naturam diuinam Stoico modulo metiendi, accenſum, rectius ſenſiſſe, quam locutus eſt, hocque pacto de ſanctiſſimo tamen myſterio improuide ſatis et illaudabiliter tradidiſſe. Minime autem miranda eſt haec καινοφωνία Roſcellini, qui dialecticam, non Ariſtotelicam, quod BVDDEVS [z] et plerique alii, qui eius errorem tetigerunt, perperam putant, ſed Auguſtinianam, id eſt, Stoicam, edoctus erat. Ille enim, cum Stoicos ſecutus vniuerſalia ſiue naturas, quae Porphyrio cum Ariſtotele praedicabilia vocantur, non exiſtere, niſi in intellectu, velut genera rerum, vocibus notionibusque expreſſa, ſtatueret, et ſingularibus tantum eſſentias rerum, quae vniuerſalium naturam conſtituunt, ineſſe contenderet [a], ad iſtam, quam amplexus eſt ſententiam pronus delatus eſt, quod eo magis fieri potuit, quia μυστικίας dogma, quanquam totum eſt ἀφιλόσοφον, ex eadem de vniuerſalibus doctrina conceptibusque de ſubſtantia et modis enatum, eo iam tempore caput ſupra melius caſtiusque ſentientes extulit, et accidentia euchariſtica excogitauit, realiſſima ſine ſubſtantia, quod auribus dialecticis non potuit non accidere intolerabile. Verum de his alio loco dicendum, vbi de huius dogmatis natura non theologice tantum et polemice, ſed hiſtorice quoque tractandum eſt, quod noſtros limites hoc loco excedit. Illud autem verum, ſaluis notionibus iſtis Stoicis, Roſcellinum orthodoxam de SS. Trinitate fidem explicare non potuiſſe, quod omnibus accidit, et imprimis obſcuris his ſeculis accidiſſe hiſtoria teſtatur, qui magis ex turbidis humanarum ſubtilitatum et pſeudo-philoſophiae lacunis, quam ex limpidis Iſraëlis fontibus ſimplicique euangelii I. C. ſcaturigine haurire cupiunt.

z) Obſ. Hal. T. I. obſ. 15. §. 11. p. 187. qui tamen in hoc argumento ieiunus eſt.

a) Ita haud obſcure PSEVDO-AVGVSTINVS de decem categoriis c. 5. 6. T. I. Opp. Aug. p. 622. edit. Bened.

Digitized by Google

AD CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIA SCHOLASTICA.

SECT. I.

DE STATV PHILOSOPHIAE IN GENERE A SECVLO XII. VSQVE AD RENATAS LITERAS.

pag. 682. lin. 9.

De incantationibus epiſtola. Non praeteriri debet haec epiſtola de incantatione ad cognoſcendum ſtatum literarium huius ſeculi. Ex cuius hiſtoria attendentibus manifeſtum eſſe putamus, ſolitos fuiſſe viros quosdam doctos, qui domeſticae inertiae pertaeſi in alias terras, maxime Orientales et Hiſpaniam, vbi tunc Saracenorum ſtudia floruerunt, commigrauerant, reduces ad ſuos naturalis philoſophiae prorſus ignaros, et in cortice ſcholaſtico haerentes, arcanas, et diuiniores artes iactare, et ſcientiae intimioris cognitionem ſibi tribuere: ex quo fonte libri de philoſophia occulta promanarunt, quorum ſupra mentionem fecimus; itemque arcana Gerberti ſtudia, quae magiae accuſationem et ſuſpicionem ei pepererunt. Et ex huius quoque generis indole ſtudia Conſtantini Caſinenſis dimetiendi et diiudicandi ſuſpicio nobis enata eſt. Is enim, cum inter Arabes in Hiſpania et Oriente, maxime in Babylonia, quorſum ex Carthagine patria exceſſerat, verſatus eſſet, non phyſicam tantum et aſtronomiam Chaldaeorum edoctus eſt, ſed necromantiam quoque; immo apud Indos et Aethiopas arcanis diſciplinis intra XXXIII. annos ad plenum inſtructus eſt: id quod PETRI CASINENSIS *) teſtimonio ſcimus. Vix autem aliam cauſſam excogitare licet, cur inter artes Orientis necromantiam quoque iactauiſſe dicatur, (id quod de Gerberto quoque traditum) quam quod eam artem ad orientalem philoſophiam pertinere credebatur. Quod patienter ferre tunc temporis viri docti et ſupra vulgus eruditorum eminentes poterant, quod, ſaluo igne purgatorio, qui ex Graecia Orientali in occidentales eccleſias dudum irrepſerat, apparitiones animarum nec negari poterant, nec refutari, qui ex demortuorum animabus de futuris ſe cognoſcere poſſe iactabant. Id quod in tanta eius aeui deſipientia eo magis fieri potuiſſe probabile eſt, quo magis poſt auroram literariam et renatas literas talem ſuperſtitionem in phyſiologiae arcanae circulos intruſam fuiſſe, ex Sec. XVI. hiſtoria philoſophica patet. Nihil tamen, quamdiu eiusmodi medii aeui librorum inſpectione

*) De illuſtr. Caſinenſ. c. 23. p. 180. Bibl. eccleſ. Fabric.

Digitized by Google

ctione caremus, definimus, sed coniecturam afferimus horum seculorum genio atque indoli retegendae aptam [b].

pag. 682. not. v. *Cent. II. cap. 29.* Meminit Morleii BALEVS *de S. A. Cent. III. c. 29. p. 127.* non autem Cent. II. vt vitiose in textu expressum a typotheta.

ibid. lin. 5. a fine. *Quos vide.* Robertum Ketenensem ex Asiatica commoratione inter Saracenos reducem et Arabicam linguam edoctum in Hispania circa fluuium Hiberum astrologicae artis studio cum Hermanno quodam Dalmata, magni sui itineris comite et socio se totum dedisse refert BALEVS [c]. Quae si certa sunt, nostram coniecturam supra exhibitam confirmant.

pag. 683. lin. 11. *Scripsit is quaestionum naturalium librum.* In *Germanico hist. phil. Opere T. IV.* hunc librum nondum esse editum, credebamus, secuti fidem magnorum helluonum literariorum, Oudini, Lelandi, Hendreichii, Fabricii; hoc autem ad quem spicilegium damus, loco *not. g.* vnum eundemque librum Adelardi esse *dialogum de rerum compositarum caussis*, cum *naturalibus quaestionibus* suspicati sumus, nihil autem definiuimus. Iam vero ex indicio SCHWINDELII [d], CLEMENTIS [e] et WEDEKINDI [f] nouimus, has quaestiones Adelardi naturales fuisse typis impressas sine indicio loci et anni. Dialogum autem editum esse, ab Edmundo Martene ipsi notauimus. Vnde noua coniectura hariolamur, hos libros inter se differre: rogandi itaque sunt, qui ista exemplaria quaestionum typis editarum videndi copiam nanciscuntur, vt cum editis a Martene comparent, et edoceant nos, vtrum differant. Falsum autem est, quod Schwindelius ex Oudino scribit, nullum huius scriptoris meminisse praeter Thomam Iamesium, cum notissimi rerum Anglicanarum scriptores, Guilielmus Malmesburiensis, Lelandus, Baleus, Pitseus, alii eius mentionem faciant, vt supra notatum; falsum, quod addit, nos, nihil scriptorum Adelardi typis editum reperiri affirmauisse, qui editionem Martenianam h. l. diligenter annotauimus, sed haec obiter, qualia leuiuscula in historia literaria veteris mediique aeui saepe accidunt. Veniam damus petimusque vicissim.

pag. 692. lin. 26. *Conuictus est.* Adeo hae inter se rationes cohaerent, vt re secundis curis explorata, mirifice in hac sententiae Almerici expositione confirmemur. Non videmus enim alium modum relationes veterum de Almerico inter se conciliandi. Vidit id quoque MOSHE-

MIVS

b) Miramur, elegantissimum historiae medicinae medii aeui scriptorem I. FREINDIVM, qui luculenter Constantini Afri historiam literariam enarrauit, nihil de hac re annotasse, sed mox ad Salernitanae scholae historiam progressum, Constantini consideratione dimisisse. Occasionem huius celeberrimae scholae dedisse Constantinum, coniectura vero haud dissimilis est HERM. CONRINGII antiq. Acad. diss. III. p. m. 93 sqq. Fuit hic monachus medicus magnus plagiarius more seculi sui.

c) Cent. II. c. 80. p. 191.

d) In Thesauro bibliothec. T. II. p. 21.

e) In biblioth. libr. rar. T. II. p. 21.

f) In catal. libr. rar. p. 24.

MVS [f] recteque, licet timidiuſcule, quod certe neceſſarium non erat, ita pronuntiauit: „niſi multum fallor, iis hi homines Almaricus et „Dauid de Dinanto fuere, qui ſubtilitatem dialecticam cum pietate my„ſticorum colligare ad exemplum Ioannis Scoti Erigenae aliorum volue„runt, ex qua confociatione monſtra ſaepe nata ſunt valde informia. Si „conferantur inter ſe omnia, quae parum dilucide et inconſtanter de „ſententiis Almarici et ſectatorum eius literis extant prodita, viſum ipſi „fuiſſe, apparet, fluxiſſe ex ipſo Deo cuncta, quae videntur, et in diui„nam quondam naturam reuerſura eſſe, eaque re dici poſſe, Deum eſſe „omnia. Dauid hanc ita ſententiam extulit Deum eſſe materiam rerum „omnium primam: hac ex opinione multa neceſſe eſt alia naſci, quae fer„ri nullo modo ab homine veritatis amante poſſunt. Neque tamen idcir„co negem, multa elicuiſſe aduerſarios, vt fieri ſolet, ex ſcitis eius a qui„bus alienus fuit.“ Quibus facile ſubſcribent, qui καινοφωνίαν Almerici a Rigordo obſeruatam, cum circumſtantiis et placitis dialecticis et metaphyſicis eius temporis comparant, et Alexandrinas hypotheſes Peripatetico fuco illitas, miroque ſyncretiſmo a Scoti Erigenae aſſeclis cum dominantibus ſeculi opinionibus conciliatas intelligunt, et recordantur, in hoc aeuo, plurimum datum fuiſſe conſequentiis, maxime, vbi inuidia acceſſerat.

pag. 695. lin. 12. *A Roberto Corcone.* De hoc pontificis legato et academiae Pariſienſis reformatore, et expeditionum cruciatarum ſtrenuo ἐγγενδιώκτῃ videndus MORERIVS et BAYLE libris notiſſimis [i]. Mordebant hominem obiectiones ab his philoſophis propoſitae, quas abſoluere non poterat, vt ex adductis eius verbis apud LAVNOIVM videre eſt [k].

Ibid. lin. 34. *Deſudauit Bernardus.* Loca eius aliquot, quibus grauiter inſurgit in Ariſtotelem, adduxit LAVNOIVS, quem vide.

pag. 698. lin. 31. *Plurima Muſarum domicilia vel recens condidit, vel renouauit.* Sunt inter ea academiae Viennenſis, Patauina, Ferrarienſis, Neapolitana, Salernitana, Bononienſis. Dignus princeps, qui aeterna propter literas gloria celebretur, legislator dexterrimus, de quo videſis, quos laudant FABRICIVS [l], et Cel. HABERLINVS [m]. Multum in literis verſatum ipſum optimum imperatorem fuiſſe, et diligenter bibliothecae ſuae volumina philoſophica euoluiſſe, ex ſequenti, quam h. l. adduximus, epiſtola ad Bononienſes manifeſtum eſt.

pag.

ff) Inſt. hiſt. eccl. ant. Sec. XIII. §. 6. p. 769. Eandem ſententiam poſt haec noſtra admiſit BAVMGARTEN. ad Hiſt. vniu. Britannorum T. I. not. 17. p. 19. ed. Germ. Caue vero has hypotheſes cum Spinoziſticis confundas, emanatiuae enim ſunt, quas ab illis longe differre, multoties monuimus.

g) In dictionariis literariis h. v. T. I.

h) Ex ſumma Qq. de ſpecie panis; vbi inter alia: ſtultus poteſt in his ſecretis et myſteriis occultis plura inquirere, quam totus mundus poſſet ſoluere. l. c. p. 193.

i) B. L. M. T. II. p. 618.

k) Uelin. hiſt. pragm. Imperii German. ad an. 1218. p. 336 ſq. addi his poteſt Io. GODOFR. SCHMVZERI diſſ. de Frid. II. Imp. in rem liter. meritis Lipſ. 1740. edita, HEVMANN. via ad hiſtor. liter. c. IV. §. 41. p. 132. ed. rec.

Digitized by Google

pag. 700. *Lectum haut fuisse satis certo constat.* Id de publica, quae in hominum manus veniebat, lectione intelligendum est; vnum enim atque alterum Graecum Aristotelem iam antea inspexisse, supra exemplis probauimus. Faciem literariam vero et philosophicam huius quoque seculi depictam a Cel. HEVMANNO [i] huic comparandam esse monemus.

pag. 706. lin. 8. a fin. *Iique in cathedras quoque professorum inuolassent*; Factum id adolescente hoc seculo, et magnarum molestiarum fons academiae Parisiensi extitit, imprimis, postquam horum sodalium partibus Pontifices haud obscure fauerent [k]. Magno enim conatu se opposuit academia Dominici et Francisci alumnis, ne ordinum monasticorum homines suas cathedras occuparent. Cui contentioni nouae lites accessere ex nouis et periculosis dogmatibus ab his fratribus disseminatis, praesertim, cum IOANNIS DE PARMA Ordinis Minorum (quod tamen recentiores ordinis scriptores negant [l],) liber, qui sine nomine auctoris anno CIↃCCLIV. titulo *euangelii aeterni* prodiit [m], disseminatus esset, de quibus litibus annales ecclesiastici consulendi sunt, in quibus GVILIELMVM DE S. AMORE fortissimum aduersarium nacti sunt [n]. Quibus contentionibus effecerunt tamen nudipedes sodales, vt Alexandro IV. Papa sibi conciliato, caput erigerent, et sedes occupatas in academia tandem sibi vindicarent. De quibus tamen litibus similibusque doctorum Parisiensium cum monachis vtriusque familiae concertationibus hoc loco agere institutum vetat, consulenda autem est BVLAEI [o] et doctissimi CREVIERII *historia Parisiensis* [p], qui sequentis quoque seculi motus eleganter enarrat [q].

pag. 707. lin. 22. *In hac iuris canonici compilatione solent reprehendi.* De his alio quidem loco tractandum, vbi de auctoritate huius collectionis solet prolixe disputari; hoc autem loco Gratiani ad tanti operis executionem impares congressus naeuique innumeri notandi sunt, quos viri docti passim, et inter hos praecipuus ANTONIVS AVGVSTINVS *de emendatione Gratiani* detexerunt, qui liber doctissimus, cuius repetitam editionem cum annotationibus STEPH. BALVZII, debemus GERH. VON MASTRICHT [r], cum rarior euaserit [s], dignus est ob singularem eruditionem, qui noua

i) loc. cit.

k) Nempe otiosa et inutilis erat tota disciplina scholastica eius temporis in academia Parisiensi, quam amaris reprehensionibus castigauit cardinalis de Alliaco, cuius grauem accusationem excerpsit ex inuectiua contra pseudo-pastores LAVNOIVS L. V. p. 217. his mederi se velle noui illi mendicantium ordinum fratres pollicebantur, qui tamen, cum se omni vitiorum coeno ipsi polluerent, et quaeliber pars de sua auctoritate concertaret, opprobriis et inuectiuis repleta sunt omnia, de quibus pleni sunt annales ecclesiastici Seculi XIV. qui consulendi, addendusque BOHMERVS Iur. Eccl. T. IV. tit. 5. p. 701 sqq.

l) L. WADDINGVS. Ann. Min. Ord. T. II. ad an. 1256. n. 11. cuius rationes probat CAS. OVDINVS de S. E. T. III. p. 244 sq. qui ex Matthaei Parisiensis testimonio librum fanaticum fratribus Praedicatoribus cum Waddingo tribuit.

m) Vid. quos magno numero laudat Fabriciana bibl. L. M. T. IV. p. 326. et B. I. ANDR. SCHMIDIVS pec. diff.

n) In Libro de periculis nouissimorum temp. Vid. NAT. ALEX. H. E. T. VII. p. 93. Ancilloniana T. I. p. 114. FABR. l. c. T. I. p. 225. T. III. p. 413. et quos laudat. o) T. III. p. 299. 303.

p) T. I. p. 424. 437 sqq.

q) l. c p. 457 sqq. occasionem dedere haec iurgia, condendi collegium Sorbonicum, de quo vid. IDEM. p 494. r) Arnhem. 1678. 8.

s) Vid. WEDEKIND. cat. libr. rar. P. II. p. 254. Thes. biblioth. T. I. p. 36.

noua editione recudatur. Attentionem autem meretur, tum, quod ipſe Gratianus ne ſummos quidem Graecae linguae apices callebat, quod notatum BALVZIO [w], tum, quod, RICH. SIMONIO obſeruante [x], neque a papis, neque vllo concilio generali ea ſylloge comprobata eſt, et, hoc tamen non obſtante, ad tantam auctoritatem adſpirare potuit. Plura ad Gratianum eiusque collectionem pertinentia congeſſit CAS. OVDINVS peculiari diſſertatione *commentariis* [y] *de S. E.* inſerta, qui videndus.

pag. 708. lin. 11. *Ex ſupra dictis repetendum eſt.* Quanquam priuata opera doctores ſcholaſtici non in monaſteriorum tantum ſcholis, ſed in ſtudiis quoque generalibus in libros ethicos Ariſtotelis commentabantur [z], factum tamen anno demum CIↃ CCCC LII. cum Caroli VII. regis auctoritate Academiam Pariſienſem reſtauraret Guilelmus Cardinalis Totauillaeus, vt in iſta ſchola qui ad honores academicos adſpirabant, iuberentur, *libros morales Ariſtotelis audire, non curſim et tranſcurrendo, ſed ſtudioſe et graniter* [a]. Quod cur tam ſero factum ſit, ratio petenda eſſe videtur ex ſtudio, quod tunc, praeeuntibus quidem aliis, auctore praecipue Petro Lombardo, obtinuerat, ſententiarum, vbi ex libris PP. moralibus ea collecta ſunt, et in ſententiarum ſiue ſyſtematum theologicorum ſcrinia recepta [b], id quod eo facilius poterat fieri, quo magis ethici libri Ariſtotelis multis erant errorum ſuſpecti [c].

w) Ad Ant. Aug. de En. Gr.
x) T. I. Conſ. Bibl. Eccl. DVPINII, p. 602.
y) T. II. Col. 1202 ſeqq.
z) Exemplo eſſe poteſt Thom. Aquinas, et Ioannes Buridanus, de quo infra dicetur.
a) LAVNOIVS de F. A. c. 11. 14. p. 229 ſeqq.
b) Exemplum exhibuimus ex Bonauentura infra p. 812. conf. CREVIER. hiſt. de l' Acad. de Paris T. I. p. 75 ſqq.
c) Vid. LAVNOIVS l. c. c. VI. ſqq.

AD SECT. SECVNDAM.

DE SCHOLASTICIS.

pag. 709. not. a. l. 7. col. 1.

Non ignobilem philoſophiae medii aeui partem conſtituit hiſtoria philoſophiae ſcholaſticae. Cum haec philoſophiae ſcena non Sec. XII. demum aperta, ſed ab aliquot iam ſeculis, euoluta magis et efformata ſit, ex quo, duce philoſophia ſiue dialectica potius, Stoico-peripatetica inter theologos, monachos, profeſſores ingenia ignorantiae coeno ſubducere ſe laborauerunt, facile inde colligere eſt, totam medii aeui literaturam huc referendam eſſe, et nos non contemnendam ſcholaſticae philoſophiae partem, quae ad hiſtoriam pertinet, iam enarrauiſſe, vnde, quae Sect. I. hactenus allata ſunt, huius Scholaſticorum hiſtoriae exordium atque prodromum conſtituunt. Itaque fontes hiſtorici, quos magno ſatis numero hacte-

Digitized by Google

hactenus allegauimus, iidem ad hanc quoque Sectionem pertinent, excutiendique omnes virorum eccleſiaſticorum, ſcholarum, monaſteriorum riuuli literarii, vt, quo pacto tandem inuenuſtus pullus ad iuſtam formam habitumque peruenerit, diſcamus. Quod vt magni et multiuarii laboris opus eſſe, ex praeuia tractatione vel per tranſennam inſpici et comprehendi poteſt, ita hoc potiſſimum impedimentum hactenus fuiſſe, cur ingratum in ſe et inlucundum laborem nemo hactenus perfecerit, coniicimus. Cumque ad pſeudophiloſophiae indolem Scholaſtica philoſophandi ratio vehementer inclinet, multos quoque, ex qua nullum emolumentum accipere poſſunt, detrimenta autem eccleſiae bonisque literis enata ſunt innumera, eam contemſiſſe merito credimus.

pag. 710. lin. 3. a fin. *Viris doctis obſeruatum.* Alias ſignificationes vocis *Scholaſticus*, ſupra *T. II. p. 37. not. n.* tetigimus, qui locus comparandus cum praeſenti. Obſeruatum ibi, Scholaſtici vocem deſignauiſſe hominem priuatis ſtudiis vitaeque indulgentem, et poſtea etiam contumeliam acceſſiſſe nomini, vt hominem ſcenae vitae ciuilis minime aptum et vmbratilem priuatamque vitam agentem ridicule ſignificaret, ex quo ſuſpicamur, viris doctis in monaſteriorum clauſtris a vitae humanae theatro excluſis, ideoque mores ſeculi elegantiores non ſequentibus, ſed paedantiſmo, quem vocant, aetatis ſuae mores corrumpentibus, hoc nomen primum adhaeſiſſe, et deinde ex praeceptoris officio, quod ſubire ſolebant, doctores ſcholarum maiorum et minorum dictos fuiſſe ſcholaſticos. Quod mirum, quantum diſtat a veteri more, quo ſcholaſticus dictus eſt homo elegans, omnium diſciplinarum ſtudioſus, cultuque liberaliori imbutus, et politis moribus, qui homini barbaro morumque peregrinorum [a], et agreſtium opponebatur; quo ſenſu Maximinus iunior, ad Theocliam ſororem, ſcripſit, *timere ſe, ne ſoror ſua Graecis munditiis erudita barbarum ſocerum ferre non poſſit, quamuis ipſe adoleſcens et pulcher et ſcholaſticus ad Graecas munditias eruditus videatur.* De quibus aliisque ſcholaſtici nominis ſignificationibus praeter laudatos conſuli poſſunt annotationes Is. CASAVBONI *in hiſt. Aug.* [b] *ſcriptores*, et CONR. RITTERSHVSII *in Saluianum* [c], quarum, quae hodie centrum feriat, Lectori coniiciendum permittimus [d].

pag. 711. lin. 3. *Supra enim obſeruatum in collegiis canonicorum.* Multa praeclara ad hunc locum attulit magnum olim Iurisprudentiae eccleſiaſticae nomen IVSTVS HENINGVS BOEHMERVS, cuius *ius eccleſiaſticum Proteſtantium hodiernum* cum ab omnibus legatur, qui literarum ſoliditatem amant, ab iis conſulendus eſt [e], qui prolixiora cupiunt.

a) Apud. CAPITOLIN. in vita Maximini iunioris c. III. Script. hiſt. Aug. p. 395.
b) pag. 416.
c) Annot. p. 3 ſeqq.
d) Memorabilis locus Epicteti apud ARRIANVM L. I. c. 12. p. 53. ed. Wolfii σχολαστικόν σε δεῖ γενέσθαι, τοῦτο τὸ ζῶον, ὃ πάντες καταγελῶσιν. Verba nolumus conuertere.
e) T. IV. L. V. t. 5. p. 700 ſeqq.

Ibid. lin. 4. *In abbatiis monaſteriorum fuiſſe vnum.* Notandus TRITHEMII locus, qui accuratam harum ſcholarum notitiam ſuppeditat, dignus, qui hoc quoque loco legatur [f]. *In omnibus ordinis noſtri coenobiis, in Germania et Gallica, maxime monachorum, ſcholaſtici ex monachis habebantur, qui iuniores quosque et ingenio praeſtantes in primitiuis literarum ſtudiis erudirent, et poſtea, qui habiles inuenti fuiſſent, ad altiora transmitterent. In ſolis autem famoſioribus coenobiis, quibus et abundantia rerum temporalium erat copioſior, et monachorum numerus maior, conſtituebantur ad officium docendi alios monachi omnium doctiſſimi non ſolum in diuinis, ſed etiam in ſecularibus literis eruditi, ad quos mittebantur monachi altioribus diſciplinis inſtituendi. Quicunque autem inter eos maioris eruditionis famam in ordine acquiſiuerat, etiam plures ad ſe miſſos diſcipulos ad erudiendum monachos habebat. Inter monaſteria autem hunc morem ſtudiorum habentia hoc tempore praecipua fuerunt, monaſterium Fuldenſe, S. Galli, Augienſe, Hirſfeldenſe, noſtrum Hirſaugienſe, S. Albani, Moguntinenſe, Corbeienſe, Prumienſe, Mediolanenſe, S. Dionyſii Pariſienſe, S. Maximi Treuirenſe, Remenſe, Antiſſiodorenſe, Turonenſe, Stabulenſe et Viſenburgenſe. In quibus omnibus erant monachi, et multi et valde ſtudioſi, e quorum collegio in ſingulis coenobiis vnus ceteris inſcientia ſcripturarum excellentior Scholaſticus* (profeſſorem hodie dicimus) *ponebatur* [g]. Ex quo vero tempore horum imitatione priuatae primum Scholae clericorum irregularium [g], et ex his ſtudia generalia ſiue vniuerſates vel academiae ortae ſunt, et imprimis, tum Pariſienſis Schola, tum Bononienſis magnam celebritatem nactae, eccleſiarum autem cathedralium Scholae a Carolo M. et filiis excitatae pleraeque obmutuerant, Alexander III. P. M. in concilio Lateranenſi tertio in eo fuit, vt ſcholaſticum munus in cathedralibus eccleſiis reuocaretur, cauereturque decreto illius concilii, *vt per vnamquamque cathedralem eccleſiam magiſtro, qui clericos eiusdem eccleſiae et ſcholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium praebeatur, quo docentis neceſſitas ſubleuetur et diſcentibus via pateat ad doctrinam.* Et ab hoc tempore canonicorum munus Scholaſtici nouis incrementis emerſit, de cuius fatis, indole atque modo commentatores iuris canonici videndi ſunt, et imprimis Boehmeriana diligentia conſulenda, qui, quae notatu digna ſunt, erudite de hoc argumento cumulauit.

Ibid. l. 26. *eruditionem nolle promouere.* Ita quoque ALB. CRANZIVS, qui, *ſua aetatae*, ſcribit *ſcholaſtici officium nullum eſſe, niſi collectas pauperum*

f) In chronico Hirſaugienſi ad ann. 962. p. 38 ſq. ad an. 839. p. 12. 13. prioris lectionem exhibuit BOEHMERVS l. c. poſterioris ZIEGELBAVER. l. c. p. 68.

g) Conferendus ad hunc locum ZIEGELBAVER. l. c. qui diſtinctionem inter ſcholas minores et maiores monaſteriorum ex eo explicat. add. BVLAEVS hiſt. acad. Pariſ. T. I. p. 80. Pertinent huc verba ECKHARDI de caſibus S. Gallic. 1. traduntur poſt tempus Marcello Scholae clauſtri cum Notkero, poſtea cognomine Balbulo, et ceteris monaſtici habitus pueris. Exteriores autem, i. e. canonicae ſoni cum Salomone et eius comparibus. Et ad hos quidem exteriores ſcholas, vbi ſeculares quoque diſciplinae tradebantur, pertinebat Scholaſticus.

g) Exemplo eſſe poſſunt ſcholae Guilelmi de S. Amore, Abaelardi, aliorum, quorum ipſe Abaelardus in ſua hiſtoria mentionem iniicit conf. LAVNOIVS l. ſupra cit.

Digitized by Google

perum ſcholarium in vſus menſae ſuae vertere. Alia teſtimonia de re odioſa omittimus.

pag. 714. lin. 3. *De contentione Ioachimi abbatis Florenſis coenobii.* De celeberrimo hoc aeui medii vate Papebrochii, Pagii, Natalis Alexandri aliorumque loca indicat more ſuo FABRICIVS [h], et reliqui ſcriptores hiſtoriae eccleſiaſticae paſſim, vaticinia exponit Io. WOLFIVS [i]. Hoc loco non praetereundus, quia cum Lombardo de eſſentia et perſonis diuinis diſputans, notionibusque dialecticis impeditus contendit, in diuinis non eſſe aliquam rem vnam, quae ſit Pater et Filius et Spiritus S. ſiue illa res vna dicatur ſubſtantia ſiue eſſentia ſiue natura: vnde concludi poteſt, eum eſſentiam de vnitate collectiua intellexiſſe, qua de re damnatus eſt in concilio Lateranenſi IV. [k]. A. CIↃCCXV. forte vocibus dialecticis magis, quam ſententia offendens, vnde ſolet inter haereſes ex philoſophia Peripatetica ortas referri [l].

pag. 719. lin. 29. *Sectam eam Nominalium excitauiſſe.* Ita quidem tunc, cum haec ſcriberemus, cum plerisque ſcriptoribus nobis perſuaſit hiſtoria Sec. XI. philoſophica et literaria. Poſtmodum autem curis ſecundis obſeruauimus, in hoc ſeculo Nominalium et Realium Sectas iam dudum auditas fuiſſe, quod infra, vbi de iis tractandum, demonſtrabimus, vnde mentem ea de re noſtram in *inſtitutionibus hiſtoriae philoſophicae* [m] mutandam eſſe cenſuimus, fontesque antiquiores oſtendimus. Certum tam eſt, dialecticos, in Nominales et Reales diuiſos Sec. XI. principem habuiſſe et nouum ducem Roſcellinum, eumque nouum et illuſtre exemplum exhibere, quo pacto iſtae diſputationes ad theologiam tractae ſint. Et ita quidem reliqua omnia recte ſibi conſtant, quae hoc loco tradidimus, negarique non poteſt, enixum eſſe hunc philoſophiae abortum humanam curioſitatem Sec. XI. ſed in cunis vagientem, donec Seculo ſequente eius adoleſcentiam moderari coepit Abaelardus.

pag. 732. lin. 4. *Supra iam memorauimus.* *L. II. c. 2. §. 47. p. 666.*

pag. 736. lin. 5. *Fuſe a nobis allatos.* Plures, praeter iſtos, quos ſuo loco enumerauimus, qui Abaelardi hiſtoriam tetigerunt, nominat THOMASIVS l. c. p. 76. itemque HEVMANNVS [n]. In qua conſcribenda cum Geruaſius ex inſtituto pleraque proſecutus ſit, literariam partem, poſt OVDINVM [o] ſuppleuit NICERONIVS [p]. Poſt quorum virorum doctorum diligentiam, a nobis hoc tempore conſultam non multa habemus, quae addamus: pium autem et veram eamque pragmaticam ſapientiam ex hiſtoriae

h) B. L. M. T. IV. p. 107 ſeqq.
i) Lect. memor. T. I. p. 446 ſeqq.
k) Quod Tritheitis faueret, a qua tamen accuſatione Papebrochius NAT. ALEX. H. E. T. VII. p. 331. et alii eum abſoluunt, ſc. ab haereſi, ſed non tamen ab errore.
l) BVDDEVS, Obs. Hal. T. I. obi. 15. §. 19. p. 206 ſqq.
m) Per. II. P. II. c. 3. §. 3. p. 528 ſq.
n) Vid. ABAELARD. hiſt. cal. ſuar. c. 2.
o) T. II. p. 1160 ſq.
p) Mem. vir. literis illuſt. T. IV. p. 188 ſq. verſ. Germ. qui p. 218. alios quoque de eo ſcriptores laudat. Accepit pleraque ſua ex PAPILLONII bibl. Burgundica. Conſulendus quoque CREVIERIVS l. c. qui eleganter Abaelardi viram, characterem, hiſtoriam deſcripſit p. 117 ſq. in huius aeui hiſtoria valde memorabilia.

ſtoriae philoſophicae lectione et vſu cupientem lectorem monemus, vt ad hanc Abaelardianorum fatorum ſcenam ita prouide ſerioque attendat, vt diſcat inde, quibus ex cauſſis triſtia iſta fata huic philoſopho acciderint, et quo pacto acutiſſimus iſte Dialecticus parum in morali argumento ſibi prouiderit [q] inque has ſyrtes inciderit, cum, nec verae ſapientiae indolem rite perſpiceret, nec alio, niſi temperamenti et cupiditatum, maxime vero voluptatis capiſtro duceretur, quo a timore diuino, qui vnus verae ſapientiae fons eſt, abſtractus, et in deuia primo, mox in praecipitia detruſus eſt. Quod vtinam tantum in iſto ſtrigoſae philoſophiae ſeculo ita accidiſſet, et non eſſent, in tanta melioris et caſtioris ſapientiae, maxime, quae circa mores verſatur luce hodierna, philoſophi, quibus nihil magis deeſt, et infelicitatis ſcaturigo certiſſima extare ſolet, quam, timoris Domini neglectus, qui tamen eſt ſapientiae et felicitatis etiam philoſophicae initium, teſte philoſopho σοφωτάτῳ. Ita certe meliorem et nobiliorem locum in hac noſtra hiſtoria fata Abaelardi habebunt, quam ſi fabulam quandam eroticam explicant, quo fine illa haud ſemel cocta et recocta eſt. Sed hoc obiter [r]. Ipſum autem Abaelardum ante vitae finem ad hanc piam mentis ſanitatem fuiſſe reuerſum, infra ex abbatis Cluniacenſis teſtimonio in epiſtola ad Eloiſam probauimus.

pag. 750. l. 21. *Cuius vitam Geruaſio abbati etiam debemus.* Prodiit, ſuppreſſo auctoris nomine, *hiſtoire de Suger, Abbé de S. Denys, miniſtre d'Etat ſous le regne de Louis le jeune* [s], ex ea autem lucubratione Abaelardi hiſtoria paſſim poteſt illuſtrari.

pag. 762. lin. 10. *Eorum ſummam enarrauit abbas Geruaſius.* Ex inſtituto quoque et cum cura recenſent opera Abaelardi *Memoriae literariae* NICERONII, vbi imprimis ANDREAE DVCHESNE annotationes in hiſtoriam calamitatum Abaelardi valde laudantur, ad illuſtrandas circumſtantias huius temporis, de quibus in Hiſt. Eccl. pluribus tractandum eſt.

pag. 765. lin. 22. *Scientia commendauerit.* Similiter alio loco SARISBERIENSIS [ff], cum celeberrimos academiae doctores a Cornificio contemni et opprobriis peti quereretur, indicat, hunc quoque Robertum, *quamuis eius memoria omnibus iucunda ſit, attamen dictum iri filium ſubiugalem, niſi ſedi apoſtolicae deferretur, quae ipſum de doctore ſcholaſtico fecerit cancellarium.*

Ibid. lin. 23. *Strictim congeſſit CAVEVS, ex quo diſcimus.* Audiendi de Poleno, vel Pullo atque Polleyn (eadem enim nomina ſunt, cum aliis non confundenda [t],) qui ſeſquiſeculo ante Caueum celeberrimi philo-

q) Conſcripſit tamen poſtea inſtitutiones morales, quibus titulum: noſce te ipſum praefixit. Eas edidit BERN. PEZ, theſ. anecdot. T. II. P. II. p. 626 ſq.

r) Alias obſeruationes practicas huc pertinentes et pragmatica philoſophiae hiſtoria dignas attulit HEVMANNVS act. phil. Vol. III. p. 580 ſqq. conf. B. WEISMANN. H. E. N. T. Sect. XII. p. 893.

s) Paris 1721. 3. Vol. 12. Librum hunc pro ſupplemento vitae Abaelardi habent Ephem. Triuolt. 1721. art. 1. conf. Nou. lit. Lipſ. 1723. p. 9 ſqq. Act. erud. 1722. Iun. art. 25.

ff) Metal. L. I. c. 5. p. m. 775.

t) Conf. OVDINVS l. c. ex quo Cauei ſuſpicio poteſt confirmari, alium eſſe Rob. Pullum archiep. Rotomagenſem. Is enim ineunte Sec. XIII. vixit.

Digitized by Google

philoſophi et ſcholaſtici res tetigerunt LELANDVS [x] atque BALEVS [y], quos more ſuo ſequitur PITSEVS [z]. His auctoribus fuit *vir in omni literarum genere inſtructiſſimus, eruditione eximia et rerum diuinarum ſcientia, qui plurimum circa Sec. XII. medium valebat, ac labaſcentibus ſtudiis ſuccurrebat. Hic multis nominibus, perpetuam gloriam, tum hoc praecipue meritus eſt, quod ſubuerſis olim ab Heraldo primo eius appellationis Anglorum rege, Oxonienſis gymnaſii Scholis Herculeam tum adhibuerit manum. Porro vt ſuorum comprouincialium patrocinaretur inſcitiae, poſt reditum a Pariſiis ex omni regni parte ſtudioſos illuc aduocabat, omnis generis doctrinas propoſuit, et optimarum artium diſciplinas gratis tradidit. Legit, praelegit, perſuaſit, pellexit, docuit, expoſuit et omnia humanitatis officia ſcientiis promouendis praeſtitit. Dumque haec ageret, pro reſtaurandis illis bonis literis, multa dictabat ipſe, ac plura ſcripſit. His modis ita late hominis vndecunque docti fama deuulgata eſt, vt a Pontifice Romano vocatus eo annuente Cardinalis atque cancellarius Romanae eccleſiae deſignatus ſit.* Haec ciues eius de illo, quae non tantum ob libri raritatem, ſed ob praeclara quoque de literarum incrementis reſtituendis, emendandis et amplificandis merita, quo inter fulcra literaria Seculi XII. poni meretur, deſcribenda eſſe, aequum duximus. Prouocant illi ad IOANNIS ROSSI librum de *antiquitatibus academiarum Britannicarum*, de quo conſulenda *bibliotheca Fabriciana aetatis mediae.* Laudat Pollenum vehementer Bernhardus in citata epiſtola, propter ſanam doctrinam, vnde licet colligere, in ſubtilitatibus Scholaſticis eum prudenter verſatum eſſe, quas odio habebat Bernardus. Et hoc quidem Scripturarum et ſententiarum ſtudium, quod ante Lombardum, conſcriptis *ſententiarum theologicarum libris VIII.* probauit, magnam illi celebritatem meruit, quod caſtiores Muſas ſacras cuſtodiuiſſet. In philoſophico autem argumento nihil eius recenſent biographi literarii Anglicani, nihil Caueus vel Oudinus. Et hic tamen annotauit [a], *damnare aliquos Robertum Pullenum, quod in eiusmodi collectaneo ſententiarum, argumentis nimium et ratiociniis indulſerit, parce autem vſus fuerit auctoritate ſanctorum Patrum, hocque Pulleni mendum fuiſſe poſtmodum emendatum a Petro Lombardo, quem omnes ideo ſecuti ſunt.* Quod quam verum ſit, et cum Bernardi laudibus poſſit conciliari, videant, qui editionem operis Pariſiis vulgati inſpexerunt [z], et cum Lombardo comparauerunt; veremur nos, ne fauori erga Lombardum et ad tuendam famam, quod ipſe auctor et magiſter ſententiarum ac verus fons fuerit, fuerit datum. Obiit Pullenus Sec. XII. medio ſub Eugenio III.

pag. 779. lin. 5. a fine. *Thomam Aquinatem et Bonauenturam fuiſſe.* Intuenda hoc loco et examinanda obſeruatio BALEI, in *Al. Haleſii* vita [b] monentis: *eum, relicta patria Gallica ſtudia petiiſſe, in gymnaſio Pariſienſi doctorem irrefragabilem nominatum, Minoritarum ſectam vix mentis compotem, intra-*

x) cap. 148.
y) Cent. II. c. 81. p. 193 ſq. l. c. 205.
z) T. IV. p. 365. De his ſatis Oxon. Academiae conf. CONRING. Antiq. Acad. diſſ. III. p. 70. 71.
a) T. II. p. 1121. de S. E.
b) 1655. fol. edente HVG. MATHONT. Benedictino.
c) Cent. III. c. 91. p. 277.

intrauiſſe, ductum Ioannis Aegidii Dominicani exemplo: ingenio et eloquio per acutum in Ariſtoteſicis diſciplinis aetate ſua nulli ceſſiſſe. Propterea Thomae Aquinati, Bonauenturae et Guilelmo Guarroni in theologia ſophiſtica praeceptorem accitum miris ſubtilitatibus pro conſtabiliendo Anti-Chriſti regno ipſos armauiſſe doctrinam Petri Lombardi - - barbaro ſtilo explicuiſſe et ſubtilibus argumentis ampliauiſſe, cum paganorum placitis, et Romanorum pontificum decretis ſcripturas admiſcuiſſe ſacras etc. Acris vero controuerſia inter Franciſcanos et Dominicanos, de vindicando ſuo ordini Alexandro Aleſio eſt, de qua h. l. dictum, cui, acerba diſquiſitione, interceſſit NATALIS ALEXANDER, qui neque Thomam, neque Bonauenturam diſcipulos fuiſſe Aleſii euincere ſtuduit [b].

pag. 783. lin. 15. *Auctor eſt PITSEVS.* Qui more ſuo ea in re ſecutus eſt BALEVM [c], cuius de Stephano Langtono relatio eum inter Scholaſticae barbariei primipilos numerat, cuius rationes et ſpecimina factorum ad tuendam pontificis Romani in regem Angliae Ioannem potentiam ab eo ſuſceptorum ex hiſtoria Anglica merentur apud hiſtoriographos Anglicos legi, vt intelligatur huius ſcholaſtici hominum generis non ſtudia tantum, ſed et mores aeuo iſto a verae philoſophiae indole longe abfuiſſe.

pag. 784. lin. 1. *Patria Burgundus.* In dubium hoc vocat, et ſine cauſſa dici, monet *Continuator Bibliothecae Fabricianae L. M. et I.* [d], qui poſt BVLAEVM [e], et hiſt. lit. Dominicanae ſcriptores [f] de eo videndus. Ex illis ſpeculum morale Vincentio abiudicat IAC. QVETIF [g] et compilatori Sec. XIV. adſcribit. Ex his vero Vincentii ſpeculis, paupertatem ingeniorum medii aeui velim lector, colligas, aduerſus eos, qui negant, illam temporibus iſtis recte imputari. Cum enim ex catalogis ſcriptorum medii aeui toties a nobis laudatis conſtet, non mediocres tantum ſcriptores in exſcribendis et conſarcinandis ſuperiorum ſeculorum obſeruationibus totam diligentiam ſuam verſari iuſſiſſe, ſed et magnorum luminum et optimorum ingeniorum (quale Vincentium habuiſſe, negari non poteſt,) curam et induſtriam compilatorum fuiſſe, et ex aliena penu ditari, quam propria quadra viuere, maluiſſe; certo certius inde colligi poteſt, non voluntatem iuuandarum ſuo Marte literarum illis defuiſſe, ſed fata et infelicitatem ſeculi, quae haec ornamenta et ſubſidia humano generi inuidebat, et quae paſſa non eſt, vt tot viri docti ſine cortice natarent, ſed contenti, ſuo iudicio non prorſus inutilia attuliſſe, congerendis alienis totam aetatem ſuam conſumerent. Quo pacto euenit, vt, nec cohaerentia ſatis, nec connexa vno ſyſtemate, nec enata ex vno principio inter ſe copularentur, et in alienos multoties ſenſus detorquerentur, veris ſcien-

b) Vid. not o) ad textum h. l. et qui argumenta Alexandri narrat OVDINVS de S. E. T. III. p. 134 ſeqq. apud quem et FABRICIVM T. I. M. L. M. p. 169. 170. Aleſii ſcripta recenſentur.
c) loc. cit. p. 278.
d) T. VI. p. 831.
e) Hiſt. acad. Pariſ. T. III. p. 713.
f) ALTAMVRA bibl. Domin. p. 21. QVETIF de Script. Ord. Praedicatorum T. I. p. 212.
g) loc. cit. p. 218 ſq.

Digitized by Google

ſcientiarum praeſidiis denudata, cuius luculentum exemplum ſpeculum hoc Bellouacenſis, nulla vtilitate hodie commendabile, eſſe poteſt. Quae ſi ruditatem ſeculorum iſtorum non produnt, neſcimus, quid ſit rubedo ſcientiarum et aerugo literarum, quae iſtorum ſeculorum elegantiae, quam a magnis ingeniis ſperare poterant, tantum nocuit, eamque quaſi corrodendo totam peremit. Id quod notabili hoc exemplo ad euitandam logomachiam in hoc argumento probe attendendum eſt.

pag. 792. lin. 15. *Nobis non monentibus intelligit.* Meretur inficeto et barbarie ſeculi ſui digno epitaphio, quod huic noſtrae Sueuiae ornamento poſuit fraterculorum Dominici ſtupiditas aliud apponi ab elegantioribus Muſis IANO VITALI PANORMITANO dictatum, et vel hac cauſſa memorabile, quod nobiliſſimam quandam circumſtantiam vitae Alberti acuto encomio in luce collocat: Ita vero poëta [h]:

Natura has violas, ratio haec tibi lilia paſſim
Ad tumulum ſpargunt, Teutone magne tuum,
Purpureis quarum tribulos auellis ab hortis,
Et pulchris violis lilià mixta ſeris.
Auiaque abſtruſae pandis penetralia cauſſae,
Vere igitur Magni nomine dignus eras:

Quo encomio poëtam, veriſimile eſt, alluſiſſe ad magnificum, quod Wilhelmo imperatori parauiſſe in viridario horti monaſterii ſui dicitur epulo, quo inter violas et lilia hiberno tempore viridantia, aula penetralia incognitae tum cauſſae principi pandebat philoſophus, oſtenditque, quo pacto abſtruſae quoque artes in ea naturalis ſcientiae nocte, ſine magiae ſuſpicione poſſent velut naturales cognoſci. Si enim in tota ea traditione, quam hoc loco fuſe et accurate atque prouide excuſſimus, aliquid verum eſt, eſſe illud videtur, quod non tantum ver aliquod ſaeuum Wilhelmo inter pruinas Decembres Albertus oſtendit, ſed aperto quoque viridarii fornace et oſtenſis, quibus calor in hypocauſto diffundebatur, tubulis et canalibus, explicuit, planumque fecit, quibus abſtruſis ex cauſſis haec naturae miracula ſine ſuſpicione artis magicae poſſint excitari. Certe ex hoc epitaphio manifeſtum eſſe putamus, alios quoque viros doctos in easdem cogitationes fuiſſe deductos, quae nobis de hoc epulo diſpicientibus in mentem venerunt.

pag. 798. lin. 16. *Quarroſa prorſus et illepida.* Leg. ſquarroſa, talis eſt dictio Alberti, cuius hoc loco exemplum illepidum affert RHODIGINVS [i], quo dixit Colonienſis philoſophus, in coelo nihil eſſe *ſurſus* et *dehorſus*, loco, nihil ſummum ac infimum. Ceterum ex hoc ipſo Alberti M. loco conſtat quoque, virum cetera magnae doctrinae veterum philoſophorum ſententias et dogmata parum perſpexiſſe, et internas ſyſtematum rationes

h) In collectione Labbeana epitaphiorum P. VII. ep. 17. p. 216. i) Lect. antiq. L. I. c. 11.

tiones ignorauiſſe, quod tamen temporis ſui ignorantiae, qua omnis hiſtoria philoſophica ſepulta quaſi fuit, condonandum eſt. Idem ille quoque pudendos quoſdam Alberti lapſus, quos in hiſtoria naturali ex ignorantia Graecae linguae paſſus eſt, obſeruat [k], quae barbariem ſeculi produnt, de quibus prouerbium: Graeca ſunt, non poſſunt legi. Quod iſti aetati libenter ignoſcimus, ferri autem non poteſt, Albertum, quem in plerisque aliis huius ſcientiae peccaſſe, obſeruat Rhodiginus, eique ſimiles voluiſſe tamen Graecarum vocum explicationes afferre, et ſic omni ſcientiae famam obtinere, exemplo, quod ne hodie quidem in tanto Graecae linguae flore interdum deſiderabunt, qui lynceos habent oculos.

Ibid. lin. 17. *Cum autem tota fere Europa ad eum confluxerit ad percipienda philoſophiae Peripateticae praecepta.* Fuiſſe inter innumeros, quos in tot cathedris Albertus habuit diſcipulos, vnum alterumque, qui naturalis quoque diſciplinae hauriendae cauſſa eum audiuerint, THOMAE CANTAPRATENSIS [l] exemplum probare poteſt, quem inter praecipuos Alberti diſcipulos praeter Thomam Aquinatem eminuiſſe, ſupra p. 791. diximus. Monachus enim hic ex canonico Auguſtini, poſtea Dominicanus tandemque epiſcopus Luſentinus, et Cameracenſis ſuffraganeus A. CIↃCCLXIII. Louanii denatus, ad naturalis philoſophiae capita conuerſus eſt, cuius teſtem librum non incelebrem aliquoties recuſum ſub titulo: *bonum vniuerſale de apibus* [m], reliquit. Haberi quoque Cantipratanum auctorem libri, *de natura rerum*, inter ſcriptores obſtetricios famoſum, ſupra obſeruauimus, quod ſi, ex teſtimonio biographi Alberti verum eſt, didiciſſe huius artis myſteria et encheireſin ab Alberto, vero non valde eſt diſſimile. Porro *Henricum de Saxonia* in ſchola Alberti M. ea ſecreta didiciſſe, quae in celebri libello de *ſecretis mulierum* magiſtro ſuppoſuit, viris doctis obſeruatum eſt [n]. Illud certum, ſtudio phyſico ſecundum Ariſtotelem hunc Henricum duce Alberto M. inuigilaſſe, vt ex commentariis eius in libros *de coelo et mundo*, *de generatione et corruptione*, *in libros phyſicorum VIII.* [o] conſtat.

pag. 807. not. l. col. 2. *Scheurlius bibliogr. morali.* Comparandus ea de re ex Proteſtantium eruditis, GEBHARDVS THEODORVS MEIERVS, qui argumenta moralia in ſecunda ſecundae enumerat, et multum eruditae doctrinae amicis ſuis ex ea promittit. Ex Pontificiis hanc theologiam moralem, quam merito philoſophicam dicere poſſumus, ideo laudat RAPINVS [p], quod ratiociniis longe melius inſtructa, meliusque concinnata,

k) Lib. VI. c. 15. p. m. 208. Lib. XIX. c. 15. p. 746 qui etiam aliud L. XVIII c. 36. p. 1103. indicauit, ex quo conſtare poteſt, Albertum in explicando Ariſtotele concurriſſe.

l) Vid. quos laudat Continuator Bibl. Lat. M. Fabricii T. VI. p. 697 m) Ibid. p. 695.

n) MAITAIRE Ann. typ. Tom. I. p. 679. FREYTAG. libr. rar. p. 14. WEDEKIND libr. rar. p. 49. 50.

o) Citati. Rariores ſunt omnes hae lucubrationes ſcholae Alberti M. licet aliquoties repetitae. Prodiit libellus de ſecretis mulierum, de virtutibus herbarum, de mirabilibus mundi Lugd. 1571. quam editionem inter reculas noſtras ſeruamus.

p) loc. cit. conf. BVDDEVS Iſag. in hiſt. lit. Theol. p. 647.

Digitized by Google

cinnata, et accuratior exactiorque sit, quam vlla alia, quae lucem vnquam aspexit. Quae laus suo modo Thomae denegari nequit, non autem theologica est, sed philosophica, et docendi tradendique methodum tantum respicit, qua accuratius vsum esse Thomam in logica acute versatum, quam alios, nemo facile negauerit. Verum in hac de meritis Thomae circa doctrinam philosophiae moralis quaestione non de methodo morali, sed de doctrina ex iustis philosophiae et reuelationis fundamentis deriuata sermo est, vt suo loco iam obseruatum: pristinam enim cramben non potuisse non Thomam in argumento morali recoquere, nec castius, quam maiores suos philosophari, illi manibus palpant, qui norunt, doctorem angelicum, ne latum quidem vnguem a Peripateticis placitis recedere fuisse ausum: Aristotelis autem ethicam a sana philosophia morali distare, vt lucem a tenebris. Id quod theologi Galli olim iam in Thoma reprehenderunt, vt ex adducto a LAVNOIO [q] testimonio potest cognosci. Non detrahimus laudi magni viri, qui haud raro *φιλοσοφικωτέρως* disputauit, quam coaetanei, reipsa tamen moralem philosophiam non adiuuit.

pag. 811. lin. 8. a fin. *Meliora dare et succulentiora laborauerit.* Ita LVTHERVS [r] quoque iudicat, quod animi constantia, ingenii excelsi robore et vitae integritate Scholasticos omnes superauerit. Hoc non ad scholasticam et philosophicam eruditionem tantum pertinere, sed ad mysticam quoque, ex indice librorum asceticorum intelligi potest, propter quos inter celebriores mysticos post POIRETVM [s], qui eum non satis nouisse videtur, locum ei non sine insigni elogio fecit GOD. ARNOLDVS [t]. Qui tamen, eo quod nexum inter theologiam scholasticam et mysticam non intelligebat, recte satis de his eius meritis iudicare non potuit. Tacet etiam inter opuscula Bonauenturae mystica hanc, quam recensuimus, *reductionem artium ad theologiam*, quam si sine praeiudicio legisset, clauem inuenisset ad referanda doctoris Seraphici mysteria mystica. De quibus tamen recte adhibendis pulchre Eutychius noster iudicauit, si verum est, quod *annales Francisci* [u] de eo referunt: rogatum a Thoma Aquinate, vt ipsi bibliothecam suam monstraret, ex qua tam egregii foetus prodierint; intenso in figuram Crucifixi digito respondisse, ex hoc fonte se haurire omnia, quae in lectione et meditatione occurrant, et a se literis consignentur. Vtinam hos limpidos fontes peregrinis Marlaedulias riuulis, quos in scriptis suis tam studiose quaerit, non turbasset. Verum de his alio loco in historia critica mysticae theologiae altius disquirendum est; nobis hoc nobili exemplo comprobasse sufficiat, inter Scholasticos philo-

q) De fort. Arist. c. X. p. 213. Conf. PETR. ZORNIVS diatr. de varia fortuna Aquinatis in scholis pontificiorum, praesertim Gallorum Opusc. S. T. I. p. 445.

r) T. I. Altenburg. p. 708. a T. IX. p. 780. b. conf. GERHARD. patrolog. n. 614.

s) Is enim Bonauenturae obiter tantum meminit in ep. de auctoribus mysticis §. 34. T. II. Opusc. p. 518.

t) In historia theologiae mysticae c. XX. n. 56. pag. 584 seqq.

u) P. II. tit. 2. c. 2.

Digitized by Google

ſophiam exotericam et eſotericam miro connubio, ſaluis ſcholarum principiis, fuiſſe coniugatam.

pag. 816. lin. 14. *Beneficiis eccleſiaſticis promouerit.* Facile, qui attentus eſt ad faciem ſedis pontificiae et eccleſiae Romanae, maxime vero ad mores curiae pontificiae eius aeui, ſubodorabitur, Ioannis XXI. pontificis characterem moralem cucullatis fratribus non arriſiſſe, qui cum ſedis apoſtolicae ſe ſola fulcra eſſe iactarent, et omnipotentiam Romani epiſcopi, quantum poterant, exaltarent, vt a capite ad haec ſua membra vnguentum Aaronis deſcenderet, et πτωχοπλούσιοι iſti ſub vmbra alarum eius diteſcerent, monarchae tanto non conuenire Ioannem, hominem facilem et literatis quibuscunque fauentem iudicarunt; quam ambitionem ſub monachalis humilitatis tunica latentem in fratribus mendicantibus vix in orbem ingreſſis notauerat academia Pariſienſis, vt ſupra relatum. His vero teſtibus contra Ioannem, quid credendum, qui alios omnes, quam iſtos fraterculos promouebat, horum proteruiam ſanctionibus apoſtolicis reprimebat? Qua in re facile concedimus, prudentiam forte pontifici defuiſſe, cui hi crabrones non irritandi erant, mens tamen ſana et recta, et ad corruptiones eccleſiae attendens, literarum autem ſtudia eccleſiae inſeruire poſſe ſtatuens denegari non poteſt, quicquid Dominicani ſcriptores Ptolemaeus Lucenſis et Martinus Polonus in contrarium dicant, et ſequentis temporis ſcriptores eorum teſtimoniis nixi afferant, qui omnes vnius tantum teſtis, et quidem ſuſpecti vices ſubeunt.

pag. 818. lin. 5. *Edmundum Richium.* Vitam huius archiepiſcopi, inter SS. Angliae miraculis, quod ferunt, clari, memorabilem quoque fecit, Roberti Baconi amicitia ſtudiorumque coniunctio, vnde de eius eruditione philoſophica iudicari poteſt, et fortaſſe occaſio conilci, quae ei praeter correctionem morum [x], quam inter canonicos ſuos intendebat, inuidiam ſuorum in aula regis et pontificis conflauit. Deſcripſit huius vitam frater Robertus, quam miſere ſatis excerptam exhibet SVRIVS [y]. Denatus inter Ciſtercienſis monaſterii Pontiniacenſis monachos CIↃCCXL. vnde Ciſtercienſibus eum adſcripſit CAROLVS DE VISCA [z] inuito OVDINO [a]. Conſulendus autem BALEVS [b] quoque, et ſcriptores hiſt. liter. Angliae, magna de eo et eximia miracula iactant Ciſtercienſes, et corpus a tot ſeculis incorruptum et integrum ſeruari Pontiniaci ſtrenue affirmant [c].

Ibid. lin. 23. *Doctoratus inſignia reportauit.* Et quidem ob doctrinae excellentiam cum vnus eſſet Pariſiis, qui linguas peregrinas cum philoſophiae et theologiae ſtudio iunxerat. Quam miſera enim eo tempore fuerit ſtudii theologici et philoſophici conditio in iſta academia, meretur ex memorabili Baconi epiſtola, cuius partem ex mſc. edidit HVMFREDVS

x) Scripſit inter multa alia de Simonio, itemque de exceſſibus praelatorum, vid. Bibl. Ciſtere. pag. 89.
y) Tom. VI. die 16. Nou.
z) loc. cit. p. 88.
a) De S. E. T. III. p. 219.
b) Cent. III. c. 96. p. 281.
c) VISCA loc. cit.

Digitized by Google

FREDVS HODY [d] cognoſci. Ipſe autem Baconus ſtatuebat: *cum ignorentur linguae alienae, a quibus tota philoſophia ſicut theologia procedat, oportere ignorari philoſophiam: nam hos homines nec textum poſſe intelligere, nec concipere, nec auctorum expoſitiones ſcire, quia mixta ſint omnia Graeco, Hebraeo et Arabico.* Sed reliqua legenda quoque ſunt, vt de barbarie aeui medii conſtet, et ratio pateat, cur non in linguarum tantum ſtudio, ſed philoſophiae quoque et theologiae campo pauca vel nihil praeſtiterint doctores Pariſienſes. Qui cum Ariſtotelem ſe ſequi profiterentur, ne verbulum quidem Graecum, vel Arabicum ex Ariſtotele intelligebant. Quae cauſſa eſt, cur tanta diligentia de reſuſcitandis linguarum ſtudiis inſignem epiſtolam ad Clementem IV. perſcripſit [e]: dignus ideo, qui non ob promotam tantum phyſicam experimentalem, ſed et veterem philoſophiam omnem, a Graecis traditam et in *αὐτογράφοις* legendam poſteritatis commendetur memoriae; velut talis, qui in aliis quoque partibus philoſophiae et theologiae longe ſapuerit vltra captum illorum temporum, quo elogio eum ex merito ornat FABRICIVS [f], qui de reliquis Baconi ſcriptis huc pertinentibus conſulendus. Inedita plurima, quae per omnem literaturae philoſophicae, imprimis phyſiologicae, medicae, rationalis, metaphyſicae, itemque theologicarum diſciplinarum circulum *πολυϊστορίας* Rogeri teſtimonia ſunt, ſupra omnem laudem poſita ſunt, pleraque tamen adhuc in Angliae bibliothecis latent, multa incendio perierunt, diligenter enumerat OVDINVS [g], ex quo Baconi hiſtoria literaria ſuppleri poteſt.

pag. 823. lin. 16. *Quem valde laudat MORLIERIVS.* Dabimus eius verba, quoniam raram inter Scholaſticos auem, inſtitutionem principis in luce ponit. Ita vero ille: *un ſavant perſonnage parlant de ce livre l'apelle une riche medaille, & une curieuſe antiquaille d'un ſiecle barbare. Il eſt extraordinairement rare, - - l'auteur y fait paroitre une grande érudition, & une parfaite connoiſſance des ſecrets du gouvernement. Il y a ſemé quantité de maximes excellentes & admirables pour l'éducation d'un Prince. On juge en le liſant, que perſonne n'etoit plus initié dans le myſtere de la politique, que cet auteur. Il en parle en maitre & en donne de grandes leçons. On lui doit cependant la juſtice de dire, qu'il en n'abandonne jamais le langage de Chretien, & d'un homme de ſa profeſſion & de ſon état, pour parler celui de courtiſan & de l'homme de Cour: fort éloigné de ces Auteurs profanes, qui en traitant de politique, croiroient affoiblir leur ſujet, s'ils ne lui ſubordinoient les verités & les maximes de la religion les plus eſſentielles* [h]. De his viderint, qui librum rariſſi-

d) De bibliorum text. orig. L. III. c. 11. p. 419.

e) Epiſtolam Clementis IV. ad Rogerum An. 1266. datam vulgauit EDM. MARTENE T. II. Anecdot. p. 352. Rogeri autem, quod ad Papam A. 1267. miſit opus maius de vtilitate ſcientiarum edendum ſuſcepit SAM. IEBBIVS, qui et alia Baconi inedita addere promiſit. conf. bibl. raiſonnée T. VII. p. 228. nouu lit. Lipſ. T. XVIII. 1732. p. 229. 293.

f) Bibl. L. M. T. I. p. 432.

g) Tom. III. p. 190.

h) Ita quidem CAVEVS, et WOLFIVS Bibl. Hebr. T. III. p. 1207. aliter MAITTAIRE Ann. typogr. T. I. p. 322. qui Romanam editionem 1482. et THEOPHIL. SINCERVS de libr. rar. Tom. I. p. 82 ſeq. qui Venetam 1498. memorat. conf. VOGT. Cat. libr. rar. p. 10 ſeq.

rariſſimum inſpexerunt: qui non Gallice tantum, ſed Hebraice quoque ob praeſtantiam conuerſus dicitur prodiiſſe, et Romae quoque ac Venetiis Latine. Duo nobis momenta laudes has ſuſpectas faciunt: vnum, quod Ariſtotelem dicitur fuiſſe ſecutus: alterum, quod ad ſtatum et profeſſionem ſuam in inſtituendo principe reſpexerit. Prius principia Peripatetica in hodierna republica non magnae vtilitatis, poſterius ſcopum fulciendae auctoritatis eccleſiaſticae prodere videtur. Habuiſſe librum mſc. Polycarpum Lyſerum Helmſt. monet FABRICIVS [i].

Ibid. lin. 4. a fin. *Magna laude docuit in academia Pariſienſi.* Primum cum Petro de Tarantaſia Pariſiis doctorem Theologiae creatum eſſe, obſeruat FABRICIVS [k]; MIRAEVS [l] autem, cathedram magiſterii, ex ordine ſuo primum Lutetiae aſcendiſſe, ſcribit.

pag. 828. lin. 4. a fin. *Librorum eius docet inſpectio.* Horum ſpectrorum philoſophicorum cateruas, Scotiſtarum nomine terribiles ab iſta aetate, ad hanc (quis crederet?) noſtram produxit ὑπερσοφία Scoti. Ad cuius ſubtilitates vno faſce comprehendendas laudat ὁ πάνυ STRVVIVS [m], ELEVTHRII ALBERGONI Mediolanenſis *reſolutionem doctrinae Scoticae, in qua, quid doctor ſubtilis circa ſingulas, quas exagitat, quaeſtiones ſentiat, et ſi oppoſitum alii opinentur, breuibus oſtenditur, collectam Lugduni 1643.* Magnum autem fulcrum et praeſidium enatum eſſe in Duniſtano, ſiue Scoto, Realium ſectae, maxime, quae ſe formalem dicebat, infra commodior dicendi erit locus. De Thomiſtarum vero et Scotiſtarum inter ſe concertationibus, maxime, quae ad articulum de gratia pertinent, in eccleſiaſtica hiſtoria tractandum eſt. Omitti tamen non poteſt, methodum diſputandi in vtramque partem Scotiſticam, quae Quodlibetariorum nomen peperit, occaſionem dediſſe, vt Scotus Scepticiſmo frigidam ſuffudiſſe crederetur [n].

pag. 829. lin. 4. a fin. *Tornacenſem eum dictum fuiſſe nonnulli volunt a patria.* Ita quidem HENRICVS GANDAVENSIS [o] et TRITHEMIVS [p]: aſt Angli contradicunt et Thuruaium fuiſſe contendunt, de quo videndus BALEVS [q].

pag. 831. lin. 9. *Supra modum incontinens et ſuperbus.* Abhorrens a coniugio ſalubri Aleidem meretricem vxoris loco habuiſſe ferebatur, teſte CANTIPRATANO et BALEO [r]. Sed hoc ex Matthaeo Pariſienſi refelli poteſt, qui narrat: inducta per morbum obliuione, a filio quodam ſuo literas legere edoctum eſſe: habuit ergo vxorem, ex qua filium genuerat.

pag. 833. lin. 7. *Ex Bulaeo diſcimus. Hiſt. acad. Paris* [s]. conf. VAL. ANDREAE *bibl. Belgica* [t] SANDER. de *Script. Flandriae* [u].

pag.

i) B. L. M. T. I. p. 51.
k) loc. cit. l) In Auct. p. 75.
m) Bibl. phil. P. I. p. 58.
n) Conf. BVDDEVS Iſag. in theol. pag. 366. THRECHOVIVS de DD. Scholaſt. c. 4. p. 131.
o) Cap. 46. p) Cap. 463.
q) Cent. III. c. 45. p. 243.
r) II. cc.
s) Tom. III. p. 710.
t) pag. 813. u) pag. 153.

Digitized by Googl

pag. 836. not. p. *Conf. Obſ. Hal. T. III. obſ. 12. §. 13. p. 230.* Eſt haec obſeruatio B. BVDDEI, in qua de ſyncretiſmo philoſophico generatim agit, et §. 13. ex SCHENKII *bibliotheca medica* [x], a IACOBO THOMASIO [y] adducta, Petrum quendam Aponenſem nominat, conciliatorio iſto functum officio, non recte autem vocari Aponenſem, ſed Petrum de Albano dici contendit, et ad editionem *Conciliatoris* anni 1481. prouocat, quam ipſe viderit. Sed deceptus eſt vir optimus ab oculis ſuis; in hac enim editione Veneta, quae tertia fuit, quamque copioſe recenſet S. Reu. SCHELHORNIVS [z] non de Albano, ſed de Abano vocatur, quod nomen etiam editio Iuntina Veneta anni 1559. nitidiſſima, quae inter cimelia noſtra literaria aſſeruatur, retinuit, et quidem recte, deſumtum enim eſt a patria Petri, Abano, a fontibus ſuis ſalutaribus medicaque virtute commendata a CLAVDIANO [a], ea autem Latine dicitur fons Aponi a SVETONIO [b]. Recte itaque Latinis auribus dicitur, Petrus de Apono. Diſtat ille vicus quinque milliaribus ab vrbe Patauina. Ceterum Conciliatoris appellatio non ad auctorem pertinet, ſed operis titulum, quo ſe ſyncretiſmo medico ſeruire, prodidit, vt ab aliis quoque iſtius aetatis ſcriptoribus factum. Ceterum adeo ſquarroſa, et barbara dictio illius libri eſt, vt vix luculentius barbariei aeui medii exemplum haberi poſſit, methodus adeo ſcholaſtica, vt Scoti ſcholae ſit ſimillima, tractatio lutulenta, ſyncretiſtica, Arabumque theſauris tantum opima, tota vero ſcepticiſmo varie Scholaſticorum frigidam ſuffundens, lectuque moleſtiſſima, ob difficillima literarum compendia. Reliqua, quae ad literariam hiſtoriam huius medici, librique rarioris pertinent, exhauſerunt pleraque Heumannus et Schelhornius viri doctiſſimi locis allegatis, qui conſulendi. Noſtram editionem, forte ob adiectum libellum *de venenis* rariſſime obuium inter rariſſimas refert ENGELIVS et WEDEKINDVS [c].

pag. 833. lin. 26. *Cum tractatio adhuc inter mſc. deliteſcat.* Adſcribemus verba FABRICII [d] de hac *decretorum abbreuiatione; per diſtinctiones in conſtitutionibus iuris peritia, in ordinationibus poteſtas legitima, in executionibus adminiſtratio canonica traditur. Per cauſſas, accuſationum, actionum ex regula gerendarum, et obligationum ſiue nuptiarum continetur diſciplina; per conſiderationes denique, quae proſequuntur ſanctificationem rerum, temporum, perſonarum.* Quod cum omnium primum inter ſcholaſticos philoſophos et theologos exemplum iuris naturalis, licet miſere diſiecti et cum theologia et canonibus confuſi et turbati, exhibeat, non omittendum erat in huius diſciplinae hiſtoria, quem tamen Innocentii V. laborem ignorauiſſe videntur Buddeus, Thomaſius, Ludouici aliique in hoc argumento verſati,

x) pag. 443.
y) Orat. XV. pag. 329.
z) loc. cit.
a) Idyll. VI. p. 241. ed. Heinſ. vbi elegantiſſimam legimus deſcriptionem fontis Aponenſis.
b) In Tiberio c. 14.
c) Catalogis notiſſimis de libris rarioribus v. Apono.
d) B. L. M. Tom. IV. p. 101. habuit is ſua ex IAC. QVETIF. T. I. ſcript. Domin. p. 350 ſeqq.

fati, eo quod opus inter mſc. adhuc deliteſcat, ex quo optamus a viro quodam docto paulo certiorem nobis ſuppeditari notitiam. Notauerant in Petri de Tarantaſia ſcriptis articulos centum et octo erroneos aduerſarii, de quibus tamen ad Ioannem Vercellenſem, generalem magiſtrum ordinis Praedicatorum poſt Innocentii mortem reſpondit Thomas Aquinas. Quod in tanta eriſtici ſeculi prurigine diſputandi, diſtinguendi, et conſequentiis in vtramque partem pugnandi eo minus mirandum eſt, quo verior obſeruatio OVDINI[e]; *hoc temporibus ſcholaſticae theologiae natae frequentiſſimum fuiſſe, vt quisque aduerſarium ſuum haereſeos accuſaret, ac quoquo modo proſcinderet*, a qua ſcabie nec cardinalitia purpura, nec tiara pontificia Innocentium tutum praeſtare potuit. Si non alia, hac certe laude dignum, quod inter ius naturae et diuinum primus diſtinxit, et in ipſo operis initio prologum hoc canone muniuit: Humanum genus duobus regitur, naturali videlicet, diuino iure et moribus.

pag. 841. lin. 3. a fin. *Animum autem ad chemiae arcana adiiciens.* De hoc Arnoldi Villonouani artificio IOANNES ANDREAE ICtus Bononienſis, Villanouano coaeuus, fons canonum dictus[f]: *noſtris diebus* (obiit autem fons hic Canonum, quo elogio cluebat, anno 1348.) *habuimus magiſtrum Arnoldum de Villa noua, in curia Romana ſummum medicum, et theologum, - - qui et magnas Alkymiſta virgulas auri, quas faciebat, omni probationi ſubmitti conſentiebat.* Qua arte occupatus opuſcula chymica conſcripſit, *theſaurum theſaurorum, ſeu roſarium philoſophorum, lumen nouum, florem florum et ſpeculum Alchemiae*, ab HIERONYMO MEGISERO iunctim edita[g]: ſed more adeptorum atra barbaraque nocte tecta, commendata autem vehementer ab huius artis admiratoribus et in his quoque, ad quem lectorem remiſimus, Olao Borrichio, quocum congreſſus HERMANNVS CONRINGIVS, ex inſtituto quoque de hoc argumento arteque Villanouani diſſeruit[h], et imprimis teſtimonio Io. FRANC. PICI Mirandulani[i], Arnoldi fidem eleuauit et tentatam fruſtra iactantiam obiecit, et contendit, Arnoldum pro reuelationibus diuinis temere probauiſſe, neſcio, cuius ſpiritus commenta[k]. Quae quod pondus hiſtoricae veritati huius artis

d) De S. E. T. III. p. 503. Negari hoc a rerum aeui medii gnaro non poſſunt. Vnde miramur, potuiſſe GROTIVM in prol. ad I. N. et G. §. 2. p. m. 11. ſcribere: qui his ſucceſſerunt Scholaſtici, quantum ingenio valeant, ſaepe oſtendunt: ſed in infelicia et artium bonarum ignara ſecula inciderunt: quo minus mirum ſit, inter multa laudanda aliqua et condonanda ſunt. Tamen vbi in re morum conſentiunt, vix eſt, vt errent: quippe perſpicaces admodum ad ea videnda, quae in aliorum dictis reprehendi poſſunt: in quo ipſo tamen diuerſa tuendi ſtudio laudabile praebent modeſtiae exemplum, rationibus inter ſe certantes, non, qui mos nuper adeo literas inquinare coepit, conuitiis turpi foetu impotentis animi. Ceterum annotari quoque de hoc pontifice meretur, primum eum ex praedicatorum ordine fuiſſe, qui pontificiae ſedi admotus fuerit.

e) Vid. de eo TRITHEM. c. 574. et ſcriptores hiſt. lit. medii aeui paſſim indicati a FABRICIO B. L. M. Tom. III. p. 134. Dicitur in epitaphio: Rabbi Doctorum, lux, Caeſar, normaque morum.

f) Francof. 1603. 8. librum maximae raritatis vocat VOGT. cat. L. R. p. 711. et quos citat.

g) De Hermetica medicina c. XXVII. p. 280 ſqq.

h) L. IX. de ver. praen. c. 5. p. 702.

i) Hoc quoque ex iactatis eius de antichriſti aduentu vaticiniis confirmat, et magicas ligaturas Arnoldum naturalibus viribus adſcripſiſſe, eoque rerum naturae non fuiſſe gnarum, ſed multa ſuperſtitione infectum, iudicat.

Digitized by Google

πολιτικῆς addant, alio loco in ſpeciali artis Chemicae hiſtoria diſquirendum eſt, vbi etiam diſpiciendum, quae illa Arnaldiſtarum ſecta fuerit medica, quam ſecutam eſſe Villanouani placita ait FREVNDIVS [l].

pag. 845. lin. 3. *Niſi ad ſpecialem aſtronomiae hiſtoriam magis eſſet referendus.* Conſuli quoque de Alphonſo eiusque tabulis poteſt ANDREAS SCHOTTVS [m], et WEIDLERVS [n], quosque hic laudat. Tribuit Alphonſo IOANNES MARIANA [o], *ſublime ingenium, ſed incautum, ſuperbas aures, linguam petulantem, - - et ea calamitate, quam paſſus eſt, dignum pronuntiat; quod diuinae prouidentiae opera, et humani corporis fabricam, inſigni linguae procacitate ingeniique confidentia accuſare auſus fuerit, vt vulgi opinio eſt, ab antiquo dicta per manus.* Aſt fatemur, mitiorem ſententiam mereri regem optimum, et de literis praeclare meritum. Vt enim taceamus, totam illam accuſationem, qua melius ſe, quam Deum nonnulla ordinaturum fuiſſe, ſi in creatione illi adfuiſſet, dixiſſe fertur, ſolo rumuſculo niti, quod ipſe Mariana non negat, adeoque incertam eius fidem eſſe: ipſa, quae illi obiicitur arrogantia, vbi etiam vera eſſe ſupponitur, non niſi conſideratis iis hypotheſibus iudicanda eſt, quas mathematici a rege conuocati conſultique introduxerant, quasque inſignem in coeleſti ſiderum motu confuſionem ſupponere, norunt, qui res ſiderales attigerunt. Cum enim R. Iſaac Ebn Sid [p] magnifico, quod animo rex conceperat, operi nouarum tabularum eſſet praefectus, ille Thebithi hypotheſi de motu trepidationis ſuppoſita, ſtatuit, totam coelorum machinam axi Zodiaci affixam modo ad axin mundi propius accedere, modo ab ea plus recedere, hincque inaequalem ſtellarum motum communem produci, ex quo inaequalitas quaedam Zodiaci ad aequatorem modo minor modo maior exſurgat. Quam hypotheſin non ratione modo et obſeruationum fide carere, ſed et magnam in rebus ſiderlis confuſionem parere, et multa otioſe fingere, dudum rerum aſtronomicarum peritis obſeruatum eſt. Haec itaque intuitus Alphonſus rex, qua animi erat ſagacitate, non errauit, ſi dixit, melius iſta ordinari poſſe; in eo ſolo culpandus, quod hanc confuſionem inepte creatori tribuere, quam aſtronomos ſuos ignorantiae accuſare, et ex his naeuis hypotheſis iſtius falſitatem colligere eamque abiicere maluerit.

pag. 846. lin. 6. *Ideo diſplicuit Ioanni XXII.* Statuebat pontifex: animas a carne reſolutas et purgatas non mox clare videre eſſentiam diuinam, ante reſurrectionem et iudicium vniuerſale, eamque viſionem, quam nunc habent de diuina eſſentia, euacuatum iri in extremo iudicio. Iſtam ſententiam papae in feſto OO. SS. publico ſermone propoſitam refu-

l) Hiſt. med. P. III. p. 20.
m) Hiſp. illuſtr. L. VII. T. I. p. 360.
n) Hiſtor. aſtronom. c. XII. §. 18. p. 279.
o) Hiſtor. Hiſpan. L. XIII. c. 20. L. XIV. c. 5.
p) Vid. Iuchaſin apud WOLF. B. Hebr. T. I. p. 684. quo teſte ille fuit ſynagogae Toletanae cantor, non vero inſpector, vt habet Weidlerus.

refutandam ſibi ſumſit Meldenſis epiſcopus, adeo id indignante pontifice, vt Romam citaretur, intercedente tamen rege Franciae Philippo Valeſio, eluſa eſt iſta citatio [q], de qua in H. E. Sec. XIII. pluribus diſpiciendum [r].

Ibid. lin. 9. *A Launoio eſt demonſtratum.* Communis hactenus theologorum et philoſophorum doctrina, maxime in ſcholis philoſophicis et theologicis tractata et in ſententiarum libris multis rationibus confirmata fuerat, Deum non tantum cauſſis ſecundis dare vim agendi, ſed etiam iisdem ad omnem actionem et ad omnem effectum cooperari, ita quidem, vt ipſius et cauſſae ſecundae eadem numero actio ſit, ad eundem numero effectum ducens. Ita cum aliis, D. Thomas quoque, et eius ſchola omnis. In qua cum prius educatus eſſet Durandus, homo ingenii ſubtiliſſimi et abſtractionibus fertiliſſimi, doctrinam magiſtri ferre amplius non potuit, itaque cum in ſententiarum libro [s], concurſus Dei cum cauſſis ſecundis explicandus eſſet, aliter ſtatuendum eſſe credens Durandus, docere coepit, cauſſas ſecundas immediate producere effectus ſuos ſe ſolis, neque aliter Deum cum iis concurrere, quam immediate, τὸ eſſe ſcilicet et agendi vim, quam iis primum contulit, conſeruando. Qua hypotheſi cum videretur Pelagianos ſecutus, licet rationibus acutiſſimis temperata et demonſtrata, accendit Thomiſtarum factionem, vt integris voluminibus in aciem contra eum procederet, et imprimis alius DVRANDVS, de Aureliaco, dictus quoque Durandellus, quem nepotem eius fuiſſe, nonnulli dicunt [t], integra apologia pro Thomiſtica doctrina ſcripta refutaret. Ipſam hypotheſin iam in Stratonis Peripatetici ſyſtemate occurrere, alio loco [u] indicauimus, quemadmodum hodie in Arminii et Socini [x] ſchola eadem Durandi opinio obtinet, vt Taurellum [y], Ludouicum Pererium et Bernierium, a LEIBNIZIO in has partes vocatos praetereamus, de quibus in ſpeciali theologiae naturalis hiſtoria tractandum eſt.

pag. 846. lin. 17. *Videnda in commentario eius in libros magiſtri ſententiarum.* Extant verba eius *L. I. diſt. 37. qu. 1.* modeſte tamen, vt ſolet, et timide, ſe nihil in ea re aſſerere ait, ſed ſolum procedere inquiſitiue. De qua quaeſtione ſcholaſtica, de loco angelorum a Durando excitata videndus G. I. VOSSIVS [z].

Ibid. lin. 4. a fin. *Supra monuimus.* Non putamus, eſſe de Durando hoc loco, vbi de hiſtoria ſcholaſticae philoſophiae et ſcholaſticis Dd. agitur,

q) Vid. Petrus de Herentels in vita Ioannis XXII. apud BALVZIVM vit. Pap. Auenionenſium pag. 179 ſeqq.

r) BALVZ. l. c. T. I. p. 175 ſeqq. 221 ſeq. LVC. DACHERI Spicil. T. I. p. 700. LAVNOII hiſt. gym. Nau. P. I. c. 7. NAT. ALEXANDER. H. E. T. VII. p. 520. Auctores hiſt. vniu. Paris. BVLAEVS T. IV. p. 235. CREVIER. Tom. II. pag. 315 ſeqq.

s) L. II. ſent. diſt. 1. q. 5. diſt. 37. q. 1.

t) Vid. ANT. FLORENT. Sum. hiſt. tit. 23. c. 11. §. 2. T. III. p. 681. QVETIF. T. I. Ann. pag. 586.

u) In diſſ. de Stratonis Lampſaceni atheiſmo Miſcell. P. II. obſ. 6. p. 160.

x) Vid. CLERICVS Pneumat. S. III. c. 6. §. 23. Recueil de diverſes pieces T. I. p. 2.

y) Attulimus eius locum integrum T. IV. P. I. c. 3. p. 309. conf. de rer. aeternitate c. 1. p. 2.

z) loco not. u. indicato.

Digitized by Google

tur, silentio praetereundam magnam sobriamque acutissimi philosophi modestiam, qua in argumento sacro pariter et philosophico sibi agendum esse statuit, quaeque exemplo esse potest, inter tot nugaces auctores et inania ac ventosa ingenia, quibus illa aetas repleta fuit, et in tanto praeiudicii auctoritatis PP. pretio, quo res sacra et ecclesiastica fulciebatur, fuisse tamen nonnulla, quae castius multo et verius, prudenterque philosopharentur. Adeo iste locus Durandi [a], nobis [b] in hoc argumento in praesentia versatis memorabilis videtur, et ad reuocandos ex errorum et praeiudiciorum nebulis lectores accommodus, vt bona lectoris venia, eum hoc loco adscribere non pigeat. Ita vero Meldensis episcopus: „Oportet loqui de mysterio Christi, et vniuersaliter de his, quae „mere tangunt fidem, *conformiter ad ea, quae tradit Scriptura S.* vnde Ioannis V. Christus: scrutamini Scripturas, illae sunt, quae testimonium „perhibent de me. Si quis autem hoc non seruat, non loquitur de mysterio Christi, ac de caeteris directe fidem tangentibus, sicut oportet, sed „incidit in illud, quod Apostolus 1 Cor. VIII. Si quis autem existimat, „aliquid se scire, nondum cognouit, quomodo oporteat illum scire. „Modus enim est non excedere mensuram fidei: de qua dicit Apostolus „Rom. XII. non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei. Quae quidem „mensura in duobus consistit, videlicet, vt non subtrahatur fidei, quod „sub fide est. Vtroque enim modo mensura fidei exceditur, et a continentia S. Scripturae, quae fidei mensuram exprimit, deuiatur. Et „hunc modum, Deo adiuuante, tenere volumus, vt nihil scribamus vel „doceamus S. Scripturae dissonum. Quod si per ignorantiam, vel inaduertentiam aliquid dissonum scriberemus, ipso facto pro non scripto „habeatur.“ His, cum iudicium circa interpretationem *dubiorum* Scripturae S. ad Sanctam ecclesiam Romanam ecclesiam subiecisset, vt obedientiam Romanae ecclesiae demonstraret, praemissis, subiicit: „Modus autem loquendi et scribendi in caeteris, quae fidem non tangunt, est, vt „magis innitamur rationi, quam *auctoritati cuiuscunque doctoris*, quantumque celebris vel solemnis, et parui pendatur omnis humana auctoritas, „quando elucescit per rationem contraria veritas. Quamuis enim captiuandus sit intellectus noster in obsequium Christi, et in his, quae fidem „tangunt, *plus acquiescere debeamus auctoritati S. S. quam cuicunque rationi „humanae*; tamen omnis homo dimittens rationem propter auctoritatem humanam incidit in insipientiam et similis factus est illis.“ Et post pauca: „Compellere, seu inducere aliquem, ne doceat vel scribat dissona „ab iis, quae determinatus Doctor scripsit, est, talem doctorem praeferre „sacris doctoribus, praecludere viam inquisitioni veritatis, et praestare

 „Impe-

a) In praef. L. IV. sentent.

b) Non nos solos esse, qui ad hunc locum attendendum esse iudicauerunt, ex NATALI ALEXANDRI Hist. Eccl. T. VII. p. 154. patet, qui, totum exscribendum esse, recte iudicauit.

„impedimentum ſciendi, et lumen rationis non ſolum occultare ſub mo„dio, ſed comprimere violenter. Nos igitur plus rationi, quam cuicun„que humanae auctoritati conſentientes, nullius puri hominis auctorita„tem rationi praeferimus, attendentes, quod, omnibus exiſtentibus ami„cis, ſanctum eſt, praehonorare veritatem.“ Hactenus Durandus, in cuius explicatione normae, quam ſequendam ſibi eſſe ſtatuit, ſupra modum aetatis ſuae tantopere in his ſaepe delirantis, laudandum omnino eſt I. quod de certo cognoſcendi principio ſollicitus, rectam viam ingreſſus ſit, et damnoſam principiorum cognoſcendi confuſionem euitare ſtuduerit. II. Quod abiecta omni in rebus fidei auctoritate humana quacunque ad vnum Scripturae ſacrae teſtimonium recurrerit, omnemque hominum, quanquam ſanctitatis et eruditionis laude florentium auctoritatem illi ſubiecerit. III. Quod nihil docendum ſcribendumque eſſe cenſuerit in rebus fidei, quod a continentia (conuenientiam intelligit,) Scripturae S. deuiat. IV. Quod iſtius Scripturae S. interpretationem in *iis tantum, quae dubia ſunt*, ad *eccleſiam* catholicam, iſt eſt, *vniuerſalem* eiusque conſenſionem et interpretationem retulerit, et hoc ipſo cuiuscunque hominis, etiam epiſcopi, vel eccleſiae particularis opinionem ſemouerit. V. Quod rationi locum quidem reliquerit, ſed ita tamen, vt in iis, quae fidem tangunt, intellectum captiuandum eſſe cenſeret in obſequium Chriſti, hanc vero captiuitatem ita definiat, *vt plus acquieſcere debeamus auctoritati Scripturae S. quam cuicunque rationi humanae.* VI. Quod fortiter omnem auctoritatem etiam ſanctorum patrum, *quos celebritate condigna ſancta Romana eccleſia ſublimauit*, Scripturae S. teſtimonio et auctoritati ſubiecerit, adducto memorabili S. AVGVSTINI [c] loco: *noli meis literis quaſi Scripturis canonicis inſeruire: ſed in illis et quod non credebas, cum inueneris, incunctanter crede; in iſtis autem, quod certum non tenebas, niſi certum* (ſc. ex Scriptura S.) *intellexeris, noli firmum retinere.* VII. Quae ſobrie quidem omnia praecipit doctor reſolutiſſimus, aſt in caſſes tamen illos ſeculi et ſcholae, in qua educatus erat, vitio incidit, qui non, obſtantibus tam euidentibus monitis, plerosque doctores ſcholaſticos, viros cetera acutos et pie de eccleſia mereri cupientes irretiuerunt. Nempe non eccleſiam tantum Romanam, quam diſerte nominat, cum catholica ſiue vniuerſali eccleſia turpiter confundit, cum iſta quoque non minus particularis ſit, quam Graeco-Africana omnesque, quae C. I. profitentur euangelium, adeoque ſuis ipſe principiis contradicit, quamuis exemplo ſuo docuiſſet, ne pontificem quidem eccleſiae Romanae caput pro eo habendum eſſe, qui in doctrina fidei non aberraret, cuique vt reliquis SS. doctoribus ſine ſcripturae conſenſione aſſentiendum eſſet, ideoque papae ſententiae publice contradiceret, eumque pro authentico ſcripturae interprete non agnoſceret. Sed praeiudiciorum quoque tantorum fonti, vtilitati et honori, quam ab eccleſia Romana acceperat, ipſam rationem

c) L. III. de Trinit. init. T. VII. Opp. ed. Ben.

Digitized by Google

tionem fuam facrificat, et manifeſte docet, quid ipſum in tranſuerſum egerit, vt humanae auctoritati ipſam ſcripturam ſubiecerit. Scribit enim: *quia interpretatio ad Sanctam eccleſiam Romanam ac catholicam pertinet, omnia opera noſtra huius libri et ſequentium eius correctioni totaliter ſupponimus, vtpote qui a pueritia in fide et obedientia Romanae eccleſiae nutriti ſumus, et in Romana Curia in ſcholis ſacri palatii veritatem ſacrae ſcripturae docuimus, et per ſedem àpoſtolicam ad epiſcopalem dignitatem, quamuis immeriti, promoti ſumus* [d]. Habes lector, ſi non prorſus caecus, vel luſcus es, manifeſta praeiudicii, educationis, ſectae, obſequii, emolumenti atque dignitatis exempla, quae virum tanti acuminis in transuerſum egerunt, hodieque tot viros graues et eruditos faſcinant, vt contra ſolem loqui pergant. Quid a vulgo Scholaſtico expectandum eſt? Ignoſcet lector, quod hoc nobili ſpecimine ex hiſtoria Durandi longiuſculo eum hoc loco nimis forte diu detinuerimus. Erit his infra vſus et locus, vbi de fontibus corruptionis doctrinae ſcholaſticae differemus: patebitque, quid expectandum ſit ab illis, qui ideo proteſtantium coetibus cum thraſoniſmo ſcholaſtico inſultant, quod vnicam fidei normam ſacram ſcripturam conſtituunt; in reliquis ad rationem et fidem hiſtoriae prouocant, et caecorum pecorum obſequia Romano-pontificia ſibi imponi non patiuntur. An non qui ſobrie prudenterque ab his ſibi praeiudiciis cauet, recte quoque ingeminat Horatianum illud:

Odi profanum vulgus et arceo!

Sed in viam tandem ad noſtras obſeruationes redimus, et lectori rem omnem ſine praeiudicio examinandam eo magis relinquimus, quo magis in his iudicium interponere poſſunt, qui vel mediocri doctrina imbuti ſunt, modo gaudent iudicio acuto rectoque pectore.

pag. 846. lin. vlt. *Surreienſis cognominatus.* Non confundendus cum Nicolao Occamo eiusdem nationis, temporis et ordinis ſacri theologo et philoſopho, apud Oxonienſes inter Franciſci ſodales celeberrimo, quem, BALEVS [e] ait, *ſophiſticen, ſcatebram vniuerſi mali, quae orbem ſemper miſeris et horrendis ab initio modis perdidit, ſtudiis ſuis ad veritatis eximanitionem nutriuiſſe, vt ex operibus eius liqueat: nempe comm. in Lombardum, quodlibeta ſophiſtica, de latitudine oppoſitionum, aſtrologi iudicium*, de quibus videndus FABRICIVS [f], et ſcriptores literarii Britanni [g].

pag. 847. lin. 6. *Pene ſepultam Nominalium ſectam reſuſcitauit.* Fallitur itaque BALEVS [h], qui alios ſeduxit, quando ſcribit: *Oeconem adinueniſſe illam primum Nominalium ſophiſtarum viam, Realium ſophiſtarum viae omnino aduerſariam, tum, vt nouorum generum litigia creſcerent, tum, vt ad ſalutem per Chri-*

d) Ab hac facie ne hodie quidem viros cetera lynceos et acutos deſciuiſſe, ſi quis miretur, tanta, quae iſtis praeiudiciis exſurgunt commoda et emolumenta recogitet.

e) Cent. V. c. 17. p. 595.
f) Bibl. L. M. T. V. p. 368 ſeq.
g) LELANDVS c. 326. PITSEVS c. 410. Add. WADDINGVS p. 267.
h) loc. cit.

Chriſtum via redderetur difficilior, vel ſaltem, vt ad eam lumen omne penitus abſumeretur. Qua in narratione falſo Nominalium ſectam excitaſſe Occamum dici, infra probabimus, nec videmus quoque, quid Nominalium hypotheſis officiat fidei ad Chriſtum ducenti; aſt altercationum tamen ſcholaſticarum amorem, et contradicendi ſtudium, quod natiuum erat ſcholaſtico gregi, quodque immenſa gloriae, famae, titulorumque cupiditas accenderat, Occamum inflammaſſe, vt ſub cinere latentes huius controuerſiae ignes refuſcitaret, quae facile inter nugas ſcholaſticas, velut caſſae nuces, quibus pueri ludunt, potuiſſent relinqui, niſi humani ingenii ſtoliditas et paupertas hos ex vtraque factione homines armauiſſent, vt in hoc muſtaceo gloriam ingentem quaererent, eſt manifeſtum. Nec ſcopo ſuo excidiſſe Occamus iudicandus eſt, qui cum intermortuam Nominalium ſectam, quam maximi faciebant philoſophi plurimi et theologi, imprimis nationis Germanicae, noua vita donaſſet, ideo nomen Venerabilis Inceptoris, quaſi primus ſapientiae viam ingredi incepiſſet, obtinuit, itemque doctor ſingularis, id eſt, qui ſimilem non habet, dictus eſt, quemadmodum a Germanis quoque et Anglis doctoris inuincibilis nomen et elogium accepit, quod, tradente BALEO [i], *erga Ioannem XXII. R. P. Petri Corbarienſis cauſſam defendens, ad nihilum quaſi deduxiſſe iudicaretur Papae ac praelatorum in temporali dominio poteſtatem.* Illius enim, quam nobiliſſimum hoc argumentum et contentiones Germanorum de imperio, quibus temerario auſu ſe immiſcuerat pontifex Ioannes, excitauerunt concertationis, praeter Michaëlem Caeſenatem et Marſilium Patauinum, dux praecipuus erat Occamus, multosque aduerſarios in eius caput concitauit, quorum tela tamen adeo retundebat inuictus praeliator, vt nec Auguſtinus Triumphus [k], nec Aluarus Pelagius [l], quorum vterque pro Ioanne XXII. contra Occamum ſcripſerunt, *ἐπινίκιον* canendi occaſionem obtinerent. De qua hiſtoriae literariae et ciuilis particula ſcriptores conſulendi, qui Ludouici Bauari, hiſtoriam deſcripſerunt [m], a nobis hoc loco non tangendam.

pag. 847. lin. 12. *Vel eorum principem ſalutant.* Eodem illum ſenſu Nominalium Patriarcham vocat CREVIERIVS [n], quod cum grano ſalis accipiendum, et intelligendum tantum de Occamiſtarum ſecta, quae propriam formabat hypotheſin.

Ibid. lin. 26. *Primas tenet.* Summam libri enarrat FABRICIVS [o], qui eum in manibus habuit, qui videndus. Ipſa hiſtoria illius contentionis inter ſacerdotium et imperium ex eccleſiae et imperii Romani Germanici

i) loc. cit.

k) De hoc celebri archiepiſcopo Nazareno eiusque libro de poteſtate eccleſiaſtica poſt ſcriptores hiſt. lit. Auguſtinianae videndus FABRICIVS B. L. M. T. I. p. 403. 404.

l) Apologia pro Ioanne XXII. aduerſus Marſilium Patauinum et Guil. Occanum. Conf. FABRICIVS l. c. p. 203.

m) Enumerat eos poſt multos alios Cel. HARLINVS delin. hiſt. praginat. I. R. p. 448. et ante illum STRVVIVS bibl. hiſt. T. I. p. 929 ſeq.

n) Hiſt. de l' Univerſ. de Paris T. I. p. 71. 94. Tom. II.

o) Bibl. Lat. med. T. III. p. 466.

Digitized by Google

nici annalibus, vti monitum, repetendà eſt, et ab omnibus fere tractata, quo Sec. XIV. res eccleſiaſticas et ciuiles enarrarunt, ſed diuerſo tamen ſtudio, diuerſo ſcopo, dum, qui Romanae curiae cauſſam agunt, acta et facta Ioannis Pontificis, proprio charactere in medio aeuo memorabilis, mire excuſant, et ſuprematum eius defendere ſatagunt; altera pars ſummorum imperantium in temporalibus poteſtati nemini ſubiectae et abſolutae velificans, vni a Deo in temporalibus quibuscunque principi ſummo eam conceſſam magnis rationibus tuetur, quod, quo pacto in aula Ludouici IV. factum ſit, Bauarici hiſtorici Herwartus et Gewoldus eruditis libris demonſtrauerunt, quibus in compendio accinit Auentinus.

pag. 849. lin. 23. *Quidam Ioannem vocant.* In editionis Venetae, quam prae oculis habemus, ſubſcriptione vocatur Raymundus Suiſeth, in titulo autem Richardus. Scriptores hiſtoriae literariae Anglicanae [p], et cum iis Contiuator *bibliothecae medii aeui Fabricianae* [q] Rogeri nomine adducunt. Hanc varietatem h. l. iam tactam ideo notamus, quod indices literarios inquirentes haec ſynonymia plerumque ſolet offendere.

Ibid. lin. 6. a fin. *Secundum conſuetudinem ſcholae tenuit.* Scripſit, narrante Baleo, *commentarios ſententiarum.*

pag. 850. lin. 16. *Cui calculatoris nomen praefixit.* Editionis huius ἐργοδιώκτης VICTOR TRINCAVELLVS, Venetus Phyſicus, in annalibus literariis medicorum et inter philoſophos quoque Peripatetico-Auerroiſticos celeberrimum nomen, qui editionem ab Octauiani Scoti haeredibus librariis ſibi vehementer commendatam Chriſtophoro Aretino medico inſcripſit, ex qua tamen ſe plus laboris, quam honoris, conſecuturum, ob artis ignorantiam et contemtum ſibi pollicebatur. Addidit in fine ex ſuis lucubrationibus tractationem *de reactione*, iuxta doctrinam Ariſtotelis et Auerrois. Prodiit iſta editio, vt in fine patet, cIↃIↃxx. Venetiis, eſſeque alteram inde colligimus, quia, non modo impreſſa nouiter dicitur, ſed in dedicatione quoque Trincauellus dicit, calculatorem iſtum Anglicum imprimendum datum plurimis mendis ſcatere. Plura de huius libri mature obliuioni traditi, hiſtoria libraria hactenus nobis, valde ad eam attentis, non occurrebant, quae ob inſignem raritatem hoc [r] loco annotare non piguit.

pag. 854. not. p. *Verba ipſa affert BAYLE l. c.* Cum eo omnino conferendus LAVNOIVS *l. c.* [s] qui res huius reginae, de bonis literis et promouendis literariis ſtudiis, etiam dialecticis, praeclare meritae plurimis enarrat. Illi locus dandus eſt in hiſtoria quoque philoſophica Sec. XIV. quia ex domo Nauarrea gymnaſium excitando et opimis reditibus dotando in praeſcripta docendi methodo iuſſit etiam praeter grammaticam et

p) LELANDVS, c. 431. BALEVS Cent. IV. c. 2. p. 456. PITSEVS, c. 576. quem exſcripſit C. DE VISCH. bibl. Ciſterc. p. 272.

q) pag. 339.

r) Vid. MERCKLINVS Linden. renou. p. 1236.

s) T. IV. Opp. p. 296 ſeqq. Locus GVAGVINI exſtat. L. VII. de geſtis Franc. fol. m. 329. edit. Paris. 1510. rariſſimae.

et theologiam, dialecticam docerI, id eſt, ſenſu eius aetatis, philoſophiam: et pro viginti adoleſcentibus burſariis, qui ab excellentiſſimo quodam magiſtro philoſophiae docerentur, larga ſtipendia conſtituit, ex quibus in communione ſcholaſtica (burſam vocabat illa aetas) viuerent: ex quo inſtituto magnos viros emerſiſſe, index eorum probat, quem magna diligentia confecit Launolana diligentia in *hiſtoria eius collegii*. Cuius exemplum eſſe poteſt magnus poſtea atque celebris academiae Pariſienſis cancellarius Ioannes Gerſon, infra adhuc nominandus, qui inter philoſophos, qui Occami et Buridani partes ſecuti, Nominalium ſectae adhaeſerunt, magnum ſuo tempore nomen extitit *f*. Hos omnes cum commilitonibus produxit Occami ſubtilitas.

Ibid. lin. 27. *In dicta reginae Ioannae tempora non quadrant.* Obiit enim illa anno CIↃCCCXXI. quo Buridanus nondum ex ephebis erat egreſſus, circa mediam ſeculi iſtius partem demum cathedrae ſcholaſticae admotus, de quo conſulendi *hiſtoriae vniuerſitatis Pariſienſis* ſcriptores BVLAEVS [a] et CREVIERIVS [b], qui res Buridani in compendio enarrarunt.

pag. 855. lin. 5. *Vrbani ſexti conceſſione acceſſit.* Videndi hiſtoriae academiarum ſcriptores, et inter hos MIDDENDORPIVS [c], qui prima vniuerſitatis molimina ſub Friderico II. Rom. Imp. 1237. ponit, quem ſequuntur etiam alii, ſed primos tantum conatus fuiſſe, et rem tandem 1360. demum confectam, cum prius tantum non concidiſſet, recte obſeruat CONRINGIVS [d]. Ad quod celeberrimi ſtudii generalis incrementum multum attuliſſe Nominalium, qui illuc aduocabantur, partem, facile colligi poteſt, cum omnis eo tempore ſapientia in iſtis ſubtilitatibus quaereretur, quique hanc factionem ſequebantur, acutiſſime diſputarent [e].

Ibid. lin. 5. a fin. *Aliter autem TRITHEMIVS rem narrat.* Comparandus ille locus *annalium Hirſaugienſium* cum eius libro *de ſcriptoribus eccleſiaſticis* [a]. Annum autem 1386. recte a Trithemio aſſignari origini academiae Heidelbergenſis, ex Marſilii hiſtoria ſatis euinci poteſt [b]. Vnde errat MVNSTERVS [c], et qui hunc ſequitur IAC. MIDDENDORPIVS [d], qui annum 1346. ponunt: qui ipſe orationem academiae nomine ad „Bauariae duces adducit, quo dicitur: „Robertum Ducem a Pariſiis ad „ſe accerſiuiſſe primum optimum praeſtantiſſimumque philoſophiae ſacra-

„rumque

f) LAVNOIVS l. c. P. II. L. II. c. 1. T. IV. Opp. p. 514 ſeqq. DVPIN. T. I. Opp. Gerſonis VON DER HARD Hiſt. conc. Conſt. Tom. I. P. IV. p. 24.

c) T. IV. p. 997.

d) Tom. II. p. 360 ſeq.

e) De academiis L. V. p. 299 ſeqq. Eum ſequitur OVDINVS S. E. T. III. p. 64. BVLAEVS, alii, qui Friderici II. Imp. Herculis Muſagetae eius temporis res literarias complexi ſunt. conf. FABRIC. B. L. M. T. II. p. 618. et imprimis I. GOD. SCHMVZERI diſſ. de meritis Frid. II. imp. in rem literariam Lipſ. 1740.

f) Antiq. Acad. p. 156.

a) Buridani ideo et Marſilii aduentus Viennenſis velut fulcrum nouae academiae conſiderandus eſt.

a) c. 648. p. 156.

b) Anno 1376. enim adhuc Pariſiis vixiſſe ex dicendis conſtabit.

c) Coſmogr. L. III.

d) De Academiis L. V.

Digitized by Google

„rumque literarum monarcham Marſilium, huncque multo labore hanc „literariam vineam plantauiſſe, coluiſſe, fructiferamque feciſſe, nec in„genii nec corporis viribus, ſed neque rei familiari peperciſſe, quin opti„me gymnaſium inſtitueret, bona ſemina iaceret, voluminibus locuple„taret, leges ſanciret, monumenta in dialecticis, in phyſicis ac in ſacris „literis poſt ſe relinqueret, quae vel exteri auidiſſime petant, et non par„uo aere ſibi exſcribi curauerint - - plurimos quoque acutiſſimos ſuae „doctrinae ac diſciplinae ſectatores reliquiſſe.“ Quae calamo rectoris vniuerſitatis exarata, fabulam de Marſilio ob Nominalium partes defenſas fuga Pariſiis elapſo et ad Heidelbergenſes Muſas deflectente et occaſione inde data condendae iſtius academiae, refutant. E contrario ex *annalibus academiae Pariſienſis* conſtat [e], tantam Marſilii ab Inghen paulo ante iſtum annum 1386. auctoritatem et opinionem Pariſiis fuiſſe, vt, cum in grauiſſima cauſſa electionis Vrbani VI. legatio Romam mittenda eſſet [f], negotium hoc magnae molis et momenti [g] illi cum reliquis deputatis committeretur. Huic autem academiae Heidelbergenſis conditori illa quoque debet adſcribi ordinatio principum Bauaricorum, *vtiles eſſe pro acuendis ingeniis diuerſas philoſophiantium opiniones ſimul confoueri.* Sed et reliqua in hac hiſtoriae philoſophicae particula Sec. XIII. annotari merentur, quae ad principes ſuos adiiciunt rector et profeſſores academiae Heidelbergenſis, cum hiſtoriae Nominalium magnam lucem accendant, quae ob raritatem libelli [h], pace lectoris huc tranſcribenda putamus. Ita vero pergunt: „Neque Marſilii doctrina, vel modernorum, (Nominalium) „via recipienda eſt, quam non ſolum in magnis Germanorum vniuerſi„tatibus, Viennenſi, Erfurtenſi caeterisque, verum etiam hac veſtra aetate (ſcriptus eſt iſte libellus ad comites Palatinos Rheni, Philippum electorem, filiosque Ludouicum et Robertum 1499.) „apud Pariſienſes certo „conſtat florere ac in pretio eſſe. Eam ſi hic ſuppreſſum iri continget, „gymnaſium veſtrum magna ex parte truncabitur, inque duobus burſis „ſiue collegiis, quae non reddunt paruum vniuerſitatis membrum, deficiet „atque labaſcet. In quibus, ſi alia, quam haec modernorum diſciplina „docebitur, non ad vos quidem, ſed ad alias academias multi in dies di„ſcipuli ab eis, qui viae Marſilianae afficiuntur, indubie transmittentur. „Proſpiciant ergo nobiliſſimae veſtrae manſuetudines incremento gy„mnaſii, iacturam hanc caueant, tueantur ac defendant totam academiam, „ac omnes eius partes ac filias ſub alas protectionis aequa beneuolentia „et communi patrocinio recipiant etc.“ Ex quo memorabili loco fides plenior enaſcitur illis, quae de varia fortuna Nominalium in Germania, in

e) BVLAEVS Tom. IV. p. 466. CREVIER. Tom. III. p. 18.

f) Incidit ea in annum 1376.

g) Vid. FRANC. PAGI Breu. pontif. T. IV. p. 150 ſeqq.

h) Infertus eſt a MIDDENDORPIO l. c. pag. 215 ſeqq.

in ſequentibus diximus; ſimul autem conſtat, quam ingens fama et gloria Marſilio ex hac Nominalium via enata ſit [i].

Ibid. lin. 7. *1396. Fatis eum conceſſiſſe.* Recte id contra Trithemium nec annum, nec diem emortualem Marſilii recte determinantem monere Baellum, ex primo *actorum vniuerſitatis libro, Marta 31. facie 2.* euincitur, cuius locum [k], quia alibi non occurrit, adſcribere non piget: *anno Domini MCCCXCVI. die 20. Auguſti obiit venerabilis vir magiſter Marſilius de Inghen, canonicus S. Andreae Colonienſis, et theſaurarius, fundator huius ſtudii et initiator, in ſacra theologia doctor egregius, qui multa volumina in theologia et artibus, vna cum aliis elenodiis noſtrae vniuerſitati legauit: tunc rector ſepultus apud S. Petrum in choro ante altare magnum, cuius anima in pace requieſcat.*

pag. 856. *In qua cathedra ad Nominalium factionem tranſgreſſus.* Maxima quidem erat Petri cardinalis DE ALLIACO [l] in vniuerſitate Pariſienſi et in eccleſia, et in conciliis quoque auctoritas, et ſummae doctrinae opinio in theologicis, at in dialecticis non minori virtute eminere, et in logica ſcientia excellere credebatur. Et tamen iſta praecliariſſima de eo opinione non obſtante in edicto regio, Ludouici XI. quod fulmina vibrabat in Nominales, vt infra in eorum hiſtoria probabimus, ſeueriſſimo Interdicto non Occami tantum, Buridani, Marſilii ab Inghen, et ſectatorum, ſed Petri quoque Alliaci dogmata proſcribuntur et ex academia eliciuntur. Tanta erat vehementia regii, qui principem in Nominales accenderat, confeſſionarii: qui laudes horum virorum ferre non poterat, vt ſemper inter eos et Reales factum. Petrus autem, narrante LAVNOIO [m], *cum Gallicae nationis procuratorem ageret, circa annum 1372. varios de conceptibus et dialecticae terminis elucubratus eſt commentarios, quibus ſe in Nominalium ordinem congregauit, et ſummorum philoſophorum ſectam communiuit. Animam praeſertim, eius facultates et meteorologica ſuis ita aperuit lucubrationibus, vt nihil eius eſſe poſſit ad inueniendum felicius, vel ad intelligendum facilius, vel ad diſputationem acutius. En fundamenta magnae iſtius exiſtimationis et honoris, ad quem poſtea gradatim aſcendit.* Superaſſe tamen Nominales iſtam inuidiam poſtea dicemus, et plurimum contuliſſe ad haec fulmina auertenda Petri auctoritatem et meritorum gloriam veriſimile putamus.

pag. 859. lin. 6. a fin. *Coniicit IACOBVS THOMASIVS.* Haec non ſatis accurata ſunt, et emendationem poſcunt. Baſilium ſiue Weſſelum Groeningenſem, quem ſua aetas mundi lucem vocauit, a realibus ad formales, ab his ad nominales denique deſciuiſſe tradit Thomaſius, qui ad ipſius epiſtolam ad Ioannem Hoeck prouocat: Nominalium autem fortunam ille ipſe ad Occamum refert, et quidem recte per ea, quae hac de

i) Coniectura autem inde quoque enaſcitur, vixiſſe in aula Palatini electoris, qui Nominalium ſectam deprimere cogitarent.

k) Exhibetur etiam a MIDDENDORPIO l. c. p. 219.

l) Vid. CREVIER. hiſt. de l'Acad. de Paris. T. III. p. 363.

m) Hiſt. gymnaſ. Nauarr. P. III. L. I. c. 4. Tom. IV. opp. p. 508.

Digitized by Google

de re ſupra annotauimus. Itaque verba h. l. *qua occaſione*, non de tempore, ſed de occaſione proprie dicta intelligenda ſunt, non vero trahenda ad Weſſelum. Eum autem has partes ſecutum eſſe, mirandum magnopere non eſt, cum fortuna huius ſectae in Germania, et inuidia, quae Realium ſuperbiam et proteruiam ſequebatur, eam magnopere viris doctis, qui mancipia curiae Romanae, qualia plerique Reales fuerunt, vehementi odio perſequebantur, commendaret.

pag. 860. lin. 8. *Vt ex infra dicendis conſtabit.* Cum ex ſcriptis Weſſeli manifeſtum ſit, eum ſorditiei et loquacis theologiae ſcholaſticae pertaeſum, cum animum non ſatiaret, ad theologiam myſticam magnopere inclinaſſe, ideoque Platoni quoque aurem praebuiſſe, recte inde concludi poteſt, hanc ſyſtematis eius conuerſionem ex his demum fontibus eſſe deriuandam. Ceterum iucundum eſt intelligere, quo pacto Platonicis hypotheſibus vſus Ariſtotelis et Auerrois ſententiam de intellectu agente euerterit, et detecta abſurda hypotheſi Auerroiſtica, intellectum agentem extrinſecum eſſe infimam intelligentiarum, ad primam luminis omnis intelligentiam Deum ſummum intellectus humani lumina reuocauerit. Sed reliqua quoque excutienda ſunt, qua myſticis decretis fundamenta ſuppoſuit, vt hic tranſitus a Peripatetica ſecta ad Platonicam poſſit intelligi. Et huius quidem generis plura conſideratione et examine non indigna exhibet libellus eius *de prouidentia Dei*, magnarum veritatum philoſophicarum et theologicarum plenus, qui tamen ad noſtros limites non pertinet, ideoque eum theologis teſtes veritatis explorantibus relinquimus.

pag. 863. lin. 11. *Farrago rerum theologicarum.* Prodiit iſta collectio anno MDXXII. 4. quam inter reculas noſtras ſeruamus, Wittebergae, non vero anno 1523. f. vt ait Oudinus.

Ibid. not. z. *Fabricius T. II. p. 1.* Pon. Tom. III.

pag. 868. not. z. *FABRICIVS T. IV. p. 374.* Conferri quoque de famoſo hoc aſtronomiae compendio poſſunt ANTONIVS WOOD [a] et WEIDLERVS [b].

Ibid. not. a. lin. 3. *Vitam eius* eleganter enarrauit PETRVS GASSENDVS. *Tomo V. opp. p. 368 ſeqq.*

a) Hiſtor. acad. Oxonienſis L. I. ad ann. 1231. pag. 85.
b) Hiſtor. aſtronomiae c. XII. §. 16. p. 278.

Digitized by Google

AD CAPITIS III. SECTIONEM TERTIAM.

DE NATVRA, INDOLE ET MODO PHILOSOPHIAE SCHOLASTICAE.

pag. 870. lin. 20.

Aequissimis rationibus conuicti arbitramur. Poterat totum hoc caput in hac nostra philosophiae historia omitti, et ad laetiorem eius faciem calamus conuerti; eo quod innumeris exemplis in hac scholasticae philosophiae eiusque doctorum, et fatorum historia euidenter probatum est, non infelicius sidus ecclesiasticam et literariam rempublicam afflauisse, quam quod, decurrente ab ineunte Seculo X. vsque ad XVI. initia fatorum vtriusque ciuitatis periodo, nostram hactenus occupauit Industriam, nisi verum esset, et multorum peruersitate ingenii atque morum probatum, nihil nimis dici, quod dici nimis non potest, ne errorum mancipia maneant, quibus sapientiae coeleste donum destinatum est. Ex eo enim seculo, quod *sui asperitate ac boni sterilitate ferreum malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia scriptorum obscurum appellari recte iudicauit purpuratus Annalium ecclesiasticorum* conditor, grassante non ruditatis et rubiginis ingeniorum tantum vitio, sed aucta in dies quoque per multos annos animorum et literarum peste superbiae, auaritiae, vanitatis et arrogantiae, tantum pudenda barbarie non perditum et consumtum est, quicquid seruandis literis et philosophiae manus adhibere medicatrices poterat. Quae adeo nota et in confesso apud omnes sunt, qui literariam horum seculorum fortunam descripserunt, vt nos in amplissima rerum notissimarum segete sterile spicilegium instituere, et, quae toti orbi literato notissima sunt, docere voluisse possemus censeri, si haec operosius demonstraremus. Itaque potuissemus tantum lectorem ad ea historicae fidei testimonia ablegare, quae cumulate in huius capitis sectione prima et secunda afferenda esse iudicauimus, vt historiae philosophicae, sua constet integritas et perfectio. Nec profecto plura addenda sunt in argumento hodie vbique peruio et noto, et a tot viris doctis, non ex Protestantium tantum coetibus, sed ex ipso ecclesiae Romanae curiaeque pontificiae gremio tractato, vt fabulam actam esse, nemo possit ire inficias; illique, qui huic historiae philosophicae medii aeui luci obstrepere et tenebras obiicere philosophicas atque historicas cupiunt, merito ad Cyclopum antra relegentur. Vnde, cum huius generis nugatoribus, qui historicis tractationibus testimoniorum fide euictis Scholastici scepticismi audacia infelices chartas suas, clypeorum aereorum instar, obiicere, magnasque, ranarum instar, de hoc argumento coaxationes instituere audent, pugnam bonus quilibet detrectat, et luto illos suo haerere atque applau-

Digitized by Google

applaudere ſibi ſinit patienter, pueris, qui naſum rhinocerotis habent, ſpectantibus [a] et vberrime ridentibus. Qualem cum nos ante decennium huius hiſtoriae ſcholaſticae obtrectatorem nacti eſſemus, qui in *tentamine menſtruo*, pro ſcholaſtica methodo contra nos apologiam ſcribere, et, quamuis homo eſſet adeo ἀναλφάβητος, vt ne nomen quidem noſtrum ὀρθῶς ex libri titulo deſcribere noſſet [b], et barbariſmis Grammaticis, logicis, ethicis turgeret, nobis tamen conuitia non modo, et ruſticorum morum proteruiam, ſcholaſticasque vitiligitationes, ſed paedagogicam quoque monachi ex regula ſua modeſtiae et humilitati affixi ſuperbiam oppoſuit, et, quod ſophiſmatibus ſcholaſticis et pugna ventos et aërem verberante non poterat, imprecationibus carnificis et rogi comminatione [c] efficere tentauit. Cuius nomen cum propter venerabilem, cui adſcriptus eſt, ordinem, (cuius diſciplinae, morumque elegantiam tot ſpeciminibus ab ipſis purpuratis eius capitibus nobis probatam iuſto pretio colimus,) indicare nos pudeat, reſpondere inficeto monacho, ſycophantarum more bonos viros aggredienti et canina rabie allatranti, ex amicorum conſilio noluimus, illud Senecae recordati: *noli contendere cum imperitis, nolunt diſcere, quod numquam didicerunt* [d]. Nec reſponſo quoque vllo aduerſus bellatorem andabatarum more pugnantem opus amplius eſſe credidimus, poſtquam doctiſſimi *nouorum literariorum Lipſienſium* collectores duabus tantum paginis [e] tanta eum virtute proſtrauerunt, vt totus ille giganteus Polyphemus apud rerum intelligentes oculo ſuo priuaretur. Quod memorari hoc loco neceſſarium putamus, ne nos ſilentio cauſſae bonae defuiſſe videamur. Cum enim quaecunque de hoc argumento afferri poſſunt, dudum adduxerimus, et hiſtoriae fidem probauerimus, aliud nihil opus eſſe putamus, quam, vt ad declinandam inuidiam, quod haec ad premendam catholicarum ſcholarum famam a nobis ſcripta ſint, teſtimoniorum loca allegemus, quibus eaedem obſeruationes continentur, profectae a viris, qui nunquam Romanam eccleſiam deſeruerunt. Haec enim ſufficient ad fulciendam hiſtoriae fidem nudumque veritatis pectus in hoc argumento aduerſariis inſipidis opponendum, quamuis ringantur ilia Codro. Bonum autem monachum, ſi adhuc ſupereſt, ad ſuae familiae et patriae commilitones, P. VDALRICVM STAVDIGL [f] et VDALRICVM

a) En chartarum menſtruarum titulum: Scholae catholicorum, tum philoſophia, tum theologia propter ſuam, quam in docendo vſurpant, dialecticam, a nota paedantismi, contra heterodoxos, nominatim Iacobum Pruckerum vindicatae, et nouiſſimis diebus per ipſum ill. Wolfium, Chr. Gottſchedium, Io. Ern. Schubertum alioſque modernos Proteſtanticae eccleſiae doctores deſuper non improbatae praeſide. * * Ord. S. P. B. etc. Friſing. 1757.

b) Tota viri inſanientis orthographia intolerabilibus ſoloeciſmis ita peccat, vt ex infimae plebis ruſticis eum ſuam eruditionem hauſiſſe palam ſit. Lectorum, ſi cacatas chartas videndi occaſio eſt, fidem poſcimus.

c) Eum anti-chriſti characterem eſſe, praemonebat Sanctiſſimus, et manſueriſſimus Seruator Ieſus, Io. XV, 2. inde intelligere Lector poteſt, cuius ille filius ſit?

d) Grauius monitum diuinae ſapientiae vide, Lector Prou. XXVI, 5.

e) 1757. n. L. p. 443 ſqq. nos infames paginas Friſing. nſes tunc nondum videramus.

f) Monachum Benedictinum Andechſa. Bauarum ad praeclarum MABILLONII librum de ſtudiis monalticis praefantem, et ſcholaſticam colluuiem miro depingentem candore et aequitate.

WEISSIVM [g] illum Bauarum, hunc Vindelico-Auguſtanum, Vrſinenſem monachum vtrumque fatis nunc functum, vtrumque virum ſani iudicii et candidi pectoris, multaeque doctrinae, et vtrumque Benedicti-ni ordinis in vicinia noſtra ſingulare ornamentum ablegamus, vt ab his diſcat, quanta damna et dedecora habeat ſcabies ſcholaſtica: monemusque huius praeceptoris diſcipulos, vt a tam ſordida diſciplina ſeceſſum facientes, legibus illuſtris Academiae Bauaricae [h], a Sereniſſimo Electore feliciſſimis auſpiciis conditae obſequendo a nugis Scholaſticis manus cohibeant. Ad alia acerbiora, ex media Bauaria [i] opponenda non conuertimur, qui non ſatyrico ſale, ſed ſeueritate philoſophica hoc deteſtabile vulnus ſanari optamus, bonamque mentem atque ſanam omnibus ſincero animo precamur. Aequo autem lectori ſatis eſſe nos daturos credimus, monentes, 1. euictum eſſe teſtimoniis luculentiſſimis virorum ante reformationis tempora viuentium, plerasque illas eruditionis philoſophicae et theologicae, immo iurisprudentiae quoque, medicinae et matheſeos corruptiones et deteſtabilem barbariem, ſcholarum ineptiis deberi, 2. eas quoque ad ſtabiliendam intolerabilem curiae pontificiae ſuperbiam atque auaritiam fuiſſe adhibitas enatumque inde Scholaſticum illud diſputandi genus ſtrigoſum et anceps, et euertendae Scepticiſmo infami omni ſapientiae certitudini aptum, de quo proprie hoc loco quaeſtio eſt. Nempe 3. non accuſari dialecticae per ſe ſtudium, quo commiſſis inter ſe ratiociniis, ſecundum claras et euidentes ratiocinandi regulas de propoſitionum veritate ex principiis ſcientiarum certis et propriis iudicatur, hanc enim dialecticam, vt pars eſt philoſophiae rationalis, ſi ſobrie inſtituitur, non tantum reiiciendam non eſſe, ipſi proteſtantes omnes concedunt, laudant, commendant, ſed hac quoque rationali philoſophiae parte omnes vtuntur, et tot numero eius inſtitutiones ſcripſerunt, nosque ipſos eas inculcaſſe noſſe potuiſſet antagoniſta, niſi Cyclops fuiſſet; ſed eſſe ſermonem de contentioſa illa dialectica, quae ſcepticiſmi filia, nugatoriis contentionibus omnia deformauit. Quod, ne inuidioſe Scholaſticis obiici ab homine proteſtante conqueratur mancipium pontificium, pace Lectoris, teſtimonio viri doctiſſimi, qui inter eccleſiae Romanae aſſeclas magnum nomen obtinuit, LVDOVICI VIVIS [k] totam cauſſam perorabimus. Ita vero Louanienſis academiae doctor: „Quia in qualibet materia Scholaſticis ſtatim altercandum, quaeſita ſunt „ſpinoſa quaedam apta diſputationibus, quae materiam ſuppeditarent ri„xis, et diutiſſime proferrent altercationem etiam in tradendis prae„ceptis artis: nihil ſemel dicunt, ne adimant ſibi argumentandi et in con„trarium dicendi occaſionem; ſed, ſi quam definitionem aut formulam „tra-

g) In bonae frugis pleno libro de intellectu humano.

b) Lege XLIV. LVII quibus nos exleges patuiſſe, gaudemus, hic Rhodus eſt, hic ſaltandum monacho.

i) Prodiit paulo poſt in media Bauaria acerba ſatyra, quae pro auertenda Scholaſtica ſcabie ſupplicationis formulam, Litaniam dicunt, exhibet.

k) De corruptis artibus L. III. p. m. 126. edit. Lugdun.

Digitized by Google

„tradunt, primum confuſe et ruditer proponunt, poſtea paulatim, velut „cogentibus ad id argumenta ratiunculis expoliunt, et crebris tibicinibus „fulciunt, vt denique per longiſſimos verborum circumactus ſit perfe„cta: et queruntur poſtea de prolixitate eorum, qui excultius ſcribunt; „quum ipſi dum vndique anſas argumentorum venantur, id multis pagi„nis vix explicent, quod exponi pauciſſimis verbis potuiſſet. Iam vero „ne deeſſet velut bello huic commeatus, de omnibus anxie inquiſiuerunt, „etiam reconditis et puerilibus, et abſurdis, et de iis, quae capere huma„na mens non poteſt, cum tamen Ariſtotelis ſit in primo topicorum ſen„tentia, neminem ſanae mentis propoſiturum, quod ab omnibus vel re„probatum ſit, vel comprobatum, vel etiam plurimis: haec enim dubi„tationem nullam habent, nam quaeſtio dialectica eſt quaeſtio probabi„lis, non paradoxa: nec contenti iis, quae natura ingenii humani affe„qui et definire poterat, ad viuum voluerunt omnia reſecare, adducti „dulcedine diſputandi. Et quemadmodum, qui pruritus titillatione ni„mium ſcatentes ſanguinem eliciunt, et dolor ſuccedit in locum ſuaui„tatis, et mali chirurgi dum morbidum nimis reſecant, ſanum quoque at„tingunt: ita iſti, dum nimium ſcalpunt, veritatem amittunt, et in fal„ſum incidunt, quod profert ſe maiore aliqua veriſimilitudine, quam „verum ipſum: vt interdum orichalcum magis exprimit colorem auri, quam „aurum ipſum, et qui ſimulat, quam qui agit ſimpliciter, propius ad „imaginem veri accedit, etſi longius a vero ipſo. Hinc eſt acutus ille „Mimi verſiculus, altercando veritatem amittimus.“ Haec Viues, eo dignior fide teſtis, quo magis artem iſtam intime didicerat et longo vſu exercuerat, donec alia illi et meliora lumina exſurgerent: qui in toto illo *libro tertio de corruptis artibus* eſt legendus [1]. De hac dialectica nos locuti ſumus, quam adeo caram habuit, et omnem fere ſapientiam in ea poſuit aetas Scholaſtica, vt Lutetiae vni dialecticae duo impenderentur anni, ceterae autem philoſophiae et de natura, et de moribus et primae philoſophiae vix annus, et etiam de hoc anno aliquid dialecticae decideriint; multi tota vita eaque longiſſima nihil aliud fuerint, quam dialectici. Quam inſaniam cum iam ſuo tempore acriſtilo confoderit IOANNES SARISBERIENSIS, nec negent, qui hiſtoriam celeberrimae vniuerſitatis ſcripſerunt, manifeſtum eſt, toti Scholaſtico aeuo recte imputari. Tacemus plura ſupra iam ex parte adducta, quae his adiicienda ſunt. Quid cum hac ſtrigoſa et contentioſa dialectica, quae philoſophiae quidem vultum fingit, cerebrum autem non habet, dialectica a Wolfio tradita iuſtisque atque ſobriis principiis circumſcripta, qua omnes proteſtantes vtuntur, quibus ſanum eſt ſynciput. Hanc cum noſter antagoniſta non ſequatur, ſed

1) Is libro IV. quoque de corrupta arte rhetorica libris ſeqq. autem de corrupta philoſophia naturae, medicina et artibus mathematicis magnis vocibus differit, et philoſophis ſcholaſticis a duobus vitiis longiſſime impulſis, imperitia, et, quam imperitia gignebat, ſuperbia, obiicit, ea inuexiſſe placita de cognitione naturae, ad quae nec vetulae, nec pueri riſum tenerent. l. c. L. V. p. 161.

ſed more ſophiſtarum et contentioſae dialecticae vocum rerumque definitiones mutando quaeſtionem ratiocinationis praemiſſis ipſique termino, quem vocant, medio immiſceat, immo ſupponat; an non omnes, qui dialecticam intelligunt, deplorabunt, per hanc ſcabiem loco ſanae dialecticae artisque ex veris principiis differendi ſucceſſiſſe vaniſſimam artem, quam in cathedra ſe docere iactat profeſſor philoſophiae Friſingenſis. Verum felici euentu res tandem eo deducta eſt, vt in multis gymnaſiis Romanae eccleſiae adſcriptis, et in cathedris quoque Benedictinorum melior peruicerit philoſophia rationalis, cuius exemplum in WEISSII eximia *de intellectu humano* tractatione, omni commendatione dignum ſupra iam laudauimus: vt taceamus Gallorum, Mariotti, Arnaldi, auctoris artis cogitandi, Mallebranchii, Buffierii multorumque aliorum inſtitutiones logicas et dialecticas, infra adducendas, a quibus ſpectra haec et lemures illi ſcholaſtici ex ſcholis eiecti et ad Cyclopum officinas relegati ſunt. Haec cum libere in tomo IV. P. II. huius operis dudum faſſi ſimus, qua fronte, qua conſcientia nobis hanc calumniam inurit philoſophaſter, quod catholicam Dialecticam perfricta fronte ſimus conuitiati? Cur alienos colores ſuo pullo quaerit, et cur de alliis reſpondet, vbi de cepis quaeritur? Subſcribimus itaque iudicio Lipſienſi, Dialecticum Friſingenſem prodidiſſe, ſe ignorare veram Dialecticam. Quare cum alia defendendi arma illi deſint, isque ad conuitia et ruſticitatem recurrere coactus ſit, manum ab vlteriori examine cohibemus. Fatemur enim, cum iterata attentione has menſtruas chartas legendi neceſſitas hos vrgeret, tantam nos nauſeam occupaſſe, vt illud Ariſtophanis exclamandum nobis eſſet: *δότε λεκάνην.* Itaque ne verbulum quidem his addimus.

pag. 871. lin. 31. *Et CHR. AVG. HEVMANNVS.* Sudes hoc caput et obſeruationes eius de indole philoſophiae Scholaſticae in oculis ſophiſtarum in eccleſia Romano-pontificia (e quorum numero omnes viros doctos recti pectoris et ſapientis, ac ad Lydium rationis lapidem exercitati et probati iudicii heic excipimus, et, cuiuscunque eccleſiae partis opiniones ſequantur, debito eos honore colimus, modo abſint a tumultuantis inſipientiae characteribus) in oculis hactenus fuerunt, qui magnam ſe victoriam obtinuiſſe ſibi perſuaſerunt, ſi illas obſeruationes noſtras, armis non quidem hiſtoricis, quod in quaeſtione de facto neceſſarium erat, ſed dialecticis, iisque non bonis facileque ferendis, ſed ſophiſticis et barbarie atque paedantiſmo grammatico et morali ſtipatis allatrarent. Cum hoc vero hominum genere pugna cum plane ingloria ſit, eo quod, ſiue vincas, ſiue vincaris, ſemper maculeris, ſemel illis triarios [m] in fine huius paragraphi nominatos velut ordinatam arcem opponimus, monentes: horum rationes iuſto praelio proſternant, et ad adducta ex ipſo ſuorum gremio teſtimonia reſpondeant, has tractationes refutent,

m) Ternioni huic addi poteſt CHRISTOPHORI BINDERI tr. de theologia Scholaſtica 1624. editus.

Digitized by Google

refutent, et ſi vlri ſunt euertant. Breuia enim temporis momenta, quae a ſacris munerum laboribus nobis ſuperſunt, non iſtis vitiligationibus, ſed orbis chriſtiani et literarii emolumentis ſacra ſunt. Itaque ſufficiet nobis, his noſtris obſeruationibus teſtimonia addere, quae a viris eruditis proteſtantium coetui non adſcriptis profecta ſunt, vt occurramus inuidiae ſophiſtarum, et conſtet, nos ex proſopolepſia factionis atque ſectae, vel partis odio nihil ſcholaſticae philoſophiae, ex quo diſciplinae habitum et naturam deſeruit, et ſophiſtica eſſe coepit, affinxiſſe. Suademus autem lectori, ſine partis ſtudio, vt decet ſapientiae cultorem, huic argumento perquirendo intento, vt attendat in hac quaeſtione ad ea monita, quae incomparabilis et in his κριτικώτατος IACOBVS THOMASIVS in obſeruatione poſthuma *de theologia ſcholaſtica eiusque initio*, a filio CHRISTIANO THOMASIO edita [o], attulit. „I. In hac quaeſtione de philoſophia et theo„logia ſcholaſtica diſtinguendum eſſe inter virtutem et vitium, h. e. in„ter ea, quae recte, et quae praue gerebantur. II. Ad virtutes referendum, „quod methodo vtique aliqua theologicam de credendis, doctrinam com„prehendere voluerint: quod maximam ingenii contentionem adhibue„rint, quod in diſputando abſtinuerint a conuitiis, licet acerrime inter ſe diſputarent, quas laudes illis a Proteſtantibus tribui, ex GROTII [p] et CALIXTI [q] iudicio conſtare poteſt, quibus merentur multis nominibus noſtri temporis ſycophantis praeferri, qui pro catholica, ita vocant inepti homines, philoſophia ſe non decertare poſſe autumant, nisi miſceantur opprobria et calumniae. „III. Vitia vero diſciplinae et imprimis theo„logiae ſcholaſticae longe fuiſſe plura virtutibus, quo factum etiam, vt „noſtris ſcholaſticae theologiae, (qualis inter pontificios videlicet fuit) „odioſum eſſe nomen coeperit, cum olim Scholaſtici appellatio fuerit „honorifica. IV. Vitiorum horum aliud ad concluſiones pertinere, aliud „ad medios terminos: et ad illas quidem, quod quaeſtionibus theologi„cis ex profeſſo miſcuerint non theologicas, h. e. eas, quae proprie ſpe„ctant ad aliquam partem philoſophiae; quod concluſionibus theologi„cis miſcuerint falſas; quod vtilibus inutiles, iis de quibus facta eſt nobis „a Deo reuelatio, curioſas, ſeriis denique ridiculas [r]. Ad medios termi„nos et eorum diſcurſionem referendum, quod, ſepoſitis fontibus S. „Scripturae, ex imperitia linguarum aliisque cauſſis ad impuros verſionum „riuulos deflexerunt: quod ſaepe in probando plus apud eos valuerint „ſententiae patrum, decreta conciliorum aut pontificum, vel rationes „philoſophorum, etiam ethnicorum, imprimis, qui inter eos regnauit Ariſtotelis (nec lecti in ſua lingua, nec intellecti, ſed ſecundum Auer„roëm

o) Obſ. Sel. T. III. p. 225 ſeqq.
p) De I. N. et G. prooem. p. 11. locum ſupra iam nos exſcripſiſſe, recordamur.
q) Apparat. theol. p. 138. qui vt, in hiſtoria eccleſiae erat literatiſſimus, omnino legi meretur.
r) Legendus, qui exempla cupit, BINDERVS l.c. qui c. 8. p. 84 ſeqq. talium quaeſtionum longum catalogum exhibuit.

„roëm explicati) quam Scriptura S. s). V. Formalem huius corruptio„nis fontem non melius quaeri, quam in commixtione ſacrae theologiae „cum philoſophia gentili: indeque vim illatam, hinc hiſtoriae philoſophi„cae, illinc theologiae orthodoxae. „VI. Occaſiones fuiſſe duas prae„cipuas: alterationem eccleſiae Romanae, et defectionem a religione „puriore ad impuram; alteram exortum philoſophiae Ariſtotelicae in or„be Latino et venerationem eius poſt verſiones nouas operum Ariſtotelis, „maxime ex Arabico, ſicque neceſſe fuiſſe, vt veritas abiret in deterius, „falſitas in melius: atque ſic occaſionem ex vna parte dediſſe religionis „corruptionis, ex altera nimiae philoſophiae Scholaſticae glorificatio„nis etc." Nihil in his obſeruationibus eſt, quod non inuictis exemplis et teſtimoniis confirmet hiſtoria eccleſiaſtica; nihil, quod non dixerint acutiſſimi philoſophi et theologi in gremio eccleſiae pontificiae Romanae nati, educati, et docentes, Eraſmus, Viues, Trithemius, Langius, de Clemangis et innumeri alii, quos hoc loco nominauimus. Nos ſpectatores pugnae ſumus, noſtraque ſorte gaudemus.

pag. 872. lin. 22. *In ſecunda et tertia innumeris modis aucta ſunt.* Operae pretium erit, ad confundendum barbarae philoſophiae *ἀναισθησίαν* eruditiſſimi hiſtoriae academiae Pariſienſis epitomatoris CREVIERII, celebris iſtius academiae Pariſienſis doctoris emeriti obſeruationes hoc loco adducere t). Monet is, praeeunte duce ſuo BVLAEO u), in antiquo ſcholae „iſtius tempore, dialecticam cum arithmetica, muſica, geometria et „aſtronomia totum philoſophiae curſum abſoluiſſe: dialecticam vero ſo„brie et cum ſimplicitate fuiſſe tractatam. Remigium Antiſſiodorenſem „explicuiſſe libellum de categoriis, qui tunc Auguſtino tribuebatur; tan„tam autem venerationem religionis fuiſſe apud doctores ſcholaſticos, vt „etiam in iis, quae indirecte tantum religionem tangere videbantur, e. c. „ſelectu auctorum iuuentutis ſtudiis deſtinatorum, chriſtiana praeferren„tur profanis, et improbaretur Virgilii lectio et explicatio. Seculum „autem XI. ab hac ſeueritate receſſiſſe, et non dubitaſſe Ariſtotelis dia„lecticam Auguſtinianae praeferre. Quamuis enim ſatis diu iam notus in „Gallia eſſet Ariſtoteles, in quem nono iam ſeculo commentati ſint Man„noti et Ioannes Erigena v), ſeculo autem X. nonnulli doctores praelectio„nes haberent in libros *de interpretatione et topicos*, in genere tamen pa„rum eam aetatem ad hunc vſum attendiſſe, nec multum Ariſtotelis no„men inclaruiſſe: Sec. XI. autem fortunam eius efflorescere coepiſſe, al„latis ex Hiſpania operibus Ariſtotelis, vbi Arabes magni ea faciebant. „Pla-

s) Mire fluctuat in his pingendis, excuſandis et fuco inducendis caſtiſſimae eloquentiae ſcriptor VAVASSER. orat. quid ſcripturae interpretes ſcholaſtice iuuet. Opp. p. 240. qui tamen more ſuae ſocietatis quaeſtionis ſtatum ſubdole mutat; quis enim ſanum vnquam dixerit philoſophiam rationalem ſ. logicem interpreti Scr. S. non prodeſſe? quis ſyſtematicam docendi methodum in theologia et philoſophia improbauit? quis iuſto ordine philoſophari prohibuit? Verum indicium hoc eſt malae cauſſae, quaeſtionis ſtatum ſtudio corrumpere.

t) Hiſt. acad. Pariſ. T. I. p. 88.

u) Hiſt. Acad. Pariſ. T. I. p 349. 635.

v) Hiſt. literaire de la France L. IV. p. 246 ſeqq.

Digitized by Google

„Placuiſſe nimium quantum, et beneuole excepta eſſe in ſcholis et excl-
„taſſe ſenſus iucunditatem ex ſubtilitatibus, et ἀναλύσεως quinta quaſi eſ-
„ſentia, modum et artificium cuncta definiendi et diuiſiones atque ſubdi-
„uiſiones multiplicandi, vbi argumentum in minimas particulas diſſectum
„intellectus oculis ſubducitur, tandem diſputandi pruritum artemque
„eludendi veritatem per diſtinctiones friuolas. Quanquam autem
„iſti naeui omnes Ariſtoteli adſcribi tribuique nequeant, negari ta-
„men non poſſe, quod ſit ſubtiliſſimus, aptusque his malis effecti-
„bus auctor illis, qui eum vnicum ſibi ducem deligunt. Huic malo
„deberi natales ſectae Nominalium, quae ſimul cum hac Galliae philo-
„ſophantis inclinatione enata ſit.“ Verum et ſequentibus, quae corda-
tus hiſtoricus perſequitur, lectoris patientiam exoramus, cum meridiana
luce clarius ſcholaſticam iſtam ſcabiem, (quam nos ſummis tantum di-
gitis tetigiſſe his philoſophis tantos dolores et clamores expreſſit) expo-
nant. „Poſtquam enim obſeruaſſet [x], Roſcellinum gloriae aucupandae
„ſtudio in eam, cuius praecipuus auctor creditur, ſententiam velut in
„retia incidiſſe, ambitionem ſemper deprehenſam eſſe ſcopulum ſtudio-
„rum philoſophicorum, quae non ſine ratione Cicero vocauerit *prae-*
„*potentem et glorioſam philoſophiam*: ex hac autem mentis affectione, a
„qua quidem non omnes philoſophi ſeducantur, quae regnauerit tamen
„ſeculo XI. et XII. enatum eſſe contemtum humaniorum literarum, quae
„circa puritatem et elegantiam ſermonis verſantur. Cum enim opinione
„meritorum philoſophiae huius turgerent hi doctores ſcholaſtici, nihil
„aliud ipſis, quam ſua placuiſſe, nec ſenſiſſe arcta inter dicendi bene et
„eleganter, et inter philoſophiam vincula atque connexionem, ſine qua
„eruditionis perfectio non poſſit obtineri: quia, vt rerum cognitio neces-
„ſaria literis eſt, ne ſermones ſint vacui, et ſine mente ſoni, ita ex al-
„tera parte amoenitas literarum et elegantia impediat, ne in ſterilitatem
„et barbariem degenerent [y]. Illud autem ſingulare eſſe, quod nonnulli
„eorum, qui ſe aliis plus valere credebant, omnem philoſophiam vnius
„dialecticae circulo concluſerint, cum tamen aliarum ſcientiarum inſtru-
„mentum tantum ſit, et quod eandem dialecticam adhibuerint ad quae-
„ſtiones non inutiles tantum, ſed pueriles quoque et ridiculas. E. c.
„Examinaſſe eos ſerio et prolixe, vtrum porcus, qui ad forum venalis
„ducitur, teneatur a fune, quo ducitur, an ab homine, an qui, totum ca-
„pitis tegumentum emerit, caputium quoque coëmiſſe cenſendus ſit. Et
„cum duae negationes Latino ſermone fortius affirment, ita de negatio-
„nibus pueriliter luſiſſe, cum in phraſibus plures occurrerent, vt plane
„non poſſent intelligi, et, vt ad definiendum numerum harum negatio-
„num, et concludendum, an propoſitio ſit affirmatiua vel negatiua, pon-
„dere aliquo e. c. fabis minutis opus fuerit, vt poſſent numerari: et

 „huius

x) loc. c. p. 95. y) Conf. Bvlaevs T. I. p. 518.

„huius dialecticae respectu omnes alias scientias eos contemsisse, maxime „vero rhetoricam solidis ratiociniis instructam, et iuuentutem a bonis „auctoribus antiquis cohibuisse.“ Hodie vero in cathedris scholasticis (quas quidem principum et praelatorum cura passim in dies magis emendari suoque nitori restitui gaudemus, et ad Tomi IV. partem secundam monebimus) easdem adhuc sordes haerere, discat Lector ab eruditissimo et elegantissimo scriptore Viennenti, ipso quoque ecclesiae Romanae addicto, et nobilitate generis conspicuo, qui sub nomine, Biccolo ad declinandam inuidiam latere voluit, qui integra tractatione Gallico sermone conscripta, et in vernaculam nostram conuersa [a], de futilitate methodi scholasticae, quae in scholis catholicorum in Germania vrgetur, rem omnem luculentissime confecit, et acri sale hos homines perfricuit, cuius ad Tomum vltimum iterum mentio facienda est. Ast iam manum de hac tabula retrahimus, quam nobis extorsit Frisingensis dialectici nugacitas et desipientia. Nos scholasticae iuuentuti, quam seducere nos voluisse, ille calumniatus est, illud Martialis [a] accinimus:

Turpe est difficiles habere nugas
Et stultus labor est, ineptiarum.

Ita vero concatenato ratiociniorum nexui et methodo, quo nomine nos aduersarius accusauit, nihil detrahitur, quam sub methodi mathematicae nomine in protestantium scholis amplissime resonare, demonstrauit cl. Georgivs Friedericvs Meyervs [b], philosophus Halensis. Subscribimus autem haut illibenter sententiae Hermanni [c] monentis, non simpliciter vitio vertendam Scholasticis coniunctionem philosophiae cum theologia, sed, γνῶσιν ψευδώνυμον reuelationi fuisse immissam, nugatricem non modo et strigosam, sed corrumpendae quoque reuelationis castitati aptissimam, quam theologiam sua curiositate foedare coepisse Abaelardi tempore, supra ex Trithemio probauimus.

pag. 876. lin. 33. *Vel ordinis potius, qui ei praerat scholastici.* Prouocamus ad luculenta testimonia virorum ecclesiae Romanae addictorum, quae cumulauit Tribbechovivs, et imprimis consilium cardinalium de emendanda ecclesia Paulo III. exhibitum, quo ita scribunt: *abusibus velut morbis grauissimis iam pridem ecclesia Dei laborat, ac praesertim haec Romana curia, quibus effectum prope est, vt paulatim ac sensim ingrauescentibus pestiferis his morbis magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam sanctitas Tua Spiritu Dei erudita, qui, vt inquit Augustinus, loquitur in cordibus nullo verborum strepitu, probe nouerat, principium horum malorum inde fuisse, quod nonnulli pontifices, tui praedecessores prurientibus auribus, vt inquit apostolus Paulus, coaceruarunt sibi magistros ad desideria sua, non vt ab eis*

a) In noua Bibl scient. et art. liberal. T. IX. p. 156 seq. 245. 536. 402. 524.
a) L. li. ep. 86.
b) Log. Germanice editae P. I. s. 10. et plerique institutiones phil. rationalis, e. c. Cel. Holtmanni.
c) Praef. ad Tribbechovivm de Dd. Schol. pag. 25 seq.

Digitized by Google

eis diſcerent, quod facere deberent, SED VT EORVM STVDIO ET CALLIDITATE INVENIRETVR RATIO, QVO LICERET ID, QVOD LIBERET: *inde effectum eſt, praeterquam quod principatum omnem ſequitur adulatio, vt vmbra corpus difficillimusque fuit aditus veritatis ad aures principum, quod confeſtim prodirent doctores, qui docerent, pontificem eſſe dominum beneficiorum omnium, ac ideo eum iure dominus vendat id quod ſuum eſt, neceſſario ſequi, in pontificem non poſſe cadere Simoniam, ita quod voluntas pontificis, qualiscunque ea fuerit, ſit regula, qua eius operationes ac actiones dirigantur: ex quo procul dubio efficitur, vt, quicquid libeat, etiam liceat* etc.

pag. 876. lin. 37. *Rhabanus Maurus, Ioannes Scotus, Erigena.* His iungendi Almarius, et imprimis Ratramnus, cuius contra hoc dogma aggreſſiones in libro *de corpore et ſanguine Domini* adeo graues ſunt transſubſtantiationis promachis, vt in omnes partes ſe vertant, vt hoc telum effugiant, inuita arte critica, inuito facti teſtimonio; qua de re videndus IAC. BASNAGIVS [d] et Io. FR. BVDDEVS [e], monente G. CALIXTO [f].

Ibid. lin. penult. *Illud excuteretur.* Nempe prout cogitationes doctorum veterum ad aliud aut aliud, quod in ſanctiſſimo hoc myſterio conſiderandum occurrit, conuerſi fuerunt, ita quoque locuti ſunt. Conſiderantes itaque analogiam et ſimilitudinem, quae inter panem et corpus Chriſti intercedit, benedictum panem ſymbolum ſiue figuram corporis aliquando appellarunt. Conſiderantes autem ex ipſius Chriſti ſcito et voluntate, cum hoc pane ita coniungi corpus Chriſti, vt, ſumto pane, ipſum quoque ſumatur, et proinde idem eſſe, ſumere hunc panem et ſumere corpus Chriſti; atque adeo fieri non poſſe, vt, ſumto hoc pane, non ſumatur corpus Chriſti: inde factum, vt nonnulli, quum arctiſſimum hunc nexum altius in animum demitterent, ad eum exprimendum dicerent, panem iam non eſſe panem, nempe nudum, ſed conuerſum eſſe in corpus Chriſti, etiamſi ſit, quod erat, vt Ambroſius, nec recedat a ſua natura, vt Theodoretus, nec deſinat eſſe ſubſtantia panis, vt Gelaſius aſſerit; ſed ita loquuti ſunt, hanc, quam diximus, ob cauſſam, quod videlicet non queat fieri, quin, ſumto pane euchariſtico, ſumatur corpus Chriſti [g]. Qui recte porro et appoſite monet: „poſteriora et ſequiora demum ſe„cula ad determinandum praeſentiae modum, a quo priora et meliora „abſtinuerant, deſcendiſſe: et cum ambitio pontificum multorumque e „clero aliorum indies augeſcere coepiſſet, in eccleſia Romana eum mo„dum proponi, qui ad dignitatem antiſtitum et cleri ſuper alios omnes „euehendam plurimum facere videretur, nempe quod magnam credide„rint eminentiam presbyteri, ſi e pane verbis ſuis Chriſti corpus valeat „efficere. Hanc mutationem nouo vocabulo transſubſtantiationem ap-

d) Hiſt. de l'Egliſe L. XVI. c. 7. p. 931. e) Iſag. in hiſt. theol. L. II. c. 7. p. 1112 ſeqq.
f) Diſſ. de transſubſtant. §. 92. quae tota meretur ob perſpicuitatem et ſoliditatem legi.
g) Hinc vocabula μεταβολή, μεταποίησις, μετασκευάσεως veteribus vſurpatae.

„pellauiſſe, quod primum occurrat apud PETRVM BLESENSEM h)." Et hoc tamen non obſtante ſupra Rupertl Tuitienſis exemplum adduximus, qui in S. Coena hypoſtaticam quandam vnionem afferendo, a *μετα-σίας* dogmate longe abiit. Illius enim *ἀσύχατα* virl acuti, qui naſum habebant, nunquam concoquere potuerunt, ſcholaſticis ſuis diſtinctiunculis oleum camino addentibus. Plura de his dabunt theologl polemicl.

pag. 877. lin. 7. *Dominantis religionis auctoritatem defendiſſe.* Hoc ſi vnquam factum, certe vel in ſola Ioannis XXIII. cum fratricellis Franciſcanisque ſpiritualibus fratribus controuerſia probat; tota enim illa de re nihili et multis logomachiis referta quaeſtio potuiſſet ſopirl, niſi interfuiſſet pontificis, ſupra modum pecuniae et diultiarum corrodendarum cupidi, vt de ſua ſententia ne latum quidem vnguem decederet.

pag. 878. lin. 20. *Quem hic exſcribere nolumus.* Vnum tamen magni theologi locum ex Launoio repetemus, vt ſcopo nos noſtro, aduerſario incomto et illiterato ſuos homines loco apologiae et reſponſionis opponendi, fiat ſatis: Ita vero candidus et eruditus praeſul i: *alterum eſt vitium, quod quidam nimis magnum ſtudium multamque operam in res obſcuras et difficiles conferunt, easque non neceſſarias - - noſtri theologi,* (Scholaſticos homines intelligit) *importunis vel locis longa de his,* (a quibus Porphyrius abſtinuit) *oratione differunt, quae nec iuuenes portare poſſunt, nec ſenes ferre. Quis enim ferre poſſit diſputationes illas de vniuerſalibus, de nominum analogia, de primo cognito, de principio indiuiduationis, de diſtinctione quantitatis a re quanta, de maximo et minimo, de infinito, de intenſione et remiſſione, de proportionibus et gradibus, deque aliis huiusmodi ſexcentis, quae ego etiam, cum nec eſſem ingenio nimis tardo, nec his intelligendis parum temporis et diligentiae adhibuiſſem, animo vel informare non poteram. Puderet me dicere, non intelligere, ſi ipſi intelligerent, qui haec tractarunt.* Sed merentur eae quoque apud ipſum legi, quae Launolus adiecit, et quae IOANNES MALDONATVS ſcripſit, quae rem clare conficiunt, et haec ſpectra ex philoſophiae ſobriae hortis relegant.

pag. 879. lin. 28. *Sed ſpiritui quoque applicari poteſt.* Fatemur tamen, hoc pacto Nominalium et imprimis Occamiſtarum ſententiae exiguum commodum enaſci. Cum enim plerique Auerrõis ſententiam de vno intellectu agente ſequerentur, indiuiduationis principium, quod in idea ſingulari recte quaerebant, ad materiam quidem reuocando, totum tamen complexum ideae pro iſto principio admiſerunt; aſt dum ex materiae modificatione et dimenſione corporis identitatis rationem exſurgere concedebant, vniuerſalem illum ſpiritum ſimul in partes diſcerpere, et cuiuis particulae portiunculam tribuere coacti ſunt. Nempe has tenebras ſequebatur nox ſeptentrione obſcurior.

Ibid.

h) Ep. 140. ſerm. 38.

i) Loco ſupra in textu citato. Dici non poteſt, quam mire theologi ſcholaſtici in hoc argumento fluctuauerint. vid. LOMBARDVS ſent. Diſt. 10. 11. 14.

Digitized by Google

Ibid. lin. 34. *Magnam tricarum Scholaſticarum partem huic potiſſimum fonti deberi.* Repetenda hoc loco, quae ſupra §. *XVII. ſectionis ſecundae huius capitis* adduximus, et memorabili *Matthaei Pariſienſis* loco probauimus.

pag. 882. not. x. *In rariſſimis Qq. in Geneſin.* Monendus obiter hoc loco lector eſt, in plerisque *Qq. in Geneſin* exemplaribus folia iſta eſſe abiecta, et alia ſuppoſita: vnde prima tantum non omnia euanuerunt. Caſu itaque factum eſſe putamus, vt in noſtro, quod inter reculas literarias aſſeruamus, exemplari vtriusque folii exemplum, reiectum et ſurrogatum deprehendatur. Cuius cauſſam quidem veram dicere non habemus, ſuſpicamur autem, vel ipſum Merſennum inepto zelo rogum et gladium pro atheis poſcendo et de inſigni Galliae atheiſmo conquerendo famae maculam ſibi contrahentem medicinam afferre voluiſſe: vel ſuſtuliſſe cenſores paginas in Gallici nominis ignominiam ſcriptas. Sublata autem folia ob inſignem libri raritatem nonnemo recudi fecit in *bibliothecae Gallicae* [k] libello menſtruo.

pag. 887. lin. 31. *Illa peſtilens confuſio progreſſa vbique imperaret.* Quale Ariſtotelis fatum Pariſiis habuerit, poſt Launoium et Bulaeum, diſcendum a doctiſſimo CREVIERIO [l], qui non ſolum errores ex hac Ἀριστοτελομανίᾳ enatos recenſet [m], ſed inſaniens quoque eius ſtudium paſſim notat [n].

pag. 890. lin. 8. a fin. *Quos et vita et fama perſequi et premere non erubuerunt.* Non luculentiora huius ſpiritus perſecutorii, qui verus antichriſti et morologiae Satanicae character eſt, exempla putamus ſuppeditare poſſe quemquam, quam ſcholaſticae philoſophiae et theologiae hiſtoriam; ex hactenus narratis enim ſole meridiano clarius id conſtare putamus, Lectorique Abaelardi exemplum in memoriam vocamus, vel Nominalium perſecutiones infra memorandas intueri iubemus, quae ab vno regis Galliae confeſſionario excitatae, aulam pariter Gallicam et ſedem Romanam concuſſerunt; et fratricellorum quoque perſecutiones cogitare iubemus, in quibus ob controuerſiam ſola praeciſione logica dirimendam militiae Franciſcanae commilitones quidam Auenione igne exuſti ſunt.

Tantum barbaries potuit ſuadere malorum.

pag. 891. lin. 28. *Non contemnendum egregiarum obſeruationum faſciculum ita poſſe comprehendi.* Erit haec obſeruatio clypeus nobis contra infenſos calumniatores, qui hac hiſtoria ſcholaſtica nos dicam voluiſſe ſcribere ingeniis magnis, ipſique eccleſiae maculam affricare, neſcimus, ex incogitantia vel calumnia clamauerunt. Nos, qui a iuuentute partium ſtudium odio habuimus, et ſemper ab hac ſcabie animum cohibuimus, et in quaeſtione facti vnam nobis, vel αὐτοψίαν, vel teſtimoniorum fidem atque

k) Vol. XXXIV. P. I. art. 7.
l) Hiſt. de l'Academie de Paris. Tom. I. pag. 232. 240.
m) Tom. II. p. 42. 43.
n) T. III. p. 187. Tom. IV. p. 190. 192. 363. Tom. V. p. 266.

Digitized by Google

atque euidentiam regulam ſcripſimus, et hoc quoque animo velut clypeo tecti exiguos catellorum latratus contemnimus.

pag. 894. lin. 32. *A grex et gorae.* Pertinet ad haec obſeruata hoc loco immania Dialecticae Scholaſticae vitia inſanum in vtramque partem diſputandi et rationes rationibus incerta alea opponendi ſicque velitationes (belli enim nomen non meretur) ſcholaſticas inſtituendi cacoëthes, quod nominatiſſimae in horum philoſophaſtrorum palaeſtris voculae, *Vtrum*, et *An* produnt, quae riſibus et ſibilis prudentium eos expoſuerunt, et inter duas rationes oppoſitas nihil ſtatuendi conſilium exagitandum propinauerunt. Hoc cum aſino Buridani comparat ingenioſiſſimus BAYLIVS *), applicatque illi feſtiuos perſonati MERLINI COCCAII verſiculos *), quos, pace Lectoris, quem inter dumeta ſcholaſtica diu forte cum taedio quodam inuiti detinuimus, ad ſoluendos riſus, propter libelli raritatem integros deſcribimus

Logici:

Iſta quidem Zuica eſt animabus plena togatis,
Quas quidem logicos reputarunt eſſe profundos,
Aſt amiſerunt cerebrum per mille batanas
Aut homines aſinos dicunt, aut eſſe cauallos,
Extinguique ſitim iactarunt carne ſalata.

Vtrum

Inter eos ſtabat vir quidam corpore duplex
Qui ſuſtenatur binis tantummodo gumbis
Dicitur hic, VTRVM, dubioſis ſenſibus implens
Hereticosque facit, negat hanc, probat hunc, tenet illam
Et ſibimet diris ſemper dat verbera verbis.

Quae ita, cum Friſingenſis ſcholaſtici, carnifice et rogo armati furores legeremus, eius imaginem in animum reuocarunt, vt tantum non riſu ſolutis accideret, quod Eraſmo epiſtolas obſcurorum virorum legenti. Verum, ne haec iocis tantum conficere velle videamur, ad illuſtre ſcholaſtici coeli ſidus, *ſententiarum magiſtrum*, qui ſubtilitatibus ſuis archiepiſcopatum Pariſienſem conſequutus eſt, prouocamus, et harum cupediarum appetentem Lectorem ad famoſiſſimum *librum ſententiarum* ablegamus, vbi *diſtinctionibus ſex, octaua* ſcilicet et ſequentibus *vsque ad decimam quartam*, opinionem de transſubſtantiatione, quae in Latina eccleſia radices iam egerat, ceteris reliquis praefert, et ita pro ea diſputat, vt non tantum prodat, admodum antiquam eam non eſſe, multisque parum placere, et variis ac inextricabilibus difficultatibus et dubiis premi, minime diſſimulet, ſed ita incertus de dogmate, in quo cardinem verſari Romanae eccleſiae, eius clues credunt, differit, vt neſciat, qualis ſit iſta conuerſio panis in carnem, et vini in ſanguinem, an formalis, an ſubſtantialis,

*) Dict. T. I. art. Buridan. not. A. p. 509. *) Macaron. XXV. p. m. 490 ſeq.

Digitized by Google

tialis, vel alterius generis, et fateatur, definire se non posse.. Quibus mox rationes addit, cur nec formalis dici queat, nec substantialis, nec efficiens, et *cur quidam putent, substantiam panis et vini manere, et ibidem corpus Christi esse et sanguinem, et hac ratione dici, illam substantiam fieri istam, quia, vbi est haec, ibi et illa.* Similiter de subiecto quaerit, et de accidentibus in sacramento, quae remanent, id est, de speciebus, et sapore et pondere, in quo subiecto fundentur, et probabilem sibi opinionem esse, ait, *existere sine subiecto*, quam esse in subiecto, quia ibi non est substantia nisi corporis et sanguinis Domini, quae non afficitur istis accidentibus. Addit quaestionem, num corpus Christi frangatur et diuidatur in S. eucharistiae sacramento, quemadmodum ex praescripto Nicolai II. profiteri iussus Berengarius, an nihil, sicut alii dicant, quod sicut ibi species panis est, et non est ibi res, cuius vel in qua sit eius species, ita ibi sit fractio, quae non fiat in aliqua re, quia nihil frangitur, an vero accidentia, quae ibi sint sine subiecto, licet quidam afferant, ea fundari in aëre. Habes, Lector, luculentum disputationis in incertas rationes deductae specimen, ex quo, si sapis, intelligere potes, ad quid vtiles sint nostrae obseruationes de philosophia et methodo scholastica. Alia in tractatione historico-philosophica scopus tractationis non admittit.

pag. 896. lin. vlt. *Magnum olim Augustae nostrae sidus, Marcus Welserus.* Paulo plenius rem istam enarrauimus, *supra ad pag. 606. huius Tomi*, qui locus videndus. Facile autem Bonifacio haec ignorantia rerum cosmologicarum posset ignosci, si a persecutione sibi temperauisset, nec Zachariam Pontificem seduxisset, vt brutis fulminibus contra argumentum, cuius ne particulam quidem aliquam intelligebat, detonasset. Ast cum vterque Pontifex, Romanus et Moguntinus de rebus sibi incognitis decretoriam sententiam edixerint, merito veluti prototypa Scholasticae intemperantiae atque desipientiae contra bonas literas et philosophiam debent in theatro historiae philosophiae collocari, licet ringantur illa Codro.

pag. 904. lin. 6. a fin. *Cum nihil noui afferant, silemus.* Comparandi de hac Nominalium et Realium concertatione, dissidiis, controuersiae momento, et sectarum harum fortuna varia in academia Parisiensi, cui natales et patriam debet, scriptores historiae eius diligentissimi Bvlaevs [q] et Crevierivs [r].

pag. 905. lin. 9. a fin. *Secundum in re, tertium post rem.* Difficilis intellectu Scholasticorum disputatio de hac materia illis, quibus abstractae eorum notiones peregrinae sunt. In quorum gratiam vt illustrationem obscuri argumenti addamus, tenendum est, diuersas istas sententias originem

q) T. IV. p. 705 seq. T. V. p. 746.
r) T. I. p. 71. 94. T. II. p. 334. 359. Tom. IV. p. 307. 359. 391.

ginem ſuam habere a notione vniuerſalis incomplexi, quod quum vnum tantum ſit in ſe, ad plura tamen pertinere poteſt multis modis. Vel enim ad plura dicit, ordinem cauſſae, et ſic eſt vniuerſale in cauſſando, vt Deus, qui, licet in ſe vnum quid ac ſingulare ſit, quia tamen ad plures effectus ſimul concurrit, dicitur cauſſa vniuerſalis. Vel dicit ordinem imaginis, ſiue ideae, et ſic eſt vniuerſale in repraeſentando, vt ſpecies impreſſa et conceptus formalis: quae licet in ſe ſingularia ſint, rem tamen in vniuerſali repraeſentant. Vel dicit ordinem ſigni, et ſic eſt vniuerſale in ſignificando, vt vox: homo, quae rem vniuerſalem ſignificat. Vel denique dicit ordinem ad eſſe, et ita vocatur vniuerſale in eſſendo, a quo vniuerſale in praedicando non differt, niſi nomine habitudinis et rationis. Quod enim per identitatem aliquam in multis eſt, id de multis etiam poteſt praedicari: et ratione prioris et in ordine ad eſſe, ſolet proprie vocari vniuerſale, in ordine autem ad praedicationem, praedicabile. Hoc vniuerſale autem in eſſendo diuiſerunt Scholaſtici in metaphyſicum, phyſicum et logicum, vel, quod eodem recedit, in vniuerſale ante rem, in re, poſt rem. Vniuerſale metaphyſicum vel ante rem, ſi vere datur, eſt natura quaedam a ſingularibus auulſa, et independens ab operatione intellectus, communicabilis pluribus et de iis praedicabilis. Dicitur *metaphyſicum*, quia abſtrahit a mutatione et accidentibus ſenſibilibus, ſecundum eſſe, cuiusmodi res metaphyſica potiſſimum conſiderat, ante rem autèm dicitur, quia eſt ante ſua ſingularia, quae per ipſum fiunt, vt per impreſſionem ſigilli multae fiunt ſigillationes. Vniuerſale phyſicum eſt natura vniuerſalis, prout in rebus exiſtit, idque vel materialiter tantum, quatenus natura in rebus exiſtens poteſt per intellectum abſtrahi a conditionibus indiuiduantibus, et vniuerſalis denominari, vel vt exiſtat natura actu vniuerſalis, ſecluſa omni intellectus vniuerſalis operatione, quorum prius Thomas ſtatuit, poſterius Scotus. Vniuerſale hoc phyſicum dicitur, quia, quum in rebus vniuerſalibus exiſtat, obnoxium eſt mutationi et accidentibus ſenſibilibus, quibus phyſica conſiderandis occupatur. Vniuerſale logicum eſt natura ſpecifica vel generica, quatenus a ſingularibus per intellectum abſtracta eſt, ſiue ſit realiter vna in pluribus, ſiue non. Et hoc quidem obiectum diſputationis dialecticae inter Reales et Nominales eſt, quam cum ad veterum Graecorum ſcholas retuliſſent, longa de his vniuerſalibus ante rem controuerſia enata eſt, quo pacto, vel Plato, vel Ariſtoteles, vel Zeno quoque ad principia rerum retulerint, de qua re, cum alibi iam tractauerimus, cramben, ne mors fiat, bis ponere nolumus, haec autem ad huius controuerſiae adeo longae et illuſtris hiſtoriam illuſtrandam afferre ideo voluimus, vt obſcurius dicta vel viſa nonnullis clariorem lucem accipiant, et ne videamur inuidioſius has dapes ſcholaſticas, quibus hactenus ad naufeam vsque paſcimur, noſtris lectoribus inuidere voluiſſe. Qui ſi plura, quam quae heic appoſuimus, fercula cupiunt, inuenient apud PAVIVM SLEVO-

Digitized by Google

SLEVOGTIVM [s] eruditum superioris seculi philosophum et philologum Ienensem plura mira claritate explicata, quae ad argumentum de vniuersali ante rem pertinent, illudque in luce ponunt. Deprehendet autem lector historiae philosophiae Graecae peritus, multam in ista disputatione versatam esse logomachiam, quam inter genuinos quoque scholasticae philosophiae characteres eminere, innumeris et quotidianis exemplis potest demonstrari.

pag. 907. lin. 23. *Res existentes in vocibus esse manentes.* Is alio quoque loco idem refert: *His*, scribit [t], *temporibus fuisse reperio Rucelinum Britannum magistrum Petri Abaelardi, noui Lycei conditorem. Qui primus scientiam vocum siue dictionum instituit, nouam philosophandi viam inuenit. Eo namque auctore duo Aristotelicorum Peripateticorum genera esse coeperunt, vnum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod scientiam rerum sibi vendicat, quamobrem Reales vocantur: alterum nouum, quod eam distrahit, Nominales ideo nuncupati, quod auari rerum, prodigi nominum, atque notionum verborum videntur assertores. Illorum antesignani Thomas et Scotus; horum Occamus, Marsilius, Ioannes Buridanus.* Sic et medii aeui scriptores [u] et recentiores plerique, qui Nominalium patriarcham ipsi quoque Roscellinum constituunt, inter quos etiam CREVIERIVS [x]. Recte tamen ille praeponit et ducem atque praeceptorem habuisse eum in Nominalium via monet Ioannem sophistam, a dialecticis studiis ita nuncupatum. Veteris enim historici Francici testimonio [y] nouimus, hunc Ioannem, cum cetera obscurus et ignotus esset philosophus, eo nomine inclaruisse, quod artem sophisticam vocalem esse disseruerit, et discipulos in ea sententia habuisse Rucellinum, Robertum Parisiensem et Arnulfum Lugdunensem. Quae tempora cum in initia scholae Parisiensis incidant, quo se Roscellinus docendae Dialecticae caussa conuertisse videtur, recte pronuntiauisse putandus est CREVIERIVS, monens, Nominalium sectam eadem, quae academiam, initia, Seculum XI. habuisse, eoque duce et auctore in cathedra publica opinionem, dudum in scholis episcopatuum atque monasteriis ventilatam non tantum personuisse, sed adhibitam quoque ad explicanda theologiae mysteria, quod occasionem dedit Roscellino in eos de Trinitate errores delabendi, propter quos postea condemnatus est, qui in historia ecclesiastica aeui solent memorari, quosque nos supra iam tetigimus.

pag. 907. lin. 26. *Omnem praedicandi definiendamque rationem videbant.* Maxime offendebat philosophos eius aetatis, qui fontes et origines Nominalium sectae, opinionum Graecanicarum ignari, non inspexerant, quod, stante eorum hypothesi, non esse rerum scientia possit, quae res

s) In disputationibus philosophicis P. I. L. I. p. IX. quae est de vniuersali ante rem, p. 177 sqq.

t) Ann. Boi. L. VI. p. 624.

u) OTTO FRISING. de gestis Frid. I. cap. 47. SARISBERIENSIS Metal. L. II. c. 17. p. m. 814.

x) loc. cit. T. I. p. 97.

y) Franc. hist. fragm. apud DV CHESNE Script. histor. Franc. Tom. IV. p. 632. debemus hunc locum B. Moshemio, qui nos de eo monuit.

ſupponat earumque ſtabilem eſſentiam, quam ad definitiones rerum requirebat ſchola Peripatetica. Recte vidit doctiſſimus CREVIERIVS [z], difficultates inde enatas intricatas eſſe, et non adeo abſurdas, quam clamabat Realium factio, isque recte ad noſtrae aetatis quaeſtiones et controuerſias de Ideis earumque natura prouocat, de quibus ſuo loco ex inſtituto diſſeruimus [a]. Nominales enim contendere auſi ſunt, magnisque motibus decertarunt, ſingularium, quorum exiſtentia non ſit neceſſaria, ſcientiam non dari, eo quod modalitates eorum ſemper ſint in mutatione: adeoque vniuerſalium tantum ſcientiam eſſe. Contendebant autem, eiusmodi ideas vniuerſales et reales non exiſtere, ſolaque ſingularia indiuidua deprehendi, nomen vero et appellationem vniuerſale perficere, adeoque non rerum, ſed nominum tantum et vocum dari ſcientiam. Multa et grauia his argumenta opponebant Reales, vrgentes omne ita cognitionis humanae fundamentum euerti, et attendentibus ad ſui intellectus virtutes et operationes comprehendere, ideas vere et neceſſario extare et habere realitatem: et eandem quoque eſſe cauſſam entium moralium, quorum realitatem conſcientia nos doceat [b]. Alia in hac Scotica metaphyſica et ſcholaſtica ea de re occurrentia magnisque Iris diſputata tacemus. Putamus autem, ſingulare hanc controuerſiam ſpecimen exhibere confuſarum notionum in terris Scholaſticorum enatarum, quibus omnis veritas eluſa cernitur. Si enim inter eſſentiam vel ideam, et inter exiſtentiam rei diſtinxiſſent, ſaluis principiis logicis et metaphyſicis, vidiſſent, quibus fundamentis nitatur ſcientia rerum atque nominum, vniuerſalium et ſingularium. Mirandum itaque non eſt, litem hanc tanta ſeueritate et iracundia tractatam in ſcholaſticas quisquilias conuerſam locum amplius non habere, niſi apud λογομαχέντας. Haec autem humani intellectus opprobria matrem habuiſſe ſuperbiam, opportune monet CREVIERIVS [c].

pag. 910. lin. 3. *Diuerſis opinionibus diſputabat.* L. incertis et fluctuantibus coniecturis iactaretur. Nunquam enim certi erant de ſua opinione, ita poſcente methodo ſcholaſtica, quae alios fructus ferre non potuit.

pag. 910. lin. 18. *Nominalium ſecta in hac quoque gente valde aucta eſt.* Repetenda hic ſunt, quae ſupra [d] de Nominalium fortuna et auctoritate apud principes Germaniae et inter iuuentutem ſcholaſticam ad Marſilii ab Inghen vitam diximus, et comparandus libellus ſupplex Nominalium ad Galliae regem exhibitus a STEPH. BALVZIO [e], quo omnem inuidiam et perſecutionis fontem atque originem in Ioannem XXII. P. M. eiusque odium in Occamum coniiciunt, adductis theſibus, quibus celeberri-

z) Id ex hiſtoria Abaelardi eiusque narratione poteſt intelligi, in qua c. 3. hiſt. calam. ſuar. ait: de vniuerſalibus in hoc ipſo praecipuam ſemper eſſe apud Dialecticos quaeſtionem. Conf. I. DACHERI. Spic. T. II. p. 889.

a) Hiſt. doctr. de ideis ſect. II.
b) Conf. CREVIER. l. c. p. 92.
c) loc. cit. pag. 96.
d) Ad pag. 855.
e) Miſcellan. T. IV. p. 533 ſeqq.

Digitized by Google

berrimus ille Nominalium patriarcha duxque alter papam offenderat. „Vbi narrant etiam, diu fuiſſe cunctatam Vniuerſitatem Pariſienſem, vt „doctrinam Occami condemnaret, ſed facultatis artium importunitate „victam feciſſe ſtatutum in quo caueatur, dictam doctrinam non eſſe „dogmatizandam, quia nondum erat examinata et approbata. Et poſt„modum inſtituiſſe iuramentum, quo iurauerunt omnes, dictam doctri„nam non dogmatizare in caſibus, in quibus eſt contra fidem. Iuſſiſſe „etiam eundem Papam doctrinam Occami examinare per quendam car„dinalem, qui, licet multa contra eum diſputauerit, nihil tamen repererit, „quod auſi fuerint condemnare: neque ſequutam eſſe aliquam con„demnationem articulorum per eundem cardinalem examinatorum. Et, „poſtquam feceſſum Nominalium ex academia Pragenſi recitarunt, ad „Petrum de Alliaco, Ioannem de Gerſonno et alios quamplurimos viros „doctiſſimos Nominales prouocant, qui conuocati ad concilium Con„ſtantienſe, haereticos Bohemos, realium factioni addictos, maxime „Hieronymum et Ioannem ita refutauerint, vt ſe argumentis Petri de „Alliaco victos confiterentur. Tertiam perſecutionem autem Nomina„lium fuiſſe poſt occiſum ducem Aurelianenſem *f*. Nam propter guerras, „quae inde ſuperuenerant, diſperſos eſſe per varias regiones et prouin„cias doctiſſimos viros in via Nominalium, ei diſperſione ſuperueniſſe „quosdam Albertiſtas, qui, nullo reſiſtente, doctrinam nominalium ele„cerint. Sed poſtquam, Anglicis expulſis, coeperit haec Vniuerſitas re„florere, viris ingenioſiſſimis refertam eſſe, et ab eis dictam doctrinam „Nominalium reſumtam et reſuſcitatam, a viginti annis ad hoc tempus „(annum 1473.) incrementa laudis et gloriae ſuſcepiſſe. Hoc vero anno „quartam perſecutionem exortam. 1. ob laudem et doctrinae gloriam „eorum, quia, qui dicuntur Nominales, Thomiſtas ſuperent diſputando, „vt nullo modo eis reſiſtere poſſent 2. propter haereſin confictam Lo„uanii, negantem certitudinem et praeſentiam diuinam de contingenti„bus, cui fauerint multi Dd. facultatis; Nominales autem ſe viriliter „obiecerint, nullum periculum pro defenſione fidei formidantes, im„pedierintque, ne theologica facultas dictum tractatum approbaret. Cui „tamen Reales qui dicuntur ad XXIV. ſubſcripſerint *g*, quo tamen non „obſtante, Louanienſis doctoris tractatus Romae condemnatus ſit et haere„ticus declaratus; propterque hanc condemnationem illos Dd. ira accen„ſos, defenſores fidei inquietare, et ſimilia tradentes defendere.“ Et haec quidem Nominales in ſcripto publico, cuius narrationi cur non acquieſcendum ſit, nullam cauſſam videmus. Sunt tamen nonnulla, quae ad illuſtrationem huius narrationis, cuius argumentum in H. C. P. h. l.

f) Videndi de his bellis ciuilibus inter ducem Aurelianenſem et Burgundiacum, et tumultibus inde exortis, qui ex Nominalium ſecta Gerſonem quoque in fugam coniecerunt, ſcriptores hiſt. Franc. ad Sec. XV. initia, itemque Vniu. Paris. hiſtoriae auctores Bvlaevs et Crvvierivs, conf. Lavnoivs hiſt. gymn Nau. T. IV. Opp. p. 510.

g) Hiſtor. Bohem. Hirſaug. T. II. p. 315. Exſcripſit Aeneam Syluium Trithemivs Ann. ſed de Realium cauſſa ſiluit, ipſe Nominalibus fauens.

ſtrictim expoſuimus, omnino faciunt, et in his ſupplementis praeterirl non debent. Et primo quidem, quod ad Nominales Bohemicos factamque ab iis ſeparationem duorum millium ſcholaſticorum iuuenum, et ſeceſſum Lipſienſem pertinet, confirmari ea Pariſienſium narratio poteſt teſtimonio AENEAE SYLVII, qui ad ann. 1408. refert: „rexerant ſcholam „Pragenſem vsque in ea tempora Theutones, id moleſtiſſimum Bohemis „fuit hominibus natura ferocibus et indomitis. Ex quibus vir quidam „genere nobilis ex domo, quam putridi piſcis vocant, apud Oxonium „Angliae ciuitatem literis ſtudens, cum Ioannis Wicleui libros offen„diſſet, quibus *de realibus vniuerſalibus* titulus inſcribitur, magnopere „illis oblectatus exemplaria ſecum attulit imbutusque Vicleuitarum „veneno, et ad nocendum paratus, tum quod erat familiae ſuae „cognomen, putridum piſcem, id eſt, foetidum virus in ciues ſuos „euomuit. Commodauit autem ſcripta, quae attulerat, his potiſſi„mum, qui Theutonicorum odio tenebantur, inter quos Iohannes „emicuit, obſcuro loco natus, et ex villa Hus cognomen mutuatus. „Hic cum eſſet ingenio peracri et lingua diſerta, multumque dialecticis „oblectaretur, et peregrinas opiniones amaret, auide admodum Vicleuia„norum doctrinam arripuit, eaque Theutonicos vexare magiſtros coe„pit, ſperans eo modo confuſos Theutones ſcholas relicturos. Quod „cum ſuccederet, a Venceslao rege impetratum, vt Pragenſe gymnaſium „ritu Pariſienſis gubernaretur: ea res magiſtratum ſcholae Theutonibus „abſtulit. Quam ob cauſſam commoti magiſtri atque diſcipuli Theuto„nici generis iureiurando adacti vno die ſupra duo millia ſecuti apud Li„pſiam Miſniae ciuitatem trium dierum itinere a Praga diſtantem vniuer„ſale ſtudium erexerunt. Bohemis ergo ſcholae ſuae gubernatio libere pa„tuit“.“ Haec pontifex poſtea PIVS II. ex quibus patet, realium doctrinam atque ambitionem occaſionem huius ſchiſmatis extitiſſe, cui tamen ea, quae cautus tacet hiſtoricus, addenda ſunt, Wiclefitarum proteſtationes et clamores contra tyrannidem et ſuperbam proteruiam Romanae ſedis ad hanc realium in Pragenſi academia fortunam multum contuliſſe, inuidiam autem facti Nominales Pariſienſes recte in Realium violentiam conieciſſe. De qua tamen re alio loco, vbi eccleſiae hiſtoria tradenda eſt, loquendum, et conſulenda deſideratiſſimi LENFANTII de *bello Huſſitico* hiſtoria [i]. Alteri autem momento de Nominalium perſecutione, quam in Vrbe et Vniuerſitate Pariſienſi ſuſtinuerunt, lux amplior accendi poteſt ex CREVIERII [k] hiſtoria eius vniuerſitatis. Quibus annalibus conſultis conſtat [l], iam anno 1339. proſcripſiſſe facultatem artium libros et ſententias Occami, quae a doctoribus nouitatis amatoribus ſtudioſae iuuen-

h) Confirmauit nouam vniuerſitatem et priuilegiis auxit Pius II. et Alexander V.

i) Conf. MIDDENDORP. de Academiis L. V. p. 272. D. PFEIFFERI Orig. Lipſienſ. L. III. §. 18. p. 301. facta iſta ſeceſſio anno 1409.

k) T. III. f. 334. qui ſua hauſit ex BVLAEO T. IV. p. 257. 265. 275.

l) T. V. p. 705-711.

Digitized by Google

iuuentuti praelegebantur, anno quoque sequente quasdam propositiones speciales eius condemnauisse: inter quas Nominalium doctrina, quod scientia tantum sit nominum, eminuerit. Et huic quidem censurae subscribere debuisse sub iurisiurandi fide nouos professores. Viguisse autem hanc seueritatem adhuc anno 1358. et seq. et Buridanum Nominalium sectae, vti supra dictum, primipilum Parisiis eieciisse et coëgisse Viennam confugere m): quod tamen velut incertam traditionem supra reiecimus, et laetas fuisse postea res Nominalium monuimus n). Ast longe aliam apparuisse faciem fortunae Nominalium anno 1473. narrant nobis Bvlaevs et Crevierivs o). Et hic quidem intestina vniuersitatis dissidia caussam atque fontem fuisse, cur Nominales suppressi fuerint, non tacet, qualia autem illa fuerint, non indicat, fortunamque tantum sectae reflorescentis, et inuidiam magnorum et timendorum aduersariorum nominat, vnde illud odium et persecutio propullulauerint. Ex articulis autem Nominalium ad regem Franciae Ludouicum missis supra iam ostendimus, probatam a facultate theologica Parisiensi negationem certitudinis et praesentiae diuinae de contingentibus, cui Nominales subscribere recusarunt, hos ignes accendisse et inde noua persecutionum incendia surrexisse. Cum enim Nominales doctores illos, qui Louaniensem errorem probauerant, atro lapillo notarent, illi vindicandam ignominiam rati, doctrinam Nominalium haeretici erroris accusarunt, caussantes, scientiam eorum esse peruersam et plenam haeresibus. Quod quidem dudum illis erat obiectum, vt autem cautius mercarentur, narrante Crevierio p), paulisper sententiam mutauerant, et tolerabiliorem sensum praetexuerant, nominum scientiam ad attributa essentialia rerum restringentes. Qua de re ipsos Nominales in praedicto libello apologetico ad regem, (ad quem Creuierius etiam prouocat, non inspexisse tamen accurate satis eius exordium videtur.) audire iuuat, vt ex ipso eorum ore atque indicio de eorum mente lector iudicare possit, qui ita: *illi doctores Nominales sunt, qui non multiplicant res principaliter signatas per terminos secundum multiplicationem terminorum: reales autem, qui e contra res multiplicatas esse contendunt, secundum multiplicitatem terminorum. Verbi gratia, Nominales dicunt, quod Deitas et sapientia sint vna res et eadem omnino, quia omne, quod est in Deo, Deus est. Reales autem dicunt, quod sapientia diuina diuiditur a Deitate. Item Nominales dicti sunt, qui diligentiam et studium adhibuerunt, cognoscendi omnes proprietates terminorum, a quibus dependet veritas et falsitas propositionum: quae proprietates sunt, suppositio, ampliatio, restrictio, distributio exponibilis. Cognoscunt praeterea obligationes et insolubilem naturam, vera fundamenta argumentorum dialecticorum, et omnes eorum defectus. Quibus rebus instructi de vnaquaque argumentatione faciliter cognoscunt, an bona sit, an mala. Reales autem haec omnia negligunt et contemnunt, dicentes, nos imus ad res, de terminis non cura-*

m) T. IV. p. 360 seq.
n) T. II. p. 534. Dv Bovlay T. IV. p. 265. 275.
o) T. IV. p. 360 seq.
p) loc. cit. p. 361.

curamus etc. Haec ipſi nominales, ex quibus in genere conſideratis attentus rerumque logicarum peritus lector facile iudicare poteſt, de logicis conceptibus magis et eorum fundamento diſputatum fuiſſe eo tempore, quam de rerum eſſentiis, et, Reales falſo Nominales accuſaſſe, quod omnem ſcientiam euertant. Verum his ſuo loco relictis, abſoluenda eſt horum hominum hiſtoria, a Bulaeo et Creuierio nobis tradita. Nempe inter aduerſarios reales vnus erat omnium ardentiſſimus atque potentiſſimus Ioannes, quem dicto loco Nominales Bracardum vocant, Creuierio Bochardus vel Boucardus dicitur, fuitque epiſcopus Aurelianenſis, vir in hiſtoria literaria medii aeui ignobilis [r], et vna hac perſecutione Nominalium famoſus. Is cum apud Ludouicum XI. gratioſus eſſet, teneretque aurem regis, cui erat ab audiendis confeſſionibus, isque eſſet Doctor Pariſienſis, omni conatu id egit, vt Nominales regia auctoritate e facultate ex vniuerſitate eliceret. Quem finem facile muneris et dignitatis virtute ſe obtinere poſſe, et ita facultatem quoque theologicam ob cenſuram quandam regiam exaſperatam, tranquillam reddere ſperans, edictum regium graue et vehementer aduerſum Nominalibus procurat, quod vulgaſſe ex archiuo GABRIELEM NAVDAEVM, ſuo loco [s] indicauimus. In illo mandato regio, Cal. Mart. 1474. ſcripto, in partes vocatis deputatis trium facultatum et quatuor facultatum, probatur doctrina Ariſtotelis, Auerrois, Alberti M. S. Thomae Aquinatis, Aegidii Romani, Alexandri Aleſii, Scoti, Bonauenturae, reiicitur doctrina Occami, Buridani, Petri de Alliaco, Marſilii aliorumque huius ſectae, quorum doctrinam doceri prohibet ſub poena exilii, iuſſis etiam omnibus magiſtris et doctoribus iuramenti fide de hoc mandato ſtricte obſeruando cauere, iniunctoque curiae regiae praeſidi mandato, vt libros Nominalium auferri et ſeruari, ne legi poſſint, curaret. Is autem iuriiurandi ſacramento in praeſentia epiſcopi Aurelianenſis ab omnibus Vniuerſitatis membris dato et accepto, libros ei traditos ſupprimit, qui in bibliothecis erant, ferreis catenis ligat, vt aperire et legere nemo poſſet: cuius proceſſus ineptias riſit Robertus Gaguinus. Cedendum itaque tempeſtati rati Nominales, in omnes regni partes diffluebant, donec ſerenius coelum rediret. Id quod quidem citius, quam expectabant, euenit, redieruntque paucis intra annis Nominalibus Halcyonia. Cum enim eorum partes in Vniuerſitate non poſſent extirpari [t], anno ſequenti 1474. obtinuerunt, vt acerbitas prioris anni mitigaretur, et nonnulli libri illis reſtituerentur. Anno autem 1481. ſimul atque ſemel rupta ſunt vincula. Cum enim totius controuerſiae parum regis atque aulae intereſſet, quam vnus regis confeſſionarius vrſerat inſtigatus ab aduerſariis, et inimicitiae ſub cineribus ſepelirentur, pax rediit et libertas tot fulminibus prius disiecta et proſtrata; die

q) CREVIER. loc. cit. p. 362.
r) Inter ſcriptores enim medii aeui non comparet. Suo tamen tempore inter Dd. Pariſienſes eminuit.
s) p. 911. H. Cr. Phil.
t) CREVIER. p. 391.

Digitized by Google

die enim 29. Aprilis eius anni literis ad Rectorem et Vniuerſitatem Pariſienſem datis indicauit Praetor regius, Iuſſum ſe eſſe a Rege omnes Nominalium libros e carceribus atque catenis liberos exire, vt ad dominos ſuos redire poſſent, liberum quoque regem permittere, vt quamcunque doctrinae ſententiam quis elegerit, eam ſequi poſſet, idque per omnia collegia publicandum eſſe. Rationes autem, quae regem permouerint, ipſis manifeſtaturum eſſe magiſtrum Berengerium. Hunc autem Berengerium fuiſſe partibus Nominalium addictum veriſimiliter coniicit Creuierius. Executioni dedit regis mandatum Vniuerſitas, habito concilio, in quo praelecta epiſtola praetoris regii, et explicata oretenus a Berengerio regis voluntate atque ſententia. Maxime vero Germanica natio, cum nemo non libenter acquieſceret decreto regio, gaudium de hac Nominalium victoria teſtata eſt ampliſſime *w*). Libri ſectae a primario Praeſide Iohanne Bullangero fiſco et catenis addicti a filio Michaële in conſeſſu vniuerſitatis ſuis redditi: et tranquillitas philoſophantium partibus reſtituta eſt *x*). Quod autem in vita humana multoties euenire videmus, vt preſſa refurgant laetius, liberata a pondere breui torpeant, id Nominalium quoque ſectae euenit, quae cum aduerſarios amplius non haberet, tepere tandemque frigeſcere Pariſiis coepit, et lis tantis iris animisque per duo ſecula agitata intra priuata auditoriorum conclauia concluſa eſt. In Anglia autem et Germania res Nominalium principum fauore et ſtudioſorum factionibus amplificatae ſunt maxime, donec, ſurgente maioris momenti negotio, reformatione eccleſiae, inanes illae diſputationes et quaeſtiones tandem penitus obmuteſcerent, certe in ſcholis tantum Scholaſticorum et puerorum ſtudio audirentur.

pag. 911. lin. 6. a fin. *Saucii multi nonunquam occiſi.* Grauia tamen et cruenta bella, et praelia, quae inter ſtudioſos Pariſienſes excitata ait Nic. Cavssinvs, ſine dubio ad concertationes Sec. XIV. et XV. pertinent. Sec. XVI. enim effluente, cum elegantiores literae ſurgere coepiſſent, ab hac barbarie ceſſatum eſt.

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

pag. 912. *Et haec quidem de Scholaſticis.* Abſolueramus iam ante plures dies haec, quae occurrebant, ſupplementa et obſeruationes ad tomum III. Hiſtoriae criticae philoſophiae, quo hiſtoria fatorum philoſophiae poſt C. N. inter gentiles et Chriſtianos ad Sec. VII. tum vero omnis aetatis mediae ad repurgatas literas exponitur, et iam progreſſuri ad recentiora et laetiora philoſophiae fata, curam noſtram et attentionem aduerteramus; cum nobis, nihil expectantibus duae lucubrationes occurrerent, huic noſtrae tractationi in hoc Tomo III. oppoſitae, et nobis hactenus non viſae, quarum vna iam ante decennium quaedam ex noſtra attentione et lectione

w) Bvlaevs T. V. p. 746. *x*) loc. cit.

ctione annotata magnis iris, et insueta inter eruditos acerbitate, sed leui apparatu nulloque iudicio allatrault; altera nuperrime magna eruditione et ingenio, et iucunda scribendi elegantia, ast artibus subdolis et omni historiae fidei et certitudini euertendae aptis, historiam philosophiae Alexandrinae siue eclecticae aggressa est. Quanquam autem argumentum, quod in vtroque libello, illo gymnasiastico, leuique manu corraso, hoc anonymo et diligenter elaborato hanc nostram quoque historiam criticam philosophiae concernebat, adeoque in his supplementis et obseruationibus poterat illis responderi dispicique, an, et quid in nostra tractatione esset emendandum vel mutandum, ad quod veritatis compulsi amore, lubentes meritoque manus porrigimus: ita tamen cum posterioris aggressoris obiectionibus comparatum est, vt diligentem et criticam examinationem et examen poscant, quod paucis paginis non potest absolui. Ideo coacti sumus, et temporis spatio praecluſi, et ad perficiendum hunc historiae nostrae appendicem alligati, ad aliud tempus hunc laborem differre, donec, absoluta hac altera criticae historiae philosophiae eiusque additamentorum editione, et ad finem quoque a nobis perducta illustratione exegetica bibliorum Anglicorum theologorum, quae vltimum hactenus Tomum a nobis expectat, tempus nobis largiatur diuina prouidentia ad has obiectiones respondendi, remque omnem in clara luce ponendi. Non enim in causa bona et ecclesiae atque veritatis promouendae studio versata amicam inquisitionem et consultationem detrectamus, qui nunquam in partis sectaeue fidelitatem coniurauimus, et lubenter aliorum luminibus nos illustrari patimur, imo cupimus, modo cum aequis, et imprimis artis criticae et rationalis peritis viris doctis, qui praeiudicium auctoritatis et partis studium eiurauerunt, in hoc autem argumento et materia rite versati sunt, disputandum sit. Ad quem autem laborem suscipiendum cum tempus viresque requirantur, Numen precamur, vt, si huic nos labori eius prouidentia destinauerit, surgentes ingraueſcentis senectutis annos roboret, atque augeat, vt talibus considerationibus sufficiamus. Quod si aliter visum fuerit voluntati diuinae, cui ex toto corde paremus, erunt certe in protestantium ecclesiis, quas vterque antagonista more suorum satis thrasonice contemnit, qui isto veritatis amore, istis studiorum et doctrinae praesidiis instructi sunt, vt illis in causa tam bona et solida, victoriae reportandae spem possimus facere certissimam. Cuius vt vnico exemplo specimen exhibeamus, vt appareat, quibus armis ex hoc, cui adscripti sunt, exercitu veritates historicae oppugnentur, vnam, quam supra quidem iam tetigimus, tractationem de Gregorio M. in scenam producemus, orbisque literarii iudicio ἄνευ παθῶν examinandam relinquemus, cuius ἐπίχειση Gallicus anonymus nobis solis oppositit, (cetera enim tela proprie intentantur dictionarii encyclopaediae vniuersalis auctoribus). Si haec vero molesta sint lectoribus nostris, eorum patientiam exoramus, qui a litibus literariis indole

dole et ingenio alieniſſimi, aggreſſorum tantum violentia ad apologiae ſpecimen trahimur. Poterit Lector, ſi haec perlegere moleſtum ſit, velut iam dudum euicta ſatis, has pagellas tuto, et ſine hiſtoriae noſtrae praeiudicio praetermittere.

Edidit nempe idem ille antagoniſta Scholaſticus Friſingenſis, monachus Benedictinus, cuius apologiam contra paedantiſmum ſcholis catholicis a nobis, quod ſomniabat, impactum ſupra recenſuimus, continuationem altera *diſputatione menſtrua*, eodem anno vulgata, in qua quidem, interim nomen noſtrum recte legere atque ſcribere didiciſſe, et pauliſper ab immani iſta ruſticitate prioris libelli ad humanitatem magis et modeſtiam rediiſſe prodidit, aſt zelo tamen pro ſcholaſtica diſciplina ſcholarum Catholicarum inflammatus, nos, velut compilatorem quidem eruditum, in ſcholas tamen catholicas ſcriptorem, qui modeſtior eſſe poſſet, quique dum nonnullos abuſus Scholaſticorum forſitan caſtigare potuiſſet, limites modeſtiae egreſſus, eruditionis loco iuuentuti catholicae venenum, in epitome H. Phil. vernacula edita, ſimplicioribus fucum propinauerit, accuſauit. Non denegat iam noſtris lucubrationibus, quas ſe interim legiſſe ſimulat, doctrinam, diligentiam, ſtudium, et, ſi nos laudis ab hoc Scholaſtico cupiditas vreret, poſt inuſta plurima vulnera et ignominiae notas, a bimeſtri calumnia ad ſe reuerſus, nobis nec nominis celebritatem, nec eminentem quandam eruditionem denegat, immo aequo iudicio hanc ipſam hiſtoriam, multo labore, inſigni inſuper induſtria conſcriptam iudicat, cuius iudicii fidem ciuitati literariae examinandam reliquimus, nec a tam laudatis viris laudari in maxima laude ponimus: quod vero vna manu (nouerit ille, quibus ex cauſſis et a quibus forte monitus) largitur, altera eo inuidioſius aufert, et hoc opus nos foede corrupiſſe, pronuntiat, quod doctores catholicos (Scholaſticos aeui medii) tam nigre depinxerimus, quod S. Gregorium M. odioſum reddere ſtuduerimus, veluti melioris philoſophiae ruinam, et cauſſam pro re certa ſcribendo; quod denique Lutherum reformatae philoſophiae caeterarumque ſcientiarum ducem afferuerimus, totum enim hoc nihil aliud eſſe, quam iuuentutem ſubdole ſeducere, vt erga doctores catholicos concipiat odium, erga Lutherum, huiusque aſſeclas aeſtimationem ſummam. De qua rei veritate omnino adeundus eſt libellus monachi Friſingenſis σηλωτευτικὸς, et cum noſtris obſeruationibus conferendus, vt, quam mendax ille et calumniator in noſtras curas fuerit, orbi literario vniuerſo clariſſime pateat. Adeo autem inter tenebras ſcholaſticas contabuit libellus ille academicus, vt nobis, qui vix decem milliaribus ab eo loco remoti inter medios Catholicos, ciues optimos, habitamus, iſtae pagellae nunquam apparuerint, donec nuperrime forte fortuna, cum in bibliopoleo inter chartas relectitias et emporeticas, ſalſamentarlis dudum deſtinatas, tineis et blattis miſere depaſtae, a nobis mirantibus, detegerentur. Vnde cum facile hariolari liceat, qua in orbe literario fortuna gauiſae fuerint,

ignoſcet candori noſtro Lector, quod ſtrictim tantum et per lancem quaſi ſaturam ea, quae ad Gregorium M. pertinent, et huius loci ſunt, enumeremus, iudicemque poſtea eundem conſtituamus, vbi reſponſionem noſtram vtrique aduerſario opponendam, exhibuerimus. De Lutheri mente et incredibili aduerſariorum, eius per calumniam craſſiſſimam detorquendae, impudentia dabimus ſtricturas breues ad Tomum ſequentem.

Eo autem argumenta apologiae a Friſingenſi doctore Scholaſtico pro Gregorio in cauſſa combuſtorum librorum profanorum, oditique erga ſeculares literas, quae candide enumerabimus, redeunt. I. Eſſe hanc accuſationem factum omnino dubium, immo probabilius falſum: id quod probat ex ſilentio ſcriptorum Gregorio M. prope ſynchronorum et coaeuorum, vitam eius deſcribentium vnaniml, quod argumentum ait eſſe in critica arte ſummum, quod nemo inficias iuerit, hanc autem combuſtionem librorum ethnicorum, ſi vera eſſet, futuram fuiſſe memoratu digniſſimam et inter memorabiliora referendam, indeque recte cenſeri dubiam. Vbi Noſter ad Paulum et Ioannem, eccleſiae Romanae diaconos biographos Gregorii prouocat, circa idem tempus florentes, ex quibus Ioannes dicat, *ſe de ipſo ſcrinio ſedis Apoſtolicae, adeoque tanto plenius et certius hanc Gregorii vitam carpſiſſe.* Aſt apud vtrumque huius facti Pontificis altum eſſe ſilentium. Ioannem autem de ſe ipſo teſtatum atque proteſtatum, ſe nihil in ea vita omiſiſſe, quod aut lectoris animum defraudare poſſet, aut ad cognitionem de S. Gregorio congruam pertineret: vnde Dialecticus noſter prudentem criſeos rationem inferre, concludit, quia hoc factum ille ſilentio tegat, penitusque omittat, ideo omnino dubium, imo probabilius falſum eſſe. Eundem porro monet biographum ſignanter annotare, quomodo ſummus ille praeſul omnes omnino pontifices a gentilium librorum lectione inhibuerit. Habiturum autem fuiſſe hic anſam optimam odium, quo S. Gregorius actus dicitur in gentilium libros, vlterius proſequendi, totamque, ſi vnquam extitiſſet, combuſtae bibliothecae Palatinae hiſtoriam referendi. Aſt cum commendando zelum piiſſimum Gregorii ea de re tacuerit, dubiam inde concludi et probabilius falſam. II. Huic primae phalangi, in qua totum aciei robur videtur poſuiſſe defenſor beati Gregorii, ſuccenturiatos addit milites, magna nomina Baronii, Mabillonii, Bollandi, Sandini, Fr. Pagii, Amati Graueſonii, Alexandri Natalis, et Benedictinorum e congregatione S. Mauri, quibus nouiſſimam operum S. Gregorii M. editionem debemus, quos iurauiſſe teſtatur, omnia in vita pontificis conſcripta ab ipſis eſſe expoſita, quae ad hiſtoriam illorum temporum ſiue ſacram, ſiue profanam ſpectant. Hos autem omnes factum hoc ſilentio praeteriiſſe. Senſit autem Friſingenſis doctor, rem ad triarios rediiſſe, quos iam in aciem inducit, monendo, eos non alios exſcripſiſſe, ſed cuncta ex mſc. et obſeruationum et notarum lumine collegiſſe, quae reperire poterant, et hos tamen omnes haec Palatinae bibliothecae fata ſilentio ſepelire.

Sunt

Digitized by Google

Sunt autem Triarii Noſtri Alexander Natalis, Dupinius, Ioannes Palatus et Ludouicus Maimburgius, non adeo mites in Romanos Pontifices ſcriptores, quod pontificibus minime adulari, aut eorum male geſta ſubticere ament. Editores autem operum Gregorii Sarisberienſis narrationem inter nugas et aniles fabulas reieciſſe. III. His tandem, forte tanquam lixarum et calonum gregem, in fine aciei ſubiungit Proteſtantes ſcriptores, quod nihil prorſus omittant, ſi quid in Romanorum pontificum vitis carpendum viderint, et nominat quidem Diezium et Cl. Chr. Guil. Franc. Walchium, qui reuera ſcandaloſe de S. Gregorio, praeſule hactenus coelis terrisque aeſtimatiſſimo ſcripſerit, atreque illum pinxerit, et cum omnia conquiſiuiſſet, quae Gregorium magnum paruum reddere et exoſum facere poſſent, de hac combuſtione nihil prorſus attulerit. IV. Addit his Cenſor velut auxiliares copias eos, qui de hoc facto ſcribunt, in circumſtantia loci autem non conueniunt. Non autem habet, quem in his partibus collocet, niſi Hederichium, Lexici antiquarii notiſſimum compilatorem, qui bibliothecam non Palatinam, ſed Capitolinam nominet [y]; cum autem hic a nobis diſſentiat, inde concludit magnus et acutus Dialecticus noſter, neutri credendum, ſed rem ipſam eſſe dubiam et probabilius falſam. V. Sentit tamen promachus S. Gregorii, quam debile totum illud agmen ſit, quod argumento negatiuo inſtruxit, vnde ad argumentum quoque *quaſi* affirmatiuum (nouo artis criticae atque logicae termino) conuertitur, quod ab inſignis nominis viris deſumit, a quibus iſta traditio velut poſitiue incerta reiiciatur, ac inter aniles fabulas amandetur. Audiamus etiam hos teſtes, vt poſtea pondus argumenti explorare valeamus. Habent autem pro incerto Ioecherus, P. Bayle, quin Platinam etiam huc aduocat, qui tamen nihil de combuſta bibliotheca, ſed de confractis Papae iuſſu ſtatuis memorat, quam circumſtantiam geſtorum Gregorianorum infra illuſtrabimus, et Platinae argumentum examinabimus. His Friſingenſis criticos adiungit biographos Gregorii Benedictinos, qui Sarisberienſem, inter nugatores decretoria, quae ipſis conueniebat, ſententia, numerant. VI. Tandem poſt tentata haec auxilia omnia, quae noſtri temporis viri literati Gregoriano promacho ſuppeditarunt, (ex ipſa enim tractatione luculenter apparet, antiquorum ſcriptorum veterisque literaturae ſtudium in gymnaſio Friſingenſi, certe in auditorio et cathedra logica neglectum tenebrisque ſepultum eſſe,) Auctor ad aggrediendum totius accuſationis auctorem conuerſus, ad auctoritatem et fidem Sarisberienſis progreditur, ex hoc vno teſte reliquos ſuam accuſationem inſtruxiſſe, cauſſatur. In hac acie, in qua totus quaeſtionis hiſtoricae cardo vertitur, non alia offendimus, quam cramben in antecedentibus allatam et recoctam, oppoſitum Ioanni Paruo ſilentium biographorum et facto ab his immani ſaltu, ſuſpenſum iudicium

 Baylii,

y) Oſtendemus infra rationem, cur Palatinus Apollo et bibliotheca Capitolina, vna eademque apud Sarisberienſem ſit.

Baylii, cui Barbayracium, illius prouidentiam ſecutum addere potuiſſet, ſi eius librum *de eruditione morali* PP. vidiſſet vel legiſſet. Quanquam ne quidem fideliter Roterodamenſis critici ſententiam refert, qui non incertam vel probabiliter falſam relationem Ioannis Parui eſſe dixit, ſed maiorem, quam vnius teſtium numerum deſiderat, ſubdole autem reticuit, Baylium in odio Gregorii erga gentilium libros et ſcientias, quod ex eius epiſtola ad Deſiderium probat, veriſimilitudinis alicuius pondus inueniſſe. VII. Poſtea ad ipſius B. Gregorii perſonam conuerſus, eius prudentiam collaudans vrget, hoc factum de eius prudentia difficulter credi poſſe, quamuis zelo pio arderet; cum eſſet adeo liberalibus diſciplinis a pueritia imbutus, vt nulli in vrbe putaretur ſecundus: et tot donorum eius coeleſtium et virtutum teſtimonia extent, cuius exempla adiicit, vt a tanto viro tale factum credi non poſſit. Monet porro, non eſſe credibile, quod S. Pontifex M. licet a lectione librorum gentilium homines ad SS. literarum ſtudium adducere magno zelo eſſet accenſus, voluerit hoc remedium apprehendere, et profanos codices comburere, cum alia et mitiora ſuppetierint, nec ad haec extrema properandum eſſet. Vbi lepide Hederichii *lexicon* teſtem inducit et *lexicon vniuerſale hiſtoricum*, teſtantes bibliothecam Palatinam adhuc extitiſſe ſedente Gregorio P. M. quorum tamen ipſe fidem mox euertit afferendo, incertum eſſe, num haec bibliotheca tempore iſto adhuc Romae extiterit, cum multae bibliothecae in direptione Vandalorum perierint. VIII. Proſequitur haec multis aliis minoribus ratiunculis, quales cathedrae ſcholaſticae indoles ſuppeditabat, nihilque non mouet, vt iniuria nos cumulaſſe Romanum pontificem videri queat. Vnde cum putaret, nos tribuere illi, quod moralium libros voluerit eccleſiae obtrudere, adductis eius verbis nos refutare aggreditur, quibus ordinat ſummus epiſcopus, *ne libri moralium legantur a popularibus et rudibus auditoribus*, et prohibuit, ne, ſe viuo, ſui libri *extrancis* vulgentur. Vnde tandem concludit, non potuiſſe nos dicere, S. Gregorio philoſophiae irreparabili damno affectae ſurrogaſſe miſeram moralium compilationem, hosque hominum manibus combuſtorum loco obtuliſſe, vt futurae in poſterum omnis ſapientiae fons eſſent et origo. Quo pacto, contractis ratiuncularum diſputationibus, concludit, neminem fidem nobis adhibere poſſe, hoc, quod Gregorio tribuitur, factum ſubdole tractantibus, et quod ſub dubio referri debuiſſet, pro *abſoluta veritate* tractantibus etc. Quibus appendicis loco iterum ad Sarisberienſis auctoritatem conuerſus, quam magnam Seculo XII. fuiſſe non negat, cuique omnem fidem denegare non vult, vel coniectura eum aut alio aliquo deceptum fuiſſe dicit: nos autem ipſos in H. P. opere a ſilentio ſcriptorum ſaepius argumentum petiiſſe, obſeruat. Et hoc quidem pacto victoriam canit, more ſuo, nec feliciori euentu, quam in priore tentamine menſtruo factum: in eo vero laudandus, quod in hoc altero plus modeſtiae, minus conuitiorum, plus literarum, minus ſcholaſticarum ſordium coacerua-

uerit.

Digitized by Google

uerit. Quas cum in Lutherum in altera ſectione, vel, quam vocat reſolutione reuomere ſibi conſtituiſſet, inſtituta comparatiua tractatione, inuidia et furore plena demonſtrandum ſibi ſumit, etſi ſuo robore conſtaret, Gregorium M. bibliothecam Palatinam combuſſiſſe, ex eo tamen nondum ſeculi VII. inſcitiae cauſſam et melioris philoſophiae deſtructorem tam certo et indubitato dici potuiſſe, quam fuerit Lutherus. Quae tractatio, vt ſectioni I. diſſertationis diſſimilis eſt, κατ' ἦθος καὶ πάθος ſpectatae et proprie ad eccleſiaſticam hiſtoriam pertinet, leuiſſimis autem coniecturis et contortis atque confictis veterum locorum interpretationibus nititur, ita eam heic referre eo magis perhorreſcimus, ne in tanta paginarum noſtrarum anguſtia, vbi vtilia et iucunda lectori exhibere cupimus, nos hiſce offuciis patientia eius fuiſſe abuſos eumque cum taedio detinuiſſe clamitet. Cuius tamen attentio nobis exoranda eſt, vt reſponſionis noſtrae loco quasdam obſeruationes patienter audiat et ſine partis ſtudio expendat. Nos, quantum fieri poteſt, ſtrictim et breuibus eas expediemus, ne maxima e nihilo naſcatur hiſtoria, cum totum de quo diſputatur argumentum ad μικρολογίας hiſtoriae philoſophicae pertineat, cuius parum intereſt, quaecunque de ea re ſententia arrideat. Id vnum lectorem poſcimus, vt, quam aduerſarius nobis non negat, ſanam rationem nos habere credat, pectusque rectum et ab odio et calumnia abhorrens, quale, an nutriuerit auctor famoſi libelli, conuitio ad mores ſuos reuerſus, Deo καρδιογνώστῃ relinquimus. Adeoque calumniae et detractionis inculpationem nos non mereri, quos non deteſtabili detrahendae tanti praeſulis famae animo, ſed hiſtoricae veritatis amore et candore de Gregorio M. ſcripſiſſe, omnes iudicabunt, qui non coeco curiae ſedisque Romanae obſequio captiuantur. Et primo quidem multus noſter eſt in vrgendo argumento negatiuo a ſilentio coaeuorum, maxime biographorum petito, quod maximi ponderis eſſe pronuntiat. Non reiiciemus hoc argumentum, quod totum tamen alienum ab hoc loco merito cenſeri poſſet, in totum, quamuis non ignotum ſit, quae de eo lites atque controuerſiae inter IOANNEM LAVNOIVM pro eo diſputantem, et Io. BAPTISTAM THIERSIVM illud infringentem non ſine vehementia agitatae ſunt [z], ſed monemus tantum, illius vim concludendi inepte huc rapi, cum non tantum auctorem certum multisque fidei teſtimoniis grauem, ſed vetuſtiorum quoque temporum conſenſum a parte ſua habeat traditio, vt infra dicemus: facile autem conlici et veroſimiliter concludi queat, biographos, vel panegyriſtas magni praeſulis in admirationem laudesque patroni immenſum quantum effuſos, ea ſtudio praeteriiſſe, quae inuidiae apud ciues Romanos in caput pontificis cumulandae apta erant, quod eius biographias legentibus manu palpan-

z) Nominant vtriusque partis libros memoriae NICERONIANAE T. V. p. 87. T. XIX. p. 169. verſ. Germ. Qua occaſione nos Launoii diſſertationem Tom. II. Opp. p. 1. reuiſam relegiſſe non poenitet.

palpandum ſe offert, et infra ex Platina docebimus, et alio exemplo truncatarum ſtatuarum Romanarum infra illuſtrabimus. Senſit ipſe antagoniſta noſter, elumbem ratiocinationis ſuae neruum, quare non auſus eſt *abſolute* falſam, ſed *probabiliter* dubiam vocare traditionem ipſam, et habere illam ſua quoque pondera, quibus appendi in lance cum oppoſitis queant: quod an argumento negatiuo conueniat, iudices conſtituimus doctores logicos, qui cautiſſime tantum a ſilentio ſcriptorum argumentum fidei duci poſſe, monere ſolent. Aſt cum oppoſita nobis a noſtro aduerſario pondera homines eius generis contineant, qui ſuſpecti ſunt; annon, ſi potuerunt veritatem ſcribere, eam tamen ob herois ſui admirationem et veneration̄em noluerint propalare, manifeſtum ſane eſt expendenti, hunc arietem bellatorem noſtrum fruſtraneo niſu huic bello adhibuiſſe. Nec, vt verum fateamur, biographi iſti Gregoriani idonei teſtes ſunt, quanquam coaeui, et neceſſariis fontibus non deſtituti, qui ne micam quidem candoris et iudicii ſe poſſediſſe, vt verum a falſo decernerent, commendatis miraculis Gregorii, quae hominum adulatio et credulitas effinxerant, vbertim demonſtrauerunt. II. Ex hoc vno autem et primario fonte cum reliqui recentioris aetatis ſilentii rationem petierint, pro nouo teſte negante haberi non poſſunt. Et quanquam nobis magna ineſt virorum iſtorum, de re literaria praeclare meritorum exiſtimatio, exiguum tamen pondus habet eorum ſilentium: nam et tempore millenis amis remoti ſunt a Gregorii aetate; et a traditione non vnius tantum ſcriptoris, ſed totius vniuerſitatis Pariſienſis, in qua publica ea fama erat, diſſident, et omnes monachi ſunt, ſingulari obſequio maieſtati pontificiae iurisiurandi fide obſtricti: qui, quod tamen aequo iudicio cenſemus, non iniuſte tacuiſſe iſtam traditionem iudicandi ſunt, quia cauſſam grauem ſatis habuerunt, cur conticeſcerent. Huius autem generis teſtes opponere hiſtorico a ſeruitute Romanae ſedis libero, quis probet, niſi tyro artis diſputandi, et dialecticae ſanae ignarus ſit? Accedit, cum eam Sarisberienſis veterisque aeui traditionem nouerint, non inuictis tamen rationibus eam euertiſſe, tantos in hiſtoria ciuitatis chriſtianae heroës, quorum acumen et accurationem criticam nobiſcum veneratur orbis literarius. Cur non dudum talia magnis ratiociniis obiicierti, et in laudes panegyricas Pontificis acri examine inſurgenti Oudino repoſuerunt? cur demum id monacho Friſingenſi contra hiſtoriae criticae philoſophiae auctorem, cum tantis ſuae profeſſionis primipilis non comparando reſeruata, et non dudum Proteſtantibus ſunt oppoſita? cur noſtram demum tractationem inuectiuis et conuitiis cumulant, Sarisberienſem leui plaga dimittunt? Sed iudicium de eo totum lectori partis ſtudio non capto relinquimus. III. Et cum nobis biographos editores Operum Gregorii M. opponat, qui inter aniles fabulas eam traditionem retulerunt, cur non illi rationes validas et argumenta addiderunt, et ex tripode quaſi pronuntiarunt, eſſe fabulam? cum ignotum non ſit, quibus rationibus

Digitized by Google

nibus Oudinus de fide eorum in edendis Gregorianis dubitauerit, quas tamen cum a noſtro campo alienae ſint, praetermittimus, nec noſtras facimus. IV. Quod autem nobis Proteſtantes opponit, in facti circumſtantiis diſſentientes, quid ſecundum dialecticam Friſingenſis doctoris illud probat? qui in fine diſſertationis ſuae de eruditis viris haec caſtra ſequentibus, tam abiecte iudicat? quique non ignorare potuit, auctoritati ſcriptorum, niſi rationibus muniantur, parum inter Noſtros deferri, nec ſolere nos, ſicut noſter et commilitones eius (viros doctos moribusque ornatos excipimus) ex lexicis ſcholaſticis teſtimoniorum neruos accerſere. Et non contemnimus totam cautionem Baylii, quem an intellexerit Diſputator, valde haeremus, ſed exemplum eum eſſe volumus, nihil non ſub examen Proteſtantes vocare, antequam affirmant vel negant, Baylium autem more ſuo Pyrrhoniſmo hiſtorico fauentem, monemus, non inter dubia rem reieciſſe, ſed vlteriori tantum et ſtringente magis diſcuſſione dignam iudicaſſe. V. Nec fauſtis magis auibus Sarisberienſis auctoritatem et teſtimonium Antagoniſta aggreditur, ne vnum tamen contra eum argumentum afferens, niſi negatiuum illud, quod in limine refutauimus, ſilentium biographorum coaeuorum, quod nihil probare et ſuſpectiſſimum eſſe, ſupra demonſtrauimus. Non negamus, nos, ſi haec ſcripta non reliquiſſet, totam eam hiſtoriam ignoraturos fuiſſe, fatemurque nos iterate, cum haec ſupplementa ſcriberemus, examine eius narrationem examinauiſſe, proſcripturi, quod in aliis exemplis fecimus ſaepiuſcule, fabulam, ex qua nobis nullum emolumentum enaſcitur, eo quod Gregoriana hiſtoria ita dudum in luce poſita eſt, vt rectam in ea viam inueniat, quisquis in meridiana luce caecutire, ex educationis ſectaeque vitio non aſſuetus eſt. Certe haec traditio inter obiectiones et accuſationes, quae in magnum epiſcopum moliti ſunt critici noſtrae aetatis, non maxima eſt, poteſtque inter *μικρολογίας* veteris hiſtoriae referri, vt ſupra iam obſeruatum. Sed cum hiſtorici tamen, cuius vices ſubiimus, ſit, non vera tantum tradere, ſed etiam nihil, quod verum eſſe poſt iuſtum examen conuictus eſt, reticere, abiicere eam et delere ex noſtra hiſtoria critica philoſophiae non potuimus. Nec hic religionis parti velificamus, cuius parum intereſt, cumbuſſiſſe bibliothecam Palatinam ex imprudenti nimisque feſtinato zelo Romanum Pontificem, nec ne, qui indubitatis teſtimoniis ipſe ſuis verbis prodidit, ſe profanas ſiue ſeculares literas vehementer perhorruiſſe, cauſſaeque religionis et eccleſiae inimicas reputauiſſe, virosque eccleſiaſticos ab earum ſtudio arcuiſſe, quod iam in Hiſt. Cr. Ph. ex epiſtolis Gregorianis inuicto teſtimonio roborauimus et inter cauſſas contemtarum ſeculis ſequentibus literarum retulimus. VI. Stamus autem adhuc auctoritate Sarisberienſis, nouis rationibus confirmati, quas in ſequentibus Anonymo Gallo reſponſuri, qui longe elegantiorem aciei ordinem inſtruxit, afferemus, et orbis eruditi, a praeiudiciis liberati iudicio ſubmittemus. Senſit pondus huius teſti-

monli Monachus noſter, itaque inter ſacra et ſaxum conſtitutus in fine Reſol. I. ita ſcribit, omnem aciei vim concludens: „Sarisberienſis ſcriptor „Anglus alias celeberrimus, hoc ipſum quoque factum abſolute refert, „quin de illo vllo modo ambigat. Eſto (oculorum enim fides Noſtrum „tandem conuicit) ſed, quia hic ipſe authorem nude afferit, nec vllum „monumentum ſignat, ex quo ſe rem tranſumſiſſe teſtaretur, ipſius pari- „ter teſtimonium iure in dubium vocari poteſt. Imprimis eſt auctor „Sec. XII. adeoque V. Seculis S. Gregorio M. poſterior, hinc factum nec „videre, nec a coaeuis reſcire, *nec traditione haurire* potuit, eo ipſo, quia „omnes ſcriptores ante ipſum de hoc facto vnanimiter ſilent, nec vllum „aliud monumentum ſignat, aut teſtimonium profert, vnde illud hau- „ſiſſet vel protraxiſſet. Merito autem ad eiusmodi monumentum etiam „reſpectu Sarisberienſis prouocatum eo. - - *Nec exinde* Sarisberienſi, tan- „quam viro ſui temporis doctiſſimo, qui ipſe etiam in concilio Latera- „nenſi 1179. interfuiſſe ſcribitur, et plura peramoena nobis ſcripta reli- „querat, *omnem fidem denegatam volo.* In hoc duntaxat puncto illum aut „coniectura aliqua, aut quo alio facto deceptum dico. Saepius id gene- „ris experimur in hiſtoria, et ſi eiusmodi cuiusdam ſcriptoris teſtimo- „nium vt verum ſemper recipiendi habemus legem, vae nobis! quae et „quanta fabularum monſtra adorare non debebimus, et hoſpitio recepta „venerari a)." In qua diſſertationis ſect. I. peroratione, quaedam non vera ſunt, quaedam elumbia, omnia autem nos conuincunt, Auctorem Ioannis loca non ipſa attente inſpexiſſe, ſaltem non relegiſſe cum attentione, et examinaſſe. Cuius nobis fidem facit, quod aſſerat, nullum monumentum Petitum ſignaſſe, ex quo rem ſe tranſumſiſſe teſtaretur, ipſum illum ex traditione factum hoc haurire non potuiſſe, vnanimi porro ſilentio hoc factum tectum eſſe etc. Et tamen coniectura aliqua, quae factum in argumento hiſtorico ſupponit, aut facto alio deceptum eſſe ait. Quae omnia falſa eſſe perperamque dici vidiſſet, ſi attentionem in legendo adhibuiſſet: vt ex infra dicendis conſtabit. Haec itaque lectori candido, et rationalis philoſophiae perito, cui liberius, quam nobis, vndique laboribus cinctis, otium eſt, rependenda relinquimus, et auctori indignis modis ex religionis odio et profeſſionis ſcholaſticae inuidia nos alatranti ſanam, ſi ſupereſt, mentem, veniamque atrocis malitiae precamur, et pertaeſi nugarum et dumetorum ſcholaſticorum ad amoeniorem et doctiorem Gregorii M. defenſorem conuertimur, auctorem Gallum, qui hoc anno clɔlɔccLxvi. quo haec ſcribimus, Gallica lingua duobus tomis ſine nomine et loco *hiſtoriam criticam Electiſmi*, quem vocat, ſiue nouorum Platonicorum euulgauit; cuius criſis hiſtorico-philoſophica, ante paucos dies ad nos delata eſt, quamque, abſolutis iam ad tomum III. Hiſt. Cr. Ph. ſupplementis, ad manus noſtras demum peruenſſe, merito dolemus: eo

a) Non ſentit auctor, quam valide ſua et Gregorianae hiſtoriae traditionibus monachorum turgemis vineta caedat.

Digitized by Google

eo quod argumentum non satis, vt merebatur, olim ab aliis pertractatum magna diligentia multaeque doctrinae et ingenii quoque luxuriantis ostentatione excutiendum sibi proposuit. Is nouam hanc historiam Eclectismi, (ita enim veterum morem secuti, Latina lingua nominare malumus,) erudito et graui, quod ait, zelo se pro veritate Christianae religionis contra impietatis fautores elaborasse, et imprimis ingrauescentibus hostium religionis aggressionibus opposuisse profitetur: hoc autem nomine imprimis in auctores vastissimi operis, quod *dictionarium encyclopaediae uniuersae* inscriptum multis voluminibus Parisiis vulgatum hactenus est, acerba tractatione insurgit, et his velut apertis omnis reuelationis hostibus, maxime propter articulum eius operis, vbi de eclectica medii aeui philosophia agitur, hanc suam pro veritate et auctoritate religionis tractationem velut *σοφὸν φάρμακον* adornauit, nobis autem in societatem hostium suorum collocatis mox in limine praefationis aduersarium se glorioso militis instar declarauit: eo quod Auctores istius operis in variis articulis, praesertim, vbi de philosophia eclectica Platonicorum agebatur, plusscula in opus suum transtuliissent, quae per consequentiam religioni vel ecclesiae potuissent esse noxia et periculosa. Et gaudebamus initio, ad nos quoque hunc libellum criticum et theologicum cura et fauore viri cuiusdam celeberrimi peruenisse, ex quo augere lumina nostra, et, quae pridem de eo argumento a nobis scripta sunt, perficere possemus, qui satis nouimus, plusscula in hoc nostro XXV. annorum labore a nemine hactenus tentato et absoluto extare, quae perfici, et emendari possint: iis autem moribus sumus, vt obseruationes a viris doctis profectas etiam a nostris dissidentes placida non tantum mente perlegamus, et proscripta praeiudiciorum caterua, secundum regulas philosophiae rationalis atque artis criticae examinemus, sed lubenter quoque cedamus demonstratae bonis rationibus veritati, et manum porrigamus: de religionis Christianae autem veritate inuictis argumentis multorumque annorum meditationibus, ecclesiae Christianae oculis multis speciminibus publicis oblatis, ita conuicti sumus, vt ne latum quidem vnguem recedere ab eo doctrinae systemate audeamus, quod sanctissimus Saluator in sacris paginis, librisque *Θεοπνεύστοις* luculenter reuelauit, et vniuersali fidelium coetui caste et ab omni humano errore et *ἑτεροδοξίᾳ* illibate seruandum commendauit. Quod ne arrogantius dixisse videamur habeamusque testem omni exceptione maiorem, ad ipsum Anonymum hunc, quem theologum esse, multis rationibus conuincimur, prouocamus, cuius iudicium dignum est, quod apologiae pro nobis dictae instar hic apponamus, vt lectori istius tractationis doctissimae, sed praefidenti calamo conscriptae fidem faciamus, nobis cum hostibus religionis nullam esse communem sententiam, nullas nos reuelationi Christianae insidias struxisse, nec in nostra historia philosophica eam vllo modo fuisse aggressos. Exhibebimus ipsa doctissimi et animosi scriptoris turgida et ex tripode dicta verba ex praefatione

fatione libri, cum Gallicam linguam maxima orbis literati pars intelligat. „L'encyclopediſte n'eſt gueres que le Copiſte de M. Brucker, écrivain „amoureux de ſes ſyſtemes, et fort attentif a faire prévaloir les ſentimens „oppoſés de ceux de l'Egliſe[b]: *mais du moins M. Brucker, ſincerement per-* „*ſuadé de la religion ne l'attaque ni directement, ni indirectement:* au lieu que „l'Encyclopédiſte ne paroit occupé, qu'à lancer, quelque trait contre „elle. Rien de ce, qui y a rapport, ne paſſe par ſes mains, qu'il ne „gâte par ſes deguiſemens, et des marques viſibles de malignité: ce ſont „des ironies amères contre le Chriſtianiſme, des obiections contre les „preuves dont on ſe ſert pour l'etablir, des difficultés contre ſes dogmes et „ſa morale." Quis non ſub hoc tegmine tutus de philoſophia gentili medii aeui, deque naeuis quibusdam, quibus viri pii et graues, ſed non attenti ſatis, ſe decipi a Platonicis eclecticis humanae imbecillitatis vitio paſſi ſunt, differat? quis expectet, ſcriptorem ſincere de religionis Chriſtianae veritate perſuaſum, quique illam nunquam vel directe, vel indirecte aggreſſus eſt, vno ſub iugo conſtringi cum homine tam atro colore depicto, et tot arietibus petito, iungique gryphes equis, appingi fluctibus aprum? Quis credat, libertatem hiſtoricam ſecundum facta et teſtimonia et ſyſtematum claritatem iudicandi omne partis ſtudium ſincere vitantem, in opprobrium religionis conuerti? quis vel ominando conſiciat, a ſcriptore ſine dubio eccleſiaſtico erudito et nec lectione, nec attentione deſtituto, hiſtoricum, in cuius humeros toties ſurrexit, vt aduerſarios confoderet, toties ad eum prouocauit[c] violatae religionis et eccleſiae Chriſtianae propter interpretationes ſyſtematum philoſophicorum inter aduerſarios eccleſiae ſubdolos iri numeratum? Et quis quaeſo ferat ideo tam grauem dicam ſcribi operi critico, cuius obſeruationibus abuſus dicitur religionis hoſtis? haecque omnia frigidiſſima praefatione palliari et defendi. Et tamen haec omnia in iſta hiſtoria critica philoſophiae eclecticae nobis euenisſe, paginae iſtae loquuntur, et teſtis eſt orbis literarius, ſingulari phaenomeno monitus, quantae ſint animis coeleſtibus irae: quanta praeiudicii educationis, ſcholae, partisque maxime in eccleſia violentia, quanta inſolentia odii theologici in eos, qui ſputa Romana lambere detrectant. Prudenti autem Lectori, quid de hac lite cenſendum ſit, ſtatuendum relinquimus iudicandumque, qui ſubdoli aduerſarii ſcopus fuerit, cur nos tanta inuidia cumulauerit, et argumentum ab odio et inuidia deductum in nos armauerit. Is enim ita hiſtoriae cri-

b) Monendus lector eſt, eccleſiae nomine Anonymum intelligere eccleſiam Romano-pontificiam, hancque ſolam dicere catholicam.

c) Vid. p. 5. 6. 45. 66. 83. 89. 94. 97. 104. 105. 141. 146. 150. 197. 209. P. II. p. 45. ſ. Exemplum capiet lector ex iis, quae auctor P. II. art. 3. 4. p. 44. de origine ſyſtematis emanatiui eiusque impietate et falſitate erudite diſſeruit, quae inuictis rationibus dudum probauimus. Quo pacto deſeruit explicationem Cl. Gerdilii ſupra adductam, emanationem et creationem ex nihilo parum differre, in qua haereſi haud paucos fuiſſe Iudaeos, et Chriſtianae quoque eccleſiae DD. ſumus perſuaſiſſimi. Et hoc quidem reſpectu mitius iudicium merentur, non autem res in clara luce verſata neganda, et fucus verbis inducendus. Verum de his alio loco pluribus agendum.

Digitized by Google

criticae philoſophiae opus, ſuſpectum reddere nititur, vt contendat, ea, „quae in iſto de philoſophia Chriſtianorum et eclecticorum ſiue Platoni„corum recentiorum diſputata ſunt, (quod ſe in homine Aug. Conf. ad„dicto non mirari pronuntiat) adhiberi in eum finem, vt probetur, certa „quaedam dogmata impia eclectici ſyſtematis irrepſiſſe in theologiam Chri„ſtianam, imo, quod magis, tanquam indubitato verum aſſeri: articu„lum fundamentalem huius ſectae, nempe ſyſtema emanationum, ſiue „pantheiſmi, adoptatum eſſe a theologis myſticis, duce et praeceptore „Pſeudo-Dionyſio Areopagita. Inde autem ſequi neceſſario, Eccleſiam „eſſe cuſtodem infidelem theſauri concrediti, nec nos ex eius teſtimonio „et inſtitutione (enſeignement) tranquillos fieri poſſe. Hanc, infert, „conſequentiam eſſe, quo Lectorem ſeducant noſtrae obſeruationes, vt „credat, inductum eſſe in religionem Chriſtianam Platoniſmi recentioris „fucum (teinture) haud leuem; Encyclopaediſtae autem ſcopum eſſe, vt „omnia in ventos et aërem abeant, quae videntur habenturque diuina „in firmanda religione Chriſtiana. Huic autem fini, cum veterum mo„numenta ſe conformari non patiantur, ea picta alieno colore, mutata „et contortis quaſi machinis coacta fuiſſe, vt ſyſtematis nexum ingredian„tur; et cum adhuc quaedam vacua ſupereſſent, recurrendum fuiſſe ad „ſuppoſitiones ſcopo conuenientes: adeo hanc narrationem non fidelem „et exactam, ſed imaginariam, et dimidia parte ex nihilo creatam:" Grae ue certe ἔγκλημα, cui merito occinere liceat

Parcius iſta viris tamen obiicienda memento,

adeo inimica et ad infamiam peſſimamque noſtrae hiſtoriae criticae inurendam maculam excogitata, vt felle et amarore calamum tinxiſſe Gallum ſcriptorem non humanitate et mentis tranquillitate chriſtiano homine digna, totus manibus palpare poſſit orbis literarius, indignaturus auctori de cathedra pronuntianti, quod talia affinxerit ſcriptori Chriſtianae fidei ex mentis ſinceritate addictiſſimo. Quanquam enim plane ignoramus, quid, et qualia ex noſtris obſeruationibus in ſuos vſus Encyclopaediſtici articuli auctor receperit, quod in huius libri genere fieri aliter non poteſt et ſemper inter eruditos licuit: nobis tamen, quicquid illud eſt, quod tantopere pontificias partes pungit, eo minus imputandum eſt, quod nec vaſti illius Operis auctores nouimus, nec, praeter illa, quae in nouellis literariis vulgata ſunt, penitiorem hactenus eius operis Oeconomiam cognouimus, immo, vt in vrbe noſtra Mercurio magis, quam Apollini litanti euenire interdum ſolet, magni et cariſſimi Operis exemplum vix ſemel atque iterum fugitiuo oculo inſpeximus: et articulum, *eclectiſme*, nunquam legimus, vel cum noſtris comparauimus, ideoque omnia celeberrimis compilatoribus defendenda et ornanda relinquimus, totiusque rei inuidiam ad auctoris inſidioſi et ſubdoli caſtra veſut κεφὸν πρόσωπον remittimus. Vt vero Lector ipſam ſcopi huius aduerſarii effigiem coram intueri, et cognoſcere poſſit, eius conſilium Proteſtan

ſtantium eccleſias cauillandi, denudabimus, et in quas anguſtias redactus, ad defendendae eccleſiae ſuae cauſſam contra eos adactus ſit, exponemus. Dabimus iterum eius locum in lingua Gallica, ne quid fraudis acceſſiſſe noſtrae narrationi videri poſſit. Ita vero: *dans ſa longue hiſtoire de l' Eleſtiſme et de la philoſophie de Chretiens, M. Brucker ſemble avoir eu preſque uniquement en vue de montrer, qu' il s' etoit gliſſé dans l' Égliſe de dogmes nouveaux, inconnus aux Apôtres. Il faut convenir, que ſi M. Brucker avoit raiſon, les Proteſtans triumpheroient, que l' Egliſe [d] devroit avouer ſa defaite. Mais on a vu combien on doit être peu allarmé des attaques de l Ecrivain Allemand.* Multa poſſent huic doctiſſimi Antagoniſtae garrulitati, qui Germani critici ſeueritatem ferre non potuit, opponi: ſed cum prolixitatem praeſens pagina refugiat, pauca quaedam lectorem monemus, vt de hoc opuſculo criticam poſſit ferre ſententiam. Nempe 1. clariſſime prodidit auctor, alias rerum veterum harumque literaturae haud ignarus, certe noſtros fontes agnoſcens, et ſecutus, artis autem poſt carecta latendi, et ex obliquo aduerſarium aggrediendi, callentiſſimus, non tantam pectori ſuo curam inſediſſe tuendae veritatis et integritatis eccleſiae apoſtolicae, Chriſti eiusque apoſtolorum doctrinae inaedificatae, et in corpus vniuerſale et aedificium Spiritus S. compaginatae, quale luculentis verbis deſcripſit D. Pavlvs [e], quam eccleſiae pontificiae, cui ipſe adſcriptus eſt, et in cuius obſequium tradidiſſe, multis locis palam fecit. Hanc enim etſi nunquam nominat, ſed vniuerſalis eccleſiae nomine caute tegit, prodidit tamen hoc loco, illam vnam ſe intelligere et defendere; opponit enim eam eccleſiae Proteſtantium A. C. ſequenti. Quae cum nunquam ab eccleſia vniuerſali et Apoſtolica, qualem nobis Sp. S. ſecundum doctrinam et mores in SS. pandectis delineauit, ſeceſſum fecerit, et vnicam fidei normam, reuelationem euangelii, non ſecundum traditionem hominum labilium, vel philoſophumena rationis in myſteriis fidei nugantis, ſed ſecundum literam et ſpiritum, in articulis fidei ſequi ſe toties declarauerit, et demonſtrauerit, eccleſiae Chriſtianae opponi nequit, ideoque tota auctoris pugna imaginaria eſt, et aërem verberat. 2. Quod ſi autem concedit, eccleſiam Romanam ſe intelligere, quod nemo non videt, miramur, virum doctum et artis ratiocinantis peritum, non palpaſſe paralogiſmum, qui ſubreptionis vitio eum ſeduxit, vt eandem vniuerſalis eccleſiae nomine aliarum gentium eccleſiis eiusdem notae generisque, quae euangelium I. C. profitentur, opponeret, quem ſoloeciſmum licet antiquum ſatis, Graecam atque Africanam eccleſiam dudum in Romana notaſſe, ex annalibus eccleſiaſticis notum eſt. 3. Tandem ſi eam Romanae eccleſiae faciem intelligit, qualis ſub pontificio lugo doctrinisque characteriſticis hodie floret, non negamus quidem, talia inter ſana dogmata in ea doceri, quae a ſanctiſſimo euangelii teſtimonio in

d) Semper addenda voci eccleſiae, nota diacritica, Romanae.
e) Epheſ. c. II. v. 19. 20. 21.

Digitized by Google

in ſacris apoſtolorum codicibus velut Θεοπνευστοις luculenter tradito diffident, habereque ea origines humanas et peregrinas *f*. Aſt quo pudore illis, qui haec affirmant, tribui ſubdola erga reuelationem et religionem Chriſtianam ipſam mens, artesque malae poſſunt, quando has maculas detergunt, et in quo puritas priſtina euangelii verſata ſit, euidentibus Spiritus diuini teſtimoniis demonſtrant, impuras autem ſcaturigines detegunt, vnde errores poſtea irrepſerunt. Quo labore cum dudum contra pontificios thraſoniſmos et epinicia ante victoriam cantata viri magnae eruditionis ſinceraeque fidei, puritatique euangelicae toto pectore addicti defuncti ſint, ridenda plane ſunt iſta promachorum horum molimina et fulgura ex pelui, qui non erubeſcunt, ſophiſmatibus logicis et hiſtoricis et imprimis iniquis vitioſi circuli ratiocinationibus, Proteſtantium eccleſiis impietatis et hoſtilis erga religionem et eccleſiam animi maculam inurere. 4. Aſt haec huius quidem loci et arenae non ſunt, vbi non de conſequentiis theologicis, ex erroneis praeſuppoſitis hauſtis, ſed apertis teſtimoniis fidei hiſtoricae, et factis, ſyſtematibusque manifeſtis proprie quaeſtio eſt. Quibus deinde ſi ex artis criticae et rationalis regulis veriſimilitudinis gradus rite ponderati adiunguntur, et euidentiae cauſſa ſubordinantur, quis ita in officium Chriſtiani theologi, et hiſtorici cauti et attenti peccari, clamitet? Veruntamen, quia haec talia proprie ſecundum veritatis regulas et praecepta logica atque reipublicae Chriſtianae vniuerſalis principia examinare velle, theologis relinquendum eſt, nolumus contentionis ferram hoc loco alieno reciprocare, tempusque optamus et otium reſpondendi de iis, quae non cauillandi eccleſiam Romano-pontificiam ſcopo, in hiſtoria philoſophiae Chriſtianae mediae aetatis ſcripſimus, ſed vt labem, erroresque nonnullos, qui magnis cetera et piis viris, maxime in eccleſia Graeca et Aegyptiaca, ſeculi vitio ſubrepſerunt, hiſtorica fide et iudicio practico vſi detergeremus, eccleſiae Chriſtianae vniuerſalis doctrinae, qualis primis poſt C. N. ſeculis ſecundum ſcripturae ſacrae normam floruit, toto et ſincero pectore cum eccleſia A. C. teſſerae addicta, deuoti. Ceterum controuerſiis a doctiſſimo auctore hiſtoriae criticae electiciſmi encyclopaediae conditoribus motis nos non miſcemus: Loquentur illi pro ſe ipſi, ſi hoſtes religionis Chriſtianae videri nolunt, et ab iſta ignominia opus magnum et vaſta eruditione conſpicuum liberabunt. Nos, quae non legimus et examinauimus, iudicare et damnare non poſſumus; ea autem, quae Anonymus in religionis fraudem dicta eſſe exempla attulit, ſi ita ſe habent, et non ſuſpicionibus tantum et detorſionibus nituntur, toto pectore perhorreſcimus, et a noſtra ſinceritate aliena eſſe proteſtamur. Specialem tractationem autem ex dictis cauſſis hoc loco Lector non expectabit. Vt autem vno exem-

f) Exemplum eſſe poteſt dogma de purgatorio. Multa huius generis in argumento morali obiecit anonymus auctor celeberrimi libelli: parallele de la doctrine de payens avec celle des Ieſuites, et de Conſtitution de Pape Clement XI.

exemplo hulus, quae nobis inuitis obtruſa eſt, litis indolem exponamus, breuiſſimis, quod ſupra promiſimus, poſt *prologum* hunc *galeatum*, quem fama noſtra poſcebat, articulum de Gregorio M. ſupra tam a nobis tractatum excutere animus eſt. Hunc enim nobis ſolis [g], non vero encyclopaediae auctoribus anonymus oppoſuit, lectorem autem rogamus, ſi tantum temporis ſibi eripi patiatur, vt ea relegat, quae philoſopho Friſingenſi oppoſuimus.

Calumnias a nobis contra Gregorium M. ſparſas adeo ſingulares eſſe, conqueritur, vt ſilentio praeteriri nequeant [h]. Quanquam autem haec, quam vocat digreſſio, cum totius libri oeconomia nulla ex parte cohaeret, nec nos Alexandrinae philoſophiae errorumque inde enatorum Gregorium accuſauimus, et ita ad hiſtoriam Eclecticam non pertinet; obtorto tamen collo eam hoc loco infarſit ſcriptor anonymus, quoniam inde ſperabat, lectorem ſeduci poſſe, vt crederet, hiſtoriam noſtram de philoſophia patrum eorumque naeuis nonnullis fidem omnem amiſſuram. Quo pacto tamen id effecerit, lectorem latere nolumus. Cuncta enim cum teſtimonio auctoris veteris grauisque, qui rem ſcire potuit, cauſſamque cur mentiretur non habuit, nunquam autem odii erga Pontifices Romanos ſuſpectus vel accuſatus eſt, vt decet hiſtoricum, bona fide enarrauiſſemus, vnam obſeruationem addidimus, ex inconſulto magni praeſulis zelo decrementa literarum, quae Sec. VI. et VII. mirum in modum inualuerunt, atque firmata ſunt, fuiſſe aucta, et occaſionem dediſſe, vt elegantiores et ſeueriores ſecularis doctrinae literae in dies magis exularent. Quod calumniam noſter in eccleſiam eiusque caput interpretatus eſt, vtrum autem hanc faciem referat, diſputare nolumus, quibus nunquam animus fuit, iniuriis Pontificis cumulare hiſtoriam, ſed tantum bona hiſtorici fineri fide eos naeuos modeſte indicare et iudicium practicum interponere. Vnde, quae ſupra Friſingenſi aduerſario eandem cantilenam occinenti repoſuimus, huic etiam anonymo dicta volumus, et calumniae accuſationem auctoribus ſuis inuidia partisque ſtudio turgentibus velut in patriam ſuam remittimus. Ea autem, quibus contra noſtram narrationem, (quae tamen noſtra atque noua non eſt, ſed dudum in orbe literato Gregorio obiecta [i]) diſſeruit, enarrabimus, totamque cauſſam ſtrictim ita excutiemus, vt palpare poſſit rerum intelligens iudex fortiſſima huic quoque promacho Gregoriano moenia fuiſſe vetus diuerbium: *ſi feciſti, nega.*

Et initio quidem longa narratione auctor fata bibliothecae Palatinae enumerat, et fatales ignes ex Tillemontio enarrat, qui auguſtam hanc biblic-

g) P. I. p. 508.

h) Haec cum tam alta pontificiae ſedis alumnis vulnera infligant, vt calumniam dicant, quando non adeo magnum fuiſſe Gregorium factis demonſtretur, quam illi crepant, cur ob has calumnias funditus euertendas non ante ſecula ſeptem adorti ſunt Ioannem Paruum, cur patienter tolerarunt calumniam, cur ea demum Hiſt. crit. phil. obiicitur?

i) Exempli cauſſa legenda, quae diligenter congeſſit Tauzschovius de Dd. Scholaſt. c. VI. p. 276. cui plurimi Scriptores H. E. addi poſſent, ſi in hiſtoriae S. campo verſaremur. Cur enim non dictus Hylas?

Digitized by Google

bibliothecam, praeter libros mathematicos et diuinatrices multorum quoque vetuſtiſſimorum ſcriptorum codicibus, quibus ſapientia ſuperiorum temporum continebatur, ſuperbam depaſcere haud ſemel coeperant. Praeter has vero euentus triſtes reipublicae literariae, non immediate auctorem teſtimonii, ad quod prouocaueramus, aggreditur, ſed eo in extremum digreſſionis locum paucis lineis magnaque ſuperficiariae arrogantiae voce velut incerto et non audiendo reiecto ad coniecturas et rhetorications conuertitur, et probabiles quasdam ratiunculas affert quibus fuco eloquentiae pictis euincere fatagit 1. incredibile eſſe, quod bibliotheca Palatina adhuc aetate Gregorii ſeruata extiterit, et in Vaſtatione et direptione Vrbis, quam ſub Alarico paſſa eſt, et in qua magna eius pars incendio deflagrauit, huic theſauro literarum perpercerit barbararum gentium ferocia: Id enim ſine miraculo non potuiſſe euenire, nec ſcriptores eius aeui id praetermiſſuros fuiſſe ſilentio. Idem dicendum de vaſtatione Romae ſub Genſerico, quam a S. Leone exoratus Genſericus non igne quidem deleuit, aſt per 14. tamen dies militibus diripiendam tradidit. Sub Iuſtiniano autem bis eandem fortunae ſaeuitiam expertam eſſe a Gothis, cum a Totila diripiendae vrbis licentiam accepiſſent, hi autem tanto furore id egiſſent, vt ſoli, nudique domorum ſuarum muri incolis relinquerentur. Hinc in tam deſolata et deſerta vrbe montis Palatini bibliothecam ſuperfuiſſe, neminem poſſe credere. 2. Quod ſi hanc fati violentiam euaſiſſet, ita vir doctus pergit, recordandum tamen eſſe, palatium Montis Palatini fuiſſe aedificium publicum, de cuius fortuna nemini diſponere licuerit, praeter imperatorem Romanum. Ipſum magnum Pontificem, cum a Mauritio Imperatore leges in prouinciis vulgare, quas non omnes probabat, iuberetur, attamen imperatori reuerentiam et obedientiam praebuiſſe, additis tantum ſuis correctionibus, in iis, quae mutanda putabat. Et hunc quidem pontificem, obſequio et reuerentia erga imperatorem plenum, dici, publico incendio in montis Palatini bibliothecam graſſantem, adeo contra ſuum Vrbisque tunc Romanae adhuc Dominum tanta audacia inſurrexiſſe? Quae inter ſe conciliari non poſſint. 3. Opinionem quidem eſſe, quod ſanctus Pontifex ad illud conſilium deſcenderit ex pio zelo, vt, deletis igne libris profanis, Scripturae ſacrae lectio eo vehementius omnibus commendaretur. Aſt iſtam opinionem, vrget Auctor, ſancto Papae zelum indiſcretum, ineptum, Irrationalem, et fanaticam imprudentiam tribuere, qua Saracenicus imperator poſt captam Alexandriam libros veteres omnes propter auctoritatem legis Islamiticae, ſiue Alcorani conſeruandam concremari iuſſit. Non poſſe autem has ineptias et delirantis ingenii conſilia fanatica Pontifici adſcribi, cum nullam vnquam eius ſuſpicionis vel accuſationis occaſionem praebuerit. Ita enim illi tribui mentem et ſententiam a iudicio doctorum eccleſiae meliorum ſeculorum longe deuiantem, qui contra prohibitam Chriſtianis lectionem ſcriptorum ſecularium et elegantiorum

literarum tantopere declamauerint. Hanc mentem anteceſſorum in eccleſia ignorare Gregorium non potuiſſe, niſi ignorantiſſimum. Si autem eorum ſententia eius notitiam non effugerit, comprehendi non poſſe, quod non inde intellexerit, librorum ethnicorum lectionem atque vſum legitimum concedendum eſſe. 4. Inſtat porro Noſter, ſi concederetur, zelo tali imprudente et nimis vehemente excitatum Gregorium ita de vſu ſcriptorum gentilium ſtatuiſſe; non tamen inde concludi poſſe, eum illi perſuaſiſſe, vt ſine ſeruata diſtinctione libros Palatinae bibliothecae omnes, philoſophorum, hiſtoricorum, oratorum etc. Vulcano traderet. Hoc enim idem eſſet, ac ſtultam ei dementiam, et reuera delirium imputare, quod tanto tamen viro, propter venerationem, quam vtuus et poſt mortem conſecutus eſt, tribuere moraliter impoſſibile ſit. Ideo excuſationem iſtam excogitatam videri, quae a ſtudio vrgendarum ſacrarum literarum deſumta eſt, hoc autem pacto totam narrationem Sarisberienſis in fumos abire, et neceſſario derelinquendam eſſe, cum alio teſte deſtituatur. 5. Ita vero ex conſilio Anonymi, diſpoſitis per cuniculos iſtos ratiuncularum et ſuſpicionum leuiſſimarum agminibus, tandem aperta acie arcem totius quaeſtionis hiſtorico-criticae aggreditur et in ipſum Sarisberienſem inſurgit. Vrget contra illum, eſſe Scriptorem Seculi XII. (ſupra iudicii critici vim ei denegauerat) eum autem narrationem ſuam fulcire ſola quadam traditione orali, nullo ſcriptore celebri et noto eandem narrante vel tradente. Impoſſibile autem eſſe, traditionem quandam ſedecim vel octodecim generationum ad poſteros propagare poſſe factum tale extraordinarium, cum quinque fere ſeculorum ſpatium inter Gregorii M. et Ioannis Sarisberienſis aetatem intercedat. Vidit ſatis Anonymus pontificis defenſor, non poſſe tamen Sarisberienſi mendacii et detractionis culpam imputari, et non facile famam quandam in vulgus exire, cuius non circumſtantia quaedam occaſionem ſuppeditauerit: aſt hanc ignorari fatetur, nec ſemper occaſiones detegi poſſe cauſſatur. Coniicit tamen, epiſtolam magni praeſulis ad Deſiderium, cuius ſupra partem exhibuimus, occaſionem ſuppeditauiſſe huius commenti, eo quod Papa zelo pio actus ſtudium grammaticum in viro eccleſiaſtico improbauerit et grauiter reprehenderit. Non negat hoc Anonymus, conceditque zelum ſummi Paſtoris magis laudem mereri, quam eius ſcientiam et accurationem dialecticam, id eſt, ratiocinandi et iudicandi peritiam: putat autem tum valere ratiocinii pontificii nexum, ſi concludatur, lectionem ſtudiumque ſcriptorum gentilium non decere epiſcopum, ſanctioribus et melioribus laboribus vnice deſtinatum. Nec mereri contemtum et reprehenſionem pontificem, ſi etiam concedatur, non adeo accurate eum in concludendo fuiſſe ratiocinatum. 6. Accuſari porro Gregorium M. quod, proſcriptis literis ſecularibus, moralia ſua ſubſtituerit, quae tamen reuera tantum ſint rhapſodiae. Vrget autem ad haec retundenda, libros eius morales tantopere ſemper laudatos et commendatos eſſe in eccleſia Latina: ipſum autem

Digitized by Google

autem pontificem adeo abfuiſſe ab obtrudendi ſua conſilio, vt multo magis indignatus ſit, quod Marinus Rauennae epiſcopus moralia in Iobum publice in eccleſia legi iuſſerit, eo quod non pro vulgo illa ſcripta ſint. Obiici porro a Vossio [k] mandauiſſe eum, vt hiſtoria Titi Liuii igne deleatur, ſed deſiderari teſtem; haec enim librorum gentilium fata non prohibitionibus pontificis, ſed temporum, eiusque ſeculi infelicitati adſcribenda eſſe, nec, ſi a pontifice profecta eſſent, tantam literaturae et doctrinae conuerſionem effecere potuiſſe: ſed iam tunc rariſſimos fuiſſe, propter vaſtationes barbarorum, codices veterum, id quod exemplo fruſtra petitorum a pontifice et non inuentorum exemplarium S. Irenaei illuſtrat. Ex quibus tandem victoriam de noſtra narratione canit, et reiecta Sarisberienſis auctoritate, vt epiſodium addat, ad Baylium famoſum nos dimittit, qui hoc teſtimonium attentione dignum non eſſe iudicauerit. Et haec quidem critici pro Gregorio M. apologia eſt, centum Bauaricis elegantior, quam integre et candide totam fere deſcripſimus.

Dicet, hac longa diſputatione audita, Lector forte, laſſus ex acutis et ingenioſis Gallici ſcriptoris ratiunculis

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponet? Reponendi ergo atque ad haec reſpondendi criſi noſtrae a lectore veniam petimus, et, quid nobis iterato examine et prolixiori attentione obſeruatum, et *ἄνευ παθῶν* diiudicandum videatur, candide explicabimus.

Et I. quidem, dum venuſta et diſerta oratione bullas auctor prolicit, et rhetorum artibus cum dialecticae ſcholaſticae verſutia adiutus aliena et ſcopum non ferientia immiſcet, et imbecilli ratiocinationis genere, lectores ab inquiſitione facti critica et hiſtorica ſeducit, et auocat, prodidit certe cauſſae ſuae in apertam aciem deducendae ſe diffidere, alias non ſuſpicionibus, quae facile in eum ipſum tanquam ſcepticiſmo hiſtorico patrocinantem conuerti poſſunt, ſed accurato examine logico Ioannis teſtimonium euertiſſet. Aſt maluit ille poſt carecta latere, et anxie circumſtantias nonnullas conquirere, ex quibus hariolari poſſe lectorem credebat, Palatinam bibliothecam, tempore Gregorii M. non amplius extitiſſe. Aſt nec controuerſiae ſtatum rite format, et ad eos cuniculos confugit, quibus omnis hiſtoriae fides poteſt euerti. Adeo autem ſecurus his latebris confidit, vt non videat, per easdem vias hoſtes religionis, quibus exercitum ſuum opponit, eiusmodi cuniculos agere quoque contra arcem Chriſtianae religionis, et imprimis contra traditiones eccleſiae Romanae fere omnes poſſe; quibus cum grauem ideo dicam ſcribat, quod futili illa, aſt ſeducendo lectori apta methodo vtantur, *αὐτοκατάκριτος* ſuam ipſe cauſſam iugulat, et Pyrrhoniſmum antiquitatis hiſtoriae introducendo, ſuorum, quos aggreditur, hoſtium aciem roborat et in omnem veteris aeui traditionem immittit. Hoc ſi licet, quam ei cauſſae

k) De hiſtor. Latinis L. I. c. 19. p. 98. qui ipſe legendus eſt, auctores enim ſuos, quos ſecutus eſt, nominauit.

bonae victoriam pollicebimur? Annon nobis iam fas esset, illi, qui nos inuidiose et contra conscientiam suam hostium religionis agmini miscuit, obiicere, ipsum, satis quidem improuide illis frigidam suffudisse, et arma suppeditasse? Annon eodem iure, eadem facilitate, ast certioribus argumentis liceret ei occinere, in tota sua historia critica nihil aliud egisse, quam, vt tentaret sophistica differendi, et omnia susque deque miscendi exercitatione et vitilitigationibus religionis Christianae defensionem prae se ferentibus lumina rationis et reuelationis diuinae nobis eripere, ne vulnera illius ecclesiae, quam religionis, et vniuersalis ecclesiae nomine ornat, conspiciantur. Verum ab hoc argumento ab odio et inuidia ducto longe absumus, et meliora speramus de viro doctissimo, sed praeiudiciorum agmine stipato et magna ferocia in arcem veritatis historicae insurgenti, qui si parcius coniecturas fuisset secutus, si nostra toties in falsos sensus non rapuisset, si ab inepto partis et factionis studio abstinuisset, si candidum rectumque pectus pro ipsa Christiana veritate conseruasset, si fucum historiae non induxisset, si praeiudicialem horrorem lectori contra antagonistas incutere non tentasset, et aperta potius acie pugnasset, tandem, si ecclesiam particularem Romanam eamque hodiernam cum vniuersali siue Catholica non miscuisset, si tempora distinxisset, si systemata veterum se inspexisse ostendisset, pro ea, quae in eo laudanda est eruditionis et ingenii abundantia, haud infeliciter pro Christiana religione, quae vetitis et suspectis armis opus non habet, et diuinis testimoniis humana artificia longe superat, in campum copias suas eduxisse crederetur. Et plura quidem praeiudiciali huic argumento non adiiciemus, qui copias explicandi locum heic quidem non habemus, et sufficere quoque haec possunt ad retundenda ea, quibus in praefatione sua nos famamque nostram lacerare consultum duxit.

II. Quamuis autem subdole, sed ingeniose aciem antagonista noster instruxerit, cauteque vsque ad praelii exitum Sarisberiensis testimonii fidem euertere distulerit, nos autem, facile hoc vno confirmato ratiunculas istas naeniasque nobis oppositas vno ictu corruituras possemus nobis promittere; lustrabimus deinde tamen turmas illas velitarias, quas in primo agmine nobis oppositit. Ast, prius et ante omnia, quaestionem de qua agitur, et narrationis nostrae summam candido Lectori, quem iudicem constituimus, explicabimus. Nempe, aduocata in testimonium fide Ioannis Petiti siue Parui Sarisberiensis, cui, quicquid rei nouimus, nos debere candide fumus professi, nec more aduersariorum gerras et inanes strophas praetendimus, illius verbis narrauimus: *1. doctorem sanctissimum Gregorium mathesin iussisse ab aula recedere, 2. traditum A MAIORIBVS, incendio dedisse probatae lectionis scripta, Palatinus quaecunque tenebat Apollo. 3. Gregorium ideo combussisse bibliothecam gentilium, quo diuinae paginae gratior esset locus, et maior auctoritas, et diligentia studiosior.* 4. Non reticuimus, haec non ex scriptis libris hausisse Sarisberiensem, sed ex fama

Digitized by Google

fama publica, a maioribus tradita indeque ſubdubitaſſe de ea traditione Baylium et Barbayracium. 5. Subiecimus autem noſtram ſententiam modeſtam ſane nihilque malitioſum in Gregorium meditantem, ſed iudicio critico et hiſtorico nixam: *videri* [l] hanc traditionem non in dubium vocandam eſſe, tum, quod maiorum fide nitatur, tum, quod Gregorii de literis profanis omnibus iudicio conformis ſit, eo quod ſeculares, quas iam tum vocabant, literas vehementer perhorruerit, et nefandum iudicauerit, vel laico religioſo, multo vero magis epiſcopo, grammaticam et ſcriptores veteres Latinos exponere, tum, quod probatae quoque lectionis auctores cum ſuſpectis ſimul ſuſtulerit. Inde vero 6. critico examine adhibito concluſimus, eueniſſe, vt grauia vulnera inflicta ſint literis humanioribus et philoſophiae, tum, quod iſto incendio maior optimorum codicum penuria, quam quae antea obtinuerat, inter Romanos introducta ſit, tum, quod humanitatis literae turpiſſima mathematicorum et genethliacorum macula aſpergerentur, et perhorreſcentiae atque abominationis affectus, tanquam in rem blaſphemam contra ſeculares literas incuteretur, quaſi philoſophia eſſet netariarum artium parens: tum, quod viris eccleſiaſticis, penes quos ſolos tunc erant literarum ſtudia, loco philoſophiae, morales Gregorii M. libri in manus traderentur, et pro vnico moralis philoſophiae fonte haberentur, quanquam nullo iudicio philoſophico eſſent conſarcinati. Haec eorum ſumma eſt, quae *capite ſecundo libri ſecundi* ſine dolo diximus, quaeque *ὑπερασπίσεως* ſedis et dignitatis pontificiae ita in nos armauerunt, licet centies dudum obiecta ab aliis, qui ſcapham ſcapham dicere auſi ſunt, vt, quod nonniſi miſeris ratiunculis tentare poterant, conuitiis, calumniis, iniuriis perficere omni arte adhibita conarentur. Ad quae tamen omnia placidi contemta hoſtis ferocis quidem, aſt imbellis importunitate incredibili taciſſemus, rati, adeo rem in aperto eſſe, vt vel mediocris doctrinae Lector iudicium interponere poſſit, cum nobis adeo inuiſae ſint contentiones literariae, vt veritas etiam contentioſa diſpliceat. Aſt cum accelliſſet nuperus ſcriptor Gallus, artem dicacitatis ingenioſae eximie edoctus, isque ipſe etiam contra Gallicae elegantiae mores, calumniae nobis maculam affricaſſet, neceſſarium putauimus, non tantum integritatem morum noſtrorum a calumniae accuſatione vindicare, et quibus argumentis perſuaſi fuerimus, vt hunc in modum Gregorianum factum et philoſophiae atque literarum ſub eo factum narraremus, exponere: ſed Lectoris quoque contra hos inſultus ita munire animum, vt apertos in philoſophiae hiſtoria conſeruet et cuſtodiat oculos, animumque, abiecto praeiudicio, ſoli veritati addicat. Nihil inde religioni ſanctiſſimae timemus, qui inuictis rationibus certi ſumus, innocentiſſimam eius veritatem et ſanctitatem ſuis adeo coruſcare radiis, ſuisque conſtare neruis, vt a nullius hominis placitis, opinionibus, auctoritate,

, quan-

l) Notandum hoc propter Friſingenſem ſcholaſticum, qui hoc maniae in nobis culpabat, quod non dixerimus: videri nobis, id quod ferri et in vtramque partem diſputari poſſe concedit.

Digitized by Google

quanquam in orbe et ecclesia maxima; multo minus ab eius erroribus et ἀβλεψία, et iudicandi impotentia praeiudicium ei possit enasci, tutique magnoque animo audemus Gregorianae contentioni laruam detrahere, et, quid verum sit, quid verisimile, quid concludi a sanae mentis homine, quid inferri ex testimoniis historicis possit, paucis porro enarrare. Ad tria autem momenta et capita, quantum licet, succincte et paucis nostram reuocabimus disquisitionem et ἐπιχείρων, vnum, quod secundum regulas logicas et criticas narrationem Ioannis Sarisberiensis examinat, ostenditque magis fidem eam mereri, quam opinionem negantem; alterum, quod in causam rei inquirit, et, quid inde vel Gregorio M. tribui possit, vel, quid praeter intentionem eius in detrimentum literarium euenerit. Ex quo vtroque capite patebit tertio, quam malitiosa acerbitate nos inexpectati aduersarii aggressi sint, et quam caste sobrieque officium historici in ista narratione de Gregorio M. impleuerimus.

III. Ante omnia autem Sarisberiensis audiendus ipse est, et verba ipsa adducenda, quorum indicio nos confidere posse iudicauimus, eo quod criticis fidei historiae regulis et seueris legibus facere satis videbamus, et tantum non manibus palpabamus. Ita vero ille [m], cum poenas ab vltrice numinis manu immissas propter Commodi flagitia memorare vellet: *Flagitia regis poena vrbis insequitur: nam fulmine Capitolium ictum, ex quo facta flammatio bibliothecam illam maiorum cura studioque compositam, aedesque alias iuxta sitas rapaci turbine concremauit. Fertur tamen beatus Gregorius bibliothecam combussisse gentilem, quo diuinae paginae gratior esset locus, et maior auctoritas, et diligentia studiosior. Sed haec sibi nequaquam obuiant, cum diuersis temporibus potuerint accidisse.* Luculentius autem altero loco, vbi contra mathesin, et curiosas genethliacorum artes disputat, argumentum, quo illicitas eas et detestabiles esse probaturus erat, a constitutione Gregoriana, velut publice nota, omnique sanctitatis laude commendabili petit, eiusque exemplum atque zelum velut testimonium omni exceptione maius his verbis decretoriis explicat [n]: *Ad haec doctor sanctissimus ille Gregorius, qui melleo praedicationis imbre totam rigauit et inebriauit ecclesiam, non modo mathesin iussit ab aula recedere, sed, vt traditur a maioribus, incendio dedit probatae lectionis*

Scripta Palatinus quaecunque tenebat Apollo.

In quibus erant praecipua, quae coelestium mentem et superiorum oracula videbantur hominibus reuelare. Adeo luculenta haec sunt Sarisberiensis testimonia, vt vim verbis inferre nemo, et ne aduersarii quidem ausi fuerint. Itaque tota quaestio ad fidem huius narrationis vel testimonii historicam deuoluitur, quam in angustias redacti aduersarii denegandam illi, et abiiciendam esse iudicant, eo quod et solus et vnus testis sit, et ceteri scriptores omnes eam rem valde memorabilem fileant, Sarisberiensis autem V. se-

m) Policrat. L. VIII. c. 19. p. m. 646.
n) L. II. c. 26. eum ex parte in Hist. Cr. iam attulimus, hic lectori totum exhibemus, cum liber non adeo frequenter occurrat.

Digitized by Google

V. seculis Gregorio sit iunior, et rumuscvlis vnius alteriusque delectatus talia scripserit, de quibus ne vnus quidem testis coaeuus, vel supparis aetatis ab eo laudatus fuerit, quo pacto exiguam iudicii virtutem demonstrauisse censendus sit. Huc enim ea redeunt omnia, quae multis verborum phaleris antagonistae nostri Ioannis Petiti testimonio opponunt, vnde ad argumentum a silentio, quod negatiuum vel inficiale vocant, tanquam ad sacram anchoram confugiunt; scriptor autem Gallus, vt non tantum doctrina, sed ingenio quoque eleganti et supra modum in excogitandis et pingendis circumstantiis foecundo eminet, aliis minutioribus ratiunculis verisimilitudinem negatiuae sententiae conciliare et vim affirmatiui testimonii eludere studuit, vt ex iis, quae supra de eius demonstrandi modo recensuimus, constare potest. Non ignotae nobis erant hae, quae testimonio Parui moueri solent difficultates, eo iam tempore, quo prima vice historiam philosophiae ante XL. annos scripseramus: et augebatur iam tunc temporis nostra attentio, cum legeremus Petrum Baylium, criticum acrem, et in describendis Gregorii P. M. rebus diligentem, de hac traditione subdubitasse. Quare non tantum rationes in vtramque partem diu versauimus, et, quid statuendum sit, ad lancem quasi, appensis rationibus, attente excussimus, proscripto omni partis vel religionis studio, cum factum Gregorianum singulare sit, et nulli parti possit esse praeiudicio, quamcunque sententiam elegerit. Ast, ponderatis tamen omnibus, quae postea aduersarii protulerunt, tantum tamen abest, vt ad abiiciendam inter fabulas medii aeui (quod nos minime effugere studuisse multis H. C. P. exemplis constat) Sarisberiensis traditionem nos rationes coëgerint, vt nobis semper valentiores pro affirmatiua viderentur. Et hoc quidem pacto iterum rem non sine examine aggressi sumus, cum Latinum historiae criticae opus scriberemus, occasioque nobis enasceretur, quod in haut paucis fecimus, sententiam nostram mutandi et refingendi. Non enim adeo nostra lumina deperimus, quod quidem nobis non sine faceto aculeo Anonymus Gallus obiicit, vt mutare sententiam pudeat, et curas posteriores prioribus praeferre anciptes haereamus, quod facile ipse, qui nostram historiam legit, relegit, eamque in partes curarum adhibuit, multis exemplis discere potuisset, nisi alia omnia nobis praeter rem tribuere visum fuisset consultius. Attamen, lecta historia critica Electicismi, nouum examinandi rem totam laborem non subterfugimus, sincere et grati in his supplementis retractaturi sententiam, si meliora auctor nobis demonstrauisset. Verum illa diligentia, quae non nisi scopas dissolutas nulloque nexu logico colligatas deprehendebat, vt emendaremus scripta prius et rationibus historicis et criticis roborata, a nobis non potuit impetrare. Vt vero, non obstinatione vel partis quodam studio in pristina sententia nos perstitisse, sed ratiocinandi artem ad decernendum adhibuisse constet, lectoris iudicio argumenta, quibus nitimur et respondendum esse antagonistis putamus, strictim enarrabimus, eiusque arbitrio

Digitized by Google

arbitrio ſententiam decretoriam relinquimus. De hoc enim argumento tenui in poſterum contentionis ferram reciprocare, velut inutilem et ingratum lectori pariter, atque nobis labórem ſubterfugiemus.

IV. Antequam autem ipſum factum, quod Gregorio M. Sarisberienſis tribuit, excutimus, duo momenta nobis praemonenda eſſe putamus. Et prius quidem noſtram de illo ſententiam concernit, in qua accuſanda non falſitatis tantum, ſed calumniae quoque maculam, neſcio, qua humanitate et modeſtia, illi inuſſerunt. Qui cum non auſi fuerint ipſum Ioannem Petitum iſto venenato telo confodere, neſcimus, quid contra nos eos armauerit, qui magni in eccleſia Romana ſuae aetatis viri fidem et teſtimonium adduximus, et ſcopum Papae ex eius indicio repetiuimus, cum haec omnia, quae nobis obiecerunt, in illud ſeculi XI. ſidus proprie coniicienda ſint, illique calumniae inurenda ſit infamia, quod tamen vterque Gregorii M. promachus facere auſus non eſt. Deinde fidem eorum deſideramus, cum nos accuſant, nos hoc factum Gregorianum tanquam demonſtratione certiſſima euictum Lectori in hiſtoria noſtra propinauiſſe. Fidem enim oculorum poſcimus, vt legat Lector, cui oculos eripere non poſſunt, quae prouide ſatis de teſtimonii Sarisberienſis pondere monuimus, bona fide eius verbis adductis: effeciſſe illum, dum publico et incerto rumore haec ſe referre videatur, vt de tota hac re ſubdubitarent viri *κριτικώτατοι* Petrus Baylius et Ioannes Barbayracius, quibus velut quaeſtionis de hoc facto ſummam explicantibus, noſtrum iudicium ſuffiximus: *minus in dubium vocandam eſſe* VIDERI *traditionem, quam* MAIORVM *fide niti ille teſtetur, quo magis id Gregorii de literis profanis omnibus iudicio conforme ſit, quas vehementer contemſerit, indignasque putauerit homine Chriſtiano.* Haec cum quaeſtionem nos probabiliter tantum affirmaſſe euincant, idque fieri ſine contumelia poſſe Friſingenſis ſcriptor menſtruus faſſus ſit, cur in ſcriptore Proteſtante, hiſtoricae fidei leges et gradus ſecundum artis rationalis et criticae praecepta in narratione ſequenti, ferre non potuerunt, vt iudicium orbis literati iſta aſſertione mere hiſtorica experiretur, niſi inuidiae loligine, more hominum ſui generis, calamum tinxiſſent? Ab hac vero hiſtoricae veritatis peſte auocaturum eſſe Lectorem animum ſperamus, ſi in hoc argumento caecutire nolit. Alterum, quod monuiſſe noſtra intereſt, eiusdem generis iniquitatem reſpicit, qua nos accuſant, conſequentias atque detrimenta, quae rei philoſophicae et literariae ex hoc magni et potentis Pontificis maximi ſtudio et conatibus enata ſunt, et tanquam deſtinatum euertendae omnis ſapientiae humanae conſilium nos obieciſſe, et ita maxima inuidia tantum Latinae eccleſiae ſidus ſanctitatis titulo venerabile cumulaſſe. A qua accuſatione abſtinuiſſent, ſi pectus habuiſſent integrum et veritatis amicum et ſine partis odio et indignatione ea legiſſent, quae initio paginae 561. libere, vt par erat hiſtorico, ſed absque vllo detrahendi magno praeſulis ſtudio ſcripſimus, enarratis paucis verbis damnis, quae inde enata ſunt,

haec

Digitized by Google

haec conſilia ſuperſtitioni et iudicii paupertati, quam vbique Papa prodidit, tantum adſcribi debere: quo pacto ab omni laeuae et malitioſae mentis ſcopo et conſilio eum liberauimus: et defectum tantum artis ratiocinantis, in zeli imprudentiam degenerantem, quam negare non potuit Anonymus Gallus, fontem fuiſſe verum huius conſilii Gregoriani, profeſſi ſumus. Quod ſi libido nos vſſiſſet detrahendi famae Romani praeſulis, maiorem forte nomini eius maculam potuiſſemus affricare, ex adulationibus infrenibus et indignis tanta ſanctitatis opinione et laude Incluto epiſcopo, quas in Phocam vſurpatorem et parricidam tyrannum [o], et Brunechildam Galliae reginam tot ſceleribus famoſam effudit, quas excuſare ſatis non potuit in heroë ſuo MAIMBVRGIVS [p], et acerba obſeruatione notault BAYLIVS [q]. A qua tamen morum ferocia tantum abſumus, vt non modo ſupra in his ſupplementis [r], antequam aduerſariorum paginas legeramus, ſcriptis, Gregorio M., viri boni rectique conſilii characterem tribuere, non dubitaremus, ſed perſuaſi quoque ſimus, iſtas adulationes indigniſſimorum hominum, non malitiae animi, et deſtinato ac peruerſo conſilio, ſed praeiudiciis mentis, falſis de eccleſia Chriſti externa eiusque promouenda ſalute conceptibus illudentibus [s], et pietatem, cui tantopere ſtudebat, in deuia deducentibus adſcribenda eſſe, quae tamen alio loco, vbi ciuitatis Chriſtianae, vel pontificum hiſtoria ſine partium ſtudio et illaudabili adulandi contentione tractanda eſt, prolixius debent excuti [t].

V. Propius autem ad caput quaeſtionis, quam tractamus, accedentes, pleraque, quae momentum habent et decidendi neruos exhibent, ad SARISBERIENSIS teſtimonium, duabus vicibus ab eo repetitum, redire eſt in propatulo, vt ſupra monitum. Illud itaque accurate excutiendum et ponderandum eſſe ſecundum leges fidei hiſtoricae, quas praeſcribit philoſophia rationalis atque ars critica, nemo non intelligit; cum non tantum factum conſtanter affirmet, ſed et fontes non reticeat, vnde illud cognouerit. Vno enim loco ſupra iam adducto, ad rumorem et traditionem vulgi videtur rem totam reiicere, faſſus, ferri de beato Gregorio, bibliothecam combuſſiſſe gentilem; aſt altero diſerte indicat, ſe haec non ex fabulis et rumuſculis vulgi, ſed ex traditione Maiorum accepiſſe: Gregorium incendio deleuiſſe probatae lectionis ſcripta in bibliotheca

o) Vid. Ep. L. II. ep. 38. 45. 46.
p) Hiſtor. pontif. Greg. M. p. 176. 313.
q) Dict. hiſt. T. II. Greg. le grand. not. H. L. p. 597. 598.
r) Ad p. 560.
s) Magnis moliminibus vigilabat Gregorius P. M. pro augendis eccleſiae bonis ſplendore, auctoritate externoque cultu, et euehenda ſimul ſedis Romanae potentia. Haſce curas cum valde adiuuare poſſe Phocam et Brunechildin magnis ſpeciminibus fuiſſet expertus, credidit, eos cauſſae religionis et eccleſiae magna fulcra futuros, ac ideo ſimplex eorum malitiam intus et in cute cognoſcere impeditus eſt.
t) Conf. qui modeſte de Gregorio M. ſcripſit G. CAVE H. L. Scr. eccl. Sec. VI. p. 353 ſeq. OVDINVS de Script. Eccl. Tom. I. p. 1494. ex altera vero parte DION. SAMMARTHANVS hiſt. de S. Gregoire le grand, de qua expendendum iudicium BAYL. l. c.

theca Palatina siue imperatoria comprehensa, inter quae praecipua fuerint, quae coelestium mentem et superiorum oracula visa sint hominibus reuelare. In qua narratione quaedam verborum ambiguitas remouenda est, quae illis, qui hoc factum Gregorianum negauerunt, causa fuit, vt impossibile, certe ab omni verisimilitudine abhorrens illud visum sit. Nempe plerique, qui ad hoc Sarisberiensis testimonium prouocarunt, id ita intellexisse videntur, Papam sacro zelo commotum aedificium illud, quod bibliothecam Palatinam siue Augustam seruabat, incendio deleuisse; in quod ex bibliotheca Capitolii, sub Commodo igne coelesti consumti libri veterum αὐτόγραφοι, magno aere redemti, et imprimis mathematici, fatidici et diuini, priori incendio erepti, fuerant translati, et in concamerationibus in monte Palatino ad sustinendam vim molis, et conseruandos ab ignis periculo thesauris imperatoris constructis repositi [a]. Quod fieri potuisse Romae, in praesentia praefecti imperatoris, in cuius potestate palatium fuit, verisimilitudine carere, recte, nisi fallimur, Anonymus noster monuit [b]. Ast de eo aedificio, quod bibliothecam palatinam vocatum esse ex Ioannis testimonio nouimus, et templi atque palatii Augusti pars fuit, a Gregorio P. M. cum librorum suorum farragine incendio deleto nihil dixit Sarisberiensis, nec illud deflagrasse monet. Sed refert tantum, ex malorum traditione, SCRIPTA in palatina siue Caesarea bibliotheca asseruata Gregorium M. igni depascenda tradidisse: nempe pontificem magnum sua, cui augendae immensum quantum tribuebat, auctoritate in rem ecclesiasticam et librariam vsum, collectionem librorum in ista aede conseruatam, comburi iussisse, praetextu desumto, quod libros dudum ab imperatoribus, velut Impios prohibitos et religioni Christianae atque ecclesiae inimicos atque noxios comprehenderet. Certe legenti et relegenti Ioannis narrationem, sponte hic sensus verborum oculos feriet. Ast eo, vt ipsa scriptoris verba postulant, admisso, multa concidunt, quae contra possibilitatem et verisimilitudinem huius facti post alios anonymus Gallus ingeniose, sed leui ratiocinio attulit, quaeque solum aliquid probabiliter euincunt, si de aedificio verba intelligantur, non de librorum collectione siue bibliotheca proprie dicta, in quam potestatem habuisse pontificem, ex circumstantiis est manifestum. Hac vera significatione quaestionis posita, quam nemo facile negauerit esse verisimillimam, omnis eius neruus ad argumentum logicum de fide historica Ioannis Parui reduci potest, vtrum illa tanta sit, vt eius narratio, si non pro certa et demonstrata (quod quidem nemini in mentem veniisse recordamur), certe pro probabiliter vera haberi, et negatiuae praeferri mereatur? Cui nos calculum adieciisse post accu-

a) Conf. LIPSIVS, de biblioth. c. 7. T. III. Opp. p. m. 1133. ed. Vesal. STRVV. Intr. in hist. lit. c. 11. §. 13. p. m. 60 seq. Alia ratio dari posse non videtur conciliandi secum Sarisberiensem, qui Lib. II. 9. policr. Palatinam bibliothecam, L. VIII. 19. Capitolinam cremauisse Gregorium scribit.

b) Tom. I. p. 905.

Digitized by Google

accuratum circumſtantiarum examen, nondum nos poenitet: aſt fatemur quoque, ita ad nos probandae illius fidei hiſtoricae laborem deuolui; nec refugimus eum, ſed iudices poſcimus, artis rationatiuae regulas et prudentiam rite edoctos, et ab omni partis ſtudio prorſus alienos. Nos ſtrictim, quae affirmatiuam ſententiam nobis perſuaſerint, enarrabimus.

VI. In omni argumento logico, quod a teſtimonio ducitur, cum, iudice CICERONE [y], id vnice ſpectandum ſit, *num cauſſa iuſta fuerit, cur teſtis ſcire potuerit, nulla, cur mentiatur*, id eſt, num verum ſcire potuerit, et dicere voluerit, cauſſamque, cur mentiatur, non habuerit, ad eandem regulam par eſt Sarisberienſis teſtimonium explorare. Itaque duo nobis capita, adhibitis tamen gradibus veriſimilitudinis, delibanda ſunt. Et primum quidem nos conuincit, potuiſſe Ioannem, veritatem facti iſtius verſimilibus argumentis nouiſſe. Quanquam enim rem ante aliquot ante ſe ſecula peractam ipſe non vidit et teſtis *αὐτόπτης* eſſe non poteſt, adeoque inter demonſtratae certitudinis teſtes numerari nequit, attamen eos notitiae ſuae auctoris nominault, ex quibus concludi poteſt, non tantum nihil ſe confinxiſſe, ſed relata ab aliis retuliſſe bona fide, ſed conſtare quoque poteſt, eos non obſcura fidei teſtimonia pro ſe habere, potuiſſeque rem ab aliis traditam, ſine metu fraudis vel mendacii ad alios traducere. Non iam allegabimus, prouocauiſſe Sarisberienſem ad communem famam, qua ferri iſtam traditionem ipſe indicauit, patiemurque, hoc quidem argumento eum inter leues ſatis teſtes connumerare, licet ille rumor non apud leuem plebeculam et imperitos homines, ſed in curia et apud primores eius temporis, ad quos policraticum ſcripſerat, inualuerit; nec vrgebimus magnopere, non omnino temere eſſe, quod vulgus dictitat, et habere ſemper occaſionem quandam vel veri, vel verſimilis, quanquam illam detegere ſit difficillimum, a quo argumenti nexu aegerrime ſe extricauit Anonymus Gallus [z], qui aliam cauſſam vel occaſionem huius traditionis aduocare non potuit, quam, eſſe fabulam, id quod principii petitionem eſſe, vident, qui vel a limine dialecticae praecepta inſpexerunt. Clarius Carnotenſis epiſcopus indicat, quos fontes ſecutus ſit, cum altero loco refert, tradi id a maioribus. Scripſerat haec vir ſupra aetatis ſui genium ſapiens contra eos in curia vel aula verſatos, qui vetitae matheſeos, et curioſarum ſcientiarum ſecreta rimantes, arcanam Dei voluntatem artibus illicitis expiſcari conabantur, quales tunc in aulis paſſim vixiſſe, ex hoc ipſo policratico euidens eſt. Hos refutaturus inter argumenta complura etiam ad auctoritatem veterum DD. eccleſiae prouocat, duosque magnos tunc in eccleſia viros auctores eſſe iubet, quod via mathematicorum ſit illaudabilis, Auguſtinum et Gregorium M. quorum illum poenituerit, ſe eorum conſultationi-

y) Orat. pro Quinct. c. 18. Conſulendi hic ſunt ſcriptores logici, quorum praecepta de fide hiſtorica mira concinnitate et accuratione complexi ſunt Cel. HOLLMANNVS log. P. III. c. 2. §. 404 ſeqq. p. 500 ſeqq. et HEVMANNVS act. phil. Vol. I. p. 381 ſeqq.

z) pag. 309.

tationibus inclinaſſe, hic autem, quem inſolenti elogio Auguſtino praeferendum eſſe innuit, non matheſin iuſſerit ab aula recedere, ſed, vt traditur a maioribus, palatinae bibliothecae ſcripta combuſſerit, in quibus fuerint praecipua, quae coeleſtium mentem hominibus videbantur reuelare. Annon recte inde inferimus, Sarisberienſem in argumento difficili iis teſtimoniis vſum fuiſſe, quibus haud facile aliquid poſſet ad eorum fidem eleuandam opponi, adeoque quantumpote indubitatas in aula et in academia tum ſurgente et in eccleſia auctoritates adduxiſſe, et, ſi hoc concedendum, per traditionem maiorum intellexiſſe teſtimonium a maioribus ex ſeculo VI. ad XI. ex notis fontibus per manus traditum a viris grauiſſimis anteceſſoribus in cathedris atque ſcholis, qui eandem traditionem ad ſucceſſores et diſcipulos potuerunt deriuare. Et hos quidem nomine non aduocat, quod in re nota et a nemine hactenus negata ſingulari eorum auctoritate opus non habebat, et ſufficere communem et ſine contradictione vel dubitatione receptam traditionem putabat. Facile vero hariolari licet, quos ille maiores intellexerit, a quibus iſta ſe accepiſſe dixit, nempe praeceptores, quos habuit, quique illos longa ſeculorum aliquot ſerie de rebus eccleſiae erudiuerunt. Quare non ſine teſte haec retuliſſe cenſendus eſt, qui magna aeui ſui nomina, a quorum ore pependit, nominare potuiſſet, quos in vita eius infra *) nominauimus, ſi putaſſet, quenquam de traditione per maiores ad ſuam aetatem deriuata dubitaturum. Et hanc quidem non meram coniecturam ſapere, inde valide concludimus, quod celeberrimus ſcriptor noſter, cuius maxima erat in eccleſia et academia Pariſienſi exiſtimatio, haec coram vtriusque corporis facie in literas retulerit, nec fuerit vllus, qui vel mendacii, vel falſae tamen narrationis ideo illum accuſauerit, omnes autem ſilentio ſuo rem tanquam in vulgus notam, et glorioſam, (quod cum Ioanne credebant,) ſanctiſſimo doctori confirmauerint. Quaeſumus Lectorem, an hoc eſt ſine teſte dicere, qui ad maiorum fidem et auctoritatem, nemine contradicente vel negante, prouocat? An haec aſſertio Sarisberienſis talis eſt, vt argumentum inficiale ei queat opponi? Et in iſto argumento negatiuo a ſilentio ſcriptorum Gregorio M. aetate vel ſupparium vel propiorum, quam Sarisberienſis fuit, deſumto parum praeſidio eſſe, facile intelligunt, qui eius vim ac robur rite ponderant. Non hic locus eſt, de argumenti huius auctoritate et valore diſputare et decernere; nec in totum reiicimus illius probandi vim in factis, quae opus habent teſtimonio. Sed cum illud tantum locum habeat, vbi illi tacent, qui praeſentes fuerunt, remque, ſi facta eſſet, ipſi viderunt, qui nullam cauſſam habuerunt, cur ſilerent, cauſſas vero graues et vrgentes, cur factum, ſi reuera extitiſſet, indicaſſent, ſi nec metu, nec praeiudicio et opinione, nec emolumento ad ſilentium perculſi ſint, ſi eorum ſcripta et teſtimonia non perierint, ſi negligentes et incurii non fuerint, et ab eorum teſtimonio rei

*) Hiſt. er. T. III. p. 773 ſeq.

Digitized by Google

rei momenta dependeant etc. Facile ex his cum praesenti scriptorum veterum silentio in caussa Gregorii comparatis lector logicarum et criticarum praeceptionum gnarus cognoscet, nullius illud ponderis esse, et inepte traditioni, (quae successionem testimonii per seriem continuatam inuoluit, simul innuit) opponi, certe in hoc casu verum esse THEOPH. RAYNAVDI, Iesuitae doctissimi iudicium [b]: argumentum negatiuum *agnoscere omnes esse insufficiens et enerue.* Vt taceamus, quae inter Launoium atque Thiersium non sine multa logomachia disputata sunt, ad quae supra iam lectorem remisimus. Sed aliud adhuc est, quod contra aduersarios vrgendum habemus. Quis illis vates aperuit, nullum ante Sarisberiensem scriptorem huius facti meminisse? Annon, ipso auctore Gallo nostro [c], tantam stragem librorum in infelicium eorum seculorum vastationibus, incursionibus, spoliis, incendiis passae sunt literae atque libri, vt iam viuo Gregorio M. beati Irenaei opera, ab eo desiderata inueniri non potuerint. Quid enim? si illi libri interierint, ex quibus traditionem suam hauserunt malores seculi XI.? quis omnes vel vidit, vel hodie nouit, quae tempore malorum aetatis Sarisberiensis adhuc poterant inspici, sed, sinistris fatis vrgentibus, perierunt, quorumque testimoniis ideo nemo contradicere ausus est? Et idem quoque argumentum de posteriorum Sec. XI. temporum silentio iudicandum est. Quod tamen non ita vniuersale est, vt non compilator famosissimus historiarum ANTONINVS Florentinus Sec. XV. scriptor [d] ex antiquorum librorum testimoniis colligere potuerit *tantum fuisse S. Gregorii zelum, vt Liuium propterea combusserit, quod in superstitionibus et sacris Romanorum perpetuo versetur.* Cui Antonini testimonio velut fideli et non suspecto subscripserunt, et in exemplum id traduxerunt Ioannes Hesselius et Matthaeus Raderus, vterque scriptor Pontificius et eruditus, ille doctor Louaniensis, hic Iesuita Bauarus, quibus dicam scribere debuisset hyperaspistes Gregorii, non VOSSIO [e], ad horum ex Antonino relationem prouocanti. His de silentio veterum de facto B. Gregorii euictis, quis non argumentum inuertet, et ab eo contra importunos aggressores nostros πολυθρύλλητον illud vrgeat: *qui tacet, consentire videtur!* Sed tacuerunt ad hanc relationem Sarisberiensis, quam tantopere ille gloriosam esse eiusque sanctitatem probare putabat, nostri antagonistae calumniam vocant, tot professores Parisienses, tot episcopi, tot (vt hoc quoque addamus,) Carnotensis praesulis aduersarii, si haec falsa et excogitata ab eo et ignominiosa tanti pontificis gloriae reputauissent? cur ipsi pontifices Eugenius III. et Hadrianus IV. tantis gratiae et amicitiae testimoniis calumniatorem magni antecessoris cumulassent, si non prodidissent, longe aliter eos de narratione eius iudicasse, quam noster Gallus nobis orbique literario,

b) Erot. de bonis et malis libris n. 582. p. 327.
c) Tom. I. p. 309.
d) De hist. Lat. L. I. c. 19. p. 98.
e) In summa confessionis P. IV. t. II. c. 4. conf. PORE-BLOVET censur. cel. aucl. p. 333.

rario, qui nobiscum in eadem opinione verisimilitudinis facti Gregoriani fuit, occinit, et Sarisberiensem fabulam Romanensem nobis obtrusisse excelsa voce pronuntiat, arrogantiae et obtrectandi artis stimulis actus?

VII. Euicta facti Gregoriani verisimilitudine, et testimonii Ioannis Parui probabilitate, cui nihil aliud opponere ausi sunt oppugnatores Frisingensis et hoc longe doctior et astutior Gallus, nisi nudam negationem, per se iam concidunt eae ratiunculae, quas in fronte suae digressionis praemittere anonymus consultum duxit. Fatemur autem, licet de auctoris eruditione et acumine in hac dissertatione critica demonstrata praeclare sentiamus, vbi tamen hoc loco ingenio suo et suspicionibus indulgendum esse censuit, nos iudicandi ἀκρίβειαν desideransse. Certe ipse videre poterat Censor noster, totam illam quaestionem praeiudicialem, an tempore Gregorii M. bibliotheca ista imperatoria adhuc extiterit, nec ne, esse historicam, adeoque factis niti, atque fulciendam esse testimoniis, tanquam argumentis domesticis, non vero coniecturis ex scholis dialecticorum petitis, quae verum sitienti nullo verisimilitudinis gradu facere satis queunt. Palpasset quoque, si euicta fuerit testimonii Sarisberiensis probabilitas, prona per se consequentia fluere, istam bibliothecam Augustam Gregorio M. sedente adhuc extitisse. Quotquot ergo turmas rationum in aciem eduximus, tot euincunt, paralogismis laborare coniecturas enarratas. Vnde in iis eneruandis longos nos esse et prolixos, minime opus est. Paucis obseruamus: 1. enarrata ex Tillemontio hostilia fata vrbis Romae, quae a populorum incursionibus et deuastationibus experta est, non habere necessarium consequentiae nexum; non enim inde sequitur, codices bibliothecae Palatinae, hos quoque furores fuisse expertos. Hoc testimonio roborandum erat, quod insignem tanti thesauri, qualis fuit aula Palatii, domusque Caesaris, cladem indicasset. Ast prodidit auctor, deceptum se esse ab ambiguitate vocis, bibliotheca, dum ab aedis augustae fato incerto ad librorum supellectilem in tutis abditisque eius locis conseruatam concludit. Potuit enim augustum palatium ruinam pati, quam tamen scriptores eius temporis tacent, et tamen in tuto relinqui bibliotheca in eo loco conclusa, quoniam verisimillimum, post fatale ex coelesti igne incendium sub Commodo translatis, qui ignem euaserant, libris ex Capitolii bibliotheca in templum Apollinis Palatini, vbi collocata erat bibliotheca Augusta [f], imperatorum prouidentiam eo respexisse, vt ab vlteriori incendii periculo tutus ille thesaurus librarius esset, quem velut diuinum custodiuit gentilis superstitio, ideoque libros [g] arcanos in concameratlonibus et specubus subterraneis reposuisse, et eorum locum arcanum seruasse, quo pacto fieri potuit, vt

f) Vid. Rosin. antiq. Rom. L. I. c. 4. et ad eum Dempstari Suppl. p. m. 13 seq. et praecipue ad L. II. c. 7. p. 152 seqq.

g) Hinc hodie quoque suffossionibus et subterraneis specubus totum quasi pensilem esse, ruinis deformem refert Io. Rosinvs l. c. p. 13.

Digitized by Google

vt in vaſtatione et direptione vrbis bibliothecae apparatus, qui detegi non potuit, et ignis vim loci ſecuritate eluſit, ſartus tectusque maneret. Cuius probabilis coniecturae fidem nobis facit, quod ipſe Anonymus noſter narrat [b], ex epiſtola S. GREGORII M. [a] petiiſſe a Pontifice maximo epiſcopum quendam Gallum exemplar ſcriptorum Irenaei, aſt, adhibita omni induſtria, pontificem reperire illud non potuiſſe. Ex quo facto concludit quidem digreſſionis auctor, libros tum omnes Romae disiectos et abiectos fuiſſe; qua conſequentia, lector iudicet, nos enim libenter concedimus, theſauros Romanorum ciuium librarios dira fata in iſtis vaſtationibus pertuliſſe. Aſt concludimus quoque ex ipſius pontificis relatione: 1. libros praeſtantiores magnaeque auctoritatis fuiſſe abſconditos, et difficulter in iſtis cryptis ſubterraneis detegendos, 2. pontifici ſoli ea conclauia fuiſſe nota, 3. ei ſoli aditum ad ea patuiſſe, ad quem alias Gallus epiſcopus ſe non conuertiſſet, verum ad alios, et ab illis exemplaria Irenaei ex his repoſitoriis petiiſſet, nec ipſe Papa in his locis ſecretis ea quaeſiuiſſet. Et ſimile quoque fatum habuiſſe ipſius Gregorii moralia in Iobum, eaque in his abditis conclauibus ita latuiſſe, vt petita a rege Hiſpaniarum inueniri Romae non potuerint, donec per diuinam reuelationem locus detegeretur, in quo repoſita fuerint, in ſeq. §. indicaulmus. Quibus exemplis cum conlectura noſtra mire roboretur, facile ſubolebit lectori, quo pacto inter medios ignes et gladios barbarorum libri iſti arcani ſeruati ſint, et quo pacto veriſimile ſit eorum poteſtatem ſoli pontifici Romano ab imperatore factam eſſe. Quae ſi omnia inter ſe iungantur, contra omnes iſtas Galli ſcriptoris rhetoricantes diſſertationes ſententiae noſtrae tutum ſuppeditant praeſidium, et modum explicant, quo omnes difficultates excogitatae ſolui et ad eas reſponderi poſſit. Qua vero ex facti huius inepta ſimplicitate, Gregorio M. minime imputanda digreſſionis auctor deriuat, vt incredibile illud demonſtret, has conſequentias illis conſiderandas relinquimus, qui iudicii ſimplicitatem in magno cetera pontifice et virtutibus clariſſimo toties culpant, nolumus enim tanti praeſulis famae hoc ratiocinandi genere eſſe graues. Monemus tantum, diſputatorem circulum committere, et conſequentiae veritatem ex iis, de quibus quaeſtio eſt, probare voluiſſe, dum factum hoc Gregorii P. M. ideo negat, quia fuiſſet ineptum atque ſtolidum, repugnaretque ſummae veneration, qua et viuus et mortuus in coelum quaſi exaltatus eſt. Nam de eo quaeſtio eſt, idque contendunt, qui hoc factum Gregorio M. tribuunt, ingentem iudicandi imbecillitatem et enata inde ſtatuendi atque agendi principia ad lapidem Lydium rationis et reuelationis accurate non exacta, id pontifici, cetera bonae mentis piique conſilii perſuaſiſſe. Aſt id tamen tantum abeſt, vt ignominiam illi aliquam in eccleſia et inter homines contraxerit, vt potius velut ſingulare laudatiſſimi zeli pro religione Chriſtiana exemplum adhuc ſeculo XI. apud

b) pag. 313. a) Lib. IX. ep. 50.

Digitized by Google

apud omnes decantatum esse, ex ipso Sarisberiensis loco, quem critici nostri tantopere vexant, sit testatissimum. Quod vt negari nequit, et quam grauem iacturam introduxerit philosophiae rationalis, qui iam tunc inualuerat, neglectus et amissio ostendit, ita ratiuncularum Gallicarum futilitatem in clara luce ponit, et omne illis ratiocinii pondus deprimit.

VIII. Alterum, quod pro fulcienda Carnotensis episcopi fide historica momentum adhuc excutiendum est, paucis potest expediri, nempe; historicum et philosophum Sarisberiensem eum animi recti et ab omni falsi testimonii, mendaciique atque calumniae suspicione vacui characterem seruasse, vt ab omni verisimilitudine abhorreat, eum veritatem de facto hoc Gregoriano noluisse dicere, sed aut supina mentis et attentionis negligentia, aut clandestino erga pontificem odio persuasum falsam hanc narrrationem orbi et ecclesiae obtrusisse. Hoc qui ad infringendam fidei historicae eius auctoritatem causantur, eos oportet, tantae iniuriae optimo inter suae aetatis homines scriptori illatae demonstrationem afferre, nec nudo accusationis titulo suam malignitatem prodere. Ast nemo eo processit hactenus, et censores quoque testimonii Sarisberiensis ausi non sunt, talem illi maculam inurere: sed Frisingensis professor deceptum ab aliquo fuisse coniicit, neminem tamen nominare potest, sicque prodit, in angustiam redactum de deferendo campo cogitasse; nam ipse colligit, Sarisberiensem tantam auctoritatem atque opinionem non potuisse obtinere, vt concilio Lateranensi interesset, si culpa mendacii eum feciisset suspectum. Potuisset addere, si tam mali ingenii et mendacis pectoris notam prae se tulisset, vt nec sanctissimi patriarchae famae parceret, Hadrianum IV. P. M. non, quoties opportunitas adesset, conscientiam suam in ipsius conspectu effundere laetaturum fuisse: vel etiam apud Angliae regem Henricum II. et archiepiscopos Cantuarienses gratiosum futurum. Tota vero suo loco ex testimoniis coaeuis a nobis narrata, virtutis eius commendatio tanta et tam efficax fuit, vt eo nomine non sine vniuersali bonorum omnium gaudio et congratulatione Carnotensis insula ei imponeretur, adeo integer vitae fuit scelerisque purum seruauit animum. Quis igitur non insanire credatur, qui eum tantae malitiae accusauerit, vt mendacio famam pontificis maculare voluisse diceret, cuius tamen maiestatem, (haec ipsa eius vox est,) laudibus in coelum euexit; tantus pontificiae auctoritatis vindex, vt exilium pro ea non detrectaret. Quem vero Gallus ei iudicii critici defectum tribuit [k], ille et scriptis Sarisberiensis iudicio critico minime destitutis, et censuris celeberrimorum virorum, qui ingentibus laudibus eius doctrinam cumulant, et praecipuis suae aetatis scriptoribus praeferunt, refutatur, vt miremur, auctorem digressionis, veteris literaturae non expertem hoc de eo iudicium scribere potuisse, adeo αὐτοψίᾳ contrarium est [l].

Nec

k) Ecrivain sans critique l. c. p. 303.
l) Vid. h. l. p. 773. not. h. l. laudatos Bvlaevs et Crevier. hist. acad. Paris. ll. cc.

Digitized by Google

Nec adeo remotus ab omni ingenii cultura, ope logicae ſcientiae ad iuſtum habitum perducta ille fuit, vt exemplo Gregorii malle ſimplicitatem ſibi obtici, quam ratiocinandi artem diſcere, qui ſub valentiſſimo logicae doctore Willermo Sueſſionenſi prima logicae elementa diſcendo rectam et laudabilem eruditionis acquirendae viam inlit. Quibus iam, quae ſatis luculenter et aperte diſputauimus, ſimul vno ratiocinio comprehenſis, omnes, quibus mens ſale nigro non aſperſa eſt, conceſſuros ſperamus, Sarisberienſis fidem hiſtoricam ſupra illatratus aduerſariorum eſſe poſitam.

IX. Exploratum hactenus et ad normam criticam atque logicam examinatum Sarisberienſis fidem hiſtoricam eamque ſecundum ſeueras rationalis philoſophiae regulas, talem deprehendimus, vt affirmatiuam ſententiam negatiuae veriſimilitudine et hiſtoriae fide longe praeferendam eſſe iudicare par ſit. Addemus iam, quod promiſimus nonnulla, ex quibus conſtare poteſt, ipſas traditionis illius circumſtantias pro affirmatiua ſtare, eamque veriſimilitudinis notas fauentes habere. Eas autem ex iſtius temporis hiſtoria deducendas eſſe, quilibet intelligit, qui talia non niſi ratociniis ab hiſtoria ſuffultis peti poſſe, ex argumenti indole, quod factum aliquod concernit, didicit. Itaque lectorem, ex inſtituto eruditi cupientem, ad hiſtoricos fontes remittimus, cum pauciſſimis tantum ea velut a noſtro inſtituto remotiora tangere liceat. Scilicet ſupra in hiſtoria Sec. VII. iam [m] monuimus, ab eo circiter tempore inualuiſſe iſtam barbariei et ignorantiae noctem, quae omnem poſtea per complures ſeculorum periodos Occidentem graui ignorantia foedaque omnium ſcientiarum corruptione oppreſſit: cuius cauſſas cum ſuis locis enarrauerimus, dicta repetere et cramben recoquere nolumus, relegi autem optamus, vt mali illius origines pateant. Nempe, amiſſis ſcientiarum clauibus, et diſciplinis humanitatis atque philoſophiae, cum ne Graecorum quidem philoſophorum libri philoſophici legi potuiſſent, culturam ingeniorum emarcuiſſe, non eſt mirandum. Vnde factum, vt iam ſec. VI. pauci eſſent, qui literis vacarent, et, qui ſtudiis adhuc dabant operam homines eccleſiaſtici iis tantum operam locarent, quibus munere in eccleſia vel publice, vel priuatim in monaſteriis poſſent defungi. Ita vero infelicitas ſeculo enata eſt haud vna. Inter homines enim laicos vix inueniebatur, qui Muſis litaret, pleraque pars hominum, ratiocinandi praeſidiis ereptis, quaecunque placebant, ſibi ſtatuenda licere putabant, et craſſis opinionum monſtris ingruentem noctem praedicebant. Tranſiiſſe illud malum ad ipſam religionem, vehementer dolendum eſt; ſed haud obſcuris illius aetatis teſtimoniis certum eſt, et intelligi ex B. Gregorii *dialogis* et alterius Gregorii Tvronensis [n] relatione poteſt, quam profunde ipſa religionis fundamenta iſta barbaries ſub-

m) pag. 758 ſeq.

n) Hiſtor. Franc. L. X. c. 13. 14. pag. 475. ed. Paris.

ſubruerit, plurimos enim fuiſſe repertos, etiam inter eccleſiaſticos homines, qui immortalitatem animae, reſurrectionem corporis, iudicii oecumenici certitudinem non negare modo, ſed rationibus quoque conuellere audebant e): vnde non potuit non magna morum corruptio, reiectis his ſalutis religionis et reipublicae vinculis, conſequi. Accedebat hominum impiorum et futuri curioſorum auiditas, ex artium aſtrologicarum, et fatidicarum myſteriis turbulentorum iſtorum temporum fata et euenta futura perſpiciendi f), vt alia taceamus, quae in iſtius aeui hiſtoria ſolent enarrari, quaeque infelicitatem ſeculi iſtius miris apud ſcriptores coloribus depingunt. Laudanda itaque pietas virorum pro eccleſiae ſalute vigilantium, quod obicem huic malo ponere et impietati neruos concidere tentarent. Aſt quod valde probandum erat, eadem temporum infelicitate in alterum extremum delapſum, aliud malum genuit, humano generi aeque noxium atque prius fuerat. Cum enim non alii libri philoſophici legerentur, quam gentilium, et quidem plerumque Latina tantum verſione vulgati, non modo ad horum praecepta iſti peſtilentes errores tanquam ad genuinos fontes relati ſunt, ſed ipſis quoque ſcientiis hominum vitia adſcripta, eaeque velut ignes ſub cinere credulitatis latentes ſuſpectae doctoribus eccleſiae factae ſunt, ex quorum fauillis tandem magna in eccleſiae doctrina incendia poſſent exſurgere. Hoc vero pacto in tam ignauo ſeculo factum, vt non tantum a laicis ſtudia prorſus omitterentur, ſed et viri eccleſiaſtici, quique cathedras eccleſiarum et monaſteriorum ſubſellia occupabant, literarum et philoſophiae curam contemnerent, tanquam rem profanam rebusque religionis et eccleſiae adeo aduerſam, vt ſtare et in vna fede morari cum Chriſti diſciplina non poſſe, immo nec hominem eccleſiae miniſterio dicatum in iis conſiſtere quidem contenderent, et ita dum vitium vitabant et abuſum, in contrarium omnium ſcientiarum odium et horrorem ruerent. Et in hac claſſe omnium maxime eminuiſſe Gregorium P. M. eius dialogos et epiſtolas legenti erit manifeſtiſſimum, ex quibus multa teſtimonia poſſemus colligere, ſi locus pateretur, et non ea, quae in noſtra hiſtoria critica, et ab aliis multis allata ſunt g), abunde id teſtarentur. Et obtigerat quidem Gregorio illuſtribus parentibus nato more Romanorum nobilium haud infelix educatio; cum enim mature ingenio floreret praecipue, quod ab imaginationis influxu regitur, animusque ad magna et praeclara ſua ſponte curreret, elementis grammaticis, dialecticis et rhetoricis in iuuentute apprime, ſi fides eſt IOANNI DIACONO, qui eius vitam non ſcripſit magis, quam perpetua panegyri laudauit, imbutus eſt, adeo

e) Conf. SAMMARTHAN. hiſt. Greg. M. p. 274. qui obſeruat, ipſum Gregorium Turinenſem ad tempus aliquod in hac haereſi fuiſſe.

f) Canon. XXXVIII. conc. Laodiceni SARISB. policr. L. I. c. 9. p. 35.

g) Legi debet tota ad Deſiderium Galliarum epiſcopum epiſtola L. IX. ep. 48. quam eius vitae quoque inſeruit IOANNES DIACONVS. Inſeruit quoque ſuis chartis eam Friſingenſis antagoniſta et in annotationibus diſſ. II. fidiculis quaſi coctortam in ſuos ſenſus tranſire coëgit.

Digitized by Google

adeo vt vrbana praefectura ei credi poſſet. Aſt cum a pueritia ſacrarum literarum amore et ſeceſſu ſacro gauderet, pietate accenſus, totus monaſticam vitam anhelare, ſecularem, cuius inſcitiam et vitia peruidebat, vehementer contemnere coepit, et hoc pacto ad officium eccleſiaſticum traductus eſt, donec editis compluribus zeli pro chriſtiana religione et eccleſia ex ſententia et vſu ſui ſeculi ſpeciminibus A. Ixxc. ad pontificatum Romanum euectus eſt, cui tanta ſui et ſequentium ſeculorum admiratione praefuit, vt Magni cognomine ab aliis diſtingueretur, quod nomen eum ſuo ſenſu mereri, cum P. Baylio [r] lubenter fatemur. Talis autem cum eſſet, non magnus modo ſed maximus euaſiſſet, niſi obſtitiſſet naturalis ingenii indoles, quae iudicandi facultatem imaginationis ſupra modum foecundae viuacitate ſupprimebat. Cui cum accederet diſciplinarum in gentilium ſcholis tunc traditarum, et imprimis ratiocinandi artis, velut ſtudiorum ab hoſtibus Chriſtianae ciuitatis profectorum contemtus atque negligentia, in acerrimum tandem odium emergens, et mathematicae quoque exercitationes ſuſpectae eſſent, quibus tamen iudicandi vis mire fulcitur, cuius cauſſas antea indicauimus, non potuit non rerum ex imaginandi vi et efficacia prognatarum ſtudium, quod mentis acies et iudicium practicum non regebat, enaſci, aciesque mentis hebetari. Acceſſit his pietas et religionis amor naturalis per ſe in magno viro laudandus, quo ad eccleſiae gloriam et incrementa pro magna, qua potiebatur auctoritate, promouenda, velut torrente tractus eſt. Sed in litoribus hos fluctus iudicium non cohibuit, quod cum illi imbecille eſſet, a paralogiſmis innumeris cauere ſibi non potuit; et quaecunque ſuo ſcopo perficiendo apta iudicabat, magno feruore, ſed ratiunculis inanibus et inconſideratis actus, fabulisque monachorum ſuorum multoties deceptus, non peregit modo, ſed aliis quoque, vt eandem ſententiam ingrederentur, auctor fuit. Multis exemplis et teſtimoniis hunc Gregorii M. characterem demonſtrare licet, ſed non melior ratio eſt, quam ex dialogorum et epiſtolarum exemplis [s], quibus alium colorem, aliam faciem inducere, quod ius encomiaſtae faciunt, idem eſt, ac crepuſculo inferre meridiem, et micare in tenebris; quae cum toties ab hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptoribus, qui nugari in re ſeria deſierunt, demonſtrata ſint, apud illos propter breuitatem noſtram quaerenda ſunt [t]. Negant hanc animi Gregoriani effigiem paraſtatae, et cum ſcriptorum Gregorianorum exempla eos refutent, et eximium iudicii defectum prodant, miſeris ratiunculis excuſare atque pingere ſatagunt, et vix meliora, quam Gregorii fuerunt, ratiocinia

r) l. c. Aliter Ovdinvs de S. E. Tom. I. p. 1408 ſeq. ſed hic de indole, ſimplicitate, credulitate Gregorii argumentum ſumit. Baylius Magni nomen propter magnos, qui in regimine eius acciderunt, euentus non denegandum eſſe, iudicat.

s) Lege, Lector vnam ad Conſtantinum Auguſtam epiſtolam L. III. ep. 30. et ipſe iudica, an veritatem laeſerit Mauritius imperator, eius coniux, quod eum ſimplicem vocauerit, quod ex ipſius querimonia ſuper hanc contumeliam, quam illi inuri putabat L. IV. ep. 31. conſtare poteſt.

t) Prouocamus ad doctorem Pontificium celeberrimum L. Ell. Dvpinivm, eiusque de dialogis Gregorii iudicium bibl. eccl. Sec. VI. p. 157.

nia nectunt. Verum his refutandis sola sufficit lectio et adhibita paullsper attentio, quae mira euidentia prodet, praeiudiciis supra adductis, quibus se in deuia duci passa est Pontificis M. pietas, simplicitate et ignorantia rationalis prudentiae extra orbitam rapta, non tantum ad inepta consilia eum esse seductum, sed etiam ex imprudenti zelo, cum veram ecclesiae indolem ex externo splendore, et amplificatione rituum sacrorum, et qui ei inseruiebant, ordinum monasticorum metiretur superstitione, credulitate et allis hominum maxime monachorum artibus magnum cetera animum eius fuisse circumuentum, et inde naeuos illos exortos esse, qui hominem fuisse, et humanae infirmitatis atque leuitatis ingenii haud parum in sinu fouisse manifestant. Quo pacto Gregorium a mali consilii et illaudabilium artium ἐγκλήματι liberari, humanitate plenum esse existimamus, negare autem et excusare παροράματα, ab historici sinceri officio alienum esse censemus, cum veritas omnium hominum auctoritate sit potior. Et haec quidem sufficere possunt ad retundendos, quos in Hist. Cr. Phil. Anonymus fecit, insultus: vt vero euidenter pateat, quam infeliciter causam Gregorii M. defenderit, tribus verbis eius argumentationes placet excutere, et ad nonnulla specialia descendere. Et 1. quidem quod contra concrematam bibliothecam Palatinam vrget, incredibilem eam traditionem esse, quod in Caesaris possessionem et res, inque domum augustalem impius esse, nec potuerit, nec voluerit, leue argumentum exhibet, quod ne veram quidem sententiam eius tangit. Non enim aedificium vel palatium, sed codices palatinos eum igne deleuisse maiorum traditio dicit, nempe quos superstitioni gentili etiam indirecte fauere credebat, cuius supra ex fide Antonini exemplum Liuii adduximus, vel quos a studio cultus ecclesiastici, quem tantopere auxerat et incrustauerat, auocare ecclesiasticos suos atque monachos putabat. In quos codices potestatem eum habuisse ex sententia sua statuendi, inde licet colligere, quod in potestate eius fuerit, mathesin iubere ex aula, id est, bibliotheca augusta, vbi custodiebantur illi libri mathematici, recedere, quod sine voluntate imperatoris fieri non poterat. Vnde coniicimus, huius facti cognitionem imperatorem habuisse, illudque vel probasse, vel dissimulasse tamen eius notitiam, cum causas, quas habere se putabat, pias eius consilii cum aula Constantinopolitana communicasset. Certe Caesari causae graues fuerunt, cur tantae potentiae et auctoritatis viri consilio non obesset, neque eum offenderet. 2. Nec iuuat apologiam critici nostri, quod hoc pacto, quem pro promouenda lectione scripturae S. suscepisse dicitur, zelus pontificis intemperans, iniquus, et ratione carens fuisse dicendus esset, hoc enim non negant, sed inferunt, qui censoria virgula actionem hanc notarunt, et inde hominem fuisse labilem, et exiguo iudicio praeditum concludunt, quod falso concludendi argumento manifestauerit. Quam tamen argumentationem, dum exemplo PP. qui ante Sec. VI. vixerunt, et lectionem scriptorum gentilium non damna-

Digitized by Google

damnauerunt, ſed potius Iuliani apoſtatae prohibitionem aegerrime tulerunt, fulcit, Indeque rectam ſententiam P. M. notam et probatam fuiſſe concludit, non recordatus eſt, Gregorium P. M. etiam in aliis ab eorum ſententia diſceſſiſſe, et aliter ſtatuiſſe, quod vel vno ſpecimine admiſſi in eccleſiam purgatorii, quam vetus et apoſtolica eccleſia primorum ſeculorum ignorabat, cum aliis multis dudum demonſtratum eſt. 3. Delirio porro ait, ſimillimam eſſe eiusmodi cogitationem, quod omnes gentilium libros ſine diſcrimine Vulcano tradiderit, a tantae venerationis praeſule ne quidem ſuſpicandam. Verum et hoc aërem ferit, nam traditio non omnes, ſed Palatinos codices Gregorium tantum cremauiſſe refert, quos auctores in poſterum fore gentilis doctrinae eique auctoritatem conciliaturos ſuſpicabatur: reliquos in bibliothecis Romanorum diſperſos, vaſtatione et direptionibus vrbis fuiſſe dilectos, ereptos et in barbaras terras ablatos noſter nobis ſupra narrauit, in quos igne graſſari non poterat[w]. Nullum hic delirium pontificis poſſumus exſculpere, nec eo opus fuit, ſed errorem agnoſcimus fluentem ex poſita hypotheſi: ſcripta et doctrinam gentilium nugas eſſe, quae cum Chriſti doctrina ſociari non poſſint, quamque in epiſtola ad Deſiderium ipſe velut axioma ſententiae ſuae in illud factum excreſcentis poſuit[x]. Ceterum delirauiſſe interdum ex praecipitantia atque iudicii imbecillitate papam, ipſe eius ſucceſſor Sabinianus et tota vrbs Roma credidit, ſi vera ſunt, quae narrat in eius vita PLATINA, cuius verba damus: *Neque eſt, quod patiamur, Gregorium hac in re a quibusdam literarum ignaris potiſſimum carpi, quod ſuo mandato veterum aedificia ſint diſrupta, ne peregrini et aduenae, vt illi fingunt, ad vrbem religionis cauſſa venientes poſthabitis locis ſacris, arcus triumphales et monumenta veterum, cum admiratione inſpicerent. Abſit haec calumnia a tanto Pontifice Romano, praeſertim, cui certe poſt Deum patria, quam vita, charior fuit - - - Paululum etiam abfuit, quin libri eius comburerentur, adeo in Gregorium ira et inuidia exarſerat homo maleuolus.* (Sabinianus P. M.) *Sunt, qui ſcribant, Sabinianum, inſtigantibus quibusdam Romanis, hoc in Gregorium molitum eſſe, quod veterum ſtatuas tota vrbe, dum viueret, et obtruncauerit et diſiecerit: quod quidem ita vero diſſonum eſt, vt illud, quod de abolendis aedificiis eorum in vita eius diximus.* Non conuertemus hanc narrationem, ſcriptorum tamen teſtimoniis firmatam teſte ipſo Platina in rem noſtram, licet cum principiis Gregorianis eiusque temperamento et iudicio praecipiti conueniat, et Platina ſolam negationem illi opponat. Operae tamen pretium eſſe putamus obſeruare, quod iſta quidem traditio, ex ſolius Platinae commemoratione nota fuerit, qui tamen eam velut ex inuidia atque

w) Mire nugatur Friſingenſis, qui, cum conſilium papae totum excuſari non poſſe palparet, non imprudens, ſed intempeſtiuum dicendum fuiſſe clamat, quaſi concipi poſſet intempeſtiua quaedam prudentia, et non imprudentia ſit, intempeſtiua etiam bonae cauſſae expeditio.

x) Si vos NVGIS ET SECVLARIBVS LITTERIS non ſtudere corrigerit. Vellet Friſingenſis p. 40 f. de fabulis poëtarum gentilium explicare, et hoc nobis teſtimonium eripere; clariſſimis verbis indicans, Gregorium M. ſeculares literas (non ſolos poëtas) inter nugas retuliſſe.

odio clulum Romanorum profectam reiecit: nec vllus alius auctor eius meminerit, attamen poſt longam moram teſtem apparuiſſe, cum ante hos triginta annos eruditiſſimus Io. LAMIVS, Florentiae decus ſcriptoris Sec. XIV. initio florentis, hominis Dominicani, LEONIS VRBEVITANI *chronicon Pontificum*, hactenus ignotum in literariam lucem ex tenebris produceret [y], in quo auctor monachus S. Gregorio ad ſuperſtitionem deditus in eius vita ſcribit: *Merito terreſtris angelus vocatur Gregorius, quia coeleſtem vitam duxit in terris. - - ne erroris antiqui ſemen de cetero pullularet, imaginibus daemonum [z] capita et membra fecit generaliter amputari, vt per hoc exſtirpata radice haereticae prauitatis palma eccleſiaſticae virtutis plenius exaltaretur.* Habes Lector exemplum narrationis hiſtoricae de Gregorio, Sarisberienſis traditioni non diſſimile, quod critica luce perfuſum, iisdem radiis colluſtrari poſſet. Sed ſuſpenſi de eius veritate atque fide hiſtorica nihil definimus, ſed ad erudiendum Lectorem noſtrum haec tantum annotamus: 1. non ſolum Sarisberienſem eſſe, qui huiusmodi delirantis iudicii factum Gregorio papae tribuat, ſed poſt eius fata ſimillimum facinus quoque adſcripſiſſe illi Romanos ciues, quod multo minus a delirio abeſt, id vero factum non auctore ſolo ſcriptore vno conſtare, ſed poſt quinque ſecula a Platinae aetate apparuiſſe ſcriptorem antiquiorem non ſuſpectum, neque vnquam viſum et auditum, qui eiusdem commatis facinus ſine vllo dubitationis indicio et cum magna zeli pro cauſſa Dei commendatione narrauit, et argumentum angelicae virtutis eius eſſe voluit. 2. Poſſe itaque et hoc forte teſtimonio Sarisberienſis accidere, vt ſequentibus temporibus latens et ignotus auctor aliquis prodeat, qui inter eos numerandus eſt, a quibus maioribus ſe eam traditionem accepiſſe Carnotenſis epiſcopus dixerat. 3. Memorabile quoque exemplum eſſe, quam caute argumento inficiali ſit vtendum, cum hoc exemplo manifeſtum ſit, cum fieri poſſit, vt nullum auctoris teſtimonium poſſit produci, non quod nullum exiſtat, ſed quod nonnulla amiſſa ſint vel neglecta lateant. Verum haec ὡς ἐν παρόδῳ. Nobis ſufficit, omnibus criticis noſtri rationibus neruos incidiſſe, et elumbem demonſtrandi facta fidemque hiſtoricam modum detexiſſe. Vnum velut ἐπισόδιον ſupereſt, quo ſenſu Gregorius a nobis accuſatus ſit, quod literarum et imprimis philoſophiae interitum promouerit, et ignorantiae tum inualeſcenti manus porrexerit, et an barbariei aeui medii cauſſa dici potuerit. Quod ne turbata verborum noſtrorum interpretatione lectori obtrudat hiſtoricus noſter, paucis haec notamus;

X. In hiſtoria philoſophica Gregorii magni, vt in omni alia, ſi iudicio pragmatico conſideranda ſit, euentus primum ſecundum certitudinis vel verisimilitudinis gradus accurate enarrandos eſſe, tumque ad cauſſas et occaſiones deſcendendum, et ex circumſtantiis rerum inter ſe com-

y) Tom. II. Deliciar. p. 105 ſeq.
z) Id eſt ſtatuarum Iouis, Martis etc. quibus inhabitare daemones credebat.

Digitized by Google

comparatis diſpiciendum eſſe, norunt, quotquot leges ſcribendae hiſtoriae intelligunt. Hoc vero iudicium practicum non ſemper prolixis diſceptationibus explicare opus eſt, et plerumque, niſi aliud exigat neceſſitas, indicatis tantum fontibus, Lectoris attentioni et iudicio relinquitur. Qua via recte nos in vniuerſa hac philoſophiae hiſtoria inceſſiſſe, orbis literarii conſenſu certi ſumus. Et ad hunc quoque modum in exigua hac Gregorianae hiſtoriae particula excutienda et enarranda verſati ſumus, et cauſſas quidem pereuntium literarum indicare non negleximus, non tamen prolixe diſquirentes, quae cauſſae efficientes, quae morales et politicae, quae accidentales ad euentus iſtos triſtes producendos confluxerint, quidque vel culpae, et conſilii, vel influxus moralis et politici vel occaſionis ex factis Gregorii M. allegandum ſit, vt damna iſta, quorum veritatem eulcimus, philoſophiae enaſcerentur. Nec in praeſentia quoque et dum in fine Tomi expediendo verſamur, et ad ſequentia properare cogimur, iſta prolixitate opus eſt. Explicabimus itaque paucis ſententiam noſtram, vt quàm laeua mens ſcriptorum fuerit, qui tantae iniquitatis et maleuolentiae dicam nobis ſcripſerunt, diſpaleſcat. Nempe is nobis non viſus eſt Gregorius M. qui deſtinato peruerſoque conſilio id egerit, vt literarum honos atque ſcientiarum flos emarceſceret, omnisque prorſus philoſophiae et doctrinae cultura ſupprimeretur. Quo pacto cum a malitioſa animi intentione et inſidiis philoſophiae et literaturae ſeculari ſtructis liberandus eſſe videatur, animi pii mentisque rectae laudem ei non denegauimus. Quare omnes illae vociferationes aduerſariorum inter nugas et inanes voces referendae ſunt, qui ſine attentione lecta noſtra hiſtoria iudicarunt, nos detrectandi gloriae Gregorianae cauſſa iſta de eo diſſeruiſſe, et culpa graui eius nomen atque famam oneraſſe. Certe quanquam ſanctitatis titulum ei deberi, non niſi ex eccleſiae Romanae vſu eccleſiaſtico velut honoris titulum putamus, integritatem tamen animi, a culpa immunem lubentes ei tribui poſſe concedimus, et imprimis in illo Scripturae S. ſtudium vehementer laudamus, optandum autem eſſe iudicamus, vt artem interpretandi Scripturam S. philologiae ſacrae et logicae praeceptis adiutus tenuiſſet, et mentis acie doctrinarum ſacrarum nexum ſyſtematicum inſpicere potuiſſet, vt abſtinuiſſet a ſterilium allegoriarum, quarum auxilio ex quouis textu, quod libebat, deduxiſſe ſibi viſus eſt, ſtudio: vt religionis et morum praecepta, quae in libris moralium ſpargere per omnes eccleſias conabatur, ex puris diuinorum ſcriptorum ſcaturiginibus, non vero ex pudendis miraculorum a monachis excogitatorum et incredenda credulitate pro veris ſine examine receptorum lacunis deſumſiſſet, et in inculcandis moralis diſciplinae praeceptis non toties ceſpitaſſet, ſed ordinem, atque methodum rationalem ſeruaſſet, porro, vt vnico rationis cum reuelatione examine externam eccleſiae faciem, laetam et elatam cum interno corporis I. C. inuiſibilis habitu et ſinceritate non confudiſſet, et hanc magis, quam illam incredibili ſua aſſiduitate perfeciſſet, tandem vt homines eccleſiaſticos ad primos

mos tantum et puriſſimos latices ſeculi Chriſti et apoſtolorum, et primitiuae eccleſiae aduocaſſet, et ad rudem plebem ſincera diuini Spiritus oracula docendam eos adhibuiſſet, nec ſuas enarrationes laicis inuidiſſet [a]: futurus certe non magnus tantum, ſed maximus re ipſa pontifex. Quae omnia cum dudum inuictis exemplis in H. E. explicata ſint, nec naeuos Gregorianos negent ex ipſo eccleſiae Romanae gremio viri cordati [b], Lectorem, ſcopi noſtri memores ad hos latices amandamus. Haec enim ſatis ſuperque modum explicant, quomodo diſciplinarum in peius ruentium cauſſa occaſionalis, quin et exemplaris Gregorius M. factus ſit. Quibus ſi ea addantur, ex quibus hanc infelicitatem ſeculo VI. et VII. inualuiſſe demonſtrauimus, non putamus, multum ambigendum eſſe, cauſſam etiam moralem repentis in dies mali ei adſcribere; cum totus in eo fuerit, vt ad ſuum exemplum omnes eccleſiae miniſtri, et immenſi monachorum exercitus, quos in omnem orbem et toto quoque diuiſos orbe Britannos ablegauit, effingerentur et paſtoris principia ſequerentur, licet haec pleraque non malitiae, ſed praeiudiciis, quae hauſerat, debuiſſe aequo cenſeamus iudicio. Alia minuta, contorta ad inuidiam nobis conflandam adducta et vno negationis hiatu diffl anda non tangimus, patientia lectoris, quae aurem nobis vellicat, et de finienda digreſſione illaetabili nos monet, pluribus non abutentes.

Et haec quidem poſtliminio, toml tertii acceſſionibus, iam abſolutis adiicienda neceſſarium putauimus, ne ex noſtro diuturno ſilentio, quod Friſingenſis monachus ante tempus faciebat, victoriam ſibi gratularentur aduerſarii, qui multum pulueris de argumento exigui momenti excitarunt; et imprimis vt artis criticae ſcriptoris Galli, qua aduerſus noſtram hiſtoriam philoſophiae Alexandrinae ſiue ſectae eclecticae pugnault, ſpecimen haberet lector, donec totum libri illius argumentum iterum excutere, et rem omnem in apricum proferre, Deo vires et occaſionem ſuppeditante licuerit. Patebit tum exemplis maioris momenti euidentibus, praeſertim Pſeudo-Dionyſii et Syneſii, et quaternionis vel quaternitatis ſectae Alexandrinae vel eclecticae in toto libello [c] ſemper ſibi ſimilem eſſe, nec armorum genus mutauiſſe, miſcuiſſe autem quadrata rotundis, vt aliquot PP. graecorum orthodoxiam defenderet. Verum reſpirandum tandem eſt, et ad amoeniores ex his dumetis ſcholaſticis campos emergendum.

a) Hos ineptos eſſe ad aſſequendos moralium ſuorum ſenſus iudicabat. Scripſit ergo tantum hominibus eccleſiaſticis, vt in omnium manibus verſarentur, eſſent fons moralis, et, ſi placet, exegeticus. Hos quoque ſolos poſtea tractaſſe Dd. euentus probauit.

b) Ad Melchioris Cani et Lud. Ell. Dupinii iudicia in textus not. h. pag. 572. ſupra iam prouocauimus.

c) Vt vno exemplo interim Lectori fidem faciamus, rogamus eum, vt dicam illam expendat, quam nobis Anonymus ſcripſit, mox in praefationis ſuae limine conqueſtus, nos ſyſtema emanationis a Pſeudo-Dionyſio acceptum myſticis omnibus tribuiſſe, et ita eccleſiam infidelitatis in cuſtodienda doctrina ſacra accuſauiſſe. Aſt intuenda noſtra verba vel vno loco T. IV. p. 8. occurrentia: Platonicam philoſophiam, qualis ex Ammonii Plotinique ſchola ad Chriſtianos dimanauit, pauci intelligebant, et ad quandam melioris et cordatioris theologiae faciem effingendam reuocauerant: An haec fides eſt et ſinceritas? Verum:

Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIAE CRITICAE PHILOSOPHIAE

ACCESSIONES ET SVPPLEMENTA AD TOMI IV. PARTEM PRIMAM.

Digitized by Google

Digitized by Google

OBSERVATIONES AD PER. III. PART. I. LIB. I.

DE

PRIMIS CONATIBVS RESTITVENDAE PHILOSOPHIAE.

CAPVT I.

DE VIRIS DOCTIS, QVI DE EXTERNO PHILOSOPHIAE HABITV EMENDANDO RESTITVENDOQVE SOLLICITI FVERVNT.

pag. 5. lin. 7.

Cum Graecis philoſophis loqui eorumque ſcripta conſulere. Debetur haec gloria Graecae linguae, tum quod antiquiſſimis temporibus philoſophiam e latebris et vmbris barbaricis in apricum produxerit, tum quod recentiori aeuo eandem grauiſſimis tenebris preſſam ad diluculum noui luminis praeparauerit, et clauis fuerit, qua occluſa fatis philoſophiae conclauia reſerarentur, reſtituto cum ipſa literarum aurora Graecarum literarum ſtudio, reuocataque humanitatis Graecae literatura. Quod qua fati ſiue prouidentiae diuinae felicitate id euenerit, hiſtoria renaſcentium literarum iucunda narratione explicat, hoc vero loco explicari prolixius non poteſt, qui vnam tantum eius partem deſcribendi officium ſuſcepimus. Aſt remittimus tamen Lectoris curioſitatem ad duorum virorum doctorum induſtriam, qui eius ſitim affatim reſtinguent, vnum Anglum HVMFREDVM HODY, alterum Germanum B. BOERNERVM, nuper egregium Lipſienſis Hellconis

conis decus. Ille enim libros *de Graecis illuſtribus linguae Graecae literarumque humaniorum inſtauratoribus, eorum vitis, ſcriptis et elogiis* libros duos conſcripſerat, quos edere morte praeuentus, S. Iebbio M. D. vulgandos reliquit, qui diſſertatione *de vita et ſcriptis Hodyi* [a] praemiſſa anno clɔlɔccXLIII. eos in vulgus exire iuſſit. In quo iucundo libello id imprimis laudandum eſt, quod de ſingulorum graecorum meritis circa reuocanda, polienda et amplificanda diſciplinarum ſtudia ante et poſt expugnatam a Turcis vrbem Conſtantinopolitanam non ex incertis rumuſculis, ſed ex Codd. potiſſimum MS. aliisque authenticis eiusdem aeui monumentis, hanc hiſtoriae literariae particulam diligenter eruit, vitas, ſcripta, literarum merita, elogia expoſuit. Alter anno clɔccc. quem in proluſionibus quibusdam academicis condere coeperat *de doctis hominibus Graecis, literarum Graecarum in Italia inſtauratoribus* librum perfecit, et vt erat Graecae literaturae interpres feliciſſimus, non neglectis ſed laudatis valde luminibus Hodyanis, eius obſeruationibus auxit, et imprimis ſcriptorum horum reſtauratorum hiſtoriam literariam, ex ampliſſima quam poſſidebat bibliotheca, eorum editionibus primis ſuperbiente enarrauit, multamque inde laudem [b] meruit. Poſt quam philologorum doctiſſimorum bigam nobis ſpicilegium aliquod vix relinquitur, qui Lectorem ad hos fontes, quam riuulos noſtros ablegare cupimus.

Ibid. lin. 11. *A.* clɔccccLXXXVII. Ex hoc tempore Manuelis Chryſolorae patet, confudiſſe eum quoque HEVMANNVM [c] cum Demetrio Chryſolora miſſo ex Theſſalonica, ad Manuelem imperatorem circa finem Sec. XIV. ille enim aliquot annis hoc Manuele iunior eſt, anno clɔccccXIV. denato. Etiam hic Demetrius Chryſoloras philoſophiae et aſtrologiae inſigni prorſus et fere incredibili laude commendatur a SYLVESTRO SGVROPVLO [d], vbi eius vaticinandi ex ſideribus artis ſpecimina hiſtoricus enarrat.

Ibid. lin. 16. *Feliciſſimo ſidere ſuſcitauit.* Hanc ei gloriae hederam ſuſpendunt ſcriptores coaeui, PLATINA [e], POGGIVS [f], TRITHEMIVS [g], quorum verba adduxit quoque HEVMANNVS [h]. Habuiſſe tamen Boccacium in iuuentute praeceptorem in addiſcendis Graecis Leontium Pylatum Theſſalonicenſem, qui eum Homerum amare et intelligere docuit, ex vita Boccacii [i] conſtat: cuius tempus Petrarchae coaeuum annos Chryſolorae ſuperat. Vnde colligimus, Sec. XIV. ineunte, rebus imperii Graeci valde inclinatis, in Italiam ſeceſſiſſe Graecos quos-

a) Londin. 8. conf. nou. lit. Lipſ. 1742. p. 739.
b) Nou. lit. Lipſ. 1750. p. 297.
c) Via ad hiſtor. lit. c. 4. §. 47. not. b. p. 145. Id prius Pontano et Voſſio accidiſſe monuimus L. l. not. d. qui duorum Palaeologorum confuſione ſeducti ſunt.
d) Hiſt. concil. Florent. III. ſiue Ferrarienſis ſect. III. c. 8. p. 52. ed. Creygth conf. FABRIC. Bibl. Gr. Vol. X. p. 393. Allatius coaeuos facit.
e) In vita Bonifacii, in fine.
f) Or. in Leont. Aretin.
g) De S. E. c. 75.
h) loc. cit. not. b.
i) Praemiſſa eius libro *de caſibus virorum illuſtrium*, conf. FABRIC. Bibl. L. M. T. I. p. 681. 683.

Digitized by Google

quosdam doctos et tradendis literis Graecis suam operam locasse, cum ante hoc tempus vix vnus et alter, qui in Graecia fuerat, Occidentis homo Graecas literas domum reportasset, cuius testem et exemplum in superiori Tomo, Rogerum Baconum adduximus. Chrysoloras autem eruditionis elegantia cum plures praestantes discipulos in hoc literarum genere educauisset, meruit, vt ad eum epocha huius fati literarii referretur.

Ibid. lin. 7. a fin. *Eius epitaphium legitur.* Dignum est, quod hic quoque legatur: *Manuel Chrysoloras Miles Constantinopolitanus ex vetusto genere Romanorum. Qui cum Constantino Imp. migrauit, vir doctissimus, prudentissimus, optimus, qui tempore generalis concilii Constantiensis diem obiit ea existimatione, vt ab omnibus sacerdotio dignus haberetur, die XV. April. conditus est anno MCCCCXV.* scripsit ei epitaphium versiculis Aeneas Syluius passim repetitum [k]. Orationem funebrem ab Andrea Iuliano ei dictam totam exhibuit BOERNERVS [l].

pag. 6. lin. 4. *Diogenis Laërtii librum de vitis philosophorum Latinum fecit.* Historiam huius versionis, summatim exhibuit FABRICIVS [m], meretur autem ea cum sequentis aetatis versionibus comparari, vt intelligatur, nihil simul coeptum et perfectum deprehendi: Adeo multa sunt, quae vel perperam intellexit, vel non accurate Latine expressit, vt taceamus omissas Graecorum versiculorum interpretationes, cui difficultati superandae eum imparem fuisse obseruauit VALENTINVS CVRIO [n], alias non rogasset Philelphum, vt ipse versibus eos Latinos redderet. Sed ipsam quoque versionem Graecae orationis significationem, proprietatem, differentiam, elegantiam non tenuisse, visum est PHILELPHO [o], qui, quanquam inuidiose haec scripsisse videri queat, ab omnibus tamen editoribus iste reprehensus est, quod plurimis naeuis scateat, et, ex MENAGII [p] iudicio *tanta licentia in his libris Laërtii vertendis vsus sit, vt scriptor potius historiae, quam historici interpres dicendus sit*, quod iudicium a plerisque huius versionis editoribus emendatae [q] confirmatur. Vnde in recentissima eaque elegantissima Laërtii editione a M. MEIBOMIO curata, cum is Ambrosianam versionem iungere decreuisset, eam ita ab eodem emendari et suppleri necesse fuit, vt alia prorsus videretur. Quod quidem non mirandum esse magnopere putamus. In isto enim renascentium Graecarum literarum diluculo adeo difficilis labor erat, versionem Graeci scriptoris, qualis est Laërtius scribere, vt miremur, tantum in ea historiae philosophicae isto seculo ignorantia potuisse praestare Ambro-

k) Apud LABBEVM thesaur. epitaph. P. XI. n. 78. p. 536. FABRIC. l. c.

l) In fine vitae eius l. c.

m) Bibl. Gr. et B. L. M. locis h. l. not. e. et f. laudaris, add. MENAGIVS init. comm. p. 3.

n) In praefat. editionis suae.

o) L. I. ep. 7. et in alia ad Lappum Florent. apud TH. CARNIVM animaduers. P. XI. p. 205.

p) loc. cit.

q) Eorum praefationes tantum non omnes suae editioni in fine adiecit Meibomius, quae ad historiam huius versionis in Hist. phil. memorabilis legendae.

ſium, quantum praeſtitit, qui candide faſſus eſt [r]: *Caeterum ex animi ſententia loquar; ſi opus ipſum antea legiſſem, nullis vnquam precibus, vt id traducerem, induci potuiſſem.* Nempe ſentiebat Ambroſius, ſibi tantum cognitionis philoſophiae Graecanicae non ineſſe, quantum ad fidelem et exactam Laërtii verſionem pertinet. Interim tamen gratias illi debemus, quod primus ex bibliothecarum latebris hunc auctorem protraxerit, et ita ſignum ſuſtulerit, vt viri docti ſtudii adeo neceſſarii, quale eſt hiſtoria philoſophica, curam ſibi commendatam haberent. Quo nomine non reticendae ſunt laudes Coſmae Medices, qui, fatente Ambroſio [s] auctoritate ſua imprimis eum ad hunc laborem impulit, cum et gentilis et chriſtianae philoſophiae eſſet peritiſſimus et quanta ſit vtriusque differentia dignoſcere facile et diiudicare conſueuerit. Quod facile ſibi perſuadebunt, qui hiſtoriam literariam illuſtriſſimorum heroum iſtorum didicerunt.

pag. 6. lin. 19. *Quam Mediceorum familia. Debent Florentinis literae, et inter Florentinos Medicibus, et inter Medices Laurentio.* Ita HERMOLAVS BARBARVS ep. ad Picum [t].

Ibid. lin. 30. *Communis pater dici meruerit.* Conſulenda de Laurentii Medicis vita, biographia NIC. VASORII ſtatim poſt ipſius mortem ſcripta, aſt demum anno cIↃIↃCCL. edita [u]. De eius in bonas artes et philoſophiam meritis legendus ANGELVS POLITIANVS [x], IOANNES LASCARIS [y], MART. FICINVS, et ex Sec. XV. viris doctis quis non? Ea vero in hiſtoria literaria vniuerſali huius ſeculi quaerenda ſunt.

pag. 7. lin. 31. *Idem de Nicolao V. P. M.* Adeunda praeter Aeneae Syluii, Io. Iouiani Pontani, Laurentii Vallae, Platinae teſtimonia ad quae prouocat HEVMANNVS [z], diſſertatio DOMINICI GEORGII de Nicolai V. erga literas et literatos patrocinio [a].

pag. 8. lin. 10. *Sane de Alphonſo Aragoniae rege.* Is cum Alphonſo Legionis atque Caſtellae rege, de quo ſupra dictum, confundendus non eſt, minime autem praetereundus hic ob incredibilem literarum amorem et conatus iuuandi virorum doctorum conſilia et labores, quibus magna Siciliae regnique Neapolitani pars aemulatione accenſa eſt; cuius ſapientia ex dictis factisque ab *Antonio Panormitano* collectis, et ab Aenea Syluio in compendium miſſis cognoſci poteſt, resque geſtae in tam turbulento Sec. XV. aeuo ſatis loquuntur, de quibus hiſtorici Italiae et imprimis, qui eas ordine chronologico enarrat, ὁ πάνυ MVRATORIVS [b] videndi

r) Apud AVGVSTINVM FLORENTINVM L. III. hiſtor. Camaldul. ep. 3. MENAG. l. c. p. 2.
s) In dedic. operis. vid. quae h. l. p. 61. adduximus.
t) pag. 143.
u) Vid. Act. erud. 1752. p. 231.
x) De Plinii et aliorum medicorum erroribus p. 1. conf. cel. SCHELHORN. Amoen. lit. T. I. p. 28.
y) Ep. ad Petrum Medicem praem. Anthol. graecae, quam inſeruit quoque Annalibus typ. T. I. p. 271. MAITTAIRE.
z) Via ad hiſt. lit. c. IV. §. 46. p. 143.
a) Act. erud. 1746. p. 258. prodiit Romae 1748.
b) Annali d'Italia T. IX. p. 83 ſeqq. vſque ad p. 460 ſeqq.

Digitized by Googl

videndi sunt, iisque iungendus P. BAYLE [e], qui res Alphonsi luculenter illustrauit, et insignis amoris erga literas et viros doctos pluscula exempla adducit, quae cum liber in omnium manibus versetur, hoc loco exscribere supersedemus, digna autem sunt, quae legantur, vt constare possit, quibus mediis ad resuscitandum literarum honorem vsa sit diuina prouidentia. Obiit magnum eruditorum praesidium anno 1458.

pag. 20. not. r. *Materiam totam simul esse creatam et elementatam.* Digna est BOVILLI, hominis supra modum acuti et profundi epistola de problemate: an mundus potuerit creari ab aeterno. Quam recte dignam iudicauit FABRICIVS [d], vt *bibliothecae Latinitatis mediae* [e] inseratur, in qua tanto acumine creationem mundi aeternam ex notionibus contradictoriis, quibus turget, euertit, vt rem nobis quidem confeciisse videatur. Quae cum in hoc argumento multa luce quaestionem perfundat, meretur legi et cum medii nostrique temporis controuersiis comparari: nobis in eo amplius versari propter instituti nostri limites non licet: multa autem exhibet, quae euincunt, salua Dei essentia et natura infinita non aliam rerum originem posse asseri nisi creationis in tempore ex nihilo, quo pacto non dualisticum tantum systema, sed et emanatiuum manifeste euertitur, rectequc concluditur, cum existentia omnium rerum extra Deum sit res facti, et certissima, necessario eam infinitae et aeternae potestati atque voluntati Dei deberi, vt consisterent omnia ex nihilo. Id quod ad illustranda ea, quae toties de systematibus his diximus, vtiliter potest adhiberi.

pag. 11. lin. 20. *Testem esse volumus Thomae Aquinatis et Bonauenturae historiam.* Eandem superstitionem et fanaticam sanctitatis peculiaris opinionem ex apparitionibus personarum S S. Triadis, ne hodie quidem in tam defecato a praeiudiciis seculo nondum exoleuisse, testis est Crescentiae, Sororculae apud Kaufbyranos nostros, Franciscanae fama et opinio, Spiritum S. ei iuuenis formosi instar plus semel apparuisse. Quamuis enim qua erat animi perspicacis excellentia Benedictus XIV. facta inquisitione prudenter totam illam quaestionem diremerit, et bulla peculiari superstitionis et miraculorum opinionem proscripserit, manet tamen hodie eadem monasticae sanctitatis fama, et quaesita miraculis gloria [f].

pag. 14. not. n. *Nicolao Eymerico.* Non contentus Eymericus, Catalanus, Ordinis praedicatorum in Aragonum regno inquisitor generalis, defunctus exspirante Sec. XIV. de cuius rebus literariis praeter scriptorum ecclesiastico-

e) T. III. p. 461. art. Alphonse de Naple.
d) Lit. B. et C.
e) T. I. p. 932 seqq.
f) Historiam huius rei literariam criticam et theologicam multa doctrinae elegantia exposuerunt B. PRAYVS, et qui sub eius praesidio tractationem istam defendit, et postea insigniter auxit desideratissimus Collega noster Io. Paul. Esseen pec. diss. 1746. edita et 1748. recusa, de eo quod licitum est, circa picturam imaginum S S. Triniratis et personarum diuinarum. In quo erudito libello academico multa collecta sunt, non vbiuis obuia, quae argumentum hoc mire illustrant. Ad eum lectorem curiosum remittimus. Ep. Benedicti XIV. legitur etiam inter Acta Hist. eccl. T. X. p. 58. n. 3. p. 722 seqq.

fiaſticorum hiſtoricos h. l. nominatos aliosque, ALTAMVRA[g], OVDINVS[h], FABRICIVS[i], BZOVIVS[k] conſulendi, errores Lullii apud P. M. detuliſſe, ſcripſit etiam contra doctrinam Raymundi Lulli itemque *dialogum contra Lulliſtas* atque *faſcinationem Lulliſtarum*[l].

pag. 15. not. q. *Conringius apud Popeblount.* Extat locus CONRINGII in libro *de hermetica medecina*[m], vbi de inuentionibus Lullii medicis et chemicis tractat.

pag. 16. lin. 19. *Senem vero Lullium ab Arnoldo Villanouano hanc artem didiciſſe, idoneis prius teſtibus, quibus deſtituitur vir doctus, probandum eſt.* Non tamen tacebimus locum LVLLII[n], quem nobis ſuppeditauit CONRINGIVS[o]. Is obſeruat, referre Raymundum Lullium, *ea arcana ſe accepiſſe et habuiſſe a ſereniſſimo rege Roberto ſub ſecreto ſigillo, quae quidem experimenta ipſe habuerit a peritiſſimo Arnoldo de Villanoua; qui merito fons ſcientiae vocari debeat, quia in omnibus ſcientiis prae ceteris hominibus floruerit.* Quae vt ex ipſa Lullii narratione conſtant, ita Raymundum non Villanouani inſtitutione et reuelatione myſteriorum chemicorum, ſed eius mſc. vſum fuiſſe euincunt, et poſt mortem Villanouani ad hanc ſecretam artem progreſſum demonſtrant. Vnde pro fabula habendum eſt, quod compilator celebris THEODORVS ZWINGERVS[p] refert: cum Raymundus conaretur, Arnoldo *Χρυσοποιίας* impoſſibilitatem multis rationibus oſtendere, hunc diſputationis pertaeſum ſequenti die coram Raymundo facta artificioſa transmutatione hominem in ſuam ſententiam pertraxiſſe. Scilicet qualis ars, talis etiam traditio. Nec meliori nota veritatisque criterio iudicari poteſt, quod his verbis habet ROBERTVS CONSTANTINVS[q]: *hunc ego inquirendo comperio apud Anglos, re quidem vera praeſtitiſſe, quod ſuis libris profitetur, et in arce Londini iuſſu regis verum aurum confeciſſe; mihique genus numi oſtenſum eſt, quod adhuc appellant: Nobile Raymundi, ſcilicet auri puri et obryzi ſummaeque indicaturae.* Etſi enim non incertum eſt, huiusmodi traditionem inter Anglos[r] olim obtinuiſſe, non cohaerent tamen tempora, roſarum nobilium monetam enim ſub Eduardo III. demum cuſam referunt hiſtorici Angli, Ille autem anno cIↃccXXVI. minoris tunc coronam a patre Eduardo II. accepit, Lullius anno cIↃccXV. iam circiter octuagenarius obierat. Non ſine graui ratione itaque alii totam narrationem inter Alchemiſtarum fabulas referunt, ad parandam arti fidem excogitatas.

pag. 18.

g) Bibl. Dom. p. 142. 494.
h) De Scr. Eccl. T. III. p. 1024 ſqq.
i) Bibl. L. M. T. II. p. 407 ſqq. his add. NIC. ANTON bib. Hiſpan. vet. T. II. p. 184. BALVZIVS, ad Papas Avenionenſes T. I. p. 1115.
k) Ad ann. 1372. n. 9.
l) OVDINVS et FABRICIVS l. c.
m) C. 27. p. 361 ſeqq. qui monet, ſpiritus vini dotes per Arnoldum Villanouanum maxime innotuiſſe Europaeis, ſi eius eſt libellus de vinis. Hunc vero Arnoldum multum ſupersuiſſe in chemia, iudicat, qui vnice laborauerit in conſtruendo omnium morborum remedio. Cuncta autem chemica ſua reuelationi diuinae adſcripſiſſe.
n) In praef. artis operatiuae.
o) l. c. p. 360 ſeq.
p) Nomencl. ſcript. medic. apud CONR. l. c.
q) In theatr. Vol. XX. l. q.
r) CAMDENVS et SELDEN. de mari clauſo L. II. c. 15.

Digitized by Google

pag. 18. lin. 13. *Perdidiciſſe exiſtimentur.* Additur magnus [s] elegan-ter: *huius generis collectanea officinam referunt veteramentariam, vbi praeſegmina multa reperiuntur, ſed nihil quod alicuius ſit pretii.* His merito addi debet ipſius CORNELII AGRIPPAE iudicium, quem commentario in artem Lullii magnam ei famam conciliaſſe pag. antec. monuimus: dignumque eſt, quod h. l. totum legatur [t]. „Inuenit Raymundus Lul-„lius recentioribus temporibus artis dialecticae haud abſimilem prodigio-„ſam artem, per quam, tanquam olim Gorgias Leontinus, (qui primus in „conuentu literatorum hominum poſcere auſus eſt, qua de re quisque audire „vellet,) de quouis ſubiecto ſermone abunde quis valeat differere, at-„que inuenire quaedam artificioſa nominum ac verborum perturbatione, „atque in vtramque partem de omni ſermone curioſo hoc plus quam ele-„ganti artificio garrula loquacitatis oſtentatione diſputare, neque vllum „vincendi locum aliis relinquere, et res munitiſſimas et puſillas in im-„menſum dilatare Sed haec altius repetere non eſt neceſſe, nos ampla ſa-„tis commentaria in hanc artem dedimus alibi: vero nolim haec alicui „fucum faciant, in artificio admodum leui, quod etſi eiusdem extollere „viſi ſumus, tamen res ipſa palam ſe fecit, vt opus non ſit, circa hanc „materiam depugnare; hoc autem admonere vos oportet, *hanc artem „ad pompam ingenii et doctrinae oſtentationem potius, quam ad comparandam „eruditionem valere, ac longe plus habere audaciae, quam efficaciae.* Eſſe „praeterea totam ineruditam ac barbaram, niſi elegantiori quadam lite-„ratura adornetur". Haec Agrippa, qui rem accurate inſpexit, et cuius ſententiae veritatem manibus palpabunt, qui Lullianam ſapientiam vel a limine ſalutarunt; a qua ſententia num in iudicium Io. IMPERIALIS [u] de-ſcenſurus ſit lector, ambigimus, iudicantis: *eius luxuriantis foetus ingenii vaſtum ſcientiarum oceanum expedita quadam artis norma ad exiguos veteſontes contrahere nixam eſſe.* Aliter, qui ratiocinandi artem intelligunt, iudicare, tot, quae non cumulamus, iudicia probant, quae improbant [v]: Lullium *ex medicina, phyſica et aſtronomia, artem quandam quartam conflare ſtatuentem, ordinem in ſchola ſtatutum euertere molitum philoſophiam caeterasque ſcientias redegiſſe in methodum quandam cui nihil ineſt ſolidi, quaeque tantum abeſt, vt eruditos faciat, quin potius homines ratione recte vtentes nunquam efformare potuerit.*

pag. 22. lin. 16. *Ibique phyſicis et theologicis ſtudiis vacauit.* Miramur, hanc particulam hiſtoriae academiae Pariſienſis praetermiſiſſe diligentiſſimum CREVIERIVM, in minutis alias eius circumſtantiis notandis valde curioſum et induſtrium.

pag. 22. not. lin. 3. a fin. *MICH. POCCIANTIVS.* Dabimus ipſa hiſtorici Florentini verba [x] cum et notitia de Brunetto Latino prae-

s) T. I. opp. p. m. 364. ed Wetſten.
t) De vanit. Scient. c. 9.
u) In muſeo hiſtorico-phyſico P. I. p. 12 ſq.
v) RAPIN. reflex. ſur la phil. f. 17.
x) de ſcript. Florent. p. 33. 34. vbi etiam VGOLINI carmen de illuſtratione vrbis Florentinae eius velut

praeceptore Dantis et Guidonis, et liber iſte Pocciantii rarius occurrant. „Audit ille linguae Latinae ſua tempeſtate delitiae, muſarum alumnus, „rhetoricae familiariſſimus, philoſophiae tutor acerrimus, bonarum ar„tium promtuarium inſigne, hiſtoricus theologusque percelebris, et „vir denique conſularis grauiſſimus, qui in optima reipublicae admi„niſtratione ciues Florentinos inſtruxit, a quibus ſaepe in rebus ſeriis „ad plurimos principes, auctore Bartholomaeo Scala, orator deſignatus, „ſagax in inquirendo, circumſpectus in explorando, ſubtilis in contem„plando, in iudicando grauis, implicitus in vincendo et facilis in eno„dando". In ſcriptorum autem eius catalogo indicat verſionem Italicam *libri I. ethicorum Ariſtotelis;* itemque librum *de vitiis et virtutibus*, *de moribus hominum*, *de varietate fortunae*, *de adminiſtratione ciuitatis*, vnde patet, excurſiones eius diligentiam in campo morali eo tempore tribulis et ſpinis obſito exercuiſſe, vnde merito inter abauos et auos renaſcentis philoſophiae non obliuiſcendus eſt.

pag. 23. lin. 3. *Ingens addi poſſet aceruus.* Eum collegit more ſuo diligentiſſimus FABRICIVS[y] quem vide et praeter eum NICERONIVM.

pag. 25. not. o. *ERYTHRAEVS Pinac. II. p. 219.* Vitam eius delineauit MATTHAEVS VILLANVS, praefixam nouae editioni *Decaëmeri Londini et Hagae comitum 1725.* editi a V. C. PAVLO ROLLI, vbi etiam Boccatii imago praefixa eſt: videnda quoque iudicia BAILLETTI, alii.

pag. 28. not. 2. *Iulius Niger hiſt. Scr. Flor. p. 473.* Huic addendus MICH. POCCIANTIVS[z], cui audit, *vir ingenii eminentiſſimi ac prope diuini, veterisque linguae eruditiſſimus, multarum ſcientiarum locupletiſſimus, atque inter oratores praecipuus.*

pag. 34. lin. 23. *Relinquere conatus eſt.* Putabat Valla otioſam et inutilem prolixitatem ſequi philoſophorum Peripateticorum ſcholam, poſſeque multa et breuius et concinnius dici, nonnulla, velut nihil ad rem facientia deſeri. Itaque decem praedicamenta ad tria reduxit, ſubſtantiam, qualitatem et actionem, et figuram tertiam ſyllogismorum repudiauit, et commentatores Dialecticae ſcholae apud Scholaſticos velut inutile philoſophorum vulgus vehementer more ſuo contemſit. Dabimus eius verba, repetita quoque a P. GASSENDO[a], eo quod non ſine magna et demonſtrante ratione eum quisquilias ſcholaſticas contemſiſſe, in aprico ponunt: *Eum quicquid infinitis libris tradiderunt, id omne pauciſſimis tradi praeceptis potuiſſe, animaduerto, quid aliud cauſſae fuiſſe putem, niſi inanem arrogantiam, qui dum viteis longe lateque diffundi ſarmentis gaudent,*

velut reſtauratoris literarum meminit. Add. IVL. NIGER. de ſcript. Flor. p. 112. et qui eum ſequitur, FABRICIVS bibl. L. Med. T. I. p. 783. Obiit vir doctus et eloquens anno 1295. Cum Guelpharum partes ſequeretur Danti diſcipulo diſplicuit.

y) l. c. T. V. p. 677. his plenior eſt notitia NICERONII T. XXII. p. 185 ſqq. vers. germ. qui ſua accepit a MVRATORIO. vid. pag. 207. ex praef. ad carmina, praemiſſa editioni COMINII Patau. 1782.

z) De ſcript. Florent. p. 152.

a) Log. c. 9. Opp. T. I. fol. 39.

Digitized by Google

dent, vnam in labruscam mutauerunt? At quod longe iniquissimum est, cum captiones, cauillationes, calumnias video, quas et exercent, et docent; non possum non eis succensere, quasi piraticam, non naualem rem, siue, vt mollius loquar, palaestrae pro militiae disciplinam tradentibus. Erat enim Dialectica res breuis prorsus et facilis. Haec cum omnium literarum reformatorum sententia quoque eo tempore fuerit, quis, nisi insaniens, reprehendet scholasticas sordes cum tot viris magnis, in historia philosophica obelo configi.

pag. 35. lin. 15. *Thomas Pope-Blount aliique.* His addendus quem de Vallae vita et scriptis copiosissime et accuratissime egisse iudicat HEVMANNVS [b], recentissimus LIVII editor DRACKENBORCHIVS, in *praef. ad Liuium* [c]. Ceterum quanquam Vallae mordacitatem hominem philosophiae praeceptis emendatum dedecere, est in confesso, vnde tot in eum conuicia iacta sunt, quot in virum tantopere de expellenda barbarie meritum non erat expectandum; fatendum tamen, recte iudicasse ERASMVM [d]: *Vnius Laurentii mordacitas, (siquidem ita malunt appellare:) non paulo plus conduxit rei literariae, quam plurium ineptus candor, omnia omnium sine delectu mirantium, sibique inuicem plaudentium, ac mutuum, quod aiunt, scabentium.* Et alibi [e]: *verum esto, mordacior aequo fuerit; num ideo falsum dixit, quia verum mordacius dixit? vsque adeo nobis odio est ista mordacitas, vt eius odio, tam multa scitu digna, necessariaque detestemur? adeo nihil ignoscendum putamus ei, qui tot modis profuit etc.* Nempe eo tempore duro nodo, quem durissimum Valla expertus est, durus quaerendus erat cuneus [f]. Et quid non iusta lege meretur barbaries? quid non salis piperisque postulabat eo tempore scholastica insania? Vnum dolendum: cum esset temperamento feruido et acerbo, saepe in iudicio ferendo fuisse praecipitatum, nec satis caute argumentum maxime in philosophia ob vehementiam ingentem trutinauisse, id quod dudum ei obiecit LVDOVICVS VIVES. Verum hoc commune reformatorum illorum fatum est, qui plerumque felicius vetera destruunt, quam noua resuscitant.

pag. 35. not. d. fin. *In libris notissimis.* Exhibuimus Rudolphi Agricolae, velut primi literarum inter Germanos restauratoris historiam literariam ante viginti annos, *in templo honorum literaturae Germanicae* [g], vbi nostras obseruationes illis adiecimus, quae h. l. scripseramus; quae etsi in omnium manibus versentur, addemus tamen illas hoc quoque loco in eorum gratiam, qui vernaculam nostram, in qua templum illud literarium scriptum est, non intelligunt.

b) Hist. lit. c. 4. pag. 146.
c) T. VII. pag. 2 seqq.
d) Epist. L. IV. ep. 7. in. 191. sed tota eius pro Laurentio apologia legenda.
e) Decad. I. pag. 1 seqq.
f) ERASMVS l. c. videbat inueteratum morbum non posse sanari, nisi tristibus pharmacis, ustoris ac sectionibus, idque cum dolore plurimorum. L. VII. ep. 3. pag. 871. vbi multis pro Laurentii fama disputat.
g) Prodiit iste liber historiae literariae patriae nostrae vindicandae destinatus, Aug. Vind. 1747. 4.

Ibid. lin. 19. *Recte dixeris.* Omnium in biographia Agricolae curam et attentionem superauit PHILIPPVS MELANCHTHON, qui more suo elegantl planaque declamatione hunc Germanicae literaturae antesignanum laudauit, et posteritatis memoriae et imitationi commendauit, quem, si copia rarescentis collectionis [h] Melanchthoniae dabitur [i], ipsum legisse non poenitebit.

Ibid. lin. 19. *Natus ex nobili inter Frisios familia.* Delenda vox: nobili. Teste enim Melanchthone natus est in Frisia, in rure quodam non procul ab vrbe Groninga, honestis parentibus, quorum facultates, vt sunt ibi, mediocres fuerunt, et vnde liberis ad studia sumtus liberaliter suppeditare poterant. Pagus ille nominabatur Bafflon.

pag. 36 lin. 7. *Linguam gallicam didicit.* Refert MELANCHTHON ex ore eorum, qui cum Rudolpho vixerunt; cum Louanii tyrocinium poneret, ibique Gallorum appeteret familiaritatem, seu vitantem nostrorum commessationes, seu quod illi essent eruditiores, statim inter illos Gallicam quoque linguam didicisse.

pag. 36. lin. 23. *Ex eruditione eorum in philosophia profecit.* Ferrariae, ait Melanchthon, tunc quidem magis floruisse studia philosophiae atque eloquentiae, quam in caeteris academiis Italicis: Herculem enim Ducem Ferrariae sensisse, ad boni principis officium pertinere curam iuuandae rei literariae, delectatum ipsum eruditorum scriptis [k]. Adeo nunquam desunt viri eruditi, vbi non desunt eruditionis fautores. Multus autem Melanchthon est in extollenda eius studiorum contentione, qua cum maximis literarum heroibus decertare, et ingenium doctrinae varietate excolere, elaborabat, et disputationibus quoque publicis et orationibus [l], eruditorum approbationem sibi conquirebat. Cui conatui valde fauit, quod in eloquutione imitari Italicam venustatem sine ineptiis posset: musicae exercitationis autem auxilio ad pronuntiationem et actionem vteretur. Id quod ideo miraculo simile tunc eueniebat, quia Germanorum hominum pronuntiatio ab Italis deridebatur, cuius exemplum alio loco [m] adduximus. In hac autem apud Italos mora Ioanni Camerario, Dalburgio et Theodoro de Pleningen, maximis paulo post literarum inter Germanos promotoribus innotuit, quod postmodum fortunam eius in aula et academia Palatina confirmauit. Haec Melanchthon.

pag. 37. not. h. *VOSSIVS de hist. Lat. L. III. c. 6. p. 566.* Occasionem libri huius scribendi MELANCHTHON enarrat [n], qui praeclare monet: *cum*

h) Vid. VOGT Cat. libr. rar. pag. 385. CRENIVS Animadu. P. I. pag. 23. Extat T. II. pag. 451 sqq.

i) Adiecit hanc quoque declamationem Orationibus FRISCHLINI pag. 451. GEORGIVS PELVGERVS add. MELCH. ADAMVS in vitis philos. Germ. pag. n. 13 sqq. et quos not. d. nominauimus.

k) Multum ideo Agricola laudat Herculem Estensem in eleganti oratione in laudem philosophiae Opusc. pag. 159.

l) Pleraeque continentur in opusc. l. c. Imitatus autem maxime est Quintilianum, quem sua manu descripserat. conf BAYLE T. I. Agricola not. d. p. 118.

m) Infra pag. 362. conf. MAIVS vit. Reuchlini p. 171. MELANCHTHON. Declam. T. III. p. 178.

n) pag. 463.

Digitized by Google

eum in hoc ſcripto non ſolum laborauiſſet, vt res tantas perſpicue narraret, ſed etiam, vt obiter legentem principem pleraque moneret, apparuiſſe eum non modo literis, ſed etiam ciuili prudentia excellere.

pag. 37. lin 18. *Accuratius de Peripatetica diſciplina ſtatuere Germanos docuit.* „Conſulebatur ſaepe ab eruditioribus, et in philoſophia et in aliis „artibus. Multa ex Ariſtotele vertebat et interpretabatur iis, qui eius „ſententias ſciſcitabantur: Nemo tunc viderat libros Ariſtotelis de *anima-*„*libus*. Itaque pergratum erat eius officium doctioribus, ſi quando aliquem „inſignem locum inde proferebat, vt cum de immortalitate animae diſpu-„taretur, quid ſenſiſſet Ariſtoteles, magna cum admiratione excepta „eſt illa ſententia prolata ex libro de generatione animalium: Mens „extrinſecus accedit, non naſcitur ex materia corporum. Haec „MELANCHTON°".

pag. 38. lin. 32. *In oratione Politianum quendam lepore referebat.* Ita quoque LVDOVICVS VIVES ᵖ de eloquentia Agricolae. Sapere tamen nonnulla eius aeui iſtius ſenſum et veſtigia monet HVETIVS ᵍ, quod in hac reformatae eruditionis infantia minime eſt mirandum.

Ibid. Ne nimii ſimus, non exſcribimus. Conſulenda tamen, praeter nominatos, quae collegit TEISSIERIVS ʳ, IOVIVS ˢ, BVRCARDVS ᵗ, alii. Legenda quoque erudita et luculenta AGRICOLAE *epiſtola ad Iacobum Barbirianum* ᵘ, ex qua et multae vitae eius circumſtantiae, et characteres animi nobilis et praeclari poſſunt cognoſci.

pag. 39. not. y. *Argyropule pag. 308.* Addenda his, quae HODYVS et BOERNERVS in libris ſupra allegatis attulerunt.

pag. 40. not. g. *Naudaeus add. ad Hiſt. Ludouici XI. c. 7* ˣ. Sub hoc rege epocham introductionis literarum Graecarum in academia Pariſienſi ponunt plerique: aſt obſeruarunt, BVLAEVS ʸ, et qui illo luculentius in hac re verſatur CREVIERIVS ᶻ, Gregorium Italum, non Graecum, (quem Tiphernam fuiſſe, Chryſolorae diſcipulum recte coniicit et ex actis vniuerſitatis probat,) quatuor annos ante mortem Caroli VII. Pariſios veniſſe, ſuamque operam in docenda Graeca lingua academiae obtuliſſe et fuiſſe eo quoque nomine receptum. Hunc ſecuti ſunt poſtea Hermonymus Spartiades, et Andronicus Theſſalonicenſis, ſub quibus Graeca literatura in ea ſchola coepit efflorescere. Verum parum laeto philo-

o) pag. 460.
p) Ad AVGVSTINVM de C. D. L. II. c. 21.
q) De claris interpret. p. m. 282.
r) Elog. T. I. pag. 220.
s) Elog. 32. pag. 76.
t) De ſatis L. Lat. in Germania T. I. pag. 120. 162 ſeq. 192. 238. T. II. pag. 161. 166. Qui etiam de conatibus principum atque magiſtratuum eum attrahendi T. I. p. 251. videndus.
u) T. II. opp. p. 205 ſeqq.
x) Vid. P. BAYLE art. Tipherne T. IV. diſt. 377. not. A. et quos laudat. Non autem Graecus fuit Georgius S. Gregorius ille, ſed Italus, vnde nomen a patria ſuſcepit. Medicinae vacabat, alit humaniorib ſtudiis doctior et elegantior.
y) Hiſt. ac. Par. L. V. p. 692. 894.
z) Hiſt. de l'Acad. de Paris T. IV. p. 246.

philoſophiae fato, obſeruat enim CREVIERIVS [a], philoſophos Dialecticae et philoſophiae doctores ſolos facultatis iura ſibi reſeruaſſe, repulſis humanitatis, rhetoricae et Graecae linguae ſtudiis, et priſtinam in docendo et ſcribendo barbariem obtinuiſſe. Ea enim philoſophandi ex Graecis fontibus gloria inter Gallos Iacobo Fabro reſeruata fuit, vt infra [b] dictum.

a) loc. cit. b) pag. 88 ſeq.

AD CAPVT II.

DE RESTAVRATORIBVS PHILOSOPHIAE PLATONICAE.

pag. 43. lin. 7. a fin.

Nec in doctrinam Chriſtianam peccaret. Quod hoc loco de Beſſarionis Platoniſmo obiter monuimus, id ad plerosque eius ſectatores recentiores extendendum eſt [a]. Hi enim cum inter Latinos habitantes, Alexandrini ſyſtematis habitum ad eccleſiae Latinae doctrinam conformare, tum orthodoxiae opinione, tum ſecuritatis et fiduciae commendatione, coepiſſent, (inter quos praeter Synodi Florentinae IV. PP. imprimis Beſſario excelluit, omnemque lapidem mouit, vt henoticis conſillis vtrique eccleſiae conſuleret,) ita inuidiam nonnullorum dogmatum, quae labem accepiſſe ex ſyſtemate Alexandrino viſa erant, declinare ſtuduerunt, vt ſaluae manerent eccleſiae Romanae ſententiae. Quare in horum Platonicorum recentiorum libris regnant quidem Alexandrinae hypotheſes, ſed a fontibus ſuis longe recedentes, et imprimis veſtigia ſyſtematis illius fanatici et enthuſiaſmo pleni, quod emanationem rerum omnium ex Deo, negata creatione ex nihilo, verum rerum fontem conſtituit, vix verborum quadam ſimilitudine ſine nexu ſyſtematico deprehenduntur. Quo pacto, dubitandum non eſt, Graecos monachos atque philoſophos complures hoc pacto Alexandrinam philoſophiam ſecutos fuiſſe, vt a labe tamen pantheiſticae impietatis tuta ſeruaretur fidei chriſtianae caſtitas, quanquam qui eorum libros legit, ſine impudenti audacia negare nequit, in explicandis opinionibus ſuis myſticos Graecos ita fuiſſe locutos et imprimis *ἐνάδων* doctrinam adeo incaute tradidiſſe, vt fauere enthuſiaſmo fanatico, et ex labe pantheiſmi aliquid illis haeſiſſe ſuſpicari quis poſſit. A qua tamen impietate libenter eos nos liberamus, et rectius ſtatuiſſe, quam differuiſſe multa, et imprimis venenum latens non ſatis intellexiſſe credi-

a) Huius obſeruationis exemplum, qui cupit, illi BESSARIONIS liber contra calumniatorem Platonis, maxime L. III. c. 13. legendus eſt, vbi multus eſt in Platonicis ſiue Alexandrinis placitis cum Chriſtianis conciliandis.

Digitized by Google

credimus. Id quod hoc quoque loco monendum nobis viſum eſt, quia non ſine admiratione vidimus, nuper virum doctiſſimum, qui *ἀνωνύμως hiſtoriam electiciſmi criticam* [b] ſcribere praeſumſit, nobis non ſine acerbitate iniuria plena et ab omni humanitatis indole aliena obieciſſe, nos pantheiſmi maculam omnibus Graecae communionis affectis, qui myſticam theologiam profeſſi ſunt, eamque ad Latinos mediantibus libris Pſeudo-Dionyſii traduxerunt, affricuiſſe, eo quod affirmauimus, emanationis ſyſtema eſſe proram et puppim theologiae et phyſiologiae Alexandrinae, ex eo autem multa ad myſticos mediantibus ſcriptis Pſeudo-Dionyſii tranſiiſſe, quia probe videbat, emanationis ſyſtema ab impietate pantheiſmi haud procul abeſſe. Qui ſi vel profundiorem philoſophiae iſtius in infima Graeci imperii aetate florentis cognitionem habuiſſet, vel, quod magis credimus, attentius in eo argumento fuiſſet verſatus, nec odioſis conſequentiis ad inuidiam Proteſtantibus viris doctis conflandam et cum Deiſtarum grege eos coniungendos fuiſſet confiſus, ſed ſine partis et affectus intemperie diſſeruiſſet magis, quam diſputauiſſet, et imprimis phraſeologias myſticas enthuſiaſmo fauentiſſimas a ſyſtematis doctrina ſeparauiſſet, certiſſimi ſumus, non tantum bilis eum in noſtram hiſtoriam criticam philoſophiae iſtius fuiſſe effuſurum, et qua eſt doctrinae elegantia, pretioſum a vili melius ſecreturum. Verum haec patentiori campo rite diſcutienda reſeruamus. Hoc autem loco Lectoris, qui rariſſimam Beſſarionis apologiam pro Platone non vidit, ſcire intereſſe putamus, Beſſarionem, virum acutum et doctiſſimum [c] multum eruditionis adhibuiſſe, et, cum eſſet ingenio acutiſſimo in eo elaborauiſſe, vt emanationis ſyſtemati, quod Platonem fuiſſe ſectatum negare nequibat, orthodoxos ſenſus tribueret, et cum creationis ſyſtemate componeret, qua de re non ſine iucunditate eius diſſertationem legent, et lucem haec breuiſſime a nobis dictis acquiri fatebuntur, qui ſyſtematis huius hiſtoriam non ex hoc vel iſto riuulo, ſed ex ipſis fontibus cognouerunt [d]. Verum non cuiuis lectori hanc Corinthum adire licet, nosque, quanquam vehementer arridet, de hoc argumento plura afferre, a paginae huius anguſtia et ſcopo excludimur, quod non niſi profunda hiſtoricae veritatis exploratione attingere licet, et extemporariam eleganter ſcribendi facilitatem refugit.

Ibid. lin. vlt. not. s. *Nihil attinet.* Plures indicabunt *Qq. noſtrae ex hiſt. phil. Vol. V.* [e]

pag. 45.

b) Praef. p. 13 ſeqq. T. II. p. 252 ſeqq. in qua differt. IV. luculenter prodidit auctor, ſe ſyſtema emanationis, prout in veterum ſcriptis, quae illud ſequuntur, exponitur, non ſatis intellexiſſe.

c) L. III. c. 1. qui, vbi copia eius datur, ipſe legendus eſt.

d) Ita quidem et verius et fuſius religionis Chriſtianae hoſtibus reſponderi poteſt, quam ſi ipſa ratiocinationis vincula ſoluimus, et fidiculis extorquemus, quae ſententiae noſtrae fauent, vt orthodoxia PP. nonnullorum in tuto ſit. Dolemus Beſſarionis vitam a Perotto ſcriptam vel amiſſam eſſe, vel delitescere. vid. Menag. T. IV. p. 117. Platinae biogr. Beſſ. extat apud Bzovium ad an. 1472. p. 31 ſeqq.

e) p. 1423 ſeqq. not. m m m.

pag. 45. *Id quod adeo senem afflixit, vt in itinere morbo corriperetur.* Ita quidem plerique Bessarionis biographi mortem cardinalis eiusque caussam memorant. Et verisimile quoque facit coniectura CREVIERII [f]. Aliter tamen NIC. PEROTTVS, qui ei ab epistolis fuit, et praesens circa obitum. Is enim memorabilem circumstantiam, quam ceteri omnes silent, narrat [g]: *XI. diebus* CIↃCCCCLXXI. *Xysti P. M. anno primo, singulis noctibus supra Bessarionis nostri lares errantem cometen maxima omnium admiratione sanguineo colore atrum animaduertimus, quo tempore designatus in Gallias legatus fuit. Vnde paucis interiectis mensibus rediens Ratiennae morbo inopinato medici, quem secum habebat, opera correptus, extinctus est, et una literae, atque omnium bonarum artium studia perierunt, quemadmodum in eius vita latius a nobis perscriptum est.* Hoc testimonio familiaris eius admisso annus emortualis est CIↃCCCCLXXI. exspirans, vel LXXII. exoriens: XXVI. Nou. CIↃCCCCLXXI. ponit FABRICIVS [h].

Ibid. lin. vlt. *Aristoteli obtrectanti.* Leg. Platoni.

pag. 46. lin. 6. *Rarior hodie occurrat.* Habemus quidem praeter editionem *αὐτόγραφον* anni CIↃCCCCLXIX. fol. *Romae* apud *Conradum Sweynheim et Arnoldum Panartz magnifico habitu* expressam, Aldinas duas anni CIↃIↃIII. et CIↃIↃXVI. exculas, quas tamen itidem rarissimas esse obseruat WEDEKINDVS [i]. Nos quoque recordamur, Batauam apud Elzeuirios impressam vidisse, cuius tamen editionis annus memoria nobis elapsus est. Editionis originalis, quam ex bibliotheca reip. Memingensis olim in germanicis H. P. Qq. fuse et ex instituto descripsimus [k] exemplum longe elegantius, et regio splendore superbum ante aliquot annos reculis nostris literariis accessit. Charta illud impressum est firmitate membranas aemulante, margine latissima, literis initialibus auro obryzo, purpura et coeruleo figuris et ornamentis magnifice pictis, et adscriptis cinnabari, et lapide Lazuli capitum numeris, adpictis quoque possessoris primi armis gentilitiis, corio rubro compactum, nitide et integre conseruatum, vnde coniicimus, vnum ex eorum numero fuisse, quae CCC tantum exarata sunt, et cardinalem muneris loco ad summos principes virosque magnos misisse ex eius epistolis patet. Editio vero Aldina posterior auctior etiam Bessarionis libros *metaphysicorum Aristotelis*, et *Theophrasti metaphysicorum Lib. I.* complectitur, de qua etiam videndus CLEMENS [l] atque MAITTAIRIVS [m].

pag. 48. lin. 23. 24. *Quanto in hanc philosophiam studio eruditi nonnulli incubuerint.* Legenda de ea re NICOLAI VALORIS [n] *vita Laurentii Medicis*, tandem CIↃIↃCCL. *Romae* edita. Est is Valor, de quo scripsit ad Laurentium

f) Hist. Vniu. Par. T. IV. p. 349.
g) Cornu Cop. L. L. s. Comm. in Martial. L. I. epigr. 53. (non 28. vt habent Menagiana l. c.) p. m. 870. ed. Val. Curionis.
h) Bibl. Gr. Vol. X. p. 401.
i) Catal. libr. rar. p. 418 seqq.
k) T. V. p. 1504.
l) Bibl. libr. rar. T. I.
m) Ann. typogr. T. I. p. 14.
n) Ep. ad I. Picum p. 143.

Digitized by Google

tium FICINVS [o]: *Valorem tibi ſingularis ſua virtus probat, Platonicus honor laudat, incredibilis in te amor commendat.* Paucis multa de illuſtriſſima familia HERMOLAVS BARBARVS [p]: *Debent Florentinis literae et inter Florentinos Medicibus, et inter Medices Laurentio.* Plura de hoc heroë togato eiusque eruditione et literarum fauore dabit MICH. POCCIANTIVS [q]. Fuit vir ſummus Leonis X. P. M. parens.

pag. 51. lin. 7. *Florentia eiecto et a Sixto IV. anathemate percuſſo.* Haec intelligi vix poſſunt, colligique, quem influxum motus illi Florentini in fortunam Ficini, totamque academiam Platonicam habuerint, niſi dux adſciſcatur hiſtoria Italiae: cuius tamen ſumma hoc loc deſcribi non poteſt. Accurate rem omnem narrat ὁ πάνυ MVRATORIVS [r], qui hic omnino conſulendus.

pag. 55. lin. 15. *Vis uno dicam nomine? Marſilius.* Pertinet huc elogium, quo eum cohoneſtauit reſpublica Florentina inſcriptum effigiei marmoreae, ad laeuam eccleſiae cathedralis, prope ualuas, quod exhibet POCCIANTIVS [s]:

En hoſpes hic eſt Marſilius Ficinus ſophiae pater!
Platonicum qui dogma culpa temporum ſitu obrutum
Illuſtrauit, et Atticum decus ſeruans Latio defendit
Fores primas ſacras diuino actus lumine
Vixit beatus ante Coſmi munere laurique medices
nunc reuixit publico S. P. Q. F. 1521.

Inuidendas autem laudes, quas ei tribuit POCCIANTIVS, non audemus hic adſcribere, metuentes, ne nauſeam excitemus lectori, adeo illae nugantur. Quis enim patienter et ſine indignatione ferat, dici Ficinum *e coelo profecto miſſum ad Florentem Vrbem ornandam, ſiue potius orbem, veluti Plato ad Athenas illuſtrandas*, etc. Vnde huic laudandi intemperiei tantum tribuimus, quod addit: *et denique ſic animi vires tanto robore ac virtute extulit, vt per deuios et indomitos ſaltus omnem Graeciam peragrare, atque in Aegyptum vſque penetrare, ſapientiſſimosque illos ſenes noſtrae aetati ignotos ſuper humeros ſuos ad nos afferre, non dubitarit, a quibus ſimiliter ita omnem obſcuritatem, quae circa eos erat, amouit, et mortalium oculos a caligine abſterſit, vt etiam eorum cor inſpici poſſet.* Crederes, Ficinum peregrinatione literaria totam Graeciam et Aegyptum peruagatum, innumeris ſpoliis onuſtum redliſſe, ſed caue, fallaris, nihil enim vult aliud cothurnatus ſcriptor et laudator ineptus, quam, doctrinas Platonicarum ſcholarum, quae olim in Graecia et Aegypto floruerunt, eum in Italia vulgaſſe. Ficinus enim ne pedem quidem ex Italia extulit, ſed a pueritia inter obſequia Mediceae

o) p. 108. vbi imprimis ob conditam Academiam Platonicam laudatur.
p) Dedic. Platon. Opp.
q) De Script. Florent. p. 108.
r) Annali d'Italia ad an. 1478. T. IX. p. 516 ſeqq.
s) De S. Fl. p. 120.

diceae domus, eo tempore, nempe *ante annum vigeſimum tertium ſuae aetatis* haeſit, nec poſtea itineris ſuſcipiendi capax fuit, cum et corpuſculum nimis paruum atque tenue, et ſanitatis non firma ſatis conditio obſtarent: quare etiam in aulam imperatoris mitti non potuit, ſed legatio iſta Valori a Laurentio commiſſa eſt. Non itaque fidendum laudibus ſcriptoris Florentini, qui hederam ſuſpendere patriae gloriae vbique ſatagit. Id quod ideo monemus, ne quis libri inſigni raritate [f] decipi ſe patiatur, cum facile eo carere poſſit: in hoc vno laudando, quod ſcriptorum catalogos diligenter adduxit, id quod etiam de Ficino factum. Magis tamen conſulendi indices ſ. reu. Schelhornii et Niceronii, qui illum potiſſimum ſecutus eſt.

pag. 55. lin. vlt. *Communi ſuffragio phoenix ingeniorum ſeculi ſui dici meruerit.* Teſtis eſt non modo P. IOVIVS [s], ſed AVGVSTINVS quoque FAVORITVS, in *vita Virginii Caeſarini, Vrbani VIII. P. M. cubiculo praefecti*, qui refert [t]: *Cardinalem Bellarminum ſolitum fuiſſe dicere, videri ſibi Virginium alterum Picum Mirandulanum, eum, qui ob excellentiam ingenii et doctrinae phoenix ſit nuncupatus. Hoc vero dictum et probatum eſſe in vulgus, et vtriusque genus, mores, formam, ingenium, ſtudia, exitum ipſum vitae ex aequo comparanti, haud multum abſonum a vero reperiri. Eius rei fidem facere numiſma, ex vna quidem parte duobus phoenicibus inſculptum, ex altera vero totidem imaginibus affabre ductis et extantibus: quarum prior Ioannem Picum, Virginium Caeſarinum altera retulerit: cuius imago quoque eo loco aere ſatis eleganter expreſſa conſpicitur* [u]. Ceterum quanquam hoc elogii genus, quod certis appellationibus atque titulis honorificis medio aeuo vſitatiſſimum fuit, nec hodie totum deliit [x], Pico non inuidendum ſit, quem et praecocis ingenii maturitate, et ingenti animi magnitudine, et lectionis infinitae copia, et rerum abſtruſarum inquiſitione curioſa ſui temporis viros doctos ſuperauiſſe, et in ſuo genere aequalem non habuiſſe, facile concedimus: multum tamen iactantiae pariter atque adulationis in eo verſari, illi facile intelligent, qui libros Pici legerunt et *παραδοξοφιλεῖτες* ſtudium noua et inſolita dicendi, ex ambitione, cui iuuenis illuſtris generis et praeclariſſimarum ingenii virium valde litabat, enatum conſiderarunt. Cum enim parum ſolidae ſapientiae atque certae doctrinae in plerisque Mirandulani aſſertionibus deprehendatur, cumque audacius, quem felicius ad comparandam tantum eruditionis peregrinae et inſolitae famam multa affirmaſſe ſit teſtatiſſimum; vix ratio patet, cur immortalis et rariſſi-

f) Hanc vel ex eo colligere licet, quod nec Fabricius, nec Schelhornius, nec Niceronius et Baumgartenius, at quanti librorum heluones, ad eam prouocauerint, ſed tantum ad Iulium Nigrum. Prodiit opus 1589. 4. auctore Michaele Pocciantio Florentino, Ord. Serv. B. V. M. cum additionibus Lucae Ferrinii.

s) Hiſt. L. II. p. 36.

t) Recudi eam fecit HENR. WITTENIVS Mem. philoſ. Dec. II. p. 167 ſeqq.

u) Repetita quoque eſt ex aere apud WITTEN. loc. cit.

x) Conf. MOLLER. homonymoſcop. p. 873 ſqq. qui iucunda multa de eiusmodi *μετονομασίαις* attulit.

Digitized by Google

rariſſimae auis ſymbolum in republica literaria illi adſcribendum ſit, et cur tam ſuperbum nomen mereatur eruditio, multa quidem paradoxa, ſingularia, ampullasque proiicientia prae ſe ferens, ſed nexu et iudicio critico deſtituta, et iuuenilis aetatis, licet praecocis characterem ex aſſe referens, et, vt verbo dicamus, ſyncretiſtica.

AD CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIAE ARISTOTELICAE GENVINAE RESTAVRATORIBVS.

pag. 61. not. a.

Inſpicienda quae ſupra ad pag. 7. annotauimus, vbi etiam ad DOMINICI GEORGII diſſ. *de Nicolai V. erga literas et literatos patrocinio* prouocauimus. Magnae huic pontifici gratiae debentur, quod codices Graecos optimae notae, ſibi a Graecis exulibus commendatos coëmi iuſſerit, illisque interpretandis viros doctiſſimos praefecerit. Ita enim factum, vt multi codices tenebris eriperentur, qui hodie magno literarum commodo leguntur. Exemplum eſſe poteſt liber Origenis aduerſus Celſum, quos ita acquirendos et Chriſtophoro Perſonae vertendos Nicolao V. perſuaſit Theodorus Gaza [a].

pag. 65. lin. vlt. *NICERONIVS.* Meretur is prae reliquis de Georgio Trapezuntio conſuli propter indicem ſcriptorum eius, qui apud alios non adeo praeciſe quaeritur [b]. IOVII narrationem comſit et auxit LEO ALLATIVS, et poſt hunc Varro noſtrae aetatis FABRICIVS [c]. Sed Hodyi quoque et Boerneri aliorumque p. 721 ſq. ſuo loco nominatorum diligentia eum intactum non reliquit inter Graecos exules, qui elegantiores literas in Italia refuſcitauerunt. Maxime autem BESSARIONIS [d] cardinalis cenſura contra eum et obtrectationes in Platonem comparanda eſt, qui multa tangit ab aliis praetermiſſa, quibus ob acerbitatem contentionis pro Ariſtotele, in comparatione Platonis et Ariſtotelis eum depexum dedit, tacito licet Trapezuntii nomine [e].

pag. 68. *Qua et amicis et ſibi nocuit.* Teſtem damus cardinalem BESSARIONEM, qui, cum prius eum inter familiares habuiſſet, poſt dicam iſtam in Platonem ſcriptam, *ſe aduerſus huius hominis maledicentiam potius, quam diſputationem*, ait, *agendum cum eo epiſtola non cenſuiſſe; nullam enim*

a) Vid. THEOD. GAZINI CPolitani ea de re epiſtola, quae inſerta eſt diario erud. Italiae T. XIX. p. 337.

b) In Germanica Niceronii verſione extat haec biographia T. XI. p. 22 ſeqq.

c) T. X. Bibl. Gr. p. 722 ſeqq.

d) In calumn. Plat. L. VI.

e) Adſcripſit, quod veriſimillimum, Trapezuntii nomen noſtro, quod ſeruamus exemplari, ipſe manu ſua Beſſario, cum illud munus magno illi viro, cuius arma gentilitia adpicta ſunt, more ſuo offerret.

familiaritatem ſeruare amplius cum homine ſe pati; quem iam aperte iniquum in amici officio deprehenderit. Decepit, ita pergit, me ille longo tempore virtutem ſimulans, et fingens erga me beneuolentiam, quod certe eo facilius facere potuit, quo maiori fiducia: pro fide ac conſtantia morum meorum nihil mali poteram ſuſpicari, nunc hominis fraudulentiam plane expertus, caueo, et bis per eosdem ſcopulos nauigare recuſo, ne iterum naufragium faciam, ipſe profecto me docuit familiaritatem ſuam aſpernari ac fugere, et mihi iam optimo iure conceſſum permiſſumque eſt, familiarem inimicum etc.

pag. 68. not. g. lin. vlt. *Aſtronomiae recentiore aetate reſtaurator.* Pleraque quae de huius aſtronomi meritis afferri poſſunt, poſt GASSENDVM exhauſit WEIDLERVS [f], qui, cum ceteris hiſtoriae aſtronomiae ſcriptoribus conſulendi. Imaginem tanti viri literariam ita depinxit, PHIL. MELANCHTHON in *eius vita: commemoratio de ſedulitate, de editis operibus, de certaminibus, quae ei cum artificibus fuerunt, de peregrinationibus, de ſummorum virorum amicitiis cum aliaſ multas in eo virtutes fuiſſe oſtendit, tum vero et ingenii vim et enthuſiaſmum diuinitus inditum ad has artes illuſtrandas in eo fuiſſe aliquo modo ſignificat. Equidem vt acumine eius delector in libris, ita ardorem animi admiror, ſimul et mens volitat per vniuerſam rerum naturam, metitur coeli et terrarum ſpacia et corpus diſcurrit per Germaniam, Italiam, Pannoniam, diſcit Graecam linguam, - - machinas manu ſua fabricat.* Caeterum caue Boruſſum facias cum STARAVOLSCIO [g], natus enim eſt Regiomonte Franciae orientalis oppido, non Boruſſiae metropoli. Extinctus eſt aet. 40. peſte vel veneno.

pag. 71. lin. penult. *Vt acutius vidiſſe Ariſtoteles crederetur.* Fulſiſſe has partes Platoni iniquas Paulum II. pontificem M. refert NICERONIVS, auctore tamen non laudato. Illud ex *pontificum Romanorum hiſtoria*, enarratore PLATINA [h] conſtat, Papam hunc *humanitatis ſtudia ita odiſſe et contempſiſſe, vt eius ſtudioſos vno nomine haereticos appellaret. Hancque ob rem adhortatum eſſe Romanos, ne filios diutius in ſtudiis literarum verſari paterentur, ſatis eſſe, ſi legere et ſcribere didiciſſent.* Illud vero odium maxime Platonicorum fortunam preſſiſſe Platina quoque refert, narrans, obieciſſe P. M. illis, quod opinionem Platonis tenendo haeretici eſſent. Indeque decre-

f) In vit. Pauli II. ſub fin. p. 359 ſeqq. Plura de eo dabit BAYLE Dict. T. III. art. Paul II. p. 622 ſeqq.

g) Viram Regiomontani eiusque praeceptoris Georgii Purbachii more ſuo deſcripſit PETR. GASSENDVS, quae extat Opp. T. V. p. 517 ſeqq. ita vt potiſſimum ad aſtronomiam ab his duumviris inſignirer promotam reſpiceret, vnde ſpicilegium reliquit B. WEIDLERO aſtronomo Witrebergenſi, qui in hiſt. aſtronom. c. XII. §. 13. p. 304. res Regiomontani prolixe proſecutus eſt. Quoniam tamen vterque, et ceteri fere omnes, qui hiſtoriam literariam Regiomontani attigerunt, ad ſola merita aſtronomica, quae maxima habuit, reſpexerunt, Regiomontanus autem etiam vniuerſae rei literariae, tum in Italia, tum in Germania magno auxilio adfuit, inter reſtauratores literarum eius memoria omitti nequit. Quibus rationibus ductus praeclare de ea meruit PHIL. MELANCHTHON, qui tum ex ſcriptis eius, tum ex Ioannis Schoneri ſermone in eum more ſuo terſa oratione res eius explicuit, quae T. III. ſel. diſſ. eius p. 239 ſqq. inſerta eſt, et ante Gaſſendianum elogium deber legi. Hanc Melanchthonis biographiam poſtea inſeruit Vitis philoſ. Germon. MEL. ADAM. T. IV. biogr. Germ. p. 3 ſeqq. edit. in 8. Ex his fontibus reliqui omnes ſua hauſerunt.

h) Cent. ſcript. Pol. n. 77. p. 88. notatus ideo GASSENDO l. c.

Digitized by Google

decreuiſſe, haereticos eos pronuntiandos eſſe, qui nomen academiae vel ſerio vel ioco deinceps commemorarent.

pag. 74. not. h. *Laudando defendendoque collegiſſe videtur.* Valde hoc in hiſtoria philoſophiae Platonicae reformatae ſiue Alexandrinae obſeruandum eſt. Inde enim conſtat, qua diligentia recentiores Platonici, qui ad Latinos confugerant, emendandum eſſe philoſophiae Alexandrinae ſyſtema ſtatuerint, vt ἐυθοδοξωτέρως compareret. Id quod ex his noſtris diſcere debuiſſet nuperus importunus cenſor hiſtoriae philoſophiae eclecticae, vt intelligeret, in quantum Alexandrinorum deliriorum impietas eccleſiae Latinae imputetur, et quam inepte is nos inuidia per conſequentias in ſuo cerebro enatas, cumulauerit. Certe adeo ſuperficiariam manum, qualem ille adhibuit, non admittit huius ſectae hiſtoria, a qua praeter ea, quae ex noſtris aliorumque obſeruationibus hauſit, valde imparatus fuit ſcriptor tumultuarius. Sed haec obiter.

AD LIBRVM SECVNDVM.

DE NOVIS LABORIBVS VETEREM PHILOSOPHIAM REVOCANTIVM.

CAPVT I.

DE CAVSSIS MVTATAE TEMPORE EMENDATAE RELIGIONIS PHILOSOPHIAE.

pag. 80. lin. 5.

Nobilem ex Adelmansfelden. Dignum nomen illuſtris viri, cuius memoria propter adiuta doctrinae repurgatae ſtudiorumque ſacrorum et humaniorum incrementa ad poſteros perennet. Qui, qualis quantusque inter Sueuiae noſtrae nobilitatem vir, quantum literarum ornamentum et praeſidium fuerit, operae pretium eſt, ex epiſtolis eius cognoſcere, quas laudabili conſilio cum aliis ex commercio literario Bilibaldi Pirkaimeri edidit illuſtre olim Norici Heliconis ornamentum IOANNES HEVMANNVS [a] cum Reuchlinianis comparandas.

pag. 82. lin. vlt. *Digito tantum et ὡς ἐν παρέδῳ tetigiſſe ſufficiant.* Adeundi hic ſcriptores hiſtoriae literariae Germaniae, REIMMANNVS aliique: multa quoque ſuppeditabunt IAC. BVRCKARDI eruditi commentarii de

 linguae

a) In documentis literariis varii argumenti, Altd. 1758. editis p. 144 ſqq. Extant etiam quaedam eius epiſtolae, ad cognoſcendum ſtatum eccleſiae ineunte Sec. XVI. vtiliſſimae, inter epiſtolas Reuchlinianas. conf. Ven. SCHELHORNIVS Amoen. eccl. T. II. p. 666. et HEVMANNVS l. c. in Comment. Iſagogica p. 89.

linguae Latinae fatis in Germania, qui reſtauratores Latinae linguae excitando, magnam quoque partem conatuum eorum, quibus meliora ſcientiarum fata in Germania debemus, adduxit [b]. Quae propius ad philoſophiam ſpectant, ea in ſequentibus copioſe ſatis enarrauimus. Dabit quoque haud pauca MELCH. ADAMI induſtria, qui heroum inter Germanos philoſophorum hiſtoriam integro volumine complexus eſt [c], quam cum ex monumentis fide dignis hauſerit, huius voluminis noſtri hiſtoriam interdum multa luce perfundit. Alios a nobis alibi enarratos hic praetermittimus.

pag. 83. lin. vlt. *Pleni ſunt illorum libri inuectiuarum in corruptionem artium et diſciplinarum.* Solent haec quidem in annalibus eccleſiaſticis enarrari, cum pleraque doctrinam eccleſiae, moresque cleri tangant, cuius ſpecimina, qui cupit, apud HOTTINGERVM [d] aliosque affatim reperiet. Sed pertinent quoque ad philoſophiam, quo nomine Scholaſticos eius temporis mire depexos dedere LVDOVICVS VIVES et H. C. AGRIPPA, vt alios taceamus, quorum cenſuras collegit TRIBBECHOVIVS [e]. Hi itaque literarum et philoſophiae ſtatores et illuuiei Scholaſticae cenſores, qui plerique in Romanae eccleſiae gremio remanſerunt, ab iis refutandi et caſtigandi ſunt, qui apologiam pro lepra hac theologica et philoſophica ſcribere auſi ſunt, ne hilo quidem meliores, et his ipſis moribus inquinatiſſimi, patribusque ſuis deteſtabiliores, qui dederunt progeniem vitioſiorem.

pag. 84. lin. 15. *Canina rabie obiecit ὁ δεῖνα.* Huiusmodi cyclopum armis integrum armamentarium inſtruxit menſtruus ſcholaſticus Friſingenſis, cui ad tomum antecedentem dignum patella operculum adhibitum, de quo nihil repetimus, ne in hoc coeno volutari videamur,

Nam ſtultus labor eſt ineptiarum,

ad quas ſordes eliciendas Hercule opus eſt.

pag. 85. *B. FABRICIVS.* Locupletiorem hanc diſſertationem ſe daturum breui recudendam promiſit vir incomparabilis et promus condus hiſtoriae literariae [f], nihil tamen eius poſt vltima fata illius indicauit Cl. REIMARVS gener [g]. Nemo vero ſincerior atque melior Eraſmi pictor mentisque eius interpres eſt, ipſo Eraſmo. Nam recte monente SWERTIO [h] *in epiſtolis eius tota elucet vita, in iis eiusdem patet genius, ingenium, mores, eruditio, animique dotes.* Haec itaque collectio bonae frugis plena,

b) Prodiit doctus et iucundus liber duobus voluminibus Wolfenbut. 1713. 1721. 8. et accuratis indicibus inſtructus multam lucem huic argumento infert.

c) Ita tamen, vt philoſophorum nomine latius ſumto humanitatis quoque doctores ſimul complectatur. Pertinent huc quoque Muſagetae, et literarum patroni dignitate et axiomate ſplendidi, qui Muſas elegantiores fortiter gratia et opibus adiuuarunt, quos indice I. nominauit BVRCARDVS, et impr. in diſſ. de neceſſit. reform. studiorum diſſ. X. p. 2 ſeqq.

d) Hiſt. eccl. N. T. c. XV. P. IV. p. 222 ſeqq.

e) De DD. Scholaſt. c. 7. p. 342 ſeqq.

f) Bibl. L. M. T. II. p. 731.

g) Hiſt. vit. et ſcript. I. A. Fabricii p. 185.

h) In Athen. Belg. conf. MORHOF. Pol. T. I. L. I. c. 23. p. 280.

Digitized by Google

plena, maxime ex editione Frobeniana [i], consulenda est. Cum his comparandus MELANCHTHON [k], qui merita eius de bonis literis candide exposuit, quem secuti sunt scriptores historiae literariae et ecclesiasticae alii multi, quos plerosque nominat laudata Fabricii diligentia, et Io. CLERICVS [l], qui videndi. Nos hoc obseruatione maxime dignum et non praetereundum putamus, Erasmum adhuc iuuenem, primum videri, qui ad contemnendas nugas scholasticas philosophorum et theologorum Scotistarum signum inter nostros Germanos sustulit: cum reformandae religioni emendandaeque doctrinae sacrae nemo tunc quidem vel digitum adhuc admouisset. Legenda ea de re est lepidissima eius adhuc iuuenis epistola scripta anno cIↃcccccXCIX. [m] in qua scribit: *horum hominum, in quorum subselliis tunc haerebat, cerebellis nihil putidius, moribus nihil asperius, lingua nihil barbarius, ingenio nihil stupidius, doctrina nihil spinosius, moribus nihil asperius, vita nihil fucatius, oratione nihil virulentius, putore nihil nigrius* [n]. Hoc primum terribile Erasmi ouum fuisse, obseruat HERM. VON DER HARDT [o], quod similia dein apud viros quoscunque peritos et prudentes vota, monita et desideria pareret, et paribus querelis totam Germaniam vicinaque regna impleret. In quo tamen habuisse Erasmum quosdam antecessores, sed lacertos non satis mouentes, ex supra narratis potest colligi, et ex querelis Trithemii aliorumque illustrari [p]. Non tamen his conatibus contra pseudophilosophiam Scholasticam ista medicina tantum fuisse promotum, quantum vel res poscceret, vel nationis nostrae desideria flagitarent, tum notissimum est ex actis eius aetatis ecclesiastico-literariis [q]; tum Reuchliniana historia luculenter detegit, quam profunde coeno immersa tunc fuerint nostrorum ciuium ingenia, quae ex hoc quidem torpore tota nunquam euigilassent, nisi reformationis ecclesiae motus omnia coepissent conuellere. Testes damus H. C. AGRIPPAE scripta apologetica, quo nemo vlcus hoc fortius tetigit, de quo tamen infra dicemus.

pag. 86. not. u. *Socias iunxit manus.* Legenda erudita Viuis *praefatio in libros de C. D.* qua ipse refert, ideo inter ceteros Erasmum sibi curam libros de C. D. recognoscendi tradidisse, quod opus bona ex parte tum rerum gestarum fabularumque narrationibus, tum disputationibus philosophicis videretur, quibus rebus bonam aetatis partem videretur impendisse. Et sane pensum hoc non impigre tantum, sed feliciter quoque Viues

i) Bas. 1556. fol. qua editione vtimur.
k) Declamat. T. IV. p. 780 seqq.
l) Bibl. choisie T. I. p. 380. V. 145. VI. 7. VIII. 229. XII. 1. vbi noua editio 1743. Erasmi recensetur.
m) Lib. VII. p. 266.
n) Non negat hoc doctissimus CREVIERIVS loco supra ad p. 40. adducto, non obstantibus humanitatis literis, quae surgere coeperant, theologos et philosophos Parisiis antiquum obtinuisse.
o) Hist. ref. liter. P. I. p. 2 seqq.
p) Conf. HEYMANN. diss. de viis prouidentiae veram religionem Lutheri ministerio in lucem reuocantis et tuentis, quae adhaeret calci EIVSD. Luthero apocalyptico.
q) Recte id obseruatum FABRICIO Centifol. Luth. P. I. p. 434. Vnde parum veritati respondet Obseruatio bibl. rariocin. T. I. p. 44. Erasmum plus promouisse reformationem, quam Lutherum et Caluinum.

Viues abſoluit, vt omnium plauſum mereretur: maxime vero eam veteris hiſtoriae philoſophicae notitiam inſperſit, vt non ſine iucunditate et emolumento eius annotationes legantur, multumque conferant ad noſcendam philoſophiae maxime Platonicae recentioris ſiue Alexandrinae faciem: quanquam non omnia ſatis vel perſpexit, vel rite explicuit. Contemſerunt hanc philoſophiae et literaturae veteris hiſtoriam largiter huic commentario affuſam, theologi et philoſophi barbari, qui tunc etiam in academiis renaſcentibus literis adhuc obſtrepebant. Eis autem ita laruam detraxit, vt pudendae priſtinarum ſordium reliquiae omnibus, quibus mens ſana erat, nauſeam excitarent, isque oſtenderet, parum ſe facere hominum illiteratorum latratus, magnoque animo eos deſpicere. Quae heic ideo notamus, vt intelligatur, qua lucta laetioris doctrinae, et imprimis hiſtoriae philoſophicae reſtauratoribus pugnandum fuerit, donec caput humanitatis et ſincerioris eruditionis literae potuerint attollere. Sed legenda quoque eius de veteribus interpretibus huius operis admonitio, vt luculento teſtimonio conſtet, quam fideliter nos iſtam ſcholaſticl aeui ferruginem expoſuerimus, habeantque, qui ſimili, vt Viuem, inſania ideo noſtra conuitiati ſunt, quae ſibi quoque dicta reputent, et eodem lixiulo caput detergant. Certe elegans, quanquam ſale et pipere conſperſa diſſertatio valde poterit oculos illis aperire, qui ſcholaſticas corruptelas hodie adhuc depereunt.

Ibid. not. s. *Iudicia recenſet.* De Antonio Nebriſſenſi, cui Hiſpania reſtauratas literas elegantiores debet, ANDREAS SCHOTTVS in *bibliotheca Hiſpaniae* [r], multa attulit, ad hiſtoriam literarum renaſcentium pertinentia. Quamuis autem induſtria Antonii ad eloquentiam latinam purlorem reſpiciebat, veteris tamen philoſophiae hiſtoriam non neglexit, ſcripſit enim *dicta ſeptem ſapientum* carmine cum ſcholiis.

pag. 87. not. b. *NIC. ANTONIVS et TEISSIER.* Hoc iudicium excerpſit Teiſſierius non ex N. Antonii, ſed ANDREAE SCHOTTI *bibliotheca Hiſpaniae* [s], quae elegans Viuis encomium cum epitaphiis continet. *Iudicium*, ait, *eius celebratur, quo inter triumuiros illos R. P. conſtituendae literariae eiusdem tempeſtatis excelluit, vt Budaeo ingenium, Erasmo dicendi copia, Viui iudicium tribueretur.*

pag. 90. lin. 14. *In Lutheranismi ſuſpicione obiiſſe.* Conſulendus hoc loco SLEIDANVS [t], qui epiſtolam Franciſci I. regis contra perſecutiones, quibus Fabrum vehementer preſſerant theologi Pariſienſes, recitat, in qua tum horum hominum malitioſae atque iniquae inſidiae enarrantur, tum regio teſtimonio et tutela viri optimi ſecuritati proſpicitur. Rex enim eo tempore non erat in regno ſed. Madriti captiuus hoſpitabatur. Vnde verum non eſſe liquet, Fabrum taedio Pariſiis ſponte exulantem in Luthe-

r) T. III. pag. 410.
s) pag. 604.
t) Comm. de rel. ſtatu ſub Car. V. Tom. V. p. 120. a. ſeq. edit. 1555. f. omnium prima.

Digitized by Google

Lutheranae doctrinae ſuſpicione ſenio confectum obliſſe, quod IOVIVS[x] tradit. Aliter Sc. SAMMARTHANVS [y], qui narrata regis Galliarum clientela, qua Faber ab inſidiis ſycophantarum tutus praeſtabatur, addit: *Ille ſponte vrbe decedens, inuidiae ſe ſubduxit, Neracumque, Nauarrae ditionis vrbem, Albretiorum olim regiam, in illius heroinae Margaretae regis ſororis, quae illi ampliſſime fauebat* [y], *clientelam ſe recepit: vbi cum ad longiſſimam aetatem, tranquilliſſime vixiſſet, ſenio magis, quam aegritudine oppreſſus interiit.* Sed reliqua quoque legi merentur, quae de inſigni pioque viro illi afferunt, exque aliis adiecit HEVMANNVS [z]. Hunc primum philoſophiam ex infinitis quaeſtionibus eximere conatum eſſe, monet FRANC. PATRICIVS *diſc. Per. Tom. I. l. XI.* [a].

pag. 90. *Cui cum in controuerſia de D. Annae matrimonio vnico tantum ſuffragaretur.* Factum id diſceptationibus duabus: *de Maria Magdalena triduo Chriſti reſurgentis et ex tribus vna Maria. Paris. 1518. 1519. 4.* [b]. Nempe diſtinguebat Faber Mariam Magdalenicam a Maria Bethanica, et a peccatrice poenitente, habuitque conſentientes Iodocum Clichtoueum, et Guil. Eſtium, aduerſarios Natalem, Bedam, et maxime cenſuram Sorbonae, editam anno 1521. de quo vero in hiſtoria eccleſiaſtica eius temporis dicendum eſt. Singulares analyſeos eius circumſtantias ex Huberti Thomae de Liege *itinerario* narrat COLOMESIVS [c], dignas, quae cum attentione legantur.

pag. 92. lin. 4. *De lapſibus Nizolii.* Stamus merito viri ſummi, G. G. LEIBNIZII iudicio, Nizolium, ſumma vſum maledicentia, veteres et recentiores omnes leui ſaepius captata occaſione nigerrima vituperatione proſcidiſſe, et ne quidem ſophiſtarum ſcholaſticorum flagellis peperciſſe, immanique interdum procacitate in eos ſurrexiſſe, et quaecunque in ſcholaſticis reprehendenda cernebat, ipſi Ariſtoteli, de eorum nugis ne quidem cogitanti tribuiſſe, et tenebricoſorum iſtorum hominum tricas ad deprimendum Stagiritae nomen, etiam in iis, vbi reprehenſionem non meretur, adhibuiſſe, omnimodam dialecticae et metaphyſicae abolitionem vriſſe, demonſtrationem, qualem tradit Ariſtoteles, prorſus e natura rerum ſuſtuliſſe, et imprimis, vniuerſale habuiſſe pro collectiuo omnium ſingularium, ſimul ſumtorum, hocque cum diſtributiuo confudiſſe etc. [d]. Nempe idem illud euenſiſſe videmus Nizolio, quod toties viris cetera acutis et ſinceris accidit, vt cum reprehendendi et emendandi modum nec noſſent, nec

x) Cap. 121.
y) L. I. h. l. p. 3 ſqq.
y) Fauiſſe Margaretam Nauarrae reginam religionis emendationem amplexis, obſeruat CREVIERIVS hiſt. acad. Pariſ. T. V. p. 271 ſeq. quem tamen miramur Iacobum Stapulenſem prorſus omiſiſſe, regisque Franc. I. epiſtolam ad Vniuerſitatem Pariſienſem tacuiſſe. De regina hac autem vide SC. SAMMARTHANVM elog. 17. pag. 38. THVAN. L. VIII. p. 111. et imprimis P. BAYLE Dict. T. III. art. Nauarre.
z) pag. 2 ſeqq.
a) pag. 146.
b) FABRIC. bibl. L. M. T. II. p. 418. vbi etiam elegans epicedium in eius obitum Salom. Maerini, quod etiam legitur MENAG. T. III. p. 272. quaeque ibi notauit BERN. MONETA.
c) Op. p. 811. edit. Fabric.
d) Praef. loc. cit.

nec adhibere vellent, ipſam interdum rem atque veritatem cum vitiis confunderent et perderent. Quod libenter ad philoſophiae polemicae et hiſtoricae cancellos rite conſtituendos trahi patimur, nec alio ſenſu ſcholaſticis nugis et ineptiis dicam nos ſcripſiſſe Lectorem monemus, niſi, vt quae a ſcholaſticis ſobrie beneque dicta ſunt, probentur, natiua autem, quae a tot viris ſummis ante nos caſtigata ſunt, vitia eliciantur, tolerentur etiam quaedam, quae pulchrius dici poterant, atque emendentur, et ſic ad caſtiorem diſciplinam tandem traducantur philoſophicae ſcientiae. Quo pacto recenſiones ſolidas, et purgatum Augiae ſtabulum nemo culpabit vel calumnias reputabit, niſi qui opus habet helleboro. Quae hoc loco ſemel monuiſſe, e re noſtra eſſe putamus, vbi toties ſcholaſtica colluuies eiicienda fuit. Et ſimilem quoque ſententiam viri doctiſſimi tenuerunt, quorum flagella ſcholaſtica intemperies experta eſt, qui probe viderunt, ex ſtercore Enniano aurum poſſe interdum colligi e).

pag. 92. lin. 24. *Quae fauentibus diuinis auſpiciis ſuſcepta eſt, eccleſiae reformatio.* Legi hoc loco meretur epiſtola Erasmi f) ad Ioannem Henckelium Mariae Reginae Hungariae a concionibus, quae quanquam acerba ſatis in Lutherum et aſſeclas, luculenter tamen explicat, quo pacto ea numine fauente eccleſiae mutatio euenerit, nec aliter fieri potuerit, quam, *vt mundus validis hominum fere humilium, contemtorumque iuxta mundum etiam infamium clamoribus veluti mandragorae, quod aiunt, actus indormiens excitaretur, excitatus bonam partem ad illos raperetur.* Comparari autem cum illa poſſunt epiſtolae ἀμοιβαῖαι Erasmi et Friderici Saxoniae electoris g), quibus candide fatetur vterque internecinum erga literas odium iſtorum motuum primam occaſionem fuiſſe. Atqui tam profundas radices egerat malum, vt lenioribus remediis ſanari haud poſſet, id quod in omni fere reformatione etiam philoſophica euenisse teſtis eſt hiſtoria.

Ibid. lin. *vlt. Qui in hoc campo verſati ſunt, induſtriam.* Commendanda iſta ſcripta apologetica et hiſtorica lectori, tanquam phylacterium contra caninas allatrationes aduerſariorum, qui priſtinas calumnias ſubinde repetentes, ad haec tamen hiſtoriae teſtimonia reſpondere non potuerunt, ſed ſophiſticis tantum contorſionibus, dictis vel incertis, vel κατὰ τὶ intelligendis malitioſe ſuppreſſis circumſtantiis hominumque diuerſiſſimorum ſententiis inuidiam et contumeliam cumulare in caput Lutheri conati ſunt. Quae ſola ſcribendi et diſputandi methodus malam eorum cauſſam aperit, ſeque proprio indicio prodit, vt ſorex. Haec nos ſola quoque priſtino antagoniſtae Friſingenſi ad furorem cramben millies reiectam recoquenti opponimus, cum exſcribere iſtorum virorum, quae collegerunt teſtimonia apologetica, inſtituto noſtro refragatur, et apologiam

e) Legenda et expendenda, quae hac de re collegit Trisbechovius de Dd. Scholaſt. c. VII. §. 2. 3. p. 349. 351. quibus lubentes ſubſcribimus.

f) L. XVII. p. 583 ſeq. ed. Frob.

g) Opp. Luth. T. I. Altenburg. p. 264 ſqq.

Digitized by Google

giam dudum inuictis argumentis pro cauſſa Lutheri ſcriptam repetere relinquendum eſt hiſtoricis eccleſiaſticis. Illi, qui in hac arena decertarunt, non ſine lauro, nominat I. A. FABRICII [k] induſtria [l].

pag. 94. lin. 5. a. fin. *Ex hoc vero praeceptore.* Meretur horum Lutheri praeceptorum hiſtoria comparari cum diſcipuli Lutheri mente et meritis, vt intelligatur, quid illis debuerit, quid ſuo ingenio. Eos enumerauerunt G. H. GOEZIVS [k], et I. A. FABRICIVS [l].

pag. 97. lin. 15. *Sophiſtica doctrina monachorum inceperint.* Videnda obſeruata ſupra ad pag. 91. et imprimis adducta eo loco Erasmi epiſtola.

pag. 100. lin. 29. *Purgari non poterat.* Legi hac de re et expendi cum attentione ad circumſtantias eius temporis in cathedris theologorum et philoſophorum merentur, quae absque partis ſtudio ſobrie differuit, *κριτικώτατος* HEVMANNVS [m], quibus probe obſeruatis, facillimum erit lectori *ἀνευ παθῶν* mentem Lutheri examinanti rectum de ea iudicium ſtatuere et ad calumnias aduerſariorum facta aſſertionum diſtinctione reſpondere. Haec qui vel non intelligit, vel intelligere non vult, cum eo omnem diſputationem de illo argumento inutilem eſſe et abrumpendam putamus, niſi ſophiſticis cauillationibus veritatis demonſtratae titulus inſanienti conatu praefigendus ſit. Conſtabit inde, quam ſobrie et modeſte illi, qui ciuitatis Chriſtianae parti addicti ſunt, quam Lutheranorum nomine a ſuis coetibus pontificii doctores diſtinguunt, de Lutheri ſententia circa philoſophiam ſtatuant, et quam ſupra omnem fidem tenebras et lucem inimica ſophiſtarum natio heic miſcere omnia ſit ſolita. Cuius mores eum ſequantur et cantilenam priſtinam repetant ranae noſtri temporis nonnullae, nemini mirum videbitur, ſi earum coaxationibus nemo prudens reſpondeat, ſed ad centies repoſita et explicata rem omnem remittat. Sufficit, caute et diſtincte Luthorum curis poſterioribus de philoſophia praecepiſſe, iuſtisque magis terminis pleraque fuiſſe complexum, quae antea curis prioribus myſticorum partibus fauentior dixerat. Ita enim pulchre [n]: *ego perſuaſus ſum, ſine literarum peritia prorſus ſtare non poſſe fuiſſe theologiam, ſicut hactenus mentibus ruentibus et tacentibus literis miſerrime et cecidit et iacuit. Vehementer et toto coelo errare cenſeo, qui philoſophiam et naturae cognitionem inutilem putant theologiae.* Ceterum enthuſiaſtarum furorem eo tempore, vehementer quidem indignante Luthero, ex abuſu reſtitutae libertatis ſentiendi prorepentium, cauſſam potiſſimum fuiſſe, vt reiectae omnis rationis et philoſophiae, et ſimul perditarum literarum ignominia, Lutheri partibus ab ERASMO [o] quoque

k) Centifol. Luther. p. 376. 791. 481. 793. 903 ſqq. vbi etiam p. 927. obtrectatores pontificii enumerantur, ſed p. 953. quoque elogia eius inimicorum indicantur.

l) Loc. cit. p. 481. 488. 629. etc.

k) Diſſ. de praeceptoribus Lutheri add. GOTTENERI Exerc. ſel. de *διττοδιδάκτοις* ex. 4.

l) loc. cit. c. 6. p. 17. 516 ſqq.

m) Act. phil. Vol. II. p. 579 ſqq.

n) Conf. HEVMANN. loc. cit. et quos citat.

o) Ep. ad. Bilib. Pirkaimerum, L. XIX. p. 636. Vbicunque regnat Lutheranismus, ibi literarum eſt interitus. Scripſit haec anno 1528. ex cuius circumſtantiis de hac Erasmi querimonia iudicandum,

allisque obiiceretur, acta cum Caroloſtadio aliisque ſatis produnt, quibus tamen ſe magnus vir maſcule oppoſuit. Quod ipſi non negant Lutheromaſtiges, ſed in odium conuertunt, et reſorbuiſſe Lutherum, quae ante in ſcholarum contemtum dixerit, clamitant. Quod, quam falſum et calumnia plenum ſit, vel ſolae Erasmi et Friderici electoris epiſtolae mutuae, ad quas ſupra prouocauimus, euincunt, et academiae Witebergenſis atque Lipſienſis celebritas impudentiſſimos nugatores in ruborem dat. Verum cum his lemuribus luctari turpe et moleſtum lectori putamus, fructu quoque caret: vnde a refutando prolixe monacho Friſingenſi, qui totam camarinam in hoc argumento commouit, abſtinemus, vincamus enim, ſiue vincamur, ſemper a tam lutulentis ſcriptoribus maculamur. Ceterum de hoc argumento quoque legiſſe, quae eleganter et inuictis teſtimoniis confecit Iac. Bvrckardvs in nitidis *de linguae Latinae in Germania fatis* commentariis, vbi de omni quoque elegantiori Literatura per reformationem eccleſiae inſigniter promota diſſeruit, luculentisque ſpeciminibus illuſtrauit, neminem harum rerum curioſum poenitebit.

pag. 104. not. v. *Bibl. graec. Vol. XIII. pag. 493.* Enumerat vir πολυμαθέστατος hoc quoque loco biographos Camerarii, qui non plane in hiſtoriae philoſophicae tractatione praetermittendi ſunt. Quanquam enim interpretem magis veterum philoſophorum, quam philoſophum ſe exhibuerit, fatendum tamen, ad noſcendas veterum philoſophorum opiniones plurimum eum contuliſſe, ideoque non philologiae tantum Graecae et Latinae laude, ſed philoſophiae veteris cognitione in his annalibus philoſophiae locum poſtulare. Quoniam vero magni polyhiſtoris hiſtoriam critico-literariam alibi [p] ſuccincte, ſed accurate complexi ſumus, actum agere in tam abundanti meſſe noluimus, ſed ad elogium Camerarianum lectorem pace eius remittimus [q].

pag. 105. lin. 27. *Cum multis opinione Academicos.* Legendum, Peripateticos ab Academicis ſiue Platonicis, verbis magis, quam re ipſa et doctrina diſſidere. Non multum a ſcopo errare Camerarium patebit, ſi ea expendantur, quae de academia noua tomo primo diſſeruimus.

pag. 106. lin. 26. *Fulminibus, calumniis quin et famis et dicteriis inſaniam proderent.* Exempla potiora magna diligentia collegit ſuisque ingenii copiis auxit Friſingenſis Monachus in *ſecunda diſſertatione* contra noſtram hiſtoriam philoſophiae ſcholaſticae magna bile effuſa, quae cum alium vſum

dum, qui in ea epiſtola ſtrenue agit hypocritam. Multo vero impudentius Cochlaevs, qui ſplendide mentitur, ſcholas Lutheranorum tantum non eſſe vacuas, in quibus vix decem vel pueros nunc reperias, vbi prius reperiſſes duc-ntos. Non recordatus eſt mendax calumniator, Georgium Sabinum retuliſſe Petro Bembo. Card. de Melanchthonis auditoribus, quot haberet ſciſcitanti: habere vt plurimum, mille quingentos. Conf. Adam. vit. Mel. inter vitas Theolog. Germ. p. 360. ed. 8.

p) In templo honoris erud. Germ. p. 89 ſqq. vbi etiam imaginem exhibuimus.

q) p. 57 ſqq. vbi mirum habes ſpecimen ſophiſticarum cauillationum, ad imitationem seratis ſuperioris mox daturae progeniem vitioſiorem.

Digitized by Google

vſum non habet, leuabit tamen lectorem a moleſtia atque nauſea iſta ſtercora coaceruandi.

pag. 111. lin. 2. *Occupabantur viri magni.* „Horum primum fuiſſe in „Galliis Ioannem, (Iacobum) Fabrum Stapulenſem, in Italia vero Patauii Ni„colaum Caballum, Nicolaum Leonicum, qui neglecta ſcholaſticorum me„thodo philoſophiam Ariſtotelis tractandi, Ariſtotelem Graece Graecosque „Ariſtotelis interpretes in ſcholas induxerint, ait Fr. Patricivs [v]; qui etiam „hoc addit: inde coeptum aliud mixtionis in philoſophando genus, vt Auen„rois et Latinis Graecos interpretes admiſcerent ſcholarum philoſophi, „in textuum expoſitione Graecos praecipue ſequerentur, quaeſtiones „tamen omnino non omitterent, in quas, quod ſcholaſtici facere non „poterant, Graecorum ſententias innecterent. Ita ſempiternis quaeſtio„nibus modo impoſito, verborum Ariſtotelicorum linceriore inuenta „expoſitione, nouum philoſophandi genus ortum eſſe, in quo Buccafer„reus, Portius, Ianua, Madius, Vicomercatus atque alii noſtrorum tem„porum philoſophi floruerint: Idque nunc quoque (Inclinante Sec. XVI.) „in ſcholis Italicis habitare, in Gallicis vero atque Hiſpanicis ſimplicem „Ariſtotelicorum librorum ſine vllo interpretum adminiculo, ſine vllis „vel dubitationibus vel quaeſtionibus interpretationem. Quae a viro doctiſſimo obſeruata meliores quidem et humaniores vultus philoſophiae Peripateticae aperiunt, non tamen cauſſam indicant, cur ſcholaſtica tamen methodus, quam ſupra deſcripſerat, „quod Auenroicas „hypotheſes ac proprias dubitationes inuexerit, et Ariſtotelicam philo„ſophiam Chriſtianae theologiae iunxerit, huiusque praeceptis decretisque „Ariſtotelicas rationes ac etiam dubitationes quaeſtionesque permiſcue„rit, nihilque in theologia ſtatui poſſe, niſi Ariſtotelicis fundamentis fir„matum eſſet; non obſtante emendatione ſupra dicta, attamen poſtea „quoque obtinuerit". Verum alio ille loco [s] nos docet: *hanc methodum qua diſputaturi ex receptis iam iam opinionibus, (ἐνδόξοις) poſſint differere ita, vt aduerſarium vel ſuperent, vel ſaltem non ſuperentur, neque contraria iam poſitis cogantur dicere, exercuiſſe quadringentis iam abhinc (a Seculi decimi ſexti octogeſimo) annis ingenia apud Monachos atque adhuc inter eosdem, nec non in ſcholis Italicis regnare, ſed nulla ad ſcientias philoſophicas vtilitate, quod tamen eos lateat, putentque, ſe eo maxime philoſophos eſſe, quo minime philoſophi ſunt, quoniam ab eo more Ariſtoteles ſeu Eudemus eius auditor, philoſophicum morem tertio loco ſecreuerit.* Cur vero ignaua haec Peripateticiſmi ſcholaſtici methodus praecipue in ſcholis monachorum ſeruata ſit, cum tamen vbique melior philoſophiae lux exorta et iſta lues propulſata eſſet, nemo vel perſpicaciter magis vel candide detexit, quam Petrvs Gassendvs [t], cuius obſeruatio cum praeſentem tractationem mire illuſtret, eam non omittemus. Ita vero magnus

v) Diſcurſ. Perip. T. I. L. XIII. p. 163.
s) T. III. L. IV. p. 315.
t) Exerc. par. I. in Ariſtoteleos Sect. 10. T. IV. opp. fol. 119.

philoſophus, et veteris philoſophiae callentiſſimus. „Quamuis ſtandum „ſolo modo foret a partibus Europaeorum, quis neſciat, Ariſtotelem „vix vigere, niſi apud *Coenobitas aut eos certe, qui ab illis inſtituti ſunt, qui-* „*que penes ipſos non conſcientiam modo, ſed et libertatem quoque iudicandi de-* „*poſuerunt?* Caeterum enim, qui ſunt ſoluti eiusmodi compedibus li- „bereque philoſophantur, quam pauci quaeſo faciunt Ariſtotelicum inſti- „tutum? Sed et licet numeroſus hac tempeſtate numerus Ariſtoteli con- „ſentiat, anne propterea veritas ſic diiudicanda eſt ex numero opinan- „tium, vt in iudiciis fieri ſolet? Certe ſapientes pauciſſimi ſunt, numero- „ſiſſimus autem eſt, immo, vt ſapiens ait, *infinitus numerus ſtultorum*". In qua obſeruatione acute vidit philoſophus Dinienſis, caeci et abſoluti obſequii vincula ita in coenobiis a primis votorum annis ingenia haud raro lucida deprimere, vt aliter niſi ex traditione et conſuetudine maiorum philoſophari non audeant, tranſeatque iudicandi libertas in indignum humano intellectu ſeruitium, magnis multisque compedibus ita ſaepe conſtrictum, vt ad libertatem philoſophicam adſpirandi conatus multis periculis et perſecutionibus non careat. Quae recentibus exemplis haud intimae notae poſſent confirmari oſtendique quanta interdum pro veteribus nugis molimina ſuscepta ſint, niſi exempla eſſent odioſa, aſt non ignota in orbe literario". Nolumus tamen hanc obſeruationem quamuis a viris ſummis ex ipſo eccleſiae Romanae gremio profectam, penes quos nullae eſſe poteſt maleuolentiae ſuſpicio, in inuidiam ordinum ſolitariorum trahi, cum ab eo tempore, quo Carteſii philoſophia ſurrexit, multi ex monaſteriis viri acutiſſimi magnaeque doctrinae prodierint, qui abiectis ſcholaſticarum ſordium purgamentis, caſtiorem philoſophiam ſunt amplexi, immo ipſis illis intellectus humani et philoſophandi naeuis fortiter ſe oppoſuerunt, quos ex parte in ſequentibus laudauimus [x]. Quam ingeniorum lucem, et philoſophiae felicitatem potiſſimum partim viris ſum-

v) Conf. Fr. Rothischeri victoria veritatis, §. 27 ſeqq.

x) Remittimus lectorem noſtrum, ne haec ſpecialia a communi ſcopo nimium deducant, ad eruditiſſimam Mabillonii tractationem de ſtudiis monaſticis, vbi imprimis P. II. c. 10. de ſcriptis et diſputationibus philoſophicis agit, commendatque lectionem non Thomae, Scoti, Occami ſimiliumque, ſed Cordemoi, Rohaltii, Hueti, Regiſii, Du Hamel, Malebranchii, eosque cum lectione veterum philoſophorum Ciceronis, Senecae etc. comparari iubet, et ſimul memorabilem locum Fleuryi de ſtudiis p. 324. adducit, quo originem methodi ſcholaſticae exponit; eo fine, vt philoſophiae methodus fiat magis humana, magis modeſta, magis tranquilla, minusque exceſſibus illis expoſita, quos ex diſputationum ordinariarum calore naſci dominarique ſaepius experimur. Sed reliqua quoque legenda ſunt, quae ſ. 3. p. m. 484. ad quaeſtionem, num conſentaneum ſit in curſu philoſophiae cuidam adhaerere ſectae, et omnes eiusdem ſententias omniaque ſcita velut ſacra tueri, diſſerit. Id quod magnis argumentis negat prouocatque ad Melchiorem Canum, cui indignum viſum, quod inter Chriſtianos qui pro magiſtro I. C. agnoscunt et profitentur, tam exaltetur auctoritas pagani, vt ſtudio eidem deferendi intellectus capiatur, habeaturque promtus ſemper conſenſus vniuerſis ab eo dictis, tametſi neſciatur, veritati conſentanea ſint, nec ne etc. Probe autem ad muniendam obſeruationem Patricianam et Gaſſendianam, quam ſupra adduximus, notandum, acutiſſimum Monachum recti pectoris, ſed timidiuſculum, ne ordines monaſticos laedat, hanc cautionem addere: ſupponere ſe talem philoſophum in plena verſari libertate, cui velit vel viſum ſit ſententiae accedendi: quod ſi enim, ita pergit, libertas haec certis legibus circumſcripta ſit et regulis alligata cuiusdam religionis, coetus vel collegii, manus dandas, et in obſequium ſe

ſummis adſcribendam eſſe putamus, quibus eiusmodi collegiis ſacris praefectis [7], de meliori luto finxit praecordia Titan, quique ipſi ſobrie cogitare de rebus philoſophicis et veritatis prae veterum auctoritate rationem habere didicerunt: partim academiarum eruditarum, paſſim principum gratia excitatarum contentioni, ab hac barbarie liberandi, cuius vtriusque exemplum ex noſtra vicinia, in fine paginae adducemus, ex qua hoſtiles inſultus ante decennium infeliciter tentauit homo ſcholaſticus. Sed inſpicienda quoque Cl. GORDONII oratio *de philoſophia noua veteri praeferenda*, vt intelligatur, quam cupidi hoc ſeculo fuerint viri eccleſiaſtici, monaſticis regulis adſcripti, eiciendae veteris et ſuſcitandae nouae philoſophiae. Qui conatus etſi non ſemper maturos effectus habuerunt, teſtimonia tamen ſunt, inter ipſos ordines monaſticos dari viros cordatos, et aere circa pectus triplici munitos, qui auſi ſint contra ſcholaſticos ſtrepitus criſtas erigere, et praeludicio veteri nunciam mittere. Alia, quae huc quoque pertinent, in capite ſequente memorabimus, quae appendicis inſtar ad hoc caput poſſunt haberi.

ſe componere neceſſe eſſe. Certe clarius non poterat prodere Mabillonius, vnde ſeruitia philoſophica prodierint, hodieque in ſtudiis monaſticis prodeant. Quem philoſophandi modum viris erecti animi, iudiciique acuti et in rationali philoſophia exercitati ſeruilem, et indignum humani ingenii nobilitate videri, minime eſt mirandum.

7) Vt memorabili exemplo vtriusque probemus, vicinia tantum noſtra, ipſa Bauaria in teſtimonium adducenda eſt, ſuum ciuem Friſingenſem in ruborem datura. In ea libro MABILLONII de ſtudiis monaſticis ab eruditiſſimo P. VDALRICO STAVDIGL in Latinum ſermonem conuerſo, et prologo galeato de ſutilitate philoſophiae ſcholaſticae munito, quo acrius lixiuium affundi iſtis ſordibus non poſſit, cenſuram atque approbationem praemiſit Quirinus abbas monaſterii Montis S. in Bauaria, in quo ille interpres viuebat, qua non librum tantum Mabillonii elegantiſſimis elogiis a Sorbona commendatum, laudat; ſed et ſodalis ſui verſionem et editionem Latinam ratam habet et vt typis mandetur, facultatem praemittit. Simili exemplo VDALRICI WEISSII Monachi Vrſinenſis libro doctiſſimo et ſincerioris philoſophiae pleno de emendatione intellectus humani, in quo toties ſpectra ſcholaſtica fugantur, edendi licentiam et approbationem praemiſit Bernardus nuper abbas Vrſinenſis. Quocum abbate reuerendiſſimo et venerabilis capituli membris nos toties de philoſophia ſobria et eliciendis nugis ſcholaſticis colloquia habuiſſe laeti recordamur. Quo euentu, docebit illuſtris anonymi Bauarici epiſtola ad ROTHISCHERVM loc. cit. p. 58. Quam autem legem in philoſophiam ſcholaſticam illuſtris academia Bauarica, quae Monachi auſpiciis electoralibus floret, dixerit, ſupra iam ad Tomum III. indicauimus.

AD

AD CAPVT SECVNDVM.

DE PHILOSOPHIS ARISTOTELICO-SCHOLASTICIS RECENTIORIBVS.

pag. 118. lin. 4.

Ambitiosis verbis explicatus atque collaudatus est. Nemo in hac arena elegantius pro scholastica methodo disputauit, et ornatissimo dicendi genere pullum deformem comsit, quam FRANCISCVS VAVASSOR [a], qui tamen vt aureis verbis tolerabilem veritatis adspectum conciliaret, rationalis philosophiae, et sobriae methodologiae merita et officia cum scholasticis naeniis, mutato controuersiae statu, miscere, quaeque his debentur virtutis laudes, illis tribuere coactus est. Verum id non magnopere miramur. Quanquam enim cum elegantioribus Musis laudabile castumque haberet commercium, ipse tamen, societati Iesu adscriptus ex eorum numero fuit, quos apud coenobitas non conscientiam modo, sed et libertatem quoque iudicandi deposuisse conquerentem supra Gassendum audiuimus.

Ibid. lin. 18. *Ad academiae Parisiensis commentarios prouocat.* Ad haec melius clariusque intelligenda legenda est doctissimi CREVIERII *historia academiae Parisiensis* [b], qui Bulaeum suppleuit et emendauit. Maxime offenderat veteres Doctores, praelegi a nonnullis ex Artium facultate loco Aristotelis libros Rudolphi Agricolae *de inuentione dialectica;* at vertebat stilum facultas artium, quae in libello supplice ad praesidem curiae regiae fortiter vrgebat: vniuersitatem Parisiensem contemni a nationibus extraneis, quia, cum se totam facultas theologica debeat tradere sancto euangelio et antiquorum patrum, Cypriani, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini lectioni, professores theologiae profiteantur atque doceant certam quandam artem sophisticam, et Dialecticam subtilem, quae non sit medium, quo Deus velit populum suum ad salutem ducere. Silet tamen, quod miramur, parlamenti decretum Creuierius.

pag. 120. lin. 3. *VDALRICVS STAVDIGL.* Aliquoties ad hunc cordatum et doctissimum monachum, monasterii exempti Montis sancti Andechs, congregationis SS. Angelorum custodum Benedictino-Bauaricae sacerdotem, SS. Theologiae et Medicinae doctorem, protonotarium apostolicum, Academicum curiosum, (cuius biographiam exhibet *continuatio Parnassi Boiici* [c]) prouocauimus, eumque testem aduocauimus candidioris et accuratioris iudicii de philosophia scholastica, in praeloquio ad MABILLONII librum *de studiis monasticis* Campoduni vel potius Augustae

a) Orat. X. quid scripturam scholastica iuuet, T. I. Opp. p. 452 seqq.
b) T. V. p. 248. 249.
c) P. III. p. 819 seqq.

Digitized by Google

ſtae anno cIↃIↃccII. forma octaua editum. Quae celeberrimi libri conuerſio Latina, quanquam non omnibus numeris perfecta eſt, melius tamen fatum, quam vſa eſt, merebatur, eo quod ad emendanda literarum ſtudia in noſtra Germania inter Romanae eccleſiae adſcriptos plurimum conferre poterat, ſanioresque de iis ſenſus ſubminiſtrabat. Sed factum eſt, inuidentibus noſtrae religioni meliorem lucem fatis, vt haec editio tantum non penitus euanuerit, nosque, cum ablatum nobis ex reculis noſtris literariis eſſet exemplar noſtrum, aliud, adhibita omni diligentia et excuſſis omnium noſtrae vrbis bibliothecis atque tabernis literariis Romano-catholicis inuenire nequiuerimus, donec, neſcio quo prouidentiae fauore, nuper demum ex quadam bibliotheca venalis nobis offerretur. Cuius inſignis raritatis cauſſam, partim in diſtractum et miſere diſiectum bibliopoleum Kronigerianum, quod editionem curauerat, partim in bellicos tumultus, qui noſtram Sueuiam et imprimis Auguſtam mira infelicitate eo tempore cumularunt, partim in inuidiam hominum ſcholaſticorum, qui iſtum candorem ferre non poterant, et librum inter chartas emporeticas tandem reiectum negligebant, immo ſupprimebant, nos, qui eo tempore ſtudiorum rudimenta in patria poſuimus, omnesque circumſtantias nouimus, merito reiicimus. Quae cauſſa eſt, cur hoc loco excerpere nonnulla ex rariori libri editione, et in fine paginae adſcribere [d] conſtituerimus, vt iis, quae ſupra carptim de eo diximus, ſua conſtet veritas, nosque nihil partium dediſſe ſtudio appareat.

pag.

d) Non repetemus ea, quae de inſtituto ſuo, atque deſiderio emendandorum ſtudiorum imprimis philoſophicorum occaſione libri Mabilloniani diſputat, vt oſtendat, recte et inſtituto Benedictino conuenienter ſe ſtatuere, ſed obſeruamus tantum, auctorem rationem redditurum, quomodo in conſueta hactenus ſtudiorum via profeciſſet, et examinaturum, quae recta, quae aberrans via ipſum rexiſſet, alta indagine in veros fontes pſeudo-philoſophiae ſcholaſticae penetraſſe, quod tamen hoc loco, vbi breuitas ſectanda eſt, prolixius exponere haud licet. Iudicet autem Lector ex eclogis, quas ei damus. Ita vero philoſophus Bauarus: „Libuit admirari vehementer, qui tan„tam adipiſci potuerit, non apud Scholaſticos „modo, ſed alios quoque complures tamque fa„moſam exiſtimationem, ita compoſita philoſo„phia, (qualem Ariſtotelis deſcripſerat) quid? li„buit etiam indignari non modice, quod ceu „baſis ſtatuatur theologiae; quale fundamentum „qualemque ſoliditatem expectes a fulcro tam „verminoſo - - at deſii mirari, deſii quoque in„dignari, quando totam theologiae machinam to„tis quatuor annis in ſcholis erigi ſoliram, baſi „ſuae deprehendi non admodum diſſimilem. De„mantur quaeſtiones omnes decerptae ex philo„ſophia, et de poſſibilitatibus etc. quae ſuper„erunt, velut Ilias in nucem concludi vix refu„gient. Sunt qui dubitent, an ſtudii ſacri nomen„claturam mereantur etiamnum, quandoquidem „quae ſacra tangunt, cum profanis vanitatibus „ita confermentata ſunt, vt ab inuicem diſcerni „vix queant. - - - Tandem in omnem effuſus „ſinceritatem id a me patienter tolerari non poſſe „diſerte edixi, quod philoſophia ſcholaſtica ceu „fundamentum ſubmittatur aut baſis, cui inni„tatur tota theologicae doctrinae machina. Quae „conuentio Chriſti ad Belial, lucis ad tenebras, „paganiſmi ad Chriſtianitatem. - - Quod obſe„cro ſubſidium, quale fulcimentum ſperes a phi„loſophia, in qua innumera deficiunt, innumera „ſuperfluunt, innumera fallunt, innumera con„tradicunt. At talem proclamat publiceque di„uulgat clariſſimus quidam auctor (Gaſſendus) „et compluribus tam rationibus, quam exemplis „aſſertum it. Quamobrem non defuerunt va„quam ex PP. qui nigro ſemper eandem notarunt „calculo. Inter quos Gregorius Nazianzenus: „*abiice*, inquit, *quam elegenter tam vere Ariſtotelis „minutiloquam ſagacitatem: abiice morniferas illas „ſuper anima ſermones, et vniuerſa illa humana „dogmata.* - - Caeterum ſi contentiones ad aliud „vtiles non ſunt, quam vt audientes ſubuertant, „quo fieri modo poſſe credas, vt cum iisdem aut „per easdem ſectarios vel rotundamus vel lucre„mur. - - An non centum prius reperies, qui „poſt aliquod annorum curriculum diſerte fate„antur, laetari ſe, quod quisquiliarum, quas in „theolo-

pag. 122. lin. 6. *Qui Newtonum, Gaſſendum, Carteſium, Leibnizium, Wolfium.* Legenda hic omnino FRANCISCI ROTHFISCHERI monachi olim Benedictini apud Emmeromenſes Ratisbonae ſodalis, poſtea vero, mutatis ſacris, profeſſoris in academia Iulia Helmeſtadienſi, haud ita pridem defuncti *vitae ſuae et contentionum hiſtoria*, et imprimis epiſtolae ad eum ſcriptae. Quae quanquam non ignobile ſupplementum hiſtoriae philoſophicae recentiſſimae ſuppeditant, et imprimis philoſophiae fata in Bauaria enarrant, heic tamen tangere ob inſtituti noſtri, in generali tantum eius parte verſantis indolem, paginaeque anguſtiam non licet, et in omnium adhuc memoria haerent, omnium oculis leguntur. Nos philoſophiae in hoc terrarum tractu laeta fata non precamur modo, ſed quoque promittimus, cum non alia ſperare iubeat, quae fauſta quaeque oſtendere coepit academia ſcientiarum electoralis Bauarica, cui felicitatem! acclamamus *).

*) Eius monumenta et acta, fauſtis auibus hactenus edita, et bonorum omnium plauſu excepta teſtamur. Quorum T. I. p. 1. luculenta diſſertatio de Societatibus literariis Bauariae legenda eſt, et imprimis ad Sect. II. p. 10 ſeqq. attendendum, qua ſtatus literarum et philoſophiae in Bauaria Sec. XV. XVI. et molimina Principum eius gentis pro reſtaurandis literis enarrantur.

pag.

„theologia collegerant, eſſent obliti, quam de„cem, qui pompam faciant, aut glorientur ſtu„dii eiusdem continuati. Quid vero coniicias „exinde, niſi quod idem hoc ſit, ac fronte fate„ri, animis prudentiae maturitate collectis oneri „potius eſſe, quam ſubſidio theologiae ſcholaſti„cae poſſeſſionem. Fortaſſis vt verſatilis ſit, ad „ſtruendas rurſusque deſtruendas lites quasli„bet? perſpicax ad fallaciarum circumuentiones, „tam exuendas quam intricandas? exercitata „ad effundendas, quibus propoſita quaeuis, du„bia reddantur, etiam veriſſima ſine numero di„ſtinctiunculas? promta ad omnes verſutias, „fraudes, deceptiones, technas, quibus humana „conuerſatio polluitur, ſeu diſſipandas, ſeu ſi lu„beat, etiam fabricandas - - Sed enim quis non „perſpiciat, cum hoc acumine ſimul ingeniis „aſpergi perniciem, vtpote litium omnigenarum „fermentum, rixarum auiditatem, proprii iudi„cii pertinaciam, concordiae, manſuetudinis, ſub„miſſionis, charitatis, verbo, omnis claustralis „mellificii exterminationem.“ Pergit tum auctor remedia nonnulla tanti mali exponere, et ad illud reformandum adducere. „Nempe ſuader, „ante omnia philoſophiae cutem mutandam et „aliam ei inducendam formam, logicam tractan„dam ſobrie nec vt diſputatiuam, ſed vt praece„ptiuam tantum, phyſicam ex genuinis principiis „deducendam, etc.“ Et hac quidem via ſe cum docendi prouincia ei tradita, ſecutum pluribus enarrat, et, quo pacto imprimis naturalem philoſophiam explicuerit auditoribus, iucunde recitat. „Sed non tacet, fodicatum a ſe veſparum „nidum, crabrones excitatos, poſthac fruſtra„neum fuiſſe omne patrocinium, fruſtraneum „conatum omnem, licentiam impreſſionis impe„trandi. Theſes habitas exoticas, a ſacra doctrina „deuias, etiam de haereſi ſuſpectas, et ſuperio„rem eo adductum, vt illas typis, ſub quibus ge„mebant, ſubtraheret, nec potuiſſe impedire, quin „tamen propterea multa pateretur.“ Quae hoc loco enarrare omnia, nihil attinet. Habet Lector et teſtimonium pro nobis contra philoſophum Friſingenſem Bauarum, quo luculentius vix dari poteſt, in eodem ſacro ordine ſtudiorum laude tantopere praedicato extitiſſe non purioris tantum philoſophiae cultores, ſed inuentam quoque Cyclopum gentem, illi manibus calcibusque obnitentem. Quid igitur mirum, poſt haec exempla domeſtica, ſi philoſopho, ex proteſtantium grege ficum ficum nominanti talem tragoediam excitauerit philoſophaſter Friſingenſis, quem natiuis adeo coloribus depinxit ſodalis? Et quis aegre ferat, nos aliam apologiam infrunito boatui monachi non oppoſuiſſe, niſi obſeruationes ſodalis, vna et eadem congregatione illi vniti, ſed millies magis philoſophi? Itaque pluribus argumento non inſiſtimus, ſed lectorem adire deſideratiſſimi WEISSII monachi quoque Benedictini, de humani intellectus emendatione, commentarios volumus, qui illa ipſa in hoc opere bonae frugis pleno, libero calamo notauit, et imprimis P. II. Sect. IV. c. 31. p. 875 ſeqq. rem in compendio expoſuit: tanta bonae cauſſae fiducia, vt non tantum cenſurae optimi abbatis et ſodalium librum ſubmitteret, eorumque ſuffragium iuueretur, ſed et totum opus non reformidaret, reuerendiſſimo et ſereniſſimo principi et epiſcopo noſtro Ioſepho, Haſſiae Landgrauio inſcribere, idque diſerto praeſulis ſui imperio; qui non diſplicere iſta optimo principi probe ſciebat. Alia cum ſpecialem philoſophiae hiſtoriam non ſcribamus, addere non vacat.

Digitized by Google

pag. 124. lin. 2. *Spinozae ineptias euertit.* Et quidem plaudente religione, virisque doctis [f], quam etiam laudem tribuunt eius libro de *veritate religionis Christianae.* Non tacendum tamen, quod P. BAYLE [g] obseruauit, valde sibi similes esse ABBADII librum *de arte se ipsum cognoscendi*, et LAMII tractatum, de cognitione sui ipsius; hunc autem de eodem argumento post illum demum hos suos libros edidisse, quo indicio innuere voluisse videtur criticus Roterodamensis, hunc illi non pauca debere. Scripsit vir acutus et cetera, suo magis ingenio, quam aliorum placitis indulgens *prima scientiarum elementa*, methodo dialogistica, quae philosophiae primae principia iuuentuti tradunt, in quibus tamen eum Cartesium et Mallebranchium plerumque, sed perspicue sequi, obseruat NICERONIVS [h].

Ibid. lin. 24. *Scriptores toties nobis citati.* Amplum satis indicem scriptorum de familia Dominicana siue Praedicatorum suppeditat more suo FABRICIVS [i]. Inter quos tamen velut luna inter ignes minores eminet IACOBI QVETIF et IAC. ECHARDI industria [k]. Pluscula de eius rebus literariis olim attulimus in Germanico H. P. opere [l], quae angustiae paginae causa heic non repetimus.

pag. 125. lin. 6. a fin. *Hispaniam primus theologizare docuerit.* Superbo de eo elogio pronuntiat SCHOTTVS [m], primum scholasticam theologiam haustam Parisiis in Hispaniam, velut margaritam attulisse, et Salmanticae principem cathedrarium inter sodales renuntiatum; huius et scriptis praeclaris, ac familiae eiusdem successoribus vigere etiamnum hodie primasque tenere in ea academia theologiae studium, quo etiam exteri ceteraque adeo orbis gymnasia plurimum se iuuari ingenue fateantur. Librorum quoque catalogum annectit, qui plerique argumentum morale tractant, inter quos est de Indis et iure belli, desideratur autem tr. de vsuris.

pag. 129. lin. 5. a fin. *Haud est.* Vidimus tandem ex catalogo bibliothecae Osiandrinae Tubingae venditione distractae, in ea librum hunc extitisse, sed tunc iam venditus, quem possessorem nactus sit, rescire non potuimus.

pag. 135. lin. 11. *Aristotele, Virgilio, Thoma, Scoto, Lullio, Ramo.* Merentur legi et expendi iudicia Caramuelis de his auctoribus, ex quibus patet, in iudicandis philosophorum characteribus longo vsu fuisse exercitatum. Dabimus ea, quae huc pertinent, Lectori, vt cum nostris

f) Vid. Cheurseana, T. II. p. 51.

g) Lettr. T. II. p. 520. cum ann. March.

h) T. IV. p. 151. verf. Germ. vbi etiam dissertationes morales contra Mallebranchium indicantur. Obiecisse quoque Lamium nonnulla systemati harmoniae praestabilitae Leibniziano, infra Tomo V. p. 424. obseruauimus.

i) Bibl. Lat. Med. T. II. p. 141 seqq.

k) Bibliotheca Ord. Praedicatorum, Paris. 1719. fol. Vol. II.

l) T. V. p. 91 seqq. Concilio Tridentino sacris legibus ferendis strenue adfuisse ait SCHOTTVS bibl. Hisp. T. II. p. 234.

m) Ibid. p. 232.

comparare queat. De Ariſtotele, eius ſententiam ipſis eius verbis in textu p. 135. expoſuimus, quam hoc loco repetere opus haud eſt. Ex eo autem effato Caramuelis conſtat, quam tenui auctoritate ſupero, quo is vixit, ſeculo, frui licuerit Stagiritae inter Belgas, Romanae eccleſiae addictos, inter quos Caramuel degebat, mirandum autem, ſcholaſticos philoſophandi mores et Peripateticas naenias tamen, fortaſſe educationis vitio fuiſſe imitatum, et de Thoma, Ariſtotelis affecla iudicaſſe: *eſt hoc ſaeculo inſignis Thomiſtarum doctrina, et in multis Vniuerſitatibus ſola; ſed aliqua videtur ſupponere, quae libenter videremus clarius dilucidari.* Ex quo iudicio colligimus, quanquam ſe Ariſtotelica philoſophumena contemnere ſimulet, non tamen auſum ab auctoritate ſectae Peripatetico-ſcholaſticae totum ſecedere. De Scoto: *Subtilis eſt, et cui fruſtra impalleſcit, qui ingenium eximium non habet.* De Lullio: *Multa promittit at promiſſis diues quilibet eſſe poteſt.* De Ramo: *Debuit huc poni et ſpecialiter examinari propter aliquos, quibus rara potius, quam vera ſunt cara.* Pari modo de Paracelſo, Campanella, Ioanne Marco, Carteſio, Helmontio iudicat, quae, ne nimii in tanta paginae temporisque, qua premimur anguſtia ſimus, hic non adducenda, legenda tamen ſunt, vbi occaſio libri non vbique occurrentis datur, et cum noſtris infra de his philoſophis dictis comparanda. Praeterimus iudicia de PP. non minus digna ad quae attendatur, etſi ad noſtros circulos non pertinent.

pag. 136. lin. 18. *Quos praecipue auctores ſequimur, diſcet.* Comparabitur non inutiliter cum *Bibliotheca S. I.* ANDREAE SCHOTTI *Bibliotheca Hiſpanica*, qui potiores leſuitas, qui gente Hiſpani fuerunt, more ſuo enumerat, quam tunc, cum iſta ſcriberemus, propter inſignem libri raritatem inſpicere non niſi per alium poteramus, noſtris vero forulis literariis poſtea acceſſit. Leguntur ibi elogia Gabr. Vaſquezii, Fr. Suarezii, Fr. Toleti, aliorumque etiam ſcholaſticae philoſophiae laude celebrium virorum, quae tamen ob inſtituti rationem exſcribere hoc loco non licet. Cum eo vero comparanda NICOLAI ANTONII *bibliotheca Hiſpaniae noua*, qui multa ſuppleuit.

pag. 138. not. l. *Dicitur apud MIRAEVM et SCHOTTVM* [n]. Haec nonnulla emendatione opus habent. Affert cardinalis Toleti epitaphium prior, inque eo primus dicitur Toletus cardinalitiam dignitatem intuliſſe in ſocietatem Ieſu. Aſt aliter longe illud epitaphium recitat SCHOTTVS [o], quod, quia paucis multa de celeberrimo viro tradit, in gratiam Lectoris, Schotti bibliotheca carentis deſcribemus:

D.O.M.

n) Locus MIRAEI extat in Hiſt. lit. Sec. XVII. p. 136. Bibl. eccl. Fabricii.

o) T. II. p. 896. De hoc libro videndus praeter alios REIMMANN. cat. bibl. Tom. II p. 128. de eius raritate S. ceu. SOLGERVS cat. T. II. p. 323. Cat. bibl. Salchen. p. 151.

Digitized by Google

D. O. M.
Franciſco Toleto Cordubenſi S. R. E. Presb. Card.
qui doctrina, prudentia, ſacra eloquentia,
meritis, ſummorum pontificum gratia,
ad extremum purpura Clementis VIII. beneficio claruit.
Deiparae Virgini apprime deuotus,
cui viuens omnem animum, moriens omnem haereditatem
conſecrauit:
et iuge ſacrificium in eius honorem
amplo annuo cenſu XII. ſacerdotibus diſtribuendum
decreuit.
Vixit annos LXXIII. menſes XI. dies X.
obiit anno ɔlɔ Iɔ XCVI. die XIV. Septembris
huius baſilicae canonici et capitulum
viro ampliſſimo et optime de ſe merito
poſuere.

Ceterum inuita et repugnante ſocietate in cardinalium collegium adſumtum, aſſerente Patres omnibus eccleſiaſticis dignitatibus interdici, refert MIRAEVS.

Ibid. lin. 3. a fin. *Qui imprimis perſpicuitatem eius laudat.* Sunt in noſtra ſupellectile libraria eius *commentaria una cum quaeſtionibus in octo libros Ariſtotelis de phyſica auſcultatione, itemque de generatione et corruptione*, Venetiis apud Iuntas primum in lucem edita in f. 4. quae nos non ſine iucunditate legiſſe recordamur. Adeo enim perſpicuitatem ſequitur et ſimplici caſtoque ſatis ſermone quaeſtiones phyſicas et ſcholaſticas Ariſtotelicorum euoluit, vt nihil relinquat, quod lectorem obſcuritate morari queat, multam autem veteris philoſophiae, ad quam ſubinde Ariſtoteles reſpicit, itemque Scholaſticorum vetuſtiorum cognitionem ſpargit, ſic vt inter meliores Ariſtotelis commentatores recentiores ex ſcholaſticis cum primis de loco et vtilitate certare queat. Sobrie quoque iudicat de inepto pro Ariſtotele praeiudicio in quaeſtionibus fidem Chriſtianam concernentibus, contra quos magno zelo: *plerique*, ſcribit, *cum audiunt verum quid eſſe ſecundum Ariſtotelem, id omnino intelligunt, quid eſt, ſecundum philoſophiam, imo ſecundum optimam philoſophiam, et quod Ariſtoteles ſenſit, id credunt eſſe naturali rationi ac lumini conſentaneum, atque ideo ſic diſputantes, quantum in ipſis eſt, idem illud concilii decretum per imprudentiam euertunt, quod credant, rationi et lumini naturali fidem aduerſari. Illud autem incommodum grauiſſimum eſt, cum enim contra fidem docent, aliquid ſenſiſſe Ariſtotelem, id ſic confirmare nituntur argumentis, vt ipſi quoque contra fidem cum Ariſtotele ſentire videantur; praeſertim cum quae pro fide et veritate adduci poſſunt, ea ſummo ſtudio conentur diſſoluere, vt Ariſtotelis ſententiam tueantur; quod ſane plurimum fidei et veritati obeſſe conſtat, cum eius argumenta et ratio-*

nes infirmari frangique videantur etc. Quem locum ideo exſcripſimus, quod genuinum eorum characterem depingit, qui ex recentiorum ſcholaſticorum grege γνησίως cum Ariſtotele philoſophari cupiuere. Aliud iudicii recti in philoſophiae Peripateticae poſt C. N. hiſtoria ſpecimen exhibet ſententia Toleti de Auerrois philoſophia, tantopere Scholaſticis deamata, vt ſcribat: *viros Catholicos ſe et eſſe et dici velle Auerroiſtas*, quod ad cognoſcendam Scholaſticarum deformitatum faciem multum conferre poteſt, qui toties Auerrois ſententiis ſubſcripſerunt.

pag. 145. not. (*). *Legendae vindiciae aduerſus ſycophantas Iuuauienſes*, Repetenda heic ſunt quae ad finem tomi III. attulimus teſtimonia.

pag. 144. lin. 27. *In lepidiſſima contra Carteſium ſatyra P. DANIEL.* Dignus eſt locus, ad quem in hac tractatione attendatur, et eruditiſſimi Ieſuitae obſeruatio, quae ad ſtatum philoſophiae, poſt reformatas literas recte adplicetur. Non negat, quod ſine poſita fronte negare non poterat, ſano aequoque iudicio vtentes, apertis per Carteſium oculis, naeuos philoſophiae receptae metaphyſicos, phyſicosque in diſquiſitionibus philoſophicis probe videre, nempe, parum ſtudii in eo poni, vt ideae claræ atque diſtinctae excitentur, inutiliter ingenium ſubtile et acutum adhiberi, ad res futiles et ineptas, et ad inueniendas aequiuocationes, quibus quaeſtiones abſtruſae intricentur magis, quam expediantur, quae tamen exercitii cauſſa tantum introductae ſint in ſcholis ad alendam diſcipulorum aemulationem, non vero, quod ridicule ſit, ad tradendum philoſophiae nucleum: Indeque philoſophiae ſtudium mutatum eſſe in ſcientiam intricatam, verbis terminisque conſtantem nihil ſignificantibus: deſiderari meditationem et conſiderationem rerum, experientia cognitarum, quae tamen mater ſit philoſophiae: coecum autem obtinere aſſenſum, et dependentiam a ſententiis aliorum, quae nec ſatis comprehenduntur, et male ſaepe intelliguntur. Sed reſpondet ad has obiectiones: haec monita, quamuis initio iniquius accepta, effectu non caruiſſe. Philoſophiam claſſium ſiue ſcholarum, in plerisque Galliae gymnaſiis vultum mutaſſe, exercitatiſſimos profeſſores quaeſtiones ſolitas tractare, ſolide, methodo iuſta et accurata, eo quod perſuaſiſſimi ſint, eas, ita tractatas, multo magis, quam credi poteſt conferre ad formandam ingeniorum aciem, et rite adhibendas praeciſiones et accurationem ratiocinandi, ne deinde in argumento graviori concluſionibus ceſpitent vel labaſcant, quae in argumento mathematico, phyſico, vel politico quoque diſcutiuntur. Porro ab iſto tempore parcius affectionibus demonſtrationis neceſſitatem tribui, non hoſtili animo bellum indici illis, qui aliter, quam nos loquuntur, et tamen idem ſentiunt. Didiciſſe ſcholas dubitare de certis axiomatibus, quae hactenus viſa erant ſancta et non violanda, itemque haud raro deprehenſum eſſe, quod tam pulchrum nomen non mereantur. Qualitates occultas, horrorem vacui, experimentis exploſum, hisque vbique locum et fidem factam etc. Non negamus, tolerabiliores

Digitized by Google

res ſcholarum philoſophicarum vultus haec referre. Nec de veritate quoque viri docti in his enarrandis dubitabimus, quamuis incertum ſit, vtrum hoc pacto in omnibus ſcholis melior facies refulgeat, gratulamurque Galliae, etiamſi in minoribus didicerint ſapere: quod nos ſperare iubent tot virorum acutiſſimorum labores et molimina, philoſophiam puriorem amplificandi. Certe ad hanc normam et effigiem Honoratum Fabri ex eadem ſocietate philoſophum inſtituiſſe philoſophiam monuimus. Sed miramur tamen cum deformes philoſophiae ſcholaſticae naeuos videant, manibus palpent, et emendare cupiant, cur iſtum procum non reiiciant magis, nouamque ſapientiae candidatis ſponſam adducant, quam quod veteribus panniculis, laciniam quandam purpurae aſſuunt? cur non vitae magis quam ſcholae philoſophari diſcipulos doceant, cur inutilibus refectis non nouas magis, quam conſarcinatas maleque conſutas veſtes philoſophiae ſcholarum induant? cur ſpiritum contradictorium ſeruata methodo rixoſa et ſcholaſtica nutriant, et ad rerum graulum negotia corrupta hoc pacto ingenia traducant? Tacemus alia, quae a viris doctis, (quales habere ſocietatem non negamus,) apud quos candidum et de publico iuuentutis commodo ſeria cura vigilans pectus deprehenditur, merito expectantur? An nos iniqui iudicandi ſumus, ſi ſuſpicio nos vexet, certum aliquod idque eximium commodum ſub ſeruata hac methodo latere, quod vtiles euentus ad tuendam rem ſuam pollicitum, tanti acuminis viros in priſtina tamen et reprobata a ſanioribus ſemita retinet et iuuenes ad triſtes et inutiles vultus ſubinde reuocare iubet. Aſt id magis impedimento eſſe ſapientiae verae promouendae quilibet iudicabit, qui eius indolem nouit, et fine partis ſtudio cogitat, iuuentutis ingenia, quae cerea ſunt, diu vero retinent, quibus in ſcholis imbuuntur, quaeque illis imprimuntur, ita ad aetates maturioris exercitationes et iudicia praeparari, vt ſcholaſtica praeiudicia in iuuentute hauſta, viri aegre exuant, praecipue cum plerumque turpe putent

quae pueri didicere, ſenes perdenda fateri.

Verum deſerimus tandem Scholaſticos campos, et ad amoeniora prata conuertimur.

AD CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIS GENVINAM ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM SECTANTIBVS.

pag. 155. lin. 5.

Abiecto licet auctoritatis et antiquitatis ſtudio. Pro, ſtudio, leg. praeiudicio. Melanchthon enim nec veteres contemnebat, nec conſulendos et audiendos eſſe negabat, vbi veritati conuenienter praecepiſſent, ipſe quoque

que a veterum lectione non erat imparatus. Aſt praeiudicia inde enata et falſas propoſitiones principiorum loco in philoſophiae ſtudium introducta reiiciebat: cuius teſtimonia ſupra ad caput primum huius libri iam adduximus, remque infra cap. III. §. 46. 47. confecimus. Legenda imprimis incomparabilis viri oratio *de ſtudiis corrigendis* [a], in qua tot ſalubria monita, tot medii aeui cum recentiori comparationes inueniuntur, quae dicta h. l. confirmare et ſupplere perfecte apta ſunt. Luculenter vir magnus, et vt decebat reformatorem literarum: *primum deſertis veterum diſciplinis, quando audax iſta commentandi et philoſophandi ratio inualuit, ſimul Graeca contemta, mathematica deſerta, ſacra negligentius culta ſunt. Quo malo, quae faeuior peſtis eſſe potuit? certe nulla vulgarior vnquam fuit.* -- In ſequentibus autem magna παῤῥησία, quae barbaries contemtam antiquitatis literaturam ſecuta ſit, maſcula oratione depingit.

Ibid. lin. 6. *Maluerit ſectariam philoſophiam eligere.* Id quidem temperamento Melanchthon's tribuendum eſt, quod non ſine cortice natare, et ſine duce veritatis viam quaerere audebat. Vnde monet: *mihi ad mores etiam conducere videtur, eligere ſectam, quae ſtudium habet non rixandi, ſed inquirendae veritatis, deinde quae amet moderatas opiniones, non captet plauſus indoctorum, praeſtigiis diſputationum et abſurdis ſententiis.* In quibus characterem animi Philippi facile agnoſcas, boni nempe et rectum amantis, ſed cui fortitudo deerat propriis paſſibus progrediendi, et ſectariam ſcabiem exuendi. Quae ob viri auctoritatem in mores ſequioris temporis traductam non potuere non libere philoſophandi conſilio remoras obiicere.

pag. 159. lin. 24. *Et problematice tantum de Ariſtotelis mente diſputare profiteretur.* Haec ad hominem, quod vocant, palpumque obtruendum cauſſatus eſt Pomponatius. Quanquam enim non ignota erat ἑτεροδοξία Ariſtotelis e. g. de mortalitate animae, quam neceſſario ex principiis Stagiritae fluere affirmabat, ille autem error publica Pontificis maximi et concilii cenſura eſſet proſcriptus, vt ſupra obſeruatum: toleratum tamen eſt iſtud aſſertum cum reliquis, velut problematicum et hypotheticum, nempe poſito, quod Ariſtotelis ſyſtema ſequendum eſſet, quod ipſi tamen Peripatetici profeſſores in hoc quidem articulo ſe reiicere proteſtabantur; vt vel ipſius Bembi cardinalis exemplo conſtat. Atque hoc pacto inuidia Pomponatii philoſophemata non preſſa ſunt. Sed in eo incautus famam ſuam commaculauit et imprimis ordinis eccleſiaſtici indignationem et deteſtationem meruit, quod eiusmodi hypotheſes inexiſſet, velut maxime probabiles, quae ne quidem Peripateticae erant, et ita comparatae deprehendebantur, vt commoda et emolumenta eccleſiae dominantis euerterent, adeoque ipſum illius ordinis iugulum petere viderentur. Dabimus huius obſeruationis memorabile exemplum, quoniam ex eo de veris cauſſis fatorum philoſophiae iudicium fieri poteſt. Place-

a) Tom. I. pag. 498.

Digitized by Google

Placebat Pomponatio miraculorum gloriam, qua tantopere eccleſiae auctoritas fulcitur, in dubium vocare, vt in textu noſtro obſeruatum. Huic hypotheſi conuenienter ſtatuebat, miraculorum virtutem et veritatem naſci, augeri, minui, tandemque euileſcere et in nihil reuerti. Hoc vt experientia fulciret, addit quodam loco [b]: *Videmus miracula in principio eſſe debiliora, poſtea augeri, deinde eſſe in culmine, deinde labefactari, donec in nihil reuertantur. Quare et nunc in fide noſtra omnia frigeſcunt, miracula deſinunt, niſi ficta et ſimulata: nam propinquus eſſe videtur finis* (nempe eccleſiae vel fidei Chriſtianae, de qua loquitur). -- *non latet nos quod ſicut virtutes naturales perdurant in quodam tempore et non vltra; ita eſt de virtutibus imaginum; non enim influit aliqua virtus de coelo, niſi in tempore quodam, et non vltra: ita eſt etiam de virtutibus imaginum* etc. Talia aliquot exemplis patriae Italiae probat, et imagines adducit, olim miraculi fidem habentes, iam neglectas et contemtui habitas. Vnde concludit et pro demonſtratione adducit, *verba et characteres non poſſe diſponere materiam, vt tales influxus recipiat a corporibus coeleſtibus.* Recogitare et attentius paulo conſiderare iubemus opinionem eccleſiae Romanae, praecipue eius temporis et quidem in Italia, de mirabili imaginum virtute et efficacia tot laudibus decantata, et quae inde praxis, quae emolumenta ad eam et imprimis ordinem eccleſiaſticum confluxerint quaſi, eamque ditauerint. An non iſta omnia inuidiae flammam accendere et inde materiam indignationis praebere poterant vberrimam? praecipue cum miraculorum gloriam veteris primaeuaeque eccleſiae teſtimonio ita confirmatam vt conuelli non poſſet, ſaluam ratamque relinqueret [c], ſuo autem tempori non alia, quam ſimulata et ficta concederet, affirmaret quoque [d] ſalua hac hypotheſi *non legem modo Moſis, ſed gentilium quoque et Mahumetis habere ſua miracula, qualia leguntur et memorantur in lege Chriſti* [e]. Ferreo certe ſtomacho illi opus eſſe credimus, qui talia ſine indignatione poteſt concoquere, et non videt adeo non poſſe ſubilci cenſurae eccleſiae rem ex factis probatam, vt eius magis auctoritatem prorſus euertant. Alia, et ſimilia quae paſſim in paradoxis philoſophi Mantuani hypotheſibus occurrunt, ne nimii hoc loco ſimus, in praeſentia tacemus, pleraque autem infra in delineatione ſyſtematis eius de fato et de incantationibus ex libris eius rariſſimis attulimus.

pag. 164. not. v. *Dialog. V.* Locus Vayerii extat *T. IV. Opp. p. 136 ſeqq. edit. Pariſ. 1669.* qua nos vtimur. Meretur autem inſpici, quoniam pleraque heterodoxiae Ariſtotelis capita congeſta exhibet, in quibus Stagirita habetur reuelationi irreconciliabilis.

pag.

b) De incantat. p. 317.
c) p. 339. d) p. 314.
e) Totum vero Pomponatii de incantationibus ſyſtema ſimul cum his comparandum eſt, vt intelligatur, ex quo nefario fonte iſta omnia profluxerint. Vid. theſ. 34. ad 47. infra adductas.

pag. 182. lin. vlt. *THEOPHILVS. FOLENGIVS.* Non Theophilo *f*, ſed Iacobo Folengio carmina haec ruſticana iucunditate delectantia tribuit TEISSIERIVS *g*, qui tamen ipſe in additionibus, NAVDAEI *h* ſententiam ſecutus ea poſtea ad Theophilum retulit. Et huic quoque omnes fere tribuunt, qui eius mentionem fecerunt, MONETA *i*, NICERONIVS *k*, FABRICIVS *l* alii. Thomaſſinum autem, non ſatis accuratum ſcriptorem, hunc aliosque de ſcriptis Folengi errores ex leui auditu hauſiſſe, ildem obſeruant. Ceterum Merlinum Coccaium in Italia et Antonium de auena in Gallia, qui ſemilatinae ſcriptionis ludicrae auctores vel primi fuerunt, vel praecipui, non admodum ſibi a multiplici ſpurcitie rerum et verborum cauiſſe, conqueritur Ieſuita VAVASSOR *m*, qua veritate, lectori ex Inſpectione libri rarioris iudicandum relinquimus. Illud certum, et ſupra ad hiſt. philoſ. ſcholaſticae exemplis ex Folengio obſeruatum, acerba ſed iucunda ſatyra philoſophiam, moresque ſcholaſticorum riſiſſe Folengium, quod momordiſſe virum doctum, ſed ſocietati ſuae addictiſſimum, veriſimile eſt, ſaltem conniici non ſine veriſimilitudine ex ſequentibus poteſt, vbi more ſuo collegio ſolenni ſcribit, *Martinum Lutherum et Matthiam Flacium Illyricum ſic Romana et antiqua ſacra, puramque religionem et theologorum ratas opiniones, praeſertim Pariſienſium, iſto genere ſcripturae cauillatos fuiſſe, vt ne ipſa quidem ſupra poſſit impietas.* Rara obſeruatio, ex qua diſcimus, Lutherum macaronico ſcribendi genere cum Pariſienſibus ſcholaſticis congreſſum, cuius ſpecimina nobis inuiderunt collectores ſcriptorum Lutheri, etiam illi, qui ludicra eius menſalia nobis vendiderunt. Aſt vix natus erat Folengius, cum contra theologos Pariſienſes Lutherus ſcriberet, nec noſtra quoque lingua iſtam Latina cum plebeio ſermone miſcendi futilitatem admittit. Ex quo manifeſte conſtat, ſola inuidiae Luthero conflandae cauſſa haec ſcripſiſſe Ieſuitam eloquentiſſimum. De pietate Folengii cum praeclare ſenſerint THVANVS *n* et DVPINIVS *o*, cauebit ſibi lector, ne ſatyrica iſta loca *p*, quibus homines eccleſiaſticos momordit, quosque ita in ruborem dari et emendari poſſe ſperabat, ad eius infamiam cum Vauaſſore referat.

pag. 183. lin. 18. *Gnauiter preſſiſſe vſus eſt.* Non inferiorem Portam praeceptore ſuo Pomponatio fuiſſe, ſed cum eruditione Peripatetica iun-

f) Ita ipſe FOLENGIVS in apol. poëm. Macaronicorum: Ars iſta poëtica nuncupatur macaronica, a macaronibus deriuata, qui macarones ſunt quoddam pulmentum farina caſeo butyro compagınatum, groſſum, rude et ruſticanum. Ideo Macaronica nil niſi graſſedinem, ruditatem et vocabularios debet in ſe continere. Addimus: eam autem vim feſtiui ingenii, doctrinae et philoſophiae qua ridendo et ludendo ſtultitia hominum exagitatur et contemnitur. In quo fere inimitabilem fuiſſe characterem Folengii, fatebuntur, qui in ludicris quoque virorum prudentum ſeria et vtilia cernunt. Requirit autem carmen hoc notitiam ſermonis plebeii et ruſticani Italici, itemque morum illius temporis, qui ſub hac nugarum larua amare traducuntur, et lectoris contemtui exponuntur.

g) Elog. T. I. p. 407.

h) loc. cit. p. 25. 26.

i) not. ad Epheiner. erud. Paris.

k) Mem. lit. T. VIII. p. 33. ſq. vers. Germ. qui imprimis ſcripta Folengii recenſet.

l) Bibl. Lat. med. T. V. p. 211.

m) De ludicra dict. Opp. T. I. p. 85.

n) vid. TEISSIER. loc. cit.

o) Bibl. Eccleſ. Sec. XVI.

p) Paucis quidem lecta ob raritatem editionum. Noſtrae praeſcriptae ſunt Venetiae, 1585. 12.

Digitized by Google

iunxiſſe elegantiam literarum Graecaeque linguae, quamuis eſſet ſuſpectus, quod aliquantum plus, quam par erat, Ariſtoteli tribuerit more magiſtri Pomponatii, maxime in doctrina de anima et intellectu humano, obſeruat THVANVS [q]. Vitam quoque voluptatibus magis, ludis et ſimilibus, quam ſtudiis tranſegiſſe, et Epicureos mores ſecutum eſſe, tradunt GVIL. SALDENVS [r], et qui eum ſequitur TEISSIERIVS [s], teſte tamen non laudato.

pag. 186. lin. 26. *Praeclare meruit GABRIEL NAVDAEVS.* Hunc fontem plerique ſecuti ſunt, qui res Niphi expoſuerunt, inter quos omnino conſulendus eſt NICERONIVS [t], more ſuo in his enarrandis ſatis curioſus et attentus. Monet is ex Ioulo, commentationes Niphi in Ariſtotelem et Auerroëm, et prolixitate nimium diffuſa et elegantiarum Latinae linguae paupertate diſplicuiſſe, qui recte iudicat, hos Niphi libros inter ſarcinas bibliothecarum publicarum ſepultas negligi, et a nemine expeti. Gauiſus eſt Niphus dignitate comitis Palatini, quam ei tradidit Leo X. P. M. cum facultate ex inſignibus Mediceis ſua augendi. Inde Medicis nomen interdum vſurpaſſe nonnulli referunt.

pag. 139. not. m. lin. 3. col. 2. *Scripſit dialecticam.* Ea ideo hoc loco notanda eſt, quia ob perſpiuitatem breuiter, at luculenter omnes Ariſtotelis regulas comprehendentem a plerisque docendi magiſtris, adhibebatur, et iuuentus ſcholaſtica eam manibus quotidie terebat, teſte PANTALEONE. Impreſſa ea eſt Coloniae anno cIↃIↃXXXII. alia eius ſcripta enarrat *bibliotheca* GESNERO-SIMLERIANA [u]. Gauiſus eſt amicitia ERASMI ita tamen, vt is non obſcure proderet, diſplicere ſibi quod partes Lutheri ſequeretur [v]. Et fortaſſe ille repetendorum priſtinorum larium illi auctor fuit. Coloniae enim medicinae doctor et profeſſor creatus eſt, ibique obiit, ſi fides Pantaleoni. Aſt odia et perſecutiones aduerſariorum, qui literarum emendationem perhorreſcebant, eum ita preſſerant, vt antea Colonia emigrare cogeretur, cum Reuchlinianis litibus implicaretur: nam inter ſocios fuiſſe credebatur, quorum ſalſis riſibus et ſatyris epiſtolae obſcurorum virorum tribuebantur: Hermanique Buſchii amicitia inuiſum eum fecerat [w]. De qua re tamen alio loco prolixius dicendum eſt. Obiit valde ſenex anno cIↃIↃXLIII. vnde anni numerus in hac nota emendandus eſt.

pag. 197. *Controuerſia, quam cum Bartholomaeo Caſa aluit, et immanem Hiſpanorum ſaeuitiam defendere auſus eſt.* Habuit in hoc argumento aduerſarios Sepulueda non Caſam tantum totius controuerſiae principem, ſed et Dominicanae familiae theologos, Franciſcum Victoria, et Do-

q) loc. cit.
r) Er. de bon. et mal. libris p. 43 ſqq.
s) loc. cit. T. I. p. 128.
t) T. XIV. p. 140 ſqq. vers. germ.
u) Proſopograph. T. III. p. 68. ed. Germanicae.
x) pag. 349.
y) vid. Ep. L. XX. p. 718 ſqq.
z) Conf. BVRCKARDI Com. de ſatis Lat. L. in Germania P. I. p. 293 ſqq. 322.

minicum Soto, et Complutenſem quoque academiam, cum aſſeruiſſet, nouil orbis incolas, in Chriſtianorum ditionem annis redigi ius faſque eſſe. Cuius tamen ſententiae inuidiam diſtinctione inter ditionem et ſeruitutem, ita emolliuit, vt diceret, non bonis ſpoliandos, ſed ſine iniuria conſeruandos, non heriliter eis, ſed regie et ciuiliter ad illorum vtilitatem eſſe imperandum [a]. De qua celebri quaeſtione pertinaciter in aula Caroli V. diſputata in naturae et gentium iuris hiſtoria plura quaerenda ſunt [b].

pag. 197. lin. 19. *Tantum non primum locum meruit.* Dabimus ob libri raritatem lectori iudicium POCCIANTII [c]. „Petrus Victorius vir multo „acumine, perſpicacis ingenii, eruditaque facundia praeditus, validis „diſciplinarum omnium praeſidiis nobiliter inſtructus, et Ciceronianae „eloquentiae inſigne ac immortale decus, in mundum datus, vt in ſcri„bendo et docendo omnes artis oratoriae locos latentes miris celſiſſimi „ingeniis ſui luminibus illuſtraret, cuius eximiae elegantiae dulcedine „commoti atque allecti ſtudioſi viri, tum ex Italia tum ex tranſalpinis „ciuitatibus remotiſſimisque regionibus Florentiam tanquam ad puriſſi„mam ex hoc vberrimo fonte ſcientiam hauriendam multis magnisque „periculis aditis venerunt". Confirmat id IMPERIALIS [d], qui, adductis multis famae et exiſtimationis eius exemplis, et hoc addit: *Illud vere digniſſimum eſſe adeptum, quod exteri Florentia iter habentes inter caetera eius vrbis admiranda, eum etiam ceu caput eius aeui ſupereminens et ſacrum inuiſere, ac de facie noſcere geſtirent, quamobrem eius ad viuum depictam imaginem pretioſi loco viatici ſecum adferre plurimos compertum ſit, ſummum autem academiae Florentinae parentem concordi ſuorum ciuium plauſu diceretur.*

Ibid. not. l. *IMPERIALIS in muſeo hiſtorico.* Delenda tota haec allegatio, nihil enim de ea re habet Imperialis, cuius muſeum eo tempore, quo iſta ſcripſeramus, nondum poſſedimus, ipſumque inſpicere potuimus. Apud FREHERVM [e], vita Victorii ex Imperiali ipſius verbis repetita pag. 1478. quaerenda eſt, qui haec etiam tacet. Sed ſecuti ſumus, cum iſta ſcriberemus, narrationem pſeudonymi CLARMVNDI [f], quem ſecutum *eſt lexicon vniuerſale hiſtoricum.*

pag. 199. lin. 26. *De Ariſtotele non indiligenter meruit.* Maxime laudantur *commentarii in VIII. libros Ariſtotelis de optimo ſtatu ciuitatis*, ſplendida Iuntarum editione Florentiae impreſſi [g], qui inter reliqua rara Victorii ſcripta ſunt rariſſima [h].

pag.

a) SCHOTTVS bibl. Hiſp. T. III. p. 466.
b) De ſcript. Florent. p. 147.
c) Summam dabit narratio Thuani ad an. 1572. not. i. adducta.
d) In Muſeo hiſtorico itidem raro, P. I. p. 155. vbi etiam eius imago ad viuum depicta cernitur.
e) Vit. vir. Dd. P. IV. n. 3. p. 31.
f) Tom. IV. art. Victorius.
g) 1576. fol. Cuius exemplum poſſidemus ex bibliotheca, ill. ICti. Norimb. Georgii Remi, qui ſenem adhuc 1584. vidit, huicque exemplari doctiſſimas more ſuo annotationes adiecit.
h) Vid. VOGT. Cat. libr. rar. p. 709. BVNEMANN Cat. L. R. p. 59. qui ſatis magnum eius ſtatuit pretium, Cat. Salthen. p. 306.

Digitized by Google

pag. 200. not. x. lin. 7. a fin. *IMPERIALIS.* Legitur elogium Tomitani apud eum in *muſeo hiſtorico* [i], qui id quoque de eius varia eruditione narrat, „non tantum fuiſſe celebrem profeſſione medicum, et „philoſophum in academia patria docentem, ſed in ciuilibus quoque „negotiis pereximie verſatum, pluries enim ad ſui vel amicorum tutelam „in forenſi ſtrepitu exultauiſſe -- nullum forte in penetrandis latebris „Logicae feliciorem, nullum in eo dumetorum anfractu captioſaque ar„gumentorum vertigine doctiorem ac ſubtiliorem fuiſſe". Obiiſſe eum dira peſtis lue ablatum anno MDLXXVI. idem aſſerit, vnde annus emortualis in hac annotatione emendandus eſt, ponendusque 1576. pro 1567.

pag. 201. lin. 14. *Hunc de faciei et oris ſpecie ſeueritatem prae ſe ferente.* Iuuat hanc conciliationem effigies Zabarellae, ab Imperiale exhibita, qui cum ſancte affirmet, icones ad viuum vbique locorum a ſe anxio perennique ſtudio conquiſitas, et cum probatioribus collatas eſſe, facile ex eius intuitu concludimus, recte nos characterem Zabarellae delineauiſſe.

pag. 202. lin. 13. 14. *Accuratam Peripateticae doctrinae cognitionem ſpirant.* Erant tunc in Italia complures philoſophi, qui per academias diſperſi vtrique philoſopho, Platonem puta, et Ariſtotelem, reuerentiam exhibebant, et in eis conciliandis vel accurate tamen inuicem conferendis operam locabant, quorum indicem FRANCISCVS PICCOLOMONAEVS [k], ſatis longum enumerat, Vincentium Madium, Marcum Antonium Genua, Franciſcum Vicomercatum, Fridericum Pendaſium, Nicolaum Turcum, Camillum Baldum, Iugurtam Thomaſium, Fortunium Cinugum, Auguſtinum Buccium, Io. Bernardinum Longum, Hieronymum de Ponte, Flamminium Nobilium, Franciſcum Verinum Secundum et Franciſcum Bonamicum, Antonium Montecatinum etc. quam eorum philoſophandi rationem ſuo calculo ipſe probat et eximie laudat, vt infra dicetur. Aſt diſplicuit hic ſubtilis ſyncretiſmus aliis, Ariſtotelem ſincerius ſequentibus, inter quos agmen ducit Zabarella, quem pure Ariſtotelicum philoſophandi genus praetuliſſe illi mixto recte obſeruauit IAC. THOMASIVS [l]. De qua re tamen infra inter ſyncretiſtas philoſophicos pluribus actum.

pag. 208. lin. 24. *Ob perſpicuitatem eius ſcripta commendentur.* Dici id quidem ſenſu comparatiuo, de Tr. Piccolomineo poteſt, quod in ea obſcuritatis retia non inciderit, quibus plerique philoſophi Ariſtotelem per ſe obſcurum ſecuti ſe inuolui paſſi ſunt. Aſt ſatis tamen obſcurum eſſe, lecta vel vna tractatione [m] *de philoſophorum placitis in attinentibus ad interna principia generationis rerum natura conſtantium* ſatis ſuimus experti.

i) pag. 49. 50.

k) In comm. de motibus, Gradu 1. libro V. c. 27. p. 488 ſeqq. vbi de comparatione Ariſtotelis cum Platone egit.

l) Orat. XV. de ſyncretiſmo Peripatetico p. 341 ſeqq. vbi quoque improbantes hanc philoſophandi ſcabiem philoſophos laudat Muretum, Paulum Berrium, Pererium, Io. Bapt. Criſpum, et ex noſtris Arniſaeum, Salmaſium, Voſſium aliosque.

m) Eſt illa introductio in philoſophiam naturalem Ariſtotelis praemiſſa eius ſcientiae philoſ. naturae totius vniuerſi, cuius editionem Franc. 1618. 8. ſpiſſo volumine poſſidemus.

In qua tamen valde laudandus eſt, quod inſtitutionibus phyſicis hanc de placitis philoſophorum veterum, de principiis generationis in rerum natura tractationem praefixerit. Sine hac claue enim, non facile poſſunt libri Ariſtotelici intelligi, qui plerumque veterum philoſophorum placita mira nebula obducunt. Itaque poteſt hic Piccolomini liber vtiliter compararl cum SCIPIONE AQVILIANO *de placitis philoſophorum phyſicis ante Ariſtotelem.* Luculentius verſatur Piccolomineus, in moralibus, quamuis circumducta oratio lucem cohibeat, lectoremque naſo ducat, methodus quoque per quaeſtiones et reſolutiones philoſophandi taedio lectorem haud raro detineat; obſeruationes tamen, quas tradit, pulchra multa habent. Exemplum qui vult, legere vel vnum caput operis *de principiis virtutis* [n] debet, qua, quid illud bonum ſit, quod ſtatuitur obiectum voluntatis, exponit.

pag. 211. lin. 14. *Fridericus Pendaſius.* Hunc per ſeptennium in explicanda philoſophia fuiſſe Patauii collegam ſuum apprime honorandum, huncque nouiſſe ſe ſemper moribus et ſapientia illuſtrem, ait FR. PICCOLOMINEVS [o]. Adeo is fauit diſcipulo, vt oppugnatus ab Archangelo philoſopho, cum multi ſe eius propugnatores fore pollicerentur, non alteri, quam Mazonio defenſionem ſuam eſſe committendam ſtatuit [p]. Luculentius IMPERIALIS, *phyſica illum* tradit *vix ingreſſum ſtudia, in Patauino Lyceo cum in ſummos duos tranſacti ſeculi philoſophos Pendaſium et Mercenarium, varia inter ſe doctrinarum alentes diſſidia impegiſſet, tam neruoſo rationum robore Pendaſii partes, cuius ſe praeceptis deuouerat, ſcriptis editis tutatum eſſe, vt exinde ſinguli primum ei inter diſcentes illuſtris ingenii locum, ſcholaſtica oratione deferrent.*

Ibid. *Ingenium publica oſtentare cogitaret.* Accidiſſe id Bononiae, auctor eſt IMPERIALIS [q] *tertio infra trigeſimum aetatis anno propoſitis theorematibus quinque millibus centum et nonaginta ad omnium ſcientiarum momenta ſpectantibus, ſic illa in aede Diui Dominici quatriduo propugnauiſſe, vt Caſtaneum tunc vrbis legatum ibi aſſiſtentem in admirationem raperet, quod quem ex quaeſtionum numero fatuum et impudentis ingenii iuuenem aeſtimaſſet, abſoluta pugna eum doctorum principem et exemplar ſuſpiceret.* Cuius pugnae literariae hiſtoriam plenlorem infra damus. Incidit ea in annum cIↃIↃLXXVII. Sed et reliqua praecocis, et incredibilis doctrinae ſpecimina ab vtroque biographo enarrata conſulenda ſunt, vt quod naturae miraculum in eo effulſerit, lector cognoſcat, nobis enim in tanta pagellarum anguſtia rerumque copia ad talia excurrere non licet, potiora in textu iam adduximus. Multa autem ipſe de latiſſima hac doctrinae ſuae copia in prooe-

n) Francof. 1611. 8. p. 899.
o) L. ſupra cit.
p) ERYTHRAEVS loc. cit. p. 66.
q) loc. cit. quem tamen in numero tum annorum, tum quaeſtionum errare in textu H. P. demonſtrauimus. Annos enim tum natus erat circiter viginti, quod ex praefatione oſtendimus.

Digitized by Google

prooemio libri ſui differit, quae, vbi occaſio occurret, rariſſimum [r] librum inſpiciendi, lectorem legiſſe non poenitebit.

pag. 215. not. f. lin. vlt. *Noctu gladio confoſſus periit.* Iucunda eſt de hoc ſtupendo naturae miraculo IMPERIALIS [s] narratio, et vix credibilis, qui eum *ſeculi monſtrum, prodigioſo naturae opificis conatu editum ſalutat, quo Parnaſſi ſpatia ſtupendo et inuſitato ſpectaculo illuſtrantur. Hunc* addit, *eſſe totius orbis iudicio phoenicem habitum iudiciorum, diuinae mentis igniculis ſummi potius datoris referentem maieſtatem, quam mortalem ad aemulandam laceſſentem induſtriam.* In ſequentibus autem doctrinae laudisque eminentiam, qua in Italia fruebatur apud ſummos principesque viros, cum illuc propter pericula Stuarhae familiae feceſſiſſet, iactat, et funeſtum tandem vitae finem narrat, quae tamen, vbi occaſio feret, apud ipſum biographum legenda ſunt. Nobis hoc loco non indictus praetereundus eſt in Peripateticiſmi recentioris hiſtoria, quia publica diſputatione ſolenni Venetiis bellum Ariſtoteli eiusque ſequacibus indixit, publico programmate inultando promittens, *ſe, vt profligatis ac perditis hominibus omnem inpoſterum iactandi occaſionem auferat, errores Ariſtotelis pene innumerabiles et omnium Latinorum philoſophorum, ſiue cum de ipſius mente diſputant, ſiue cum res theologicas attingunt et nonnullorum quoque mathematicorum profeſſorum ſomnia refutaturum.* Quae cum reliquis, quibus de omni argumento, in omnibus fere linguis, logica vel ſecreta methodo ſe reſponſurum pollicetur, praefidentem et ferocis ingenii iuuenem referunt, ſuſpicamurque, iſtam animi ferociam lugubris mortis illi apud Mantuanos cauſſam fuiſſe.

pag. 215. lin. 28. *Nec confunditur ab his auctoribus liber ſupra recenſitus.* Hoc tamen, quod olim ſuſpicabamur, re iterum expenſa, veriſimile nobis non eſt, cum diſerte teſtetur vterque biographus, hanc concordiam inter Platonem et Ariſtotelem tentatam a Mazonio, vltimis vitae eius annis fuiſſe emiſſam [f], et probabile ſit, odium partis et contradicendi Patricio ſtudium illi hunc laborem extorſiſſe, quem diſcuſſionibus eius Peripateticis fuiſſe oppoſitum nulli dubitamus, cum autem liber tantum non diſparuerit, certum, quod de ea re dicamus, non habemus.

pag. 218. not. o. *Ipſe in carmine de vita ſua apud citator.* Adſcribemus in lectoris gratiam verſiculos Pacii, cum et Thomaſſini et Freheri biographiae et elogia non vbiuis ſint obuia [t]:

Vrbs genuit, Venetis condens quam Gallus in oris
Hoſtibus a victis nomen habere dedit,
Pax vbi, et Berigae noſtrae cognomina gentis
Clara per innumeros inueniuntur auos

Cum

r) Adeo rarus eſt, vt ne magni quidem librorum rariorum helluones Vogtius et Gerdeſius eum viderint, ſed in catalogis ſuis L. L. R. R. tantum ex hoc noſtro indicio recenſuerint.

s) pag. 141 ſeqq.

f) Conſpirat annus editionis, liber enim ille 1597. Venetiis prodiit, Mazonius 1603. viuis ereptus eſt. Vnde vero ſua habeat Morhofius, cuius iudicium h. l. ſequimur, fatemur nos ignorare, qui librum iſtum nunquam vidimus.

t) pag. 1069 ſqq.

Cum fratre a teneris, iuſſu patris excolor annis
Hellados et Latii ſcripta diſerta legens
Miſſus in illuſtrem poſt haec Antenoris vrbem
Ex Sophiae iuſſis imbuor et Themidis.
Tum fatum iniuſti fugientem tela furoris
Detulit ad fines, terra Lemanna, tuos.
Tu vitae ſociam prima florente iuuenta
Iunxiſti, decies me facit illa patrem.
Euocat hinc luſtris tradentem iure duobus
Pannonia et retinet tempore pene pari.
Abſtrahor a caris, colui quos ſemper amicis,
Moribus auerſis, liuida turba, tuis.
Pace peto Muſam mox linguo bella gerentem,
Antiquo Allobrogum reddor et hoſpitio.
Sed ſi hinc pertraxit rectoris laeta Nemaſus
Imponens humeris munera iunctam eis,
Cur reuocas? praeſtare vetant, en optime Princeps
(Parce piae menti) iuſſa ſuperba fidem.
Non tamen inuitus retinebor tempore longo,
Auro libertas carior eſſe ſolet.
Excipit, hinc igitur vicina academia tandem
Sed Placentina, rege iubente locans,
Hactenus aduerſam expertus ſortemque ſecundam
Euaſi inuictus. Scire futura, nefas.

pag. 220. lin. 27. *Primum et poſtremum cepiſſe, quid Ariſtoteles velit, SAMVEL PARCKERVS iudicauerit.* Miramur hoc Parckeri, viri cetera doctiſſimi, ſed in philoſophorum hiſtoria non ſatis exercitati [n] iudicium. Ex hac enim, quam hactenus copioſe recenſuimus, Peripateticorum recentiorum hiſtoria abunde conſtat, plerosque, qui mixtum ex Ariſtotele atque Platone philoſophandi genus improbabant et γνησιωτέρως ſecundum Ariſtotelem philoſophari cupiebant, ſyſtema metaphyſicum atque phyſicum eius totum eodem, quo Caeſalpinus modo explicuiſſe, ea tantum cautela adhibita, vt ſe interpretes magis eſſe Stagiritae, quam aſſeclas profiterentur, faterenturque, ſyſtema phyſiologicum Ariſtotelis cum Chriſtianae religionis doctrina conciliari non poſſe, huicque ſe propter reuelationem eiusque contactum diuinum, et propter eccleſiae auctoritatem ex animo adhaerere: quod ſimiliter feciſſe Caeſalpinum, quicunque etiam verae mentis eius ſenſus fuerit, ipſe Parckerus non negat.

pag.

n) Luculento id exemplo cognoſci poteſt, ex iudicio, quod de Claudio Berigardo diſp. I. ſ. 24. p. 67. tulit, quodque falſum eſſe, et non ſatis excuſſo Berigardi libro atque mente infra p. 480 ſeqq. demonſtrauimus.

Digitized by Google

pag. 221. not. f. *Qq. Perip. L. V. c. 4. p. 125.* Extat locus Caeſalpini in editione prima *Qq. P.* quae apud *Iuntas anno* cIↃIↃLXXI. 4. prodiit, *L. V. c. 4. p. 111. b.* [v] vnde a viris ſummis huius detectae circulationis ſanguinis gloria, quam tamen Michaël Seruetus ei praeripuiſſe cenſendus eſt, vt recte notatum LEIBNIZIO τῷ παίνυ [x] tribuitur. Alium, qui huc pertinet Caeſalpini locum [y] attulit, vir praeſtantiſſimae raraeque eruditionis LVDOVICVS DVTENS, qui in incomparabilis elegantiae et infinitae lectionis libro, quo inuentiones plerasque recentiorum veteribus vindicauit, recte obſeruat, locum iſtum Caeſalpini, quem ipſe ex editione Qq. Per. ſecunda adduxit, ex prima editione anni 1571. ideo hanc inuentionis gloriam Caeſalpino vindicare, quia illa editio LX. annis ante vulgatam ab Haruaeo hanc obſeruationem, prodiit.

Ibid. lin. 23. *Medicorum filiis definiendum relinquimus.* Obſeruauit illuſtris BOERHAVIVS [z], Caeſalpinum primum fuiſſe inuentorem circulationis ſanguinis, ſed non euulgauiſſe, nec eo vſque penetrauiſſe, quo Haruaeus. Quod poſterius quidem verum eſt, et concedi debet illuſtri viro, non tamen Caeſalpino inuentionis gloriam eripit, quia nec totam eam ſilentio ſuppreſſit, vt ex allatis teſtimoniis conſtat, nec quaeſtio eſt de totius inuentionis explicatione et demonſtratione, quam nemo facile Haruaeo eripiet [a], ſed de detectione, quam quidem non latuiſſe Seruetum, ex adducto ab ill. DVTENS loco conſtat, veriſimile autem eſt, Caeſalpinum non vidiſſe vel legiſſe SERVETI librum *de Chriſtiana religione*, ſiue de trinitatis erroribus, cum vix credi poſſit, huius generis librum poſt horribile auctoris fatum in Italiam penetraſſe. Aſt de his quidem in hiſtoria literaria eius temporis plura.

Ibid. not. *Venet. 1571. 1593. fol.* Delendum, *in folio*, nam altera editio quoque prodiit 1593. 4. teſtibus MORHOFIO et Cl. DVTENS [b].

pag. 221. lin. 25. *Preſſo ſibi pede ſequendum eſſe ſtatueret.* Scripſiſſe ſe hos commentarios, propter pſeudo-peripateticos non tacet, et cur id factum a ſe ſit, candide exponit. „Nempe, cum veteribus eae potiſſimum „habendae ſint gratiae, quod a ſe inuenta cum poſteris tradiderint ad vl„teriora perſcrutanda, iter facilius reddiderint. Si enim non fuiſſet De„mocritus, Empedocles, Anaxagoras, aliique multi et tandem Plato, non „futurum fuiſſe Ariſtotelem, quo duce philoſophia ad dignitatis ſum„mum faſtigium perueniſſe videatur, quando annis iam fere bis mille in „vnius Ariſtotelis doctrina intelligenda ſtudium omne impendatur. „Quanquam et illud factum ſit, vt ob quorundam barbarorum commen„tarios, qui ob acre ingenium auctoritatem et primarium locum in Peri„patetica

v) Recherches ſur l'origine des decouvertes attribuées aux modernes T. II. p. 53 ſeqq.
x) Inc. cit. conf. tamen ill. HALLERVS meth. ſtud. med. p. 383.
y) Qq. medicae L. II. q. 17. p. 834.
z) Meth. ſtud. med. P. 4. c. 2. p. 79.
a) Vid. quae notauimus T. V. p. 657.
b) Il. cc.

„patetica diſciplina ſibi vindicarunt, tanta caligo oborta ſit, vt, conſcri„ptis aliis innumeris in commentatores commentariis, philoſophia in er„rores impegerit inextricabiles.“ - - Quae cum moribus philoſophorum ſui temporis obieciſſet, ſcopum ſibi fuiſſe, alt, „Peripateticam di„ſciplinam multorum altercationibus inuolutam pro viribus ſibi conceſ„ſis euoluere, vt ſummi philoſophi ſententiae cum non parua humani ge„neris iactura deliteſcentes in apertum exeant, et reliquis ad veritatis „complementum viam ſternant.“ Ad quam archiatri pontificli explicationem ſcopi ſui in ſcribendis his quaeſtionibus Peripateticis probe attendendum eſt. Ex ea enim intelligitur 1) Caeſalpinum credidiſſe, Ariſtotelem omnem ante ſe philoſophorum ſapientiam comprehendiſſe; 2) Admittendam eſſe auctoritatem ob tot annorum aſſenſum ei tributum; 3) Explicationes ſcholaſticorum et Platonicorum hanc egregiam philoſophiam corrupiſſe, eorumque obſcuras et ineptas explicationes eſſe vitandas; 4) factum inde eſſe, vt ſummi philoſophi ſententiae cum non parua humani generis iactura delituerint; 5) omne tandem ſtudium ponendum in eo, vt Ariſtotelicae ſententiae exeant, et reliquis ad veritatis complementum viam ſtruant. Satis, niſi toti fallimur, ſe prodidit Caeſalpinus, quod hanc, quam traditurus erat explicationem pro vnica veritate et reliquarum ſententiarum complemento habeat, et ſic veram felicitatis viam exponat. Quis ex his non colliget, Caeſalpini religionem fuiſſe totam Peripateticam, illumque, quaecunque ex mente Stagiritae ſinceriora eſſe ſtatuerat, pro certiſſima veritate habere? Quo pacto, quid de iſta proteſtatione conſenſus cum religione et eccleſia ſtatuendum ſit, quilibet videt.

pag. 222. lin. 1. *Dolemus nos.* Anxie magnaque cura per complures annos, ex quo haec ſcripſimus, Quaeſtiones has Peripateticas, etiam peregrinis in locis per amicos quaeſiuimus, obtinere tamen non potuimus, miramurque, in noſtrae vrbis bibliotheca huiusmodi libris refertiſſima illas non inueniri, cum tamen medicas Caeſalpini tractationes contineat: vnde de libri raritate iudicium fieri poteſt. Tandem forte fortuna in contemta quadam ſupellectile libraria Venetam editionem priorem inuenimus, noſtraeque ſupellectili librariae adiecimus, poſtquam paulo prius didiceramus, cl. ENGELIVM in ſplendido librorum rariorum apparatu eas poſſediſſe [c]. Ex Ven. VOGTII *catalogo librorum rariorum* [d] didicimus, adiunctas quoque eſſe collectioni ſcriptorum philoſophicorum Teleſii, quae tamen et ipſa ſunt rariſſima.

pag. 222. lin. 18. *Praecipue autem monet.* Vellicat nobis aurem rei momentum, et indicata noſtra fluctuatio de veritate accuſationum, quibus Caeſalpinum tanquam Impietatis fautorem aggreſſus eſt Taurellus, vt, ex ipſa eius tractatione eius ſententias hoc loco colligamus, vt ipſe lector eas cum cenſuris Taurellianis poſſit componere, iudicumque ferre,

c) Cat. libr. rar. SAM. ENGELII, bibliothecarii primarii p. 30. d) p. 659.

Digitized by Google

re, modo paulo accuratius Peripateticas rationes cognouerit. Non autem omnia, quae Peripatetice, maxime de metaphyſicis et phyſicis ille praecepit, excerpemus, eam enim prolixitatem acceſſionum noſtrarum limites non patiuntur: ſed potiora tantum ipſis eius verbis, ob inſignem libri raritatem afferemus, vt iudicium interponere, rerum metaphyſicarum non ignaro liceat. Ita vero Caeſalpinus *:

I. Definitio omnis reſoluit ipſum totum in partes ſecundum ſubſtantiam, partium autem quaedam inſunt vt rationis materia, quaedam vt perfectio: omnis definitio velut demonſtratio erit, in qua non quidem perfectio neque de toto, neque de parte demonſtretur, ineſt enim ſine medio: ſed partes ſecundum materiam de materia totius per alteram partem, quae eſt forma.

II. Cauſſa materiae eſt ſpecies, qua aliquid eſt et ſubſtantia.

III. Prima philoſophia neque demonſtratione neque definitione vtitur, ſed principiis circa quae verſatur intellectus.

IV. Scientiae diſtinguuntur ſecundum genera ſubſtantiae.

V. Vnica differentia etiamſi vltima fuerit, non ſufficit ad ipſum, quid eſt, explicandum.

VI. Praeter animata et animatorum partes nullae ſunt ſubſtantiae.

VII. Cum a fine ratio ſumatur ſubſtantiae, vbicunque non fuerit id, cuius gratia, ſubſtantia non erit, huiusmodi mixta ſunt inanimata.

VIII. Subſtantiae genera habent ordinem ſecundum additionem et ablationem.

IX. Ablata ſubſtantia impoſſibile eſt, aliquod aliorum remanere, quia caetera inſeparabilia ſunt a ſubſtantia *f*.

X. Primi motoris virtus immenſa eſt, non tamen infinita neque finita proprie dici poteſt.

XI. Primus motor eſt intelligentia ſpeculatiua non actiua.

XII. Caeli circulatio eſt imitatio intelligentiae.

XIII. Vna tantum eſt intelligentia diuina, quae Deus eſt, multitudo enim diuiſionem ſupponit, diuiſio autem materiam, ideo ab omni materia ſeiuncta eſt diuina intelligentia.

XIV. Intelligentia humana multiplicatur ſecundum hominum multitudinem, non enim actus eſt, vt diuina intelligentia, ſed potentia, adeoque aeternitatem intelligendi conſequi non poteſt, niſi ſecundum ſpeciem *g*.

XV. Omnes animae partes prius potentia habentur quam actu, etiam intellectiua, non enim ſimul anima eſt et homo, nec ſimul ſenſualis anima, et rationalis habetur. Numero igitur multas eſſe intelligentias humanas, vt multi ſunt homines, neceſſe eſt.

XVI. Cum impoſſibile ſit, potentiam aliquam eſſe ſine ſubiecto, impoſſibile etiam eſt, intellectum huiusmodi ſeiunctum eſſe ab omni materia.

e) Qq. L. I. c. 1-7 ſeqq. *f*) L. II. c. 4 ſeqq. *g*) Cap. 7.

XVII. Potentia intellectus differt a potentia materiae, haec enim respicit formas ipsas et res, intellectus autem non res, sed rerum simulacra: idcirco non sunt substantiae intellectiones humanae, licet sint substantiarum notae quaedam. Materia quoque secundum dimensiones receptiua est omnium formarum, anima autem omnium specierum, sine materia.

XVIII. Mortalium solae hominum animae immortales sunt, quia rationales sunt, habentque operationem propriam et separatam, sc. intelligere: si interirent cum corpore, non possent operari sine corpore, sed simul deficerent.

XIX. Infelicitas est, omnia speculari, quodcunque enim cum labore perficitur, carere voluptate simul et felicitate necesse est.

XX. Felicitas duplex est, vna quidem humana, quae ex virtute earum operationum contingit, quae humanae vocantur; altera vero praestantissima iucundissimaque ex intellectu speculatiuo, quam diuinam dixit philosophus, quia pertinet ad id quod in homine diuinum est.

XXI. Natura est principium patiendi, non agendi. Natura autem est principium et causa mouendi et quiescendi ei, in quo inest primum per se et non secundum accidens [e].

XXII. Nihil est in loco nisi grauia et leuia.

XXIII. Planetae in circulis, non in sphaeris mouentur.

XXIV. Maris fluxus et refluxus ex motu terrae, non lunae fit.

XXV. Motus planetarum sub zodiaco non caliditatem gignit in haec inferiora, sed refrigerationem.

XXVI. Caliditas ex coeli motu vsque ad centrum terrae peruenit, et frigiditas ad extremum ignis.

XXVII. Humiditas et siccitas a calliditate et frigiditate pendent [f].

XXVIII. Omnis virtutis intensio et remissio ex materiae quantitate prouenit.

XXIX. Materia mixtorum est terra et aqua tantum.

XXX. Dantur mixta ex aequali omnium elementorum virtute.

XXXI. In generatione et corruptione simplici non transmutantur omnia, quae in materia sunt.

XXXII. Prima materia corpus est, quatenus corpus, i. e. vltimum subiectum in quod resoluuntur transmutabilia, quatenus transmutabilia sunt, neque componitur amplius ex actu et potentia, est autem partim actu, partim potentia; illud quatenus subiectum quoddam est, hoc quatenus respicit perfectiones, ad quas ordinatum est, earum enim gratia non est per se ipsum.

XXXIII. Generatio omnis est in tempore [g].

XXXIV.

e) Lib. III. c. 1 seqq. f) Lib. IV. c. 1 seqq. g) Lib. V. c. 1 seqq.

Digitized by Google

XXXIV. Quaecunque ex femine fiunt, eadem fieri poſſunt ſine femine. Alia autem eſt prima omnium animalium et caeterorum entium creatio, quae a primo ente in principio effluxit; alia eorundem ſucceſſio.

XXXV. Ortus ex putredine ſimilis eſt ei, qui fit ex femine, ad ſucceſſionem ſcilicet inſtitutus, non ad primam ſpecierum dependentiam atque productionem: niſi enim haec praeceſſiſſet, nequicquam neque ex ſemine neque ex putredine ortum eſſet.

XXXVI. Prima perfectorum animalium generatio ex verme fit, et ſic in tempore infinito, quod ſupponitur, deficientibus aliquo tempore omnibus ſingularibus alicuius ſpeciei, primum aliquod ex putredine oriri poteſt, ex cuius ſemine propagetur ſpecies, vt quibuſdam contingit ex ſola putredine propagari.

XXXVII. Foeminae non ſolum materiam tribuunt conceptui, ſed et formam, mares autem formam ſolum.

XXXVIII. Cor non ſolum arteriarum, ſed et venarum ac neruorum principium. Falſum autem, neruos omnes ex cerebro et medulla ſpinali deſcendere.

XXXIX. Reſpiratione non intromittitur aliquis ſpiritus externus in cor.

XL. Motus continuus a corde in omnes corporis partes agitur, quia continua eſt ſpiritus generatio, qui ſua amplificatione diffundi celerrime in omnes partes aptus eſt, ſimul autem alimentum nutritiuum fert, et auctiuum ex venis elicit per oſculorum communionem, quam Graeci anaſtomoſin vocant, tandem vero ſpiritu in aërem ambientem difflante, alimenti corpulentia remanet partim frigore, partim calore coagulatur.

XLI. Senſus nulli parti ineſt, quae ſanguine caret in animalibus ſanguineis.

XLII. Anima non in ſingulis corporis partibus eſt, neque tota in toto, ſed tota in corde.

XLIII. Medium illuminatum non facit ad colorum viſionem, ſed potius impedit.

XLIV. Imaginatio a rebus externis moueri poteſt non moto ſenſu.

Et haec quidem ſumma decantatarum quaeſtionum Peripateticarum eſt, quae Taurellum et Parckerum commouerunt, vt impietatis notam Caeſalpino inurerent. Adeo vero diſputandi, obiiciendi, excipiendi et Ariſtotelicas voces ſine definitione, ſine luce, mutato haud raro ſenſu, adhibendi ſolertia omnia tenebris inuoluit; vt nonniſi Peripatetici ſermonis callentiſſimus eius reſponſiones poſſit aſſequi, valdeque timemus, ne viri illi docti, qui dicam ſatis acerbam Caeſalpino ſcripſerunt, voces terminosque abſtractos nihil diſtinctum ſaepius ſignificantes, et ab ipſis Peripateticorum notionibus haud raro diſcedentes tenebras ſibi induci paſſi ſint, quibus decepti deteriores, quam forte habuit, ſententias ei tribue-

rent. Aſt illud quoque fatendum eſt, in toto hoc ſyſtemate philoſophico nullas partes Dei eſſe, ſed cauſſis metaphyſicis magis, quam phyſicis omnia explicari, meteora verborum adduci nihil ſignificantia, totiusque Peripateticiſmi cacoëthes in vnam ſentinam confluxiſſe. Quem cum tantopere tamen omnibus praeferat, vt ſupra demonſtratum, aegre ferendum non eſt, ſi caſtioris philoſophiae et ſobriorum placitorum valde negligens fuiſſe accuſetur. Ceterum in libro quarto atque quinto harum quaeſtionum haud proletariam anatomicarum obſeruationum cognitionem prodidit, quae vna meruit, vt hi duo poſtremi libri cum attentione legantur: in reliquis enim credimus euenturum, quod nobis prima lectione euenit: qui non vult intelligi, non vult legi. Certe lector Taurelliano Oedipo hic opus habet, qui cum Caeſalpinas hypotheſes, quarum argumentum adduxit, fere omnes auctoris ſui verbis explicuerit, raritati libri neceſſitatem detraxit, facileque eo carent, quibus non in ſola librorum tallum raritate voluptatis quaerendae eſt deſiderium. Qui vero criticum Caeſalpinorum *φιλοσοφεμένων* examen, rationibus Peripateticis munitum deſiderat, quod hoc loco inſtituere et inſtitutum et anguſtia paginae prohibet; illi Taurellianae caſtigationes cum Caeſalpinis theſibus comparandae ſunt, quo labore forte pauci ſunt, qui cupiant defungi.

pag. 226. lin. 14. *Magno ſtudio applauſuque eum audiebat.* Plurimum ad hanc de Cremonino iuuentutis opinionem attuliſſe methodi, quam adhibebat elegantiam ex narratione IMPERIALIS colligimus, digna, quae hoc loco ad cognoſcendam ſinceriorıs Peripateciſmi, natiuam faciem expendatur: *hic eius in docendo mos, phyſicas primum ſententias philoſophi aptare verbis: obſcuriores vel ſua vel Alexandri Aphrodiſaei mente enucleare, ſcholaſticorum moroſas diſputationes ſicco plerumque pede tranſire; recentiorum dogmata, vel ingenito aemulationis ardore, vel antiquae dignationis velut ab inferis vindicandae ſtudio negligere, ſingula vero in ſuggeſtu eo actionis ornatu ac diſſerendi grauitate proferre, quem poſteri ſuſpiciant, nos hac aetate in altero forſan deſideremus.* Haec in ſcriptis editisque libris cumulari, iſtaeque illecebrae lectori exhiberi poterant. Quae ſatis cauſſae ſuppeditant, cur elaborata Cremonini opera euiluerint, lectiones autem ſubitaneae cum admiratione fuerint auditae, cum inter ambulandum eas diſcipulis traderet.

pag. 227. lin. 12. *Tanto conſenſu eius mores probati ſunt.* Hoc de moribus externis et virtutibus homileticis intelligenda. Intus etenim et in cute Peripateticum Italum ex aſſe referebat, ad moralia Ariſtotelis animum componentem. Erat enim, teſte eodem biographo, *viuida cunctis indole perblandus, nulli tamen fide ſinceri animi coniunctione obſtrictus, de rebus omnibus cum iunioribus effari, at in nulla haerere diutius, quae vel conferret ipſorum animis: comitate potius, quam doctrina priuatis in congreſſibus fructuoſus, quin et factionibus ipſorum fouendis deditus, perpetua cum Patauinis alere*

Digitized by Googl

alere diſſidia, ſeu potius cum ſingulis, quos ſuo minus indulgentes arbitrio noſceret: ſimulare tamen comtiſſima verſutia ſingulis natus vel ciuilia anxius officia exercebat. Qui morales fructus cum prouenerint ab arbore Peripatetica, facile ex illis iudicari poteſt, quos ethicae Ariſtotelicae characteres alio loco deſcripſimus, hiſtoriae fide in ſummis viris confirmari. Immo ne quidem a radice illa aliud expectari poteſt: quae enim ex tanti nominis et exiſtimationis philoſopho virtus naſci poterat, qui, non diffitente encomiaſte ſuo, *ingenii verſatilis decora turpauit ſtudentum animis imbibita opinione, quod deteriores et reprobatiores de rebus phyſicis ſenſus tueretur acrius, quam orthodoxae fidei diceret alumno; quique olet morboſi animi virus, diuinos hominum ſpiritus cum brutis animantibus communes facere, corruptionique reddere obnoxios.* Tolle animorum immortalitatem et expecta fructus morales non alios, quam ad Cremonini imaginem effictos. Tacemus, quod eiusdem ſcriptoris fide nouimus, alia pariter de fato, de mundo, de coeli motoribus placita palam tutatum eſſe. Quod feciſſe Alexandri Aphrodiſaei diſcipulum, praeceptoris et auctoris ſui philoſophiam ſequentem non miramur, tantam autem degenerem acrius inſtillatam et imbibitam iuuentuti impietatem in acroaterio illuſtriſſimae reipublicae publico perſonare, toleratum eſſe, fidemque adhibitam proteſtationi de conſenſu ſuo cum eccleſiae decretis, id mirari ſatis non poſſumus.

pag. 227. lin. 8. *His teſte Naudaeo acceſſit et forma corporis decora atque elegans.* Conferendus etiam de hac re Imperialis, qui formam Cremonini accurate depinxit, imaginem aere expreſſam exhibuit, in qua Ariſtoteleum aliquid obſeruauiſſe nobis videmur.

pag. 229. lin. 7. a fin. *Editum eſſe aſſerunt.* Exhibet eius elogium quoque IMPERIALIS [l], cum reliquis conſentiens, qui tamen natiuitatis annum non addidit, vnde ſuſpicamur, incertos de vero natali Septalii ſcriptores fuiſſe.

pag. 233. lin. 26. *Inſtitutio in philoſophiam Ciceronis.* Pluribus de iſto labore actum ſupra T. II. ad philoſophiam Ciceronis [m].

pag. 235. lin. 11. a fin. *Libris notiſſimis.* Meretur legi elegans Robortelliani characteris deſcriptio apud IMPERIALEM [n], quae omnibus ſignis criticum mordacem et detrectatorem, ſed eruditum depingit.

pag. 235. lin. 5. a fin. *Tetigeruntque eam fere omnes.* Pertinet Mureti vitae et eruditionis hiſtoria ad eloquentiae annales hiſtoricos [o], cum maximo et vniuerſali plauſu eius ſibi teſtimonia etiam regum atque principum, et rerumpublicarum, maxime vero Romae ſibi comparauiſſet [p]. Ad eos itaque Lector ablegandus eſt; non tamen hic negligendus et indictus

l) loc. cit. p. 183.
m) ad pag. 40. n) pag. 60.
o) Vitam Mureti, a Schotto ſcriptam et operibus eius praemiſſam Lipſiae 1672. recuſam debemus IACOBO THOMASIO.
p) Videnda quae habet IMPERIALIS p. 111. BLOUNT. Cenſ. cel. auct. p. 777. THOMASIVS l. c. SAMMARTHANVS elog. Gallor. L. III. c. 19. p. 158 ſeqq. et quae ad illud annotauit HEYMANNVS, CHYTHRAEVS Pinacoth. I. c. 5. p. 11.

dictus praetereundus, quoniam in interpretando Aristotele, ad nitorem sermonis et fidelitatem expositionis respiciens, castitati non minus, quam elegantiae inseruiuerit, et non modo, iudice HVETIO [q], sententiam expresserit, sed genus ipsum dicendi, quod licet, imitatus sit. Reliquorum, quae ad vitam, famam, et obiecta quoque crimina narrari de eo solent, scriptores indicat HEVMANNVS [r], qui videndi.

pag. 237. lin. 10. *Qui eruditionis femina concepit.* Conferendus de eo SCHOTTVS *in bibliotheca Hispanica* [s].

pag. 239. lin. 11. *Philosophiam simul ob eum, quem sibi praefixerant scopum, eiicerent.* Grauissime multoties de eo malo conquestus est Erasmus, qui tamen, narrationibus aliorum, et acerbis inuectiuis Lutheri in philosophiam scholasticam deceptus [t], culpam in ipsum reformationis conatum, ex suo iudicio praeposterе susceptum conliciebat, et hoc pacto inuidiam pio emendandae doctrinae sacrae conatui conflabat. Qua de re legenda est eius epistola [u] ad Ioannem Henkelium vt alias eiusdem commatis praetereamus, et repetenda, quae supra attulimus.

pag. 240. lin. 27. *Imprimis Petro Bembo.* Testis est Georgius Sabinus, qui, vt refert ADAMVS [x] *in vita Melanchthonis*, cum literarum gratia in Italiam esset profectus, et literas a Melanchthone reddidisset; cardinali, qui Melanchthonem religionis quidem professione disparem, ob eruditionem tamen magni faciebat, et commendationem apud se valere vellet plurimum, Sabinus ad colloquium non solum humaniter admissus, sed etiam ad mensam adhibitus est. Sed reliqua quoque, quae de Melanchthone sciscitans cardinalis Sabino ad quaestiones suas respondenti reposuit, magnam, quam fouebat, eius beneuolentiam et aestimationem produnt, longiora vero cum sint, quam vt in his paginis locum capere possint, apud ipsum biographum legi merentur.

pag. 240. lin. 6. a fin. *Procul tamen ab ea mentis fortitudine aberat, quae ad eiiciendam philosophiam sectariam requirebatur.* Iudicatum ideo a nonnullis fuisse, obseruat MORHOFIVS, neruos et impetum ei defuisse. Certe moderationem suam auxisse insolentium hominum ferociam fassus est ipse MELANCHTHON [y].

pag. 243. lin. 26. *Ioannes Neldelius.* Biographiam eruditi et luculenti philosophi exhibent parentalia ab academia Lipsiensi in eius funere scripta, quae praefixa sunt libro eius *de vtilitate organi Aristotelici.* Non vero in exigua Neldelii laude ponendum est, quod HERMANNO CONRINGIO et Iacobo Thomasio mirifice placuerit. Quorum ille, vt Peripateticam polymathiam accurate tenebat, ad hunc ita scripsit: *Deprehendi Nelde-*

q) De claris interpretibus p. m. 258.
r) E. c. de accusatione Bezae incesti amoris, homicidii, vinolentia, et aliis. Senex mores mutauit et S. I. nomen dedit, vid. CHYTHR. l. c. Pin. II. c. 50. p. 454. apologiam pro eius fama scripsit VOGTIVS appar. lit. Witteb. P. I. diss. 6. p. 93.
s) Tom. III. p. 612.
t) Tom. III. p. 611.
u) Epistolar. L. XVIII. p. 583.
x) Vit. theol. p. 360.
y) L. I. ep. 16. ad Lutherum.

Digitized by Google

Neldelium non tantum Ariſtotelicae analyſeos in paucis eruditum, ſed etiam verſatum egregie ac cum iudicio, non in philoſophicis duntaxat aliis, ſed reliquo omnigenae doctrinae apparatu. Et hunc quidem in erudito ſcripto vbique deprehendi, nemo, qui cum attentione legerit, facile negauerit, adeo Peripateticam elegantiam vbique perſpicue ſectatur, vnde illi quoque qui eclecticam rationalis philoſophiae partem excolendam ſibi ſtatuunt, ex hac Neldelii tractatione illud omne facile eligere et in ſuos vſus conuertere poſſunt, quod Ariſtoteles in logicis recte praecepit, quodque in arte rationali vſum habere poteſt. Qualia non pauca eſſe in Ariſtotelis organo, ſuo loco iam monuimus, et hoc quoque loco repetendum eſt, ne vanam et inutilem eclectice philoſophantibus, hanc Peripateticae philoſophiae, quam hucusque enarrauimus, particulam eſſe praeſumant.

pag. 246. lin. 8. *HIERONYMVS MERZIVS noſter.* Scripſit vir doctus et praematuro fato bonis literis et eccleſiae ereptus, in academia Tubingenſi [a] copioſam et eruditam diſſertationem, qua *hiſtoriam vitae et controuerſiarum Victorini Strigelii Kaufburenſis* multa lectione complexus, ſub B. Weiſmanni praeſidio vires in arena academica tentauit, quamque auctiorem edere conſtituerat, niſi in flore virilis aetatis mortalitati eſſet ereptus. Dici vero non poteſt, quam amplam rebus literariis et eccleſiaſticis Strigelii lucem iſtud ſchediaſma accenderit, quam copioſe imprimis controuerſias illius, ſyncretiſticas et ſynergiſticas illuſtrauerit, et praeſtantiſſimam acceſſionem ad H. E. Sec. XVI. eiusque controuerſiarum adhibuerit, dolemusque, libellorum academicorum fortunam expertum rarius occurrere, luce noua admodum dignum. Nos hoc vnum, quod ad noſtros limites pertinet, ex hac tractatione notamus, Strigelium laudem magni theologi, quam plerique ei iubentes impertiebantur, iſtis litibus contaminaſſe. Vnde Io. Mvsaeo vſus *eximius quidem philoſophus, aſt ſophiſta technarum et fraudum, quibus in mala cauſſa vtebatur callentiſſimus, qui, quo a ſolidis ſcripturae fundamentis imparatior, eo in omnem fallendi occaſionem intentior fuit.* Et hanc illi inuidiam Peripateticarum verſutiarum experientia conflauerat, qua Flacium, theologia illi ſuperiorem, ſed philoſophiae praeſidiis multum inferiorem haud ſemel irretiuit, vt de ipſa philoſophia non Peripatetica tantum, ſed vniuerſa ex eccleſia eiicienda cogitaret, certe in *claue* [a], libro cetera bonae frugis pleno ſcriberet: *nec tamen hic ad Col. II. tantum falſa philoſophia reprehenditur, ſed etiam iſta vera, quam nunc potiſſimum ex Ariſtotele habemus.* Ex quo loco conſtare poteſt, quod iudicium theologorum multorum A. C. addictorum de Ariſtotelis philoſophia tunc fuerit. De quibus tamen,

a) anno 1732. Is anno ſequente nobis in muſeo eccleſiaſtico et ſcholaſtico ſucceſſit, denatus 1744.

a) v. philoſophia p. 915 ed. Muſaei haec verba, *quam nunc habemus*, non leguntur, ſed apud Eiswichium: res ipſa luculenter in hoc articulo exprimitur, qua vult philoſophiam moralem et externam honeſtatem vitae adhibere. Quod Ariſtotelis ethicam conſideranti non ineptum videbitur.

tamen, cum alio loco enarrari ſoleant, in hac paginae anguſtia tacemus, conſuli autem poteſt in eleganti ſchediaſmate *de varia fortuna Ariſtotelis in academiis Proteſtantium* B. ELSWICHIVS [b].

pag. 247. lin. 12. 13. *Apud plerosque tamen Ariſtoteles obtinuit, ſummoque loco eſt habitus.* Ex quo theologi nonnulli Anglicani Platonicam philoſophiam deperire coeperunt, quod propinquiora Iudaicis atque ſacris placitis, quae Platoni innotuerint, continere iudicabant, factum quidem, vt Peripatetica philoſophia inter eos in contemtum adduceretur, adeo, vt THEOPHILVS GALEVS [c], magni nominis in Britannia theologus, cum de minorum gentium philoſophia agere inſtituiſſet, in hunc cenſum Ariſtoteleos mox in limine, et ante Cynicos, Stoicos, Scepticos, atque Epicureos referret. Notum etiam et ex narratis Tomo quinto de Hobbeſii philoſophia colligendum, acerrimam nationem, cui ingenium philoſophicum natura non denegauit, maxime ſec. XVII. viros magnos produxiſſe in ſcenam, qui audebant, contemto Ariſtotele, ſua quadra viuere et philoſophari; id quod imprimis Angliae eiusque Cancellario Franciſco Baconi de Verulamio deberi, ex dictis eo loco conſtat. Quae cauſſa quoque fuit, cur IOANNES SANCRVCIVS philoſophus Anglus, et *dialecticae Scoti auctor* de *Cynicorum ſciolorum in diiudicandis conuiciandisque quorumuis ingeniorum monumentis ſeueritate conquereretur.* Attamen prodiit ille ipſe, edita iſta logica Scotiſtica [d] et imprimis docet in *praefatione ad philodialecticos Oxonienſes*, floruiſſe eo tempore in academia iſta Scoti philoſophiam, et imprimis dialecticam tanta admiratione, vt ſcribere auſus ſit, ſatis rationum ſibi fuiſſe, cur *poſt tot tamque praeclaros ſubtilitatum omnium magiſtros ſibi in mentem venerit, toties tam ſolide in quouis philoſophandi genere exactum opus recudere, nauſeantique huic Iſagogas et Elenchos ſeculo faſtidioſam denuo obtrudere Scoti Dialecticam, anxius elaboraret, ita enim amicorum conſilia et auctoritatem obtinuiſſe, vt e tanto tempore indormientis ac pene ſepulti noſtratis Scoti ſubtilis arcanis erutus, dialectices vndequaque integrae theſaurus pro Oxonienſium philodialecticorum ſubtiliumque vniuerſorum vſu ac beneficio proſtet publice.* Quae narrationi Arnoldi de poena contemtui Ariſtotelis impoſita, fidem valde conciliant, et verſimile faciunt, non vanam et mentitam fuiſſe iactantiam illius philoſophi Scotiſtae, ſperare ſe, *vt per Doctores Oxonienſes, viros ſubtilitatis omnis ſectatores aſſiduos, Scotiſtarum ſubtilium ſchola, tot ſubſelliis, doctoribus, prelis per Europam famoſiſſima ſuates domi habeat aulas, cathedras, praefectos, Scotiſtas ſubtiliſſimos et diſcuſſis imbellium nouitatum ac errorum ſannis limpidiſſimos philoſophiae latices e propriis antiquitatis venerandae hauriat lacunis ſaluberrimis etc.* Ex quibus ſatis apparet, quantae tamen Ariſtotelomaniae ſcholaſticae tenebrae in medio philoſophiae eclecticae ἀνατολῇ ſe in Britannia obiecerint, illuſtri Societate regia tunc iam erecta, et quantae molis opus fuerit, nouam

b) §. 20. p. 52 ſqq.
c) Philoſ. gener. P. II. c. I. ſect. I. p. 659.
d) Prodiit liber 1673. Londini 8. ex typographia Societatis regiae.

Digitized by Google

nouam philoſophiae faciem in Britannia condere. Nam in Cantabrigienſi quoque vniuerſitate eandem auctoritatem obtinuiſſe Thomiſtas, idem ſubtilis philoſophus Anglus eodem loco nos docet.

Ibid. lin. 24. *Contemni ab Arminii ſequacibus philoſophiam Peripateticam.* Comparanda imprimis diſſidiorum Belgii hiſtoria, et quae inter Arminianos et Reformatos viguerunt controuerſiae, quae tamen in hiſtoria eccleſiaſtica ſolent enarrari. Obiectam tunc fuiſſe Peripateciſmi ſcholaſtici labem Belgicis theologis, ex teſtimoniis conſtat, quae adduxit FR. SPANHEMIVS filius [e].

pag. 264. lin. 14. 15. *Quod Academia Pariſienſis fuerit adſtricta anno MDCXI. ad Ariſtotelis doctrinam.* Factum, ineunte ſeculo decimo ſeptimo, quo tempore ſtatuta academiae Pariſienſis renouata et emendata ſunt. In iis Ariſtotelis philoſophia pro regula atque ſumma ſtudiorum philoſophicorum habita et decreta eſt, cum dudum poſſeſſionis ius obtinuiſſet. Addit his, quae narrat CREVIERIVS [f], hanc legem ita latam, vt ſolum textum Ariſtotelis, non vero commentatores eorumque explicationes reſpiciat: porro, vt procul ire iuſſis vanis ſubtilitatibus, et quaeſtionibus ſophiſticis, philoſophiae maieſtatem adminutias et quisquilias detrudentibus, argumenta ſeria tractare iubeat. Quae quidem ita obtinuiſſe refert, donec noua philoſophia inualuerit. Quorum ſtatutorum occaſionem ex fortuna philoſophiae Ramaeae et nouatorum aliorum captatam eſſe, eo minus dubitandum eſt, quo certius eſt, in aliis quoque, etiam Germaniae ſcholis vniuerſalibus ſimilia decreta principum pro confirmanda Ariſtotelicae philoſophiae auctoritate et vſu fuiſſe vulgata, praeſertim in academiis Saxonicis circa annum MDCIII. [g]. Anno cIↃIↃcXXI. et ſeqq. autem Ariſtotelis fortunam Pariſiis vehementer coepiſſe iterum nutare, ex SEB. BASSONIS, praefatione *philoſophiae naturalis* aduerſus Ariſtotelem, et *cenſura theologorum Pariſienſium* in *oppugnatores Ariſtotelis*, et *decreto ſenatus Pariſienſis* diſci poteſt, quod vtrumque exhibet LAVNOIVS [h]. Eo tempore autem Pariſiis in exilio viuebat Grotius, et regis tutela fruebatur, quam ei amici, et inter hos Petauius, S. I. Theologus, parauerant. Quibus vitae et fatorum ſuorum circumſtantiis quod magnus vir ſe attemperauerit, ne amicos, qui fere omnes Ariſtotelicam philoſophiam ſequebantur, offenderet, vel cenſuram academiae et ſenatus regii incurreret, non eſt valde mirandum: quamuis in eclectica via ſe incedere nouiſſe, pulchre oſtendiſſet. Quo pacto confirmatur coniectura auctoris, cui *Manes Grotii vindicatos* debemus, h. l. adducta.

e) Ep. de nouiſſimis circa res ſacras in Belgio diſſidiis p. 35.

f) Hiſtoire de l'Vniuerſité de Paris T. VII. p. 66. qui tamen de decreto parlamenti 1624. 1629. tacet. conf. LAVNOIVS de fort. Ariſt. c. XVI. pag. 296.

g) Vid. ELSWICH. de fort. Ariſtot. in ſcholis Proteſtantium §. 26. p. 73. et ad quos prouocat.

h) de fort. Ariſt. in acad. Paris. c. 16. pag. 296 ſeqq.

Digitized by Google

pag. 268. lin. 24. *Georgius Simlerus, qui iurisprudentiam poſtea Tubingae docuit* Debuit Phorcenſis Schola et ipſe Philippus iſtam literariam lucem magno ciui ſuo, Ioanni Reuchlino, qui et literas in illa patria reſuſcitauerat, et Graecae atque Hebraicae linguae rudimenta adoleſcentibus quibusdam tradenda Simlero ſuaſerat [i]. Hunc autem heroëm literarium Philippum non niſi filii nomine compellauiſſe, cum eum non ob cognationis tantum vinculum impenſe amaret, ſed etiam propter elegans, et nullius non magnae rei capax ingenium admiraretur, teſtatur IACOBVS HEERBRANDVS [k]. Georgius Simlerus autem poſtea inter Iureconſultos Tubingenſes nomen haud incelebre obtinuit. Eius epiſtola legitur ad Thomam Anshelmum typographum [l], in hiſtoria renaſcentium literarum in Germania non negligenda.

pag. 272. lin. 4. a fin. *a Nauclero corraſum magis.* Conſulendus de hoc nobili Sueuo, iurisque canonici profeſſore, cancellario et rectore academiae Tubingenſis praeter CAMERARIVM [m], et MART. CRVSIVM [n], biographus Germanorum eruditorum MELCHIOR ADAMVS [o]. Accepiſſe hunc primum Tubingenſis ſcholae rectorem occaſionem hiſtoriae conſarcinandae ab imperatore MAXIMILIANO, tradit ipſe MELANCHTHON [p] ſcribens, *imperatorem indagatione antiquitatis accurata peneque curioſa Cuſpiniano, Nauclero, Cunrado Peutingero, Iacobo Manlio, cauſſam praebuiſſe, vt integram hiſtoriarum ſeriem contexerent.* Dignus vel hoc nomine locus, ad quem attendatur, cum ſtudiorum, a magno imperatore pulchre promotorum [q] hiſtoriam contineat, ex qua primi literarum reſtauratores apud Germanos in aula Caeſaris poſſunt cognoſci. De NAVCLERI *chronico* ad annum cIↃIↃ digeſto, quod continuauit LAVRENTIVS SVRIVS [r] videſis I. A. FABRICIVM [s].

pag. 277. lin. 4. a fin. *Tum et Tartaretus recenſetur.* Magna fuit olim ſcholaſtici huius philoſophi ex Scoti ſecta exiſtimatio, qui inter logicos eminere credebatur in academiis, eius autem hodie memoria adeo euiluit, vt vix nomen et tituli librorum eius ſuppetant. Fuit autem Petrus Tateretus, quem alii Tartaretum vocant, philoſophus Gallus, eo tantum nomine notus, quod in PETRI HISPANI *ſummulas* expoſitionem ſcripſerat, quibus praecepta logicalia, in ſcholaſticis diatribis vſitata, luculenter et neruoſe comprehendiſſe credebatur, cuius editiones veteres recenſet continuator *Bibliothecae Latinitatis infimae* b. CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS [t]. Eſt inter eas etiam Wittebergenſis, ſiue, quod nomen praefert Albiori, in cuius titulo, iuſſu et expenſis Friderici III. electo-

f) Conf. B. I. HENR. MAII vita Reuchlini p. 145.
k) In orat. funebri in obitum Philippi Melanchthonis.
l) Ad calc. REVCHLINI rudim. L. Hebraeae 1506 libro rariſſimo.
m) §. 4. p. 16. ed. Carpz.
n) In annal. Sueu.
o) T. IV. p. 27. 28.
p) In chronico Carionis p. m. 1054.
q) Etiam omnium philoſophiae partium. id. ib.
r) Ad ann. 1564. Vtimur ed. Col. 1576. 8.
s) Bibl. Lat. med. T. IV. p. 311.
t) T. VI. 618.

Digitized by Google

electoris Saxoniae ſuaſu Martini Pollichii Mellerſtadii 1504. fol. edita dicitur. Nec alius liber eſt, quem ex mſc. recenſuit B. WOLFIVS [u], ex Nazarenorum lingua in Hebraeam conuerſus, quanquam ſe auctorem neſcire fateatur bibliographus Hebraeorum literarius. Vnde ex vtroque hoc exemplo conſtare poteſt, quanta in exiſtimatione fuerit iſta expoſitio logica: quae tantopere hodie euanuit, vt ne titulum quidem recte ſciant omnes; cum tamen et publicis nouae academiae lectionibus [v] deſtinatus fuerit et meruerit Iudaeis lingua Hebraea ex parte commendari: niſi haec fuerit particula *expoſitionis* Tartareti *ſuper textu logices Ariſtotelis*. Metaphyſicam quoque eius et ethicam quaeſtionibus moralibus expoſuiſſe obſeruat SCHOETTGENIVS [w]. Ceterum quam egregie ſe de noua academia meruiſſe viſus ſibi ſit Pollichius, quod hunc Scotiſticae philoſophiae theſaurum ſumtibus optimi principis recudi Albiori fecerit, ex dedicatione cognoſci, et indoles eius temporis, quod reformationem praeceſſit, intelligi poteſt. Exhibuit eam ELSWICHIVS [x]. Alium Petrum de Tartaris, abbatem Caſinenſem, in H. E. Sec. XVI. non ignotum ab hoc Petro Tartareto facile diſtinguit patria. Ille enim Romanus fuit, hic Gallus.

pag. 284. lin. 28. *Annotata a CAMERARIO.* Diligenter et non ſine iudicio practico in hac biographia Melanchthoniana ſcribenda verſatus eſt Camerarius, qui eius quoque characteres, moresque aptiſſime delineauit.

pag. 285. not. r. *in Cautelis pag. 89.* Legendum c. VI. §. 84. pag. 132. quo loco iniquus eſt in Melanchthonem Thomaſius aſſerendo eum ſub praetextu purgandae a Scholaſticis naeuis philoſophiae, ſcholaſticas nugas proprio auſu et opinione inter Lutheranos reuocauiſſe. Ex dictis enim manifeſtiſſimum eſt, totam ſcholaſticam ſtultitiam et dedecora Melanchthonem ex animo perhorreſcentem, eas ſordes abſtergere a philoſophia conatum fuiſſe, nec, quod ſcholaſtica deliria ſpirat, in philoſophia tolerauiſſe, adeoque a barbarie medii ſuique aeui, philoſophandi ſtudium apud Proteſtantes liberauiſſe; et caſtiores dicendi tractandique formulas introduxiſſe. Quam ei laudem eripere velle, veritatem et aequitatem violat. In eo magis culpandus Melanchthon, quod, cum naeuos iſtos omnes rite perſpexiſſet, alia et meliora ipſe dare, et audere noluerit ſapere

u) Bibl. Hebr. T. IV. n. 669. p. 826. quem neſciuiſſe, quis auctor Tartaretus ſit, miramur.

v) Laudat MELANCHTHON benignitatem Friderici electoris, quod eius cura iuuenturi academicae contigerit ſaluberrime eruditi, fonteſque ipſos artium ex optimis auctoribus hauriant. De corrig. ſtud. Decl. T. I. p. 496. fontem ergo logicum exhibebat Tartaretus. In cuius dedicatione elector impenſe praedicatur, quod inter theſaurus literarios Tartarerum, doctoris ſubtilis gloſſematarium haud ignobilem chalcotypis notulis imprimi fecerit, et in eo et famae ſuae et ſuorum eruditioni ſatis ſuperque humane conſuluerit. Sed reliqua quoque legenda ſunt, quae Elſwichius excerpſit, qui ſine dubio ex bibl. vniuerſitatis opus illud Tartareum praeſens habuit. de ſort. Ariſtot. in acad. Proteſtantium. §. II. p. 16 ſqq.

w) Adhaerent iſti expoſitioni ed. Witteb. conſ. ELSWICH. loc. citando.

x) Vid. §. 221. p. 415 ſqq.

ex se, sed in sectario studio philosophiam secundum Aristotelem tractandi substiterit. Ipse quoque Thomasius negare hoc loco [z] non potuit, scholasticam philosophiam per posticam in ecclesiam Lutheranorum intromissam deberi illi seculo, quo armis metaphysicis eius doctores contra Iesuitas dimicare coeperunt, quod Sec. XVII. ineunte, et post fata Philippi accidit [a].

pag. 286. lin. 21. *Ioachimus Camerarius.* Legenda hic sunt, de viri summi meritis in rem literariam philosophicam praeter ea, quae supra attulimus, ADAMVS [b] quoque et DAVID PFEIFFERVS [c], qui conatus Mauritii ducis emendandi statum philosophiae barbarum in academia Lipsiensi, per Melanchthonem et Camerarium pluribus enarrat, et duumuirorum horum diligentiam in curandis et aduocandis viris vndecunque doctissimis laudat. Inter hos viros doctos ad docendum bonas literas vocatos, fuere Bernardus Zieglerus theologus, Alexander Alesius, philosophus, Petrus Loriottus ICtus, Ioachimus Reticus, mathematicus, cui successit Ioannes Humelius. *Alexandrum* vero *Alesium natione Scotum*, ait, *fuisse disputatorem subtilem, non solum diuinis literis egregie doctum, sed et spinosae Scoti et Aquinatis disciplinae innutritum, et quaestiunculas, quas illi argutiis suis prosequuntur, artificiose dissoluere doctum.* Latius haec explicuit IACOBVS THOMASIVS [d], qui Alesium, cum vetustiore scholastico Thomae praeceptore non confundendum, integra oratione laudauit.

pag. 288. lin. 7. a fin. *Qui Zamoscii MDCIII. prodiit.* Alius hic iam scriptor nobis esse videtur, et a philosopho cognomine distinguendus sine dubio Simon Simonides, magni Io. Samoscii secretarius, cuius res literarias enarrat SIM. STARAVOLSCIVS inter *scriptores Polonorum* [e], vir poetica laude conspicuus. Tota vero historia literaria Simonii obscura et incerta est, et dubitamus nos vehementer, an ad professorem Lipsiensem omnia pertineant, quae de Simonis Simonii impietate et atheismo nobis reliquerunt Spizelius, Baylius, Baierus *ll. cc.* Quamuis enim sat atroces sunt, quae in caput eius cumulantur accusationes, facit tamen Simonii nomen, pluribus homonymum, et similibus cum Lucensi animi moribus, religionis inconstantia etc. maculis notatum, vt timendum sit, ne ob nominum confusionem quaedam huic tributa sint, quae ad alium spectant. Certe parum verisimilitudinis habet, hunc Lipsiensem professorem tantam nominis claritatem seruaturum fuisse, quanta is post mortem cluebat, si in vita tam nefarium Vertumnum, et atheismi patronum se exhibuisset. Decernere tamen certum tum ob dictas causas, tum ob insignem librorum horum raritatem, maxime eius, qui

de

z) §. 86. p. 131.

a) Pluscula huius generis paroramata in cautelis Thomasianis occurrunt, quibus in veritatem et fidem philosophicae historiae peccauit Thomasius vir cetera acutissimus. Vnde cautelae c. VI. probe ponderandae sunt, et eligendum e scoriis nonnullis aurum.

b) Lit. philosoph. Germ. p. 258 seqq. conf. Templ. honor. lit. Germ. Nostrum p. 90 sqq.

c) Rer. Lipsienf. L. III. §. 40. p. 381 sqq.

d) Orat. XIV. p. 300 sqq.

e) n. XCIX. p. 130.

Digitized by Google

de religione Simonis Simonii Lucenſis agit, quem in ſola bibliotheca Dreſdenſi Belerus inſpexit, et B. Spizelius noſter quoque poſſedit, tum ob acerbitatem et iniurias inimicorum eius, Bezae, Schegkii, Squarcialupi valde ſuſpectas impoſſibile iudicamus, et quae h. l. dicta ſunt examini virorum doctorum, quibus obuia iſta ſcripta Simoniana fieri forte poſſint, relinquimus. Ipſorum ſcriptorum Simonianorum elenchum exhibet *Bibliotheca Gesnero-Simleriana* [e], quae videnda, et de medicis eius libris conſulendus MERCKLINVS [f].

pag. 289. lin. 5. *Analyticam viam monſtrauiſſe.* Idem vſum CONRINGIO [g], qui monet: *Simonium omnium primum docuiſſe Lipſiam ἀριστοτελίζειν, eius quoque ſcripta arguere doctrinam viri, non profecto aliquam ex vulgo, ſed plane eximiam in philoſophicis et medicis.* Primum autem eorum Simonium non fuiſſe, qui in Lipſienſi bonarum artium mercatu, Peripatetice cum laude verſati ſunt, Camerarii et Aleſii exempla a nobis adducta demonſtrant. Vnde haec κατ' ἐξοχήν tantum intelligenda ſunt; recordandumque ne hanc quidem gloriam conceſſiſſe Simonio ſcholam Schegkianam, quae eius Peripateticiſmum multis modis lacerauit. Itaque diſtincte hic pronuntiandum eſt; Lipſia enim ab ipſo repurgatarum literarum initio Ariſtotelico philoſophari modo didicit, et libros eius ideo eulgauit [h], aſt ſolum tamen Ariſtotelem ſeruiliter ſequi noluit, et iuxta conſilium Melanchthonis, alios quoque conſulendos eſſe cenſuit. Teſtem damus HERMANNVM BVSCHIVM [k], ita de Lipſia canentem:

Quo nunc Democriti riſus, et cuncta ſilendo
Quae docuit Samii prouida cura ſenis?
Quo nunc Socraticae migrauit gloria mentis
Aut quo cum magno ſylua Platone ſuo?
Ipſae vbi nunc totae tandem celebrantur Athenae,
Aut Pallas Muſis concomitata ſuis?
Omnia nunc retinet haec Lips, et poſſidet vna
Lips inquam docti fama decusque chori.

pag. 297. lin. vlt. *Et inter praecipua ſcholae ſuae ornamenta numerarent.* Vt vno teſtimonio fidem faciamus, ita PICCARTVS [l] collega: *amiſimus incomparabilem illum virum Scherbium praeceptorem amantiſſimum. Si cum Catone virtus etiam mortua ducebatur, cum Scherbio pietas, medicina, philoſophia et virtus in cineres abibunt.* Sed allorum quoque eadem fuere de Scherbio iudicia [m], quae h. l. adduximus, et ex parte inueniuntur in *Epiſtolis Richterianis* [n].

pag.

f) p. 634. conf. iudicium CONRINGII in ep. ad I. Thomas. NELDELII inſtitut. O. A. praemiſſum, quo in theologicis non fortaſſis inoffenſo pede progreſſus eſſe dicitur.
g) Lind. renou. p. 679.
h) Ep. ad Iac. Thomaſ. praefixa NELDELII Inſtit. in Org. Ariſt.
i) Vid. LEICH. Orig. et increm. typogr. Lipſ. c. II. p. 13.
k) Epigram. L. III.
l) Intr. in art. medic. c. I. pag. 3.
m) Ea dabit BAIERI diligentia l. c. p. 16 ſqq.
n) Ep. Richter. p. 591.

Digitized by Google

pag. 306. not. h. lin. vlt. *Multa examinantur, noua et singularia nonnulla afferuntur.* Dignus libellus, qui a metaphysicae cultoribus euoluatur et consideretur, cum passim eclecticum Peripateticismum a communi cogitandi modo Aristotelico deflectentem exhibeat. Vnde grates debemus S. Reu. Feverlino x), quod libelli rarissimi nouam recensionem, apologiae suae pro Taurello adiecerit. Quoniam tamen exiguorum atque academicorum libellorum id fatum est, vt cito iterum euanescant, certe non in omnium manus veniant, exhibendas esse, speciminis philosophandi Taurelliani gratia sententias quasdam non a scopo praesentis instituti, historiam Taurelli perficere cupientis, alienum putamus. Ita vero decreuit Taurellus:

I. Philosophia est rerum diuinarum et humanarum ex innata nobis intelligendi vi certo rationum discursu acquisita notitia.

II. Ita in Aristotelis operibus versandum est, vt ea indicentur philosophis digna esse Christianis, quibus haec Dei nobis cognitio diuinitus reuelata confirmatur.

III. Logica est, quaecunque ad sciendi modum referuntur. Metaphysica non est scientiae, sed rerum scientia, et quidem non quarumuis; nempe summa hominis scientis perfectio, et omnium scientiarum finis.

IV. De veritate agere, nullius est certae scientiae, sed eius, quae sciendi rationem certis quibusdam praeceptis tradit.

V. De principiis et causis rerum dignoscendis et discernendis ratio quaedam communis logica est.

VI. Non sunt confundenda cognitionis et existentiae principia: vnde decernendum, sintne vniuersalia ideae, genera, species, numeri, rerum principia.

VII. Vniuersalium et singularium dignotionem per se et per accidens etc. vendicat sibi logicus.

VIII. Similitudinis item et oppositionis in rebus obseruandi modi sunt logici. Nullius enim rerum scientiae est, quod est omnium.

IX. Ipsa per se substantia, non ipsa eius accidentia physica sunt omnia. Iniqua limitatio est ἡ κινητὰ natura certe etiam est quiescentium, et quidem quatenus quiescunt.

X. Natura solis tribuitur corruptibilibus, etiam aeternis, agendi principium etiam est, ἀρχὴ κινητική.

XI. Materia nihil rerum est: non tamen est nihil. Estque eorum, quae ex se inuicem generantur.

XII. Si forma non est στοιχεῖον sed ἀρχή, an materia non est etiam principium? etc.

XIII. Physicis corporibus accidunt multa: quae suo quodam modo, ad substantias incorporeas etiam referri possunt. e. c. quantitas, qualitas, motus. XIV.

x) Vid. triumph. philos. P. I. praef. et P. III.

Digitized by Google

XIV. Corpora diuiduntur in coeleſtia et elementaria, haec vel ſimplicia ſunt vel compoſita.

XV. Corpora quaedam ſunt praeter corruptibilia, quae forte materiam non habent, aut non talem, hoc eſt γενητήν, ſed quae loco ſit mobilis.

XVI. Cuiuslibet ſphaerae proprium quoddam mouens eſt.

XVII. Conſtitui poſſunt tria genera prima entis: τὸ εἶναι, τὸ δύνασθαι, καὶ τὸ ἐνεργεῖν.

XVIII. Τὸ ἐνεργεῖν quemuis motum agentis et patientis denotat, quo etiam ſenſus, intellectio, varii cordis affectus et ipſe etiam ſubſtantiae vigor, quem vitam dicimus, referri poſſunt.

XIX. Τὸ δύνασθαι ſubſtantiae quaedam eſt διάθεσις, natura et proprietas, ob quam agere vel pati poſſit; haec inter eſſe et operari medium quiddam eſt.

XX. Mens vniuerſalia facit et ſuſtinet, cui etiam dicuntur ineſſe.

XXI. Potentia duplex eſt, eſſe poſſe, et poſſe operari.

XXII. Simplex neceſſitas nullam admittit potentiam.

XXIII. Actus eſt potentiae praecedentis poſterior perfectio.

XXIV. Per motum intelligi poteſt omnis agentis aut patientis ἐνέργεια.

XXV. Ex nihilo nihil fit naturaliter, quid hoc ad metaphyſicam?

XXVI. Si fiant formae, etiam ſint, quae ante non fuerunt, neque generantur tamen, propterea quod ex materia non fiant, cur abſolute dicitur, quicquid fit, ex materia fieri: non licet generationem hanc dicere.

XXVII. Qui negant, ex nihilo nihil fieri poſſe, non volunt, illud eſſe cauſſam, ſed afferunt efficientis hanc eſſe impotentiam, ſi nihil facere poſſit, niſi ab alia cauſſa, materiali videlicet, adiuuetur. Efficiens cauſſa ſola ſufficiens eſt ad effectum producendum, ſi potentiam habet infinitam.

XXVIII. Deus, homo et natura efficientes rerum cauſſae ſunt.

XXIX. Propria rei cuiusque natura motuum ſuorum cauſſa eſt.

XXX. Finales rerum cauſſae tot ſunt, quot ipſarum ſunt rerum genera: nam vniculque ſubſtantiae ſua quaedam eſt ἐνέργεια, et finis quo perficiatur.

XXXI. Bonum a rebus ipſis nullo modo ſeparari poteſt, nam et ipſum eſſe, et ipſum poſſe, et ipſum operari per ſe bona ſunt, vt omnibus hiſce malum neceſſe ſit accidere.

XXXII. Omnem quantitatem eſſe diuiduam, impudens eſt poſtulatum.

XXXIII. Praeter infinitum loci et infinitum temporis, aliud eſt infinitum actu, ſubſtantia videlicet vna, quae cum a nullo ſuum eſſe acceperit, caetera omnia condidit, quae antea non erant.

XXXIV. Tempus aeternitatis pars eſt, numero motus definita: vt ſi quae ſit temporis eſſentia, non alia certe ſit, quam aeternitatis.

XXXV. Aeternitas eſt durationis, vitae motus vel perſiſtentiae ſpatium, ſicut locus et ſuſceptionis.

XXXVI. In aeternum multa perſiſtent, quae nulla neceſſitas ſed Dei voluntas aeterna faciet.

XXXVII. Abſurdum eſt in aeternis ponere nihil praeter fatum et ſimplicem neceſſitatem.

XXXVIII. Locus eſt pars quaedam infiniti cuiusdam ſpatii.

XXXIX. Deus quidem ab aeterno aeque potens fuit, ſed potentiam praecedit neceſſitas. Quiduis poteſt Deus, at non abſolute, nempe ſi non obſtet neceſſitas. Vnum autem hoc eſt ex neceſſariis, vt quicquid extra ſe facit Deus, aliquando faciat, non ſemper: nam quae ſemper facit, ea non poteſt non facere.

XL. Mundus non fuit ab aeterno, et multis rationibus euinci poteſt.

XLI. Factus eſt mundus aliquando, cum ab aeterno non fuerit; et quidem ab efficiente aliquo factum eſſe oportuit, quod ſpecie et eſſentia diuerſum fuerit, et quod virtute praeditum fuerit immenſa. Ex nihilo factus eſt, cum antequam fieret, materia fuerit nulla.

XLII. Solius Dei eſt, vt mundus vel pereat aliquando, vel ſuperſit etiam in aeternum. Nos itaque nolle Deum cenſemus, vt ſemper ſit.

XLIII. Omnium hominum communis haec eſt ratio et natura, vt in aeternum produci nequeat haec hominum generatio.

XLIV. Hominis cauſſa mundum eſſe factum conſtat.

XLV. Homines fecit Deus, vt in aeternum perſiſtant. Ea enim in aeternum perſiſtunt, quorum finis eſt absque fine.

XLVI. Neque anima ſola ad hominis vitam Deique contemplationem eſt ſatis, quia natura eius ita comparata eſt, vt absque corpore nihil poſſit.

XLVII. Vt ergo in aeternum viuant homines, neceſſe eſt, ſuum cuique animae corpus reſtitui.

XLVIII. Daemones ſunt finitae ſubſtantiae, ideo alicubi ſunt, nec vlli tamen loco affixi, quin, quo volent, ferri poſſint quam celerrime.

XLIX. Sub variis formis conſpiciuntur, et a Deo conditi ſunt ante mundi creationem.

L. Felicitatis propriae cauſſa conditi ſunt, quam aſſequuntur Dei et operum eius contemplatione. Haec contemplatio pietate perficitur, id eſt, amore Dei et digna celebratione.

LI Habent inter ſe ſocietatem, et poſſunt audire et loqui, cuius tamen modum ignoramus.

LII. In res naturales varie afficiendas vires habent admirandas, vt ex miraculis et magicarum artium effectis conſtat.

LIII. Falſum eſt ratiocinium, Deum eſſe, quia coelum mouetur. Certius, nullum eſſe infinitum cauſſarum ordinem.

LIV.

Digitized by Google

LIV. Deus rerum omnium prima eſt cauſſa et ſuperiorem agnoſcit nullam, cuius ipſe ſit effectus. Infinitus ergo eſt, ab aeterno fuit.

LV. Aliud eſt, Deum eſſe Deum, et Deum eſſe cauſſam, nam illud quod agit, vt Deus eſt, non poteſt non agere, ſimplex haec eſt neceſſitas: illud vero, quod agit, vt cauſſa eſt, agere poteſt, et poteſt non agere; haec potentia et voluntas eius eſt.

LVI. Deus non eſt conſtituens ſed efficiens rerum cauſſa.

LVII. Deus eſt neceſſario, ſed non propter mouendum coelum. Eſt item feliciſſimus et omnipotens.

LVIII. Vnus eſt Deus, non plures.

LIX. Vnius ſunt, non plurium infinitas, aeternitas, vbiquitas, neceſſitas. Caetera finita ſunt omnia.

LX. Nihil eſt, cuius Deus cauſſa non ſit.

Habes Lector, ſyllogen Taurellianam, ex multis eo fine hoc collectam loco, vt nouum aliquod Peripateticiſmi recentioris meteorum tibi exhiberet: nempe metaphyſicam Peripatetico-eclecticam. Nam cum totum ordinem metaphyſicum Ariſtotelis ſequatur, vbiuis fere, locis in margine adductis oſtendit, quid vel temere, vel falſo ab Ariſtotele aſſertum, quid emendandum, quomodo melius explicandum, quid ad rationes quoque theologicas applicandum in hoc ſyſtemate ſectario-eclectico, ſi dicere fas eſt, obſeruandum ſit. Acuta pleraque et ad examinandam et denudandam metaphyſicam Stagiritae aptiſſima, ſed quaeſtionibus tantum et problematibus expreſſa, ad quae reſpondere omnemque metaphyſicae rationem manifeſtam peculiari opere dare auctor conſtituit. Difficile itaque eſt, magnamque attentionem poſcit, vt Ariſtotelea a Taurellianis ſententiis diſtinguantur. Prolixiora qui cupit, ei ipſe libellus adeundus eſt, in cuius locis ſaepius obſcuris et difficilibus multam interdum lucem affudit cel. FEVERLINVS [o]. Sunt quoque in hoc ſyſtemate Taurelliano nonnulla, quae cum hodiernis quorundam placitis merentur comparari. Verum hanc prolixitatem pagina noſtra refugit.

pag. 308. lin. 18. *Quamuis maiori cum quiete et ſecuritate.* Pungere videtur ſcholam Altdorfinam in genere et partes Scherbii diſciplinam ſectantes in ſpecie [p], quae hanc Taurellianam iudicandi et carpendi Ariſtotelem licentiam ferre non potuere [q]. Inde enatae optimo viro calumniae et inſultationes, contumeliae quoque vellicantes, obiecta Raml nouaturientis impietas, et tandem atheiſmus: quibus omnibus, quae enarrat biographus [r], effectum eſt, vt ſcholae quoque eius fierent ſuſpectae

o) In annot. in fine paginae adiectis.

p) Probauit id B. BAIERVS ex ep. inſ. I. C. Durrii prof. Altdorf. ad Iacobum Thomaſium, p. 4. not. (*).

q) Ibid. p. 5.

r) Ibid. Vidit id REIMMANNVS, in Cit. cr. Bibl. ſuae T. I. p. 1103. obſeruans, philoſophos eius aeratis multa in eum eſſe ementitos, quem odio habebant, quod iugum Ariſtotelis docebat eſſe excutiendum eclecticamque philoſophandi viam ſequendam, et inueteratos in philoſophia errores diſpungendos.

Digitized by Google

et discipuli ad alios dilaberentur. Ipse Schegkius, quamuis Taurelli patronus, improbauit, quod ingenium aduersus Aristotelem exercuerit, et oculi pupillam petierit.

pag. 311. lin. 21. *Taurelli obscuritatem in caussa fuisse.* Nec sibi, nec auditoribus γνησίοις obscurus erat philosophus Altdorfinus, sed illis tamen, qui notionibus et definitionibus Aristotelis assueti, eum ab harum significatione multoties abeuntem non intelligebant, nouasque eius terminorum Peripateticorum determinationes ignorabant, cum et disputandi modo et dicendi praecisione eos haud raro absconderet. Id quod nobis quoque cum Taurelliana scripta prima vice legeremus, euenisse recordamur, et aliis quoque accidisse non miramur. Huius obseruationis qui experientiam cupit, eum vel solas positiones metaphysicas intueri iubemus, et attente considerare, quae moneri de iis posse B. Reimmannvs putauit, ast cum toto eius systemate supra enarrato comparanda sunt, vt intelligatur, mutatis saepenumero definitionibus Aristotelicis, nouas determinationes Taurellum substituisse, reuera magis παραδοξοφιλεῖν τας quam paradoxas.

pag. 314. lin. 21. 22. *Sine dubio quod Polonorum multi iuuenes nobilissimi Altdorfium studiorum caussa accedere solerent.* Audiendus de hac nobilioris iuuentutis Polonicae frequentia in academia Noricorum Nic. Tavrellvs, qui libros *de coelo*, filio Zenowicii Palatini Brescienſi inscripserat. Vbi inter alia *hanc fere nobilium Polonorum, vt Italorum, laudem esse*, ait, *quod philosophiae, quam iuri malint incumbere, et multos nobiles ex hac gente laudat, quos habuit conuictores, illustres ac generosos, honestos et vere nobiles.* Qui cum in Peripateticorum subsellis consedissent, haberentque viros acutos et doctos, qui eorum mores et studia moderabantur, caussa inde deriuari potest, quomodo Peripatetica eruditio etiam in Sarmatiam descenderit.

pag. 316. lin. 9. *Commentarius eius in metaphysicam.* Addidit editor in calce dissertationem, an angeli sint corporei, cum haec sententia arrisisset Sonero, quem rationibus Peripateticis euersum iuit. Sed aliter Sonerus statuere non poterat, notionibus Aristotelis de materia impeditus. Statuit autem de daemonibus philosophus Altdorfinus [1], et esse Daemonas et esse substantias intelligentes, esse, quia substantiae sint, a se inuicem et a prima distinctae, corporibus vestitos, quia, si materiam non haberent, non essent multa numero. Quae postea multis rationibus Peripateticis munit, et secundum eas explicat, et ad doctrinam S. Scripturae applicat: quae hoc loco latius persequi haud licet, et vna negata definitione Arist. concidunt.

pag. 320. lin. 8. a fin. *Supra humanae mentis conditionem comprehendere posse.* Non plane dissimile vero nobis videtur, talia dixisse et statuisse Martinium. Visum enim Peripateticis eius temporis, quia Aristotelicam philo-

1) Comm. in libr. metaphys. Arist. L. XII. p. 662 seqq.

Digitized by Google

philoſophiam ſub vmbra reuelationis creſcere cupiebant; Vnum eſſe finem, vt ab vno omnia diriguntur, vt ad Deum cuncta referantur, et noſtra in Dei cognitione et celebratione perfectio perſiſtat. Huius autem cognitionis veram rationem ex ſacris literis certo conſtare; aſt huc quoque omnem philoſophiae, maxime metaphyſices virtutem reuocandam eſſe, vt hunc ſcopum adiuuet; eius autem promouendi hanc rationem eſſe, vt, quae de Dei eſſentia et attributis ex philoſophia diſci poſſunt, fundamenti loco ſint, quibus veritates reuelatae applicentur. Idem, niſi fallimur, ob oculos habuerunt, qui inter articulos fidei puros et mixtos diſtinctione facta, notiones metaphyſicas e. g. de Deo eiusque eſſentia et attributis ſubiiciendas eſſe reuelationi ſtatuebant. Ita ſtatuiſſe TAVRELLVM [f] ſupra obſeruauimus. Quibus ſuppoſitis cum abſtractiſſimam entis notitiam ſuppeditare philoſophiam crederent, doctrinam de vno et bono, velut nucleum theologiae omnis ſuppoſuerunt, concipiendam et firmandam eſſe. Quo pacto, etſi magnam limitationem ea res habeat, certum tamen eſt, Arnoldum et ſequaces, inuidioſius, quam par erat, in horum hominum, male de Deo et reuelatione non cogitantium ſententia explicanda, verſatos, neſciuiſſe, quid Peripatetici philoſophi his ambitioſis ſententiis ſibi velint, et an monſtra lateant.

pag. 324. lin. 28. *Ea tantum ſeligimus, quae inſtituto noſtro conueniunt.* Alio, eoque literario, ſcopo deſcripſimus magni polyhiſtoris vitam atque merita in *templo honoris literaturae Germanicae* [g], vbi ſtrictim quidem, aſt ſatis plene ea adduximus, et teſtimoniis roborauimus, quae ad hiſtoriam eius literariam in genere pertinent. Quae cum hiſce noſtris comparanda et conungenda ſunt. Dederunt etiam biographiam Conringianam memoriae literariae NICERONIANAE [x], ſed breuem, catalogum autem ſcriptorum Conringianorum ſatis plenum et perfectum. Perſonatum CLARMVNDVM [y], qui alios ante ſe ſatis negligenter exſcripſit, vix eſſet, cur hoc loco nominemus, niſi is ab alio adiutus rerum Conringii valde gnaro meruiſſet cum reliquis conferri.

pag. 325. lin. 10. 11. *Hiſtoricas narrationes feliciter tenuit.* Vſus autem eſt hodega ABRAHAMO BVCHOLZIO, cuius in *indice chronologico* filum ſecutus eſt.

pag. 333. lin. 18. *Priuatae lectoris induſtriae relinquimus.* Multos in hanc rem adducit CLARMVNDVS, qui etiam Sarckmatianum de Conringio iudicium SAM. SCHVRZFLEISCHII repetiit. Paucis multa et magna de eo dixit HENRICVS MEIBOMIVS, in epitaphio digno, quod hic quoque de tanto Germaniae noſtrae ornamento legatur: *hoc tumulo clauditur regum principumque conſiliarius, iuris naturalis, gentium, publici Doctor, philoſophiae omnis peritiſſimus, practicae et theoreticae, philologus inſignis, ora-*

f) Vid. praef. ad Metaphyſ. et FEVERLINVM ad h. l.
g) Dec. IV. p. 159 ſeqq.
x) T. XV. p. 214 ſeqq. ed. Germ.
y) CLARMVNDVS P. V. biograph. p. 101.

tor, poëta, hiſtoricus, medicus, theologus. Multos putas hic conditos. Vnus eſt HERMANNVS CONRINGIVS, ſeculi miraculum. Poſuit Henricus Meibomius. Cui ſubſcribit quisquis magnorum virorum merita cenſet immortalia.

pag. 333. lin. 12. *Quamuis enim aduerſariis non caruerit.* Conferenda hoc loco recenſio Opp. Conringii, quam ſuae biographiae ſubnexuit CLARMVNDVS, qui occaſionem harum contentionum non reticet.

pag. 334. lin. 19. *Et vbique accuratam philoſophicae hiſtoriae cognitionem.* Vbique fere eius ſpecimina ſpargit Dreierus, maxime vero multis in locis manifeſtum fecit, omnem fere Peripateticae hiſtoriae campum eum percurriſſe. Cuius exemplum in ea aetate ſatis memorabile eſt *diſſertatio I. philoſophiae primae*, quae *de origine et progreſſu philoſophiae* tractat. Quanquam enim, tantum abeſt, vt totius, quod titulus promittit, philoſophicae hiſtoriae ambitum complexus ſit; vt ne primorum quidem capitum ſummam tetigerit, fallanturque, qui ſe philoſophicae hiſtoriae compendium in hac prima primae philoſophiae diſſertatione deprehenſuros ſperant; negari tamen nequit, auctorem Peripateticae philoſophiae hiſtoriam luculenta tractatione expoſuiſſe, et, praemiſſis philoſophiae Graecae incunabulis, attuliſſe pleraque, quae ad noſcendam et commendandam philoſophiam Peripateticam conferre aliquid poſſe iudicauerat. Hunc enim ſibi finem eius ſcriptionis eſſe faſſus eſt, vt *hanc Ariſtoteli laudem tribueret, quod exacte tractauerit philoſophicas ſcientias, quod inſtrumenta eorum primus elaborauerit perfecte, et vſum eorum cognouerit, quodque, iudice Auerroë, nullus poſteriorum philoſophorum vſque ad praeſens tempus potuerit ſcriptis eius aliquid addere, vel etiam aduerſum ea aliquid proferre, quod ſit alicuius momenti et conſiderationis.* Quae tamen potuiſſe virum doctum ſcribere, eo magis miramur, quo certius nobis ex hac hiſtoriae philoſophicae compendio conſtitit, legiſſe eum PATRICII *diſcuſſiones Peripateticas*, et in vſus ſuos eas conuertiſſe. Aſt tanta erat apud illum philoſophiae Ariſtotelicae admiratio, vt crederet, id vnum eius perfectioni deeſſe, vt a ſcoriis ſcholaſticorum philoſophorum purgaretur. Itaque quam magnis encomiis in praefatione ornat, philoſophiam Peripateticam ideo ſe elegiſſe fatetur, et *preſſius*, ait, *optimum philoſophum fuiſſe ſecutum, quod ex hoc fonte primum manarit philoſophia in eoque multo liquidius et purius fluat, quam in aliorum plurimorum lacunis et ciſternis.* Quibus ita inſiſtit, vt ſana fere omnia et primas veritates continentia exiſtimet, quae prima philoſophia Ariſtotelis ſuppeditat. Quae nollemus quidem viro tantae eruditionis arriſiſſe, ſicque illum prodidiſſe, quam male praeparatum pectus habuerit ad ſuſciplendam veram ſapientiam, fatemur tamen, inter interpretes Ariſtotelis non ignobilem ei deberi locum, excuſamus quoque virum bonum multaeque literaturae Peripateticae, quod ex eius ſeculi praeiudicio crediderit, feliciter contra Ieſuitas aliosque aduerſarios pugnari non poſſe, niſi ex armamentario Peripatetico.

pag.

pag. 335. lin. 10. *Quem ex libri titulo nemo ſibi promiſerit.* Legenda eſt erudita illius libri polemici praefatio, quae hiſtoriam criticam viae examinis, ſuis legibus munitae pandit, plurimaque ſpargit, ad cognoſcendam veterum methodum plurimum facientia, multamque eruditionem veterem et Peripateticam redolentia.

pag. 336. lin. 3. *In lucem editus eſt.* Enarrauimus, praeter memoriam Incomparabilis polyhiſtoris, hiſtoriae philoſophicae noſtrae inſertam, eius res literarias etiam in *templo honoris literaturae Germanicae*, quae cum iſtis conferri ab illis poſſunt, qui noſtram vernaculam intelligunt.

Ibid. lin. 6. a fin. *Quam vere veteris literaturae pronus condus fuerit.* Hoc non ita intelligendum eſt, ac ſi recentioris literaturae notitiam minus magnam habuiſſet. Contrarium enim euincunt eius meletemata literaria, orationes, praefationes, diſſertationes, plenae rarae lectionis veteris et nouae, maxime vero elegantes diſſertationes de *plagio literario*, de *indicibus librorum prohibitorum*, de *foeminis eruditis*, de *vagantibus ſcholaſticis* etc. in quibus, quantam lectionis iudicio acri ſuſtentatae copiam poſſederit, vberrimis exemplis manifeſtauit, plauſumque orbis eruditi meruit. Sed eminebat tamen veteris ſapientiae omnis, et imprimis philoſophicae abundantiſſima cognitione, quam et plurima atque vaſta lectio ſuppeditabat, et iudicium acerrimum et in nexus ſyſtematum cauſſasque doctrinarum intime penetrans fulciebat, et exercitatio dies noctesque in his literis verſata porrigebat. Quo meruit in eorum Peripateticorum numero collocari, qui πολυϊςορίας laude olim allorum lumina obfuſcarunt, et ex quorum ſcriptis et inſtitutis, iudice CICERONE [z], *cum omnis doctrina liberalis, omnis hiſtoria, omnis ſermo elegans ſumi poterat, tum varietas tanta erat artium, vt nemo ſine eo inſtrumento ad vllam rem illuſtriorem ſatis ornatus accedere poſſet.* Id quod non noſtra tantum experientia edocti fatemur, quibus non pudor eſt, a tantae doctrinae viro in hiſtoria philoſophiae dogmatica et critica omnium plurimum didiciſſe fateri; ſed iudicauit quoque diſcipulus Thomaſii γνήσιος illuſtris Leibnizius, cuius ad B. Wolfium, theologum Hamburgenſem verba [a] non poſſumus non hoc loco adſcribere, cum iuuando philoſophicae hiſtoriae ſtudio inſigne pondus addant. *Tua ſemper licet tacitus, vt par erat, eo magis aeſtimaui, quo pauciores hodie eſſe video, qui veterem doctrinam colant. Sententias philoſophorum Graeciae et antiquae eccleſiae doctorum, ex ipſis elici fontibus ſtudium eſt, quod mihi vtile videtur, ad pondus dandum nouis veritatibus, quae plerumque antiquis conſpirant. Itaque valde applaudebam olim iuuenis Iacobo Thomaſio, inſigni viro, qui hiſtoriam non tantum philoſophorum, ſed et philoſophiae mihi tractare videbatur.* Et alio loco ad ipſum Thomaſium [b], *tuum illud hiſtoriae philoſophicae γεῦμα, dici non poteſt, quam omnibus ſaliuam mouerit; apparet enim, quantum inter nudas nominum recenſiones, et pro-*

z) De finib. L. IV. a) Epiſtol. T. I. p. 870. b) Tom. II. p. 181.

Digitized by Google

et profundas illas, de sententiarum connexionibus rationes interfit, certe quot-quot rerum intelligentes de specimine tuo loqui audio, (scis me nihil auribus dare) ii vnanimiter asseuerant, a nemine vno integrum historiae philosophicae corpus potius expectari posse. Plerique alii antiquitatis magis, quam artis periti, vitas potius, quam sententias nobis dederunt. Tu non philosophiorum, sed philosophiae historiam dabis. Itaque nunquam nos poenitebit ad tantum exemplar nos in hoc literarum genere studia et labores nostros composuisse, et de philosophiae historia sapere didicisse.

pag. 337. lin. 11. *Qui inter lucem et tenebras paciscuntur.* Probe videbat, intempestiuum hoc studium veterum sententias et systemata inter se conciliandi non veritati tantum officere, sed eam multoties euertere. Quod vtinam a tam acris iudicii viro sibi dictum putarent, qui malesana veteris philosophiae conciliatione cum sacris doctrinis diuinam religionis Christianae veritatem magis produnt, quam iuuant, dumque inde illi patrocinium quaerunt, vel suis potius partibus colorem et patrocinium affectant, vel sacram doctrinam et philosophicam historiam corrumpunt: cuius exemplum nouissimum habebunt, qui nuperi anonymi *historiam Eclecticissimi* sine partis studio examinare cupiunt. Qui si vel vnius Thomasii *origines historiae philosophicae et ecclesiasticae* attente legisset, et ex iis naeuos veterum rectius inspexisset, et rectius de veterum opinionibus iudicium tulisset. Sed perhorruit ille protestantium labores in hoc studio, quod ex lacunis, quam fontibus haurire maluit. Verum haec obiter.

pag. 338. lin. 6. *Id quod accurate perfecit.* Audiendus ipse polyhistor acutissimus, ita differens de ratione studiorum suorum: *potest et ille, qui veteres indagat historias, moribus tamen praesentibus viuere. Non placent mihi nouationes, sed nec displicuit vnquam antiquitatis notitia. Quam ita mihi seruo, vt ad ingenium seculi me interim componam in iis, quae et ferri possunt absque noxa capitali, et mutari non possunt absque conuulsione status literarii.* Nempe praeuidebat vir cautus eas in reformatione philosophiae conuulsiones, quas vocat, euenturas, quas historia magni filii eius nos post fata parentis ostendit.

Ibid. lin. 3. a fin. *Quam a filio factum.* Immo maiori; quia a philosophiae historia multo paratior erat, quam filius; sine qua tamen difficulter procedit eiusmodi emendatio. Non tamen sine philosophiae emolumento euenit, vt praestantissimae patris obseruationes in filii manus deferrentur, qui ad emendandum inter Germanos philosophiae studium feliciter eas adhibuit. Adiecit is *Originibus historiae philosophicae*, libello bonae frugis pleno, et clauis instar ad referanda multa veteris historiae philosophicae et ecclesiasticae mysteria adhibendo, editor filius: *Indicem in B. Iacobi Thomasii meditationes mſc. varii generis, magnam partem ad historiam philosophicam et ecclesiasticam pertinentes*, ex quorum titulis et argumento constare de πολυϊστορίᾳ beati viri abunde potest. Quamuis enim pleraque affecta magis, quam elaborata sint, adeoque edi in lucem non satis

Digitized by Google

satis digne auctoris sui nomine et fama possunt, attamen infinitam testantur colligentis industriam, lectionis copiam, secernendi accurationem et iudicium: de quo periculum lector ex iis facere potest, quae filius *observationibus Halensibus literariis* et *historiae sapientiae atque stultitiae* inseruit, quae nunquam nos legisse et relegisse sine iucunditate recordamur.

pag. 340. lin. 5. 6. a fin. *Parum tamen comta et accommodata ingeniis eius temporis illa philosophandi ratio visa est.* De caussis, cur a reformatoribus philosophiae recentioribus, Aristotelis philosophia Platonicae praelata sit, disquirere, argumentum est, momentis in historia philosophica compluribus commendatissimum, et formando iudicio practico de seculorum XV. XVI. XVII. nostrique fatis philosophicis aptissimum. Ast prolixam et diligentem tractationem postulat, ab hac, qua in hoc H. C. P. appendice circumscribimur paginarum paucitate, alienam, et non nisi integra dissertatione a viro in vtriusque philosophiae mysteriis eorumque historia versatissimo, et multorum annorum vsu exercitato, a praeiudicio autem auctoritatis et imprimis sectae partisque ecclesiasticae, libero, nec fulmina Tarpeja metuenti potest expectari. Qualem bonis literis et ipsi quoque ecclesiae vtilissimum futurum, vt aetas vel nostra vel secutura prodeuntem videat, eo magis optamus, quo maior lux hactenus affulsit ingeniis, et libertas rediit pie et circumspecte sed ex vero sentiendi orbi literario, adeo vt magis felicior, quam olim veritatis via adiri possit. In qua nos praeluxisse aliquantisper [c] eo magis gaudemus, quo laetiores successus hodie habet historia philosophica. Interim, dum talem tractationem expectamus, legendam commendamus Lectori eruditam et cordatam *praefationem* Io. Baptistae Crispi ad librum *de ethnicis philosophis caute legendis*, ex cuius scriptoris ecclesiae Romanae placitis addictissimi confessione et demonstratione intelligi potest, quam male de Platone, et seductis ab eo Dd. Christianis statuendum illi visum sit, quasque causas habuerint viri docti, vt a restituta in Italia via Platonica iterum resilirent, mallentque ad Lyceum, quam ad Academiam diuertere. Dolemus tantum adeo rarum hoc opus esse, vt paucissimorum oculis occurrat [d], quod si legisset, vel inspexisset, qui nostra allatrauit, Anonymus Gallus, vidisset, in ipsa Vrbe, sub auspiciis cardinalis Farnesii, eandem exspirante Sec.

c) Seq. §. 62. p. 348. vbi tamen summam tantum argumenti illius memorabilis exposuimus.

d) Librum hunc inter rarissimos eminere suo iam tempore obseruauit Mar. Mersennvs in obseruationibus in Fr. Georg. Veneti problemata in Genesin p. 430. suffixis comm. eius in Genesin. Magnis vero librorum heluonibus non visum; obseruauit, eumque recensuit Heumannvs act. phil Vol. I. p. 811. qui tamen errat, eos reprehendendo, qui titulum libri praescribunt: de ethnicis philosophis caute legendis, ideoque de Platone caute legendo inscribendum esse monet. Quanquam enim verum est, de solo Platone caute legendo egisse Crispum, non attendit tamen vir doctus, hoc volumen tantum exhibere Quinarium primum operis ingentis, quo aliorum quoque philosophorum dogmata erat examinaturus. Nam de Aristotele quoque caute legendo tr. promittit p. 54. 164. 409. de Plotino c. l. p. 36. 61. 63. 442. de Proclo p. 36. 183. de Hermete, Iamblicho, Porphyrio p. 36. quae in spongiam incubuisse valde dolemus.

Sec. XVI. de PP. ad Platonismi fauorem seductis, sententiam obtinuisse, quam in protestantibus suggillandis et confutandis sibi propositum habuit, parcius ista viris obiecisset, qui sine fuco, sine fumo philosophiam antiquam inspexerunt. Ad Crispum itaque eum ablegamus, suae communionis ecclesiasticae hominem descripturi propter insignem raritatem et eruditionem haud vulgarem ipsam totam praefationem, si intra limites nostrae scriptionis posset concludi. Aliam vero eius communicandae occasionem expectamus.

pag. 342. lin. 11. *Hunc raro falli solere, raro falli statuebat.* Pro *falli* priore loco legendum, fallere.

pag. 346. lin. 8. *Odium et contemtus inde natus est.* Nempe ex actionibus hominum magnis vitiis eminentium, de philosophia iudicabant illi, quorum intererat, christianae religionis seueritatem principiis philosophicis euerti. Itaque dicis gratia religionis nomen et ad euitandam censuram ecclesiasticam muneribus et stipendiis grauem et periculosam, vnam subiectionis suae ecclesiae iudicio praetendebant.

pag. 346. lin. 15. *Quod plurimis ex Italia profugis accidit.* Testis est historia ecclesiastica seculi XVI. et comparanda cel. GERDESII liber posthumus, quem *specimen Italiae reformatae* inscripsit.

Ibid. lin. 11. a fin. *FICINVS testis est.* Audiendus ipse est, cum tantum non supra veri speciem ista impietas fit, quam toti orbi Peripatetico obiicit. „Scribit enim, se ideo in Platone et Plotino traducendis et ex„planandis laborauisse, vt hac theologia in lucem prodeunte et poëtae „desinant gesta mysteriaque pietatis impie fabulis suis annumerare, et „PERIPATETICI QVAMPLVRIMI, IDEST, PHILOSOPHI PENE OMNES ad„moneantur, NON ESSE DE RELIGIONE SALTEM COMMVNI TANQVAM „DE ANILIBVS FABVLIS SENTIENDVM. Totum enim ferme terrarum „orbem a Peripateticis occupatum in duas plurimum sectas diuisum esse, „Alexandrinam et Auerroicam. Illos quidem intellectum nostrum mor„talem existimare, hos vero vnicum esse contendere, vtrique religionem „omnem funditus aeque tollere, praesertim, quia diuinam circa homines „prouidentiam negare videantur, et vtrobique a suo etiam Aristotele „defecisse. - - Istam autem detestabilem Italiae impietatem talem esse „refert, vt eum a vero longius errare iudicet, qui putet, tam diuulgatam „impietatem, tamque acribus munitam ingeniis sola quadam simplici „praedicatione fidei apud homines posse deleri". Quae vt veritatem eorum, quae adduximus, extra dubitationem ponunt, ita detestabilis atheismi et illusae auctoritatis ecclesiae Italiam Peripateticam accusant.

AD

Digitized by Google

AD CAPVT QVARTVM.

DE RESTAVRATORIBVS PHILOSOPHIAE PYTHAGOREO - PLATONICO - CABBALISTICAE.

pag. 357. lin. penult.

Praefixis ab eo praefationibus diſcitur. Potiores vitae ſuae circumſtantias, ſtrictim quidem tetigit ipſe Reuchlinus in *Epiſtola ad Dionyſium fratrem* praefixa primae editioni *rudimentorum Linguae Hebraeae Phorcae in aedibus Thomae Anshelmi 1506. fol.* [a] excuſae, quam ob inſignem raritatem inter reculas noſtras ſeruamus. Subiuncta ſunt inſignia Capnionis cum inſcriptione: *Io Reuchlin Phorcens. Doctor iuris Comes Palatinus Lateranus, Sicambrorum legis Tacitus, et Sueuiae Triumuir.* Poſt hunc epiſtolis magni viri et reſtauratoris literarum in Germania locus in eius hiſtoria dandus eſt, et adiungenda PHILIPPI MELANCHTHONIS declamatio de vita Reuchlini, qui eum affinem et ex parte praeceptorem habuit resque eius optime ſcire potuit. Hos poſtea ſecuti ſunt plurimi, nam nemo fere intactam hiſtoriam tam memorabilis in eccleſia orbeque literario viri reliquit, qui vel acta eccleſiaſtica, vel literarios annales ſurgentis ſeculi XVI. conſcripſit. Ex iis complures et potiores alibi [b] nominauimus, et in vernacula noſtra eam literatis vicibus expoſuimus [c]. Indicauit multos quoque, qui Capnionis hiſtoriam tetigerunt, B. I. CHR. WOLFIVS [d]. Et ſingulari quidem diligentia huius viri hiſtoria digna eſt, eo quod et meliorem literarum ſenſum, et literarum Graecarum et Hebraicarum ſtudia primus e puluere inter noſtros reſuſcitauit. Quae tamen cum ad philoſophiae hiſtoriam non pertineant, hoc loco attingi non potuerunt, ſed id tantum caput hiſtoriae Reuchlinianae a nobis enarratum eſt, quod diligentiam eius in reſuſcitanda philoſophia Platonico-cabbaliſtica exercuit, reliquis fere praetermiſſis.

pag. 358. lin. 10. *B. IO. HENR. MAIVS.* Meretur iſta biographia ab iis legi, qui origines reſtitutarum inter Germanos literarum noſſe cupiunt, quas vir doctus magna diligentia et accuratione tetigit. Vnde dignum eum librum cenſuit IOANNES CLERICVS [e], quem more ſuo nitido compendio deſcriberet. Pluſcula etiam de Reuchlino adduxit IACOBVS BVRCKHARDVS [f] hiſtoriae literariae tanti Sueuiae noſtrae ornamenti lucem foenerantia, quae in erudita eius temporis hiſtoria non debent praeteriri. Tacemus *hiſtoriam literariam reformationis*, ab HERMANNO VON DER HARDT conditam, qui rariſſimos Reuchlini libellos inſeruit,

a) Vid. GERDESIVS flor. libr. rar. p. 240 ſqq.
b) T. V. Q. q. ex H. P. Germ. ſcriptis p. 553 ſq.
c) In Templo honoris literar. Germ. p. 41.
d) Bibl. Hebr. P. II. p. 937.
e) Bibl. vniu. T. VIII. p. 486 ſqq.
f) Comm. de fatis linguae Latinae in Germania, tomo vtroque.

Digitized by Google

dolemus autem, consilia eius edendi voluminis noui Epistolarum Reuchlini bibliopolarum difficultates obstitisse. Quod fatum malo quoque sidere in iisdem epistolis recudendis expertum se esse BVRCKHARDVS conquestus est. Vix enim meliores historiae literariae fontes suppetunt, quam virorum doctorum epistolae. Adeo autem rarae sunt, vt iam suo tempore LVDOVICVS VIVES scripserit[g]: *Ioannis Capnionis epistolas nuper vidimus, simul et natas et exstinctas, adeo damnauit eas tacitus doctorum consensus, vt vix potuerint paucos vitae menses impetrare.* Quod eo magis dolendum, quo certius est, sic *omnia de studiis Germanorum vitiis ac insscitia monachorum, mutationibus rerum literarumque perscripta esse, vt nihil in iis non appareat, et facile existimari possit, quantum et reipublicae, et ecclesiae interfuerit, literas respirasse tum, atque reuixisse*[h]. Bis tamen prodierunt epistolae Reuchlini vel potius ad Reuchlinum scriptae. Et primo quidem anno cIↃIↃXIIII. *Tubingae, apud Thomam Anselmum, 4.* alii Hagenoam cIↃIↃXVIII. ponunt, altera vero vice, *Tiguri apud Froschouerum MDLVIII. 8.* quam nos possidemus, vtraque vero tantum non euanuit. Debemus autem istam epistolarum collectionem laudabili consilio Philippi Melanchthonis et Ioannis Hiltebrandi[i] illius, cum Phorzemii ageret, praeceptori. Dolemusque, ipsius Capnionis epistolas responsorias eorum curiosam diligentiam non adiecisse. Nomina virorum doctorum, qui ad Reuchlinum scripserunt infra indicaulmus, quae hic repetenda.

pag. 359. lin. 4. a fin. *In ea Musarum sede Lutetiam missus.* Non reticuit hanc Parisiensis scholae gloriam, quod prima linguae Graecae literarumque semina in hunc agrum insperserit, CREVIERIVS[k], ipse tamen ex hac nostra narratione supplendus.

pag. 359. lin. 10. a fin. *Ioannem a Lapide praeceptorem habuit.* Eminuisse hunc virum non philosophica tantum et theologica eruditione celebrem, sed imprimis artis typographicae cum Ficheto apud Gallos introductae auxiliis de restauratis literis aeternum nomen meritum, obseruat, qui praeter alios eius historiam exposuit, CREVIERIVS[l]. Ficheti enim et Ioannis de Lapide cura primi, qui ad Parisienses diuerterunt typographi Vlricus Geringius, Martinus Kranzius et Michael Friburgerus in Sorbonam introducti sunt, primique libri 1470 seqq. teste MEVILLERIO[m] impressi. Anno enim 1469. Ioannes de Lapide rectoratum Initt[n], et hoc pacto occasionem nactus est, ciuibus suis (erat enim Germanus) nidum ad exercendam nouam artem parandi. Praeter diligens studium philosophiae Peripatetico-scholasticae multum etiam literarum elegantiorum

g) De conscrib. epist. p. 264.
h) Vid. BVRCKHARD. l. c. P. II. p. 165. cuius verba damus.
i) Vterque praefationem praemisit, quae legendae. Conf. MAIVS vit. Reuchl. p. 91. 92. Ex his emendanda et supplenda sunt, quae p. 369. not. n. scripsimus.
k) Histoire de l'Acad. de Paris T. IV. p. 333.
l) Ibid. p. 329 sqq.
m) Orig. de l'imprim. P. I. c. 1-6. Mem. de l'Academie de B. L. T. XIV. et XVII.
n) BVLAEVS hist. acad. Paris. T. V. p. 889. 890. CREVIER loc. cit. p. 332.

Digitized by Google

rum culturam tum docendo, tum libros ad eas vtiles curando promouit. Parisiis Basileam, sine dubio patriam, redux theologiam et philosophiam docuit, et TRITHEMIO teste [o], *doctrinam eorum Parisiensium, qui reales appellantur, primus ad Basilienſium vniuersitatem transtulit* [p] *ibidemque plantauit et auxit. Sed eodem quoque auctore inter praecipuos quoque Tubingensis studii inceptores* (anno nempe cIↃcccLXXVII. quo academia ista ab Eberhardo barbato Duce Wirtembergico excitata) *et auctores vnus extitit. Denique post liberam plurium beneficiorum dimissionem ad canonicatum et praedicationis officium ecclesiae Basileensis vocatus fuit, et tandem Carthusiensis ordinis habitum induit.* Vir diligens et πολύγραφος, cuius scripta recensent TRITHEMIVS [q] *Bibliotheca Gesnero-Simleriana* [r], FABRICIVS [s]. Vir hoc loco inter praeceptores Reuchlini non sine attentione dimittendus, eo quod studii Grammatici, et venustatis Romani sermonis ardorem in Reuchlino accenderat. Praelegit enim tunc, cum eum audiret Reuchlinus, auditoribus Vallae *elegantias L. Sermonis*, a Geringio tunc typis editas [t], et Basileae quoque in quiete monasterii circa annum cIↃcccXCIV. adhuc hanc diligentiam probauit [u]. Vnde praesumimus, auctoritatem praeceptoris Reuchlinum in academiam Basileensem deduxisse. Maxime tamen Wesseli et Cantoblacae consilia ei persuasisse, vt in vicinam patriae academiam commigraret, testis est MELANCHTHON [x], quem tamen loca confudisse, h. l. ex obseruationibus Iselianis obseruauimus.

pag. 362. not. h. l. vlt. *De Sueuorum pronuntiatione Latini sermonis barbara.* Qualis illa tunc fuerit et quam moleste aures Italorum offenderit, disci potest ex iis quae literatissimus BVRCKHARDVS ea de re post Maii obseruationem attulit.

pag. 366. lin. 8. *Edito speculo oculari mox repressit.* Praeclare meruit de hac H. eccl. et lit. particula celeberrimus olim Philologus HERMANNVS VON DER HARD, qui *historiae literariae reformationis*, quam cIↃIↃccXVII. in memoria iubilaei euangelici edidit, *parte secunda* Reuchlini libellos, et qui ad eius causam pertinent, quique dudum oculis se subduxerunt, recudi curauit. Inter quos, imprimis *speculum eius oculare, et acta iudiciorum inter Iacobum Hochstrat, et Reuchlinum* merentur legi, vt haec suis coloribus intueatur Lector: nobis enim in alienis a meta nostra commorari non licet. Comparare vero iubemus cum laudatis diligentissimi BVRCKHARDI [y] obseruationes, supra iam adductas, qui multam huic loco lucem affundent.

o) De S. E. c. 894.

p) Nominales enim eo tempore in academia Basileensi regnasse ad T. III. suo loco annotauimus. Pertinet itaque haec particula historiae literariae Io. de Lapide ad historiam harum sectarum scholasticam et supra enarratis addenda est.

q) loc. cit. et de Script. Germ. c. 243.

r) pag. 339.

s) Bibl. Lat Med. T. IV. p. 718 sqq.

t) CREVIER. loc. cit.

u) Libris Ciceronis de Off. de Sen. etc. Argumenta praemisit, et in tractatus ac capitula distinxit. TRITH. de S. E. loc. cit. x) loc. cit.

y) Conf. BVRCKHARDVS loc. cit. T. II. p. 341. Similia leges in dedicatione artis Cabb. ad Leonem X.

Digitized by Google

pag. 369. lin. 5. a fin. *Nobis inſtituti memoribus ob excultam modo philoſophiam Pythagorico-Platonico-Cabbaliſticam enarrandus eſt.* Peruenerat Reuchlinus, cum Romam adiiſſet, in familiaritatem Academiae, quam erexerant Mediceae domus patroni, et Ficino imprimis atque Pico Mirandulano innoteſcens, magnam, quod illi ſibi propoſuerat, philoſophiae emendationem ſibi concipiebat, *ſi quod illi tentabant, adiutus auxiliis librorum Cabbaliſticorum, quos Picus Mirandolanus coëmerat, apud ſe conſtitueret, poſſe angelorum adiutorio fieri, quando Italiae Platonica, Marſilius Ficinus attulit, et Iacobus Faber Stapulenſis Ariſtotelica Galliae reſtauauit, ipſe quoque Capnion Pythagorica contemplantiſſimis hominibus iucunda donare queat.*-- Ex quibus verbis colligimus, Reuchlinum fama Mediceae partis occupatum, et de orbe philoſophico mereri cupientem, cum vidiſſet, recenti philoſophiae Pythagorico-Platonicae reformationi deeſſe viam Cabbaliſticam [z], nouum inde ſibi philoſophiae genus concepiſſe. Quae cum talis fuerit, qualem ſupra deſcripſimus, facile inde intelligitur, qua fortuna philoſophiae iſtis conatibus gaudere fruique licuerit, cum nec Pico veri philoſophiae iſtius fontes eſſent noti, nec illae ſcaturigines veritatis ſe panderent, ex quibus ſincera veritatis fluenta poſſent promanare. Supra enim obſeruauimus, ipſos, ex quibus omnis iſta philoſophia deriuabatur, fontes fuiſſe vanos et doloſos, fraudibusque hominum, Picum decipientium, corruptos. Nec tamen iſtam fortunam magnopere miramur, cum ex allocutione ad Leonem X. P. M. pateat, Reuchlinum id animo concepiſſe, vt fauorem Mediceae domus tantopere nouae philoſophiae ſe pronum et beneuolum probantis aucuparetur, id quod ex adductis ex praefatione ad Leonem X. verbis eſt manifeſtiſſimum. Cuius veras et genuinas cauſſas cum h. l. niſi nos omnia fallunt, luculenter detexerimus, totam rem lectoris iudicio expendendam relinquimus. Non veremur fateri, aliquid iactantiae et praeſumtionis in tota iſta praefatione ſe prodere, nec adeo limpidos fontes fuiſſe, ex quibus illud emendandae philoſophiae conſilium profluxit. Sed fatendum quoque eſt, condonari id Reuchlino poſſe, qui cum meliora non haberet, et de diuina auctoritate librorum Pici cabbaliſticorum eſſet perſuaſiſſimus, ſe μυσικώτερα et diuiniora inueniſſe gaudebat. Tota id dedicatio libri loquitur, et quam auctoritatem apud Reuchlinum Pici exorbitantis ingenii Iuuenis ſententia habuerit manifeſtat.

pag. 374. lin. 12. *Nihil eius argumenti amplius in vulgus edidit.* Et quidem ſauente fato: nihil enim profuiſſet iſta philoſophia ad emendationem doctrinae chriſtianae, nocuiſſet autem plurimum. Suſpicamur autem,

z) Ita enim loc. cit. Ego germanis per me renaſcentem Pythagoram tuo nomini dicatum exhibebo. Id tamen absque Hebraeorum Cabbala fieri non potuit, eo quod Pythagorae philoſophia de Cabalaeorum praeceptis initia duxit, quae patrum memoria diſcedens, e magna Graecia rurſus in Cabaliſtarum volumina incubuit. Emenda igitur fuerant omnia. Quare de arte Cabaliſtica, quae ſymbolica philoſophia eſt, ſcripſi, vt Pythagoreorum dogmata ſtudioſis fierent notiora.

Digitized by Google

autem, ipſum Reuchlinum tandem obſeruaſſe, caſſas ſe nuces inueniſſe; alias philoſophiam iſtam, quod putabat, admirandam non deſeruiſſet. Quanquam autem haec ita ſe habent, manet tamen Capnioni laus ſincera, quam ei tribuit ERASMVS: *fuiſſe abſolutiſſimum virum, tot literis, tot linguis praeditum, vt plura is corda quam Ba[illegible]ius, habuiſſe videatur, vnicum totius Germaniae decus, lumen atque ornamentum*[a].

pag. 375. not. a. lin. 2. *In biblioth. S.* Add. p. 287. his adiungendus Io. BONA Cardinalis, cui audit Georgius *vir Platonicis et cabbaliſticis plus iuſto addictus, qui inſigne volumen iucunda magis quam neceſſaria ſubtilitate, iuxta eccleſiaſticam cenſuram expurgandum ſcripſerit*: Nos nihil in Georgianis his nugis iucundum ſentimus, quae nauſeam magis excitare poſſunt ſobrie philoſophari ſuetis, cum infinita ἀσύσκετα, male cohaerentia, et, ſi dicere fas eſt, impia contineant, iureque ſuo atque merito ſint proſcripta.

pag. 390. lin. 23. *Et his quidem artibus iuuentutem nobilitauit.* Legendus ipſe AGRIPPA, ſi intelligere quis velit, quantum nebulonem in iuuentute iſta arte alchemiſtica ſe praeſtiterit. In libro enim *de incertitudine et vanitate ſcientiarum atque artium* integrum caput[b], demonſtratione fraudum, dolorum, nequitiarum, mendaciorum, et famoſiſſimis accuſationibus aliis in alcumiſticam repleuit, quamuis metu, ne periurio ſacrilegus fieret, ſilentio ſe pleraque ſupprimere et obſcure tantum de iis loqui fateatur. Quod caput vt curioſum ſatis eſt, et veros vanae artis vultus deſcribit, ita characterem Agrippae iuuenis lectori attento luculenter delineat, et vera ipſum ſcripſiſſe, ſibique fata illa, quibus premebatur, fuiſſe vaticinatum, prodit, iucunda autem deſcriptione vaniſſimorum impoſtorum faciem natiuis coloribus depingit, quod vel iucunditatis cauſſa legiſſe neminem poenitebit. Dum autem monet: *ſe permulta de hac arte, ſibi tamen non admodum inimica dicere poſſe, niſi iuratum eſſet, qui myſteriis initiantur, de ſilentio*, haud obſcure ſubinnuit, ſe ſocietati eiusmodi alchemiſticae fidem ſpopondiſſe et nonnulla effeciſſe, quae non vanos prorſus ſucceſſus promiſerint. Sed et reliqua apud diſertiſſimum ſatyricum legi merentur, quae huc tranſcribere non patitur loci anguſtia, ex quibus patet, quod ipſe tacitus fatetur, eo tempore, quo in hanc artem incumbebat, *pro tribus aſſibus animam habuiſſe venalem*, metamorphoſin autem in ſe ipſo expertum eſſe triſtiſſimam. Ad quae clarius intelligenda, legenda eſt *epiſtola decima libri primi*[c], ad Landulphum, vt conſtet, inter fata Agrippae hoc peculiare fuiſſe, et fallere et falli.

pag.

a) Ep. ad Iac. Wimphelingium de laudibus liter. ſoc. Arg. apud BVRCKH. P. II. p. 369. Legenda autem eius quoque apotheoſis Capnionis in colloquiis fam. et adiiciendus HVTTENI triumphus Reuchlini, carmine longo, quod ſuppeditant MAIVS et VON DER HARD II. cc.

b) c. 90. T. II. Opp. p. 201 ſqq. ed. Lugd. 1600. qua in praeſentia vtimur.

c) p. 8. Quam curioſitatis cauſſa repetiit integram venerandus SCHELHORNIVS Amoen T. II. p. 568 ſqq. In margine annotauit editor: Hoc loco fateri videtur apertiſſime, chryſopoeam ſe exercuiſſe, cum ſocius foedere ſibi adiunctis: ob quam ſaepius apud principes libertatis iacturam ferme feciſſet, captumque fuiſſe hanc ob rem in valle rotunde, vt ex praecedentibus liquet.

pag. 390. lin. penult. *Acrius quam ferrè poterant Agrippa morderet.* Viderat nempe acutus at ferox iuuenis, et ad omnia paratus, quam neceſſaria huic genti flagella eſſent, quamque commerita ſeuera caſtigatio. Vnde praeceps et audax conſilium concipiens, hos fraterculos omnemque monachorum nationem hoſtilibus incurſionibus aggredi ſtatuit. Scripſit ea de re Cantiunculas [d], et conqueſtus, quae odia, quae bella, quas machinationes et cachinnos et ludibria, quasque inſidias patiatur, cum inſolentiores patientia et ſilentio euadere obſeruaret, *deliberauiſſe ſe* ait, *cum uniuerſa hac improborum ſophiſtarum et excullionum colluuione aeternum bellum ſuſcipere, et quicquid hactenus cum his nebulonibus ſibi negotii fuerit, poſtliminio reſuſcitare, illosque ſuis coloribus depictos ſub dio palam omnium oculis exponere, ut videant populi, intelligant nationes, cognoſcat mundus, per quos homines tot ſeculis ſeducti et decepti fuerint.* Hinc autem Agrippae, licet in ſinu Romanae eccleſiae validiſſimos patronos haberet, lerna malorum, vitaeque omnis, quam expertus eſt, miſeria et infelicitas exorta eſt, quod hos crabrones irritauiſſet. Huic vero internecino odio debentur omnia *ſcripta apologetica*, quae vno faſce tomo altero Operum Agrippae adiunxere Beringi editores, quae tamen paucorum oculis viſa ſunt [e].

pag. 396. lin. 5. 6. *Factum id anno MDXXX. quo prima libelli doctiſſimi editio prodiit.* Dubitatum a nonnullis [f] de huius editionis anno, quam tamen, certum eſt, eo anno prodiiſſe. Excudebat enim, vt habet finis libri *Io. Grapheus anno a Chriſto nato 1530. menſe Sept. Antwerpiae. 4.* Hanc editionem proſcripſit VI. non. Mart. anni ſequentis facultas theologica academiae Pariſienſis [g], impedire autem, quamuis rogum minaretur, non potuit, vt non anno ſequente *ex officina Eucharii Agrippinatis* iterum prodiret, et ſingulis fere annis nouae editiones apparerent, quarum tamen poſteriores, maxime in Opp. a Beringis editis paſſim mutilatae ſunt [h]. Graui vero cenſura non Pariſienſes tantum, ſed Louanienſes doctores quoque librum onerantes rem ad aulam Imperatoris delatam haud parua inuidia cumularunt. Cauſſa tamen a conſilio imperatoris cognita, et ad ſenatum Mechlinienſem, ex Caeſaris iuſſu deuoluta, propoſitiones ſuſpectas reuocare Agrippa iuſſus eſt. Quod anſam dedit acerrimo opinionum ſuarum parenti Agrippae, magna parrheſia ſua defendendi, et apologiam proſcribendi [i], quae ab illis legenda eſt, qui hiſtoriam huius viri plenius cognoſcere cupiunt.

pag. 397. lin. 4. 5. *Hermanno archiepiſcopo dedicauerat.* Prodiit ea editio Antwerpiae ap. Io. Grapheum 1531. 4. et tantum non plane euanuit. Al-

d) L. VII. ep. 35. p. 380.
e) Vid. Vogt. cat. libr. rar. p. 14.
f) Relat. Hamb. 1739. p. 496. euicta tamen ib. pag. 610. et 1741. p. 332.
g) Wenkrind. cat. libr. rar. p. 37. Mirantur, hoc Creuierium praeteriiſſe.
h) Conf. Clement. bibl. p. 81 ſqq.
i) Exhibet eam Appendix apologetica T. II. Opp. Agrippae a Beringi fratribus anno demum 1605. adiecta. Non negat Agrippa in dedic. ad Card. Campegium, iuſſum ſe auctoritate Caeſaris iſtam apologiam ſcribere.

Digitized by Google

Alteram eiusdem anni, in forma octaua, Parisiis repetitam indicat NICERONIVS [k], et ipse Agrippa eam commemorat [l]. Dedicationem eius ad archiepiscopum et electorem Colonienſem ſcripſit ex Mechlinia, menſe Ianuario eiusdem anni, quo amicus quoque ad Agrippam ſcripſit, et Antwerpiae prelum fatigare ex Colonia, vbi electori is conſilium dedicationis aperuerat, indicauit. Continebat autem prima iſta editio librum tantum primum de occulta philoſophia; vnde opus plaudentibus viris doctis exceptum, integrum edere, non obſtante inquiſitionis difficultate, probante TRITHEMIO [m], quem eius ἐξηγοδιώκτην habebat, apud ſe conſtituens libros duos poſteriores adiecit, editos *Coloniae apud I. Soterum* anno cIↃIↃXXXIII. fol. quae editio itidem rariſſima euaſit, et magno pretio redimitur. Sed poſt mortem Agrippae quarta quoque editio 1541. 4. prodiit [n], et anno 1565. 8. liber quartus adiectus eſt, qui totus magicus Agrippam auctorem non habet [o], quemadmodum addita *elementa Magica* PETRI DE ABANO ſpuria quoque ſunt, ab impoſtore quodam Agrippae nomini ſuppoſita, vt eius nomine clareſcerent, aſt indigna et nugarum implarum ita plena, vt non niſi vanorum et ineptorum ingeniorum attentionem mereantur [p]. De ipſa autem librorum Agrippae raritate conſulendi librorum rariorum enarratores [q].

pag. 400. lin. 1. *Quamcunque poſſet, vindictae occaſionem eſt meditatus.* Quod, qua ratione, laudatis Lutheri decertationibus, contra Louanienſes cenſuras praeſtiterit, dignum eſt, quod ex eius apologia aduerſus theologiſtas Louanienſes [r] cognoſcatur.

pag. 402. not. u. col. 2. lin. 1. *Neutri editioni Lugdunenſi annus editionis praefixus eſt.* Vtimur iam in ſupellectile literaria noſtra editione Lugdunenſi per Beringos fratres, cui praefixus eſt annus cIↃIↃc. Obſeruauit autem eruditiſſimus librorum rariorum obſeruator CLEMENTIVS, aliquoties Beringos fratres, non mutatis titulis, haec opera edidiſſe. Enarratque WEDEKINDVS editiones operum Agrippae Lugdunenſes 1531. 8. 1600. 8. cum appendice apologetica 1605. Comparanda cum his eſt NICERONII [s] diligentia, qui iſtorum operum argumenta recenſuit.

pag. 406. lin. 20. *Quod arcanas et ſupernaturales vel diuiniores artes apud nonnullos imperitiores iactauerit.* Dabimus ipſum Agrippam lectori eam

k) T. XII. p. 375. ed. Germ.
l) Lib. VII. ep. 26.
m) Legenda eius epiſtola, L. I. ep. 24. p. 26.
n) Indicat eam WEDEKINDVS l. c. inter rariſſimas: nos eam nunquam vidimus, cum reliquas omnes euoluendi occaſionem habuerimus.
o) Dudum id monuit Io. WIERVS de praeſtigiis daemonum, L. II. c. 5. p. m. 141.
p) Prolixe rariſſimum libellum, qui toties male ſanam curioſitatem miſere decepit, recenſet WIERVS l. c. eiusque vanitatem et impietatem denudat. Alium librum Agrippae quartum indicat CARDANVS de ſubtilitate L. XVIII. p. 667, ſed ineditum eſſe monet; ſpurium quoque eſſe ex comite, cui adiunctus eſt, coniici poteſt.
q) VOGTIVS, SINCERVS, CLEMENT. WEDEKINDVS, libris notiſſimis v. Agrippa conf. BAYLE l. c.
r) cap. 19. App. p. 59.
s) loc. cit.

eam rem confitentem, et ipſa ob libri raritatem verba eius adducimus [r]. „Obiiciunt mihi miracula, quae principes et populi obſtupuerunt, et „ſupra naturae vires daemonum opera faſſi ſunt. Fateor operatum mi„randa multa, ſed citra Dei offenſam, citra fidei et religionis iniuriam. „Et obſtupuere ea multi, ſed homines indocti, et quibus datum non eſt, „rerum cognoſcere cauſſas, atque motus omnes et inexorabile fatum. „At quis ſecretorum naturae curioſus explorator ignorat, herbarum po„tentia et lapidum virtutibus non omnibus perinde manifeſtis multa per„fici poſſe, quae rudis populus per inſcitiam et malitiam accepta referat „daemonibus potius, quam naturae atque Deo.“ An non haec ad palpum obtrudentem Agrippa iactauerit, penes Lectorem volumus ſtare iudicium.

pag. 408. lin. 12. *WIERIVS teſtatur.* Miramur, in noſtra editione WIERI *de praeſtigiis daemonum et incantationibus ac veneficiis libris V. Baſileae apud Oporinum edita 1566. 8. haec L. II. c. 5.* omnia abeſſe, quae de Agrippa, Adamus, Naudaeus, Baelius adducunt, et p. 141 ſeq. tantum recenſeri et negari, quartum librum de O. P. eſſe Agrippae genuinum. Quod, quo conſilio factum ſit, ſuſpicari non licet, cum in prima editione iſta extent, lecta quoque et excerpta a pluribus?

pag. 418. lin. 10. *Quod obſcuriſſimam artem magna perſpicuitate docuit.* Fatemur, multum nobis profuiſſe has Lulliſticae artis inſtitutiones, quia breui at perſpicuo compendio omnia comprehendunt, quae de ea hiſtoriae philoſophicae ſtudioſo ſcitu neceſſaria ſunt. Vnde cum noſtris ſupra in huius tomi initio de Lullio eiusque arte dictis haud inutiliter poſſunt comparari, modo ad ea ſimul attendatur, quae Agrippa *de V. S. capite nono* de ea monuit.

pag. 429. lin. 15. *SORELLI diligentia.* Adiiciemus huic GASSENDVM [s], eo quod Gaſſendianam philoſophiam naturalem ex Patricianis radicibus propullulaſſe haud pauci ſuſpicati ſint, librique hi rarius occurrant, quam vt a quolibet poſſint inter ſe comparari. Ita vero accuratus philoſophicae hiſtoriae enarrator, poſtquam Teleſianam philoſophiam recenſuiſſet: „alter haberi poteſt Franciſcus Patricius, qui eodem ſeculo „ſuperiore ruente, nouam, veram, integram, (eius verba ſunt) de vni„uerſo conditurus philoſophiam, comprobaſſe ſe pronuntiata dixit ex di„uinis oraculis (intelligit autem non modo Moſaica, ſed etiam, quae fue„re Zoroaſtris, Triſmegiſti, Orphei, etc.) geometricis neceſſitatibus, phi„loſophicis rationibus, clariſſimis experimentis. Inſtituens autem illius „partes quatuor, quas et inſcripſit Panaugiam, Panarchiam, Pampſychiam, „Pancoſmiam, quaſi diceret, de vniuerſa luce, de vniuerſorum princi„pio, de vniuerſa anima, de vniuerſo mundo egit, ſpeciatim de princi„piis,

r) Querela ſuper calumnias ſcholaſt. et monach. App. T. II. p. 142. 143.
s) Phyſ. S. l. L. III. c. 3. T. I. opp. p. 246.

Digitized by Google

„piis, elementiſue rerum, ſex primis pancoſmias libris. Statuit autem „principia ſeu elementa quatuor, ſcilicet, ſpatium, primaeuum lumen, „primaeuum calorem, primaeuum fluorem. Vult enim hoc primum, „quod opifex ſummus extra ſe produxit, eſſe ſpatium, vt ſine quo eſſe „caetera non poſſint, et poſſit tamen ipſum eſſe ſine caeteris. De hoc „autem ſpatio ſeu loco, cui trina dimenſio, longitudo, latitudo, profun- „ditas competat, non alia tradit, quam, quae ipſi de eo ratiocinati ſumus „ſuperius. Docet deinde, quia opifex ſummus, *DEVS videlicet*, *LVX* „*eſt et nihil facilius effundi, replerique ſpatium, quam manans a luce lumen* „*potuit: idcirco a Deo luce primaria lumen primarium primaeuumque emicuiſſe.* „*At origine quidem*, inquit, *ſpirituale fuit hoc lumen, et incorporeum penitus;* „*ſed poſtquam a fonte ſuo digreſſum per ſpatii partes atque dimenſiones fundi* „*coepit, corporale euaſit, trine ſcilicet dimenſum, atque ita et incorporeum ſi-* „*mul et corporeum, illud tum origine, tum per omnia penetratione; hoc vero* „*extenſione et in infinitum protenſione.* Rurſus quia a luce diffunditur lu- „men, et ab igne calor, eſt autem et lux calida, et ignis lucidus quatuor- „que adeo iſta ratione, non ſubiecto differunt ea de cauſſa: diffuſum „cum lumine calorem contendit, vt corpora omnia, quemadmodum a „ſpatio habent, vt ſint trina dimenſa, a lumine, vt ſint viſibilia, ita a ca- „lore habeant, vt conſtent, vt viuant, vt agant. Denique vero, quia „corpora omnia antitypia ſiue reſiſtendi vi praedita ſunt, neque eam a „quoquam iſtorum trium habent, ideo fluorem adiicit, quem veteres di- „xerint aquam, et principium rerum vel ſolum, vel vnum ex quatuor con- „ſtituerint. Indicari ipſum a Moſe creatum, cum dixit, tenebras fuiſſe „ſuper faciem abyſſi, id eſt, profundiſſimae aquae, et ſpiritum Domini „fuiſſe latum ſuper aquas. Generali autem fluoris nomine vtitur, ad ſigni- „ficandum omnia, quae fluida ſunt, ſeu aquae ſint, ſeu humores, ſeu „quid aliud tertium aut vltra; ac tum decernit, corpora omnia aut fluo- „res eſſe, aut concreta ex fluoribus. Sic coelum empyreum aethereum- „que fluores eſſe, immo et ipſa ſidera, quia ignes ſint, et flamma ſit „fluor; et lunam quoque fluorem eſſe, ſed concretum. Sic aërem, et „in aëre ignes, nubes, pluuias et alia; ſic maria, lacus, flumina, ſic plan- „tas et animalia ex fluore conflari, progigni et concreſcere, ſic metalla, „lapides, mineralia, ſic denique terram generabilium matrem fluorem „eſſe concretum.“ Habes lector eruditam epitomen et ſpecimen prin- cipiorum phyſiologicorum Patricii, magno iudicio ab acerrimo iudice doctrinarum philoſophicarum conſcriptum, quod vel ideo prae aliis at- tentionem meretur, quia non tantum ſummam principiorum phyſicorum Patricii exacte refert, ſed haud obſcure fontem deſcribit, ex qua ſua phi- loſophus Platonico-Alexandrinus hauſerit. Cuius originem atque fon- tem iſtis lineis detexit, quas ideo literis currentibus, quas vocant, im- primi curauimus. Ex his enim paulo curatius rem meditantibus palam eſt, Patricium a principiis ſcholae Platonico-Alexandrinae non receſ-

Digitized by Google

ſiſſe, quae ex oraculis a ſe ſtudioſe collectis didicerat, ideoque ſyſtema emanatiuum recepiſſe, et, ſuppoſito lucis aeternae et in Deitate comprehenſae fonte incorporeo, non ſpiritualia tantum, ſed et materialia progreſſa, et incorporeum lumen, poſtquam a fonte ſuo digreſſum per ſpatii partes fundi coepit, corporeum factum ſtatuiſſe. Quae vt eſſentialia emanatiui, Alexandrini et cabbaliſtici ſyſtematis principia ſunt, ita applicata recentioribus placitis Teleſianis et noua philoſophandi methodo incruſtata et quaſi amictâ, nouum ſyſtema phyſiologicum exhibent, quod Platoniſmum[1] recentiorem ſubtiliori ratione velut nouum ἕυρημα vendidit. Certe nec iniucundum eſſet, nec ab inſtituto noſtro alienum, comparationem inter Alexandrinas iſtas hypotheſes, praecipue quales in Oraculis exhibentur, et Patricianas inſtituere, et oſtendere, quomodo ſalua emanationis ſuppoſitione ex Deo, lumine incorporeo, omnia effluxiſſe, et hoc diuinum lumen corporeum factum eſſe, et materialia omnia condidiſſe, aſſerere et tueri auſum ſit ingenium florens et foecundum; quod ea philoſophice et ſcholarum in modum effutiit, quae obſcurius et inſtar aenigmatis ſchola vetus per totum fere Orientem recepit. Aſt limitum noſtrorum, quos aliena nobis voluntas conſtituit, ea anguſtia in praeſenti tractatione eſt, vt hanc prolixitatem refugiat. Quare ipſam hanc comparationem lectoris diligentiae relinquimus, eum autem monemus, vt ad hanc Patricii phyſiologiam reſpiciat, quoties de ſyſtemate emanatiuo ſermo eſt, et quoties animaduertet, non *δυσνόητα* tantum, ſed *ἀτύχατα* quoque in hoc ſyſtemate deprehendi et laterem lauare, qui huic Aethiopi candorem inducunt.

pag. 430. lin. 2. *Ab vtriuſque enim ſyſtemate Patricii phyſica longe abeſt.* Quanquam enim et Gaſſendus et Carteſius ſpatium inter principia phyſiologica receperunt, factum id tamen alio, quam Patricius ſenſu, quod ex comparatione facile Lectori conſtabit. Ceterum ex dictis manifeſtum etiam, quo conſilio phyſiologiae ſuae vniuerſae adiunxerit Patricius Zoroaſtris oracula CCCXX. ex Platonicis collecta, Hermetis Triſmegiſti libellos, Aſclepii tres libellos, myſticam Aegyptiorum a Platone dictatam ab Ariſtotele exceptam et perſcriptam philoſophiam. Haec enim opuſcula omnia, quamuis apocrypha ſint, et ſuppoſititia, genuinas tamen Alexandrinae morologiae ſententias exhibent: Quas Ariſtotelica methodo, non per motum, ſed per lucem ac lumina ad primam cauſſam adſcendendo, totius diuinitatis contemplationem ad rerum vniuerſitatem explicandam adhibuit. Haec autem omnia ſcopum habuiſſe ſyncretiſticum, ipſe auctor non negat, faſſus in titulo: *capita multa, in quibus Plato concors* (religioni,) *Ariſtoteles vero catholicae fidei aduerſarius oſtendatur, eſſe adducta.* Prodiit opus rariſſimum *Venetiis apud Robertum Megettum anno* clolcXCIII. *in fol.* [x].

pag.

x) Conf. Vogt. cat. libr. rar. p. 521.

Digitized by Google

pag. 430. lin. penult. *Vir doctus et ſubtilis.* Inter nobiles philoſophos Marco locum fecit I. CARAMVEL LOBKOWIZ [y], eumque laudat, quod *Platoni ſit ingenio ſimillimus, ſobrie tamen, et ideas, ſed ſenſu, aut vero, aut ſaltem probabili admittat, et de rerum arcanis principiis feliciſſime philoſophetur. Vocat eum quoque libris optimis clarum, et altius, quam ceteri ſapientem.* In quo tamen encomio Caramuelem amicitiae propenſione, plus quam par erat, dediſſe, ex admiſſa a Marco hypotheſi de ideis facile eius intelligens poteſt iudicare.

pag. 438. lin. 4. *Vt maxima omnium de ea eſſet opinio.* Nemo fere, poſt Moshemium, cui alteram vitam debet ſyſtema intellectuale Cudworthianum, vel auctorem ita magnum cenſuit, vel eius lumina per orbem literarium ſpargenda eſſe putauit, quam IOANNES CLERICVS, acutus rerum philoſophicarum et literariarum cenſor. Extollit ille [z] Cudworthum, quod *cum vaſta antiquitatis ſacrae et profundae lectione, linguarum veterum cognitione inſtructa, iunxerit iudicandi et diſcernendi acumen inſolitum, in theologicis pariter atque philoſophicis ſcientiis eminens, quo multiingae et late ſe diffundentis eruditionis vtilitatem vbique ſparſerit.* Operam ideo vir celeberrimus in eo nec ignauam, nec ignobilem poſuit, quod, cum ſyſtema intellectuale lingua auctoris vernacula ſcriptum eſſet et a paucis legi poſſet, ampliſſimam epitomen per aliquot particulas curauerit, easque ephemeridibus, quas *bibliothecae ſelectae* titulo edidit, inſeruerit [a], inſerulturus vtilitati eorum, qui ſolidae multaque doctrina defenſae demonſtrationi de exiſtentia Dei bene cupiunt. Longius autem progreſſo Moshemio gratias debemus, quod totum opus incredibili labore orbi Latino legendum dederit.

Ibid. lin. 17. *Praecipue cum incomparabilis MOSHEMII verſione Latina.* Legi meretur beati viri erudita atque elegans praefatio, quae hiſtoriam celeberrimi operis exhibet, hoc loco non exſcribenda [b].

pag. 445. lin. 19. 20. *Prorſus nihil habet veritatis diuinae Hebraeis patefactae.* Efficax ad ſeducendos in ſequiores ſenſus, hos viros doctos, qui philoſophiam cabbaliſticam reſuſcitare conati ſunt, cauſſa fuit, cabbalae exegeticae vel biblicae atque propheticae cum cabbala metaphyſica, quae ex Aegypto in Palaeſtinam allata, et exegeticae deinde accommodata eſt, confuſio. Cum enim in illis λειψάνοις theologiae propheticae et traditiuae multa occurrerent de Meſſia eiusque perſona, munere, regno, capita, quae vetuſtiſſimam reuelationis diuinae doctrinam referebant, quaeque per manus velut arcana myſteria ore poſteris tradebantur; reuerſo autem ex Aegypto Schetachide, qui metaphyſicam fanaticam orientalem-

y) In ſerie operum ſuorum, ſ. catalogo inſerto CAR. DE VISCH biblioth. ſcript. ord. Ciſtere. p. 187.

z) Bibl. choiſie T. I. p. 64.

a) A tomo I. ad X. Multa egregie in his compendiis Cudworthiani operis dicta ſunt, et exhibita, in nonnullis tamen Homerum dormitaſſe, probauit interpres Latinus, Moshemius in praef. n. 3.

b) Vitam Cudworthi recenſent biographiae NICERONIANAE T. XIX. p. 340 ſeq. ed. Germ.

que et Aegyptiacam in Palaeſtinam attulerat, ea arcana et aliena ab Iſraëliticis myſteriis orthodoxiae auctoritatem communi et venerabili cabbalae nomine attentarent, factum inde, vt poſt C. N. vtrumque cabbaliſticae theologiae genus in vnam eam formam confunderetur, qualem Iochaides poſtea perfecit, vt ſupra demonſtratum. Ita vero euenit, vt reliquiae doctrinae de Meſſia, quas ſuppeditabat traditio oralis, iſtis peregrinis placitis et hypotheſibus admiſtae et in vnum corpus conflatae miſere corrumperentur, et ad impia placita raperentur, atque torquerentur ſub orthodoxiae propheticae arcanioris veſte occultatae, atque pictae. Quae poſtea cum conuenire cum Chriſtianis ſacris viderentur, pro orthodoxis dogmatibus habitae, et ab impoſtoribus auctae, mutatae et adeo elegantер incruſtatae ſunt, vt vetuſtiſſimae theologiae myſteria ex aſſe referre viderentur. Quibus tanquam arcanis theſauris clam habitis facile fuit viris bonis et doctis, quales fuere Picus et Reuchlinus, carbones pro theſauris vendere, cum a nebulonibus auro pro his arcanis acquirendis emuncti ſplendide deciperentur. Quorum tamen facilis credulitas eo magis excuſanda eſt, quia natales et fata cabbaliſticae doctrinae tunc adhuc in tenebris ſepultae iacebant, ex quibus ſeris ſatis temporibus tandem protracta ſunt.

pag. 449. lin. 17. *Ex his alii de eo retulerunt.* Syſtema tamen philoſophicum et phyſicum Teleſii mature recenſuerunt magni duumuiri GASSENDVS [c] et VERVLAMIVS [d], qui Teleſium *virum* vocat, *Peripateticis rationibus potentem et inſtructum, easque in illos ipſos vertentem, ſed affirmando impeditum, et deſtruendo quam exſtruendo meliorem.* Et alio loco [e] inter eos, qui nouam ſcenam tentarunt, et nouas fabulas naturalis ſcientiae egerunt, Patricium, Brunum, Seuerinum, Gilbertum, Campanellam, Teleſium quoque numerat, *nec plauſu celebrem nec argumento elegantem.* Quod iudicium maximi philoſophi non magnopere miramur. Verulamius enim, nouam ipſius naturae cupiebat et meditabatur ſcientiam, Teleſius, abiectis reliquis, vnam, quae placebat, Parmenidis hypotheſin elegerat, quae aliis coloribus, aſt ne his quidem puris ſatis fulgebat, id quod ingenio eclectico Verulamii placere minime potuit.

pag. 450. lin. 7. a fin. *Qui laudato duci tum ab epiſtolis ſecretioribus fuit.* Non Borbonii, ſed Aurelianenſis principis, Borbonio nuper defuncto ſurrogati ſecretarium, quem vocant fuiſſe, tradit IMPERIALIS [f].

pag. 454. lin. 13. *De his, quae in aëre viuunt et de mari, quos viuus ediderat.* Vulgabat hos libellos Teleſius ipſe *Neapoli 1570.* cum libro *de coloribus*, quos ex bibliotheca publica Auguſtana [g] praeſentes habemus, ſunt autem rariſſimi.

Ibid.

c) Phyſic. L. I. c. 3. T. II. opp. p. 245.
d) Vol. III. opp. p. m. 238.
e) Hiſt. vent. praef. Vol. II.
f) Muſ. P. I. p. 70.
g) Vid. EHINGERI Cat. bibl. Aug. p. 391.

Digitized by Google

Ibid. lin. 20. *Indici expurgatorio iſti libri adſcripti.* Vid. *Index Hiſpanicus*, ab ANT. SOTOMAIORE editus [h], vbi ſimpliciter prohibentur. Quod eo quidem tempore, quo phyſica noua omnia ſuſpecta fuere non miramur. Aſt potuiſſe noſtro tempore, quo turpiſſimae et obſcurae iſtae nebulae, luminibus literarum adeo indecorae diſpulſae ſunt, hanc prohibitionem et expurgationem operum Teleſii phyſicorum repeti, in *Indice Benedicti XIV. P. M.* literatiſſimi a viris cetera doctiſſimis edito [i], ſtuperemus merito, niſi recordaremur, Romam ſemper ſibi eſſe ſimilem, nec a Tridentinis obſeruationibus, vbi etiam proſcripti ſunt, vnquam recedere. Habet itaque noſtra hiſtoria philoſophiae critica ſocium, philoſophum magni nominis, et eclecticae philoſophiae ex Italiae ipſius iudicio parentem, Roma quidem, ſed non ex orbe literato proſcriptum, id quod aequiſſimo animo ferimus, quod damnum nullum operi attulerit. Conf. GIMMA [k] et LOTTERVS [l] libris ſupra in textu citatis.

h) pag. 98.
i) pag. 287.
k) Idea hiſt. liter. Italiae T. II. p. 418.
l) pag. 31.

AD CAPVT SEXTVM.

DE RESVSCITATIONE PHILOSOPHIAE IONICAE.

pag. 463. lin. 10.

Vt et plura eſſent et certiora. Attulit quidem pluſcula ad intelligendam Berigardi hiſtoriam non inutilia, et ex fontibus domeſticis hauſta Niceronius, aſt cum reliquis tamen, quae de eo traduntur, comparatis, fatemur, nobis non ſatis, quod eſt, feciſſe, vt ex hac noſtra narratione conſtare potuit. Eam autem nos augere et perficere poſſe laeti ſperabamus, cum videremus, ſcriptorem non indoctum *hiſtoriae gymnaſii Patauini*, NICOLAVM COMNENVM PAPADOPOLI res Berigardi annotauiſſe [a], praeſertim cum ad monumenta nonnulla publica, quae Berigardi mentionem faciunt, prouocauiſſet. Fatemur autem examinata illa narratione, non certiores tamen nos factos fuiſſe, ſed incertiores multo diſceſſiſſe. Cuius vt Lectori fidem probemus, ipſam Berigardi hiſtoriae epitomen dabimus. Hoc ſcriptore graeco duce et auctore, fuit Berigardus Lugdunenſis, in quo ad SALOMONII *inſcriptiones gymnaſii Patauini* prouocat, diuque iurisprudentiae operam dedit, mox ad philoſophos naturae inſpectores tranſitum fecit, et inter hos doctores eandem ſcientiam primo priuatim, deinde publice docuit, tum Lugduni, tum Auenione. Deinde accitus ad gymnaſium Piſanum primas in eo tulit, et in prae-

a) Lib. III. ſect. 2. c. 32. p. 370 ſeqq.

praelectionibus prae ceteris placuit. Senſim aëris inclementia tactus, dum de reditu in Galliam cogitabat, inuitatus a Venetorum proceribus ad alteram ordinariae philoſophiae ſedem, quod primam Ioannes Cottunius obtineret, non alia conditione annuit, quam ſi aequalis Cottunio in honore ſedis declararetur: hocque ſancito Patauium venit, atque exedram iniit anno MDCXXXIX. Fortunii Liceti ſucceſſor meruitque DCCC. aur. ſtipendium, quod MDCXLVI. auctum ad M. excreuit anno cIↃIↃ◀III. ad MCC. mox ad MCCCC. eoque ad primam eius claſſis euectus Cottunii ſucceſſor anno MDCLX. triennio ſuperuixit, ereptus viuis anno MDCLXIII. Haec Papadopoli. Quae cum domeſticis teſtimoniis a familia Berigardi cum Niceronio communicatis comparata, quae certiora ſcire potuit, ſcriptoris Patauini vel incuriam, vel negligentiam, in aliis quoque locis proditam, luculenter manifeſtant; adeo multa ſunt in his aut oppido, veris admixtis, falſa, aut ſine attentione cum aliis confuſa et perperam tradita. Falſum enim, Berigardum iurisprudentiae operam dediſſe, medicinae enim ſtudio atque philoſophiae naturalis contemplationi ſe tradidit: falſum, doculſſe Auenione, Aquis Sextiis enim lauream artis ſalutaris accepit: falſum, inde Piſas vocatum, factum id enim ex academia Pariſienſi: falſum, anno ſeculi ſuperioris ſexageſimo tertio obiiſſe, qui quadriennio poſt adhuc vixit. Sed haec ferenda ſunt in homine Graeculo, negligenter ſatis in hiſtoria Patauinae ſcholae verſato, et qui non negat, nihil ſe librorum Berigardi vidiſſe. Patiemur tamen, ſi quis promotionis gradus, quos enarrauimus, ex eo emendari cupiat: licet certiſſimis exemplis nobis conſtet, fallere haud raro Comnenum, etiam vbi ad acta academiae prouocat. Vnde haud illibenter in memoriis Bonamici, Zabarellae, Bernardini Tomitani, Robortelli, Cottunii ad eum prouocare negleximus, quamuis iſtam hiſtoriam academiae Patauinae valde commendauerint ephemerides literariae, quae haud raro ſolent praefationibus et indicibus auctorum confidere.

Ibid. lin. 12. *Domini de Berigardo.* Gallicum nomen erat Claude Guillermet Seig. de Beauergard.

Ibid. lin. 23. *Vt potuerit conferre codices Graecos.* Damus verba Welſchii noſtri: *Cl. Berigardus Medicus Gallus et profeſſor philoſophiae Patauii Graece doctiſſimus, a paſchate demum, cum cathedrae vacare incipiunt, Florentiam ſe cum familia conferre atque ibidem aeſtiuare ſolet; nec ipſe aut filius pariter eruditiſſimus hanc operam detrectabit, quo deducente olim pluſculos dies conferendis quibusdam locis in bibliothecis illis deſedi.*

pag. 464. lin. 23. *An. MDCLIII. Fortunio Liceto.* Obitus anno MDCLVI. vt ſupra p. 232. legendum [b]; adeoque et vltimae Berigardi promotionis annus fluctuat.

Ibid. lin. 8. a fin. *Hippocratis aphoriſmus.* Prodierunt PETRI BERIGARDI *Hippocratis aphoriſmi rhythmici Vtini apud Nic. Schirattum, 1645. 8.*

Hoc

b) Ex mendo typographico annus MDLVI. perperam poſitus.

Digitized by Google

Hoc MERCKLINVS [c] annotauit, qui cum Florentinum vocet, ſuſpicamur, eum tunc in ea vrbe medicinam feciſſe, fratremque in aeſtate Patauio ad eum excurriſſe.

pag. 466. lin. 8. *Liber inter rariſſimos numeratus.* Conf. WIDEKIND. *cat. libr. rariorum*, qui cum noſtris obſeruationibus comparandus eſt.

pag. 467. lin. 16. *IO. LAVNOIVS.* Supra iam lectorem de hac re ad CREVIERII *hiſtoriam academiae Pariſienſis ablegauimus*, qui ex Launoio augeri poteſt.

pag. 468. lin. 13. *Sed apud Geneuenſes.* Ita enim noſtra habet editio: *Geneuae apud Petrum de la Rouiere, 1621. 8.* Apud WIDEKINDVM [d] exprimitur *Aurelianae*, quod quamuis Aurellam Allobrogum ſiue Geneuam indicet, ſuſpicamur tamen, ignotius vrbis nomen quibusdam exemplaribus fuiſſe praefixum, vt tutius in Gallia legerentur.

Ibid. not. w. lin. vlt. *l. c. p. 820.* Recenſentur theſes periculoſae viſae facultati theologicae Pariſienſi in eius *cenſura*, debentque in hiſtoria phyſicae ſpeciali enarrari. Inter eas theſin X. ignes potiſſimum accendiſſe theologorum Pariſienſium eſt veriſimillimum: *Sommiarunt Peripatetici, dum parum congrue de naturis locuti dixerunt, veras et phyſicas alterationes fieri per introductionem nouae et ſolius entitatis alicuius accidentalis ſubiecto inuariato quoad ſubſtantiam manente. Cum tamen nulla vnquam ſine additione aut detractione principiorum, aut eorum multiplici mixtione accidere queant.* Peti hac theſi transſubſtantiationis et accidentium abſolutorum euchariſticorum doctrinam, eamque euerſum ire, facile palpari poteſt, nec ipſi theologi negarunt, cenſentes, *aliquo modo impugnari ſacroſanctum euchariſtiae ſacramentum.* Hanc potiſſimum obſeruationem eleciſſe trigam iſtam virorum doctorum ex Pariſienſi vrbe et vniuerſitate ſenatus conſulto eo minus dubitandum eſt, quo magis academia pro hoc dogmate ſummo zelo aliquoties decertauit.

pag. 485. lin. 18. *Eius in hoc quidem argumento innocentiam.* Subſcripſit huic apologiae Bellgardianae eamque ratam habuit WIDEKINDVS [e].

c) Linden. renou. p. 851.
d) l. c. p. 329. vehementer autem dubitamus, vtrum editionem Genouenſem Widekindus viderit.
e) loc. cit. p. 400.

AD CAPVT SEPTIMVM.

DE RESTAVRATIONE PHILOSOPHIAE EPICVREAE.

pag. 486. lin. 26.

Ipſe audiendus eſt. Vtimur nos *operum Lipſii* editione luculenta, quam poſt Moreti Antwerpienſem raram atque caram, recudit bibliopola Andreas ab Hogenhuyſen, et ſeptem tractatibus Lipſianis, qui in Ant-

werpienſi collectione deſiderantur, auxit, IV. Voluminibus in forma octaua maiori Veſaliae cIↃIↃcLXXV. Comprehendit Tomus I. Opera ad criticam proprie ſpectantia, Tomus II. epiſtolarum centurias decem, Tomus III hiſtoricum et antiquarium argumentum tangentia, Tomus IV. prudentiam ciuilem et hiſtoriam philoſophiae concernentia. Ad hanc editionem in citandis locis nos prouocare, lectorem monemus. Verba h. l. allegata extant *T. IV.* [a] et tota illa allocutio ad lectorem legenda eſt, vt occaſio inde cognoſcatur, qua ad hoc philoſophandi genus Lipſius iuuenis adhuc deductus eſt.

pag. 487. not. c. *Praemiſſa eſt eius operibus.* Ornat Lipſiana biographia *frontem Opp. T. I.* cui praefixa *Lipſii fama poſthuma*, i. e. epicedia amicorum, quae alibi fruſtra quaeritur, et haud pauca habet, non hiſtorica tantum, ſed apologetica quoque, quibus obiecta illi morum, et religionis inconſtantia diluitur. Habebat enim poſt funera non laudatores tantum, ſed et vituperatores haud paucos.

ibid. lin. 20. *Aliique, qui in hac palaeſtra deſudarunt.* Plerosque nominauimus in vernaculo Opere *Qq. Hiſt. phil.* quos tamen conſuluiſſe omnes parum iuuat, cum plerique anteceſſores et imprimis Miraeum exſcripſerunt, pauci critico oculo perluſtrauerunt, quod feciſſe P. Bayle valde laudandum. Pertinent in eandem quoque claſſem, qui iudicia virorum doctorum de Lipſio collegerunt et indicarunt POPE-BLOVNTIVS, TEISSIERIVS [b], CLARMVNDVS [c]. Succinctam quoque Lipſii notitiam ſuppeditat NICERONIVS [d].

ibid. 27. *Eraſmi amicitia inclaruit.* Extant inter epiſtolas Eraſmi Lipſianae aliquot, L. III. p. 112. L. XIII. p. 437. L. XV. p. 502. 503. L. XXII. pag. 858 ſeq. quae intimam vtriusque familiaritatem prae ſe ferunt.

pag. 488. lin. 18. *Eiusque ſpecimen in orationibus iuuenilibus daret.* Conſcripſit Lipſius antequam conſilium adeundae ſtudiorum cauſſa Italiae caperet, annorum octodecim iuuenis *variarum lectionum* libros, ſtilo, quod MIRAEVS quoque obſeruat, florido ac Ciceroniano, quorum vel ſolam praefationem ad Granuellanum cardinalem Mechliniae archiepiſcopum legere eum oportet, qui, quam venuſta Latini ſermonis elegantia huic iuueni enata ſit, et quam longe poſtea ab hac ſimplicitate receſſerit, cupit cognoſcere.

pag. 489. lin. 3. a fin. *Delatus enim ad Carolum Langium.* De celebri hoc canonico Leodienſi, hortorum cultore eximio plura dabunt ſcriptores hiſtoriae literariae Belgii Valerius Andreas Deſſelius et Aubertus Miraeus.

pag. 494. lin. 8. *ad populum.* Iungimus huic viro Italo aliud teſtimonium ex eadem regione, Io. IMPERIALIS [e], qui cetera in laudes Lipſii effuſus,

a) pag. 517 ſqq. b) T. III. p. 771 ſqq. d) Tom. XXI. p. 119 ſqq. vbi ſcripta Lipſii accurate recenſet.
c) Tom. I. n. 13. pag. 97. qui p. 119. plures nominat. e) Muſ. hiſt. p. 119.

Digitized by Google

ſus, *ima*, ait, *temeratae religionis nota, tenebras primum eius nomini offundere viſa eſt, cum apud Batauos diu ex peregrinatione Germanica redux conſederit, haud obſcura communique haereſeos opinione damnatus. Verum tot editis non fucatis poenitentiae teſtimoniis Moguntiacum, ſuſcepta ex Batauis fuga, ſe recepit, vt ſerio eccleſiae redditum cum boni omnes perpetuo complexi ſunt. tum Europae principes ac reges, ac ipſe imprimis Clemens VIII. P. M. apud ſe raris et inuſitatis conditionibus inuitarunt.* Valde proſtrauit Lipſii famam iſta religionis inconſtantia et ad nutus fortunae ſe componens indifferentia, vnde et viuus, et mortuus a multis opprobriis petitus et ſatyris cumulatus eſt. Quibus num dentatae Ieſuitarum et diſcipulorum chartae, quas *famae poſthumae Lipſii* collectio continet, medicinam attulerint, lectori diſpiciendum relinquimus. Certe ſtoicae philoſophiae gloriam et expreſſam vitae *antiquis moribus* (quo vtebatur ſymbolica epigraphe) conſtantiam ipſi tantopere commendatam haud parum iſta animi ἀδικοφοβία et diſſimulatione commaculauiſſe, haud paucis viſus eſt.

pag. 496. lin. 17. *Quod iudicium ſubſcribent. l. cui iudicio*, eam enim de Lipſii religione ſententiam extorquent, ipſae amicorum apologiae adeo frigidae, licet more ſuo dentatae et virulentae, vt nihil ſupra; quae tamen nihil habent, quod reſpondeant, praeter conuicia.

pag. 500. lin. 8. *Quam non nemo promiſit, prodeat.* Dedit quidem perſonatus CLARMVNDVS *f* vitam Scioppii, in qua multa cumulantur ad famoſi ſcriptoris hiſtoriam literariam pertinentia; ſed confuſa adeo et ordinis atque elegantiae carens illa narratio eſt, vt vix ſine taedio legi poſſit. Longe melius in hoc campo verſatus eſt NICERONIVS *g*, cui imprimis ſatis accuratum indicem ſcriptorum Sciopianorum debemus, qui interim conſulendus donec aliquando critica infamis grammatici hiſtoria prodeat. Multa vero collegit quoque P. BAYLE, hoc loco omnino comparandus. Adeo a moribus philoſophi, et ipſis moralis ſapientiae praeceptis deflexit intemperantiſſimi ingenii et calami ſcriptor, vt pudendum vel ridendum ſit, auſum eum eſſe moralem diſciplinam ex mente Stoicorum ſcribere, qui Priapeiorum editione et commentariis, et imprimis infami eorum praefatione meruerat, vt ne ad Cynoſarges quidem gymnaſium admitteretur, et impudentiſſimis et maledicentiſſimis pſeudocynicis philoſophis adnumeraretur. Tacemus, quicquid habet Stoicae inſtitutionis, id Lipſio eum furripuiſſe *. Vnde factum, vt *elementa* eius *moralis philoſophiae Moguntiae* cIↃIↃcVI. editae ex neglectu et contemtu euiluerint, et inter rariores libros compareant *b*. Mirandum autem, ſcriptorem tantae maledicentae infamia per orbem literarium notiſſimum, tot encomia, tot laudes velut tropaea numeraſſe, cum tamen praeter Grammaticam eruditionem, mediocriter in aliis ſcientiis eſſet ver-

f) Biogr. VV. Cl. P. X. p. 105 ſqq.
g) T. XIX. p. 282-331. ed. Germ.
*) Conf. STOLLE Hiſt. lit. P. III. c. 4. §. 14. p. 672.
b) Conf. REIMMANN. loc. cit. VOGT. cat. libr. rar. pag. 612.

verſatus. Prodidit autem IMPERIALIS [i], vnde tantam encomiorum meſſem meruerit, faſſus *nomen eius vbique reddidiſſe gratiſſimum, quod diuino ingenii ſui robore ad fidem catholicam aduerſus haereticos propugnandam conuerſus, plurimis operibus eximias profligatae impietatis manubias reportauerit, imitabili equidem religionis exemplo, in quam defenſor eius acerrimus intuens Ferdinandus II. imperator eum inter intimos ſui conſiliarios delegerit, plurimisque voluerit honoribus inſignitum.* Sed tacuit adulator Italus, Scioppium violatae maieſtatis regiae reum, non tantum in Hiſpania egregie vapulaſſe [k], ſed eius quoque *eccleſiaſticum*, eo tempore, quo Auguſtae haerebat [l], patrocinio M. Welſeri ſuſtentatus anno clɔlɔcXII. iuſſu curiae regiae Pariſienſis per carnificem, publice combuſtum eſſe, cum merito ob calumnias in reges, turbatamque tranquillitatem publicam vltimo ſupplicio dignus iudicaretur. Ceterum quam infirma fuerit Scioppio artis rationalis exercitatio, vel ſola illa, quam *eo ipſo anno in noſtra vrbe* non ſine iactantia edidit diſſertatio *de miraculis* prodidit, in qua calcem ſine arena, ſcriptorem vero talem licet deprehendere, qui apertiſſimis rationibus propria vineta caedit, hoc ipſo prodens, neſciuiſſe ſe, de qua quaeſtione ſibi philoſophari conſtituerit.

Ibid. not. e. *Praefectura collegii SS. Trinitatis functus eſt.* Comparandus praeter NICERONIVM. I. G. DECHAVFEPIE in *nouo dictionario hiſtorico.*

i) p. 202. Viuebat autem adhuc Scioppius cum ille Imperialis ſcriberet.

k) NICERON. loc. cit. accidit Scioppio 1614.

l) 1618. vid. dedic. Immanuelis thaumaturgi eo anno iam per biennium Auguſtae verſatus erat Scioppius, et obſtetricante Velſero religionis profeſſionem mutauerat, vt conſtat ex Epiſt. Cardin. Oſſati n. 241. L. VI. p. 515. conf. BAYLE T. I. art. Bongars not. G. p. 603. vnde haeremus, an verum ſit, quod NICERONVS loc. cit. p. 285. notat, Scioppium 1598 Romae ad Romanam eccleſiam tranſiiſſe.

AD CAPVT OCTAVVM.

DE RESTAVRATIONE PHILOSOPHIAE DEMOCRITO-EPICVREAE.

pag. 503. lin. 14.

Tandem ad Atomos Democriti peruenerunt. Non omnis quidem phyſicorum natio eo tempore Ariſtoteli ſeruiebat ſeculi ſuperioris initio; ſed progreſſi ſunt ex Paracelſi quoque ſchola noui naturalis ſcientiae conditores, qui, vt placita magiſtri diſſeminarent, omnem operam adhibuerunt, quos infra ſub theoſophicorum et Paracelſiſtarum nomine enarrauimus. Sed diſplicuit illa factio pleriſque, maxime in Germania philoſophis, qui peregrinum philoſophandi genus naturae minime ſatisfacere credebant. Quo facto magna quidem pars in obſequio Ariſtotelis

Digitized by Google

telis conſeruata eſt, aſt viri tamen nonnulli, huius quoque Stagiritae ſeruitutis pertaeſi de noua via cogitauerunt. Quod aggreſſum eſſe in Italia Teleſium, ſupra docuimus, in Germania vero primum fere ſuſcepiſſe Danielem Sennertum medicum et philoſophum Wittebergenſem, ex adductis h. l. conſtat. „Is [a] cum neque in temerariorum illorum nouatorum, „ſeu Paracelſiſtarum ſeu chemicorum numero eſſe vellet, qui antiquam phi„loſophiam, quae Ariſtotelis praecipue ſcriptis ad nos peruenit, e ſcho„lis plane eliminare conabantur, nec tamen iis accenſeri cuperet, qui „hoc ſeculo publice profiteri non erubuerunt, ſe malle cum Ariſtotele „vel Galeno errare, quam cum recentiorum aliquo verum dicere, eo „quod cum I. C. Scaligero ſtatueret: nihil infelicius eſſe illis ingeniis, „qui mordicus ſentiunt, maiores noſtros nihil ignoraſſe; ad perquiren„dam naturae viam ſe accendi paſſus eſt, contemto auctoritatis prae„iudicio". Qua de re legendum et expendendum eſt, quod hypomnematis ſuis praemiſit prooemium, bone frugis plenum, et inſpicienda ipſa hypomnematum tractatio, in qua doctrinam cum ſingulari ſentiendi et ſtatuendi modeſtia merito viri docti probauerunt. De quibus hypotheſibus phyſicis Sennerti videnda ea, quae infra Tomi IV. parte ſecunda [b] attulimus, et ad ſpecialem phyſicae hiſtoriam pertinent. Vitam celeberrimi Medici ennarrarunt Avg. Bvchnervs *oratione funebri*, *biographia Operibus* eius *praefixa* [c], Mercklinvs [d], Niceronivs [e].

pag. 504. lin. 8. 9. a. fin. *Quem tamen rariorem fecit vel neglectus libri - - vel paucitas eorum, qui his literis librisque delectantur.* Fatemur curis poſterioribus nos iam de vtraque hac cauſſa raritatis huius libri dubitare. Si enim vel neglectus vel contemtus fuiſſet, ſatis fuiſſet, ſemel eum in patria fuiſſe excuſum, nec Batauis in mentem veniſſet, librum parui habitum frequentiorem dare. Vnde magis nobis veriſimile, mox primae editionis pauca tantum exemplaria fuiſſe excuſa, timente bibliopola Ticinenſi, ne frequentia libri eius pretium et opinionem perderet; praecipue cum noua atomiſticae philoſophiae praecepta iam a Gaſſendi et Carteſii ſequacibus coepiſſent ad eorum rationem atque hypotheſin efformari. Vnde coniectura quoque nobis enata eſt, repetitam libelli extra Italiam vix noti editionem curauiſſe aduerſarios vel Gaſſendianae, vel Carteſianae philoſophiae, vt haberent, quod tantis viris opponerent. Certiora tamen, quam hae ſunt ſuſpiciones, non habemus, liberumque relinquimus Lectori probabiliores cauſſas adducere. Ceterum Londinenſem quoque anni cIↃIↃCXLVIII. 8. editionem enumerat Kahlivs, quae, ſi reuera extat, nouo argumento robur noſtrae coniecturae addit. Cui ſi liceret inhaerere, diceremus, reuocatam inter Belgas Magneni doctrinam atomiſticam deberi ei parti, quae ſyncretiſtico

a) Vid. prooem. hypomnem.
b) pag. 618 ſeqq.
c) ibid. not. k.
d) Bibl. Script. medic.
e) T. X. pag. 373 ſeqq.

Digitized by Google

ſtudio eo tempore contra Gaſſendi et imprimis Carteſii ſequaces Peripateticae philoſophiae ſubuenirl poſſe credebat [f]. Certe Syncretiſmum talem reſpexiſſe Magnenum, eſt verisimillimum [g].

pag. 510. not. l. lin. 3. a fin. *Tranſitu ad eccleſiae Romanae caſtra facto.* Multis eam commutationem religionis gratulatur Gaſſendus peculiari ad Sorberierum epiſtola et in alia ad Ioſephum Mariam Suareſium epiſcopum Vaſionenſium enixas huic antiſtiti gratias agit [h], „quod eximium Sor„berium Deo et eccleſiae quaeſiuerit, *ad ſe pellexerit, illum foueat, fortu„narumque ipſius curam habeat.* Addit autem: merebatur ille ſane incl„dere in tantum patronum, vir tam bonus, tam candidus, tam ſingula„riter eruditus, vir tanta in conuerſando gratia, quem vt nouerit, eum „amauerit, quem delegerit, *vt ſua in eo vires beneficentia experiretur*". Ex quo loco non intelligi tantum poteſt, quam prolixe Sorberium Gaſſendus aeſtimauerit et commendauerit, curque ei amicitiae fidem hic etiam poſt funus praeſtiterit; ſed colligi quoque, quibus rationum machinis epiſcopus Sorbierium in ſuas partes pertraxerit. Factum id ex indicio biographi eius GRAVEROLI anno clɔlɔcLIII. Ex cuius relatione nouimus, corradendorum numorum curam nimis Sorbierium vexaſſe, ita vt indignis homine philoſopho modis nec famae, nec nominis gloriae ob ſcopum ſaepenumero emolumento ſuo atque quaeſtui velificantem parceret. Quod hoc loco ideo notamus, ne quis glorietur, Gaſſendianam philoſophiam eam religionis mutationem effeciſſe. Cauſſam cur Nannetum poſcente aula Danica Sorbierius relegatus eſt, idem quoque Grauerolus indicat.

pag. 513. not. s. *Monet nos viri celeberrimi nomen.* Vitam Charondae vel, vt ſcribit Gaſſendus, Charronii more ſuo expoſuit NICERONIVS [i], qui ſcriptorum quoque eius indicem exhibet. Inter ea eminere librum *de ſapientia* Pariſiis vertente Sec. XVII. editum, nemini ignotum eſt, qui ſcriptores noſtri temporis morales eclecticos nouit. Qui cum partim ſuas, partim Michaëlis Montani cogitationes ſequeretur, a communi doctrinae τρόπῳ haud raro ſecedentes, meruit, vt, non obſtante moralis doctrinae, quam in eo libro ſparſit copia et vtilitate, graues cenſuras experiretur: quas qui emolliunt, prudentiam tamen ſtatuendi et ἀκριβειαν deſiderent.

pag. 514. lin. 9. *Ex vetuſtioribus obſoletae ſtabiliuntur.* Legenda eſt imprimis elegans et cordata philoſophi Dinienſis praefatio, qua ſe Scepticum magis, quam dogmaticum ſcopum ſibi propoſuiſſe monet, et ſe contra hominum religioſorum inuidiam munit.

ibid. not. u. *Prodiiſſe teſtes ſunt.* Certiſſimus teſtis eſt *Collectio operum* omnium GASSENDI, quae *Lugduni* clɔlɔcLVIII. *fol. ſex tomis* pro-

f) Adiiciendum hoc eſt. KAHLIO ad STRVVII bibl. philoſ. p. 835. et VOGTIO cat. libr. rar. p. 489.
g) Teſtamur praefationem p. 47 ſeqq. quae ſatis luculentum eius reddit teſtimonium.
h) Tom. VI. Opp. p. 328.
i) Vit. Sorb. praefixa Sorberianis p. 9.
k) Tom. XII. p. 202. ſqq.

Digitized by Google

prodiit [l]. In ea enim T. III. [m] locum habet exercitationum paradoxicarum aduerſus Ariſtoteleos liber ſecundus. Eum tamen non perfecit, ſed in fine capitis octaui haec monuit, quae, quoniam ipſa quoque Gaſſendiana opera rara atque cara ſunt, in lectoris gratiam, cuius oculis ſe liber ille ſecundus ſubduxit, integra [n] adſcribimus. *Si quaeras, benuole Lector, cur haec exercitatio ad vmbilicum perducta non fuerit, curue libri quinque ceteri, quorum praefatio ſpem facit, non ſequantur, ſcito, commonefactum ab amicis auctorem, ſtomachari non parum Peripateticos, propter prioris libri editionem, idemque fere argumentum a Franciſco Patricio in Peripateticis ſuis diſquiſitionibus, quarum tunc primum copia ei facta prius pertractatum, hunc ſecundum librum vlterius perſequi, et abſoluere noluiſſe, ipſumque ne delibatis quidem aliis in muſeoli ſui receſſum cum blattis et tineis pugnantem, ab anno MDCXXIV. qualem iam habes abieciſſe atque neglexiſſe.* Ex quo monito manifeſtum eſt, falſam eſſe HEVMANNI [o] ſuſpicionem conilcientis, reliquos, quos ſibi elaborandos Gaſſendus conceperat, libros alio tempore ab eo perfectos eſſe. Similiter STOLLIVS [p] deceptus eſt, qui cum ſecundi libri editionem Belgicam in manibus haberet, ex praefixo exercitationum argumento collegit, omnes ſex eſſe excuſas, cum tamen ne ſecundam quidem integram Gaſſendus abſoluerit. Hinc raritas libri [q], quem imperfectum et deficientem emtores non reperiſſe, nobis eſt veriſimillimum, praeſertim cum operum Gaſſendianorum volumini tertio, quicquid ſuperabat, eſſet adiectum.

pag. 515. lin. 4. *Recte cel. HEVMANNO obſeruatum eſt.* Haec ex antecedentibus iam emendanda ſunt. Nullibi enim in ſcriptis ſuis hoc argumentum Gaſſendus porro tetigit.

pag. 517. not. g. *Bornium nominat Sorberius.* Vid. *Opp. T. VI. p. 202.* vbi inter alia ad Bornium: *nimis me et tu et tot alii inſignes viri, quos inſinuas, obſtringitis, cum me reputare eum dignamini, qui viri* (Carteſii) *commenta retegere poſſim.*

ibid. not. h. *Excuſat Sorbierius.* Fallitur ergo WEIDLERVS [r] narrans, cardinalem Richelium eum promouiſſe et propemodum coegiſſe.

pag. 519. not. l. *Epitaphium Gaſſendo ſcriptum a Mommorio.* Id ſolido marmore albo et nigro poſitum Lutetiae in eccleſia S. Nicolai Campenſis, in ſacello familiae Mommorianae, aere expreſſum, exhibet *Opp. T. I.* poſt vitam Gaſſendi, cuius etiam elegantiſſima effigies huic tomo praefixa eſt.

pag. 520. lin. 19. *Galilaeo, Gilberto, Carteſio.* Teſtes damus epiſtolas celeberrimorum virorum, et in aſtronomiae ſtudio immortale nomen conſecutorum, Kepleri, Longomontani, Vendelini, Schickardi, Snel-

l) Patrocinante et curante Herb. Mommorio magno Gaſſendi patrono.
m) pag. 149 ſeqq.
n) pag. 210.
o) Act. phil. Vol. III. p. 45.
p) Hiſt. lit. P. II. c. 2. §. 48. p. 162.
q) VOGT. cat. libr. rar. p. 502.
r) Hiſt. aſtronom. c. XV. §. 60. p. 475.

Snellii, Hortenſii, Heuelii, Eichſtadii, Galilaei, Scheineri, Bulialdi, Valeſii, Gatterii aliorumque, in quibus de difficillimis quaeſtionibus eum conſuluerunt. Plura de meritis eius in rem ſideralem dabit WEIDLERI *hiſtoria aſtronomiae.*

ibid. lin. 29. *Philoſophiam inuenire poterat.* Simili lectionis abundantia per omnes philoſophiae vniuerſae, maxime rationalis et naturalis campos diffuſa, cum magna accuratione coniuncta totum philoſophiae ſuae ſyntagma colluſtrauit, vt, quem parem in dogmatica philoſophiae hiſtoria habeat, ſciamus neminem.

pag. 522. l. 13. a fin. *a SORBERIO.* Rectius a Mommortio, certe eius cura, et adminiſtratione, cui ſeruiebat Sorbierius; teſtis eſt ipſa Mommorii praefatio.

ibid. lin. 35. *Quod ſibi Gaſſendus delegit.* Negari quidem non poteſt, multa Gaſſendum, vt erat, non in agendo tantum, ſed et in iudicando modeſtiſſimus, et humani intellectus limites, et in haud paucis infantiam probe perſpexerat, probabiliter tantum diſputauiſſe, in multis ſententiam ſuſpendiſſe, et haud paucis opinionibus a dogmatibus receptis validas argumentationes oppoſuiſſe. Sed id factum non more Sceptico, ſed Socratico, eumque in finem, vt, quousque veritates cognoſcere liceat, manifeſtum fieret, eiicerentur autem hypotheſes precario aſſumtae et retunderetur dogmaticorum nonnullorum, qui variis ſyſtematibus nouis famam quaerebant ſuperbia. Ipſum vero veritatis cognoſcendae et incertitudini eripiundae finem tantum abeſt, vt reiecerit, vt expoſitis magis Scepticorum obiectionibus id ſibi ſolide euincendum eſſe ſtatueret, inter praecepta logica, longa tractatione demonſtrare poſſe aliquam veritatem ſigno aliquo innoteſcere et criterio diiudicari[1]: *eo modo adhibito vt media via inter Scepticos et dogmaticos teneatur, nempe, vt ſtatuatur, non omnia, quae dogmatici ſe ſcire putant, reuera ſcire aut ad ea diiudicanda congruum habere criterium; ſed neque omnia etiam, quae in controuerſiam vertuntur a Scepticis ita ignorari videantur, vt non criterium aliquod iis diiudicandis habeatur. Fatetur autem, partem quidem maximam eorum, quae ſcire ſe dogmatici putent, re ipſa ignorari, maxime in phyſicis, vbi beati ſimus, ſi non, quid ſit verum, ſed quid veriſimile, conſequamur.* Nempe ſubſcribebat ea in re HORATII ſententiae:

Eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur vltra.

pag. 525. lin. 25. *Anno MDXLVII.* Leg. MDCXLVII. apud Guil. Barbier typographum regium, qua editione nos vtimur. Inſertus autem liber eruditiſſimus quoque operum tomo V.[2]. In eo libro *neminem aut acrius, aut vberius, aut quidem felicius Epicuri apologiam confeciſſe, quam Gaſſendum, virum quidem magnum, omnique ſi quis alius doctrina eruditum, nec tamen eruditione, quam aut iudicio, aut candore nobiliorem, fatetur* SAM. PARCKERVS[3], Epicuro cetera infenſiſſimus.

ibid.

1) Vid. Logicae eius L. II. c. 5. T. I. Opp. p. 79 ſeqq.
2) pag. 169.
3) Diſp. I. de Deo §. 12. p. 30.

Digitized by Google

Ibid. not. n. *Amſtelod. 1684.* Vltraque editione prior eſt Lugdunenſis 1658. inter opera Gaſſendi in veſtibulo *tomi tertii* edita.

pag. 526. lin. 12. *Locum haud contemnendum comparauit.* Abſoluit hoc ſyſtema philoſophiae Gaſſendi *tomum primum et ſecundum*, et vel ideo peculiari laude dignum eſt, quod potiorum dogmatum hiſtoriam ex veteri philoſophia manu liberali illuſtrauit, adeo vt plerosque recentiores in hac quidem parte longe ſuperet. Certe nos quidem candide fatemur, a nemine plus lucis in hiſtoria doctrinarum phyſicarum nos hauſiſſe, quam ex inſigni hoc theſauro philoſophico.

Ibid. not. g. *THOMASIVS.* Fatetur ipſe GASSENDVS [x], ſe ad Carteſii phyſicam ſubinde reſpexiſſe.

pag. 526. lin. 19. *Nicolai Fabricii Peireſcii.* Exhibentur *Tomo V. operum* [y], et imprimis ſe eruditis probauit Peireſcii hiſtoria, quo Inſigni viro Gaſſendus intimae amicitiae iure fruebatur.

pag. 527. lin. 32. *Ad reſponſiones Carteſii.* Comprehenduntur haec polemica Gaſſendi vno faſce T. III. [z] operum, legique ob argumenti nobilitatem, et praeclaram diſputandi modeſtiam merentur.

Ibid. lin. 34. *Gaſſendus ſubmiſit.* Exhibet hanc quoque epiſtolam ad Carteſium miſſam *operum tomus ſextus* [a].

pag. 528. lin. 1. *Pacti erant amici.* Noluiſſe Gaſſendum pacatum diſſidium, etſi monitum et inſtigatum a viris doctis, inter Batauos reſuſcitare, ex epiſtola ad H. Bornium conſtat, et praeclarum characteris philoſophici, quo Gaſſendus fulgebat, eſt teſtimonium. In phyſica tamen ſua, haud raro ad Carteſiana placita digitum intendit, et quid iure moneri poſſit, ea, qua vtebatur, modeſtia indicauit, ita vero, vt prioris vulneris cicatrices minime remanſiſſe proderet.

Ibid. lin. 26. *Hoc loco non enumerandorum.* Inter hos ſummos viros ex ſequiori ſexu non omittenda eſt Chriſtina, Suecorum regina, quae, quibus gratiae et beneuolentiae teſtimoniis Gaſſendum cumulauerit, ex epiſtolis VV. CC. ad Gaſſendum [b] iucundum eſt intelligere.

Ibid. lin. 10. a fine. *De cuius vitae circumſtantiis P. BAYLE legendus eſt.* Hiſtoria vitae famoſiſſimi aſtrologi praefixa eſt eius aſtrologiae, repetita praeter Baylium a NICERONIO [c], qui ſcripta Morini recenſendo nonnulla addidit, in hiſtoria literaria ſuperioris ſeculi apud Gallos memorabilia, in peculiari magis aſtrologiae hiſtoria, quam hoc loco enarranda. Nobis hoc quoque loco memorandus eſt, quia, ſcripta contra Arnoldi Villonii et Stephani Claues theſes ſupra a nobis indicatas refutatione, nouatoribus iſtis ſe oppoſuit. Veterum enim contemtum ferre non poterat, et hoc quidem ſenſu commotus contra Gaſſendum inſurgere conatus

x) Phyſ. Sect. I. L. III. c. 5. p. 258.
y) pag. 240 ſeqq.
z) pag. 281-429.
a) pag. 107.
b) App. Op. T. VI. p. 335 ſqq.
c) T. III. p. 174 ſeqq.

tus et defenſionem Copernicani ſyſtematis, quam ille in diſſ. *de motu impreſſo a motore translato* inſtituerat, refutare aggreſſus eſt, vnde, rupto amicitiae cum Gaſſendo vinculo, eius quoque ſyſtema coſmologicum, edito *de atomis et vacuo* libro, oppugnauit, quo longae controuerſiae ferram cum Bernierio Gaſſendianas partes ſtrenue ſequente reciprocare ſatyraeque mordacitatem experiri coactus eſt. Quo fato et euentu id factum ſit, nos h. l. ſtrictim enarrauimus, et Niceronius quoque expoſuit. Tanto autem odio accenſus inde eſt Morinus, vt a calumniis quoque non abſtineret, vt ex PANVRGI, i. e. Morini *epiſtola de tribus impoſtoribus* conſtat; hos tres enim eſſe Gaſſendum, Bernierium, Niuraeum, impudentius dicam an ſtultius euincere conniſus, ſed a bonis quoque omnibus ex merito deriſus eſt.

pag. 529. lin. 20. *Sectam aliquam condere.* Non omittendus hic eſt locus SORBIERII, in *epiſtola ad Adrianum Vlaccum, typographum* [d], in qua cauſſam expedit, cur ſectam non habuerit vel poſt ſe reliquerit tanti nominis philoſophus: „Miratus ſum, ita ſcribit, ſaepius, qui fieret, vt „philoſophandi ratio, quam Petrus Gaſſendus inſtituit, et quae tanto ap„plauſu excepta fuit, non tamen profundius, hominum ſtudioſorum men„tes peruaſerit, ex quo in lucem varia huius auctoris ſpecimina prodiere. „Sectatores habuit illa paucos, quamuis blande animo adrepat, nullo „niſu facillima eius principia memoriae inſculpantur, luce tam clara in„tellectum, et virtute tanta voluntatem perfundat. - - Hoc inquam, me „diu multumque torſit, cum nondum ſatis animaduerterem, qui fieri „poſſit, vt tam erudito, tam vafro iſto ſeculo laruis et ſomniis (Carteſia„nam philoſophiam pungit) ſolidiora ſapientum ratiocinia poſthaberen„tur. Verum illud tandem diſcriminis reperi, inter ſublimes iſtos, ſcili„cet doctores, et Gaſſendum humi repentem, quod agmine denſo ince„dant, et confertim in lectorem irruant: dum noſter palabundus nimia „literatura ponit inter propoſitiones ſuas haud commoda interualla, qua„rum itaque non ſatis apparet cohaeſio, et vires infringuntur. Nouus „Anaxagoras (Carteſius ſine dubio) vrget propoſitum, dum vult digito „monſtrari et dicier, hic eſt! ſua tantum cogitata propinat, inſtar titu„bantis, loco tandem lectorem, et vel inuitum cogit motum ſemel im„preſſum ſequi. Nec mirum abripi, quocunque libuerit ferri, cui pon„dus omne ablatum, cui imperare vir iſte potuerit, vt omnem abiiceret „praecedentem rerum cognitionem, quam per ſenſus vel per rationem „habuerit. Huic ſane operi quanto maiori molimine opus fuit, tanto „facilius impreſſus iam motus perſeuerabit. Quare nihil mirum, tot ho„die extare viros eximios, quos medio alueo deuehunt abreptos opinio„nes portentoſae, abſtruſiſſimae, imperfectiſſimae atque adeo nullo modo „conferendae cum epocha ſapientiſſima, paucis aſſertionibus ſemper „admiſta,

d) Praemiſſa eſt editioni Belgicae Syntagmatis philoſophiae Epicuri a Sorbierio denuo recognitae, quae repetita quoque Amſt. 1684. 4.

Digitized by Google

„admiſta, in ſcriptis philoſophi noſtri, quid verum atque decens ſine fu„co, ſine ambitione quaerentis.“ Hactenus ille, quibus deinde ſubdit, „ſe ideo ſyntagmati huic radios nonnullos demſiſſe, citationes ſcilicet fre„quentiſſimas, et innumera veterum loca, et auctoris verba ipſa deſum„ſiſſe, propoſitiones ſeparatim enunciauiſſe, digeſſiſſe aliquando, aliis „characteribus ſignandas curauiſſe, appoſitis quoque ſummariis, vt non „opus ſit, magna Gaſſendi volumina conſulere: ratum, ita facilius lecto„ri arriſuram tanti viri ſapientiam.“ Non negabimus, multum eam rationem effeciſſe, cur non Gaſſendi philoſophia in ſectam tranſierit, quemadmodum Carteſiana, licet magis pectus ſatiaret; illud enim vtriusque hiſtoriam inter ſe comparanti erit manifeſtum. Putamus tamen, alias adhuc rationes fuiſſe, cur Gaſſendus ſecta caruerit. Nempe, nec ipſe iſta ambitione quaerebat, vt ſectae parens eſſet, malebatque antiqui philoſophi nomen praefigere, quod eius indoli ad modeſtiam compoſitae valde conueniebat: et ſtudiis Carteſianis diſſimilis, nouitatis gratia plauſum et partes non quaerebat; ſed ſibi et amicis philoſophari poſſe erat contentus: maxime vero dum veterem ſectam eamque inuidia et ſuſpicionibus cumulatam ſuis meditationibus, parentem mutuatur, et Epicuream ſe traditurum philoſophiam pollicetur, ipſe ſibi obſtitit, quo minus ex abiectis in puluerem nouam philoſophiam ſibi reſtaurari lectores crederent, vnde, accedente humanae mentis curioſitate, in *καινοφανίας* valde prona, malebant philoſophiam ſequi bullas proiicientem, quam veterem amplecti ex antiquo ſqualore reſuſcitatam. Sed et ipſa fata Carteſianae philoſophiae eiusque commutationes et vicisſitudines effecerunt, vt dum his nouis omnis Europa concutitur, veterum nomen contemtum maneret; licet noua re ipſa ſuppeditaret. Ita ſcilicet, docente philoſophica hiſtoria cuilibet ſectae ſuum ſemper fatum fuit, concurrentibus licet ad eius deſtinationem cauſſis moralibus. Recentius autem Gaſſendiſtarum nomen, mutuo tantum aſſumtum noſtro tempore eſt, illisque tributum, qui atomorum viam atque ſyſtema elegerunt, cetera nihil Gaſſendianum habentes, vt Carteſianis certo ſectae nomine poſſent opponi. Quod tamen noſtra aetate vix vſu venire videmus, ex quo Carteſiano et Gaſſendiano nomini noua, Newtoniana, Leibniziana, Wolfiana, et in moralibus Pufendorfiana et ſimilia ſunt ſurrogata nomina. Nempe ſemper inter homines, etiam philoſophantes eadem fabula luditur, omnisque viciſſitudinis par eſt ratio.

Digitized by Google

AD LIBRVM TERTIVM.

DE PHILOSOPHIS NOVAM PHILOSOPHANDI VIAM TENTANTIBVS.

CAPVT I.

DE SCEPTICIS RECENTIORIBVS.

pag. 544. lin. 14.

Cum Academicis negat. Legendum *urget:* putat enim abbas Praemonſtratenſis veritatem talem, qualem poſcit logica vel metaphyſica, latere in profundo puteo, hoc ipſo in Democriti et aliorum veterum caſtris militans, qui tamen longe alio fine alioque ſenſu et limitibus, dogmaticorum arrogantiam, et hypotheticam eruditionem fugillarunt.

Ibid. lin. 18. *Ex Romana eccleſia viri docti.* Quos ſuſpicione quidem nolumus premere, ex cauſſae ſuae deſperatione talia a viris cetera non luſcis aſſeri, quae humanae rationis fundamenta euertunt, et in ipſum creatorem, quin, cui tamen ſeruire cupiunt, eccleſiae teſtimonium ſunt iniuria: exemplum tamen inde capiant, optamus, lectores iuuenes, vt priusquam iudicent, diſcant ſapere, et cauti fiant, ne falſo pietatis et religionis opinione in inſaniam ruant.

pag. 547. lin. 5. a fin. *P. BAYLE.* Non habendus tamen iſte articulus dictionarii literarii pro biographia Vayerii, multa enim de tam celebri viro deſiderantur: ſed eſt farrago obſeruationum literariarum et moralium, vtinam meliori caſtimoniae et prudentiae ſenſu diſperſarum, quibus criticus Roterodamenſis ſuo ſatisfecit ingenio. Quare ad Pelliſſonium, et Perraltum recurrendum, qui Elogium Vayerii ſcripſerunt, quosque ſecutus eſt in enarranda eius hiſtoria NICERONIVS [a].

Ibid. lin. 3. *Anno MDLXXXVI. genitus eſt.* Annum MDLXXXVIII. indicat Niceronius.

pag. 548. lin. 2. *Incrementa cepit ſpe omni laetiora.* Hauſtis elegantiorum literarum fundamentis, iurisprudentiae ſe deſtinauit, in qua diſciplina patris exemplo et conſilio, et auorum quoque in eo eruditionis genere dudum clariſſimorum laudibus excitatus perrexit. Vnde iuuenis parentem Felicem Vayerium aduocatum curiae regiae [b] in grauiſſimo hoc munere ſubleuare eumque poſt fata ſequi potuit. Literaria vero ſtudiorum ratione forenſi praelata, totus ad humanitatis literas tanto feruore, tanta induſtria conuerſus eſt, vt ſe totum veterum ſcriptorum libris atque doctrina ingurgitaret, ſic, vt Plutarchus recentioris aetatis dici meruerit, locumque in academiae Gallicae collegio obtinuerit.

Ibid.

a) T. XV. p. 102 ſeqq. E. G.

b) Eius vitam exhibet CROIX DV MAINE l. c.

Digitized by Google

Ibid. lin. 26. *Ad ſecunda vota tranſiret.* Factum id anno cIↃDCLXIV. III. Cal. Ian. anno aetatis LXXVI. recte ideo Niceronius eos notat, qui anno aetatis LXXX. Vayerium ad ſecunda vota tranſiiſſe affirmant: annum enim LXXXIV. viuendo attigit, alii LXXXVI. ponunt [c].

pag. 549. lin. 11. *Eum ſibi imitandum propoſuiſſe.* Compenſabat ideo elegantiae natiuae et hodierni ſenſus literarii defectum, quem nonnulli ei obiiciunt, et rhapſodum tantum fuiſſe iudicant, doctrinae veteris abundantia, qua reliqua membra iſtius academiae viciſſe recte pronuntiat Niceronius.

Ibid. lin. 19. *Richelio et Mazarino.* Legendae dedicationes Operum eius cum ad cardinalem adminiſtrum, tum ad Regem ipſum a filio cIↃIↃcLIII. patris operibus praefixae, quae vtriusque gratiam mire depraedicant.

pag. 550. lin. 12. a fin. *Et in vſus ſuos referret.* Aberat tamen ab auſteritate et moroſitate eorum, qui omnes prae ſe alios contemnunt, et conuerſatione iucundus copioſe et eleganter de quouis argumento diſſerebat. Maxima enim memoriae vi, lectionis copiam in horrea ſua reponentis fruebatur, et vetera, noua, de quocunque argumento colligebat, et in ſuos ita traducebat, vt non alios exſcripſiſſe, ſed alienis natiuum locum tribuiſſe iudicaretur.

Ibid. not. g. *Sex tomis 1669.* Prima operum eius editio prodiit MDCLIII. Pariſiis in folio; ſecunda iſta amplior MDCLXII. III. Vol. fol. Tertia, ipſa quoque viuo adhuc auctore edita Pariſiis cIↃIↃcLXV. XV. voluminibus in 12. quae omnia Vayerii ſcripta continet, praeter hexameron ruſticum, et dialogos nouem, quibus nomen ſuum Graecum Oraſius Tubero praefixit: hi libelli enim cum fama auctoris et exiſtimatione, qua inter ſummos viros et in aula fruebatur, non ſatis digni viderentur, ſine dubio ex hac collectione omiſſi ſunt. Aliter quidem Niceronius eas numerat, et primam, ait, prodiiſſe cIↃIↃcLIII. alteram triennio poſt, II. Vol. fol. tertiam Pariſ. cIↃIↃcLXII. in fol. III. Vol. quartam Pariſ. cIↃIↃcLXXXIV. 12. XV. Voluminibus. Sed veremur valde, ne fallatur fallatque Niceronius, editiones praeter rem enumerando. Habemus enim ex ſupellectile noſtra literaria praeſentem editionem vltimam XV. Voluminum minorum, in qua monet bibliopola, non comprehendi tantum omnia, quae in vltima collectione III. Vol. fol. exhibita ſunt, ſed complures quoque tractationes alias, quas poſtea auctor euulgauit. Ea autem editio a filio Pariſiis cIↃIↃcLXIX. edita et tanquam tertia Galliarum regi inſcripta eſt. Num ea poſtmodum repetita comparuerit, dicent, qui eam viderunt. Complectitur iſta editio tomo I. *praecepta pro Delphino;* II. *de ingenio contrario Gallorum et Hiſpaniorum, diſcurſusque hiſtoricos quatuor alios;* tomo III. *Iudicia de praecipuis hiſtoricis Graecis et Latinis;* tomo IV. *diſcurſus et obſeruationes de eloquentia Gallica, immortalitate animorum et muſica;*

c) Videntur ſcriptores incerti fuiſſe de anno natiuitatis Vayerii.

Digitized by Google

muſica; tomo V. tr. *de virtute gentilium;* tomo VI. *geographiam, rhetoricam et ethicam Principis;* tomo VII. *oeconomiam, politicam, logicam, phyſicam principis;* tomo VIII. IX. *opuſcula minora et breuiora;* tomo X. XI. XII. *breuiores diſſertationes epiſtolicas ad diuerſos literarum cultores;* tomo XIII. *deambulationem dialogiſticam cum problematibus, dubitationibus ſcepticis et incertitudine exigua hiſtoriarum;* tomo XIV. *orationes academicas;* tomo XV. *Obſeruationes de compoſitione et lectione librorum; de vſu dubitationum ſceptica-rum, cum ampliſſimo indice.* His quatuor exiguos libellos addit NICERONIVS, qui in hac editione deſiderantur: vnde coniicimus, eam additionibus, de ſcribenda chronologia Galliae et ſoliloquiis ſcepticis auctam denuo eſſe repetitam.

pag. 568. not. y. *Par M. G. de l'A.* Indicant hae literae initiales Aegidium Alnetanum (Gilles d'Aunoy) non ignoti eo tempore inter viros literatiſſimos apud Pariſienſes viri, et conuenticulis eruditis, viris doctis gratiſſimi, qui ſuo nomine libellum ſatyricum in vulgus prodire paſſus eſt. Eum inepte in G. de l'Academie Françoiſe commutauit bibliopola Trajectinus. Leuior vero et indigna Huetii nomine et dignitate atque exiſtimatione ſcriptiuncula eſt, quare diu nomen ſuppreſſit, ſuamque opellam eſſe negauit.

pag. 569. *Iudicarunt Ieſuitae.* Ediderunt hi alumni Huetianae liberalitatis apologiam, calamo P. CASTELLI [d] conſcriptam, et comm. literariis Triuoltinis inſertam, qua auctorem huius famoſi libelli Huetium eſſe, pertinaciter negabant, eo quod ſalua pietate et religione multa in eo ſcripto affirmari non potuerint. Sed euictum ab Oliueto et peculiari apologia anno ſequente [e] demonſtratum, exhibito quoque viris doctis, quibus academia elegantiorum literarum Gallica iudicium commiſerat, Huetii *αὐτογράφῳ*, opuſculum hoc, quod ipſi Ieſuitae ſtigmate notauerant, Huetianum opus eſſe. Quod ſcribi potuiſſe a tam praeclarae doctrinae viro in veteri hiſtoria philoſophiae non inexercitato, ſenili quidem increſcentis et repueraſcentis nomine poſſet excuſari, niſi adeo manifeſtis argumentis, quibus eam rem confecimus, conſtaret, multis prius annis Huetium ad hanc Scepticiſmi anchoram confugiſſe, eo quod de argumentorum, quibus dogmata theologica R. C. Petauius probauerat, robore dubitauiſſet, nec ad ſolida magis potuiſſet penetrare. Vnde imbecillitatem intellectus humani, quam euincere in hoc libello contendit, tantum de intellectu Huetiano intelligendam eſſe, qui haud raro pueriliter in eo nugatur, recte viris doctis viſum eſt [f]. Certe quam elumbi ſaepe ratiocinio rationis vſum oppugnet, interpres Germanicus, CHRIST. FRID. GROSSIVS profeſſor Petropolitanus in adiectis annotationibus euictum dedit [g].

pag.

d) NICERON. l. c. conf. Mem. de Trevoux 1725. p. 989.
e) Paril. 1726. 12.
f) Ita quidem Clericus apud NICERON alias liberalis doctrinae Huetianae laudator.
g) Francof. 1724. 8.

Digitized by Google

pag. 573. lin. 21.' *Felicem facilemque poëticae facultatis vſum.* Collecta Huetli carmina vena facili et iucunda profluentia aliquoties edita collectores habuerunt Hogerſium, Graeuium, Oliuetum. Iter eius Suecicum carmine heroico ad Ioannem Capellanum deſcriptum ob amoenitatem et notabilem vitae Huetli particulam ſeorſim edidit Io. Dav. Rickirsivs *h*. Poteſt id cum Lipſii Weſtphalicis epiſtolis comparari, adeo barbaros Septentrionalium hominum mores falſe deſcribit, atque deridet, vt Gallum delicatulum facile agnoſcas.

pag. 574. lin. 8. *Ex literarum ſtudiis et conuerſatione virorum doctorum captauit.* Multis id exemplis iucundiſſimis ex commentario *de rebus ad eum pertinentibus* colligi poteſt, in quo multorum virorum doctorum ſibi familiarium memoriam renouauit, ſicque literariam ſui temporis hiſtoriam adiuuit. Quod exemplum merito futuris vitae propriae ſcriptoribus commendauit Hevmannvs *i*.

pag. 575. lin. 25. *Vitam enarrauit NICERONIVS.* Ea emendata et aucta etiam in Germanica verſione apparet *k*. Additiones enim Niceronii ſuis locis inſertae ſunt.

pag. 576. lin. 8. *Virum celeberrimum facere poterant.* Prodiit etiam verſio huius biographiae Baylianae Germanica, quam in conterraneorum gratiam curauit I. P. Kohlivs *l*.

Ibid. not. u. *Quam praeſentem habemus.* In partes curarum autem vocanda editio, a cl. De Maizeavx publici iuris facta, quae plenior eſt et accuratior: ea prodiit cIↃIↃccXXIX. 12. 3. Vol.

pag. 579. lin. 21. *In nulla ſecta certus haeſit.* Legi et expendi velimus hanc epiſtolam Baylii non tantum, vt Lectori de veris fontibus Scepticiſmi Bayliani conſtet, ſed vt inde quoque intelligat, quod ſidus noſtro tempore eruditos afflauerit, vt eam ſtatuendi et viuendi viam inirent, quae totam felicitatem humanam euertere apta eſt. Non autem poteſt intelligi iſta epiſtola Sceptica, niſi veteris Pyrrhoniſmi, et academicae diſciplinae, quarum lectorem inueniat: qualis in ea multa, quod experientia nouimus, deprehendet In veteris philoſophiae hiſtoria memoria maxime digna.

pag. 580. lin. 11. *Plaudente academia Sedanenſi conferretur.* Factum id ineunte auctumno anni cIↃIↃcLXXV.

Ibid. lin. 20. *Commendauimus.* Vocat eum Baylius *maximum ex fugitiuorum Proteſtantium cohorte philologum, virum exercitatiſſimum, poëtam, Graecaeque literaturae peritum, ſenſu veteris et recentioris literaturae valde imbutum, et non ſine ſingulari ratione inuentiones recentiores admirantem.*

pag. 582. lin. 1. *Si in Romanae eccleſiae ciue conſcriptae viderentur.* Fugitiuam, quam vocant ſcriptiunculam huic argumento, hominum curioſitatem et apud haud paucos metum iugulantem Baylius deſtinauerat, *Mercurio*

h) Vlm. 1742. 8.
i) Intr. in H. L. c. 7. §. 2. p. 405.
k) Tom. VI. p. 266.
l) Hamb. 1731. 8.

Digitized by Google

Mercurio eleganti, ephemeridibus, quas dirigebat viſcus, inſerere. Quas tamen cum inter Gallos edere non poſſet, Coloniae, quod prae ſe fert titulus, ad Batauos delatus cIↃIↃcLXXXIII. vulgauit, et cum nimis tenue argumentum videretur, multarum obſeruationum literariarum, ipſi tractationi inſperſarum, ornamentis commendauit, tanto plauſu exceptis, vt aliquoties editionem, ſemper comtiorem amplioremque edendi neceſſitas illi enaſceretur [m]. Pluſcula in ea ſunt H. P. illuſtrantia.

pag. 585. lin. 14. *Qui certatim eas laudarunt.* Dignae iſtae lucubrationes menſtruae viſae ſunt amoenitate et elegantia ingenii doctrinaeque Baylianae, qua ſcriptores alios et cogitandi nouitate, et ſcribendi viuacitate et iudicandi acie cum prudentia et modeſtia coniuncta, et digreſſionum varietate ſuperauiſſe viſus eſt.

pag. 587. lin. 10. *Cum enarrauiſſet Baylius.* Narrat hanc quoque contentionem NICERONIVS [n], qui, cum res ad noſtros limites non pertineat, ipſe videndus. Nempe quaeſtio voluebatur philoſophica, num voluptas ſenſuum bona ſit et felicitatis mater, nec ne? affirmatiuam tuente Mallebranchio, negantem Arnaldo: verborum tantum pugnam ſubeſſe, monente Baylio, quem non inepte iudicaſſe h. l. oſtendimus.

pag. 588. not. c. *Addito iudicio ſuo paulo liberiori.* Et hanc quoque dicam Baylio ſcriptam enarrauit pluribus NICERONIVS.

pag. 589. not. h. *De auctore famoſi libri.* Pelliſſonii foetum eſſe hunc libellum, quam primum prodiiſſet, publica fama tradebat, et nonnulli interque eos de la Baſtide [o] multis rationibus contendebant, ſed falſos eſſe ipſumque Baylium foetus huius parentem habendum, vitae eius auctor, IAC. G. CHAVFEPIE [p], cui verſionem Gallicam *ſupplementorum et continuationis dictionarii Bayliani* debemus, ita demonſtrauit, vt pro euicto habendum ſit, ipſum Baylium iſta allocutione reditum ſibi in Galliam parare voluiſſe, quod imprimis perſecutionum inter Batauos, quas ab inimicis paſſus eſt, acerbitati deſperata conſilia ſuggerenti imputandum eſt. Quare decepiſſe amicos τὸν πάππον LEIBNIZIVM iudicamus, referentem [q] ex illorum indiciis, accepiſſe hunc libellum Baylium a Pelliſſonio, illumque a ſe deſcriptum typis edendum curaſſe, ſicque in partes curarum ſucceſſiſſe.

pag. 592. lin. 8. *Sententias eruditorum de eo colligere nolumus.* Hiſtoria literaria celeberrimi operis in generali iſtius eruditionis partis enarratione quaerenda eſt, vbi de variis eius editionibus, augmentis, verſionibus Anglicana et Germanica, virtutibus, naeuis, fatis ampliſſima multorum annorum hiſtoriam literariam explicandi occaſio eſt: quam hoc loco expectare

m) Acceſſere additiones ad cogitationes ſuper cometas, lutiaco oppoſitae 1699. quarta editio prodiit 1704. quinta Anglice 1708. 8.

n) loc. cit. p. 293.

o) Vid. Hiſtoire de Mr. Bayle et de ſes Ouvrages: noua Liter. Lipſ. T. II. Suppl. I. p. 431. Suppl. V. p. 461.

p) Supplem. au Dict. hiſt. crit. de Bayle T. I. p. 131-156. vbi ſatis ampla enarratio hiſtoriae literariae Baylianae exhibetur, etiam refertur, Baylium, ſi ſpem certam redeundi in Galliam accepiſſet, conſilium concepiſſe ad eccleſiae Romanae caſtra tranſeundi.

q) Nou. lit. Lipſ. l. c. p. 546.

Digitized by Google

pectare non licet. Dabunt tamen, quantum satis, biographi Bayliani, quos in scenam hactenus produximus, et inter eos quoque Niceronius, et qui librum multis accessionibus auxit interpres supplementorum operis, Anglicanorum, Gallus Iac. G. Chaufepie qui cl. De Maizeaux historiam Baylianam [r] in haud paucis suppleuit, inque nonnullis emendauit. Iudicia vero doctorum virorum nonnulla celebratissimi operis exhibuit Hevmannvs [s], quibus innumera possunt addi alia. Dolemus indicem accuratum operi deesse, cum quamplurimas obseruationes auctor immiscuerit, in veteris et recentioris eruditionis historia multum momenti habentes, quas in tam prolixo opere sine indice reperire non licet. Multum autem commendandum esse hoc cornu copiae historiae veteris et recentioris philosophicae historiae cultoribus, ex multorum annorum experientia nouimus, eiusque plurima specimina in hoc nostro opere dedimus. Imprimis autem grati fatemur, multoties Baylii curiositatem occasionem nobis suppeditasse, in haud pauca momenta veteris philosophiae curatius inquirendi, quae alias omisissemus. Quanquam autem haec de H. P. merita denegari Baylio nequeunt, fatendumque est, in veteri et recentiori literatura diligentiam suam eum late expandisse, et cum auctoritatis sectaeque praeiudicio se fascinari non pateretur, proinde haud raro et ingenii felicitate et coniiciendi acumine, multa vidisse, quae magnum pondus habent in hoc veteris imprimis literaturae campo, et multa eaque egregia lumina H. P. accendisse: fatendum tam et hoc est, totum criticae historiae philosophicae circulum nec animo fuisse complexum, nec systemata, maxime vetera, ex suis fontibus, veris illis et genuinis hausta, satis inspexisse; nec attentionis tantum, quantum critica notitia veterum doctrinarum postulat, adhibuisse, vt in nexus et concatenationes systematum alte penetraret, maluisse quoque recentiorum saepenumero obseruationes et coniecturas sequi, quam veterum monumentorum fidem. Accedit, quod longe maius malum genuit, quod systemata philosophorum veterum multoties in eos sensus rapuerit, qui placitis et hypothesibus eius singularibus fauebant. Cuius vt multa in hac nostra historia exempla adduximus, suis locis occurrentia, ita specialia hoc loco afferre pagina vetat. Displicet quoque, quod haut raro sibi non constet et contradicere videatur, certo indicio, ex primis et genuinis fontibus eum non bibisse, quodque variis formis et maeandris interdum suas explicationes se inuoluere, et difficiles exitus habere passus sit. Quare in hoc quidem historiae philosophicae campo lectorem postulat, nec peregrinum in veterum doctrinis, nec inaduertentem, sed ad singulos gressus eius attendentem, ne elegantissimae differendi artis illecebris seductus, a veritate aberret. Suppeterent exempla eorum, qui hoc modo Baylianis obseruationibus et dissertationibus seducti aliquoties lapsi

r) Tom. I. art. Bayle.

s) Consp. H. L. c. VII. §. 2. p. 407.

lapſi ſunt, ſed refugit ea paginae noſtrae anguſtia. Haec autem ita monenda nobis viſa ſunt, vt rectus operis caetera magnifici et praeclari vſus in H. P. C. intelligatur. Duriores et ſeueriores cenſuras SAVRINI [s] et CLERICI [t] recitat NICERONIVS [u], quae ſuis locis quaerendae ſunt. Quos tamen controuerſis Baylianis implicitos aliquid indignationi dediſſe, cogitandum eſt.

s) Sermon. Vol. III. t) Bibl. anc. et mod. P. VIII. u) T. VI. p. 277.

AD CAPVT SECVNDVM.

DE PHILOSOPHIS MOSAICIS ET CHRISTIANIS.

pag. 613. lin. 7.

IALB. FABRICIVS qui videndus. Conuerterat laudatiſſimo inſtituto vir *χαλκέντερος* ex Anglico ſermone GVIL. DERHAMI *aſtrotheologiam*, id eſt, *demonſtrationem exiſtentiae et naturae deuinae ex ſideribus* [a] in vernaculam, ei autem praefixit, more ſuo, rem bibliothecariam etiam hoc nomine aucturus, Syllabum ſcriptorum veterum et recentiorum, qui ex contemplatione naturae eiusque operum atque creaturarum hominis animum ad Deum conditorem ducere conati ſunt, in quo ampliſſimo indice plerosque auctores nominauit, quorum eruditio atque pietas in conſiderandis rerum naturalium ad Deum conditorem et auctorem relatarum eſſentia, modis, qualitatibus, finibus etc. verſata eſt. Habes Lector in hoc horreo adductos ſcriptores de creationis hexaemero, de demonſtranda ex operibus creationis exiſtentia attributisque, de conſideratione hominis quoad animam et corpus eiusque membra; de confeſſione naturae contra atheos, de operibus diuinis; ſiderumque atque coeli et terrae, aliisque ſpecialibus argumentis plurimis, ex quibus numinis maieſtatem creatorisque ſapientiam atque bonitatem philoſophia, maxime naturalis et experimentalis luculentiſſimis et iucundiſſimis demonſtrationibus glorificat. In quibus attente et deuoto numini animo verſari poſſe, maximum philoſophicae hiſtoriae, quae hunc ſibi campum vindicat, vſum eſſe, pie recteque ſtatuimus, cum non tantum nobiliſſimum idque practicum philoſophiae caput abſoluat, ſed et ad amandum et colendum DEVM vehementer animum accendat, praeparetque, vt patulae aures, et pectora reuelationi homines praebeant. Qua de re digna eſt, quae hic adſcribatur magni philoſophi G. G. LEIBNIZII [b] confeſſio: *excitati naturae contemplatione intusque adiuti ex alto eum ſuper omnia amare poſſunt, quem ſuper omnia pulchrum perfectumque eſſe intelligant, donec praeparata mente etiam fidei lumen ipſis infundatur. Itaque conandum eſt, vt amor diuinus inte-*

a) Hamb. 1728. 8. b) Otium Hannoueran. p. 18.

Digitized by Google

interim excitetur, quem maxime Chriſtus vrſit, et ratio ipſa commendat. Certum autem eſt, neminem amari poſſe, cuius non eſt cognita pulchritudo, nec diuinam ſapientiam atque poteſtatem, in quibus ſupremae intelligentiae ſpecioſitas conſiſtit, quantum a nobis illa capi poteſt, melius noſci, quam cognitione rerum, quas fecit. Vnde conficitur, tria agi debere, ad augendum in nobis naturale lumen; nimirum, vt primum colligatur notitia rerum egregiarum iam inuentarum; deinde, vt eruantur adhuc inuenienda; denique, vt omnia, vel inuenta, vel inuenienda referantur ad hymnos ſummo rerum auctori canendos et incrementum diuini amoris, cui charitas erga homines eſt innexa. Haec vir non doctrina magis, quam animo vere magnus ad Grimaldum S. I. presbyterum et tribunalis mathematici in imperio Sinico praefidem, quem effectum vt habeant quoque noſtri labores, pie precamur.

ibid. lin. 11. *Illuſtris CHRISTIANI WOLFII eruditio.* Is ex inſtituto in conſideratione philoſophiae naturalis de finibus rerum naturalium a creatore conſtitutis agendum ſibi ratus duabus tractationibus elegantiſſimam et iucundam introductionem in hoc pietatis et ſapientiae naturalis conclaue exhibuit. Dum enim fines ſapientiſſimi et benigniſſimi creatoris explicat, vtilitatem quoque ſimul pandit rerum naturalium, praecipue, quae ab hominibus inde hauritur. Vnde inter praeſtantiſſimas huius argumenti tractationes illae referendae ſunt, quarum ſummam vir celeberrimus ipſe explicuit [c], ea de re omninó legendus. Aliorum, qui in hoc ſtadio currentes ad fines rerum attenderunt, et imprimis Numinis exiſtentiam ex conſideratis creaturarum finibus demonſtrarunt, in quo ſpecialis Anglorum eruditio et pietas eminuit, nomina atque ſcripta laudat I. A. FABRICIVS [d], qui conſulendus.

pag. 621. lin. 1. *Contemneret.* Meretur hoc loco legi et attendi Burnetius, tum propter magnam iudicandi vim, qua in coſmogonica veterum philoſophorum ſyſtemata penetrauit, tum ob validas rationes, quibus feceſſum maxime a Platonico ſyſtemate facere perſuaſus erat, quaeque oſtendunt, lumina Verulamiana aperuiſſe acutis et cordatis viris oculos, vt a veteris philoſophiae omnisque ſeruitutis iugo ſe liberarent, qua in re acutiores habebat oculos Burnetius, quam reliqui philoſophi Britanni, qui, deſertis Peripateticis ſentibus, ad Platonis academiam diuerterant. Satis luculenter enim in eo, quem hic adduximus loco manifeſtum fecit, vaga, incerta, et, ſi verum dicendum, nihil ſignificantia veterum principia, ne Platonico quidem excepto, nec ſatiare animum, nec realem veritatem apponere, et luſus eſſe ingenii, quibus in inquirenda rerum natura nihil proficitur: accedere autem hominum multorum vecordiam, qui magnos ſapientiae theſauros ſe in iſtis veterum, et imprimis Platonis hypotheſibus inueniſſe iactantes, efficiunt, *vt Plato,*

c) Vid. hiſtor. ſcript. ſuorum, §. 183 ſeqq. p. 552 ſeqq.

d) Syll. Script. de V. R. C. c. VII. p. 287. Genuiſſe hunc ſcopum inſtitutum Rob. Boyle, ex hiſtoria atheiſmi norum eſt.

cum ſuam ſententiam miris implicuerit ambagibus, idcirco obtinere id, quod vellet, potuerit, vtpote quod illum ideo miremur, ſuſpiciamusque et reuereamur tanquam inſigne myſterium, opinemurque niſi perfecte animae, (mundanae) *naturam noſcamus, cauſſam eſſe, quod non in mentem diuini viri penetremus, nobisque imputemus, quod homunciones cum ſimus, tantum heroëm conſequi non poſſimus, et cum nobis oculi noctuae, illi aquilae fuerint, ad illud iubar caligemus, quod ipſe clare perſpexerit.* Quibus verbis aliunde mutuum ſumtis praeiudicium theologorum ſui temporis recte iugulat, qui aenigma Platonicum animam mundanam in phyſiologiam intrudendo, dicere non potuerunt, quid Plato per illud principium intellexerit, auctoritatis autem praeiudicio capti, ſupra humanam ſortem eam eſſe ſapientiam credunt, quae ab ipſis non intelligitur. Qua obſeruatione praeclare animos ad ſcrutandam veterum ſapientiam praeparauit, quae tantos progreſſus nunquam feciſſet, niſi obſcurarum, non intelligibilium nihilque ſignificantium notionum meteoris philoſophicis rerum nihili fidem magnis cetera viris perſuaſiſſet. Quae ſi recte obſeruantur, liberare animum ab antiquitatis nimia veneratione et praeiudicio apta ſunt, et animum diſponunt, vt nihil veterum et recentiorum philoſophorum admittat, niſi quod clare et euidenter poteſt intelligi. Qua in re tamen ne ipſum quidem Burnetium ex omni parte beatum fuiſſe, *theoria* ſua *telluris* prodidit.

ibid. lin. 4. *In ſacra Chriſtianorum doctrina declaranda depoſuit.* Teſtem damus librum eius poſthumum *de fide et officiis Chriſtianorum*, in quo in alterum extremum cucurriſſe, et nimia eligendi libertate reuelationi praeiudicaſſe viſus eſt e).

pag. 625. lin. 5. *Videndi autem.* Leg. videnda autem et non cum auctore tantum, ſed inter ſe quoque comparanda, quae viri docti etc.

pag. 638. lin. 9. *GASSENDVM f).* Dabimus ipſa magni philoſophi verba, cum, quod opera eius non cuilibet obuia ſunt, tum, quod aliis in philoſophiae hiſtoria accuratius et profundius cogitare ſolet. „Non „videntur mihi conſtanter ſatis ac religioſe illi facere, qui, ſi quid ſomniant „in phyſicis, patrocinium ſtatim in ſcriptura quaerunt. Quaſi vero „Spiritus ſanctus in dictandis codicibus ſacris non in eo ſolum incubue„rit, vt morum innocentiam diuino cultui iunctam tuerentur; et gra„tiae ſimul atque gloriae, quae dona ſunt ſupra naturam, efficerentur „particeps? Vt elegans ſane textura verborum, ita ſublimis eruditio „rerum naturalium in Scriptura negligitur; quod, cum omnium homi„num ſua interſit ſalus, contineri iis debuerit et verbis et rebus, quae „captum etiam rudiſſimorum non excederent. Vide vt Chriſtus Domi„nus, parabolis ſemper familiariſſimis vtatur, vineae, agri et ſimilium, „de illa vero materia prima, aut quinta eſſentia prorſus ſileat. Vide, vt Mo-

e) Vid. nou. lit. Lipſ. 1729. Vol. XV. p. 495 ſq. Act. erud. Germ. P. CXLII. art. 4. etc.

f) T. III. opp. p. 231 ſqq.

Digitized by Google

„Moſes legislator non epicyclos aut eccentricos deſcribat, ſed enun-
„tiet ſimpliciter vt Deus creauit coelum et terram. Certe exiſtimaui
„ſemper, niſi noſtrum ingenium ad captum paſtorum et agricolarum
„demiſerimus, fore vt nos germana ſcripturae interpretatio lateat. Si pu-
„tes enim, e. g. terram ad coelum comparatam eſſe inſtar puncti: ſi pu-
„tes, lunam eſſe ſolis partem nequidem ſexies milleſimam, abſurdum du-
„ces, quod diuinus Moſes et terram coelo, et lunam ſoli fecerit quaſi
„ἀντίσροφον. At cogita, rem enarrari homini plebeio, qui terram et coe-
„lum vt tabulatum et laquear, qui lunam et ſolem vt lampades, prout res
„apparent, concipiat, tum ſcripturae ſenſum, vt mihi videtur, aſſequu-
„tus fueris. Videlicet, ſi ἀκριβῶς omnia, et, vt res ſunt, accipere velis;
„occurrent paſſim, quae mentem excrucient; veruntamen immerito:
„cum ſcripturae intentio non ſit, vt nos phyſicam exquiſitam doceat.
„Mens eius eſt, vt quomodocunque quae ad ſalutem ſpectant, edocea-
„mur, et modo id perceperimus, parum curat, omniane ad amuſſim phy-
„ſicorum congruant. -- At non nego quidem, quin Moſes erudire nos in
„rebus etiam phyſicis potuiſſet; attamen hoc ipſum voluiſſe, nemo mihi
„facile perſuadeat“. Vidit acute Dinienſis philoſophus, lectionem ſcri-
pturae S. etiam ſimplicibus et rudiſſimis deſtinatam vnicum ſalutis omnium
hominum ſcopum habere, nec alium ſenſum exhibere, quam quem hi
quoque intelligunt. Id quod omnem Philoſophiam Moſaicam et Chri-
ſtianam, quatenus ſyſtematicam philoſophandi ſcientiam ſignificat,
omnesque ratiunculas Comnenii euertit.

AD CAPVT TERTIVM.

DE THEOSOPHICIS.

pag. 645. lin. 24.

Quotquot in hac palaeſtra ſe exercuerunt. Maxime ad hunc fontem omnis philoſophiae theoſophicae attendendum eſt, ſi rectum de ea iudicium ſtatuendum, quoniam hoc fundamento poſito primas ſcaturigines prodidit, ex quibus iſta turbida fluenta emanauerunt. Eas in theologia et philoſophia myſtica, quaerendas eſſe, dudum recte obſeruatum viris doctiſſimis; hanc vero hypotheſibus Alexandrinis incruſtatam, et, ſuppoſito ſyſtemate emanatiuo ad Chriſtianos vultus propius refecto et emendato effluxus diuinos reditusque et refluxus in diuinum hunc fontem crepuiſſe, et ex hac emanatione communicationem diuini ſpiritus iactauiſſe, ſuis locis manifeſtum factum, resque adeo clara eſt, vt, qui nuper myſticis frigidam ſuffundere voluit *), anſam magis atque cauſſam

*) Anon. auctor hiſtoriae eclectiſmi, P. II. diſſ. IV. p. 252 ſqq.

ſuppeditauerit, has origines ſapientiae ſublimioris et diuinioris impuras et aberrantes detegendi [b]. Et has quidem primum influxum in ſyſtema theoſophicum habuiſſe, ex hiſtoria theologorum myſticorum, a PORRETO et G. ARNOLDO enarrata eorumque aetate cum primis theoſophiae auctorum temporibus comparata poteſt colligi. Inter quos cum temporis et ſyſtematis cauſſa reliquis praeferendus ſit, velut alter theoſophiae patriarcha Theophraſtus Paracelſus, recte nos aequoque iure prouocamus ad libellum eius theoſophicum, *de vero ſemine diuino poſt lapſum in homine reſiduo, ex quo ſancti patres et prophetae, tantum nomen conſecuti ſunt, hodieque filii Dei generantur.* Quo libello Paracelſum ſyſtematis fanatici πρῶτον ψεῦδος prodidiſſe, probe vidit, monuitque venerabilis ſenex Io. GEORGIVS WALCHIVS [c].

pag. 650. lin. 19. *Trithemium, abbatem Sponheimenſem.* Miramur tamen eum, quantum nobis inquirentibus conſtat, nullibi Theophraſti mentionem facere, et imprimis in *annalibus Hirſaugienſibus*, quibus viros celebres ſuae aetatis diligenter inſeruit, eius non meminiſſe. Sed incertum quoque, vtrum Trithemio propius innotuerit, qui plura interdum iactat, quam vera reperiuntur.

pag. 655. lin. 13. *Epitaphium hoc ei poſitum.* Aliud paulo comtius exhibent Icones REVSNERIANAE [d], vbi quoque eius effigies picta artificioſa manu Tobiae Stimmeri exhibetur.

pag. 656. lin. 5. *Qui plenis cyathis haurire cupiunt.* Elogia duo, carmine elegiaco eius iconi adiecit REVSNERVS inuidendis et ſuperbis Paracelſi laudibus plena, et a diſcipulis admiratoribus ſine dubio profecta, in quibus imprimis aduerſarii eius ſale nigro adſperguntur.

pag. 670. lin. 20. *Quae ſi tanti videbuntur, conſuli poſſunt.* Deſiderauerunt inter amicos noſtros vnus et alter vernaculae noſtrae ignari, vt quam in *erotematibus hiſtoriae philoſophicae* ipſis Theophraſti Paracelſi verbis Germanica lingua exhibuimus, principiorum Paracelſicorum ſummam ſi non iisdem Latinis, quod impoſſibile, ſenſum tamen eorum referentibus, exhiberemus. Aſt in vocibus nihili, nouiterque et barbare excogitatis id fieri ita poſſe vt lectori fiat ſatis, deſperamus. Vt tamen deſiderium eorum, qui Germanica legere non poſſunt, aliquo modo expleamus, tentabimus, an hariolando ſententiam philoſophi Germani, ipſo Heraclito obſcurioris aliquatenus verbotenus aſſequi poſſimus: Ita vero ille:

I. Omnia entia creata, habuerunt primordia, in quibus omnes creaturae intra aetherem concluſae fuerunt, et haec vnica materia omnium rerum eſt myſterium magnum, quod neque comprehenſibile eſt, neque ima-

b) Legendae omnino eruditae IAC. THOMASII origines philoſophicae p. 110 ſqq.

c) Intr. in controu. eccl. Luth extra eius comm. P. IV. p. 1018.

d) Imag. vir. illuſtr. F. n. 6.

Digitized by Google

imagnem habet, neque qualitatem, neque colorem, neque naturam elementarem e).

II. Hoc myſterium magnum eſt vnica matrix omnium elementorum, omnium rerum mortalium, quae in creatione ſubſtantia, materia, forma, eſſentia, natura, inclinatione data ſunt.

III. Myſterium magnum, (id eſt materia prima) increata eſt, praeparataque a ſummo artifice nec ſuccedit ei ſimilis altera.

IV. Quanquam myſterium magnum mater eſt omnium creaturarum ſenſibilium et inſenſibilium, non tamen, quae exortae ſunt ſubſtantiae et animalia in ea formata ſunt, ſed quaelibet proprium quoque habet myſterium ad formam ſuam inclinans.

V. Quia omnia mortalia originem habent ex myſterio increato, ſequitur inde, omnia ſimul creata eſſe, eo quod in increato rerum conditor omnia creauit non formaliter, eſſentialiter, vel qualiter, ſed vt eſt typus impreſſus in ligno. Quod vero quomodo inter ſe coordinatum fuerit, mortales latet.

VI. Fuerunt in myſterio magno multiuariae excretiones, mirabiles figurae et formae, vt e. c. gramina, lapides, carnes inde exſurgere poſſent, quamuis nec gramen, nec lapis, nec caro ſint.

VII. Cum hoc pacto omnia ad propriam formam et naturam perducta eſſent, materia ſubſtantialis tum comparuit, et quae compingi potuerant, compacta euaſerunt, reliqua vacua ratione ſubſtantiae remanſerunt.

VIII. In initio omnis ortus erat genetrix ſeparatio, qua factum, vt in myſterio magno res quaelibet ad peculiarem formam ſuam ſeparata ab alia conceſſerit. Quale autem illud principium ſeparatiuum (magis more ſuo vocat,) fuerit, an Deitas vel natura, dici non poteſt, et miraculo plenum eſt.

IX. Et hoc quidem pacto per ſeparationem, vbi quaelibet res eſſentiam ſuam cum additione aeterni accepit, in propriam maieſtatem virtutem et voluntatem conſtituta eſt, manebitque vſque ad meſſem, id eſt, deſtructionem rerum omnium mortalium.

X. In ſeparatione ſiue ſecretione prodierunt initio elementa, ignisque produxit coelum, factumque receptaculum firmamenti, aër ſeceſſit in inane ſiue vacuum, in quo nihil poteſt cerni finitum, et in quo neque ſubſtantia neque corpus conſpici poteſt, eſtque receptaculum inuiſibilis et fatalis ſubſtantiae: aqua abiit in liquorem, qui ſe concentrauit in cauernis, factusque eſt receptaculum nympharum et monſtrorum marinorum, terra in tellurem coagulata columnis Archalti ſuſtinetur, eſtque receptaculum plantarum etc.

XI.

e) Arripuiſſe Theophraſtum materiam primam Peripatericam, qualem tradidere ſcholaſtici, et ſyſtemati emanatiuo applicare voluiſſe, cum tamen ſyſtematis condendi artem non noſſet, tale myſterium magnum excluſiſſe, nobis eſt verisimillimum.

XI. Altera poſt iſtam ſecretionem ſeparatio facta eſt ex elementis, e. c. ex coelis exorta aſtra, ex aqua piſces, ex aëre fata, impreſſiones, incantationes, maleficia, ſuperſtitiones, ſomnia, ſortilegia, viſiones, fataceſtae, meloſini, ſpiritus, dumeae, durdales, neufareni: ex terra ligna, lapides, metalla etc.

Habes, Lector potiora et prima capita geneſeos rerum verbis et definitionibus Paracelſi ex libro, cui titulum: *philoſophia ad Athenienſes* praefixit, deſcripta, in quibus tibi vacuus et ſine ſenſu voces recitari, et ſpectra atque lemures in ſcenam produci, nobis non diſſentientibus, merito conquerere; aſt a Paracelſi ingenio nec clariora nec meliora expectari poterant, quem dubium non eſt, quae ſcripſerat, vel inter crapulas et vina dictauerat, ipſum non intellexiſſe. Et poſſet quidem tolerabilior et paulo magis perſpicuus ſenſus iſtis theſibus tribui, ſi ex phyſiologia Graecorum nonnihil lucis illis inferretur. Sed metuebamus, ne Theophraſto peregrinos ſenſus tribueremus, cum phyſiologiam veterem ne per tranſennam quidem inſpexerit. Vnde maluimus eum ſuis deliriis et tenebris relinquere, quam aliena illi affingere. Et paulo quidem clariora eius diſcipuli tradiderunt, qui vero ſua quoque magis, quam magiſtri placita nobis vendiderunt. Id quod palpari poteſt, ſi aſſertiones hae Paracelſi phyſiologicae, cum διατυπώσει Crollii, infra exhibita comparentur. Ceterum inter principia materialia terrae, ſal, ſulphur et Mercurium referendo nouum ſyſtema chemicum conflauit, haecque principia non metallorum tantum omnium, ſed generalia elementa rerum terreſtrium omnium conſtituit, quae ſchola Paracelſica poſtea nitidius comſit et exornauit. Quae tamem alio loco quaerenda, et quas difficultates habeant a ROBERTO BOYLEO[f] diſcendum eſt, de habitu autem iſtius ſyſtematis chemici ex obſeruationibus MORHOFII[g] diſpiciendum, qui lectorem vacuum non dimittet. Nobis ſine prolixitate his amplius immorari non licet. Vnum tamen notamus, Paracelſum portentoſorum nominum ſtridoribus, attentionem et examen Lectorum ita occupare et auertere ſtuduiſſe, vt ne eorum quidem, quae alias intelligi poterant, ſenſus poſſet intelligi. Exemplum qui cupit, eum ad illa attendere iubemus, quae de Magia et Caballa (cabbalam volebat allegare, ſed ne nomen quidem intellexit) effutiit[h]. Quod ſi, his perſpectis, Lector noſter cogitet, ea, quae non poſſunt intelligi, nec debere legi, habebit nos ex animo ἐμψύχους, vnde ab his nugis pedem referimus.

pag. 676. not: m. *Cedro dignum opus audit Crollio.* Acceſſit tandem ſuppellectili noſtrae librariae liber rariſſimus[i] παραδοξώτατος et emotae mentis ſpecimen eruditum quidem et annoſos ungues ſapiens, ſed totum in-

f) T. VIII. Opp. p. 1. horum omnium conciſam epitomen exhibuimus §. 15. p. 676. quae ab iis conſuli poteſt, qui haec prolixiora faſtidiunt.
ff) In chymiſta ſceptico.
g) Polyhiſt. T. II. L. II. P. I. c. 16. p. 150 ſq.
h) v. Labyrinth. medic. T. II. p. 199. c. 9. p. 229.
i) Vid. ENGEL. Cat. ſelect. Libr. rar. p. 86.

Digitized by Google

insanientis et ferocientis imaginationis foetus incredibilis, symbolicus, cabbalisticus, et, si auctori eiusque affeclis credis, mire diuinus: dici enim non potest, quam superbam laudis hederam illi suspenderint, et quanti pretii et raritatis inter eos sit, qui his lautitiis inhiant. Cuius characterem Lector cognoscet ex hoc titulo: *amphitheatrum sapientiae aeternae solius verae christiano-Kabbalisticum, diuino-magicum, nec non physico-chymicum, ter triunum, catholicum, instructore Henrico Khunrath, Lips. theosophiae amatore fideli et medicinae vtriusque Doct. Magdeb. 1608. fol.* Ex cuius sola dedicatione, velut auis e cantu auctor cognoscitur. Inscripsit librum I. Deo Deorum, enti entium, vnitrino, P. F. S. S. vniuersarum rerum creatarum auctori, conseruatori, gubernatori perpetuo, Domino suo catholico, benignissimo, filialiter timendo etc. II. Toti coelestis exercitus spiritualis militiae praepotenti etc. III. proximo suo, fideli cultus; IV. Sibimet ipsi seruo ac organo Dei sedulo pro modulo donorum a Domino liberalissime concreditorum; V. toti S S. biblicae scripturae; VI. Naturae mirificae ministrae Elohim in mundo vniuerso, eiusque filio, Magnesia philosophorum indigitato nunquam odiosae, Numini ac lumini suspiciendo. VII. Scientiis et artibus singulis, praesertim vero sublimioribus ac secretioribus, quaeque ignis omnia probantis adminiculo spagyrice peraguntur; amphitheatrum sapientiae aeternae, solius verae - - Kabbalae, Magiae, Alchymiae, heroinae suae sanctissimae, mirificaeque in Oratorio et laboratorio, macro -- ac microcosmice artificio miraculoso, eoque multifario, prudentissime, vereque theo- ac philo-sophice ancillantium etc. etc. Ita longo syrmate pergit, (omnia enim exscribere velle, nauseam esset lectori prouocare) summam autem operis christiano-cabbalistici, diuino-magici nec non physico-chymici tertriunius catholici esse ait, docere: *sapientiae verae eiusque studii, hoc est, philosophiae sinceriores fontem, venam genuini intellectus, numinis ac luminis naturae, essentialis in mundo maiori catholice, in filio vero illius, magnesia videlicet sapientum, synoptice, catholice, realiter existentis. Iuris quoque legisque Dei in cordibus nostris diuinitus scriptae, nec non methodi dextre intelligendi et orthodoxe interpretandi biblia sacra, scientiae quoque ligni vitae boni ac mali atque honestorum et turpium ostenditur flumen.* Sed et plura nugatur, et non sine iniuriis et obtrectatione velut fulmina trisulca vibrat, vt vel ex hac vna dedicatione intelligi queat, helleboro opus fuisse auctori, velut mulierculae bacchantes tripudianti, et nescio quos carbones pro thesauris vendenti, difficilesque nugas, pietati, quam tantopere vrget, substernenti. Mirum itaque non est, intolerabili fastu laudasse Paracelsistas hunc famosissimum librum, et carminibus ad coelum euexisse, cum ea, quae non intelliguntur, semper apud stolidos maiorem admirationem mereantur, quam quorum lumina publice splendent. Ast mirum quoque non est, librum talem ita euanuisse, vt vix exempla inueniantur. Quas ei tenebras et neglectum non inuidemus, dolemus autem, similem insaniam

hodie adhuc paſſim deprehendi, iactari, tolerari, nuperque in ſcena philoſophica et theologica rediiſſe, qui nugari ſuper hos omnes non erubuerit.

Ibid. lin. 20. *Quod in alio iterum euertit.* Exemplum eſſe poteſt, quod in allatis theſibus quatuor elementa admittit, alio vero loco [k] inconditum philoſophum vocat, qui quatuor elementa affirmet, cum duo tantum ſint, calidum et frigidum. Maxime vero in ſpirituum claſſibus definiendis, ſibi prorſus non conſtat, quod tamen minime mirandum, cum raro recogitauerit, quae crapula vinoque onuſtus ſaepenumero effutlit.

pag. 688. lin. 7. a fin. *In quibus omnibus longi eſſe nolumus.* Edidit contra hanc Sperberi Iſagogen MICHAEL RITHALERVS, *hermathenam philoſophico-theologicam, Iulii Sperberi iſagogae poſthumae in veram Dei naturaeque cognitionem per fluuios paradiſi anogogicos ſe adducere, ac multa de ſecretis naturae utiliter monere ſibi viſae oppoſitam Helmſtadii 1684.* [l] *De myſterio magno* et libello *de tribus ſeculis* autem videndus REIMMANNVS [m].

pag. 689. lin. 23. *Eiasque hiſtoria enarrare.* Plures qui in hoc ſtadio cucurrerunt, et Weigelii res, vitam, placita, errores, aduerſarios enarrarunt, enumerat grauis multis meritis theologus lenenſis ven. I. G. WALCHIVS [n], qui ipſe quoque luculentum hiſtoriae Weigelianae compendium exhibuit.

Ibid. not. n. lin. vlt. *Tandem priorem ſententiam dimiſerunt.* Cuncta ὰς ἐν συνόψει accurate complexus eſt remque omnem definiuit cel. WALCHIVS [o], cuius biographia Weigeliana hoc loco conferri poteſt.

pag. 690. lin. 3. *In doctrina ſuſpectus.* Nempe ſibi philoſophabatur et meditabatur, et, quae ſcribebat, a cantore ſuae eccleſiae deſcripta ſibi ſeruabat, vnde ſuſpectus innouatae et alteratae doctrinae orthodoxae non fieri non potuit. Ille autem cantor Tſchopauienſis ſine dubio inter familiares eius fuit, et nobis quoque non vero abſimile, accepiſſe eum a paſtore ſuo ſcripta, vt poſt mortem ipſius ederet.

Ibid. not. g. lin. vlt. *Introd. in controuerſias religionis.* Conſulendus imprimis *tomus* laudatiſſimi operis *quintus* [p], vbi vir celeberrimus aduerſarios, quique errores Weigelianos refutarunt, ex inſtituto recenſet, quibus tamen, cum ad hiſtoriam theologiae pertineant, non immoramur.

Ibid. lin. 8. a fin. *Weigelium totum vix audeat.* Difficile eſt certum et cohaerens placitorum Weigelii ſyſtema conſcribere; vtebatur enim nec dictionis genere luculento, nec definitionibus et axiomatibus perſpicuis, nec in eandem ſemper ſententiam conſpirantibus, ſed concluſionibus interdum ſibi contradicentibus. Vna quoque manu interdum ſana dat, altera eripit. Quare non audemus, placita theoſophica Weigelii in conſpectum

k) Meteor. L. I. T. VIII. opp. p. 283.
l) Conf. BVDDEVS hiſt. philoſ. Ebr. §. 35. p. 297. ed. rec.
m) Conf. biblioth. T. I. p. 714.
n) Introd. in controuerſ. eccl. Lutheranae extra eccl. ſuam, c. VI. p. 1024 ſeqq. qui, more ſuo cuncta eleganter complexus eſt.
o) pag. 1025. p) pag. 1084 ſeqq.

Digitized by Google

ſpectum lectoris adducere, quod in aliis fecimus. Pleraque fundamenta quoque theoſophica, ſyſtemati theologico ita immiſcuit, vt aegre diuellantur. Sufficit ex euidentibus locis ſcriptorum eius annotaſſe, cuncta ad lumen internum et connatum eum reuocaſſe [q], quae in ſapientiae et veritatis ſemita felicitatem hominis ſuppeditant. Sine hoc lumine, neceſſe ait, hominem in tenebris ambulare, et aliorum auctoritati credendo proprium lumen, quod ſolum illuminat, coecum negligere [r]. Vnde animum paſſiua quiete in oratione tranquilla lumen hoc expectare et ad hoc ſolum attendere iubet. Quo pacto cum omnem philoſophiam eneruauerit, philoſophi, quamuis theoſophus haberi cupiat, nomine et loco indignus eſt. Suſpicamur autem, Weigelium myſticorum libris ineſcatum, veterum opinionum Alexandrinarum minus ſanarum cacoëthes hauſiſſe. Sapiunt hos fontes turbidos theſes hae: Deum ante creationem omni affectu, operatione, perſonalitate vacuum fuiſſe [s]; Euam coeleſtem ipſum Deum eſſe, quae verbum primigenitum genuerit ab aeterno in trinitate [t]: hanc ſapientiam, verbum Dei Chriſtum in mundum edidiſſe [u]: quaecunque Deus creauerit, eſſe Deum ipſum, illumque eſſe τὸ πᾶν [x]: omnes creaturas corporales in quouis angelo fuiſſe inuiſibiliter, incomprehenſiue et vnum ſimul: tribus partibus conſtare hominem, corpore ex elementis in carnem et ſanguinem concretis, anima ex aſtris et firmamento delata, qua homo cogitat, quaque ſiderea anima omnes creaturae fruantur: et ſpiritu ex Deo progreſſo, qui particula eſt eſſentiae diuinae [y]: bonum et malum ineſſe homini naturaliter, illud manifeſte, hoc latenter: coniugium eſſe rem adamiticam, terrenam, beſtialem: carnem hominis regeniti in reſurrectione deponendam igne conſumtum iri, corpusque ingreſſurum in coelum nouum ſupernaturale et coeleſte acceptum [z] etc. Quae omnia magnis quoque viris non paradoxa tantum et exorbitantia, ſed quae ſenſum nullum habent, capique et intelligi non poſſunt, viſa ſunt: nobis autem, quod pace virorum celeberrimorum dicimus, ſecus videtur, modo adhibeatur ſyſtema emanatiuum, prout ab Alexandrinis philoſophis traditum, ab Origenis ſecta comtum, a myſticis duce Pſeudo-Dionyſio chriſtiana veſte indutum, et variis coloribus, ad tolerabiliores ſenſus reuocatum eſt: quo ſuppoſito, ſenſus quidem his aſſertionibus Weigelianis conformis et cohaerens tribui poteſt, ſatis luculenter et cohaerenter, aſt non alius, niſi ſuo modo pantheiſticus, qui totum illud ſyſtema theoſophicum valde contaminat. Quod euidenter demonſtrare liceret, ſi loci anguſtia et inſtituti ratio pateretur: a lectore autem inſtituta cum iis, quae ſuis locis de ſyſtemate emanatiuo recte in eccleſiam irrepente oſtendimus, et explicauimus, comparatione facile fieri poterit,

q) Poſtill. P. I. p. 184. 49. 53. 160.
r) Ib. P. II. p. 230. s) Phil. myſt. P. II. p. 156.
t) Poſtill. P. II. p. 286.
u) Confeſſ. fidei c. 18. p. 143.
x) Nempe ſenſu emanatiuo, vnde nolumus atheiſmi maculam inurere.
y) De loco mundi c. 13. p. 42.
z) Poſtill. P. II. p. 7. De L. M. c. 28.

modo a praeiudicio antiquitatis ſibi caueat, et ſibi oculos ipſe non eruat, quod *Eclecticiſmi* hiſtorico accidit. Non tamen diſſimile vero nobis eſt, Weigelium ipſum hoc ſyſtema ſatis non intellexiſſe, vel primos eius auctores legiſſe, ſed Paracelſicis nugis exſtimulatum cum myſticos illis iunxiſſet et aptaſſet, ad haec deliria delatum carbones pro theſauris, quod aiunt, inueniſſe. Quo pacto, ſi quis cum Arnoldo perſonam Weigelii ab hoc fanaticiſmo pantheiſtico liberare cupiat, non plane repugnabimus, Weigelium fanaticiſmi huius fundamenta non ſatis inſpexiſſe: deceptumque eſſe ſanctitatis et diuinitatis ſpecie, qua iſtae naeniae turgent, et ſomnia habuiſſe pro ſolis radiis: ipſum autem ſyſtema Weigelianum a fanaticiſmi deteſtabilis culpa liberari non poſſe, ſumus conuicti. Reliqua, quae h. l. adduximus, cum his facile componi illuſtrarique poſſunt.

pag. 693. lin. 10. a fin. *Qui ſanum de Fluddo et theoſophicis omnibus iudicium cupiunt.* Ipſe GASSENDVS [a] legendus eſt, qui more ſuo, Fluddanas ineptias, modeſte magis, quam Merſennus, aſt ſolide demonſtrauit. Qui cum accuratum theoſophici ſyſtematis a Fluddo mirabiliter conſarcinati ἔκτυπον exhibuerit, ille vero adeo cohaereat, vt non niſi prolixam, quam noſtrum non fert inſtitutum, tractationem admittat, Lectorem ad ipſum hunc Fluddanae philoſophiae cenſorem ablegamus; *Qui cum ante omnia de claue ſollicitus fuerit, qua latentem eius ſententiam aperire liceat, et aenigmata ſoluantur, et in id induſtriam cum patientia maximam contulerit, vt, quae illa tam multa ſparſim, ac veluti tumultuarie ſcripſit, in vnum quoddam quaſi corpus et conſonantiam redigantur*, ipſa Fluddianorum operum ſpiſſis nebulis et tenebris obſeſſorum lectione melior dux ad ea intelligenda adhiberi poteſt. Complectitur *tomus tertius* operum Gaſſendi illud *examen in philoſophiam Fluddanam*, ſeparatae autem editiones tantum non euanuerunt. Id quod merito dolemus, cum vaſta Gaſſendi operum collectio raro in philoſophantium manus veniat, Gaſſendus autem horum tenebrionum φιλοσοφήματα et θεοσοφήματα luculentis facibus illuſtrauerit, ſic vt ne quidem cabbaliſticum ſyſtema, quale illud theoſophici in ſuos ſinus receperunt, ſine luce reliquerit.

pag. 695. lin. 6. a fin. *Contentiones deſcribuntur.* Diligenter, more ſuo eos collegit et enumerauit ven. WALCHIVS [b], qui ſectatores quoque et aduerſarios enumerauit, et quae in ſynedrio eccleſiaſtico Dreſdenſi cum eo acta dicuntur, recenſuit, ſcriptoresque huc facientes laudauit.

pag. 705. lin. 8. *Vno faſce MDCLXXXII. Amſtelodami vulgatis.* Noua prodiit collectio ſcriptorum Boehmianorum anno cIↃIↃccXV. titulo *theoſophiae reuelatae*, editore Io. OTT. GLVSINGIO, cui index ſcriptorum eius praefixus eſt. De theologicis eius placitis ex inſtituto differit WALCHIVS [c], qui etiam nouam editionem anni cIↃIↃccXXX. reliquis pleniorem indicat.

pag.

a) pag. 213 ſeqq. b) loc. cit. p. 1090 ſeqq. c) l. c. P. I. p. 639. P. V. p. 1039.

Digitized by Google

pag. 707. lin. 2. *A Sagittario laudati.* Etiam de hoc praeter laudatos videndi COLBERGIVS [d], CYPRIANVS [e], WALCHIVS [f] et ante eum BVDDEVS [g], in hiſtoria chriſtiana pluribus audiendi et conſiderandi.

pag. 715. lin. 6. *Fuerant condemnati.* Addit et hoc Caramuel: *in operibus eius continuam eſſe contra Peripateticos et Galeniſtas ſatyram, multis onuſtam foliis fructu nullo.* Qui genuinus Helmontii character eſt, vt non omnes tantum contemnat, ſed ſatyrico quoque ſale aſperſis contradicat.

pag. 725. not. y. *Memoires de literature, T. IV.* Add. p. 141-161. Tom. X. P. I. p. 140 ſeqq. et in edit. Germ. T. IV. p. 316 ſeqq. cui etiam effigies Poireti praefixa eſt. Haec biographia breuis quidem, ſcriptorum autem catalogus ſatis accuratus eſt.

Ibid. lin. 18. *Parentibus pauperibus quidem, at honeſtis.* Parens Poireti pollio Metenſis vocatur in biographia operibus poſthumis praemiſſa. Narrat autem ex Friderici Brecklingii traditione B. M. CHR. PFAFFIVS [h], patrem Poireti fuiſſe militem, cuius nomen ipſum Poiretum latuerit, qui inde nomen traxerit, quod matri ad forum pergenti et pira venditurae illa apportauerit. Inde Poiret vocatus, a *poire*, voce Gallica.

Ibid. lin. 19. *Scholae vrbanae eum tradiderunt.* Arti ſculptoriae ſe tradidiſſe initio dicitur tanta felicitate, vt poſt fata Burignoniae imaginem eius affabre aere inſculpere poſſet. In ſchola tamen vrbana encyclicarum literarum inſtitutiones percepiſſe, inde recte concluditur, quod adoleſcens XVIII. annorum Baſileenſem academiam adire potuerit. Quo loco demum humanitatis et philoſophiae ſtudiis formatus, et excellens ingenium ad elegantiorem literaturam traductum eſt. In qua contentione Ioannem Rudolphum Wettenium, theologiae doctorem ἐργοδιώκτην habuit.

pag. 727. lin. 10. *Totam fidei et vitae ſcenam commutandi.* Ita ipſe POIRETVS, in *irenico vniuerſali ſect. V.* [i] qua reſponſio ad cenſuram amici conſilii exhibetur; ex qua narratione eius intelligitur: eum in Palatinatu paſtoris officio functum eſſe annos circiter ſeptem; tunc auditoribus alioqui gratiſſimum et deſideratiſſimum ob calamitates bellicas debuiſſe a functionibus iſtis deſiiſſe: nec, fateri ſe, inuitum, neque etiam poſtea illuc aut alio vel in ipſas aulas, etſi ipſum cupiuerint, redire voluiſſe; et id quidem non characteris aut officii paſtoralis contemtu: contra maiori eius veneratione, indignitatisque propriae conſideratione, tum et metu abuſuum, qui fiunt in ſacris - - ergo libertatem non ſine Dei prouidentia nactum, decreuiſſe, ſibi deinceps melius vacare, optimorumque conſortio vel commercio, vbicunque illi eſſent, digniorem eſſe, et meliorem inde fieri. Quibus enarratis, pergit notitiam ſuam Bourignoniae exponere,

d) Chriſtian. Plat. Herm. P. I. c. 8. §. 5. p. 321.
e) Comp. H. E. Goth. c. 8. p. 854.
f) loc. cit. p. 1016.
g) Hiſt. phil. c. VI. p. 438. qui alios quoque nominat. Conf. Iſag. L. II c. 7. p. 1369 ſeqq.
h) Introd. in hiſt. liter. theol. P. II. p. 22.
i) §. 8. p. 373 ſeqq. app. ad E. V.

nere, cuius ſcriptis iam antea aliquantum erat tactus, et cupiditatem conceperat, ipſam alloquendi: cuius occaſionem a Deo cum lacrymis poſtulans, quod neſciret, vtrum viueret, aut vbinam eſſet, eam, in Belgium cum vxore concedens, Hamburgi ſexagenariam inuenit, Spiritum Ieſu verbis vitaque prodentem; ideo ab eius conſortio quamdiu vixit, ſeiungi deinceps noluit, quamuis nullam ea ſectam conderet etc. Haec ipſe Poiretus, ad quem locum non ſatis attendiſſe eius vitae narratores, miramur, cum diuerſae, quas in textu hiſtoriae noſtrae attulimus, relationes ex hac ipſa Poireti confeſſione poſſint conciliari.

pag. 730. lin. 3. *Eius placita defenderit, et diſſeminauerit.* Pertinet hiſtoria famoſiſſimae foeminae ad hiſtoriam Chriſtianam, vbi fuſe ſolet ab iis, qui recentiſſimas controuerſias theologicas expoſuerunt, enarrari, eiusque paradoxa dogmata adduci. Eorum compendium more ſuo exhibet ven. WALCHIVS [k]. Non ſilebimus tamen, ne ἀσύμβολοι abeamus, eſſentiam doctrinae eius, quam loco philoſophiae ſubſtituit. Eam quatuor aſſertionibus complexus eſt POIRETVS [l]:

I. Sibi ipſi renunciare, quia toti a natura corrupti ſumus.

II. Indefinenter orare, vt eo modo impetremus vires a Deo, e malo exeundi, et in bonum introeundi.

III. Amare Deum, quod ipſum eſt adhaerere ſummo bono, ſummo vero ac ei, qui eſt omnia.

IV. Et I. C. imitari cum patientia, pace et humilitate, quae eſt via, quam ad mortem vſque tenere debemus, vt tandem conſummemur.

Hanc theoſophiam vniuerſalem ad particulares doctrinas referenti Poireto occaſionem dedit ſyſtema illud theoſophicum excitandi, quod in libris tribus *de eruditione ſolida, ſuperficiaria et falſa* velut aliquod diuinioris philoſophiae compendium non ſine dictionis et tractationis elegantia omni humanae, id eſt, ſuperficiariae philoſophiae oppoſuit, et poſtea in *Oeconomia diuina* prolixe diduxit. Delibabimus et has cupedias, et lectoris impatientiae conſulturi, potiora de eruditione ſolida placita more hactenus adhibito ὡς ἐν συνόψει adducemus:

I. Eruditio ad mentem relata dicitur, quando ea deponit, quae ſcopo, ad quem condita eſt, et exiſtit, faciebat ineptam et cum quaſi politur, ſiue formas aut habitus acquirit faciles, quibus ad finem ſuum promte et decenter accommodetur.

II. Eruditionis eſſentia fundatur in relatione ad Deum, vt mens ei euadat ſimilis, tum depoſitione contrariorum, tum adiuuantium acquiſitione. Scriptura hanc vocat timorem Dei.

III. Deus eſt mens infinite perfecta, incomprehenſibilis ac aeterna, quae non modo initio et fine exiſtendi caret, ſed et realitates infinitas vnite totas ſemel actu velut in puncto indiſtincto ſimul poſſideat.

IV. Illa

k) loc. cit. p. 891 ſeqq.

l) Iren. vniu. ſect. V. §. 15. p. 380 ſeqq.

Digitized by Google

IV. Illa cum diſtinctius ſe reſpicit in adorandum aliquod trinum, diſcernitur, quod deſiderio immenſo atque viuidiſſimo erga ſe ſuasque perfectiones; luminoſa ſui intellectione atque idea; acquieſcentia denique et amore ſeu laetitia infinita perficitur. In his tota Dei natura, ſolida exiſtentia, perfectio, felicitas continetur, excluſis quibuslibet aliis quarumcunque rerum ideis, et realitatibus.

V. Deus voluit mentes condere, quae non tantum in ſempiternum ſint duraturae, ſed et quarum ſubſtantialiſſima atque eſſentialiſſima portio vel naturae reconditiſſima radix eſt *fundus vel receſſus quidam immenſus*, ſiue intima nonnulla capacitas aptitudoque quaedam immenſa et infinita, quae ipſam aeternitatem, ſiue Deum aeternum vnito quodammodo atque ſimultaneo et indiſtincto viuide ſine pluralitatis diſtinctione et ſucceſſiua duratione admittere, percipere, admittere valeat. Haec ſolennis theoſophicarum doctrinarum pentas eſt, cui ceteris theoſophicis elegantius et luculentius totum ſyſtema inaedificauit Poiretus, et quam alibi etiam philoſophicis rationibus euincere non ſine ſubtilitate in *cogitationibus rationalibus de Deo, anima et malo* m), connixus eſt.

VI. Iisdem mentibus inſunt diſtinctiores facultates ſiue capacitates ad idem numen relatae, deſiderium immenſum ſummi boni, intellectus immenſus, paſſiuus recipiendi lucem ſiue imaginem Dei luminoſam; acquieſcentia immenſa, ſiue dilectio et iucunditas cum Deo ſe aeternum delectandi.

VII. Omnia caetera, omnesque de rebus creatis ideae, perceptiones, ſenſationes, non modo externae tantum ſunt et acceſſoriae, ſed et in quo nunc ſunt apud nos ſtatu, ad interitum vniuerſae pertinent.

VIII. Deus voluit ex mera libertate arbitraria ad luſum gaudiumque arbitrarium depingi et repraeſentari, modo etiam vmbratili et velut elementari et ſufficiario. Hinc enatae in conceptu eius ideae rerum externarum, totiusque vniuerſi: inque eis et repraeſentationes Dei ſunt, et formae idearum.

IX. Placuit Numini menti donare inſuper acceſſorias ſuperficiariasque nonnullas facultates. Vnde orta eſt in mente facultas acceſſoria et ſuperficiaria rationis, quae alias intellectus actiuus dicitur.

X. Facultas rationis ſiue intellectus actiui non admittit ideas Dei eiusque luminis vluidas, ſed pictas, ſteriles et ſuperficiarias tantum. Haec male a philoſophis confunduntur.

XI. In ratione eſt curioſitas ſeu deſiderium; lumen ſeu ideae, affirmatio ſeu acquieſcentia, et diſcurſus ſiue ratiocinatio ex his exſurgens.

XII. Deus dedit menti humanae, vt cum rebus haberet commercium, facultates imaginationis ſenſuum, motus, et paſſionum cum corpore.

XIII. Inde duplex exſurgit hominis perfectio eſſentialis et acceſſoria.

XIV.

m) L. III. c. 16. Oecon. diu. P. I. c. 8. §. 23.

XIV. Cum homo facultates ſolidas a Deo ſeiunxit vt ſuperficiariis adhaereret, lapſus ita eſt, vt coecus, eraſſus et corruptus ſit.

XV. Mens ſe ſuasque hac in vita facultates diuerſas erudiendo, debet eum modum et proportionem in his tenere, quae eſt inter illa, quae ſunt aeterna et ſolida, et inter ea, quae ſunt momentanea et peritura.

XVI. Requiruntur ad eruditionem acquirendam res fundi ſiue conditiones, ſinceritas, humilitas, et a ceteris ad Deum defectio.

XVII. Porro ex parte deſiderii conditiones quatuor ardor, indeterminatio, conſtantia, confidentia. Ex his quatuor conſtant et perficiuntur preces.

XVIII. Ex parte intellectus ſunt conditiones duae, euacuatio et quies, ſiue abſtinentia praeſentis et futura; remouendae itaque omnes ideae et imagines, vt purius a fonte luminis lumen accipiatur: intelligendum autem hoc non de generalibus, ſed ſpecialibus.

XIX. Ex parte acquieſcentiae acquiritur traditio abſoluta ſui Deo et patientia.

XX. Deus praeuenit mentes iuuatque, vt illae ei conditiones offerant debitas; idque facit gradatim, donec diuinas prorſus ac puriſſimas efficiat.

XXI. Eruditio omnis cum externis commercium exſpectans ſine illa eruditione permanente ſuperficiaria eſt.

His fundamentis ſubſtruxit philoſophus acutus et diſertus totum theoſophiae aedificium, ornatius multo, quam ab aliis factum, ita vt ex Carteſii caſtris transfugam facile agnoſcas, ſed meris hypotheſibus precario aſſumtis, et axiomatum inſtar adhibitis, quibus ſubrutis totum quoque aedificium concidere neceſſe eſt. Mirum itaque non eſt, Titium, Thomaſium, Iaegerum aliosque tam validos arietes illis oppoſuiſſe; quibus diligenter quidem reſpondit Poiretus, ſed ita, vt cramben tantum recoqueret, quamuis haut parum eruditionis admiſceret. Quae vero de eruditione ſuperficiaria et falſa, deque methodo inueniendi verum; itemque de Deo, anima et malo philoſophatus eſt, cum ad ſpeciales philoſophiae rationalis et metaphyſicae partes et diſciplinas pertineant, ſcopi noſtri memores, praeterimus.

pag. 730. lin. 9. *Neque tamen ſectam vnquam inſtituit.* Magno feruore hanc inuidiam a ſe amolitur Poiretus, ſerio affirmans [n], *ex quo publice dicere deſierit, nunquam habuiſſe ſiue publicum, ſiue priuatum vel auditorem, vel diſcipulum, nec vilum optauiſſe, nec etiam adhuc optare. Hoc itaque, quod doceat, de ſcriptis ſuis intelligendum eſſe, non vero ſe ſectae caput conſtituere, ſed ſolam veritatem magiſtram ſequi. Immo, ſe ne virgini Bourignoniae tam adhaerere, quam aduerſarii ſui Caluino vel ſynodis humaniora paſſis, ſed reſpicere ſe ad ſolam veritatem Dei ac ſapientiam, per quemcunque virum an feminam per erudi-*

n) Iren. vniu. ſect. V. p. 376.

Digitized by Google

eruditum vel idiotam, per Caluiniſtam vel Lutheranum, immo vero per Iudaeum aut gentilem, omnes ipſi grati, modo veritatem habeant, et quouſque habent. Itaque ſi illam DEVS velit ſibi oſtendere per feminam, velle ſe id non propter organum externum, quo Deus vtitur, ſed propter diuinam veritatem, quam per illud Deus offert. Qui locus probe notari meretur, vt appareat, quomodo eclectica quaedam theologia poſſit in ſectariam tranſire. Hoc pacto enim omnes ſectarum conditores, non ſectam, vel ſcholae et capitis nomen ſe ſequi prodiderunt, et tamen ſectas conflarunt. Quam quaeſiuiſſe Poiretum Bourignoniae, vehemens eius ſyſtema portentoſum pingendi, ornandi, amplificandi omnique mundo perſuadendi contentio, in *oeconomiae diuinae* opere non ſine puluere et ſudore conſarcinato, manifeſtauit. Dudum autem ſolenne eſt, proteſtationes facto contrarias obiectionibus opponere.

Ibid. lin. 23. *Agnouerunt id viri docti.* LEIBNIZIO, aequo virorum doctorum cenſori audit vir bonus et honeſtus, opera eius bona, ratiocinandi modus ſtringens. Inuidenda quoque elogia carminibus ſuperbis turgentia praefixa legi poſſunt editioni libri *de eruditione* Amſtelodamenſi *anni* cIↃIↃccVII. Illud nec aduerſarii Poireti negant, in detegendis erroribus naeuisque opinionum atque placitorum eruendis iudicium et acumen eum pulchre probauiſſe. Teſtesque eius ſunt, quae de eruditione falſa, de Spinoziſmo, de Carteſiana philoſophia monuit. Qui ſi theoſophum non affectaſſet, etiam in afferendis confirmandisque dogmatibus idem intellectus robur potuiſſet oſtendere. Aſt cum pro diuinis ea recepiſſet, quorum rationem reddere nec poterat, nec volebat, obſtitit ὑποθέσεως ſtudium ingenio per ſe bono, animoque cetera recto.

Ibid. not. q. *Germanice 1702.* Suffixus tandem et inſertus eſt libellus ille henoticus *Parti ſpecialiori libri de eruditione ſolida, p. 247 ſeqq.* in quo magnis moliminibus tuetur articulos dogmaticos, qui ſectas Chriſtianas hodie diſiungunt, nihil impedire, quo minus vna fide colatur Deus. Haec ad transſubſtantiationem et praeſentiam realem C. C. in ſacra coena, ad adorationem, ad purgatorium, ad vſum imaginum applicat, ingeniumque et eruditionem ſatis probat, rem et iudicium non item.

pag. 731. lin. 5. *Quae contra Clericum, Baylium, Spinozam, Bekkerum diſputauit.* Nempe momorderant Poiretum iudicia horum ſcriptorum ſatis celebrium, fanaticiſmo vehementer infeſta. Ipſe autem impietatis maculam vel ſuſpicionem tamen omnibus inuſſit, qui theoſophicam philoſophiam contemnebant *e*.

pag. 735. not. r. *Nominauimus nonnullos in Germanico H. P. Opere T. VI. p. 1236.* Nempe eos, qui tunc in ſupellectile noſtra libraria extabant, quosque ipſi perlegimus. Acceſſerunt ab eo tempore noſtris oreculis ſequentes libelli, omnes rarioris notae. 1. *Fama fraternitatis cum confeſ-*

e) Conf. BVDDEVS Iſag. hiſt. theol. L. II. c. 7. p. 1374.

confeſſione eius ad omnes viros doctos et principes in Europa, Fr. MDCXV. 2. *Reparatio Palladis Athenienſis ex ruderibus, loco reſponſi ad fratres*, clɔlɔcXV. 3. *Epiſtola reſponſoria ad famam et confeſſionem fraternitatis*, Amſt. clɔlɔcXV. 4. *Epiſtola ad illuſtrem ac reuerendam fraternitatem Roſeae Crucis*, Fr. clɔlɔcXV. 5. *Iudicia clariſſimorum aliquot ac doctiſſimorum virorum, locorum interuallis diſſitorum, grauiſſima de ſtatu et religione Fraternitatis celebratiſſimae de Roſea Cruce*, Franc. MDCXVI. 6. *Helias tertius, ſiue iudicium de fraternitate Roſeae Crucis*, MDCXVI. 7. *Chriſtiani Roſencreuz, nuptiae chymicae anni 1459.* Arg. clɔlɔcXVI. 8. *Pyrrho Olidenſis rediuiuus, per Theophilum Philaretum ex Philadelphia*, Lipſ. clɔlɔcXVI. 9. *Elucidarius Chymicus, de ſecretis Fr. R. C. per Ratichs Brottoſter*, Goslar. MDCXVI. 10. *Solida narratio de ſcopo et occaſione Fraternitatis R. C.* 11. *Fama fraternitatis et confeſſio*, editio emendatior, *cum epp. Iuliani de Campis, et Georgii Moltheri*, Fr. MDCXVII. Conſtitit nobis, perlectis his libellis, I. Initium et originem fabulae referendam eſſe ad annum clɔlɔcXIV. ad hunc enim annum, vnus atque alter horum ſcriptorum tanquam rem certam atque notam prouocat. II. Totius fabulae occaſionem dediſſe famam fraternitatis, tribus vicibus, annis clɔlɔcXIV. clɔlɔcXV. clɔlɔcXVII. editam, vel quod raritas argumenti multos lectores prouocaret, vel quod auctores fabulae ita auctoritatem ei conciliare tentauerint. III. Eſſe haec ſchediaſmata prima *ἀντίγραφα*, quibus orbis mira ingenii elegantia deceptus eſt. IV. Veriſimile eſſe, ſi non vnum tantum, paucos tamen, ſibique ingenio, acumine et conſenſu pares, hos libellos conſcripſiſſe, vt res eo probabilius ornaretur, adeo non argumento tantum, ſed et ſtilo ſibi ſimiles ſunt. Certe quae *poſt hoc triennium* prodierunt ſcriptiunculae, F. R. C. nomen mentientes, homines produnt, qui longe aliam ſententiam de fraternitate fouerunt, eamque ad ſeriam artium ſecretarum diſciplinam traxerunt. Quibus obſeruatis, mire illa confirmantur, quae de hac fraternitate h. l. iudicauimus.

pag. 738. lin. 1. *Quae ſatis prodebant, ſocietatis huius ſodales, eccleſiae euangelicae eſſe addictos.* De eo quidem nemo dubitabit, qui iudicia doctiſſimorum virorum, de ſtatu et religione F. R. C. legerit. Inter ea, quod in fronte libelli apparet carmen elegiacum, occaſione captata ex ſymbolo fraternitatis: *Iheſus omnia nobis*, ita elegiae exordium inſtituit:

Omnia cum tibi ſit IHESVS, pia turba ſophorum,
Quae roſeum roſea de cruce nomen habet;
Quaeritur hinc, tibi ſit propior quae ſecta? Lutheri
An vero Calui an relligione patris.
Papa quidem primas retines; Caluine ſecundas,
At Luthere tua vix datur ire via.
Haec vulgi vana et ſtulti ſententia mundi eſt,
Hoc eſt iudicium, quod pietate caret.

Poſt

Digitized by Google

Poſt quae, cum multis rationibus demonſtraſſet, nec Pontificiae, nec Caluinianae parti hoc ſymbolum tribui poſſe, ita pergit:

At tu, parua cohoros ſectam ſectata Lutheri
Ipſa tenes fidei biblia ſacra baſin.

Et poſt multa alia in hac eccleſia laudata:

Multos tu ſocios Chriſto addis, Papa panurge
Contrahis at velum Calue tuum nimium.
Vnicus es Luthere cui bonus omnia Iheſus
Adiungi, cui te quid pia turba vetat?
Quid pia turba vetat; Calui niſi crimina falſa,
Crimina falſa gregis, quem male, Papa, regis:
Qui male Papa regisque lupum, qui vulpe recondis
Calue fac vt Chriſtus ſit tibi πάντα tuus
Vnde trium ſurget concors concordia fratrum
Cuius eris baſis et tu bone Chriſte caput.

pag. 738. lin. 21. *Atque Sperberum.* Vocatur is in epiſtola Irenaei ad F R. R. C. *illuminatiſſimus vir dominus Iulius Sperberus Curiacenſis;* et magna ei laus promotae Sophiae coeleſtis tribuitur. Ex quibus patet, ſcholam Paracelſicam hanc ſibi fabulam propriam feciſſe. Quod diſcere amplius ex epiſtola Ad. Haſelmayeri ad F. R. C. lector cum iucunditate poteſt, vbi myſteria Paracelſica huc omnia congeruntur. Quae epiſtola cum alteri editioni famae F R. iuncta ſit, ſuſpicamur inde, Paracelſi ſcholam mox circa exordium fabulae eam ſibi vindicaſſe, nam expreſſo nomine fraternitatis negotium vocatur Theophraſtia. Perſonatum auctorem non Torolenſem, quod ſimulat, fuiſſe, facile ex ſtilo Lutherano intelligimus.

pag. 740. lin. 21. *Famae fraternitatis praefatio.* Dabimus Lectori, ob libelli raritatem ipſa praefationis verba: *Quamquam res iſtae paradoxae videri queunt multique iudicaturi ſunt, eſſe fabulam philoſophicam, non autem veram hiſtoriam, quicquid* de fraternitate *Roſeae Crucis vulgatum eſt: ex eius tamen confeſſione pateſcet, plus, quam quis putet, ſub ea latere, ſic vt facile, quisquis non ſtupidus eſt, intelligere et coniicere queat, quid ea ſignificet.*

pag. 741. lin. 5. *Allata ſunt.* Speramus non ingratum fore lectori, ſi ob raritatem opuſculorum Valentini Andreae p) hoc loco ipſa eius verba afferamus. Ita in *Alethea* q): „Cum paulo ante luſum quendam ingenio„ſiorem perſonatus aliquis in literario foro agere vellet, credidiſſem, hac „imprimis aetate, quae ad inſolita quaeque ſe arrigit r), nihil mota ſum „libellis inter ſe conflictantibus, ſed velut in ſcena prodeuntes ſubinde „alios hiſtriones non ſine voluptate ſpectaui. At nunc cum theatrum

p) Vid. WENDLER de variis varit. libr. cauſſis §. 8. VOGT. C. L. R. p. 32. WIDEKIND. p. 113. Cat. bibl. Salthen. p. 574.
q) pag. 529.
r) Hiat h. l. periodus.

„omne variis opinionum iurgiis impleatur, et coniecturis, ſuſpicionibus, „maledicentia potiſſimum pugnetur; ſubduxi ego (Alethea loquitur) ne „imprudentius me vlli rei incertae et lubricae immiſcerem. Quid enim „opus eſt, Famam exponere et ingenium periclitari, vbi merae ſunt ne„bulae et chimaerae impugnandae, ac mox ſibi ipſi applaudere, cum ta„cito ſpectantium riſu". Luculentius et apertius in libello, quem: *turris Babel ſiue iudiciorum de fraternitate Roſaceae Crucis chaos*, inſcripſit, et in quo ingenioſa feſtiuitate tot rumuſculos et ſuſpiciones de ea dialogiſtica cenſura exagitauit, totam comoediam epilogo memorabili finiturus, *famam*, *Obſtinatum* et *Reſipiſcentem* ita colloquentes inducit [1]. *Fama.* „Satis ſuper„que hominibus illuſum eſt, liberemus tandem conſtrictos, confirmemus „fluctuantes, erigamus lapſos, reuocemus tranſuerſos, ſanemus morbi„dos. Ehem mortales! nihil eſt quod fraternitatem expectetis, fabula per„acta eſt. Fama aſtruxit, fama deſtruxit [2]. Fama alebat: fama negat, „quicunque eſtis - - quae res bene vertat, mihi et vobis, ſpectatores, „plaudite! *Obſt.* Abiit illa, nos quid agimus? *Reſp:* Quid niſi poſthac „ſapiemus, quotqvot turpiter deſipuimus. *Obſt.* Siccine tot ſpecioſa et „veriſimilia verba nihil ſint? *Ref.* Ita fama ait. *Ob.* Siccine haec deuo„tio et modeſtia impoſuerit. *Ref.* Ita fama ait. *Ob.* Siccine tot teſtes et „adſtructores fide digni fefellerint? *Ref.* Ita fama ait. *Ob.* Siccine tot na„ſutiſſimi ſunt decepti? *Ref.* Ita fama ait. *Ob.* Nihil ais, o *fama reuocans*, „quae id agis, vt ſperatam felicitatem mihi eripias, quinimmo verberi„bus, nedum verbis me haud abiges. *Ref.* Neſcio quam me fama totum „immutauit, vt elicere hanc animo expectationem inciptam; haec ta„men vna me cura coquit, quod non bene et ordinate diſtingui inter ea „ſcripta, quae fraternitatis nomine prodiere, ſuſpicor. Sunt enim ali„qua palam ludicra, aliqua intricata, aliqua ſubdola, aliqua tamen pia et „deuota; omnia literaturam aliquam, nonnulla ſummam, vnum alterum„ue apertam impoſturam redolentia; quae quisque confundit, nullo du„bio fallitur". Sed et reliqua omnino digna ſunt, quae legantur, in quibus oſtendit, quae inde ex hac fabula vtilitas enaſci poſſit, et quam mire ſe prodiderint humani ingenii auſus innumerabiles, occulta mortalium renitentia, quae per varias rimas exitum tentat, curioſitatis temeritas, calami impudentia, otii fabulis occupati pericula, paupertatis inuentiones, intempeſtiuus quorundam Zelus, et praecox ingenii in incognitis oſtentatio, hominum mobilitas conſueta ſordens, nouis et monſtroſis arridens, nugarum ex vna ſcintilla incrementa; iudiciorum de rebus hominum diſſenſus, artium et ſcientiarum in multis apud ſummos ſophos exilitas, reformationum quamplurimarum inanitas, veritatis cum opinione conflictus, confidentiae lubricitas, bonitatis et rectitudinis latentes igniculi, ſocietatis humanae vulnera opinione magis, quam neceſſi-

1) pag. 69. 2) Ad famam fraternitatis reſpicit, veriſimillima coniectura, famam indicantem et reuocantem eundem parentem habuiſſe.

Digitized by Google

neceſſitate conſtantia; regni chriſtiani paradoxa, rebus et moribus mundi contraria, etc." Quae more ſuo acumine venuſto enumerat vir bonus et emendationis cupidus, ingenio autem propter hanc fabulam laudatiſſimus, quae non contemnendam vtilitatem habet in hiſtoria philoſophica. Fabula quidem, de quo nemo hodie dubitat, aſt fabula, quae vſu ſuo parem non habet. Miramur itaque, poſt tam euidentia teſtimonia CAROLVM [x], CYPRIANVM [y], FISCHLINVM [z], KAZAVEVM [a], odio Arnoldi ductos, quem more ſuo in patrios cineres impium eſſe voluiſſe ſuſpicabantur, ex ambiguo reſponſo Andreae, cui loci allati lucem accendunt, pium theologum ab hac ſuſpicione liberare voluiſſe, quam ſi totam concedimus, nihil tamen illa habet, quod in auctore reprehendendum ſit, modo, quae ad ipſum pertinent, ab iis, quae aliena infarſit induſtria, ſeparentur. Aduerſarios fraternitatis nominant WALCHIVS [b], inter quos eminuere IRENAEVS quidam AGNOSTVS, ſiue MENAPIVS, et ANDREAS LIBAVIVS: theologos in hoc foro apparentes ad ſuos campos remittimus [c].

x) Ita dudum praeter Arnoldum coniecit LEIBNIZIVS Or. Hannou. p. 222. et ante eum GASSENDVS ex Fludd. T. VI. p. 149. ſeqq. conf. WALCH. l. c.

y) Innocent. theol. Wittebergicorum contra G. A. P. III. c. 9. p. 456.

z) Demonſtr. alteriore ſtudii partium G. A.

a) Mem. theol. Wirtenberg. P. II. p. 133. ſuppl. pag. 198.

b) Diſſ. de Roſecrucenis §. 17. p. 33.

c) loc. cit. pag. 1138 ſeqq.

c) Conf. BVDDEVS diſſ. an alchemiſtae in republica tolerandi §. 16. p. 537. Inſt. hiſt. philoſ. c. VI. p. 433. THOMAS. Cauſ. P. V. p. 324. vnde diſcimus, Arnoldum pleraque ex illo accepiſſe.

AD CAPVT QVARTVM.

DE SYNCRETISTIS PHILOSOPHICIS.

pag. 751. lin. 11.

Et hodie diſſociare obſeruant. Hoſpitem eſſe in hiſtoria philoſophica oportet eum, qui non innumeris fere exemplis didicit, ex verborum mutatione terminorumque philoſophicorum ſignificatione adulterata et veteres et recentiores occaſionem arripuiſſe noua ſyſtemata condendi. Id quod vel vna Ariſtotelis philoſophia apertiſſime demonſtrat. Hoc cum viderent alii, qui vetera nouis vocibus et terminis ſibi propinari obſeruarunt, ad eum ſyncretiſmum delapſi ſunt, quo verbis magis, quam re diſſentire ſyſtemata philoſophorum contendunt. Et hoc quidem pacto ſyncretiſmum Platonico-Ariſtotelicum enatum eſſe, ſuis locis euidenter oſtendimus. Quodſi eo tantum fine factum eſſet, vt cuique ſua redderentur, et doctrinae λογομαχίαις radices euellerentur, recte ſane et prudenter id ſuſceptum eſſe [a] iudicandum eſſet; aſt infauſto ſidere

a) Pulchre de ea re diſſeruit SAM. WERENFELS. de Logomach. c. II. opp. p. 461 ſeqq.

affiante, quae verborum logomachias curabant, ad ipſa doctrinarum principia pertracta, ipſarum ſententiarum conciliationem, maleſanam pepererunt, qua quadrata rotundis commixta ſunt. Cauſſam hanc fuiſſe, cur Franciscus Patricius ſyncretiſmum philoſophicum et conciliationem inter Platonem et Ariſtotelem mentiens, fontes hos detegendos in *diſcuſſionibus Peripateticis* conſtituerit, ſupra de Platonicis recentiſſimis tractantes oſtendimus, quae hoc loco repetenda ſunt. Miramur, iſtam obſeruationem B. Bvddevm de *ſyncretiſmo philoſophico* prolixe et erudite differentem [b] praetermiſiſſe.

pag. 753. lin. 6. *In quo libro Poſtellus characterem ingenii ſui paradoxi egregie ſeruauit.* Parcius tamen delirauit Poſtellus in celebri tractatione *de terrarum orbis concordia*, in qua *ſola ferme* iudice Navdaeo [c], *nihil, quod ineptum aut ridiculum eſſet, immiſcuit, ſed vniuerſam religionum omnium informationem inſtituit: noſtramque praeſertim, rationibus tam propriis, quam ex aliarum confutationibus deſumtis, valde quidem acute atque ſubtiliter confirmat et ſtabilit* [d]. Verum tum quidem mente nondum tota laxata ſcripſerat. Ex rariſſima hac tractatione *tertius* imprimis *liber* huc pertinet, in quo ſe de religione et iure in toto orbe communi tractaturum promittit, et aliquod ius commune naturae atque gentium conſtituit, et in cauſſas inquirit, vnde non iuris tantum et legum, ſed religionum ortus deriuandus ſit, atque inter ſe conciliandus. In qua tractatione henotica vniuerſali multa ſunt erudite et acute dicta, nonnulla tamen Poſtelli ingenium ſapiunt.

Ibid. pag. vlt. *Miſcere non dubitauerit.* Ex vngue diſce leonem. In admonitione ad lectorem ait: „philoſophia tanquam paedia longiſſima „vſi ad theologiam tandem aſcendimus, a qua multa didicimus, ſed illud „praecipue, humanam omnem ſapientiam a diuina dependere, He„braicisque ſcripturis mundo traditam et reuelatam. Nihil enim vn„quam ab Aegyptiis, Chaldaeis, Indis, Perſis, Arabibus, Graecis et Ro„manis dictum ſcriptumque fuiſſe comperimus, quin prius id omne „ſcriptum fuerit ab Hebraeis. Hi enim vbique gentium diuina diſpoſitio„ne diſperſi, quae patriis legibus tradita de Deitate ſeruabant, ore et „ſcriptis gentibus fecere manifeſta. Vnde gentium ſapientes multum „in his, quae Deitatis ſunt, proficere potuerunt. Legimus etiam ex phi„loſophis, multos vsque in Aegyptum ad prophetas et vates perrexiſſe, „vt in Moſaicis inſtituerentur, veraeque pietatis fierent compotes. Has „rationes ſibi fuiſſe ait, cur philoſophorum de Deitate ponderaturus „ſententias, relicta Ariſtotelis philoſophia ad ea, quae a Platone tradita „ſunt et ad caeterorum philoſophorum ſectas ſe contuliſſet. Inueniſſe „tandem omnia a Moſaicis hiſtoriis et a prophetarum libris expiſcata, ita „vt a Thalete vſque ad Epicurum nihil noui, nihil admirandi Graecorum ſapien-

b) Obſ. liter. Hal. T. III. p. 231 ſeqq.
c) Bibliograph. polit.
d) pag. 261. ed. poſter. plenioris Baſil. 1544. fol. qua nos vtimur.

Digitized by Google

„ſapientia protulerit, in his, quae Deitatis ſunt, quin prius hoc idem in „Hebraeorum monumentis adnotatum legerit. Eo vſque etiam phi„loſophorum cognitionem Moſaicarum hiſtoriarum lectione peruenisſe, „vt altiſſimum quoque trinitatis myſterium a longe proſpexerit et in ar„canis habuerit etc.“ Ex quibus, quas cupedias lectori hiſt. philoſophicae perito apponat, vel mediocriter eius gnarus intelliget.

pag. 753. lin. vlt. *Et coelum terramque miſcere non dubitauerit.* Addendus his eiusdem commatis ſcriptor PETRVS CALANNA Thermitanus Himereus, in libro rariſſimo, cui titulum praefixit: *philoſophia ſeniorum ſacerdotia et Platonica, Panormi MDXCIX.* edito in forma 4. In quo libro obſcuritatem ingenii pariter atque opinionis, et dicendi rationis regnare, facile Lector ex argumento eius, vbi liber ipſe deeſt, colliget, quod exhibuit B. Io. HENR. A SEELEN [e]. In cuius dedicatione auctor ait, *ſe quandoque proprio marte arbitratum eſſe, ſalua ſemper religionis laude, philoſophiam ſeniorum ſacerdotiam* (id eſt ſacram veterum philoſophorum) *fuiſſe haereditatem illam, quam haereditario iure Abraham, pater multarum gentium ſuis dereliquit poſteris, ac inde ab Iſaac emanaſſe, et toti familiae, vt ab eis, veluti a fonte quodammodo perenni et mari illo ſupracoeleſti omnis ſapientia rerum diuinarum deſcenderet.* Ex qua tractationis eius commendatione non tantum intelligitur, Calannam, Platonicos, quos more ſectae ſacerdotes, reliquos iuniores et laicos vocat, habuiſſe pro philoſophis veris et diuiniora a patribus edoctis, et ab eis ſeruata eſſe myſteria diuina patriarcharum, quae ſe deprehendiſſe, in Mercurii Triſmegiſti, Zoroaſtris, Sibyllarum, ſimilibusque libris credebat. Vnde mirae ſiue miſerae potius demonſtrationes afferuntur, ex quibus auctoris in philoſophiae veteris infantia et errores poſſunt dignoſci. Quis enim vel tiro in H. P. ferat: Ariſtotelem cum Platone animae aeternitatem et immortalitatem ſuſtinente concordare, Platonem trinitatem perſonarum diuinarum ordine quodam cum Mercurio attigiſſe et ſimilia. Facile itaque Calannam in tenebris et puluere obſcurum ſordeſcere patimur, nec accinimus Hieronymo de Franchis ita in laudes Calannae huius libri accenſi canentis:

Eſt Plato ſol orbi, denſa caligine at illum
Tempus et in nimbo creſcens obliuio merſit,
Ecce Platoni ſol Petrus, cui luce recenti
Fulgentes radios ſciſſa caligine reddit.

Quod verum non eſſe, et Platonis ſententiam magis corrupiſſe Calannam, ex iis, quae de ideis a Pythagora, Parmenide, Platone diuerſo ſenſu admiſſis attulit, poſſet explicari, ſi locus pateretur: Legi ea apud ipſum *p.* 68. poſſunt ab illo, qui ab homine Siculo non niſi gerras expectat.

pag.

e) Select. literar. n. XX. pag. 693 ſeqq.

pag. 757. lin. 12. *Quaerat Lector, rogamus.* Legere iubemus harum rerum cupidum eruditam et luculentam orationem IACOBI THOMASII *de Syncretiſmo Peripatetico* [f], huic argumento multam lucem affundentem. Is enim, poſtquam ordine diſtincto de diuerſis ſyncretiſmi huius generibus tradidiſſet, pluſcula notatu valde digna obſeruat: Thomam Aquinatem primum fere fuiſſe, qui ex Ariſtotele non Platonicum quidem, ſed, quoad fieri poſſet Chriſtianum philoſophum efficere tentaſſet. Qua in ſententia conſentientem habet Io. BAPT. CRISPVM [g], prouidum mali ſyncretiſtici medicum. Appoſite autem monet Thomaſius: cum haec perſuaſio Ariſtoteli conuenire cum Chriſtianis, commoda eſſe videretur retinendis animis in ſtudio Peripateticae doctrinae, quae tum in orbe Latino ſine ſocia regnabat: tam cupide apprehenſam eandem eſſe, vt de aeterna etiam ſalute Ariſtotelis probabiliter diſſeri tandem inciperet, parumque abeſſet, quin eum, vt ita dixerim, catalogo ſanctorum inſererent Pontifices [h], conciliationes quoque inter Platonem et Ariſtotelem, poſt Platonicos in Italiam delatos ſuſciperentur. Qua de re cum ſupra ſatis actum ſit, nihil illis addimus: ſed hos ſyncretiſtas luculenter eo in loco adductos ibi inſpiciendos conſiderari volumus, et grauem ineptienti huic ſtudio dicam expendi, quam laudatus vir ſolide ea de cauſſa ſyncretiſmo Ariſtotelico ſcripſit.

Ibid. lin. penult. *Nobis non monentibus ſtatuet.* Obſeruatum MORHOFIO [i], ex Carteſii *epiſtola ad Merſennum* [k] eum in illas cogitationes deueniſſe, vt Moſen ſecundum philoſophiam ſuam explicare voluerit, atque praeter infelices Amerpoelii conatus in multis Moſen cum Carteſio non inconcinne concillare poſtea ſuſcepiſſe Beaufortium, ſed ad HENRICI MORI [l] quoque *defenſionem cabbalae* prouocat, qua de re ſupra nonnulla monuimus.

pag. 760. lin. 9. *Cuius haud obſcurum nomen eſt inter recentioris aetatis philoſophos.* Praeter laudatos praeſtantiſſimi philoſophi et theologi res literarias enarrarunt etiam *ephemerides Pariſienſes memoriae academiae ſcientiarum*, RICH. SIMONIVS, DVPINIVS [m], NICERONIVS [n], et ex his alii.

Ibid. lin. 13. *Normannus is fuit.* Patria Vinenſis.

Ibid. lin. 18. *Scriptum trigonometricum.* In comm. in *Sphaerica Theodoſii.* Ita quidem laudata biographi; tacet autem hanc commentationem FABRICIVS [o] in recenſione comm. Theodoſii.

pag. 760. *Vt ordinis ſtatutis obediret, ſuſcepit.* Poſt decennium parochiam Neuillenſem anno clɔlɔcLIII. curandam accepit, quam poſt decen-

f) pag. 319 ſqq.
g) De Phil. erhn. caute leg. p. 307.
h) Certe faculeas theologica Colonienſis ita deſipere viſa eſt, ſi fides AGRIPPAE de van. ſcient. c. 54. Opp. T. II. p. 25.
i) Polyhiſt. T. II L. II. P. I. c. 3. p. 159.
k) Epiſt. 24. 53. T. II.
l) Iourn. des Sav. 170⁷. Febr.
m) Nouv. bibl. des aut. eccl. Tom. II. L. VI. c. 17. p. 396.
n) T. III. p. 84. ed. Germ.
o) Bibl. Gr. Vol. II. p. 91.

Digitized by Google

decennium iterum depoſuit, regis tamen ſacris domeſticis a cardinale Antonio Barberino, regis eleemoſynario, anno MDCLVI. praefectum ait Niceronius.

Ibid. lin. 3. a fin. *Regis ſui iura in Belgium eo ſermone vulgare.* Prodiere *reginae Chriſtianiſſimae iura in ducatum Brabantiae et alios ditionis Hiſpanicae principatus Paris. MDCLXVII. 12.*[p]

pag. 761. lin. 29. *philoſophiae ſtudioſis praelegere.* Id T. VI. [q] ex Bovetı Ieſuitae narratione retulimus; quo auctore nouimus, ipſi Sinenſium imperatori philoſophiam veterem et nouam Ieſuitas expoſuiſſe.

pag. 766. not. f. *IO. FABRICIVS hiſt. bibl. ſuae T. II. p. 34.* Tomo non ſecundo, ſed ſexto vtiliſſimi libri extat: affertque teſtimonia eruditionis Foxianae Auberti Miraei, Ger. Io. Voſſii, Gabr. Naudaei. Dolendum valde, in tractatione in ſe erudita, aſt ſyncretiſmi labe in deuia rapta ſcriptorem non nominaſſe loca, ad quae prouocat apud Platonem et Ariſtotelem, vt de vero vtriusque ſenſu lector queat cognoſcere. Non tamen ita vtrumque philoſophum inter ſe conciliat, vt non magis chriſtianae doctrinae rationem habeat, oſtendatque, quomodo vterque explicari poſſit, vt ſalua maneant chriſtianorum placita. Cuius luculentum exemplum qui cupit, eum eruditam cetera tractationem [r] de origine, eſſentia, duratione, partibus humani animi legere iubemus, vbi in tam diuerſa ſententia Chriſtianae religionis et ſyſtematis Platonici atque Ariſtotelici, dici non poteſt, quantum laboret, vt conſenſionem trium horum ſyſtematum fidiculis extorqueat, vnde non potuit non magna et inepta principiorum nulla ratione ex auctorum ſuorum ſyſtemate explicitorum confuſio ſequi. Saepe quoque aqua illi haeret, vt neſciat, quam opinionem philoſopho vtrique tribuere debeat. Cuius luculentum teſtimonium eſt diſſertatio eius de intellectu agente et patiente Ariſtotelico. Alia exempla attulit Buddeus [s], qui videndus.

pag. 772. lin. 16. *Teſtis eſt B. G. STVRMIVS.* Ponendum Struvius, qui [t], combinare Carteſianorum principia cum Ariſtotelicis voluiſſe Svicervm [u], annotauit. Ei adiungit Cl. Rahlius [x], Io. Rayi *clauem philoſophiae naturalis, ſeu introductionem Ariſtotelico-Carteſianam ad naturae contemplationem* [y] et Adriani Herebor *paralleliſmum et diſſenſum Ariſtotelicae et Carteſianae philoſophiae in philoſophia naturali oſtenſum* [z].

Ibid. lin. 18. *NIZOLII commentariis philoſophicis.* Statuebat eo tempore vir ſummus adhuc iuuenis, et nuper demum ex diſciplina Thomaſiana progreſſus, (quem praeceptorem eius, licet a ſyncretiſmo magnope-

p) Niceron. loc. cit.
q) pag. 875.
r) L. V. c. 22 ſqq. p. 229 ſqq. ed. Paris.
s) loc. cit.
t) Bibl. philoſ. L. V. §. 4. p. 368.
u) In compendio phyſicae Amſt. 1685. 8. edito.
x) Ad. h. l. not. s.
y) Lugd. Bat. 1654. 1674.
z) Lugd. Bat. 1643. 8.

gnopere abhorreret, Aristotelisque naeuos pulchre intelligeret, aegre tamen hunc antelignanum totum abiicere nouerat [y]): *vel ostendi posse* [z], *philosophiam reformatam Aristotelicae conciliari posse, et aduersam non esse, vel vlterius ostendi, alteram per alteram explicari non solum posse, sed et debere, immo ex Aristotelicis principiis fluere ea ipsa, quae a recentioribus tanta pompa iactantur. Priore via possibilitatem, posteriore necessitatem conciliationis confici, quanquam eo ipso si possibilis conciliatio ostendatur, confecta res sit.*

y) Vid. Or. de Syncret. p. 1343. z) T. II. Epp. p. 125.

CAPVT QVINTVM.

DE HOSTIBVS PHILOSOPHIAE.

pag. 777. lin. 25.

Visum idem simul esse posse et non esse. Tradunt Iudaei, obtemperandum esse magistris, etiamsi ostensa manu dextra eam sinistram dicant, et sinistram dextram esse affirment, nixi effato legis Deut. XVII. 10. 11. Quae condonari quidem recutitis philosophis possent, si iudicii paupertate compulsi talia statuerent. Sed obseruauit recte et eleganter FRISCHMVTHVS [a]: Hebraeos, postquam prophetae cessarunt, locum tandem reliquisse orali traditioni, idcirco ita loquutos esse, vt eo maiorem fidem inuenirent apud populum magistrorum sententiae, et horum auctoritas immensum augeretur, quippe quorum responsiones, quantumuis rationis sensuumque iudicio repugnent, nihilominus veluti sanctae recipiendae sint, certe recutitae sapientiae digna labris labrusca!

pag. 778. lin. 5. *In eo peccauit.* Vid. *respons. ad obiect. sext. Meditationum* [b], ad cuius sententiam respondit praeter multos alios CVDWORTHVS [c].

Ibid. lin. 6. *Eruditissimus Mosheimus.* Deus an impossibilia facere possit, dudum inter veteres disputatum, obseruante PETAVIO [d]. Maxime de hac quaestione dubitatum est, ex quo transsubstantiationis dogma in ecclesia inualuit, cum illud constare non possit, nisi adsumatur, Deum perficere posse, vt ea simul vera sint, quae per ipsam rerum naturam vera esse nequeunt, e. c. accidentia essentialia sine subiecto, quod constituunt etc. Ipsam quoque facultatem theologicam Parisiensem talia contra Thomam Aquinatem decreuisse, narrat IO. LAVNOIVS [e], qui videndus.

ibid.

a) Diss. an Ebraei statuant, idem simul posse esse et non esse: et quae inde repetit IAC THOMASIVS Orat XLII. p. 238 sqq. qui de hoc argumento pluribus videndus.
b) §. 8. p. 141. ed. Nor.
c) Syst. intell. c. V. s. 1. §. 21. p. 767. conf. ZACH. GRAVIVS theol. controu. P. I. q. 24. 92. TVRRETIN. diss. de ideis §. 13. p. 33. PFAFF. Primit. Tub. P. II. p. 243 sqq
d) Dogm. theol. T. I. L. V. c. 7. §. 6. p. 223.
e) De fort. Aristot. c. X. p. 215.

Digitized by Google

Ibid. lin. 16. *FORTVNATI CRELLII.* Videndus de eius opinione KECKERMANN. *Syſtem. phyſ. L. VII. P. II. Syſtematis ſyſtematum*[f].

pag. 779. lin. 1. *In hiſtoria ſacra ſoleat exponi.* Plures de hac ipſa controuerſia theologico-philoſophica nominat, quam, qui h. l. not. a. adducuntur, Ven. WALCHIVS[g], qui et ipſe ſummam totius controuerſiae eiusque exitum fuſe delineault.

pag. 781. not. n. col. 2. in fin. *De claris Anglis.* Leg. Angelis, id eſt de viris doctis, quorum nomen fuit ANGELVS. Praefixa eſt illa diſſertatio ANGELI CANINII *Helleniſmo.* Eo in loco Crenius, adiutus Io. MOLLERI[h] ſuppetiis, pluſcula de Werdenhagenio eruditorum iudicia commemorat, quae virum notant pietatis amore, ſed iudicii infirmitate memorabilem, quique, vt digreſſionibus ſcriptiones ſuas reddebat difficiles, ita opinionibus fanaticis atque Vatiniano, quo philoſophiam librosque humaniores et ſcripta gentilium proſequebatur, odio animi characterem prodidit, cuius manifeſtum exemplum eſſe poteſt *pſychologia Boehmiana* ſupra memorata. Qui, quem religionis et rationis modum ſecutus ſit, ex iudicio et *defenſione* eius pro *Michaële Serueto* adduceremus, niſi ad theologorum limites pertineret. Legenda autem eſt eius *politica generalis*[i], vt intelligatur, quo pacto philoſophiae paracelſicorum ſomniorum chaos, aliaque periſtragula ἀλλότρια ſuppoſuerit, et conuitiis cauſſam ſuam fulcire fategerit[k]. Eundem ſe praeſtitit in iuris publici notitia, opus, *de rebus publicis Hanſeaticis* vulgando, de quo ſcriptores iuris publici conſulendi. Inter quos CONRINGIVS[l], ſpiſſos Centones, nihil certi de foederis Hanſeatici origine pandentes, SAGITTARIVS[m] proletariae eruditionis ſcriptorem, LAMBECIVS[n] farraginem ineptiſſimam reperere. Verum haec ὡς ἐν παρόδῳ, vt intelligatur, ſemper ſibi ſimilem fuiſſe Werdenhagenium.

pag. 782. lin. 8. a fin. *Sed et iniuriam deprecari apud aduerſarios atque principes arbitros iuſſus eſt.* Formulam reuocationis Guelpherbyti typis editam ob ſingularem raritatem inſeruit *controuerſiis Lutheranorum inter ſuos*[o] Venerandus Walchius. Ipſum vero Ducem Brunſuicenſem Henricum Iulium, cum iſta inquiſitio haberet inſpectorem et iudicem ἄυτοπτον, resque ipſa clamitet, facile inde colligi poteſt, Hofmannum, rebus ſuis, vt par erat, diffitentem, ἔχοντα ἄχοντα perſuaſum fuiſſe, vt ſignata ſententia animum ſuum ita declararet: *verum, veriorem, veriſſimum vſum philoſophiae, et illam philoſophiam, quae in ſuo officio ſe continet, et intra ter-*

f) pag. 417.
g) Controu. Luth. inter ſe, P. V. p. 514 ſqq.
h) Introd. in H. L. Cherſ. Cimbr. §. 4.
i) Amſt. 1632.
k) Conf. HOTTINGER. Specim. philoſ. hiſtor. in pentade diſſertt. pag. 106.
l) Diſſ. de vrb. Germ. §. 95.
m) De orig. ciu. Brunſu. §. 31.
n) Ind. Auct. R. Hamb.
o) pag. 519 ſeqq.

minos manet, nullo modo; ſed tantummodo eam, quae abuſu affectat imperium in theologia, et ſe commiſcet cum doctrina eccleſiae, in iis, quae ſunt ſpiritus, damnandam, reiiciendam, explodendam eſſe, et illos aeque philoſophos iuxta Tertullianum patriarchas haereticorum eſſe, qui eccleſiae puritatem doctrina commacularunt, alios vero non item. Qua in controuerſia annon Iliacos intra muros et extra peccatum et affectuum partisque ſtudio plus datum fuerit, quam veritati, Lectori conſiderandum relinquimus. Ceterum Io. Sig. Schwenckii orationem, cuius meminit Thomasivs [p], editam non eſſe dolemus, qua de Hofmanniana controuerſia diſſeruit. Huic poſtea controuerſiae immiſtum quoque fuiſſe Paulum Sleuogtium, ob *peruigilium, de diſſidio theologi et philoſophi, in utriusque principiis fundato*, Idem auctor eſt, noſque h. l. iam eius indictum fecimus, factumque, vt eccleſia quoque Parthenopolitana iſtis diſſidiis turbaretur, de quibus tamen plura narrabunt annales eccleſiaſtici. Enatum ex illis Iacobi Martini *ſpeculum rationis*, libelliique eriſtici, Andreae Crameri, Ioannis Schraderi, de quibus omnibus in hiſtoria ſacra ſuperioris ſeculi plura traduntur. Breuibus autem omnia complexus eſt Walchivs [q].

p) loc. cit. p. 244. not. n. q) loc. cit.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIAE CRITICAE
PHILOSOPHIAE

ACCESSIONES ET SVPPLEMENTA

AD

TOMI IV. PARTEM ALTERAM

QVAE EST OPERIS

VOLVMEN QVINTVM.

Digitized by Google

AD VOL. V. HIST. CRIT. PHIL.

LIBRVM I.

DE RESTAVRATORIBVS PHILOSOPHIAE ECLECTICAE VNIVERSAE.

CAPVT I.

DE CAVSSIS ET OCCASIONE RESVSCITANDI PHILOSOPHIAM ECLECTICAM.

pag. 4. lin. 16.

S ectae nomen ſtudiumque velut indignum philoſopho merito ſit exoſum. Haec quidem ὡς ἐν πλάτει dicta eſſe, intelligendum eſt, vt tamen non negetur, ſectariam philoſophiam non tantum ſeculis XVI. et XVII. admiratores multos magnosque habuiſſe, quos in integro antecedentis tractationis volumine fuſe recenſuimus: ſed accidiſſe quoque hoc, quod felicibus auſpiciis regnat philoſophia eclectica ſeculo noſtro, vt iſta cogitandi libertas iugo nulli alligata, ſectarium ſtudium non penitus potuerit extinguere. Cuius luculentum exemplum ſunt ſcholae adhuc multae Romanae eccleſiae adſcriptae, quae pro aris et focis ſectariam philoſophiam defendunt, et repetenda hic ſunt acerba et iniquiſſima iurgia, quae contra hanc noſtram philoſophiae hiſtoriam impulenter et ſine lumine ideo excitauit infelix Fritingenſis cathedrae ſcholaſticus, quem volumen ſuperius, qua par erat, ratione depexum dedit. Alium ex vicinia adduxit magnus eclecticae philoſophiae vindex, cel. HOLLMANNVS [a], eiusdem furfuris hominem, BERNARDVM OBERHAVSER

a) Introd. vberioris in philoſ. vniuerſam P. I. prol. §. 18. p. 24.

Digitized by Google

HAVSER [b], qui instructis agminibus contra eclecticam philosophiam inceſſit, et Peripatetico-thomisticam sectam his argumentis defendere ausus est, quae risum lectori facile moueant, vimque praeiudiciorum summam satis produnt. Neque tamen id magnopere mirabimur, si ad eas cauſſas attenderimus, quas in volumine antecedenti de philosophia scholastica tractantes attulimus, quae luculento exemplo esse possunt, quantum valeant sectae, auctoritatis, emolumenti, obsequii, educationis atque consuetudinis praeiudicia: quae superare, certe diuina sapientia opus est. Tantum quoque pondus habet saepenumero inueterata consuetudo, rerum circumuallata circumstantiis, vt viri quoque acuti vereque magni ingenii in contemnenda philosophia eclectica coecutiuerint, cuius exemplum esse potest, toties nobis laudatus IACOBVS THOMASIVS [c], cuius tamen sententiam pulchre emendauit illustris filius CHRISTIANVS THOMASIVS [d]. Inde euenit, vt intermedios conatus eclecticos, qui sectarum conditoribus tantum non omnibus tribui debent, philosophia eorum in sectam abierit, cuius cauſſae tum in admiratione magistri, tum in paupertate et timiditate ingenii proprii, tum in ignaua animi laboris contentionem refugientis dispositione quaerendae sunt. Nempe, quod dudum obseruauit SENECA [e], *ea natura est hominum, vt plerumque pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum est, sed qua itur.* Vnde mirum quoque non est, in tantis philosophiae eclecticae gloria atque incrementis, quae nostra aetas vidit, audita tamen esse Cartesianorum, Ridigerianorum, Thomasianorum, Leibnizianorum, Wolfianorum nomina indignantibus viris summis seruo imitatorum pecori, quod istud eclecticae veritatis studium eneruare iterum ausi fuerint.

pag. 7. lin. 12. a fin. *Praeceptis examen interponere.* Repetenda hoc loco obseruatio supra adducta, monachismum, in obsequia praelatorum et praefectorum iurare ab ipsa adolescentia coactum impediuisse, quo minus philosophandi libertas surgere posset. Obseruatum id esse Patricio et Gassendo, eo loco dictum. Inde factum, vt laetior philosophiae sobriae facies, inter viros doctos, isto vinculo non colligatos, in ipsa Romana ecclesia exsurgeret, quam tamen intellectus lucem cogitandi libertate excitatam, quibus possunt conatibus impediuisse, religiosorum et monachorum certis legibus obstrictorum inuidias et audaciam, vel vna, quae inter Cartesianos et Iesuitas intercessit contentio, luculenter euincit.

pag. 8. lin. 15. *Artibus quoque clandestinis sufflaminaret.* Exemplum recens admodum, et in philosophiae nostri temporis historia non negligendum petere licet ex historia FRANCISCI ROTHFISCHERI, epistolisque ad eum datis, quas in libro: *victoria veritatis*, quo apologiam pro sua ad Pro-

b) In coronide biennii phil. Peripatetico-Thomistici Salisb. 1729. 4. editi, prol. p. 53 seqq.

c) Progr. XXXIX. XLI. aduersus philosophos libertinos, et aduersus philosophos nouantiquos, qui tamen more suo moderate statuit.

d) Gaurel. P. I. c. 6. §. 96. p. 135.

e) De vita beata c. 2.

Digitized by Google

Proteſtantes ſeceſſione ſcripſit, nobis exhibuit. Ex quibus, ſi id ageremus, longa fabula conflictus inter philoſophiam eclecticam et ſectariam poſſet conſcribi, niſi iucundius ex ipſo fonte ea hauriretur. Qua occaſione tamen fortunam quoque eclecticae philoſophiae intelligere licet, qua haud ſemel victoria potita eſt, quae vero hoc loco enarrare non licet [f]. Non omittendum autem hoc loco eſt, ipſam hiſtoriae philoſophicae commendationem multum ad ſpargendam nouam philoſophiae lucem contuliſſe, cuius inſtrumentum quoque fuiſſe hanc noſtram, ad quam ſupplementa ſcribimus, hiſtoriam philoſophicam, idem teſtis αὐτόπτης eſt. Id quod multis epiſtolarum coenobitarum calamis ſcriptarum teſtimoniis poſſemus corroborare, ſi noſtrae liceret modeſtiae. Qua felicitate tamen laetius fruitur philoſophia in Gallia atque Hiſpania, quam in noſtra Germania, Polonia, Hungaria, vbi mirabitur aetas ſecutura, potuiſſe tot praeſtantiſſimorum ex his coetibus virorum conatibus tam tenaces remoras opponi. Cuius veram cauſſam videtur prodidiſſe MABILLONIVS [g] obſeruans, *ſi libertas philoſophandi certis legibus circumſcripta ſit, et regulis illigata nimirum in aliqua religione, coetu vel collegio, neceſſum eſſe manus dare et in obſequium ſe componere.* Hinc illae lacrymae! Speramus tamen laetiora tempora, etiam in his ſcientiarum philoſophicarum in Romana eccleſia conuallibus, ex quo ſcripſit publice deſideratiſſimus WEISSIVS [h], Benedictinus Vrſinenſis: *Certe ex Germania ipſa orthodoxa ſcio multos, qui clitellas et iugum philoſophicum exoſi, at conſultiora ſapere per familiarum et Athenaeorum ſtatuta impediti liberiorem rationis humanae vſum ſuſpirant.*

f) §. 164 p. 36. conf. Eiusd. Iubil. pontif. §. 222. p. 521 ſeqq.

g) De ſtudiis monaſt. P. II. c. 10. p. m. 483.

h) Praef. libri de intell. hum.

AD CAPVT SECVNDVM.

DE IORDANO BRVNO NOLANO.

pag. 12. lin. 11.

Primus, quantum quidem conſtat, qui totum philoſophiae circulum mutare auſus eſt. Praeferendus hic Bruno, ſi ordinis et aetatis rationem habere velimus, inter nouatores philoſophiae, erat Ioannes Bodinus, celebre Seculi XVI. nomen, quo fere medio eminere literis coepit. Quanquam enim cum memoriae noſtrae excidere paſſi non ſimus, ſed, quantum res atque locus poſcebat, haud poſtremum ei locum in H. C. P. aſſignauerimus, resque eius literarias narrauerimus [a], deſtituti tamen tunc, cum illa ſcriberemus libro BODINI, quem *vniuerſae naturae theatrum* inſcripſit, et in quo

a) Infra huius Vol. p. 779 ſeqq.

Digitized by Google

quo nouam vniuerſi philoſophiam cudere inſtituit, tum *daemonologia* quoque, quam nouis opinionibus philoſophicis repleuit, inter vniuerſalis philoſophiae reformatores atque nouatores recenſere non potuimus. Cum autem, multis poſt annis vterque Bodini liber tandem occurreret, et ſupellectili noſtrae librariae eſſet adiectus, hanc nunc quidem omiſſionem refarcire et omiſſa afferre poſſumus. Ne tamen lectorem a trita operis noſtri via ſeducamus, ſeruabimus illa ad eum locum, vbi tota Bodini hiſtoria enarrata eſt, et quam miri ingenii characterem ſcriptor cetera celeberrimus, etiam in metaphyſicis, phyſiologicis et pneumatologicis prodiderit, manifeſtum faciemus. Interim legi poſſunt *relationes de bibliotheca quadam Halenſi* [a], quam B. BAVMGARTENII diligentiae debemus, et de vitae eius circumſtantiis praeter laudatos ſuo loco comparandus NICERONIVS [c].

Ibid. lin. 6. a fin. *Memoriarum de hoc viro inopiam.* Eam vbique non in Germania tantum, ſed in Gallia quoque deprehendi, vel ex vnius NICERONII memoriis colligi poteſt, qui cum diligentiſſime in ſcriptorum eruditorum hiſtoria verſari ſoleat, praeter coniecturas tamen, et librorum eius, non tamen omnium aliqualem enarrationem nihil attulit, quod magnopere ſatisfaceret. Diſſenſus quoque iudiciorum orbis literati de Bruni opinionibus et ſyſtemate, ſatis oſtendit, pauciſſimis veras eius ſententias atque placita patuiſſe.

pag. 13. lin. 4. 5. *Sine mentione loci et anno.* Leg. anni. Adduntur libello rariſſimo, *oratio parreſiaſtica, qua auxilia a rege et ordinibus Vng. petuntur, habita Neo-Solii in comitiis. Epiſtola Eucharii Martini Budiſſino Luſatii ad celebrem theologum D. Matthiam Hoë ab Hohnneg* etc. *comitem Luteranenſem, addita eſt epiſtola Caſp. Scioppii in qua haereticos iure infelicibus lignis cremari concludit.* De eo videndus TOLANDVS [d], SALIGIVS [e], VOGTIVS [f], et citati.

pag. 14. lin. 11. *E medio ſublatum fuiſſe Scioppium.* Legendum, *Brunum*, de quo ſermo eſt.

Ibid. lin. penult. *Qui ſacros ordines deſeruerunt.* De hac re diſputare velle, et colorem atrocitati et furori inducere, eſſet ſoli obloqui, et publicam hiſtoriae fidem euertere. Legat, cui immanis barbaries incredibilis videtur, MICHAELIS GEDDESII *martyrologium eorum, qui in Hiſpania ob profeſſionem religionis Proteſtantium ſuppremo ſupplicio affecti ſunt,* cuius verſionem Latinam nobis exhibuit B. MOSHEMIVS [g].

pag. 19. lin. 21. *Brunus autem et Ariſtotelem mire contemnebat.* Rationem huius contemtus facile intelligere in Bruno licet, ſi pro vero aſſumamus, quod infra luculentis rationibus nos demonſtrauiſſe putamus, Brunum

a) Vol. III. p. 398. 414.
c) Vol. XIII. p. 140. verſ. Germ.
d) Collect. of ſeveral pieces T. I. p. 305.
e) Hiſt. Aug. Conſ. T. I. p. 305.
f) Cat. libr. rar. p. 428.
g) Diſſertt. ad H. E. ſpect. Vol. I. p. 662 ſeqq. cuius praefatio legi de hoc argumento meretur.

Digitized by Google

Brunum ſyſtemati emanatiuo adhaeſiſſe, et abſtractionibus mathematicis fauentem, principia enthuſiaſmo plena elegiſſe. Hoc enim librorum eius lectio euidenter euincit. Aſt propterea, talis cum eſſet, Ariſtotelis acumen et philoſophandi ſolertiam non totam contemſit, ſed quam illi in phyſiologicis et theologicis denegabat metaphyſicae cognitionem lubens tribuit. Cuius ſpecimen eſſe poteſt *ſumma terminorum metaphyſicorum ad capeſſendum logicae et philoſophiae ſtudium ex Iordani Brumi Nolani entis deſcenſu excerpta, et luci primum edita a Raphaële Eglino, Iconio Tigurino,* quae compendium eſt libri eius, cui *lampadis* titulum praefixit. In eo vero terminos metaphyſicos more Peripateticorum, monente editore fere vbique ſequitur, et ideas generales ſatis dilucide explicat, quod ex ſyſtemate Pythagoreo, quod ſibi prae ceteris ſelegiſſe aliquoties prodidit, fieri non poterat. Quam ingenii varietatem et iudicii inconſtantiam Brunus vbique manifeſtauit, caputque heteroclitum habuiſſe oſtendit. Rationes autem Peripati phyſicas et theologicas valde contemſiſſe, ex eius acrotiſmo eſt conteſtatiſſimum.

pag. 29. lin. 5. a fin. *Vt ſe perſecutioni inſidiisque ſubduceret.* Obſcura eſt commorationis Bruni in academia Pariſienſi hiſtoria, vt pleraeque eius vitae circumſtantiae intricatae ſunt difficulterque poſſunt connecti: quod in tanta memoriarum de Bruno raritate vitaeque eius vagae et incertae viciſſitudine non valde mirandum eſt. Vnde ab hiſtoria quoque iſtius academiae exigua ei lux accenditur, nec multum quoque poſt Bvlaei [h] obſeruationes, attulit, qui nuper hiſtoriam vniuerſitatis Pariſienſis condidit cl. Crevierivs [i]. Nam, ſi verum dicendum, non cohaeret ſatis eius narratio, ſuſpicionibus magis et coniecturis, quam rationibus reique documentis nixa. Tradit de Bruno Pariſiis haerente haec vir doctus: „Rectori Fileſaco oblatum libellum, quo philoſophus quidam, „natione Italus, patria Nolano-Neapolitanus, Italia profugus et chara„ctere ſingulari, audaci et paradoxo conſpicuus praetextu oppugnandae „philoſophiae Peripateticae fundamenta omnis religionis euertere ſtu„duerit. Hunc cum ob impietatem ſolum in Italia vertere et ſecuritatis „cauſſa terras alio ſub ſole calentes quaerere, expectandus inquiſitionis „rigor coegiſſet, Pariſios ſibi locum elegiſſe, vbi liberius et ſecurius phi„loſophari poſſet, cum inimicae haereſeos contentiones, ligaeque quam „vocabant, furores, principumque et gubernatorum regni ignauia omnia „miſcuiſſent, et licentiam ſtatuendi aperuiſſent. Non tamen aperta fron„te opiniones ſuas eum expoſuiſſe, ſed philoſophiae liberioris velo, ex„cuſſi iugi Peripatetici cauſſam praetendiſſe. Conſici tamen poſſe, non „obſtante iſto, quo ſe reconderat, velo, myſterium illud, quod tegebat, „tandem patere coepiſſe eumque de fuga feciſſe ſollicitum. Antequam „autem diſcederet, oſtendere voluiſſe, quid poſſet, quid valeant humeri,

 „arti-

h) Hiſt. vniu. Pariſ. T. VI. p. 786 ſeqq. i) Tom. VI. p. 584 ſeqq.

„articulosque nonnullos propoſuiſſe de natura et mundo, quos in publi-
„co virorum doctorum conflictu per triduum defendendos ſuo ſub prae-
„ſidio tradiderit iuueni cuidam illuſtris nominis Ioanni Hennequino.
„Praemiſſam autem iſti pugnae literariae declamationem apologeticam,
„ab Hennequino in acroaterio regio recitatam, dominica pentecoſtes [e],
„quae iſtas Bruni theſes defenderet. Eam ob cauſſam tres ſcripſiſſe epi-
„ſtolas, vnam ad regem, (Henricum) alteram ad philoſophiae melioris
„amatores, tertiam ad Ioannem Fileſacum, Pariſienſis ſcholae rectorem,
„in quibus character Bruni vagus, et oſtentator, magna confuſione ſcri-
„bendi et cogitandi emineat: facileque talem prodat, qui Spinozae prae-
„luſerit.“ Haec de Bruno Creuierius, quem, Lector nobis non mo-
nentibus palpabit, nihil actorum in vniuerſitate Pariſienſi, quod Brunum
concernat, vidiſſe, altumque hodie eſſe de eo in iſto mercatu literario
ſilentium. Quae enim hoc loco narrat a P. Bayle ſe accepiſſe, candide
monet, qui *acrotiſmum* Bruni recenſendo, hoc argumentum tetigit. Patet
hoc ex ipſius libri inſcriptione, quam hoc loco attulimus et Nicero-
nivs [f] quoque deſcripſit. Ex hoc vero ſcripto ſua hauſerunt et Bae-
lius et Creuierius, diſcimusque, iſtum conflictum literarium inſtitutum
fuiſſe triduo pentecoſtes anni cIↃIↃLXXXVI. Ex quo titulo epocha com-
morationis Bruni apud Pariſienſes certo poteſt definiri. Cum autem Bru-
nus, iam anno cIↃIↃLXXXII. comoediam quandam, itemque librum
*de vmbris idearum ad artem memoriae itemque libellum de compendioſa architec-
ſtura et complemento artis Raym. Lullii*, *Cantum* porro *Circaeum* anno ſequen-
ti, itemque anno cIↃIↃLXXXIV. dialogos *de cauſſa, principio et vno*, Pari-
ſiis ediderit [g], et quae fauente Caſtelnauio regis apud Britannos legato
Londini his annis in lucem edidit, Pariſienſem vrbem in titulo prae ſe
ferant, coniicimus inde, Brunum anno cIↃIↃLXXXI. illuc delatum vſ-
que ad annum cIↃIↃLXXXVI. [h] haeſiſſe, et tunc philoſophicos et mathe-
maticos labores ſuos vulgando tum ob explicatam magno labore Lullia-
nam artem, tum ob phyſicam veteribus ex parte ereptam nouisque para-
doxis incruſtatam, magna in opinione vixiſſe, et, ringentibus quidem pro-
feſſoribus Peripateticis, paradoxum philoſophiae genus, publice in acroate-
rio vniuerſatis, licet profeſſor ordinarius haud eſſet, docendo et diſpu-
tando vulgaſſe, nec oppoſitam auſis his cenſuram regiam eſſe [i]. Vnde
conſtat quoque, quamuis *παραδοξοφιλίας* vitio multos ſibi aduerſarios con-
citaſſet, de atheiſmo tamen velut Spinoziſmi praecurſorem non fuiſſe
ſuſpectum. Quam licentiam non inuſitatam eo tempore Pariſiis fuiſſe,
ſupra iam Bitaudi, Villonii, Baſſonis, Berigardi, et paulo poſt Gaſſendi
quoque exemplis confecimus, et rerum Pariſienſium iſtius aetatis peritis,
fieri

e) Le Dimanche de Pentecôte. In acroriſmo Bruni dicitur, triduo Pentecoſtes.

f) Tom. XIII. p. 116.

g) Ibid.

h) Conf. quae h. l. §. 3. p. 30. curatius de hoc anno diſcuſſimus.

i) Nugatur itaque Scioppius aſſerendo, eum Pariſiis profeſſorem extraordinarium egiſſe, cum videret, ordinarios cogi Miſſae ſacrae intereſſe.

Digitized by Google

fieri ita potuiſſe, erit veriſimillimum. Alia, quae ex epiſtolis tribus in acrotiſmo Bruni comprehenſis annotari poſſunt, cum librum ipſum praeſentem non habeamus, Lectoris diligentiae inquirenda relinquimus. Aſt, ſi SCIOPPII [p] narrationem ſequimur, Brunus vel eiectus, annis abhinc (cIↃIↃc) octodecim, id eſt, cIↃIↃLXXXII. Geneuam confugit, et cum Bezae et Caluini placita et ſeueritas Geneuenſium erga homines heterodoxos ei non placerent, inde quoque abire iuſſus, Lugdunum, inde Tholoſam, et tunc demum Pariſios deueniſſe, indeque Londinum delatus famoſum librum de beſtia triumphante contra pontificem ſcripſiſſe, poſtea in Germaniam ſecedens Witebergae et denique Pragam, inde vero Brunſuigam, Helmeſtadium, Francofurtum adiiſſe, Venetias tandem concedens in manus inquiſitionis delatus Romamque miſſus, poſt biennium ineunte Sec. XVII. combuſtus fuiſſe dicendus eſt. Quae quidem omnia in ſua epiſtola Rittershuſio narrat Scioppius, aſt conſtare non poſſe cum rationibus chronologicis morae Pariſienſis, eſt euidens, vnde in Bruni hiſtoria haud parum vacillat fides Scioppii. Sed reliquae quoque notationes chronologicae Bruni non inter ſe conſpirant, vt difficile ſit, exitum in chronologia Bruniana inuenire [q]. Nondum itaque poſt tam longum tempus, quo iſta ſcripſimus, ex hoc labyrintho nobis licuit eluctari, et Bruni hiſtoriae certam epocham aſſignare. Quod ſi coniecturae locus eſt, veriſimile eſt, libellos Pariſiis a Bruno ſcriptos cum edi illo loco non poſſent, tranſmiſſos eſſe a Bruno in Angliam, liberiorem auram naſturos, patrocinante Bruno legato Gallico et Sidneyo equite: quod anno cIↃIↃLXXXIII. et ſequente fieri potuit, ipſum iter Anglicanum autem in ſerius tempus referendum eſſe, quo more ſuo Francofurti diſparuit, iam ſuo loco monuimus.

pag. 21. lin. 26. *Acrotiſmi rubro praefixo anno* cIↃIↃLXXXVIII. *vulgauit.* Ex huius editionis anno pro certo aſſumi debet, Brunum vel ipſo ſeculi anno octogeſimo ſexto, poſtquam crabrones Peripateticos irritauerat, et iactanter ſatis publice diſputauerat, vel anno tamen inſequente fuga Pariſiis dilapſum ad Germanos peruenisſe. Quae omnia ſuperficiariam Scioppii narrationem euertunt.

pag. 23. lin. 24. *Veriſimilitudinem ſectanti fiat ſatis.* Non ingratum laborem ſuſcipi credimus, ſi fabulam Brunianae ſimillimam de Simone Tornacenſi [r] ſuo loco a nobis examinatam cum hac narratiuncula de Bruni laudatione diaboli comparare quis velit, quoniam multarum fabularum aliarum fontes inde accurata inquiſitione adhibita poſſunt erui.

pag. 24. lin. 5. *Qui in titulo annum* cIↃIↃLXXXII. *prae ſe fert.* Totum et prolixum quidem titulum huius libri exhibet *bibliotheca curioſa librorum rariorum*, quam cl. DAV. CLEMENTI debemus [s], anno quoque eidem adſcribit

p) loc. cit.
q) Niſi plane rationes Scioppii chronologicas deſeramus.
r) Tom. IV. p. 829 ſeqq.
s) Tom. V. p. 290 ſeqq.

ſcribit NICERONIVS [t], ſed Pariſiis editum notat, quod longe veriſimilius eſt. Nam eo anno in nugis Lullianis totus occupabatur Brunus, ilsque famam ſibi in ſchola Pariſienſi comparabat, et ſe omnibus aliis profundius in myſteria Lullii penetrauiſſe iactabat.

pag. 38. lin. 8. a fin. *Iuxta temporum ſeriem prodierunt.* Dederunt quoque indices librorum Bruni diligentiſſimi viri DAVID CLEMENS et PETRVS NICERONIVS, quem ex abundantiſſima penu ſua auxit B. BAVMGARTENIVS. Et ex his ſcaturiginibus hoc loco noſtros riuulos augebimus.

Ibid. lin. 8. a fin. *La cena della cineri deſcritta in cinque dialoghi* cIↃIↃLXXX. Appoſuimus hunc annum ex NERDIERII *ſuppl.* ad GESNERI *bibliothecam* [u], quem ſecutus quoque eſt P. BAYLE [x]. Sed iam rectius nouimus, dialogos iſtos prodiiſſe cIↃIↃLXXXIV. *ἐργοδιώκτῃ* Caſtelnauio: eosque habere Anglicum ſolum natalem. Demonſtratum id in bibliotheca curioſa CLEMENTIS [y]. In hac autem regione aequius ferri hypotheſes Copernicanas, de motu telluris et mundis innumerabilibus noſtro ſimilibus, Brunus ſperabat.

Ibid. lin. 7. a fin. *De vmbris idearum ars memoriae.* Integrum titulum ſatis prolixum exhibet *bibliotheca Clementina* [z], quae luculenter hunc furentis et laſciuientis ingenii Bruniani foetum deſcribit.

Ibid. lin. 5. a fin. *Cantus Circaeus.* Ante hunc Bruni libellum ponenda tractatio, *de compendioſa architectura et complemento artis Raymundi Lullii*, Pariſ. MDLXXXII. Cantus autem Circaeus eodem anno prodiit, non ſequenti, vt Niceronium ſecuti h. l. notauimus. Monuit id *bibliotheca Clementina.* Ex huius breuis libelli titulo conſtat, habuiſſe Brunum Pariſiis eo tempore patronum Henricum de Angouleſme, magnum Galliarum priorem, in prouincia regis locum tenentem: vnde coniicimus, labores Logicos Lullianos Bruni plauſum inter Gallos eo tempore et opinionem ſingularis ſapientiae meruiſſe.

Ibid. lin. 3. a fin. *Vno Ven.* cIↃLXXXIV. Non Venetiis, ſed in Anglia prodiiſſe obſeruat *bibl. Clement.* Notabiles iſti dialogi, quia de origine et natura cauſſarum, de forma generali vna et materialibus multis, de actione materiae et formae, de eſſentia rerum per vniuerſum vna, indiuiſibili, immutabili etc. agit. Quae tractatio occaſionem exhibuit inter Spinoziſtas ante Spinoſam Brunum referendi. Quo iure, quaue iniuria noua illa et inauditae hactenus ſignificationis principia huc trahantur, infra dictum. Eandem patriam habet tr. de *infinito vniuerſo et mundis*, obſ. *Bibl. Clement.* [a]

p. 39. lin. 3. *De progreſſu et lampade venatoria logicorum MDLXXXVII.* Prodiiſſe hunc libellum Lullianum Pragae, indicat Niceronius, qua in academia

t) P. XIII. p. 109.
u) pag. 33.
x) Art. Brun. T. II. p. 680.
y) loc. cit. p. 311.
z) Tom. V. p. 390 ſeqq.
a) pag. 300.

Digitized by Google

demia iſta ars multos fautores nacta eſt. Solet libellus adiici operibus Lullii. Male inde collegit Scioppius, Brunum h. a. Pragae fuiſſe.

Ibid. lin. 11. *De triplici minimo et menſura.* Videndae *relationes de libris memorabilibus, quae Halae prodiere* [b], vbi liber recenſetur.

Ibid. lin. 20. *Iconio Tigurino Tig.* clɔlɔXCV. Acceſſit in ſecunda editione Marpurgi *praxis deſcenſus ſiue applicatio entis e mſc. edita a Raph. Eglino MDC.*

Ibid. lin. 25. *Recenſionem exhibuit.* In bibliotheca Clementina literaria recenſentur etiam: *figuratio Ariſtotelici phyſici auditus, ad eiusdem intelligentiam atque retentionem per XV. imagines explicanda. Pariſ.* clɔlɔLXXXVI. *Articuli centum et ſexaginta, aduerſus huius temporis mathematicos et philoſophos, centum item et octoginta praxes ad totidem problemata,* Prag. clɔlɔLXXXVIII. 8.

pag. 50. lin. 16. *Quae aliter ſtatuiſſe Brunum, quam Spinozam clariſſime euincant.* Iubemus lectorem ſpinoziſtici ſyſtematis gnarum expendere, num cum eo cohaereant et ſyſtematico nexu copulentur Bruni aſſertiones ſupra adductae: Deum eſſe mentem ſuper omnia, mentem infitam omnibus naturis, mentem omnia peruadentem: rationem eſſe numerum numerantem, et influere per naturam in rationem, rationem attolli per naturam in Deum. Vacuum ſimpliciter cum atomis non ſufficere, et certam oportere eſſe materiam, qua glutinetur. Compoſitum nullum veram ſubſtantiam eſſe per natiuitatem et adoleſcentiam ſpiritum architectum expandi in hanc, qua conſiſtimus, molem et a corde diffundi. Natiuitatem eſſe expanſionem centri, vitam conſiſtentiam ſphaerae, mortem contractionem in centrum, Deum eſſe monadum monadem, nempe entium entitatem, et ſimilia alia, quae cum Spinozae ſubſtantia vna eiusque modificationibus conſiſtere non poſſunt, at ex ſyſtemate emanatiuo commode poſſunt explicari omnia, vt ex verbis et ratiocinatione Bruni eſt manifeſtum.

pag. 60. lin. 18. *Syſtema Spinoziſticum cum emanatiuo confundentes.* Accidit id quoque Niceronio, res quidem Bruni erudite ſatis enarranti, qui tamen, ſe libros philoſophicos eius non legiſſe, multoque minus examinaſſe, prodidit, nec ſe philoſophum valde eſſe demonſtrauit.

Ibid. not. s. *300. florenis redemtus aliquoties eſt.* Vaenire L. Ludouicorum aureorum pretio, refert Niceronius, Befferus 300. flor. Bat. redemit, BVNEMANNVS [c] centum imperialibus vendidit, aſt inter Bigotianos libros, hunc cum quinque Bruni aliis libellis tantum viginti quinque ſolidorum pretio fuiſſe venditum, tradit Niceronius. VFFENBACHIVS ſex tantum imperialium pretium adſcripſit [d]. Conf. ENGELIVS cat. libr. rar. [e].

pag. 61. lin. 5. *Habet is hunc titulum.* Errores typorum in hoc titulo admiſſos, ſic corrige: *Spaccio della beſtia trionfante, propoſto di Giove, effettua-*

b) Tom. VI. p. 281.
c) VOGT. cat. libr. rar.
d) Cat. bibl. T. I. p. 625.
e) pag. 26.

Digitized by Google

effettuato dal conſeglio, revelato da Mercurio, recitato da Sofia, redita de Saulino, regiſtrato dal Nolano. Diviſe in tre dialogi, ſubdiviſe in tre parti. Summam argumenti inepti libelli poſt Croſaeum indicat Niceronius, et qui *dictionarium hiſtorico-criticum* multis acceſſionibus auxit, et epitomen libelli famoſi ſatis amplam in eo exhibuit, doctiſſimus CHAVFEPIE [f], quo cum comparanda *bibliotheca librorum rariorum* DAV. CLEMENTIS [g]. Recte autem obſeruatum Niceronio, fallere eos, qui Romanum pontificem a Nolano beſtiae triumphantis titulo traduci, cum Scioppio referunt, quem nunquam in partes hoc nomine vocauit, ſed ſuperſtitionem tantum religionis titulum inepte mentientem frigida ſatyra ſugillauit. Licet et hoc fatendum ſit, non inſolens fuiſſe Bruno, magnis iris in P. R. accenſo ſimilibus eum titulis ſalutare, e. g. *in panegyrico Iulii Brunſuicenſium ducis* dicere, *ſe in Italia gulae et voracitati lupi Romani expoſitum, inſaniſſimo cultui adſtrictum, et tyrannorum violentia mortuum fuiſſe.* Quibus verbis clarius enuntiaſſe, anno cIↃIↃLXXXIX. in libertate conſtitutus apud Germanos quae quinquennio prius [h] muſſitaſſe tantum, et emblematica timiditate ſubinnuere in iſto dialogo voluerit, videri poteſt, modo certus ille huius libelli auctor eſt. Quicquid autem eius ſtatuendum eſt, illius cetera ad deridendam et traducendam religionem factus, ex atheiſticorum ſcriptorum numero eximendus eſt, et inter irriſores potius religionis, vel, ſi mauis, ſuperſtitionis, cuius P. M. alibi Brunus accuſauit, numerandus. Quare ab impoſtura liberari non poteſt TOLANDVS [i], qui hunc eſſe libellum de tribus impoſtoribus mentiendo, verſioni Anglicae a ſe confectae pretium et raritatem acquirere ſtudult, cum pauciſſima tantum exemplaria ex ſua verſione recudi curaret. Bruni autem genuinum opus eſſe, ipſumque auctorem referre, aliquot rationibus contra Heumannum euincere fategit cl. ENGELIVS [k], qui plerosque foetus Bruni in collectione ſua librorum rariorum habuit. Inſpexit etiam famoſos dialogos AVG. BAYERVS [l], cui impii ſatis viſi ſunt.

f) Tom. II. p. 455 ſeqq.
g) Tom. V. p. 302 ſeqq.
h) Si modo annus editionis 1582. verus eſt, liberque Pariſiis editus, quod vtrumque negat bibl. Clem.
i) Vid. LA CROZE entret. p. 329.
k) loc. cit.
l) Mem. libr. rar. p. 319 ſeqq.

AD CAPVT TERTIVM.
DE HIERONYMO CARDANO.

pag. 62.

Naudaeus Norimbergenſem editionem anni MDXIV. nominat. Eum ſequitur NICERONIVS [a], qui more ſuo erudite et ſuccincte hiſtoriam Cardani enarrauit. Eam editionem ex ſupellectile noſtra libraria praeſentem

a) Tom. X. p. 453 ſeqq. Verſ. Germ.

Digitized by Google

ſentem habemus, primamque hiſtoriae librariae Cardani editionem eſſe, ex ſubſcripto ab auctore anno et die MDXLIII. XIII. Kal. Oct. cognouimus. Inſcripſit auctor titulum *ephemeri*, neque immerito, in eo enim extemporario labore paucis paginis labores literarios ſuos enarrauit magis, quam deſcripſit, LII. indicauit, plures promiſit, πολυγραφίαν ſuam miles glorioſus ad inuidiam extulit, et cum maximis antiquorum ſcriptorum, Platonis, Ariſtotelis, Theophraſti, Galeni, Plutarchi, Ciceronis, Varronis ac Celſi induſtria comparauit, et ſe quaſi orbis eruditi miraculum commendauit, quae facilius apud ipſum leguntur, quam hic cum taedio exſcribuntur, cum characterem Cardani mire exprimant. Breuis autem index eſt, quatuordecim paginas vix explens [b], quem more ſuo ſcripta ſua magis effundendi, quam cum quadam diligentia atque cura elaborandi, vnius forte diei labore procudit; et vel hoc nomine non inepte ephemeri nomen inſcripſit. Eo tamen rubro patientia lectoris dignus eſt, quod ſcribendorum librorum ſuorum morem candide enarrauit, et animi ἑτεροκλίτου conſuetudinem ipſe depinxit. Mirum autem non eſt, hunc breuem libellum, quem ſe tanquam criſtam confeciſſe ait, aliquoties eum lampſiſſe et auxiſſe [c], donec in eam molem excurreret, qualem prae ſe fert editio Naudaeana, in cuius, de propria vita libro vno, ſe ſine fuco non docturam quemquam, ſed pura hiſtoria contentam vitam non tumultus, habentem dare monet.

pag. 64. lin. 15. a fin. *BARTH. CORTIVS, qui videndus.* Facius Cardanus ICtus, ſed medicinae quoque doctor, natus eſt Mediolani cIↃIↃCCCXLIV. parente Antonio. Ita iuris ciuilis et canonici peritia clarus eminebat, vt in Mediolanenſium ICtorum collegium adoptatus inſtitutiones publice explicare iuberetur. Sed mathematicis quoque ſtudiis pulchre excultum fuiſſe ſcriptis prodidit, ex quibus *perſpectiuam communem D. Ioannis Archiepiſcopi Cantuarienſis F. ordinis Minorum caſtigatam per eximium artium et medicinae et iuris vtriusque doctorem ac mathematicum peritiſſimum D. Facium Cardanum Mediolanenſem, in venerabili collegio iurisperitorum Mediolani reſidentem*, adduxit Barthol. Cortivs, et ex eo Nicebonivs. Obiit cIↃIↃXXIV. aetat. LXXX. Fuiſſe variorum ſtudiorum amatorem, Euclidis operum ſtudioſum, et corpore quoque ſingularem refert filius [d], qui id quoque refert, fuiſſe iracundum, parum conſtantem, memoria et ingenio pollentem, ſicut matrem, indulgentem in filium, adeo, vt pater ſineret, imo iuberet, ne a lecto ante ſecundam diei horam abſolutam ſurgeret, quod ſibi ad vitam et incolumitatem magno adiumento fuiſſe ait. Meliorem etiam viſum fuiſſe et amantiorem patrem matre. Ex qua filii confeſſione iudicari poteſt, quid ad animi et ſtudiorum characterem eius

b) Paginarum numeri, cum libris tribus de conſolatione vno numero ad finem vſque a pag. 418. ad pag. 431. decurrunt.

c) Editiones anni 1554. 1557. 1560. 1583. recenſet Nicebonivsl. c.

d) c. III. p. 7. conf. Nic. l. c. p. 455.

eius contulerint mores parentum et educatio. Qualis ea a patre, ipso filium informante profecta sit, in seqq. indicauimus. Addimus his, ob libri raritatem hoc loco non praetereunda, quae in genitura eius Facio tribuit Hieronymus, astrorum iudicia praesignificasse aetatis longitudinem, cum vixisset annis LXXIX. completis: Immensum studiorum amorem; nihil enim fecisse aliud, Insigni vsum esse memoria, occultarum doctrinarum habuisse notitiam, necromantiae peritiam tantam, vt omnes aetatis suae superaret; famam publicam credidisse, habere spiritum familiarem, et id ipsum fassum esse ingenue [f], vixisse annis XXI. sine dente, debilem visu; bis bibisse venenum, et superfuisse, remansisse autem tremorem cordis. Moribus autem, ait, fuisse integritate incomparabili, alterum Catonem, liberum in dicendo, iustissimum osorem vitiorum; ast timidum et agrestem, neglectorem rerum, minime amatorem suorum, sed quasi virum omnino rigidum. Qualem, ostentasse siderum positionem clɔccɔXLV. die XV. Iulii hora VIII. ante meridiem, noster magna fiducia asserit.

Ibid. lin. antepen. *Quod initium aerumnarum sibi fuisse tradit.* Legenda est, si quem virorum eruditorum speciales circumstantias noscendi curiositas trahit, genitura ipsius Cardani, quam accurate in geniturarum C. libello [e] ipse designauit, et postea in comm. in Ptolemaeum nouis accessionibus auxit, quidque sibi ex siderum positionibus vel acciderit, vel expectandum sit, explicuit. Multa ibi more suo ad faciendam artis apotelesmaticae fidem, et circumstantiarum suarum admirationem de vita sua, sanitate, morbis, parentibus, vxore, filiis, diuitiis, fama et potentia, forma et morte nugatur, eximio exemplo, quomodo cum ratione homines queant insanire.

pag. 73. not. m. *In coelo orientis.* Comparanda de hac, vel superstitione, vel, delirils vtriusque Cardani, patris et filii, praeter loca iam adducta, totus liber XVI. *de varietate rerum*, vbi omnem daemonomaniam late explicuit atque tam confidenter, vt vel ea sola tractatione constare queat, quam anilis superstitio, quam nugantis ingenii ferocia, quam irrationalis mentis male affectae credulitas daemonologiam Cardani excogitauerit. Ibi ad patris, eodem modo insanientis exemplum prouocat, quod, quam pueriliter ineptiens fuerit, inde, quaeso collige, quod Facius Cardanus iactauit, se omnia accurate ab istis daemonibus inquirentem, ab istis spiritibus intermediis didicisse, quod nascerentur et interirent; longaeui autem valde sint, et par sit credere, coniectura ab ipso ex facie sumta, cc. aut ccc. annos eos viuere, gignere et senescere. Talia, quae multa hoc loco effutiit, an non digna sint amara Villarsii satyra, lector ipse iudicet.

pag.

e) De iudiciis geniturarum n. IV. libell. astronomicorum Tr. III. p. 106.
f) n. XIX. p. 181 seqq.
g) Vid. quae not. i ex libro de subtilit. de Cardani patris congressu cum spiritibus attulimus.

Digitized by Google

pag. 74. lin. 12. *Inepta multa et abſurda facere mirum, haud eſt.* Praeclare et magno iudicio de cauſſis tantae, quae Cardanum obſedit, ἀνομαλίας, et quae inde exorta eſt dementiae, diſſerult acutiſſimus *de Deo et prouidentia diuina* diſputator SAMVEL PARCKERVS[b]. Ex quo in textu quidem nonnulla iam adduximus, totus autem locus dignus eſt, qui hic legatur, cum peroraſſe quaeſtionem totam videri poſſit. Is, poſtquam extremam, quam ſubinde inter acuta et erudita plurima prodidit, dementiam, occaſionem exhibuiſſe obſeruaſſet, eum impietatis patronis adiiciendi, ita de eo ſtatuendum eſſe decernit, vt primam eius inaequalitatis cauſſam in ſingularem quandam indolem innumerabilibus indiciis ſe prodentem conliciat, qua in mores inconditos vitamque ebrii ad inſtar inaequalem praecipitauerit tam anomala ſanguinis temperies, quae cum melancholica fuerit et aduſtae bilis copia referta, ventoſa facit ingenia, et magnarum rerum deſiderio flagrantia, et praeterea ſuſpicaces, moroſos, inuidos, maleuolos, ſimultatum tenaces, immites, ἀσύφορους, vt veluti in extremo confinio naturae humanae poſiti coeleſtem vel belluinam aut mixtam interdum ex vtraque leuiſſimo impulſu ſuſcipiant. Vnde euenit, vt ſimul optimis et peſſimis moribus vixerit, nec aequale quicquam habuerit, ita vt, pronuntiante THVANO, in quibusdam plus homine ſapere, in pluribus minus pueris intelligere videatur. Huic naturae inaequalitati atque indoli coniungendam eſſe iudicat perpetuam cogitandi conſuetudinem, quae tot voluminum lectorum et conſcriptorum parentem eum fecit, ita vt nihil intentatum relinqueret, in multis noua inueniret, meritus ab Alciato pater inuentionum dici, totque libros de omni diſciplina ſcriberet, vt iis ſolis bibliothecam omnium artium et ſcientiarum perfectam conficeret ornare liceat, tamdiu vero tamque obſtinate in ſtudiis nonnunquam euigilaret, vt viſa, quae in animi deliquiis videre viſus eſt, vera et quaſi diuinitus immiſſa ſibi ſerio perſuaſerit. His porro alteram addit veſaniam, dulcem gloriae cupidinem, cuius tam immani et impotenti deſiderio flagrauit, vt non tam famam et laudem, quam nominis memoriam ſe deperiiſſe fateatur, tamque vanas et incredibiles de ſe vbique fabulas decantet, adeo vt quicquid, etiamſi humano generi commune ſibi contigit, portentum eſſe crediderit: et a fraude, in iis, quae ſua non intererant ſatis alienus, tamen cum de ſe narretur, ſibi a magnis et impudentibus mendaciis temperare non potuerit. His cauſſis tribus addit ſcriptor Britannus extremam vitae calamitatem, cum eum, ſi quem mortalium ab incunabulis ad vſque extremum vitae ſpiritum perſecuta eſſet nunquam ſatiata Iunonis ira: qua factum, maxime poſt miſerabilem filii primogeniti exitum, vt tantum vulnus nec ferre, nec ſanare poſſet, ſed omnem felicitatem deſperans intolerabili miſeriae ſuccubuerit, quae ipſe prolixe et non ſine lectoris dolore narrat. Vnde tandem concludit Parckerus, diſertum pro Cardano et aequum pro excuſandis

b) Diſp. I. §. 25. p. 72.

dis eius erroribus se praestans, si quid flagitiosius scripserit, homini, vt insanienti cuiuis condonandum esse: alioquin in omni philosophiae genere tam pie philosophato, vt philosophorum nemo religiosius. Haec Parckerus, sobrius, et acutus Cardani iudex, qui hanc nobis celebris philosophi imaginem pinxit, quae in morali philosophia non sine magno emolumento ad cognoscendam humanae naturae indolem et emendandos mores afferre possunt egregia plurima.

pag. 75. lin. 16. a fin. *Ex themate eius genethliaco posse deriuari.* Totum hunc locum integrum legent, qui editione Lugdunensi carent, in *obseruationibus Halensibus literariis*[i].

Ibid. lin. 8. a fin. *Voferrime id reticuerit.* Inde plagii passim accusatur, forte non iuste satis, qui anteceſſores sententiae quidem habuit, quo titulo eum plagii crimine pungit IACOBVS THOMASIVS[k], suis tamen principiis conformiter nouam demonstrationem dare ausus est.

pag. 82. lin. 10. a fin. *Abolere tentauit.* Multa in hoc libro monuit praeclara, magnam, tum rerum naturalium, tum morborum et curationum experientiam testantia, et recentiorum quoque obseruationibus confirmata, curationum autem mirificarum a se praestitarum syllogen adiecit. Quae omnia in naturalis philosophiae studio attentionem merentur, verum non hoc loco, sed in historia medicinae experimentalis debent considerari et examinari. Prodiit libellus haud inutilis, plenior sectionibus quatuor constans *Parisiis 1565. 8.* qua editione nos vtimur, quamque commendauit NICERONIVS. Occurrit etiam in editione operum Cardani a. C. SPONIO curata *tomo VII.* qui est *medicinalium secundus.*

pag. 85. not. p. *A Plotino non parum mysteriorum se accepisse.* Ex iterata lectione hypotheſium Cardani hic allatarum, earum comparatione noua cum eius institutionibus physicis, pneumaticis, metaphysicis, astrologicis, dici non potest, quantum confirmati sinus in hac opinione, Cardanum magnum veterum compilatorem, et cum eos plerumque taceat, et ex sua penu desumsisse simulat, plagiarium occultum multum surripisse Platonicis[l] recentioribus, qui eclecticos se salutari cupiebant, et mutata in proprias suas formas, nouam philosophiae faciem mirabundo et stupendo orbi philosophico exhibere voluisse. Id plurimis exemplis possemus ostendere, nisi loci angustia et instituti nostri ratio ab hac prolixitate abhorrens obstaret. Relinquimus id ergo cauto sobrioque Lectori veteris philosophiae gnaro, et se terminis nouis decipi non patienti, nouum exemplum deprehensuro, quod errorum cacoëthes etiam recentiori aetate haec secta introduxerit; cognoscet quoque, imprudenter eos agere, qui Spinozae praelusisse Cardanum contendunt, cum fons errorum eius principalis sit systema emanatiuum, ast ita Peripatetico, Parmeni-

i) loc. cit. Tom. X.

k) De plag. lit. §. 326. NAVDAEVS Iud. de Card. fol. ** 6. 7. conf. nos infra §. 7. p. 86.

l) Non occultare hoc studium Platonicorum recentiorum ipse Cardanus potuit. de vit. pr. c. 18. p. 58. Qua de re h. l. dicta repetenda sunt.

Digitized by Google

menideo et Pythagorico fuco pictum et alteratum, vt non, nisi summa attentione detegi possit, in qua commistione sententiarum eclecticam, aut paradoxam nouitatem eius philosophiae quaerendam esse non immerito putamus. Quibus id vnum vtile accessit, vt in tam nugatorio philosophiae genere, vt erat lectionis et cogitationis immensae, ingens rerum varietas accederet, quae lectionem eius non iniucundam potest efficere. Totam hanc de methodo philosophandi Cardani obseruationem confirmabit lectori vel solus liber decimus sextus de *varietate*, vbi Mediolanensis medicus se prodidit vt forex. Ceterum, qui fanaticum characterem natura illi quasi concreatum, adiecerit, non magnopere falletur.

pag. 86. lin. 24. *SPONIVS.* Eam collectionem recenset NICERONIVS, ita tamen, vt laudabili diligentia priores etiam editiones indicet, in quibus haud pauca sunt, quae in posterioribus mutauit inconstans atque inaequale Cardani ingenium.

AD CAPVT QVARTVM.

DE FRANCISCO BACONO DE VERVLAMIO.

pag. 91. lin. 17.

Doctrina praepollentem fuisse. Rarissimo exemplo foeminam lectissimam tam pietate et virtute, quam doctrina praepollentem, non Graecae modo, sed et Romanae linguae peritia, non mediocriter, pro sexu muliebri imbutam vocat biographus G. RAWLEY [a].

pag. 97. lin. 26. *Quanta et quotuplicia noua ad philosophiam pertinere, viderit, monuerit, viamque monstrauerit.* Inter haec noua, quibus scientias omnes, et imprimis philosophiam augendam et perficiendam esse vidit et inculcauit illustris Cancellarius, omnium maxime notanda est historia philosophica, hoc loco a nobis ea minus praetermittenda, quo magis ille posteriati cauisse videtur, ne haec philosophiae corona, valde tum quidem ermarcida extingueretur, sed nouis accessionibus refloresceret et postliminio restitueretur. Postquam enim obseruasset [b], historiam naturalem hactenus desiderari progressione ad historiam ciuilem facta, diuisaque in tres partes, sacram nempe, siue ecclesiasticam, deinde eam, quae generis nomen retinet, ciuilem, postremo literarum et artium, conuersus propter dignitatem et vsum mox initio dissertationis ad postremam, eam inter desiderata videri, prudenter monuit, obseruans, historiam mundi, si hac parte fuerit destituta, non absimilem censeri posse statuae Polyphemi eruto oculo, cum ea pars imaginis desit, quae in-

 genium

a) Opusc. posthum. Verulamii p. 5. b) De augm. scient. L. II. c. 4. Vol. I. opp. 118. edit. Amstel.

genium et indolem perſonae maxime referat. Non latere ſe fatetur, haberi narrationes quaſdam ieiunas, de ſectis, ſcholis, libris, auctoribus et ſucceſſionibus huiusmodi ſcientiarum, inueniri etiam de rerum et artium inuentoribus tractatus aliquot exiles et infructuoſos: attamen iuſtam atque vniuerſalem literarum hiſtoriam nullam adhuc editam, recte et ex vero afferit. Argumentum autem et conficiendi modum et vſum propoſiturus, poſtulat, vt ex omni memoria repetatur, quae doctrinae et artes, quibus mundi aetatibus et regionibus floruerint: earum antiquitates, progreſſus, peragrationes per diuerſas orbis partes, rurſus declinationes, obliuiones, inſtaurationes commemorentur. Obſeruare quoque ſimul iubet per ſingulas artes inuentionis occaſionem, et originem tradendi morem et diſciplinam, colendi et exercendi rationem et inſtituta: tum adiici ſectas et controuerſias maxime celebres, quae homines doctos tenuerunt, calumnias, quibus patuerunt, laudes et honores, quibus decoratae ſunt; notari quoque cupit auctores praecipuos, libros praeſtantiores, ſcholas, ſucceſſiones, academias, ſocietates, collegia, ordines, denique omnia, quae ad ſtatum literarum ſpectant; ante omnia autem id agi vult, vt cum euentis cauſſae copulentur, videlicet vt memorentur naturae regionum ac populorum, indolesque apta et habilis, aut inepta et inhabilis ad diſciplinas diuerſas; accidentia temporum, quae ſcientiis aduerſa fuerint, aut propitia, zeli et mixturae religionum, malitiae et fauores legum, virtutes denique inſignes et efficacia quorundam virorum, erga literas promouendas et ſimilia. Materiam et copiam autem non tantum ab hiſtoricis et criticis petendam eſſe, verum etiam per ſingulas annorum centurias, et ſeriatim ab vltima antiquitate facto principio, libri praecipui, qui eo temporis ſpatio conſcripti ſunt, in conſilium adhibeantur, vt ex eorum non perlectione, id enim infinitum quiddam eſſet, ſed deguſtatione et obſeruatione argumenti, ſtili, methodi, genius illius temporis literarius velut incantatione quadam a mortuis euocetur. Haec vero omnia eo ſpectare debere praecipit, vt per talem narrationem ad virorum doctorum et doctrinae vſu et adminiſtratione prudentiam et ſolertiam maxima fieri poſſit acceſſio, et rerum intellectualium non minus, quam ciuilium motus et perturbationes, vitia et virtutes notari poſſint, et regimen inde optimum educi et inſtitui. Hactenus vir maximus, ex quo intelligere licet, ad hiſtoriam non tam literariam, quam literarum atque ſcientiarum hoc conſilium eum retuliſſe. Quas cum theologiae et ciuili ſcientiae opponat, omnes autem reliquas ſcientias generali philoſophiae nomine complectatur, recte inde infertur, virum vaſtiſſimo ingenio omnem ſcientiarum regionem complexum hac *διαιτυπώσει* potiſſimum philoſophiae hiſtoriam quandam dogmaticam et vniuerſalem commendare voluiſſe. Quod conſilium condendae literarum philoſophicarum hiſtoriae adeo graue, plenum, et ſapientia magnum ſcripſiſſe virum ſummum, lector rerum intelligens facile palpabit, ſi totum

Digitized by Google

totum philoſophandi ambitum intelligit, et hiſtoriam philoſophiae non ad curioſitatem et explendam noſcendi cupiditatem, ſed ad perficiendum intellectum humanum et ſocietatis vtilitatem eum retuliſſe obſeruat. Meliora certe et ſana magis dicere vix poterat. Non piguit ergo, totum hunc locum heic afferre, ſed ſimul docere lectorem, quod exemplum nobis in condendis philoſophiae annalibus propoſuerimus. Ad hanc enim imaginem nos potiſſimum reſpexiſſe, hanc maxime ſecutos eſſe, ad hanc normam lectores effingi optaſſe, verbo, primariam improbi laboris noſtri hanc effigiem fuiſſe, candide fatemur, et tot voluminum loquuntur paginae, conſiliis Baconi inaedificatae. Quod non nos ſolos feciſſe, ſed in condenda hiſtoria literaria Verulamii conſilia, quamuis arctioribus limitibus ſecutos quoque eſſe viros doctiſſimos, exempla MORHOFII [c], REIMMANNI [d], LILIENTHALII [e] aliorumque probant, de quibus, qui ipſe exemplum eſt, conſulendus HEVMANNVS [f]: hunc enim campum, vnam tantum Verulamianae ideae particulam comprehendentem, hoc loco non ingredimur, luſtrandum tamen eſſe in hiſtoria philoſophica, ipſo Verulamio auctore putamus, et innumeris exemplis oſtendimus.

pag. 99. lin. 16. *Feliciter progredi cupiunt.* Vt taedio, quo noui et obſcuriores termini et conciſae partitiones lectorem cumulant, leuentur, elegans et accuratum organi Baconi compendium exhibuit GASSENDVS [g], ipſo Verulamio more ſuo luculentior. Auctorem enim noſtrum praecepta fini logicae non ſatis reſpondentia adhibuiſſe, turbatim propoſuiſſe, nec mediocriter obſcure, obſeruauit Ven. WALCHIVS [h]. Huius obſcuritati recentiores philoſophi ita medicationem adhibuerunt, vt nouis et lucidioribus terminis obſcuritatem Verulamii mitigarent. Cuius exemplum ſi quis cupiat, legere illum iubemus tractationem Verulamii de Idolis mentis, nouam et antea in logicis non auditam, nec facile intellectam, quae cum voce praeiudiciorum lucem accepiſſet, logicae terminos plurimum amplificauit.

pag. 101. not. b. *Vid. BAYLE et quos laudat.* Addantur, quorum iudicia attulit TH. POPEBLOVNT [i], inter quae Rapini cogitationes de Verulamio indignationem quandam produnt, ob contemtam Ariſtotelis et ſcholarum philoſophiam, quem tamen in argumento ethico valde laudat. Eum enim philoſophiae moralis vlam primum ſignauiſſe, et eclectico more tradidiſſe, obſeruat HEVMANNVS, quamuis negari non poſſit, Montanum, Charondam, Machiauellum, ſimilesque multarum cogitationum materiam illi ſubminiſtrauiſſe. Nec emergere ſatis potuerunt ethicae obſeruationes Baconi, Carteſio cum aſſeclis totum orbem philoſophicum ad phyſicae et matheſeos ſtudium trahente.

pag.

c) In polyhiſtore literario.
d) In hiſt. liter. Germanorum.
e) In conſult. de hiſtoria literaria certae cuiusdam gentis ſcribenda.
f) Introd. in hiſt. liter. edit. ſexta.
g) Logic. c. 10. T. I. opp. p. 63 ſeqq.
h) In hiſt. logic. L. II. c. 1. ſ. 3. §. 14. parerg. acad. p. 659 ſeqq.
i) Cenſ. cel. auct. p. 903.

pag. 102. lin. 12. a fin. *Lectionem libellorum cetera aureorum.* Accidit id Bacono non ingenii vitio, sed meditationum profunditate studioque nouis vocibus mentem clarius explicandi. Narrat eius biographus [k]: *in libris suis componendis verborum rigorem et perspicuitatem praecipue fuisse sectatum, non elegantiam aut concinnitatem sermonis; et inter scribendum aut dictandum saepe interrogauisse, num sensus eius clare admodum et perspicue redditus esset. -- Neque verborum minutiis et allusionibus fuisse solitum capi, sed eas semper ex composito et de industria effugisse. etc.* Qui scribendi character vt proprius est philosopho, ita in tam profundo ingenio non potuit non eloquentiae laudem non nihil impedire.

pag. 105. lin. penult. *THOMAS SPRAT et P. BAYLE aliique.* Addimus his vnum GASSENDVM, quo non aequior et accuratior fuit iudex in tribunali philosophico, qui *non generosum tantum instaurandarum scientiarum institutum ei tribuit, sed fatetur quoque ausu vere heroico nouam tentare viam fuisse ausum, sperareque fore, vt modo illi strenue diligenterque insistatur, noua tandem eaque perfecta condi haberique philosophia possit.* PASCHIVM [m], VINC. PLACCIVM [n], FR. BVDDEVM [o] multosque alios tacemus.

k) pag. 17.
l) Log. c. 10. p. 61. T. I. Opp.
m) De inuent. nouantiquis c. II. §. 18. p. 62.
n) Comm. de morali scientia augenda.
o) Intr. in hist. phil. c. VI. p. 412. 413.

AD CAPVT QVINTVM.

DE THOMA CAMPANELLA.

pag. 107. not. lin. 2.

Curante Gabriele Naudaeo. Ei libellum dictasse horis succesiuis auctorem ait ECHARDVS [a]. Meretur autem hoc loco afferri iudicium eius de Naudaeo, qui tot nominibus inseruluit historiae literariae et philosophicae. Ita enim in prooemio: *videmus te sapientum dogmata, vitas, mores, rationem discendi atque docendi studiose perscrutari, examinare, promulgare, et in mundi scenis personare, et quid boni, quid mali lateat in scientiis ac sophismatibus, in lucem pandere, vt vnicuique, quod suum est, non deceptae tribuant amplius scholae, et procul a calumniis, procul ab adulatione fiant.* Meretur hoc nomine Naudaeus bibliothecarius historiae philosophicae nominari. Occurrit libellus etiam in Methodis CRENII [b].

pag. 108. lin. 2. *NICERONIVS. Tom. VII. p. 160. ed. Germ.* Add. IAC. GE. DE CHAVFEPIE, in *nouo dictionario historico critico* [c].

pag. 116. not. i. *In praefatione prodromi.* Addendus hic locus alius memorabilis GABR. NAVDAEI, qui et ipse Parisiis cum Campanella vixit, et

a) T. II. Script. Ord. Praedicat.
b) Lugd. Bat. 1696. p. 167 seqq. ex quo pluscula referunt Act. philos. Vol. I. pag. 545.
c) Vol. II. p. 24-28.

Digitized by Google

et vehementer ei addictus fuit, adeo vt panegyricum Vrbano VIII. P. M. diceret, ob beneficia ab ipso in Thomam Campanellam collata, editum Parisiis MDCXXXXIV. 8. Is in celebri raroque libello, quem *considerations politiques sur les coups d'etat* inscripsit [d], vt exemplis doceret, quid in ciendis populis et vrgendis rerumpublicarum fatis valeat eloquentia sacra, ad Campanellam prouocauit, quem, ait, cum consilium cepisset, se superioris Calabriae regem constituendi, commode adhibuisse audacissimi negotii socium quendam F. Dionysium Pontium, eloquentiae maximae laude et opinione suo tempore nemini concedentem. Displicent haec, qui obseruationes criticas Naudaeanis considerationibus addidit Ludovico De Mai, qui [e] haec ab omni verisimilitudine aliena putat, eo quod ab omni ratione vacuum et insanientem fuisse Campanellam et socium oporteat, si putauerit, populorum rebelliones et regnorum euersiones solis armis tentandas, monachi vnius vel duorum oratiunculis ad populum posse ad euentum perduci. Vnde vero similius putat, Campanellam magnum aliquod beneficium ecclesiasticum anhelasse, et ad illud obtinendum Pontii amici eloquentia fuisse adiutum. Prodit hac obseruatione Maius, se sola coniectura ductum nihilque circumstantiarum Campanellae edoctum ista scripsisse: Nam supra iam narratum, socios coniurationis cum nauarcho Turcico foedus initisse, inque eo fuisse, vt Calabria armis peregrinis opprimeretur, nisi proditio mature in vulgus erupisset. Adeo autem delirum fuisse Campanellam, vt sibi vel suis Calabriae regnum promitteret, vel ipsae, quae hoc loco allatae sunt nugae et praedictiones astrologicae abunde testantur. Vnde valde confirmamur in ea coniectura, Campanellam hominem fanatici ingenii, quem laesae maiestatis reum habitum fuisse, et ipse fatetur, et inquisitio testatur, et circumstantiae omnes loquuntur, in eiusmodi foedus consensisse, vel somniis etiam suis et vaticiniis astrologicis auctorem et occasionem fuisse hominibus, Calabri Hispanici iugi tunc valde pertaesis, de mutatione regni cogitandi, quamuis ipse ad istam rebellionem aliis consiliis, nisi phantasticis, non concurrerit. Quo pacto ergastulum quidem infelix et delirus monachus merebatur, iniustum autem erat, triginta fere annorum carcere, et captiuitatis taedio puniri et torqueri. Quae et vera causa fuisse videtur, cur tot principes magnique viri, pro Campanella intercesserint, qui in eo deliquisse solo videtur, quod delirantis artis somniis deceptus, fortunam tantis ausibus promiserit, non inductus arcanis rebellionis consiliis, sed artis vanitate deceptus.

pag. 120. lin. 4. a fin. *De recta ratione studendi elucet.* Prodit se exercitatum in optimorum librorum lectione ingenium Campanellae, quod inter plura bonae notae, in scientiarum et imprimis philosophiae studio prae-

d) Sect. IV. p. m. 606. e) Ad. h. l. n. 49. p. 711 sqq.

praemittendam ducem inculcet hiſtoriam. Suadet enim in cuius gratiam potiſſimum iſtum libellum ſcripſit, cuiusque partem iam ſuo loco adduximus, vt cuiuscunque rei veritatem velit perſcrutari, eiusdem hiſtoriam manifeſtam eſſe oportere; „non ex parte, ſed totam, vt ſi circa coeleſtia „philoſophari voluerit, diſcat prius obſeruationes hiſtoricas; - - qui vult „phyſiologiam ſcire, prius hiſtoriam naturalem de mineralibus, vegeta„bilibus, animalibus elementisque ac elementatis rebus haurire debere: - - „qui moralem ſcientiam, et politicam ac oeconomicam, hiſtoriam ciui„lem praenoſcat nationum, et mores gentium, ac mutationes et formas „viuendi et varia regimina tam familiarum, quam ciuitatum et regno„rum etc.“ Rationem duplicem adiicit non contemnendam. „Nempe „ſine his haud quaquam certam ſcientiam de his fieri poſſe, quoniam ex „indiuiduis vniuerſalia fiant, quae ſint principia ſcientiarum; et: langue„re circa verborum pugnas ſcholas, quoniam hiſtoriam rerum, ſuper „quae fabricatur ſcientia, ignorent, vnde a rebus ad verboſitatem con„uertantur.“ Quae conuenienter principio ſuo monuiſſe Campanellam, ſcientiam et philoſophiam a ſenſibus exordiendam eſſe, quilibet palpat. „Monet porro, nulli philoſophorum, aut legislatori ſectae inhaeren„dum eſſe, vt putet, ipſos ab errore fuiſſe immunes, quod ſolius Dei eſt, „ad quem primario reſpiciendum. Omnium autem hominum libros le„gendos eſſe, nec ſtatim reſpuendos, quae noſtro intellectui diſſonant, „multas enim veritates inuentas, quas reputabamus ante inter mendacia. „Recte vero dixiſſe Naudaeum, multos viros illuſtres non fuiſſe necro„mantas, ſed ignorantium eſſe figmenta, qui non aſſequentes rationes „rerum, dicant ſupernaturaliter fieri, quae natura faciat, quoniam plu„rima mentiantur idiotae et viros ſapientes habeant pro diabolicis aut „angelicis. Tandem, cum impoſſibilis propoſitio aliqua appareat, non „ſtatim pro impoſſibili eam habendam et praedicandam, ſed cohibendum „aſſenſum, donec vndique conquiſitis rationibus veritas eruatur.“ Quam methodum philoſophicam vbique, vt ipſe obſeruauiſſet Campanella, optandum. Tandem et de ordine legendi libros philoſophicos praecipiens, „legendum primo ponit Ariſtotelem eorum principem, cum Grae„cis, et Arabibus et Latinis expoſitoribus, ſecundo Teleſium et eius „antagoniſtam Patricium. Tertio Platonem cum ſuis ſequacibus, Plotti„no, Chalcidio, Iamblicho, Proclo. Quarto Stoicos, vt Ciceronem, Se„necam, Epictetum. Quinto Pythagoreos, quorum extant tantummodo „fragmenta. Sexto Epicureorum reliquias, a Petro Gaſſendo ſumma di„ligentia collectas, et Lucretium ac Baſſonem. Sed cum in officinis Ar„tiſtarum plus philoſophiae realis *rationalis* et verae habeatur, quam in „ſcholis philoſophorum, conſulendos eſſe diligenter, pictores, tinctores, „ferrarios, aurifices, auriductores, agricolas, milites bombardarios, de„ſtillatores, reliquos. In moralibus Senecam omnibus praeualere, Ari„ſtotelem

Digitized by Google

„ſtotelem in particulis perbonum eſſe *f*. Teleſium magis ad totum accede-
„re. Platonem autem ſparſum eſſe, non methodicum. In oeconomicis pri-
„mum legendum Ariſtotelem, quia valeat methodo, deinde Xenophon-
„tem et Plutarchum, qui abundent praeceptis.“ Habes lector exemplum methodi hiſtoriae philoſophicae in plerisque aptum ſatis atque bonum, certe ex quo intelligas, Campanellam nec ſine iudicio nec ſine ordine auctores philoſophiae inſerulentes legiſſe. Quae tamen propriarum inuentionum placitis corrupiſſe dolendum quidem, at ab eius characteris et ingenii philoſopho expectandum aliter non erat. Qualia exempla in philoſophiae hiſtoria multoties recurrentia, debent viros eruditos cautos facere, et docere, quomodo ſobrie atque iuſtis legibus et ordine cum iudicio coniuncto ſit philoſophandum. Certe melius et prudentius in emendanda philoſophia verſatus fuiſſet Campanella, ſi egregiarum, quas in philoſophia rationali ſua commendault, praeceptionum memor, philoſophum ſe praeſtitiſſet, *qui rerum naturas perſcrutatur, et cauſſas per dicta praedicamenta* (hiſtoriam philoſophicam indigitat eorum ordine exploratam) *et hinc ſcientiam ex proprio ingenio conficit, aut ab aliis bibit non per infundibulum, ſed ruminat examinatque cum libro Dei, auctoris naturae, qui eſt mundus et an concordent, agnoſcit, et in rebus ipſis philoſophatur* *g*.

pag. 125. lin. 10. a fin. *Conſulenti eſt manifeſtiſſimum.* Deducamus lectorem in rem ipſam, narrabimusque demonſtrationem Campanellae *de immortalitate ac diuinitate hominis, eiusque ſummo bono*, quoniam liber rarus eſt, nec ab omnibus poteſt inſpici *h*. Supponit philoſophus, et inductione quoque roborat: effectum nullum ſupra propriam cauſſam eleuari poſſe; quod quilibet prima metaphyſicae capita complexus facile concedet. „Experientia autem teſte affirmat, hominem non quieſcere ſub „natura elementorum, ſolis et terrae, ſed longe magis ampliusque ſuper „ipſa intelligere et deſiderare et amare, operarique effectus altiſſimos „ſupra elementa et filios elementorum; ergo ab iis originem et depen-„dentiam non habere, ſed a cauſſa longe eminentiori, quae Deus nun-„cupetur. Praeterea nullum ens operari fruſtra ſuas potiſſimas operatio-„nes, ſed omnia ad certum natura finem eas dirigere; at hominem ha-„bere tanquam nobiliſſimas potiſſimasque operationes religionem et „ſcientiam, quae praeſtarent potius moleſtiam vitae corporali, quam vti-„litatem, niſi alia illi vita conueniret, et anima cum diuinitate non com-„municaret; cunctis quoque hominibus religionem eſſe naturalem, nam „in aduerſitatem aut fortunam felicem incurrentes eos extemplo erigere „vultum aut petendo auxilium aut gratias agendo, eamque ob rem ſacri-„ficia et oratoria inuenta: hoc autem ſignum eſſe, hominem cum ſuperis „communicare. Nullum quoque ens natura cogitare tractareque ea,

f) Didicit id fine dubio Campanella a Theophraſto, cuius pluſculas obſeruationes in arua ſua, velut ſapientiae fluenta deriuauit.

g) Phil. ration. P. V. c. 3. art. 2. p. 259 ſeqq.
h) De ſenſu rerum L. III. c. 25. p. 145 ſeqq.

„quae ſibi naturaliter non conueniunt, ſed omnes ſeruari ſtudere, in illa, „quam habent vita: at hominem non contentum eſſe vita praeſenti, ſed „aliam cogitare, ſummoque ſtudio requirere, omnemque ſufferre labo- „rem, vt ad ipſam vel cognoſcendam perueniat. Longe vaniſſimam „homini curioſitatem debere dediſſe, quam haec, quam tantopere inqui- „rit vita ſibi poſt mortem non conueniret. Naturam autem in vanum „non operari, nec tam extrema deſideria ceteris largiri animalibus; ergo „deteriora entia melioris fore conditionis, quam meliora. Praeterea „appetitum hominis infinitum eſſe, eamque cupiditatem nemini non in- „eſſe: hanc ergo indicare obiectum naturalis appetitus, eſſe ipſum infi- „nitum etc.“ Haec et alia ita ratiocinatur Campanella pro Dei exiſten- tia, vt ad reuelationes quoque peculiares, ad commercia et apparitiones ſpirituum, ad miracula, ad viſiones et teſtimonia ſanctorum hominum prouocet; in quibus multa quidem eum dixiſſe ſine neruo et pondere, in haut paucis vim demonſtrationis, quod tamen facile fieri poterat, non oſtendiſſe, in quibusdam enthuſiaſmum fanaticum prodidiſſe Campanel- lam, non negamus. Aſt ſerio tamen de certa numinis exiſtentia cogitaſ- ſe, eamque ſibi viſam eſſe euidentiſſimam, ex hac eius diſputatione adeo clarum eſſe putamus, vt omnino ex impiorum indice excludendus ſit. Rationes autem incongruae, quas miſcet, non incertitudini opinionis, ſed characteri ingenii adſcribendae ſunt.

pag. 126. lin. 13. *Quod omnino ſupponunt.* Id tanto feruore defendit, vt integro capite tueatur [1]: „omnia entia eſſe et operari tanquam inſtru- „menta primae ſapientiae, ſummumque bonum eſſe in aeternum conſer- „uari, omniaque hoc adpetere et ſuo conſequi modo.“ Qua aſſertione etſi videtur philoſophus Calaber ad ſolam cauſſam inſtrumentalem reſpi- cere, ex totius tamen capitis illius tractatione manifeſtum eſt, ludere eum vocibus, et omnium quoque rerum cauſſam finalem facere Deum, in quo omnia ſummam ſuo modo felicitatem in aeternum acquirant. „Ideo non „ſine labore in eo eſt, vt oſtendat, maximum eſſe bonum aeternitatem „in maximo entium omnium conſequendam, affirmat, ſpatium entia lo- „cans primum eſſe immortale, baſinque omnis entitatis; deinceps mate- „riam, quae non habet contrarium omnesque ſuſcipit formas, eſſe muta- „bilem quidem, omnes admittendo formas, ſed eſſe immortalem. Porro „cum Virgilio et Stoicis ſtatuit: mentem extare infuſam per artus mundi, „hanc omnia formare corpora, totam agitare molem, et animare, et ad „ſuos perducere fines. Non enim ſtupidae virtutis opera apparere eſſe, „neque animae belluinae, nec humanae, ſed longe ſapientioris, intel- „lectuque diuino altiſſimoque regi. Cogi autem nos fateri, naturam „omnem eſſe rationaliſſimam, ac ſapientiſſimam in faciendo ac dirigen- „do opera propria ad finem. Anima autem humana, licet ſapientiſſima „animarum ſit, et ferarum ac plantarum, non tamen tanta pollere ſcien- „tia,

[1]) Lib. III. c. 26. p. 156 ſeqq.

Digitized by Google

„tia, quanta architectus opifexque paruae plantae.“ Ex quo deinde, raptus in enthuſiaſmum, primam ſapientiam inuocat, vt mentem ſuam illuſtret, vtque intelligat eam, et ipſa illum ingrediatur. „Qua πληρο-„φορίᾳ ductus affirmat, ſapientiam primam, mentem altiſſimam rerum „omnium eminenter eſſe intra omnes res, omnesque res intra ipſam, „nec ipſam commiſtam retentamque eſſe: ſed absque motu moueri velo-„ciſſime a fine ad finem, omniaque operari ſicut principium agens, „omniaque agentia ipſius eſſe inſtrumenta, errores vero inſtrumentorum „eſſe, non illius, at reſultare in laudem illius. Igitur ipſum Deum, qui „eſt prima potentia, prima ſapientia, primus amor, largitum eſſe rebus „omnibus potentiam viuendi, et ſapientiam et amorem, quantum ſuffi-„cit conſeruationi ipſarum, in tanto tempore neceſſariae, quantum de-„terminauit eius mens pro rerum regimine, in toto ente, nec praeteriri „poſſe. Calorem itaque (quem opificem rerum ſupra ſtatuit) poſſe, ſen-„tire, amare eſſe, et ita rem omnem; cupereque aeternari ſicut Deus, „et Deo rem nullam mori, ſed ſolummodo mutari, inque eo ineſſe omni „enti neceſſitatem et fatum, quod ipſum cogat ad opificium perficien-„dum, quod reſultat in harmoniam totius. Primamque cauſſam opifi-„cem cuilibet praeeſſe actui illius, nec indigere rei cuiuspiam intre con-„ſilium, ſed virtutem, quam illa ſapientia primam largitur, in omni actu „ſufficere ad perficiendum ipſum: et hunc eſſe inſtinctum diuinum, qui „non fit ignoranter, ſicut multi putant, ſed cum ſenſu et conſenſu. Quo-„niam opifex natura omnis amet eſſe, idcirco Deum amare primum eſſe, „ex quo omne dependet eſſe, et bonum videatur opifici ita operari et „conſtituere. At Deum eſſe primum bonum, per quod omne aliud bo-„num apparet bonum; itaque incipere elaborare et in tenebris ſua ope-„ra fabricare, ſecundum primae cauſſae influxum in illa modificatum, et „in regenda deinde planta, alioue opificio regi a potentia, ſapientia, amo-„re, ente vno, et primo omnia deriuari: ſicque omnem actum rei omnis „a primo actu originem ducere. Quae poſtea duce S. Hieronymo ad „formationem hominis in vtero matris applicat, et actus omnes ſecun-„dorum entium, tanquam primae cauſſae inſtrumentorum, quorum eſt „modificatio et contractio virtutis primae immenſae ac ampliſſimae, er-„rores autem permiſſio cauſſae primae non actionem: non enim con-„currere Deum, infinitum ens ad non eſſe, in quo conſiſtat peccatum „et defectum. Ex quibus tandem concludit: vniuerſitatem rerum ſen-„ſum habere quaſi radios ſolis, ſapientiae primae, ipſamque regere hu-„iusmodi radios ſapientiſſimo quodam modo in omni, quae ſtupida vi-„detur. Stupiditatem enim rei eſſe, ſapientiam vero mentis primae.“ Deſcribenda haec erant ipſis Campanellae verbis, vt intelligatur, quam longe ille ab atheiſmo abfuerit, vt potius deiſmum quendam, Stoico-rum more, incruſtaſſe cenſendus ſit: licet rationes, quas affert, hypo-theticae pleraeque ſint, et cum hypotheſi corruant. Quod Campa-

nellae ingenio condonandum, ille autem atheismi turpitudine cumulandus haud est.

pag. 142. lin. 14. a fin. *Recte itaque explosa est haec fabula.* Viuebat Parisiis Campanellae tempore, ATHANASIVS RHETOR, Presbyter Byzantinus, cui cum liber de sensu rerum valde displicuisset, conscripsit lingua Graeca opus satis prolixum contra Campanellam, quod cum editorem non reperiret, dedit eius compendium lingua Latina hoc titulo: *D. ATHANASII Rhetoris, Presbyteri Byzantini Anti-Campanella, in compendium redactus, aduersus librum de sensu rerum et magis.* Prodiit illud *Parisiis 1655. in 4.* Ceterum historiam librorum Campanellae enarrat quoque *thesaurus bibliothecalis* [b].

pag. 143. lin. 8. *Patientia, sapientia et amore.* Pro, *patientia*, legendum, *potentia*, ea enim iuxta Campanellam primum entis attributum vel principium potius, est, potentia magna, Deus. Triada hanc principiorum, potentiae, sapientiae, amoris, vbique ducem omnium scientiarum aduocat.

b) P. IV. n. 8. p. 57 seqq.

AD CAPVT SEXTVM.

DE THOMA HOBBESIO.

pag. 145. not. a.

Esse hunc Io. Aubry, contendit Chr. Thomasius. Recte coniecisse Thomasium, ex *historiae Hobbesianae auctario* constat, vbi in elencho amicorum Hobbesii nominatur [a] *Ioannes Albericus, vulgo Aubry, e Soc. reg. Armiger, amicus eius imprimis, ex vicinia Malmesburiensi oriundus, et sub communi praeceptore institutus, vir publico bono magis, quam suo, natus, qui princeps mihi* [b] *scribendi ansam praebuit, et materiam humanit. suppeditauit.*

Ibid. lin. 12. *Versibus comprehendit senex.* Adiectum est carmen biographiae Hobbesianae, postquam prius imperfectum et mendis deprauatum excuderat bibliopolae cuiusdam auaritia. In eo carmine senem quidem eum facile agnoscas ad Hobbiani ingenii laudem vix assurgentem, ast non sine iucunditate offendes Hobbesium suo charactere fretum res suas candide expromere, vnde in historia eius hi fontes negligi minime debent.

Ibid. not. d. *Lettres T. III. p. 829.* Facile hoc dignosci potest ex ipso hoc *vitae Hobbianae auctario* [c], in quo nunquam sine publico encomio Bathurstum, theologum Bathoniensem dimittit auctor, quod sibi ipsi non tribuisset. Fuit ille Richardus Blackburn, Medicus Londinensis.

Ibid.

a) pag. 187. b) Rad. Bathurst, S.T.D. Decano Bathuriensi, vid. ibid. p. 186.
c) vid. p. 79. 186.

Digitized by Google

Ibid. not. e. lin. vlt. *Exhibet biographus p. 54.* Pon. p. 139. ad p. 148. vbi longa narratione biographus hiſtoriam iſtam enarrault, epiſtolas Felli et Hobbeſii ipſas adduxit, et iudicium de hac controuerſia interpoſuit.

pag. 146. lin. 6. *Puellum praematuro partu eniteretur.* Ipſe Hobbeſius iucunde:

Non eſt, vt patriae pudeat, ſed tempus iniquum
Conqueror, et mecum tot quoque nata mala.
Fama ferebat enim, diffuſa per oppida noſtra,
Extremum genti claſſe venire Diem.
Atque metum tantum concepit tunc mea mater,
Vt pareret geminos, Meque Metumque ſimul,
Hinc eſt, vt credo, patrios quod abominor hoſtes,
Pacem amo cum Muſis et faciles ſocios etc.

Ibid. lin. 22. *Logicam et phyſicam peripateticam accurate didicit.* „Fate„tur Hobbeſius, quamuis ſedulus lectori logices et phyſices auditor aſſi„deret, et traderentur ea multa ſupra captum ſuum, ad amoena magis „dimiſſis nugis ſe conuertiſſe, librosque reuoluiſſe, animumque pauiſſe „chartis imitantibus orbem, et ſydera picta, tum itineraria Draci, Candi„fil et ſimiles narrationes magna cupiditate percurriſſe.“ Quo pacto a ſeriis ad iucunda delatus, mirum non eſt, Peripateticam philoſophiam vehementer peroſum de noua philoſophia cogitauiſſe. Digna eſt, de methodo Hobbeſii philoſophiam meliorem addiſcendi narratio biographi et non ſine vtilitate, cum aliorum virorum magnorum ſtudiis et conatibus comparabuntur. „Reuerſum ex itinere, ait hiſtoricus [d], magno „literaturae academicae faſtidio affici coepiſſe, vtpote quam affectata „ambitione efformatam ac veluti perſonatam iudicauiſſe, nec apud pru„dentes adeo in pretio habitam, nec ad vitae ciuilis vſus vt ſpecie prae ſe „ferret, comparatam vidiſſe. Non placuiſſe illi logicas illas metaphyſi„casque argutias, tanquam parum in ſe bonae frugis habentes, et fouen„dis ſolum clamoſis ſophiſtarum contentionibus natas, ethicam autem „tanquam vulgi potius opinionibus et imaginariae virtutis mediocritati, „quam veritati innixam. Et phyſicam, quae in ſcholis docebatur, quae„que ſola pene Ariſtotelica erat, tanquam nimis vmbraticam et potius „ſuper ingeniorum technis, quam experimentis naturae fundatam con„temſiſſe. Alam itaque philoſophandi rationem ſibi ineundam ratum „lectioni veterum philoſophorum, poëtarum, hiſtoricorum incubuiſſe, „et ex eorum theſauris, quid in ſuos vſus faceret, accurate depromſiſſe: „non autem veterum placitis ingenium ſuum mancipauiſſe, aut intra „ſcholaſticorum terminos circumſcripſiſſe, nec ſeipſum, vnicum huma„nae rationis exemplar proponendo, notionibus proprio de cerebello „erutis et experientiae prorſus contrariis ſcenicam quandam conflauiſſe „philo-

d) pag. 29 ſeqq.

„philoſophiam, aut triobolaribus experimentis tempus dicauiſſe, ſed ex „vniuerſo ſcientiarum orbe ampliſſimas opes in aerarium ſuum compor„tauiſſe, et fidae rationis auſpiciis ſapientiſſime digeſſiſſe.“ Quae eclecticae philoſophiae contentio, et aſſiduitas magna philoſophiae felicitate adiuta eſt, ex amicitia maximi philoſophi Franciſci Baconi de Verulamio, qui, cum eius conſuetudine magnopere delectaretur, nemo autem eius cogitata tanta facilitate concipere poſſet, quam Hobbeſius, nemo non intelligit, quo pacto philoſophia eclectica, eo tempore tandem veterem philoſophantium torporem atque tenebras eluctata caput in Britannia erigere, aliisque populis exemplum praeire potuerit. Quae in hiſtoria philoſophiae eclecticae adoleſcentis praeterire h. l. non licuit. Multum autem haec ſincerioris philoſophiae ſtudia adiuuiſſe apud Hobbeſium, eam, quam prima vice cum filio comitis Deuoniae, in Galliam ſuſcepit, peregrinationem, dubitandum non eſt. In qua eo tempore eandem philoſophandi libertatem magna incrementa cepiſſe, ex hactenus dictis hic eſt repetendum.

pag. 149. lin. 19. *Ceterorum corporum affectiones.* Audiendus iterum ipſe Hobbeſius canens:

Aſt ego perpetuo naturam cogito rerum,
Seu rate, ſeu curru, ſiue ferebar equo
Et mihi viſa quidem eſt toto res vnica mundo
Viua, licet multis falſificata modis.
Vnica vera quidem, ſed quae ſit baſis earum
Rerum, quas falſas dicimus eſſe aliquid:
Qualia ſomnus habet fugitiua, et qualia vitris
Arbitrio poſſum multiplicare meo
Phantaſiae, noſtri ſoboles cerebri, nihil extra
Partibus internis nil niſi motus ineſt.
Ergo materiae motusque arcana recludo,
Sic tempus vacuum fallo per Italiam.

Ibid. lin. 32. *Gratiſſima fuit Gaſſendo Hobbeſii amicitia.* Cognoſci id poteſt ex epiſtola Hobbeſii ad Gaſſendum, huius etiam ad Hobbeſium inſerta quoque biographiae eius e).

pag. 150. lin. 18. a fin. *Maxime autem Merſenno.* Hunc virum doctum impenſe laudat in vita ſua:

Adfuit e minimis Merſennus fidus amicus,
Vir doctus, ſapiens, eximieque bonus,
Cuius cella ſcholis erat omnibus anteferenda,
(Profeſſorum omnes ambitione tument)
Illi portabat, ſi dignum forte poriſma
Reppererat quisquam principiumque nouum.

Per-

e) Conf. Gass. ep. Op. T. VI. p. 522.

Digitized by Google

Perſpicuo et proprio ſermone carente figuris
Rhetoricis, gnomis, ambitione, dolo.
Ille dedit doctis qui vellent rurſus vt illud
Vel ſtatim poſſent, vel trutinare domi
Edidit e multisque inuentis optima quaeque
Signans auctoris nomine quidque ſui. [f]

pag. 154. lin. 10. *Auctoris et libri elogio praemiſſo.* Prodiit iſta editio hoc titulo: *elemens philoſophiques du citoyen traité de politique, ou le fondemens de la societé civile decouverts de Thomas Hobbes, et traduits en François par un de ſes amis.* Amſt. 1647. Sequutae ſunt editiones non Latinae tantum, ſed et Batauae, nos Amſtelodamenſem anni cIↃIↃcXCVIII. quae inter reculas noſtras eſt, adhibemus. De aliis totaque hiſtoria literaria famoſi libri videndae *relationes de bibliotheca quadam Halenſi* [g]. Ipſe autem de ſcopo libri et tractationis ſuae auctor audiendus eſt, qui in *epiſtola dedicatoria ad Guilielmum comitem Deuoniae*, hoc conſilium tractationis ſuae ita aperit: „cum cogitationes ſuas ad inquiſitionem iuſtitiae naturalis „conuertiſſet, admonitum eſſe ab ipſa iuſtitiae appellatione, qua conſtans voluntas vnicuique ius ſuum tribuendi ſignificatur, quaerendum „prius eſſe, quod quis rem aliquam ſuam potius, quam alienam diceret. „Quod cum non a natura, ſed a conſenſu hominum profectum conſtaret, ductum inde ad quaeſtionem aliam, nimirum, cui bono, et qua neceſſitate coacti, cum omnia eſſent omnium, voluerint potius ſua cuique eſſe propria. Vidiſſe autem, ex communitate rerum bellum, atque „inde omne genus calamitatis, hominibus de earum vſu per vim certantibus neceſſario ſequuturum eſſe, id quod omnes natura fugiunt. Natum ergo duo certiſſima humanae naturae poſtulata, vnum cupiditatis „naturalis, qua quisque rerum communium vſum poſtulat ſibi proprium, „alterum rationis naturalis, qua quisque mortem violentam, tanquam „ſummum naturae malum ſtudet eultare. Ab his pactorum et fidei conſeruandae neceſſitatem, atque inde virtutis moralis officiorumque ciuium elementa ſe euidentiſſima connexione demonſtraſſe.“ Paulo plenius iſta in luculenta ad lectores praefatione explicat, in qua doctrinam de officiis ab vtilitate commendat, et ex rebellionibus et regicidiis demonſtrat, et iniqua principia iugulanda exponit: „poſſe principem ſummum a ſubdito ſuo iure occidi, certisque de cauſſis a certis hominibus „regno ſpoliari: reges ſummos multitudine ſuperiores non eſſe, ſed miniſtros eius; imperata regum, vtrum iuſta an iniuſta ſint, cognitionem „ad priuatos homines pertinere, et priusquam fiant, diſputari non modo „iure poſſe, ſed etiam oportere - - Veteres autem ea iam vidiſſe, ſed in „fabula Ixionis etiam ſignificaſſe, homines priuatos ad concilia de ſumma

„ma

f) Plura de Merſenno diximus infra T. V. p. 242. not. q. g) Vol. III. p. 496. 502.

„ma reipublicae vocatos iuſtitiam, imperii ſummi ſororem et coniugem „ſubiicere ſuae ipſorum cognitioni cupere, caeterum falſam et inanem „eius ſpeciem, quaſi nubem amplexantes dogmata illa moralium philoſo„phorum biformia, partim recta et ſpecioſa, partim bruta et ferina, rixa„rum omnium et caedium cauſſas genuiſſe. Cum tales igitur opiniones „quotidie oriantur, ſi quis diſcuſſerit nubes illas rationibusque firmiſſi„mis oſtenderit, doctrinas de iuſto et iniuſto, bono et malo, praeter le„ges in vnaquaque ciuitate conſtitutas autenticas nullas eſſe, et vtrum „aliqua actio iuſta vel iniuſta, bona vel mala futura ſit, a nemine inqui„rendum eſſe, praeterquam ab iis, ad quos legum ſuarum interpretatio„nem demandauerit, eum certe non modo pacis viam regiam, ſed etiam „ſeditionis opacas et tenebroſas ſemitas commonſtraturum, quare vtilius „nihil excogitari poſſit.“

pag. 155. *Materialiſmo cuidam incruſtando aptiſſima.* Pomum hoc eridos fuit inter theologos Britanniae et Hobbeſium: inde tot aggreſſiones et obiectiones, quibus omnem iuſti et honeſti, imo ipſius Dei naturam euertiſſe clamarunt. Non negat hoc LEIBNIZIVS [h], qui acute hanc de neceſſitate et fato diſſertationem Hobbeſii conſodit. Reliqua, quae in theologia naturali enarranda et exponenda ſunt, ſtricte et accurate poſt CVDWORTHVM exploravit et examinavit B. MOSHEMIVS [i], cauſſas expoſuit GVNDLINGIVS.

pag. 157. lin. 23. *Cleri reuelando vlcera tetigiſſet.* Audiendus biographus, qui mentione Leuiathanis facta (quem *nonnullos*, ait, *quaſi inſolitum politices miraculum venerari, alios interim quaſi monſtrum horrendum, informe, omni rationis lumine deſtitutum fugere et deteſtari; ſe nec alienam philoſophandi libertatem circumſcribere, neque propriam prodere*) ita narrando pergit: *miſſis autem in Galliam nonnullis Leuiathanis exemplaribus* (Londini enim cIↃIↃcLI. fol. prodierat) *theologi Anglicani, qui circa regem erant, ob quaedam eo in opere paradoxa Hobbium tanquam partibus regiis minus addictum, tum vt nouarum impiarumque in religione opinionum auctorem criminabantur. Valuerunt apud regem pientiſſimum calumniae religionis ſpecie laruatae, et praeualentibus aduerſariis ne ad regem aut domum regiam accederet, mandato cautum eſt.* Ipſe *HOBBESIVS* in *carmine de vita ſua:*

Sed meus iſte liber, ſimul atque ſcholaribus illis
Lectus erat, Iani diſſiluere fores.
Nam regi accuſor tanquam qui facta probarem
Impia Cromuelli, ius ſcelerique darem.
Creditur. Aduerſis in partibus eſſe videbar,
Perpetuo iubeor regis abeſſe domo.

Nec diſſimulat, plenum ſe timoris, qui tanquam proſcripto vbique ei aderat, et rege adoleſcente, illis credente, quibus credidit ante pater, in patriam

h) App. ad Theod. i) pag. 1196 ſeqq. not. 6.

Digitized by Google

patriam rediiſſe *tutelae non bene certum, quod nullo eſſe loco tutior eſſe potuerit. Londinum venientem, ne clam veniſſe videretur, concilio ſtatus conciliandum fuiſſe.* In quo philoſophum quidem agit ſimulatorem Hobbeſius, magnificeque laudat opus ſuum, quod regibus omnibus militet, et qui *nomine ſub quouis regia iura tenent*, excuſat etiam, quod non liber ille, ſed vis turbae rebellis occupauerit, et populum ſine lege regat: candide tamen nunquam definit, quas partes ſequatur. Ex quo valde clarum, Hobbeſium ſibi ipſi non ſatis conſtitiſſe, et a prioribus principiis reſiliiſſe. Quod pauliſper curatius ad principia in *Leuiathane* ſparſa attendenti mox in oculos occurret, et erudita obſeruatione annotauit B. MOSHEMIVS [k], qui legendus. Et conſcientia huius rei actus videtur Hobbeſius, vt non Gallia tantum excederet, timore principum et virorum eccleſiaſticorum, quos momorderat, exagitatus, ſed praecipiti quoque et incommoda inter niues et pruinas tempeſtate Londinum eques properaret, quamuis hoſtis theologorum nidum vtrumque eſſe crederet; quoniam probe ſciebat, apud vtrosque feciſſe ſe ſuſpectiſſimum. Ex quo iudicari poteſt, qua fronte gloriari potuerit Leuiathanis parens:

Contra Leuiathan primo conuicia ſcribunt,
Et cauſſa, vt tanto plus legeretur, erant,
Firmius inde ſtetit ſpero ſtabitque per omne
Aeuum defenſus viribus ipſe ſuis.
Iuſtitiae menſura, atque ambitionis elenchus
Regum arx, pax populo, ſi doceatur, erit.

Oſtendit autem catalogus eorum, qui contra Hobbium ſcripſerunt, ſuppeditatus *a biographo*, quam vehementer crabrones irritauerit, quamque impius in Deum et patriam viſus fuerit.

pag. 159. lin. 9. *CHRISTIANVS THOMASIVS.* Recenſuit ſummam capitum horum libellorum, cum egregie in hoc campo contra ſublimioris matheſeos doctores Hobbeſium militaſſe crederet, ipſe non minus ſubtilitatum algebraicarum oſor, quam Hobbeſius, aſt mathematicarum rerum cognitione, quas prorſus non intelligebat, illi longe inferior, vt ex toto hoc capite *cautelarum* [l] omnibus conſtare poteſt.

pag. 161. lin. 9. *Principia illa moralia vehementer ſuſpecta haberentur.* Summam eorum, quae impietatis ſemina et venena pertimeſcenda comprehendere credidere magni nominis Theologi Britanni, paucis ita complectitur BVRNETIVS [m]: omnes actiones humanas eſſe abſolutam neceſſitatem, (in quo abſoluti decreti doctrinam eo tempore in Britannia regnantem eum confirmauiſſe ait) mundum vniuerſum eſſe Deum, animam materialem, cogitationem motum materiae inſenſibilem; metum et vtilitatem condidiſſe imperia et ſocietates, religionem metiendam eſſe ex

k) Ibid. pag. 1197.
l) P. I. §. 12 ſeqq. p. 231 ſeqq.
m) Hiſt. ſui temp. ad An. 1661. p. 211. verſ. Germ.

Digitized by Google

legibus patriae, leges habere fontem et originem ex voluntate principis vel populi etc. Quae omnia, quorum ſuſpectiſſimus erat Hobbeſius, cum ipſa naturae moralis et ciuilis principia concuterent, mirum haud eſt, ad hoc, quod pietati, quod ſocietati humanae, quod reipublicae inde exſurgere videbatur incendium, extinguendum non epiſcopos tantum Britanniae, ſed bonos quoſque concurriſſe. Quo iure et neceſſitate, qua iniuria, hoc loco exponi non poteſt, et in philoſophia ciuili et naturali critica ſine partis ſtudio expendendum eſt.

pag. 163. lin. 16. *Ne ſententiam deſerere cogatur.* Luculento id exemplo demonſtrauit MOSHEMIVS [n] ipſe omnino legendus, quam vanus et a ſe ipſo decedens fluctuauerit in figendo iuſti et iniuſti principio, ponendisque et iterum reiiciendis legibus naturalibus, quam mire definitiones torqueat, vnaque manu euertat, quod excitauit altera. Similia plura magno feruore Hobbeſio obiicit SAMVEL PARCKERVS [o], cui vero non fidendum eſſe monuit NIC. HIER. GVNDLINGIVS [p], eo quod bile magis et odio, quam candore et veritate calamum tinxerit: quod quam verum ſit, lectorem docebit librorum inter ſe examen atque comparatio: ſine qua nec theologorum accuſationes nec iureconſultorum excuſationes attentionem merentur. Sed hos quoque non omnia Hobbeſii probare, exemplo ſunt GVNDLINGIVS [q] et CHR. THOMASIVS [r].

pag. 168. lin. 8. a fin. *A plerisque non ſatis intellectum.* Eo certe ſcopo ſcripſit acutam et eruditam diſſertationem *de principiis iuſti et honeſti*, LAMBERTVS VELTHVYSIVS philoſophus Batauus, cuius ſcopus eſt primarius, legitimam procedendi rationem eſſe, quam obſeruamus in eruendis legibus naturalibus ponentes pro lege fundamentali, a qua reliquae manant, conſeruationem ſui [s], adhibita aliqua diſtinctione, de qua diſſertatione in textu hiſtoriae noſtrae mentionem fecimus, qui locus videndus et in his additionibus ad p. 180 iungendus. Alium promachum Hobbeſii, auctorem *dubiorum iuris naturae*, Duaci clcIↃccXIX. 4. editum indicat BVDDEVS [t].

pag. 170. lin. 1. *Scholaſticos illos mores philoſophis indignos produnt.* Ecce exemplum a magni ingenii philoſopho non expectandum. Valde diſſidebat Hobbeſius a conceptibus et principiis geometrarum, grauesque inde lites et contentiones ſuſceperat. Quibus ita obfirmatum habuit animum, vt in libello *de principiis et ratione geometrarum* ſcriberet [u]: *in magno quidem periculo verſari exiſtimationem ſuam, qui a geometris fere omnibus diſſentiat. Eorum enim, qui de iisdem rebus ſecum aliquid ediderunt, aut ſolum inſanire ſeſe, aut ſolum non inſanire, tertium non eſſe, niſi quod dicat forte aliquis: inſaniamus omnes.*

pag.

n) loc. cit. pag. 1196.
o) De Deo diſp. I. ſ. 27.
p) Gundlingiana Vol. II. p. 306. 336.
q) Obſeru. ſel. T. I. obſ. 2. p. 37 ſqq. 60 ſqq.
r) Cautel. P. II. c. 9.
s) Oper. T. I. p. 961 ſqq.
t) Iſag. in theol. L. I. c. 4. p. 311. in toto iſto libro auctorem agere, is refert, vt nullum dari ius naturae euincat.
u) Conf. vita Hobbeſ. p. 139.

Digitized by Googl

pag. 178. lin. 4. a fin. *Samuel Andreas dicitur Leibnizio.* SAMVELIS ANDREAE, theologi Marpurgenſis *diſcuſſiones fundamentorum Hobbeſii* prodiere *Herbornae 1672.* in qua diſſertatione academica hypotheſes Hobbeſii in theſes breues, perſpicuas et ordinatas coëgit ſimulque refutauit, quam ideo iuuentuti legendam commendat LEIBNIZIVS.

pag. 179. lin. 4. *Septem ſupra octoginta natum.* Meretur locum in hiſtoria philoſophiae huius epiſcopi Anglici memoria, quia inter primos fuit, qui ius naturae a brutali et inhumana Hobbeſii facie ad humanitatis rationem reuocando, rationali et morali naturae humanae ſocietatis clauem adhibuit, vt moralem de legibus et honeſto diſciplinam ad natiuas beneuolentiae et ſocietitatis rationes reuocaret: quo in principio enucleando tamen Stoicos duces, Hobbianam autem philoſophiam aduerſariam habuit. Qui ſi tantam perſpicuitatis et ſcribendi elegantiae curam habuiſſet, quantam acuminis philoſophici demonſtrauit, inter optimos iuris naturae ſcriptores poſſet numerari. Certe Pufendorfio praeluxit viamque monſtrauit, qua rationabilius iuris naturae aedificium poſſet conſtrui. Nam in diſquiſitione philoſophica *de legibus naturae earumque forma, ſumma, capitibus, ordine, promulgatione et obligatione*, Londini cIↃIↃcLXXII.[z] edita, et in Germania noſtra decennio poſtea, cum Pufendorfianum I. N. caput erigere inter noſtrates coepiſſet, recuſa, non tantum ſyſtema Hobbianum euertere, ſed melius et ratione humana dignius extruere anniſus eſt. Quem in finem principium I. N. commune atque primoprimum poſiturus, leges naturales conſtituit eas propoſitiones immutabilis veritatis, quae actiones voluntarias citra bonorum electionem malorumque fugam dirigunt, ac obligationem ad actus externos inducunt, etiam citra leges ciuiles, et ſepoſita conſideratione pactorum regimen conſtituentium; quae veritates a rerum hominumque natura mentibus humanis neceſſario ſuggeruntur, ab iis percipiuntur, et memoria retinentur, atque in ea exiſtunt. Harum legum naturalium fundamentum generale, omniumque legum parentem ita ſe habere: *beneuolentia maxima ſingulorum agentium erga omnes ſtatum conſtituit ſingulorum, omniumque beneuolorum, quantum fieri ab ipſis poteſt, feliciſſimum, et ad ſtatum eorum, quem poſſunt aſſequi, feliciſſimum neceſſario*

z) Richardus Cumberland, Londinenſis natus 1632. poſt iacta diſciplinarum iuuenilium et encyclopaediae fundamenta in ſchola patria Cantabrigienſem academiam ſublimiorum ſcientiarum magiſtram elegit, et ſe paſtorali muneri fungendo incredibili diligentia addixit. Quod nactus dici non poteſt, quam profunde ſe ſtudiis immerſerit, quanta diligentia munus ſacrum obierit, ſingulis hebdomatibus fere ſuggeſtu ad populum concionando, et tamen non obſtantibus laboribus ſacris ſumma contentione in philoſophiae, philologiae et artium mathematicarum diſciplinis verſando. Ponificiae partis in patria oſor ſub Iacobo II. rege ex metu febri correptus vix euaſit, a ſuccedente Guilielmo III. epiſcopatu Petropolitano praeter omnem ſpem et expectationem auctus eſt, eique magna fide, diligentia, humanitate, ſtudiorumque contentione vſque ad extremam ſenectam praefuit. Cui induſtriae et animus ſapientiae deditiſſimus, et corporis ſanitas etiam annis cumulata, conſeruata tamen et virens, valde profuere, vt decrepitus quoque ſenex memoriae vires non amitteret: annos enim natus 83 Copticam linguam didicit, denatus 1719. Vitam eius praemiſit hiſtoriae eius Phoeniciae S. PAYNE, vnde repetiit NICERONIVS T. V. p. 418. et CHAVFEPIE dict. hiſt. crit. T. II. p. 156 ſqq. Memoires de la G. Bretagne T. IV. art. 7. nou. lit. Lipſ. T. VII. p. 365 ſqq.

requiritur; ac proinde commune bonum erit ſuprema lex. Iſtius autem propoſitionis nexum veritatis idem ſignificare ac ſi diceretur: *ea volitio, ſeu proſecutio bonorum omnium in noſtra poteſtate ſitorum, quae maxime efficax eſt, ad noſtrum aliorumque rationalium fruitionem, maximum eſſe, quod homines efficere poſſunt, vt ipſi aliique iis feliciſſime perfruantur.* Siue, *nulla vis in homine maior eſt, qua ſibi aliisque omnium bonorum complexionem comparent, quam voluntas ſuam cuiusque felicitatem, ſimul cum felicitate aliorum proſequendi: haec enim monet ſeparari non poſſe, totumque a partibus ſimul ſumtis diſferre. Non autem hanc propoſitionem efficacem eſſe poſſe, ad cuiusuis mores formandos, quam ille effectum, nempe felicitatem ſuam cum aliorum felicitate coniunctam in finem ſibi propoſuerit, et varios, quos benevolentia in ſe continet actus pro mediis ſumſerit etc.* Quas notiones naturales confirmare, et ex natura hominum morali derluare ſubtiliſſimis rationibus laborat, et naturaliter illis ineſſe demonſtrat, In quibus tamen cum abſtractas valde notiones et propoſitiones explicat, in altum ſaepe aſſurgit, vt prae ſubtilitate aſſequi illum lectori vix liceat, praeſertim cum Hobbianas aſſertiones refutandas vbique crepet, quae magnam omnia attentionem requirunt. Vnde, qui ſyſtema Cumberlandi intelligere cupiunt, monendi ſunt, vt *epitomen totius tractationis* in fronte libri ſuſe explicatam legant, relegant, examinent, omiſſis refutationibus Hobbeſianis, et tum demum accurato examine definitionum et propoſitionum adhibito ſyſtema extrahant, ſuisque nexibus colligatum explorent. Quod a nobis hoc loco, ob anguſtiam noſtrarum paginarum fieri non poteſt, in hiſtoria particulari autem I. N. et G. omnino agendum eſt.

pag. 180. lin. 7. *Apologiam pro tractatu clariſſimi Hobbii de ciue.* Hunc quidem titulum diſſertationis Velthuyſianae ex *vitae Hobbeſianae auctario* [y] deſcriptum tunc dedimus, quae *Amſtelodami 1651. 12.* prodiiſſe et vnicum ſcriptum anonymi in defenſionem Hobbeſii eſſe illi dicitur. Poſtquam autem Velthuyſii *opera, Amſtelodami 1680. 4.* edita ſuppellectili noſtrae librariae acceſſerunt, inter quae [z] haec *diſſertatio epiſtolica de principiis iuſti et decori occurrit*, vidimus neque in rubro, neque in tractationis praefatione, neque in diſſertatione ipſa mentionem fieri apologiae pro Hobbeſii ſcriptae, vnde coniectura nobis enata eſt, mentionem apologiae Hobbii in primae editionis titulo ab aliena manu fuiſſe adiectam, nec pro defendendo ſyſtemate I. N. Hobbeſiano ſcriptam eſſe iſtam diſſertationem, ſed id tantum operae ſibi dediſſe medicum iſtum, acutum et ſubtilem, vt oſtenderet, „eas, quae amico, ad quem ſcripſerat, monendae videbantur „difficultates, quas poſt ſe trahere videbatur eius de principiis iuris ſen„tentia, quaeque enatae videbantur illi, quia videbat, eam cum prin„cipiis Hobbii magnam affinitatem habere, qui inter perditiſſimos huius „corrupti ſeculi auctores malis rumoribus differatur, impoſuiſſe illi, ani„mumque praeoccupauiſſe, quaſi auctor omnia albo calculo approbaret, „quae-

y) p. m. 215. z) p. 961 ſqq.

Digitized by Google

„quaecunque ab illo auctore dicta sunt, aut ei per consequentias solidas „tribui possunt. Quibus praemissis mentem suam ita explicat, vt fatea„tur: se incidisse in illum auctorem, sicut in multos alios, et ex eius „scriptis parumper inflexis et mutatis multum sibi parasse subsidii, in de„cidendis per rationem controuersiis, de aequitate et iustitia. Et quan„do occasio incidat, non posse non animum istum se testari laudando „viri industriam. Et certe non aliud redhostimentum viris doctis, qui „auare suis studiis pretium non posuerunt, praestari posse, praeter nomi„nis et famae celebritatem. Quamuis autem multa periculosa continere „feratur viri scriptum, et cum magno discrimine veritatis ad noua „transiri dogmata, neminem tamen vnquam ita scripsisse, vt acerrimi „censoris virgulam potuerit effugere, et alicubi appareant sani iudicii „deliquiae: neminem tentauisse facinus magnum et memorabile sine pe„riculo. Quanto satius itaque esse cum discrimine aditum sibi facere ad „ vtilissima et non vulgata, quam semper littus legendo inhaerere com„munibus, quorum pauca sint, quae accurati scrutatoris examen susti„nere possint. - - Videri autem illos insigniter in bonos mores peccare, „qui maledictis doctorum virorum industriam auertunt ab inuestigatione „veri. Eorum enim laborem, si verum attingat, cedere in bonum pu„blicum, si excidant scopo, diu errorem latere non posse, quin aliorum „industria ea in lucem protrahat, quod si modeste fiat, periturum qui„dem indagatoris laborem, saluam tamen et integram manere eius fa„mam et aestimationem. Quibus deinde detestationem vehementiae „et bilis, in talibus controuersiis grauissimis verbis addit, et tandem „mentem suam ita declarat: se nullius, nisi Christi disciplinae, neque „cuiusquam hominis alumnum esse, neque quicquam heic sibi praeci„puum ac singulare a communi caussa, qua veritatis studium promo„uere, quemque teneri. Principium tamen illud, de conseruatione sui „commode explicatum bonum et rectum esse, se putare, et si iuxta il„lud nauigationem quis instituat, in nonnullis parumper obliquando cur„sum, felicissima velificatione portum obtinere posse, se existimare. Ita„que periculum facere velle, strictim delibando singula, quae ad iusti„tiam et aequitatem naturalem pertinent, sicque se sperare, suspicio„nes amici sui deluere posse, et quae in auctore (Hobbesio) istius prin„cipiis culpanda aut imitanda putet, sub aspectum ponere". Habes Lector totam, quam pro Hobbesio scripsisse auctor dicitur apologiam, quam ipsis eius verbis enarrare non piguit, quoniam exploratum habemus, paucos primam huius dissertationis editionem vidisse, pauciores repetitam inter opera Velthuysii spissa et lectionem molestam postulantia legisse, pauciissimos attente et cum examine explorasse. Ex hac vero, quam *αὐτολεξεὶ* dedimus, recensione patet, Velthuysium se Hobbianis principiis addixisse nunquam, vidisse in iis multa, quae perimenda et abiicienda sint, alia sana visa elegisse quidem, at ex melioribus fundamen-

Digitized by Google

mentis demonſtrauiſſe atque deduxiſſe, et occaſione tantum principii de ſtudio conſeruandi ſe ipſum, ex natura hominis morali a creatore ſapientiſſimo indito, leges vniuerſalis iuſti et aequi deduxiſſe, ita non eclectica tantum ſobrietate, ſed chriſtiana quoque pietate, et philoſophica prudentia egiſſe, vt oſtenderet „quare nunc poſt hominis lapſum, qui „turbauit et vertit omnia, hominis interſit virtutem ſectari, vt ſibi pa„ret commoda, vitet incommoda, quae eſt alia ratio conſiderandae vir„tutis, quam ea, quae in ſtatu integro vſum ſuum habebat: nam cum „tunc malum aut noxium homini non eſſet cognitum, nunquam illi „naſci potuiſſe ideam et rationem virtutis ſub forma conſideratae, ſed tunc „exercuiſſe virtutem, quia et ſancta eius natura eum eo ducebat". Sed et alia praeſupponit, quae in Hobbeſiano ſyſtemate deſiderabantur: Nempe Deum eſſe et creaſſe mundum in ſapientia; eundem virtutes iuſtitiae et veritatis exercere velle in mundi regimine; Deum in creando mundo ſibi finem propoſuiſſe agendi ſapienter, id eſt, media dirigendi ad finem: media iſta habere debere aptitudinem ad finis conſecutionem, ſcIri autem non poſſe, quid DEVS de mediis fieri ſtatuerit, niſi nobis innoteſcat finis: porro hominem non impune laturum, ſi deuiat ab illo ordine, quem ab homine obſeruari vult Deus in conſecutione finis, quem ſibi et homini propoſuit, et praemio afficiendum illum, qui vitam et mores inſtituit, iuxta ordinem a Deo praeſcriptum. Et haec velle iuſtitiae et veritatis nomina. Inde vero colligi non tantum, eſſe virtutem et vitium morale, quod notionibus communibus ſua ſponte cognoſcitur, neque ex vtilitatis et commodi ratione, ſed ex ratione ipſa etc. Ex his principiis deinde non inconcinne officia, leges, mores hominum deducit, magnumque acumen ſubinde prodit. Vnde pollicem praebere CHR. THOMASIO[a] non poſſumus, Velthuyſium auctorem obſcurum et confuſum vocantem, ſi quis vnquam, licet praeſtare veritatem iudicii B. BVDDEI[b] nolimus, cum acumine et ingenio Hobbeſio aequiparandum eſſe.

pag. 180. lin. 22. *De philoſophia morali Epicuri ſuis locis diximus.* Nunquam legiſſe cum attentione, immo ne recte quidem inſpexiſſe GASSENDVM oportet illos, qui cum Hobbeſio illum eandem tibiam inflaſſe aſſerunt, adeo diuerſa eſt Gaſſendi ab Hobbeſio de principio I. N. ſententia. Quod quidem non magnopere miramur, eo quod et raritas atque caritas operum Gaſſendi pleriſque eius ſyſtema philoſophicum legendum eripuit, et vaſtitas atque prolixitas longae tractationis, magna veteris hiſtoriae philoſophicae accumulatione moleſta, pleroſque taedio detinet ab eorum lectione. Vnde pauca quaedam hoc loco adiiciemus, oſtenſuri, quo pacto tantus philoſophus de principio I. N. philoſophatus ſit, et, num in Epicuri, cuius placita in vitam reuocabat, aſt ſimul emendabat,

a) Hiſt. Iur. nat. c. VI. §. 12. p. 85. b) Hiſt. I. N. p. 35.

Digitized by Google

dabat, vel in Hobbesii, amici castra transierit. Nempe, postquam more suo erudite et luculenter *Ethicorum suorum libro secundo*, *capite quinto* de iustitia, iure et legibus tractare coepisset, omnis prius antiquitatis philosophorum de hoc argumento sententias mirо ordine et ineffabili lectionis copia enarrauit, et philosophicae historiae studiosis iucundissimum veteris iuris naturalis compendium exhibuit. Deinde ostensurus, qualem vtilitatem matrem iusti aequique Epicurus, non multum recedentibus Platonicis sequioribus, dixisset, rem ita ab ouo, quod aiunt, repetit, et adeo luculenter explicat, vt mereatur hic locus etiam in praesentia, vbi de nobili argumento morali differimus, adscribi, eiusque mentem intelligant, qui voluminoso opere ipsi carent [c]. Ita vero ille: „A qua natura habet homo vt sit, habet etiam facultatem tuendi et con„seruandi se ac vsurpandi proinde omnia, quae ad hoc praestandum ne„cessaria, conducentia, vtilia sunt. Porro facultas ista est, in qua vi„detur dici posse consistere ius naturae primarium, adeo proinde, vt, „quotiescunque facultate hac vtimur, iure naturae vti censeamur, et „illo quidem primario, seu quo nullum sit a natura datum antiquius. At „vero, quia spectato hoc quasi purae naturae statu homines omnes pa„ris sunt iuris, nihilque est, quod vnus suo iure, hoc est, facultate a na„tura data vsurpet, quod alius suo, seu pari iure vsurpare non valeat, „quippe cum natura promiscue seu in commune posuerit ea bona, qui„bus indigent, ideo euenire potest, vt vno concupiscente, prosequente„que aliquid nitantur in aduersum alii, qui id pariter concupiscant, et „prosequantur: ac inde enascantur rixae, rapinae, odia, vulnera, caedes, „et vita vniuersa insidiis periculisque obnoxia euadat. Quamobrem „spectandus est homo posteriori modo, siue quatenus sociabilis est ac „in naturae quasi modificatae statu, ad qualem videlicet homo ita com„paratus a natura fuit, vt vellet ac posset quippiam aliis de suo indefini„to in omnia iure remittere, quo caeteris pari ratione aliquid de suo re„mittentibus supereffet aliquid, quod posset suum dicere et fine con„trouersia vsurpare. Factus ergo est homo *a natura sociabile animal*, vt „suo ille iure in vsurpandis rebus ad tollendam indigentiam conducenti„bus vti tutius posset, ac vt amantior retinentiorque societatis efficeretur, machinata natura est mutuam auxiliorum indigentiam, vt dum „vnus ab alio operam, qua egeret, exigeret, tanto facilius eam obtine„ret,

c) Op. T. II. p. 79 s. f. Nempe supponit Gassendus, hominem spectari dupliciter posse, primum quidem absolute seu secundum se, secundo vero comparate, seu prout refertur ad alios, et pars quaedam est essene apperit societatis. Ac priori modo spectari quasi solitarium, et in purae naturae statu, hoc est, qualis est a natura factus cum omnibus suis et partibus, ex quibus et constat, et facultatibus, quibus est instructus. Cum sit vero talis a natura factus, vt in se non habeat quaecunque ad vitam et incolumitatem tuendam necessaria sunt, sed multis rebus auxiliisque externe petendis indigeat; ideo, quae natura fecit indigum, prouidisse simul ipsi de rebus ad talem indigentiam explendam necessariis, ingenitis interim facultatibus, quibus huiusmodi res quaerat, inueniat, in vsum conuertat.

„ret, quanto ipſe praeſtare aliam, qua ille viciſſim indigeret, poſſet. „Neque vero hoc ſolum, ſed etiam, quae fecit hominem ſuae indigentiae „intelligentem, fecit tum ſolertem ad excogitandum, tum propenſum „ad ineundum pacta, quibus illi conſuleret, ac in ſocietate commode „verſaretur. Itaque *quicquid ſit de illa ſeu ſuppoſitione ſeu fictione ſtatus, in „quo ſeu Epicurus ſeu alii [d] vixiſſe aliquando dicunt* primos homines, tam „eſſe profecto videtur ipſa ſocietas hominum, quam illorum eſt origo „antiqua, ac non eo quidem ſolum ſenſu et modo, quo bruta eiusdem ge„neris ſociabilia inter ſe ſunt, verum illo etiam, quo, quatenus ſunt et „intelligentes, et ratione praediti, agnoſcunt, non poſſe vllam inter ſe ſo„cietatem eſſe ſecuram, niſi ea conuentionibus pactisque mutuis con„ſtabiliatur. Porro, quia ex iisdem pactis ſocietateque inita facultas illa „primum conceſſa veluti firmatur, dum ab aliorum vi tuta redditur, ideo, „quatenus a pactis dependens, appellari poteſt ſecundarium ius, cum et „exinde ipſa pacta ipſum ſtabilientia et quadantenus dantia appellentur „iura“. Hactenus Gaſſendus philoſophus perſpicuus et attentus, quae poſtea eo applicat, vt oſtendat, hoc vltimo ſenſu vtilitatem cum Epicuro dici poſſe principium I. N. ipſaque pacta ius naturae dici, quia illud primarium naturae ius, ipſi videretur facultas quidem, non autem ius dici poſſe. Ex qua *διατυπώσει* Gaſſendiani Principii iuris naturae conſtat, virum acerrimi ingenii relicta Epicuro et Hobbeſio vtilitate, aequi rectique matre, cum Stoicis ad ſociabilem humanae naturae indolem recurriſſe, qua in parte eum poſtea ſecutus eſt Pufendorfius. Alia ob chartae anguſtiam apud ipſum Gaſſendum legenda ſunt, quaeſtionem totam pulchre illuſtrantia, et hiſtoriae I. N. ſpeciali plurimum inſeruientia, ad quae curae noſtrae poſteriores h l. extendi non poſſunt.

pag. 199. lin. 16. *Quibus deſtruendis operam impendere aliorum eſt.* Legendus de naeuis Hobbeſii praeter MOSHEMIVM [e] ipſe, qui in multis eum excuſauerat, et minime ſuſpectus iudex eſt GVNDLINGIVS [f]. Eorum fontes vir *κριτικώτατος* in eo ponit [g], quod ex ſcylla in charibdim multoties inciderit, maxime cum obſeruauiſſet, multa fallaciter et fraudulenter excogitaſſe pontificis Romani affectas, vt et homines terrerent, et magiſtratibus vincula iniicerent, myſteriisque multis excogitatis laicos naſo ducerent, eorumque admirationem et venerationem ſibi conſeruarent, inde permotum eſſe, vt crederet, reperiri adhuc multa eiusmodi ſuperſtitionis myſteria, eaque perquirenda et extirpanda porro eſſe. Id quod ex hiſtoria reformationis illuſtrari poſſe ICtus Halenſis monet, propius rectiusque ad hiſtoriam eccleſiaſticam Romanam Hobbii prouocaturus, quod *poëma ſupra bis mille verſibus conſtans* in ſchedis quidem con-

d) Videtur reſpexiſſe ad Hobbeſium, cuius principium I. N. non totum reiiciebat, ſed emendabat: ſed et veteres recenſitos ſupra comprehendit.

e) Ad Cudw. p. 1197 ſqq.
f) Vol. II. p. 336.
g) Ibid. p. 337 ſqq.

Digitized by Google

contineri, at de ſuperſtitionis origine et progreſſu agere monet biographus *h*, vel ad Leuiathanem quoque *i*, in quo curiam Romanam, aſt quamcunque etiam poteſtatem eccleſiaſticam acriter momordit. Non reticuit id Hobbeſius, memorabilibus diſtichis canens *k*:

Leuiathan clerum totum mihi fecerat hoſtem,
Hoſtis theologûm nidus vterque fuit
Nam dum papalis regni contrecto tumorem,
Hos licet abſciſſos, laedere viſus eram.

2. Porro fundamentalem Hobbeſii errorem ponit Gundlingius, quod principem nimis extulerit ſupremamque eius poteſtatem magis, quam par erat, euexerit, 3. quod αὐτοδίδακτος Matheſin diſcendo, ſenſibilibus notionibus, etiam in rebus fidei, nimium inhaeſerit: 4. quod ab attenta et critica hiſtoriae veteris lectione longius abfuerit, ſed ſyſtemate demum formato ex illa aſſuerit, quod in rem ſuam eſſe cenſeret, 5. tandem, quod lectionem tantum non omnem neglexerit, nec ad rerum fidem et exiſtentiam, ſed poſſibilitatem in ratiocinando tantum reſpexerit. Quae obſeruationes vt ex hiſtoria tanti viri manifeſtae ſunt, ita, quam difficile ſit, etiam magnis viris ſobrie philoſophari, euincunt.

h) pag. 193. *i*) Lib. II. *k*) p. 236. *l*) Lutetia et Londinum.

AD CAPVT SEPTIMVM.

DE RENATO CARTESIO.

pag. 201. lin. 16.

Extruendum ornandumque aſſeruntur. Valde ideo contemnit ſcriptum αὐτοσχέδιον NICERONIVS *a*, eo quod erroribus ſcatet, et ſuperficiariam operam ſatis negligenter exhibet.

Ibid. lin. 12. a fin. *At lineas magis duxit, quam integram enarrauit.* Obſeruatum ſimiliter NICERONIO *b*, verſimile eſſe, Borellum hoc elogium tantum ex narratione hoſpitis Carteſii Ville Breſſieux accepiſſe, quae nec memorabilia multa exhibet, nec admodum certa, ordine caret, et ſtilo ſcribendique elegantia, multa autem cumulat, quae in Carteſii hiſtoria locum habere non poſſunt.

Ibid. lin. 10. a. fin. Laudat tamen hanc biographiam Carteſianam IDEM, quod multa ſingularia, et inter naeuos multos memorabilia quoque exhibeat, quae Schotanum et Rayeum auctorem habent.

Ibid. lin. 9. *Ioannem Chriſtophorum Sturmium.* Ille tamen in loco allegato maxime ad hoc ſolum attentionem adhibuit, vt oſtenderet, Carteſium

a) Tom. XIX. pag. 240. ed. Germ. *b*) loc. cit.

teſium recte eclecticum dici, eo quod potiorem placitorum ſuorum partem e veteribus et recentioribus ſelectam in vnum philoſophiae compendium contraxerit. Quod, vtrum verum ſit, infra diximus.

Ibid. lin. 6. a fin. *Se commendauit vir doctus B. NICERONIVS.* Leg. Io. Pet. Niceronivs, cuius biographiam Carteſii additionibus auxit Germ. interpres ven. Rambachivs.

pag. 202. not. p. *Reflexions d'un academicien.* Eius ſcripti auctorem nominat Niceronius Ieſuitam Tellierium.

Ibid. lin. 4. a fin. *Licet nonnulla tangat quoque hiſtorica.* Meretur legi et examinari libellus ingenioſa ſatyra plenus, et ad ſpargenda Carteſianae philoſophiae offendicula accommodatus. In quo, cum praeter obiectiones mira arte contextas, multa afferantur, quae fortunam Carteſianiſmi in Gallia illuſtrare poſſunt; dignus eſt, ad quem attendat lectoris curioſitas, de Carteſii hiſtoria ſollicita.

pag. 203. lin. 24. *Intelligi omnes poſſent.* Leg. Intelligere.

Ibid. lin. 9. a fin. *Dineto.* Videnda de eo *Bibliotheca S. Ieſu*, hoc nomine [c]. Erat ille non philoſophus, ſed concionator regis eloquentiſſimus, quo nomine in aula multum valebat. Aſt quaerebat Carteſius non verba, ſed rem. Quod ideo annotandum eſt, vt conſtet, cur Carteſius, qui tamen ſtudiorum fundamenta PP. S. I. debebat, poſtea adeo ab hac ſocietate abhorruerit, illa vero omnibus viribus eum ac philoſophiam eius perſecuta fuerit: detexerat enim inania philoſophici curſus ſtudia, quae in Flexienſi lyceo didicerat, illi vero, tangi ſuam auctoritatem et conculcari indigne ferebant. Initio enim et priuſquam ventoſam iſtam ſapientiam in ventos abire iuſſerat, adeo exiſtimationi Ieſuitarum aſſurgebat, vt fateretur [d], *hunc ſe magiſtris ſuis honorem perhibere teneri, nuſquam melius doceri, quam Flexiae.* Imo cum iam a Ieſuitarum philoſophia diuortium feciſſet, ita ad vnum ex PP. ſcribebat [e]: *Sane cum debeam patribus veſtris totam adoleſcentiae meae inſtitutionem, cum ad illos colendos ſemper fuerim ſingulari ſtudio ductus, malimque conſilia lenia et amica, quam ea, quae diſplicere poſſint, inire, multa ſunt, quamobrem rogatum vellem, vt, omiſſa hac materia, in alia quapiam, quae me non ſpectat, velit exercere, niſi porro ad aliam partem amplectendam me quaſi cogeret iniuria, quam mihi PP. veſtros facere audio; atque etiam regula prudentiae, quae docet, ſatius eſſe occultos, quam apertos hoſtes.* In cauſſa itaque ipſi Ieſuitae erant, quod ab illis Carteſius, ſuae diſciplinae innutritus defecerit: Illi enim, acute obſeruante eius biographo [f], *cauſſas habebant peculiares, propter quas conatibus Carteſii parum fauerent, quippe qui ſuis a diſcipulis abſolutiſſimam poſcunt obedientiam, qua omnia cogitata, dicta et facta ad amplificandum ordinis emolumentum et cumulandam gloriam conferant, neque a magiſtrorum ſenſibus unquam*

c) v. Iacobus Dinet. p. 363. ed. Sotwelli Rom. 1676 f.
d) Lib. II. ep. 90.
e) Ep. 113.
f) Praef. Opp. philoſ.

Digitized by Google

quam recedant, quos intra seruitutis limites Renati liberale ingenium coërceri minime potuit. Inde vero graues societatis in Cartesium discipulum suspiciones, odia et persecutiones, de quibus cum idem vitae Nostri auctor necessaria monuerit, nos in re inuidia plena nihil addimus.

Ibid. lin. vlt. *Indignantis societati ipsique Dineto satis arguit.* Non describemus verba Cartetii fauciato animo scripta, iubemus autem eos Lectores legere, qui primas scaturigines inimicitiae inter Societatem et Cartesium eiusque sequaces sincere cognoscere cupiunt. Quae clauem dabunt ad reseranda satyrae iesuiticae a DANIELE scripta [f] mysteria, primamque fortunam Cartesianae philosophiae in cathedris philosophorum Gallicorum explicabit. Confirmabunt haec ista, quae de indole philosophiae scholasticae recentioris supra diximus.

pag. 207. lin. 4. a fin. *Claudius Mydorgius, vir illustris.* Thresorier de France, en la generalité d'Amiens, fils d'un Conseiller de la grande Chambre et successeur de Viete, dans la reputation du premier mathemicien de France. Ita BAILLETVS [g].

pag. 209. lin. 2. *Et in alias quoque linguas translatus.* Scripsit has primitias laborum suorum Cartesius inter praesidiarios milites Bredae tunc commoratus anno cIↃIↃcXVIII. quo vix XXII. aetatis annum agebat. Mirum ergo non est, conatum iuuenilem Cartesio viro displicuisse, indignumque visum fuisse, qui in publicam lucem exiret, quanquam amici sperabant, in hac quoque arte sublime Cartesii ingenium vestigia sua non deserturum. Nam Lutetiae iam inter honestas voluptates musicae artis exercitia cum successu deperierat. Cartesius autem tum ab Isaaco Beckmanno, tum ab aliis amicis expugnari viuus non potuit, vt in vulgus prodire pateretur. Itaque fatis tandem concedentis opusculum demum post mortem apud Batauos prodiit, vel aduersariorum studio, quod putat Bailletus, quos imperfectae scriptionis editione, eius famae detrahere voluisse coniicit, vel amicorum artis eius studiosorum consilio, qui noua multa ex internis artis rationibus petita in opusculo iuuenili deprehendebant. Illud certum, tanto plausu fuisse exceptum, vt non tantum in Belgio intra sexennium bis typis excuderetur [h], sed Londini quoque lingua Anglica [i], atque Parisiis Gallica in vulgus exiret [k], curante POISSONIO oratorii presbytero, qui mechanicam quoque Cartesii isti editioni Gallice adiunxit, et annotationes atque illustrationes addidit [l].

pag. 211. lin. 9. *Cartesium in his ineptientem.* Obseruatum haud semel viris doctis, Cartesium imaginationis fortioris vi quasi raptum ad consilia literaria et philolophica, enthusiasmo inclinasse. Certe eum prae se

 tulisse

f) Iter Cartesii in mundo, qui inter acerrimos eius aduersarios eminet, multumque caussam Cartesii deprellit. Vtimur editione Gallica 1691. Paris. Latine prodiit Viennae.

g) Abregé L. I. p. 20.
h) Vltraiecti 1650. 4. Amstelod. 1656.
i) 1653. *k*) 1658. 4.
l) NICERON. l. c.

tuliſſe falſe deridet DANIEL [m], ſeſulta; quem non ſatyrae tantum cauſſa illum ſugillauiſſe, ſed reuera hanc labem Carteſio adhaeſiſſe, vel vna ſtolida cupiditas Roſaecrucianos fratres detegendi vel deuota peregrinationi ſacrae ad Lauretanam aediculam pietas, et imprimis hypotheſes Platonicae, non in cerebro Carteſii natae, ſed clam ex Academia prima ſubductae et ad argumentum metaphyſicum translatae loquuntur, quae Platonismi veteris gnarus facile deteget, ſuoque domino reſtituet. Vidit id iam Leibnizius [n] et in Carteſio modeſte notault, Platonicum in Roſaecruceano amare traduxit HVETIVS [o].

Ibid. lin. 21. *Teſte Leibnizio not. z.* Extat locus inter epiſtolas ſummi viri ven. KORTHOLTI ſtudio editas *volumine III.* [p] ibi enim occurrunt: *notata quaedam circa vitam et doctrinam Carteſii*, in huius philoſophi hiſtoria non negligenda. Quae de eius conuerſatione cum Faulhabero, artis architectonicae militaris peritia claro narrat Leibnizius, ea habuit, ipſo teſtante a Lipſiorpio. Hodie adhuc in celebri hac vrbe artis huius peritia et militari gloria coruſcant poſteri Faulhaberi.

pag. 216. lin. 3. *Amicos in ea mora nactus viros praeſtantiſſimos.* Meretur conſeruari memoria eruditorum virorum, quibus amicitiae vinculo tunc Carteſius familiariter innotuit, Balzaei, Hardyi, Morini, P. Gibreuf aliorumque ex congregatione oratorii, Sarazini, Jumeauuii, Launaei, Picotii multorumque aliorum, de quibus conſulenda eſt Bailleti diligentia. A Mydorgio autem, quo amiciorem non habebat, opticum vitrorum politendorum artificium addiſcendo, ſtudia naturalis ſcientiae mire ſibi adiuuit, inque ea arte excellenter verſatus eſt.

pag. 218. not. p. *Aemilius.* Extant quatuor ad hunc Renerium epiſtolae Gaſſendi [q], ex quibus patet, plurimum huic philoſopho Gaſſendum tribuiſſe, vltima quoque teſtatum fecit, quanta fuerit Carteſii aduerſus Renerium amicitia. Hunc eo ipſo die, quo vxorem duxit Vltraiecti coepiſſe per conuiuium male habere, et ex eo eductum paucis poſt horis interiiſſe, eodem loco notauit Gaſſendus.

pag. 222. not. b. lin. 9. col. b. *Quod eius fidei vel ideo relinquimus.* Obſeruat LEIBNIZIVS [r], Paſcalem, cum ſanitate valde infirma frueretur, adeo tamen ingenii et acuminis virtute valuiſſe, vt in ipſis religionis controuerſiis ad extremos quaeſtionum ſcrupulos penetrare cuperet, adeo vt tandem dubitationem vſque ad inſaniam proſequeretur. An veriſimile eſt, huius characteris philoſophum, omnia dubitationum et difficultatum ſcrupulis cumulantem, ſectarium factum Carteſii?

pag. 223. lin. 23. *Quod a veritate ſemel agnita ex parte defeciſſet.* Obſeruat SPANHEMIVS [s] ex epiſtola Carteſii ad Eliſabetham principem [t], vehe-

m) loc. cit. n) loc. cit.
o) Mem. pour le Carteſianiſme p. 70.
p) pag. 388. et in THOMASII hiſt. ſap. et ſtult. T. II. p. 113.
q) T. VI. Opp. p. 24. 29. 37. 41.
r) Or. Hanoueran. p. 165.
s) De nouiſſimis in Belgio circa res ſacras diſſidiis, p. 74. t) Lib. I. ep. 22. p. 48.

Digitized by Google

vehementer ac cum impetu Carteſium doluiſſe, tum quod in metaphyſicis ei contradixerit; ad programma quoque Regii vulgatum et philoſophiam naturalem [w] prouocat, in qua ea principia exagitat. Non praetermiſit hoc DANIEL [x], qui ridicule monet, fuiſſe in fatis, vt Carteſius et Regius libellis inter ſe dimicarent, haberetque ille omnes Belgii confoederati eruditos, quorum cognomina terminationem haberent, ius, Reuius, Demmadus, Voëtius, Regius. Quae frigida ſunt, et leſuitae ſcholam ſapiunt: qui reliquas hoc loco aduerſitates Carteſii eiusque philoſophiae ex perſecutione Voëtii ortas, quae vix auctoritate legati regis Galliarum ſiſti potuerunt, enarrat.

pag. 229. not. ii. *Huetio.* Non praetereundum hoc loco, quod ex ore Carteſiani cuiusdam ſe hauſiſſe ait perſonatus MARVILLIVS [y], machinam automaton a Carteſio ſumma induſtria confectam, vt demonſtrare poſſet, beſtias eſſe machinas, occaſionem dediſſe inimicis hanc de Francina fabulam comminiſcendi.

pag. 230. lin. 7. a fin. *Burdeno Ieſuitae.* Aliam recentiorem editionem affert NICERONIVS Neapoli (Amſtelodamum prae ſe fert titulus) in qua *adiectae ſunt vtiliſſimae quaedam animaduerſiones, ex variis doctiſſimisque auctoribus collectae; cum auctoris vita breuiter ac concinne ſcripta*, 1719. 8. curante GIOVACCHINO POETA. Gallicam verſionem ab ipſo Carteſio emendatam debemus CLESELERIO, *Pariſ. 1647. 1661.* itemque RENATO FEDE, *Pariſ. 1673. in 4.*

pag. 234. lin. 21. *In libello de confraternitate Mariana.* Hiſtoriam iſtius controuerſiae, quae Voëtium et Samuelem Mareſium inter ſe commiſit, et in qua Voëtius impotentiam animi ſui valde prodidit, ſuccincta enarratione explicat NICERONIVS [z], in *vita Mareſii*, qui videndus.

Ibid. lin. 3. *Sorberius.* Videndae epiſtolae Sorberii ad Gaſſendum [a].

pag. 235. lin. 2. *Non ſine eius dedecore conuincitur.* Extat haec tractatio etiam inter *epiſtolas Carteſii;* videndus etiam NICERONIVS.

pag. 236. lin. 10. *Eximie erat exculta.* Totus eſt in cumulandis in eruditam principem laudibus CARTESIVS [b], qui non tantum vehementer laetatus eſt, quod ab illa et legerentur ſua ſcripta, isque in notitiam eius eſſet admiſſius: ſed extollit quoque, *quod nec aulae auocamenta, nec conſueta educatio, quae puellas ad ignorantiam damnare ſolet, impedire potuerint, quo minus omnes bonas artes et ſcientias inueſtigauerit, et penitiſſime inſpexerit, ipſe autem vnam inuenerit, quae tractatus ſuos antehac vulgatos perfecte omnes intelligat* etc. Quae poſtea ad incomparabilis ingenii encomium reuocat, et his ex parte voluntatis nihil ad abſolutam et ſublimem ſapientiam, in moribus deeſſe reuocat. Digniſſima princeps, quae indicibus feminarum eruditarum et mulierum philoſophantium, itemque illuſtrium alumnorum

w) Lib. V. c. 1.
x) pag. 120.
y) Mel. T. II. p. 134.
z) T. XIX. p. 108 ſeqq. verſ. Germ.
a) T. VI. Opp. Gaſſ. p. 447. 462. 470.
b) Ep. Dedic. principiorum.

rum Carteſianae philoſophiae non ſine titulo ponatur, et quam ex aequo laudauerit BAILLETVS [c].

pag. 240. lin. 7. *Leidenſes theologi.* Comparanda ad hunc locum eſt de ſuſpicionibus theologorum Leidenſium contra Carteſium epiſtola SPANHEMII filii, in qua *nouiſſima ſui temporis circa res ſacras in Belgio diſſidia* amicum edocuit, ex qua patet *καινολογίας* et *καινοφωνίας* Carteſii receptam in eccleſiis et academiis Belgicis doctrinam euertere viſas etiam eorum mentes exaſperaſſe et in philoſophum exacuiſſe, qui placatiori cetera animo in cathedris theologicis docebant, quorum ſyllabum doctiſſimus theologus annectit. Quod ſi recte omnia liberaque mente penſitauerimus, nihil animos theologorum in Carteſium magis accendit, quam immoderatum ſectae condendae ſtudium, quod eum valde vexabat; quodque ſemper pomum Eridos fuiſſe, ab philoſophiae incunabulis, teſtatur hiſtoria philoſophica. Acceſſit rumor, varius quidem at vagus et mentes occupare valens, Carteſii ſequaces, ob doctrinae nouitatem fauere partibus Romanenſium, id quod inuidiae contra eos nutriendae erat aptiſſimum.

pag. 246. lin. 10. *Anno MDCLXVI.* Hoc anno e Suecia abductus, curante Galliae theſaurario Aliberto, anno ſequente Pariſios translatus, in S. Genouefae templo tumulo iterum illatus eſt: ſuperbo ſtitulo ab Aliberto honoratus, qui apud NICERONIVM [d] legitur, qui etiam epitaphium a Clerſelierio praeceptore ſcriptum affert, quod legi meretur.

pag. 248. lin. 14. a fin. *Egerit.* Valde ideo Bailletum reprehendit anonymus, quem Bouhurſium ſuſ. eſſe volunt *reflex. d'un academ. ſur la vie de Mr. Cartes.*

pag. 249. lin. 14. a fin. *Quam multi ante eum alii potuit graſſari.* Plurimum lucis meritis Carteſii de philoſophia eclectica affundit comparatio fatorum philoſophiae eclectieae ſeculo XVII. magno conatu exſurgentis, cuius hactenus hiſtoriam enarrauimus, ſi, quas imprimis Gallorum ingeniis debemus, emendationes et reformationes eius recogitamus. Inter quas, molimina Gaſſendi et ſequacium referenda eſſe, ad tomum priorem recentioris H. P. luculenter demonſtrauimus. Aſt, quanta quanta etiam fuere Gaſſendi et paucorum, qui eius viam ſecuti ſunt, merita, fatendum tamen, Carteſium illi praeſtitiſſe. Nam et animi magnitudine atque fortitudine philoſophiam reformandi eum ſuperabat, et ad ſectam veterem emendandam et ornandam, ſicut Gaſſendus ad Epicuream, non diuertebatur, ſed, abiecto omni antiquitatis et auctoritatis praeiudicio eodem, quo veteres, Pythagoras, Plato, Epicurus ceteriique ſectarum conditores animo excelſo ſolus viam quaerere nouam et a nemine tritam audebat. Et quanquam lectionis et cognitionis veteris ſapientiae multum

c) loc. cit. L. VII. c. 8. p. 240. ed. min. conf. ANDR. RITTERI diſſ. de principum in Carteſium fauore, Gryphisw. 1705.

d) pag. 57 ſeqq.

e) p. 222 ſeqq. conf. BAYLE Dict. T. art. Anaxagoras not. N. p. 217.

Digitized by Google

tum a Gaſſendo ſuperabatur, ſuperhabitis tamen opinionum commentis, tentare fidebat ingenio, quo ſe quoque poſſit tollere humo, et ad Parnaſſi cacumina et ſapientiae palatia penetrare. Quae animi, intellectus et voluntatis viribus ſupra modum eminentis, magnificentia eum toti philoſophantium choro exemit, et nouae atque ingenioſae philoſophiae auctorem fecit. Vnde factum, vt cum Gaſſendiana philoſophia intra anguſtos limites concluderetur, Carteſiana totum orbem philoſophicum repleuerit. Adeo autem philoſophandi audacia caput extulit, vt, cum Baco Verulamius incredibili iudicii acie, totum ſanioris philoſophiae campum oculis emetiretur, ſed non conatu, non euentus felicitate et gloria; Carteſius non in principiis conſiſtens, et nudam ſolum modo veritatem intuitus, ſed ad deducendas fontium verorum ſcaturigines et condendam nouam philoſophiam maxime ingenio ſit progreſſus, idque philoſophiae palatium exſtruxerit, quo florentes ſapientiae lares philoſophiae, quos Ariſtoteles per tot ſecula firmos et erectos ſeruauerat, vehementer labefactaret, et auxilia mathematica in vſus adhibendo longe elegantiora in lucem produceret. In quo ad iudicium RAPINI[f] non inepte nos prouocare poſſe credimus, qui, quamuis vehementer Ariſtoteli faueret, magnique Gaſſendum faceret, faſſus tamen eſt, *Carteſii memoriae debitam laudem tribuendam, fatendumque eſſe, phyſicam eius ſubtiliſſimis recentioribus annumerandam eſſe, et curioſas ideas et egregios mentis conceptus continere, cumque attentius conſideretur, melius ordinatum doctrinae ſyſtema, quam apud Gaſſendum et Anglos in ea reperiri: immo plus nouitatis et inuentionis, quam apud Gaſſendum in eo occurrere: verbo, ordinem optime excogitatum eſſe, methodum eſſe pene geometricam, quae a principiis ad principia, a propoſitionibus ad propoſitiones procedat.*

pag. 250. lin. 19. *Inter primos et praeſtantiſſimos orbis geometras eum numerare nulli dubitant.* Vterque autem acriter cum Carteſio decertabat, et magnis praeliis eum fuerat aggreſſus, vnde minime ſuſpectum eſſe hoc eorum, quod PELLISSONIVS adduxit, teſtimonium, recte iudicamus.

pag. 258. lin. penult. *De corpore I. C. in ſacra coena concilietur.* Faſſi id ſunt magni et acuti viri, qui Carteſium ſummo inter philoſophos loco poſuerunt. Exemplum, ſi cupis, habes ex confeſſione Viroti abbatis epiſtolam ad Pelliſſonium [g].

pag. 259. lin. 7. *Scripſit plurima Carteſius.* Elenchum ſcriptorum Carteſii omnium exhibet NICERONIVS[h], qui ſingulorum quoque hiſtoriam ſtrictim enarrault, et verſiones quoque non tacuit, quae ad hiſtoriam magni viri literariam multum conferunt. Sunt enim nonnulla, quae ipſis ἀρχετύποις praeſtant. Prodiere iunctim opera Carteſii *Amſtelodami MDCLXVIII. ſept. Vol.* quorum I. II. III. VI. et VII. philoſophica continet.

f) Reflexions ſur la phyſique §. 10.
g) In Otio Hannouerano p. 344.
h) loc. cit. p. 228.

net. Recentior eſt editio Amſtelodamenſis anni cIↃIↃccI. 4. cui fragmenta nonnulla addita ſunt, et Pariſina XIII. Vol. cui adiectae epiſtolae Carteſii, recenſeturque a Niceronio.

pag. ead. lin. 9. *Satis acer Carteſianae philoſophiae cenſor.* Diximus de eius animo in Carteſium infenſo et cenſura, quae in eius philoſophiam dicta eſt, acerbiore ſupra ad tomum IV. in vita Huetii. Eam deberi Ieſuitarum inſtigationibus, quorum familiae impenſe fauebat, non videtur eſſe dubitandum. Certe philoſophiae veteris, quam in Ieſuitarum ſcholis didicerat, tenacius ſtudium vel praeiudicium veteris literaturae, in qua eminebat Abrincenſis epiſcopus, hanc ei cenſuram extorſiſſe ipſe non negat, qua de re memorabilis eſt ipſius HVETII narratio [i], quae ἄνευ παθῶν legenda et examinanda eſt. Praeter hunc autem, qui poſt Carteſium demum factionem hanc aggreſſus eſt, alii etiam cenſores prodierunt, inter quos eminuere praeter ſupra in vita Carteſii adductos etiam Henrici Mori, Iacobi Reuii, Ioannis Schuleri, Cyriaci Lentuli nomina [k], ſed nec defenſoribus caruit. Inter quos ad cenſuram Huetianam reſponderunt IOANNES SCHOTTANVS in *cenſura Huetiana*, BVRCHERVS VON VOLDER in *exercitationibus pro philoſophia Carteſiana contra Huetium*, ANDREAS PETERMANNVS in *vindicatione philoſophiae Carteſianae, adu. cenſuram Huetii*, et IOANNES SCHVVELINGIVS in *exercitationibus cathedrariis in C. H.* [l]. De quibus aliisque Carteſii hyperaſpiſtis conſulenda quoque STOLLII introd. in H. L. [m].

pag. 246. lin. 9. a fin. *Similibusque.* Omnino hic comparandus eſt FRID. SPANHEMIVS filius, qui in epiſtola *de diſſidiis in Belgio nouiſſimis* [n], haec offendicula, quae eccleſiae Belgici moderatores ex philoſophia Carteſiana pertimeſcebant, in compendio adduxit. Qui cum loca ſcriptorum, ipſiusque Carteſii et aduerſariorum adduxerit, cum his omnino conferri meretur, cum controuerſiarum ſtatum luculenter expoſuerit. Prolixiora de ea re a nobis non expectanda ſunt, qui non eccleſiaſticam et elenchticam, ſed philoſophicam hiſtoriam ſcribimus, in qua quaeſtionum illarum pondus rite ponderandum eſt.

pag. 265. lin. 17. *Totis viribus fategerunt.* Conſeruauit epiſtolas theologorum Belgii ad Ludouicum Henricum Comitem Naſſauium a facultatibus theologicis et ipſis academiis Belgicis perſcriptas Io. TEPELIVS [o], qui legendus, vt de artibus conſtet, quibus vtuntur humana ingenia ad perficiendas et defendendas partes ſuas, conferendus autem cum eo SPANHEMIVS [p].

pag. 266. lin. 10. *Magiſtrum deſerere coeperunt.* Vidit id et ingenue faſſus eſt SPANHEMIVS: prodiiſſe non dudum poſtea ex Carteſii diſcipli-

na,

i) De rebus ad eum pert n. p. 145. ed. Lipſ.
k) Conf. KAHLE ad STRVV. bibl. phil. c. III. p. 240.
l) Conf. not. ad Niceron. p. 238. verſ. Germ.
m) P. II. c. 1. p. 502 ſeqq.
n) pag. 58 ſeqq.
o) Vit. Carteſii p. 70 ſeqq.
p) loc. cit. p. 89. 90. 91.

Digitized by Google

na, incautiores vtique magiſtro ſuo, qui ipſa fidei ſacramenta et auguſtiſſima miracula et ſcriptas veritates ad rationis decempedam ac nouae philoſophiae facem, prudentioribus inuitis, exigerent.

pag. 267. lin. 14. *Alibi latius exponendae.* Conſulendi WALCHIVS, BVDDEVS, ALBERTI [1] et recentioris H. E. ſcriptores alii, nemo enim has turbas in eccleſia enatas ſilentio praetermiſit.

pag. 268. lin. penult. *Ac praecipue veritatum mutua amicitia.* Vidit et deplorauit hunc ſyncretiſmum theologicum et philoſophicum SPANHEMIVS [2], qui recte monet: *ſciſſuram magis hiulcam et vlcus grauius feciſſe confoederationem hominum, quorum diuerſiſſima alias ſtudia, cauſſa, ingenium, diſciplina, hypotheſes, nempe Carteſii et Cocceii aſſeclas. Et hunc quidem Carteſii ſententias ignorare ſe, nec licuiſſe ſe eam philoſophiam perdiſcere, profeſſum, imo aduerſatum aliquoties; factum tamen eſſe, vt vtriusque filii iunxerint dextras in mutua foedera, vt ſint deinceps mutuae defenſiones, praeconia mutua, arma communia et vix a Carteſii ſacris quisquam ad theologica, quin hoc ipſo ad Cocceianae ſapientiae adyta gradum moueat, quantus etiam ſit inter illa hiatus.* Sed et porro refert: *Ea de cauſſa indignatos Praepotentes, commixtionem illam mox nouo interdicto interdixiſſe ſeriis terminis facultati vtrique theologicae et philoſophicae in eadem vniuerſitate, vt obſeruent praeciſe et ad punctum tam in materia, quam in forma priorem Ill. et Praep. ſanctionem contra permixtionem eam theologiae cum philoſophia A. MDCLVI. finaliter ſtatutam ſub poenis.*

pag. 273. not. b. *Carus is erat P. Baylio.* Prodiit eius phyſica Berol. MDCXCIV. 4. logica et philoſophia moralis atque Chriſtiana MDCXCVI. Obſtitit in Friderlciana fortunae Carteſianae philoſophiae reformatio eclectica Thomaſii, Gundlingii, Buddei, allorum.

Ibid. not. a. *Vid. REIMMANN.* Latebat is ſub perſona Realis de Vienna.

pag. 274. lin. 17. *Ex cuius ſchola prodiit Thomas Anglus.* Eius in volumine antecedente a Leibnizio facta inter ſyncretiſtas mentio. Ille, vt erat ipſo Heraclito obſcurior, ita principia ſapientiae ita adornauerat, vt cum luce Carteſiana non poſſent componi. Inde ſine dubio contemtus Carteſii ortum habuit, qui claras ſequi ideas inter primas methodi virtutes retulit. Poteſt id Lector ipſe cognoſcere, ſi vel occaſio fauerit rariores Thomae [3] libellos inſpicere, vel patientia eum non deficiat, in tenebris lucem quaerendi. Vnus eius *Euclides metaphyſicus*, ſiue quem *de principiis ſapientiae* conſcripſit libellus, *Londini* cIↃIↃcLVIII. 12. editus exempla eius rei dabit, licet methodo mathematica ſit conſcriptus. Dabimus nonnullas aſſertiones Thomae, cum raro liber occurrat, vt poſſint cum Carteſianis comparari. Ita viſum philoſopho Anglo:

[1] Diſſ. de Carteſianiſmo et Cocceian.
[2] loc. cit. p. 124.
[3] Verum nomen ei erat WHITE, vnde ſe mox Candidum mox Albium vocauit. Scripſit quoque inſtit. Peripateticas, Sonum Buccinae, inſtit. ethicas et alia.

I. Dantur in rebus ſpecies quaedam corporum ex partibus elementaribus compoſitorum, in quibus elementa non ſunt in actu.

II. Primum mixtum eſt metaphyſice vnum ens, et habet vnicam formam ſubſtantialem.

III. Primum mixtum eſt magis ens, et perfectius, quam elementum.

IV. Animal vt animal eſt metaphyſice vnum ens, habens vnicam formam ſubſtantialem.

V. Pura planta non eſt metaphyſice vnum ens, ſed multa mixta.

VI. Forma ſubſtantialis entis ſunt omnes determinationes materiae, ſeu ſubſtantiae, quatenus conſtituunt rationem particularem membri ſeu inſtrumenti naturae.

VII. In omni ente corporeo diuiſibilis eſt ratio ſuppoſiti à natura.

VIII. Animal poteſt eſſe idem in diuerſis quantitatibus, et quantumuis aliquibus membris et mutilatum.

IX. Vltima animalis differentia, ſeu indiuidualitas eſt ordo ad illam actionem, et eo modo peragendam quo nata eſt, peragi ex vi omnium determinationum ſubſtantiae, quae ſunt in ſuppoſito in primo inſtanti conceptionis, hoc eſt, dum habet primum actum ſenſationis in cerebro.

X. Inter corpora ſolum animal ex inſtituto naturae natum eſt, mouere ſe ipſum.

XI. Forma animalis per ſe ſic eſt in toto, vt non ſit in partibus.

XII. Quod ex intento naturae mouet ſe ipſum, et hoc facit a corporis extrinſeci Impulſu, eſt animal.

XIII. Animal, ſi moueat ſe cauſſalitate finali, eſt perfectius, quam ſi moueat tantum efficienter.

XIV. Animal mouens ſe cauſſalitate finali non eſt pure corporeum et corpus.

XV. Homo compoſitus eſt ex corpore et ſpiritu, et eſt formaliter corpus, virtualiter ſpiritus.

XVI. Cauſſae actu cauſſantes non ſolum eſſentia, ſed ipſum actuale eſſe eſt, participate in actione.

XVII. Obiecta Immediate impreſſa homini ſecundum facultatem ſpiritualem ſeu intellectum, ſunt fixa in ipſo, quia eſſe eorum factum eſt eſſe ipſius hominis.

XVIII. Intellectus ſeu homo quatenus Intellectus, eſt facultas exiſtendi, quod eſt, quia eſt; et cetera connexa, quia ſunt aliquid ipſius intelligentis.

XIX. Obiecta, quae non habent inter ſe connexionem, etſi infinita nata ſunt ſimul conſiſtere in intellectu.

XX. Intellectus humanus in ſuo genere eſt abſolute infinitus.

XXI. Impreſſiones a ſenſibus mediate vel Immediate in hominem factae, ſunt formaliter materiales, ſed potentia et virtute ſpirituales.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Intellectus in homine non est natus, quicquam intelligere, nisi actu feriatur a sensu, mediate vel immediate.

XXIII. Cerebrum per diuersas cognitiones accipit dispositiones materiales diuersas.

XXIV. Homo secundum intellectum est virtus quaedam constans ex omnibus impressionibus spiritualibus non includentibus contradictionem a principio vitae ad eiusdem exitum introductis.

XXV. Cognoscere est, esse ens vt ens, seu vt aliud.

XXVI. Situs in loco est propinquitas et distantia ab aliis corporibus.

XXVII. Positis caussis omnibus ponitur effectus.

XXVIII. Homo simul cognoscit pauca.

XXIX. Homo secundum intellectum, seu mens est virtute substantia integra seu existens.

XXX. Si dissoluatur compositum formale hominis in corpus et spiritum, mens seu spiritus ex vi talis dissolutionis non interibit: est enim in eo virtus substantiae integrae seu existentis, cui competit ex sese esse subiectum existentiae.

XXXI. Mens seu anima separata semel existens non potest postmodum priuari existentia.

XXXII. Anima separata neque fit per creationem, neque per conuersionem, sed per puram diuisionem.

XXXIII. Corpus non recipit existentiam per se, sicut forma seu spiritus: constat enim ex potentia et actu siue materia et forma.

XXXIV. Forma subsistens seu spiritus est cognoscituus sui ipsius.

XXXV. Anima separata in prima separatione cognoscit omnia, quae cognouit in corpore.

XXXVI. Anima separata est cognoscitiua omnium deducibilium ex cognitis in corpore.

XXXVII. Cognitio suae essentiae est inseparabilis ab anima separata existente, caeterae cognitiones potuerunt non inexistere.

XXXVIII. Spiritus est ens perfectius, quam sit corpus.

XXXIX. Spiritus habet virtutem effectiuam.

XL. Spiritus non est quantus, seu continue diuisibilis.

XLI. Spiritus non sunt in loco proprie dicto, neque habent situm.

XLII. Distantia localis non impedit spiritum, quin sit praesens quibuslibet corporibus et cognitione et virtute et operatione.

XLIII. Successio continua non potest esse in spiritu.

XLIV. Operationes intrinsecae formae abstractae quantum est, ex parte subiecti sunt indiuisibiles.

XLV. Substantia corporea non est actiua in spiritum.

XLVI. Operationes intrinsecae spirituum sunt absolute indiuisibiles, possunt itaque soli spiritus agere in spiritum et hoc non mediante corpore, sed secundum proprietatem caussarum.

XLVII. Spiritus cognoſcit, quid ſit ipſi ſummum bonum et quomodo circa illud ſit gerendus.

XLVIII. Spiritus eſt volitiuus.

XLIX. Spiritus cognoſcit quaecunque connexa ſunt cum eſſentia ſua in primo inſtanti exiſtentiae ſuae.

L. Operationes mentis in homine, quantumcunque ſupponantur creſcere, non ſunt comparabiles operationibus formarum ſubſiſtentium.

LI. Spiritus in primo inſtanti ſui eſſe cognoſcit primum ens, et immenſitatem boni, quae eſt in viſione illius.

LII. Viſio primi entis eſt vltimus finis et beatitudo cuiuslibet ſubſtantiae ſpiritualis.

LIII. Subſtantia ſpiritualis, ſi ſit adaequate ſecundum naturam diſpoſita, eſt beata in primo ſui eſſe.

LIV. Ens primum eſt cognoſcitiuum et volitiuum ſeu operatiuum ex cognitione.

LV. Ens primum eſt gubernator vniuerſi ſiue Deus; eſt enim aeternum et ab ipſo ſolo pendent, et ſunt connexa cum Ipſo, adeoque ens primum praeſcit et praeuult ab omni aeternitate quaecunque futura in aeternum et pariter eſt operatiuum eorum et quidem adaequate.

LVI. Nihil extra Deum eſt amabile ab ipſo.

LVII. Deus creat caetera propter ipſa, vt ipſis, non ſibi bene ſit.

LVIII. Deus ſemper facit, quod eſt optimum vniuerſitati creaturarum.

LIX. Quoties Deus operatur in particularem creaturam, facit, quod eſt optimum illi, niſi officiat potiori bono.

LX. Quod eſt creatum propter ſe, eſt imperibile ſecundum praeſentem ordinem cauſſarum.

LXI. Corpus non eſt creabile propter ſe.

LXII. Motus ab indiuiſibile ſignato non poteſt extendi in infinitum.

LXIII. Vniuerſum corporeum conſiſtens ex corporibus et eorum motibus non fuit creatum propter ſe.

LXIV. Finis vniuerſi corporei ſunt animae ſeparatae ex corporibus emergentes et cauſſatae.

LXV. Deus creauit cuncta propter ſemetipſum tanquam rerum creatarum finem, et vt ei dent laudem et gloriam nomini eius.

LXVI. Mundus ſeu vniuerſum corporeum eſt inſtrumentum creatoris ad educandas mentes incorporatas ad beatitudinem.

LXVII. Mentes incorporatae pleraeque ad beatitudinem peruenlunt.

LXVIII. Deus gubernat mundum per intelligentias, et non niſi iis et corporibus ad id opus habet.

LXIX. Intelligentiae nonnunquam immutant ordinem purorum corporum.

LXX. Natura angelica eſt integre creata.

Digitized by Google

LXXI. Deus ad rectam gubernationem mundi non indiget aliis instrumentis, quam intelligentiis et corporibus.

LXXII. Deus in gubernatione mundi nihil immediate et specialiter agit.

Systema hoc est Thomae Angli plerisque ignotum, et, quod verisimile, propter obscuritatem neglectum, a Cartesiano quoque fine dubio suppressum, quo rerum omnium mundi, hominum, spirituum, DEI, magna subtilitate ordine geometrico prosequitur. Qui si a confarcinandis diuersis assertionibus abstinuisset, si a subreptionis vitio sibi caute magis prospexisset, si propositionum nexus et sequelas propius trutinasset, si noluisset ex syncretismo maxime Peripatetico nouam philosophiam dare, non inutilem eclecticae philosophiae operam nauauisset, et fortasse ab insuperabili obscuritate sua philosophumena liberaulsset. Quae tanta est, vt non audeamus lectori principia eius metaphysica exponere, quibus totam noctem scholasticam reuocault in orbem philosophicum. Contemnere itaque necesse fuit Cartesium talia, quae in tam multis a principiis suis philosophicis diffidebant. Et expectare quoque Thomas nihil aliud potuit, quam vt mysteria eius obliuioni mature traderentur, et ipse sectatorem non haberet. Quae tamen hoc loco paucis exposuisse, historia philosophiae eclecticae popposcit. De syncretismo autem eius supra ad volumen antecedens nonnihil monitum.

pag. 281. not. m. *Editus est in lucem inter Aginnenses (Agenoi).* Vitam Regisii enarrault etiam more suo NICERONIVS [1]; ex qua nonnulla, quae h. l. attulimus, possunt latius confirmari. Natus MDCXXXII. Ingenio praecox atque elegans mature et cum vix subsellia discipulorum egressus esset, et philosophiam secundum principia Rohaltii semestri vno didicisset, Tholosam ad ea tradenda conuersus est, id quod factum anno clolocLXV. quam cathedram quoque actu isto disputatorio a nobili femina quadam publice Instituto nobilitauisse, quod h. l. ex *N. L. Hamb.* narrauimus, confirmat Niceronius, qui interdictum quoque archiepiscopi regis nomine factum, ne philosophiam porro doceret, non reticuit, quod tamen reliquis quoque philosophiae doctoribus Parisiensibus dictum fuisse, ex allato Pellissonii loco constat, poscente ita Iesuitarum potentia et inuidia. Neque tamen inde existimatio Regisii depressa est, sed renouata MDCXCIX. academia scientiarum, locum ordinarium in ea capessere iussus est, quo tamen propter perpetuos languores et dolores perfungi non potuit. Quod vero corporis infirmitas et dolores excitauerant taedium lectione, conuersatione cum proceribus, beneficentia ducis de Rohan, in cuius domo priuatus degebat eiusque stipendio alebatur, leniuit: immo apud Harlaeum quoque archiepiscopum gratiosus fuit, et cum illo de philosophia noua multoties disseruit, eumque atque princi-

1) Tom. VII. p. 86 seqq. vers. Germ.

principem Condaeum admiratores incredibilis facilitatis et perſpicuitatis, qua in docendo vtebatur, habuit, non tamen ab ea procerum beneuolentia manum aere grauem domum retulit. Obiit die Ianuarii XI. anno clɔlɔccVII. relicto magnae doctrinae, imprimis philoſophicae inter Carteſianos nomine, quod meruiſſe ſyſtema eius philoſophicum loquitur, quod tamen decennii moram et impedimenta ſuperare debuit, vt lucem adſpiceret. Reliqua minora, *apologias contra Huetium*, *Dn. Hamelium*, *Mallebranchium* recenſent, ipſiusque eruditionem laudant *ephemerides Pariſienſes* [u], *hiſtoria academiae ſcientiarum* [v], Niceronius, bonique omnes. De compendio H. P. quod ſub eius nomine editioni Batauae opp. praefixum eſt, et editorem P. Coſte auctorem habet, ſupra* nonnihil monuimus [y]. Petrum autem Syluanum Regis caue confundas cum *Petro Regis* eius diſcipulo in phyſica Carteſiana, et medico inter Batauos haud incelebri, cuius res literarias enarrat *Bibliotheca Gallica* et ex ea NICERONIVS [z].

pag. 291. not. h. *THOMASIVS caut. circa praecognita iuris c. XIV. §. 31 ſeqq.* p. 343 ſeqq. edit. Germ. Iudicat vir ſummus in his regulis ſ. axiomatibus moralibus nihil eſſe, quod errores dogmaticorum vel ſceptlcorum corrigat, frigidam ea ſuffundere praeiudiciis, et Spinozae impietati ea praeludere, vel enthuſiaſmum Mallebranchianum incruſtare; habere doctrinam Carteſii de paſſionibus innumeras contradictiones fundamentaque lubrica: vnde MORI quoque *enchiridion ethicum*, illis ſuperſtructum reiicit. Qua in re pollicem prement Thomaſio, quotquot cogitant, paſſiones Carteſii ex neceſſitate phyſica et mechanica conſideratas, nec morali naturae hominis, nec libertati humanae, nec virtutis verae ſtudio facere ſatis, erroresque cumulare erroribus. Tacemus, ſectatores Carteſii in morali argumento, de quo pauca cogitauit magiſter, non inuenire, quod certo ſyſtemati morali conueniat, indeque ad proprias ſententias deductos eſſe, quibus tamen confirmandis Carteſianae aſſertiones, e. g. de intellectu, voluntate, libertate etc. inuicem refragantur.

pag. 334. not. k. col. 2. *Tum in ciuilibus, tum in naturalibus tradita clare contineri.* Conſulenda hoc loco pulcherrima illuſtris viri L. DVTENS tractatio [a], qua *origines inuentionum, quae recentioribus tribuuntur, explorantur, et inuictis rationibus atque teſtimoniis demonſtratur, nihil fere celeberrimarum inuentionum et detectionum, quibus hodie velut ſuis gloriatur orbis philoſophicus, eſſe, cuius non vel origines vel ſummam vel partem aliquam viderit orbis antiquus et detexerit, relicta ſequiori aetate augendi, perficiendi, ornandi gloria.* Quem

u) An. 1703. quod repetit Niceronius.
v) Eod. anno. x) p. 28.
y) Plerique pro ipſius Regiſii labore habent, vid. STRVVIVS et KAHLE bibl. philoſ. c. III.
z) Tom. VII. p. 101 ſeqq. Bibl. Françoiſe P. IX. p. 139.
a) Recherches ſur l'origine des decouvertes attribuées aux modernes, Par. 1766. 8. quem eruditum librum valde laudant nova liter. Lipſ. 1767. n. VIII. p. 57. Certe nemo hiſtoriae phil. ſtudioſus eo facile carere poteſt.

Digitized by Google

Quem librum infinitae eruditionis, lectionis ac diligentiae eos legere oportet, qui hiſtoriam naſcentium ſyſtematum philoſophicorum intelligere, et ſine praeiudicio vetera cum nouis comparare, et cuique ſuum tribuere cupiunt, certi, et argumenti ex omni hiſtoria philoſophiae cum iudicio ſelecti, atque rari, et obſeruationum dicendique elegantia raptos ad repetitam lectionem inuitatum iri. Is cum maximos noſtrorum ſeculorum heroës philoſophos Carteſium, Mallebranchium, Lockium, Leibnizium, Buffonium, Gaſſendum, Needhamum, Newtonum, Haruaeum ceterosque in theatrum deduxiſſet, luculentis teſtimoniis et adductis veterum locis demonſtrauit: Carteſium methodi ſuae regulas accepiſſe ab Ariſtotele; principium philoſophandi: ego cogito, ergo ſum ab Auguſtino; ideas innatas a Platone; qualitates ſenſibiles earumque naturam a Democrito: ſenſuum certam fidem ab Epicuro, ſyſtema colorum a Stagirita, temporis et ſpatii notiones et extenſionis ideam a Platone, ſententiam de tonitrubus ab Ariſtotele et Anaxagora, de terrarum motu ab Ariſtotele et Seneca, de acceſſu et receſſu ſiue fluxu maris a Pythea et Seleuco, etc. [b] Quae omnia tanto magis in Carteſii hiſtoria merentur attendi, quanto diligentius ſuae tantum meditationi et inuentioni ſua philoſophumena attribuebat. Quem an excuſet allata in *methodo* [c] ratio, qua monet: *nec me etiam primum vllarum inuentorem eſſe iacto, ſed tantum me nunquam illas pro meis adoptaſſe, vel quod ab aliis prius receptae fuiſſent, vel quod non fuiſſent, verum vnicam hanc ob cauſſam, quod ea ratio mihi perſuaſiſſet:* lectori examinandum relinquimus, recogitanti: *plenum eſſe honeſti pudoris fateri per quos profeceris:* Quamuis non negemus in hac comparatione recentiorum cum antiquis, attentionem requiri, ne plus videamus apud veteres, quam reuera fuit, decipiamurque ſimilitudine ſententiarum, quae ſuo tamen ſenſu et ſyſtemate proprio longius inter ſe diſtant. Fruſtra hoc pacto Carteſio attribui nonnulla dogmata Ariſtotelis, obſeruauit et LEIBNIZIVM monuit IACOBVS THOMASIVS [d], cuius tota epiſtola ea de re meretur legi: plena enim eſt notitia veteris philoſophiae.

b) P. I. p. 13. 16. 20. 23. 48. 55. 66. 189. P. II. p. 203. 208. etc.
c) P. I. Opp. p. 46.
d) Epiſt. LEIBNIZ. a Kortholto editarum Vol. III. n. 5. p. 31 ſeqq.

AD CAPVT OCTAVVM.

DE GODOFREDO GVILELMO LEIBNIZIO.

pag. 335. lin. 14. a fin.

Suo iam merito eſt enarrandus. Deduxit nos acceſſionum noſtrarum ordo ad illud ornamentum orbis philoſophici et imprimis Germanici, quod merito noſtris temporibus gratulantur, quotquot literis pretium

norunt ponere. Qui vir ſummus cum anteceſſorum, quos hactenus recenſuimus, lumina ingenii praeſtinxiſſe merito viſus ſit, diligentem, quantum noſtrarum virium erat, eius vitae meritorumque hiſtoriam enarrauimus in hoc capite; et quis atque quantus fuerit, quibus radiis velut aetherius ſol effulſerit, quas maculas habuiſſe viſus ſit, quibus meritis orbem literatum et imprimis philoſophicum illuſtrauerit, diligenter expoſuimus, vt paucas iam habeamus acceſſiones, quibus amplificari poſſet hiſtoria, poſt eius fata demum enata, ex quo illuſtris philoſophus Chriſtianus Wolfius, haud pauca Leibniziana in ſyſtema ſuum recepit, quae in acerrima praelia deducta longam contentionum ſeriem explicuerunt. Et ea quidem modo, quo hactenus vſi ſumus, in his ſupplementis hiſtoriae Leibnizianae annectere erat animus, licet in noſtra Germania ſatis nota, et a viris doctis, maximeque celeberrimo HOLLMANNO *) et cl. FROBESIO *) pleraque iam indicata. Aſt iam mutandi conſilii, hocque caput vacuum dimittendi rationem nobis ſuppeditauit laudatiſſimum inſtitutum illuſtris doctrina et humanitate viri LVDOVICI DVTENS, de cuius conſilio et incomparabili diligentia de memoria maximi philoſophi bene merendi, ſupplementi loco nonnulla adiiciemus. Is cum omnem veterem et nouam philoſophiam ineffabili mentis acie et lectionis copia animo eſſet complexus, noſſet autem ingenii Leibniziani magnitudinem, cuius illuſtres labores nocturna diurnaque induſtria peruoluerat, doleret autem ſcripta Leibnizii philoſophica, mathematica, literaria maximam partem, praeter Theodicaeam exiguis libellis vel etiam ephemeridibus literariis comprehendi, indeque difficillimum eſſe, ea ſibi omnia acquirere, poſt celebres viros Eckardum, Baringium, Ludouicum, Bourgetum, laudatiſſimum conſilium iniit opera omnia τῦ παίυ Leibnizii vna collectione comprehendere. Quod cum nemo non vehementer laudaret, et quicunque Leibniziana opuſcula poſſidebat, eorum vſum in hunc finem promte offerret, incredibili ſtudio poſt deuoratas innumeras moleſtias et labores eo deduxit, vt talem collectionem inſtituere poſſet, poſtquam ſingulari commentatione, quam *proſpectum editionis plenae operum Leibnizii* inſcripſit, publice vulgauerat, quibus auxiliis, quo conſilio, ordine et plenitudine rem arduam eſſet ingreſſus, virosque doctos ad iuuandos conatus ſuos inuitauerat. Quam commentationem, cum et nobis transmiſiſſet, quos in colligendis memoriis Leibnizianis aliquam operam poſuiſſe ex H. C. P. nouerat, transmiſſis, quaecunque occurrebant, Leibnizianis ſcriptionibus lapidem hunc nos quoque ſuo modo voluere coepimus; quod, quomodo a nobis factum ſit, malumus Lectorem ex ipſa hac commentatione, quam noſtra enarratione diſcere. Ita praeparatis omnibus ad editionem, officinae librariae bibliopolarum celebrium apud Geneuenſes, fratrum de Tournes collectionem tradidit; quod,

*) In annotationibus vberioribus introd. in philoſophiam.
*) In annot. ad delineat. philoſ. Wolfianae.

Digitized by G

quod, si coelum fauerit, eximium donum hoc anno expectat literata ciuitas. Vt autem omnem suam industriam compleret et commodam orbi erudito faceret, rogauit nos, vt permitteremus, historiam nostram Leibnizii eiusque philosophiae ex nostro opere historico-critico tomo I. introductionis loco praefigere, quoniam reliquis, quae passim editae sunt, accuratione et iudicio praestare crederet. In quo etsi videbamus, plus ei de nobis promisisse amicitiam atque beneuolentiam eius, qua fruimur, quam nostra paupertas suppeditabat, facile tamen plenam viro incomparabili potestatem fecimus, non tantum praemittendi nostra isti amplissimae collectioni, sed supplementa quoque, quae his nostris accessionibus destinabantur, cum eo communicauimus, et, vt illa ex diuite penu sua augeret, rogauimus. Habebis igitur Lector, ad quos fontes recurras, additiones huius capitis consulturus, quas hoc loco in spissius, quam credebamus, volumen enascente tractatione repetere noluimus, rati Leibnizianae sapientiae cultores hos ipsos fontes diligenter esse gustaturos. Ipse, quem huic prospectui adiunxit, operum Leibnizii catalogus posteritatem admirabundam docebit, quam inexhausta vis ingenii, quod acumen iudicandi, quae lectionis per omnem literaturam dispersae vastitas, qua inexpugnabilis industria laborisque patientia huic philosopho adfuerit, quamque iustis titulis meruerit primum seculi nostri ornamentum iudicari. Ceterum comparari quoque merentur, quae biographiae Leibnizii a NICERONIO exhibitae adiecit interpres Germanicus [e].

e) Tom. II. pag. 281 seqq.

AD CAPVT NONVM.

DE CHRISTIANO THOMASIO.

pag. 447. lin. 7. a fin.

Vnus praestat doctissimus Leporinus. Sed et hic biographus Thomasii lima opus habet. Desideramus enim ordinem et nitorem scribendi, animumque magis ad enarrationem rerum tanti viri, quam ad cumulanda elogia attentum [a]. In quo tamen suo modo venia dignus. Viuebat enim tunc adhuc Thomasius, cum illa biographia ederetur et censurae impatiens haud raro depexos dabat, quos famam suam arrodere suspicabatur, et satyram saepe illis opponebat: quo pacto effecit, vti qui talia bella recusabant, ab eo notando vel de rebus ad eum pertinentibus scribendo cessarent, innumeri autem discipuli et scitatores laudis thura adolerent innumera et immodica.

a) Ea adeo prodigaliter disseminabat, vt ex professore iuris Regisque consiliario academico magnum Regis Ministrum status effingeret. Alia ὑπόνοια vid. p. 151. 152. etc.

pag. 448. lin. 14. *Hodie adhuc literas praeclare apud Noricos ornat.* Eripuit tandem fatum praeclariſſimum patriae noſtrae ſidus, non medicae tantum, ſed et philologicae literaturae laude inclytum, relicta filia vnica, et bibliotheca ſplendida.

Ibid. lin. 15. *Tanto parente cum gauderet noſter.* Iucundum eſſet characterem patris Iacobi cum charactere Chriſtiani comparare, qui vtrinque miris modis diſſidebant, parens enim lectione, exercitatione, literatura, hiſtoriae philoſophiae illi multum praeſtabat: carebat autem eo animi magni robore eaque audacia, qua inſtructus filius, ad reformandam philoſophiam et iurisprudentiam acceſſit, et innumeris impedimentis aes circa pectus triplex et inuictum oppoſuit, ſed moderato affectu Ariſtotelem ſequebatur, vt ſuo loco dictum. Fatendum autem, magnam debere orbem literarium illuſtri filio gratiam, quod ex ſchedis parentis, quas magno numero poſſidebat, quarumque indicem vulgauit [b], praeclaras obſeruationes poſthumas ſparſim edidit, quibus hiſtoria philoſophica, in qua ille regnabat, innumeris modis aucta et adiuta eſt, quodque ipſe ex his patriis ſcaturiginibus arua ſua irrigauit, et in humeros eius aſcendendo longius multo, quam ille, inſigni cum emolumento ſcientiarum vidit. Quemadmodum parenti quoque debebat, quod ad iuris naturalis ſtudium duce Grotio pertractus, et prima naturalis iuris prudentiae ſtamina ducendi occaſionem nactus eſt. Ipſe illud gratus fatetur [c], *cepiſſe ſe doctrinae dignitatem et elegantiam vt prae reliquis ei percipiendae et in ſuccum et ſanguinem redigendae ſerio incumberet.*

pag. 449. lin. 6. *Aedificium feliciter ſuperſtructum eſt.* Dublum hoc non erit eam philoſophicae hiſtoriae σκιαγραφίαν legentibus, quam vir ſummus *parti primae cautelarum circa praecognita iuris* [d] inſeruit. Quae vt patria lumina ſatis produnt, ita ſunt nonnulla, quae eius ſententiam αὐτολεξεὶ exprimunt. Certum autem et ab omnibus, qui hoc hiſtoriae genus intelligunt, concedendum, in breui hac ſylloge tot tamque praeclaras obſeruationes inuenitri, quot in magnis aliorum libris vix reperiuntur, vnde caput iſtud hiſtoriae philoſophicae ſtudioſis vehementer commendandum eſt. Comparanti autem hiſtoriae philoſophicae a Ger. Io. Vossio editae continuationem, quae Io. A Ryssel [e] nomen praefixum habet, quaeque ex Thomaſii parentis ſchedis hauſta dicitur, haec noſtra obſeruatio valde confirmabat, ex iſto horto hos quoque riuulos fluxiſſe, ſpecimenque eſſe iudicii magni, quo gaudebat ſchola Iacobi Thomaſii, quod in altero quoque eius diſcipulo, illuſtri Leibnizio ſupra obſeruauimus. Exemplum ſi vis lector, lege, quae de philoſophia Cabbaliſtica inter Iudaeos a Paulo reprobata et expurgata ibi dicuntur, quaeque recte ſe habere, ſuo loco Inuictis rationibus corroborauimus.

Ibid.

b) Ad calc. orig. hiſtoriae philoſophicae et eccleſ. p. 150 ſqq. ex quo πολυτροπίαν Iac. Thomaſii diſcere licet. Prod. 1699. Hal. Magd. 8.

c) Diſſ. prooem. ad Iurispr. diu. §. 5. p. 3.

d) c. VI. p. 102 ſqq.

e) Weberus, Gentzkius, alii conf. Stolle P. III. c. III. §. 15. p. 640. bibl. imperant. c. I. poſ. 6. p. 49.

Digitized by Google

Ibid. lin. 21. *Simul ſcholaſticorum philoſophiam moralem hinc inde panderit.* Magno id commodo reſtituendae iurisprudentiae naturalis ſinceroris factum eſt, ita enim ex ſcoriis ſcholaſticis aurum iam colligere coeperant Grotius et Pufendorfius, quorum ille meliora elegit, hic deteriora emendault, Noſter vtriusque labores ſuae induſtriae addidit.

pag. 451. lin. 4. a fin. *Poſteriores haud raro ſubſtitueret.* Narrat id ipſe: *ſenſi, mihi contigiſſe, quod regulariter accidere ſolet, qui res plures ſumma confuſione turbatas in aliquem ordinem redigunt, vt nempe ſaepius priorem ordinem corrigere, et emendare habeant opus. Etenim pedetentim nouos errores inueni emendandos et adhuc nouos ſubinde detego, quoniam aliter non finit humana imbecillitas.* Inde enata nonnullis diſtinctio eſt inter Thomaſium prioriſticum et poſterioriſticum, quae in exquirendis viri celeberrimi placitis negligenda haud eſt. Exemplum eſſe poteſt lex diuina vniuerſalis operoſe adeo aſſerta et poſtea deſerta.

pag. 461. not. t. *praeter alios nominat.* Omnium Induſtriam In enarranda hac famoſiſſima de Pietiſmo controuerſia ſuperauit et diligenter atque perſpicue momenta cauſſae expoſuit venerandus ſenex D. I. GEORGIVS WALCHIVS [f], qui, quantum ſatis, de hac cauſſa lectores inſtruit. Speciali titulo huc pertinet *protocollum Lipſienſe in cauſſa Pietiſtica.*

pag. 469. lin. 7. *Auctorem tentaminis logici.* Fatetur Thomaſius [g], non legiſſe modo ſe libellum praeſtantem et acutum, et obſeruationes bonas vtilesque inueniſſe, ab aliis non annotatas; laudat etiam breuitatem praeceptorum et diſtinctionem veri a veroſimili, reprehendit autem, eam magis algebram tradere, quam doctrinam inueniendi verum [h]: ſed fallitur ignorantia algebrae, quam contemnebat, perſuaſus: quanquam enim ad naturalem philoſophiam plerasque regulas ſuas auctor tranſtulit, et exemplis eas ex geometria et arithmetica illuſtrauit, vt aliquam certitudinis mathematicae vſusque harum regularum notitiam ſuppeditaret, vt ipſe in praefatione monuit: ipſas tamen regulas veri et verilimilis ita perſpicue et rotunde tradidit, vt dignus viſus ſit Mariottus, quem inter praecipuos rationalis philoſophiae reformatores retulerint TSCHIRNHAVSENIVS [i], HOLLMANNVS [k] VV. CC. aliique, ipſe quoque ampliſſime de veriſimili tractando, quod proprie algebrae et geometriae obiectum non eſt, oſtenderit, ſe inſtruendae inductionis et experientiae cauſſa, quibus praecipue fulcris tot ſcientiae nituntur, iſtas regulas conſcripſiſſe. Ipſa quoque Thomaſii logica vidit, plus ſemel ex his ſcaturiginibus ſua eum arua irrigaſſe: quod laudabile quidem eſt, aſt in algebrae et geometriae detrimentum non erat traducendum. Ceterum ideo quoque memora-

f) In vtiliſſima bonaeque frugis plena Introd. in controuerſias eccleſiae euang. Vol. I. c. V. P. I. p. 532 ſq. Vol. II. P. I. pag. 1 ſqq.
g) Caut. c. X. §. 12. p. 130. ed. Lat.
h) praef. in intr. in log. p. 69.
i) Praef. in medicinam mentis.
k) Logic. pap. prooem. §. 17. p. 76. Repetitus libellus inter Opera Mariotti abbatis, Lugd. Bat. 1717. 4.

bilis labor logicus Thomaſii eſt, quia primus liber eſt, qui de rationali philoſophia eclectica methodo tradenda vernacula conſcriptus et tum demum in Latinum ſermonem conuerſus eſt.

Ibid. lin. 23. *Hinc abiecto virtutum Ariſtotelicarum catalogo.* Eum iam anno MDCLXXXVII. peculiari programmate confoderat. Inſertum eſt illud *ſyllogae opuſculorum minorum.* Notauit etiam naeuos omnium fere ſyſtematum ethicorum, quae a Graecis ad nos peruenerunt, et iucundas vtilesque de iis obſeruationes reliquit in *cautelis circa ſtudium ethicum*[l], quibus quandam introductionem in hiſtoriam doctrinae de virtute et moribus exhibuit, omnino lectioni ethicorum eius praemittendam, aſt examinandam quoque, cum interdum in philoſophiae moralis veteris hiſtoria ceſpitauerit, cuius interiora adyta, licet patris exemplum ſecutus, non penetrauit, vnde non omnibus eius iudiciis ſubſcribere H. P. peritus poteſt. Exemplum capiat lector de Gaſſendo [m], vbi ſatis prodidit, Gaſſendianos labores de philoſophia morali Epicuri eum tantum obiter conſideraſſe. Vſus autem in hoc capite eſt potiſſimum luminibus Barbayracii.

pag. 473. lin. 11. a fin. *Quorum induſtria experientiam phyſicam didicerat.* Legendae et conſiderandae cautelae circa ſtudium phyſicum, in quibus Thomaſium deſiderari in Thomaſio, lector manibus palpabit, adeo peccat in prima ſapientiae naturalis principia, ſuamque in illis infantiam prodit, dum interim nugas Moſaicorum et Theoſophicorum velut vtiliſſima et veriſſima principia inculcat, monſtratque verum eſſe illud: non omnia poſſumus omnes.

pag. 475. lin. 20. *De natura legis inſeruiſſe Tomo VI. obſ. Hal.* Extat obſ. XXVII. [n]. Quae cum totum compendium mutatorum fundamentorum et principiorum I. N. Thomaſii contineat, ſine quo intelligi ius eius naturae et gentium non poteſt, iſta autem collectio obſeruationum rareſcere coeperit, nec vbique inueniatur, extrahemus potiores aſſertiones commodo lectoris conſulturi, quidque poſterioribus cogitationibus emendandum cenſuerit atque mutandum, expoſituri. Ita vero illuſtris Iureconſultus:

I. Fons omnis erroris in Iurispr. nat. exinde oriri videtur, 1. quod legis definitio generalis quaeſita fuerit aeque aptanda legi diuinae, quam humanae tanquam ſpeciebus vniuocis, cum lex tamen diuina ſit aequiuoca, certe analoga, et non proprie dicta; lex enim proprie dicta fertur et hominibus et ab hominibus. 2. Quod legis vox nimis ſtricte fuerit obſeruata in conceptu dominico, quatenus monitis paternis opponitur. 3. Quod conſilii obligatio interna plane fuerit relicta, quae tamen eſt nobiliſſima obligationis ſpecies.

II. Lex humana varia denotat, conſilia, monita, dogmata, mandata, praecepta, pacta, quae variis inter ſe modis differunt.

III.

l) c. 13. p. 216 ſqq. m) §. 89. p. 273 ed. Lat. p. 343. ed. vern. n) p. 257 ſqq.

Digitized by Google

III. Consilia, monita, mandata, praecepta, pacta magis seu immediate respiciunt voluntatem eiusque actiones, dogmata immediate intellectum, sed non obligant, quia omnis obligatio est affectio voluntatis, sed persuadent vel non persuadent, et si persuaserint, obligant. Monita obligant, sed magis intendunt persuadere, monita et praecepta obligant, item pacta, etiamsi non persuaserint.

IV. Persuasio est affectio intellectus, qua intellectus credit aliquid, siue bonum siue aliud respiciat; quo intellecto putet se habere scientiam firmam vel verisimilitudinem.

V. Obligatio est affectio voluntatis, vi cuius voluntas hominis alio inclinans retrotrahitur ob metum mali.

VI. Voluntas hominis inclinatur regulariter natura sua ad res quasdam, non quas ipsi intellectus bonas esse persuasit, sed quas, ob inclinationem sibi bonas. Inclinatur autem vel directe ex concupiscentia et amore, et tum intellectus concipit rem, tanquam bonum per se; vel comparatiue ex fuga et odio mali, et tum sibi rem concipit tanquam bonum per accidens.

VII. Natura voluntatis humanae non est eadem, sed infinitis modis diuersa, singuli homines possident triplicem voluntatem prauam, et vnam bonam, sed natura imbecillimam, hinc infinita et contradictoria appetunt homines.

VIII. Voluntas omnium hominum natura inclinatur ad verum malum, id autem infinitum est, bonum vnicum.

IX. Iinclinatio directa ad verum bonum in statu naturae corruptae non datur, sed omnis est comparatiua, et si esset, non esset obligatio, sed libertas et spontaneitas.

X. Vis est, quando mala proueniunt ab eo, qui non habet potestatem inferendi, e. g. a latrone, contra obligatio est in reliquis metus speciebus.

XI. Obligatio est vel interna vel externa. Interna est, cum homo, cuius voluntas alio inclinat, metuit grauius malum ex naturali connexione oriundum. Obligatio externa est, cum homo, cuius voluntas alio inclinatur, metuit graulus malum a libero arbitrio eius dependens, qui potestatem habet, talia inferendi.

XII. Dogmata directe non obligant, sed, si sunt de moribus simul habent naturam consiliorum. Consilia et monita intuitu auctoris intendunt magis obligationem internam, quam externam: at mandata et praecepta, regum et dominorum, item pacta magis obligationem externam, quam internam.

XIII. Consilia respiciunt praecipue vtilitatem eius, cui dantur, mandata et praecepta dominorum vtilitatem dantis, pactum vtilitatis vtriusque, vel vnius, dantis vel accipientis, vt donatio, commodatum, mutuum.

XIV.

XIV. Leges politicae in Democratia obligant per modum ſponſionis mutuae ad communem vtilitatem, in ariſtocratia et monarchia non abſoluta, etiam ad communem vtilitatem; in dominatu et imperio deſpotico primario reſpiciunt vtilitatem legislatoris.

XV. Lex ſtricte dicta, ſeu praeceptum reipublicae, eſt regula actuum moralium, obligans ſubditos, vt metu nullitatis vel coactionis iudicialis vel poenae actiones ſuas ſecundum eam inſtituant, ad vtilitatem communem vel regis in monarchia abſoluta.

XVI. Pactum eſt regula actionis moralis, qua contrahentes vel pares conſiderati obligantur ſub metu coactionis iudicialis, vel belli, vt promiſſa adimpleant.

XVII. Sunt autem diuerſi obligationis externae gradus et effectus legum politicarum diuerſi: metus nullitatis infimus eſt, metus damni grauior, metus poenae adhuc grauior.

XVIII. Lex igitur humana ſtricta et conſilio, dogmati et pacto oppoſita, differt ab his, qui obligationem tantum internam operantur, quod producat obligationem externam.

XIX. Lex, qua pacto opponitur, ſemper eſt actus ſuperioris ius puniendi, iudicialiter cogendi, et annullandi habentis.

XX. Legis virtus non eſt permittere: permiſſio enim non eſt legis actio, ſed actionis negatio.

XXI. Voluntas Dei, quam manifeſtauit hominibus, debet eſſe norma actionum humanarum.

XXII. Ea voluntas Dei vel eſt rationi hominum inſcripta, vel a Deo publicata per ſcripturam. Illa lex naturalis dicitur, haec poſitiua.

XXIII. Deus intuitu hominum proprie nec conſiliarius, nec pater, nec doctor, nec rex eſt, ſed haec omnia praedicantur per ſimilitudinem.

XXIV. Pacti vox de voluntate Dei non, niſi valde improprie praedicatur: homines enim non ſunt Deo pares et ante pactum illi iam obligati, et promiſſio Dei ſemper ab eo ſeruatur, et homo ex pacto nullum ius acquirit in promiſſione.

XXV. Deus ſe in creatione manifeſtauit non tam vt regem, quam vt patrem benigniſſimum, vſque ad Moſen; per quem ſe populo Iſraëlitico manifeſtauit vt regem et Dominum. Chriſtus autem iterum ſe manifeſtauit vt patrem, et gentibus omnibus vt ſponſum. Et hinc doctrina de foederibus diuinis explicanda.

XXVI. Leges Adamo datae ſunt vel naturales vel poſitiuae: illae Adamo non ſunt publicatae, ſed cordi inſcriptae, adeoque nullam aliam niſi obligationem internam producunt, grauiſſimam tamen, ob metum mali neceſſarii ineuitabilis, amiſſionis pacis internae et externae. Sola itaque reſtat lex poſitiua: de non comedendo fructu arboris ſcientiae boni et mali.

XXVII. Aſt illa lex reapſe eſt mere naturalis, qua vetabat Deus eſum ex arbore vetita, ſerpenti ad cibum deſtinata, qua Deus praeuidebat, ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritum Adami terreſtrem irritatum maxime iri per hunc fructum. Hanc autem rationem aeque intelligebat Adamus, quam legem de non occidendo. Erat itaque iſta lex conſilium monitumque paternum, de cauendo malo naturaliter et neceſſario euenturo: non autem poena proprie dicta, quae nullam neceſſariam connexionem habet cum actione turpi, et tantum metum ſeruilem legislatoris irati, non autem filialem metum patris, vtilitatem filii quaerentis eſt.

XXVIII. Publicauit tamen Deus leges Moſaicas, quae verarum legum politicarum et dominicarum inſtar habentur: quibus tamen non intendebat metum ſeruilem introducere, ſed populum pertinacem reprimere et in viam reducere.

XXIX. Inde ſequitur, legem diuinam poſitiuam nonniſi particularem eſſe, nec dari talem legem poſitiuam vniuerſalem. Multus hic eſt et operoſus auctor vt poenales ſtatus primaeui et patriarchalis ſanctiones a Moſe narratas ad paternorum conſiliorum faciem reformet, qua veritate, qua pietate, qua logicae ratiocinationis certitudine, qua ſyſtematis claritate? noſtrum hoc loco non eſt diſpicere, qui eius tantum placita enarramus.

XXX. Lex naturalis ſumitur dupliciter; generaliter pro omnibus regulis morallum actionum ex dictamine rectae rationis proficiſcentium, ſeu pro omnibus dogmatibus moralibus, ſiue reſpiciant bonum internum ſiue externum: deinde ſpecialiter quatenus lex naturalis denotat ſaltem principia moralia, quae reſpiciunt bonum externum et regulas iuſti, etc. et hoc modo lex naturae opponitur regulis honeſti et decori; ſeu principiis ſtricte ſic dictis ethicis et politicis.

XXXI. Cum leges diuinae antemoſaicae nihil aliud ſint, quam principia et praecepta iuſti, honeſti et decori, quae communi ſtilo legibus opponuntur; patet, legem ſtricte et propriiſſime dictam eſſe voluntatem eius, qui ſummam poteſtatem habet in republica pateſactam ſubditis, vt ſub metu poenarum et coactionis vel nullitatis actiones ſecundum eam inſtituant.

XXXII. Ex hoc porro ſequitur, omnem legem proprie dictam eſſe ciuilem et poſitiuam; nec ius gentium proprie dictum erit legis ſpecies: nec iuſſa patrum, quae momentanea ſunt, nec praeſcribi ſolent tanquam communes normae.

XXXIII. Lex debet eſſe publicata; publicatio autem fit vel viua voce, vel per ſcripturam; illa cum conſuetudinis iure non eſt confundenda.

XXXIV. Conſuetudo producit ius efficaciae et impunitatis, non tamen ius obligationis ſeu legale.

XXXV. Poenae diuinae antemoſaicae non ſunt ordinariae, ſed extraordinariae, quae non ad regulam pertinent, ſed ad eius exceptionem, et ſunt extra diſciplinae vel doctrinae circulum.

Ex his autem positionibus, ipsius magni viri verbis descriptis intelligi possunt, quae hac periodo XVI. strictim indicauimus, iudicandumque, an recte pronuntiauerit cel. HOLLMANNVS [o], definitiones et distinctiones Thomasianas obligationis externae et internae, in qua totus fere rei cardo vertitur, difficultates hic occurrentes non facile tollere. De quo in iurisprudentiae naturalis explicatione prolixius agendum, cui multum lucis affundit laudati philosophi tractatio: quam tamen latius tangere limites nostri non patiuntur.

pag. 477. not. n. *Prodiere Germanice.* Et anno quoque MDCCX. Latine forma quarta, quarum praefatio legenda et cum *praefatione ad versionem Germanicam operis Grotiani de I. B. et P.* comparanda. Commendat ipse has cautelas ad cognoscendum, quibus fundamentis nitatur doctrina sua, et quam necessaria et vtilis sit emendatio, non violenta, sed amica et spontanea plurimarum doctrinarum Iurisprudentiae et aliarum facultatum, hactenus communiter in academiis etiam protestantium receptarum. Quae quidem auditoribus magna cura inculcauit [p], et recepta quoque sunt ab iis auidissime; at refrixere tamen post mortem eius, vt fieri solet, maiorique examinis libertate leguntur, quam viuo illustri ICto acerrimo sententiarum suarum custode et vindice, plerique audebant, nempe postquam defuit auditorium eius in sectam abire, et Thomasianorum nomen, inuito licet illo enatum cessauit [q]. Haec enim sectarum fata plerumque sunt. Ad obiectiones autem contra mathesin in his cautelis adductas erudite respondit *ὁ πάνυ* IO. FR. WEIDLERVS, qui omnino legendus [r].

pag. 494. lin. 20. *Laude debita Tschirnhausenianas meditationes non prinauit.* Nam *praefatus in praxin logicam,* non tantum summam artium mathematicarum peritiam auctoris decentibus titulis extulit, sed fastus quoque est, eius medicinam mentis primum sibi auctorem fuisse, de re ipsa accuratius et penitius cogitandi, ipsumque intellectum suum emendandi, ast omissa quoque illius exemplo arte syllogistica, cum de nonnullis in ephemeridibus dubitasset, indeque acerba lis orta esset, attamen ad Tschirnhausenianam logicam se attendisse vidisseque, quod vulgarem errorum semitam reliquerit, occasionem autem inde nactum etiam ex iis, quae perperam dicta sibi videbantur, veritatem detegendi, quam sine illa nunquam inuenisset. Quae cum post acerbas horum philosophorum litigationes scripta sint, exemplum esse possunt, Thomasio moderationis vsum non defuisse, modo circumstantiae et voluntas eius arriserint. Quod qua methodo eclectica facere sibi constituerit, ex hac praefatione bonae frugis plena disci potest. Prouide autem in cautelis [s] monuit,

o) Iurisprud. nat. P. I. c. I. §. 6. p. 53.

p) Vid. Caut. c. VI. §. 95 sqq. p. 91 sq. ed. Lat.

q) Specimen iudicii liberi et acuti de Thomasiana philosophia meretur legi in cl. FORMEY hist. compendiaria philos. p. 291. 292.

r) Miscell. Lipsi. T. I. obs. XVII. p. 186 sqq.

s) P. I. c. X. §. 15. p. 131.

Digitized by Google

monuit, cauendam ſtudioſo ſapientiae, confuſionem hypotheſium ſuarum cum hypotheſibus doctorum aliorum: qua cautela nouas quasdam logicas Halae tunc prodeuntes ferire voluiſſe, ex adiectae notae indicio colligi poteſt. Talis erat recentior quaedam *medicina mentis*, de qua inter differendum ad auditores iudicabat. Quae cum B. IOACHIMVM LANGIVM parentem haberet, cauſſam arcanam facile coniicient, qui iſtius aetatis *ἀνέκδοτα* norunt, ſine quibus multa in hiſtoria Thomaſiana obſcura ſunt.

pag. 499. lin. 17. *Eſtque a ſe ipſo.* Haud obſcuris indiciis hoc loco prodidit Thomaſius, quam caro pretio ipſi conſtiterit, omnem metaphyſicae vſum reieciſſe, cum aequiuoco ſenſu canonis huius metaphyſici deceptus veriſſimum principium, ex nihilo nihil fit, abſolutum et negatiuum cum poſitiuo confudit, crude ſatis affirmando cum prima omnium cauſſa, *a qua* omnes res mutabiles et mobiles ortum accipiunt, ab alia cauſſa non oriatur, primam illam rerum cauſſam, propter abſurditatem proceſſus cauſſarum infinitarum, *ortum ſuum accepiſſe a ſe ipſo*, quo pacto infinitam aſeitatis Scholaſticae notionem, in cauſſarum efficientium ſeriem intrudendo, quadrata rotundis miſcuit: rectius affirmaturus, veriſſimum eſſe, ex nihilo nihil fieri, indeque neceſſario concludi debere, Deum exiſtentiae ſuae initium nullum habuiſſe, ſed aſeitatis eius fontem et rationem inde petendam eſſe, quod rationem exiſtentiae ſuae in nemine extra ſe poſito, ſed poſitiue atque actiue in ſe ſolo contineat, et neceſſario eius exiſtentiae initium nullum habere potuerit, factum autem rerum exiſtentium rationem, cum ex nihilo rerum omnium originem produxiſſet. De qua ambiguitate vitanda nonnulla acute monuit cel. HOLLMANNVS [r]. Nec aliter quoque intelligendus eſſe videtur Thomaſius, ſed metaphyſicarum diſtinctionum et abſtractionum nauſea et odio incommode loqui, quam cum metaphyſicis ſapere maluit, quorum tamen argumentis atque rationibus vtebatur ad exiſtentiam Dei aeternam et neceſſariam demonſtrandam.

pag. 519. lin. 5. a fin. *Quam mire illi argumentum arriſerit.* Exempla qui cupit, innumera in commentario Thomaſii in LANCELLOTI *ius canonicum*, et in *Parte ſecunda cautelarum* inueniet.

pag. 520. lin. 9. *Riuulos fonte puriores eſſe non poſſe.* Propius haec ad annales eccleſiaſticos, et enarrationem controuerſiarum in academiis et eccleſiis proteſtantium pertinent, et propterea hoc loco omittenda ſunt. Hauriet tamen lector, quantum ſatis, de his litibus, ſi apud nos quaedam fruſtra quaerat, huc pertinentia ex ven. theologi Io. GEORGII WALCHII

r) Es rühre die erſte Urſache von ſich ſelbſt, vnd ſeye von ihr ſelbſt *entſtanden*. c. III. §. 7. p. 122. Oriri autem et eſſe a ſe ipſo implicat. Confudit autem philoſophus cauſſam primam a qua cum cauſſa ex qua: quo ſenſu canonem intelligebant Graeci philoſophi. Subtiliſſime hoc argumentum excuſſit P. POIRETVS cogit. ration. L. III. c. 4. p. 268 ſeqq.

s) Theol. natur. §. 106 ſqq. p. 199 ſqq.

enarrationibus controuerſiarum religionis intra eccleſiam euangelicam x), qui Thomaſianas opiniones et lites de iure principum circa adiaphora, de crimine magiae, de concubinatu, de Arnoldi opere haereſiologico, de haereſeos crimine, de iure principis circa controuerſias theologorum, de maieſtate principis eiusque origine a Deo, de eſſentia ſpiritus, de clauue ligante etc. expoſuit. Multa quoque tetigit LEPORINI diligentia, quae in partem conſilii vocanda, hiſtoriam autem criticam integram tanti viri et reformatoris ſcientiarum adhuc deſideramus. Specialia argumenta quaedam, quae ad philoſophiam pertinent, tractauit vir diligentiſſimus, tum ſparſim in *Obſeruationum literariarum Halenſium* y) collectione, tum in ſyntagmate diſputationum de *quaeſtionibus promiſcuis hiſtorico-philoſophico-iuridicis*, quae hoc loco non moramur. Ad iudicium autem, quod de his litibus et charactere Thomaſii pronuntiauit MOSHEMIVS, reſpexiſſe lectorem, quod ſperamus, non poenitebit z).

x) P. III. p. 578 ſeqq coll. P. V. p. 1088 ſeqq. qui ſatis de his controuerſiis copioſus eſt, vt aliorum relationibus lector ſuperſedere queat. Recitat is quoque controuerſias Lipſienſes et imprimis c. V. §. 5 ſqq. P. III. magna induſtria Thomaſianarum controuerſiarum ſummam exponit, ad quem lubentes h. l. vbi alia agenda ſunt, lectorem dimittimus, cum multa in compendio exhibeat, quae inſtitutum noſtrum poſtulat praetermittere.

y) loc. cit. p. 286 ſeqq.

z) Meth. ſtud. theol. §. 4. p. 48.

AD CAPVT DECIMVM.

DE ALIIS ECLECTICIS QVI RECENTISSIMA AETATE IN GERMANIA PRODIERVNT.

pag. 522. lin. 12.

Aliis ex inſtituto enarrandam relinquimus. Suſceperunt eum laborem paſſim viri docti, ita tamen, vt priſtinum votum noſtrum adhuc nobis ſua ratione conſtet. Qui enim tam celebris polyhiſtoris hiſtoriam literariam enarrarunt, aut breuiter nimis et ſtrictim pro inſtituto res eius tetigerunt, et ſe inuicem in multis, vt fieri in hoc argumento vix aliter poteſt, exſcripſerunt, vel aliena et minus accurata miſcendo ſpem lectoris deceperunt, certe parum attulerunt, quo hiſtoria philoſophorum noſtri temporis, inter quos eximium decus eminuit Gundlingius, iuuari queat, cuius exemplum biographiam Gundlingianam Hempelii adduximus. Dolemus autem, eiusmodi memorias literarias, non modo perſonam ac fata viri clariſſimi enarrantes, ſed eius quoque philoſophandi rationem, labores, iudicia, opiniones, aduerſarios, totamque diſciplinae Gundlingianae delineationem exhibentes adhuc inter hiſtoriae eruditionis deſideria eſſe numerandas, quas hoc quoque loco fruſtra quaeri, nemo mirabitur, qui inſtituti noſtri, hiſtoriam philoſophiae vniuerſalem ſcribendi ſcopum atque fines et Seculi XVII. limites nobis poſitos conſiderat.

Digitized by Google

derat. Et tale quid promiſit quidem, qui *Gundlingianorum particulam quadrageſimam quintam* poſt vltima auctoris fata edidit. Is enim narrat: Halae in eo verti curam atque laborem viri cuiusdam docti, vt *bibliothecam Gundlingianam* condat, in qua ſummi huius polyhiſtoris ſcriptorum hiſtoriam explicando, non tantum eorum fata et euentus, controuerſiae, iudicia, et quae alia ſunt his ſimilia, enarrentur, ſed placita quoque eius et argumenta tractationum, ſuis neruis expoſita accurate recenſeantur, vitae autem circumſtantiae appendicis loco adiiciantur. Aſt hos quoque conatus prodiiſſe nobis non conſtat, et qui in eodem argumento elaborando verſati ſunt, expectationem orbis literati non impleuiſſe, publica actorum literariorum iudicia pronuntiarunt. In compendio tamen poſt curriculum vitae *funeralibus Gundlingii* adiectum, in quibus more academico publico programmate celeberrimi doctoris ſui obitum academia defleuit, vitaeque eius circumſtantias adduxit, ephemeridum literarium elogia conſulenda ſunt, quibus tanti doctoris inſignia, de literis merita laudando, vitam quoque eius tetigerunt [a]. Quae tamen alio, quam anguſto hoc noſtro loco in hiſtoria literaria noſtri temporis tractanda ſunt, cum plerisque fere diſciplinis philoſophicis, philologicis, hiſtoricis, criticis, antiquariis, iuridicis etc. multam ſuis obſeruationibus lucem accenderit, immortale ob iſta de literis merita nomen conſecutus. Dolemus autem poſt vltima viri ſummi fata, diſcurſus quoque academicos et praelectiones eius a diſcipulis calamo exceptas, typis vulgatas indignum tantae doctrinae viro laborem praeſtitiſſe, quod iuuenum inſtitutioni, non vero orbis eruditi et ſcientiarum incremento iſtas cogitationes *αὐτοσχεδίως* et vlua tantum voce effuſas deſtinauerat.

pag. 523. lin. 4. a fin. *Ex ampliſſima, quam ſibi comparauerat bibliotheca collegit.* Conſtabat inſignis theſaurus decem librorum millibus, qui ſelectis pro filiis eius neceſſariis, poſt eius mortem publica auctione venditi ſunt, omnisque eius bibliothecae colligendae labor, quem egregium fuiſſe, vna poſſeſſoris *πολυϊστορία* docere poteſt, periit. Reliquias tamen fata orbi literario ſeruauerunt, *catalogo bibliothecae Gundlingianae* cIↃIↃccXXXI. ita edito, vt ad condendam hiſtoriam ſcientiarum vtiliſſime adhiberi poſſit [b].

pag. 524. lin. 6. a fin. *Obſeruationibus ſelectis literariis nonnullas inſeruit.* Solet iſta collectio *obſeruationum literariarum* vocari *Halenſis* [c], quam debemus nonnullis profeſſoribus in academia Friderician a - Halenſi, quorum chorum ducebant Thomaſius ICtus, Stahlius Medicus, Buddeus Philoſophus. Horum diligentiam poſtea auxerunt Struuius, Benzelius, Gund-

a) Bibl. Germ. T. XXIII. p. 144. nou. lit. Lipſ. 1730. p. 365. et ex his in NICERONII biographiis P. XVI. p. 117 ſeqq. itemque in Actis erud. Lipſ. Suppl. T. X. n. 7. STOLLIVS nou. addit. ad hiſt. lit. p. 235.

b) Vid. nou. liter. Lipſ. Tom. XVII. 1731. p. 221 ſeqq.

c) Idem obſeruatum ven. RAMBACHIO in biographia Gundlingii Niceronianis l. c. inſerta, p. 182.

lingius, Bayerus, Hennigesius, Reimannus, aliique, quorum nomina et obseruationes indicauit HEVMANNVS [d]. Ex his Gundlingianas obseruationes eius *obseruationibus literariis selectis* anno cIↃIↃccVII. editis, quae Gundlingium solum auctorem agnoscunt, adiecit bibliopola. In *obseruationum* propriarum anno MDCCVII. suo nomine *uno tomo* editarum, una legi apologiam Hobbesii ab atheismo liberati supra meminimus. Alia ad hoc torum pertinentia Lectori rimanda relinquimus.

pag. 524. lin. 4. a fin. *Aliquot eius capita mira eruditione illustrauit.* Prouocauimus diligenter in hac nostra H. C. P. ad has obseruationes Gundlingii, eo quod multa acute vidit, et vbi interdum luscus est, quod ab humanitatis conditione non alienum, occasionem tamen suppeditat rectam viam detegendi. Vnde egregia et doctissima ista obseruationum sylloge omnino ab historiae philosophicae studiosis meretur consuli, ast examinari quoque sine partis studio, cum haud raro contradicendi cupiditate instigatus auctor pedem referre, etsi victus, nolult: tantum quoque diuersissimis studiorum generibus distractus, mire nonnunquam quaestiones inter se confudit. Cuius exemplum ex historia philosophica qui cupit, ei controuersia cum Zimmermanno de atheismo Platonis agitata expendenda est, in qua omnem literaturae veteris thesaurum effundendo, dum Platonem cum Platonicis recentioribus confundit, se de vmbra cum aduersario litigare prodidit. *Qua de lite vide quae Tomo I. de hac suo modo diximus. Conferenda sunt, quae in historia Platonis suo loco disseruimus.*

pag. 525. not. m. *Politicam quoque parturiebat, sed typis non exiit.* Valde vrgebat institutiones politicas circa finem vitae Gundlingius, qui praeceptorum politicorum summam auditoribus praelegendo theses politicas methodo sua conscriptas more suo per singula folia typographo excudendas tradidit, morbo autem diuturno languidus perficere non potuit, id quod male eum in lecto clinico decumbentem habuisse narrat Gundlingianorum ἐργοδιώκτης. Qui cum reliquias elegantis doctrinae Gundlingianae perire nollet, post fata misc. quanquam non perfectum et fine carens, Gundlingianorum operi velut appendicem adiecit. Quo Catone contentos oportet esse Gundlingianae sapientiae admiratores, qui non nisi politicam architectonicam tangi conqueruntur. Nam in istis lacinlis habent tamen iuris naturalis Gundlingiani appendicem. In hac politica gubernatrice rempublicam Hebraeorum perfectissimam fuisse dum tradit, mirandum, eum, quae ex diuina traditione et reuelatione proficiscebantur, inter praecepta philosophiae collocasse.

pag. 526. lin. vlt. *Ex allocutione ad inimicos discendum est.* Inspicienda quoque *praefatio ad viae veritatis partem tertiam*, quae ius naturae complectitur: in qua amare satis contra eos differit, qui vel compilare eum tantum sua vel sine certa ratione affirmare dogmata clamabant; dici enim non

d) Misc. Lipf. nou. Vol. I. p. 292. Vol. II. p. 730.

Digitized by Google

non poteſt, quam impatiens contradictionis, quam dicax et mordax in confutando fuerit, qua morum aſperitate (priuatis et oeconomicis rationibus atque circumſtantiis ſuſtentata) eruditionis elegantiſſimae faciem commaculauit *e*). Alia, quae ad mores eius pertinent, ne cineribus tanti viri graues videamur, tacemus. Sed et quisque ſuos patitur manes, et in pulcherrimo corpore nonnulli ſubinde naeui ſunt.

pag. 527. not. p. *Vita eius diſci poteſt ex memoria Buddeana.* Exhibet biographiam magni theologi, hauſtam ex oratione funebri, programmate academico, oratione encomiaſtica Walchii generi, catalogo ſcriptorum Buddeanorum aliquoties recuſo, et nonnullis additionibus Walchianis *bibliotheca Germanica Berolinenſis:* quae vel vna ſufficere poteſt ad noſcendam Buddei hiſtoriam literariam. Eam integram repetiit et memoriis virorum doctorum inſeruit NICERONIVS.

pag. 528. lin. 17. *Studium concordiae pacisque.* Meretur theologi ſummi et nunc inter coelitum choros triumphantis praefatio legi, quam praefixit *volumini primo introductionis in hiſtoriam theologiae polemicae*, vernacula ſcriptae et quatuor poſt eius funus voluminibus a praeſtantiſſimo theologo, et hoc incomparabili ſocero digno genero continuatae et ad finem perductae; in qua de ſtudio theologiae polemicae, et ratione controuerſiarum in ciuitate Chriſtiana ſobrie ſancteque ineunda eleganter pieque differuit. Vbi imprimis modeſtiam animique moderationem theologo commendaturus, doctiſſimi et modeſtiſſimi theologi HERMANNI WITSII *f*) verba mutuatur, quae cum prorſus aurea ſint, nobisque ex ore venerabilis huius profeſſoris et praeceptoris virtutem hanc theologo digniſſimam pectori infixam ita commendauerint, vt per omnem vitam nobis regulae inſtar eſſet, pace Lectoris heic ipſa adſcribemus. „Nun„quam ab animo meo impetrare potui, vt absque exceptione laudarem „immoderatam illam ſiue veterum ſiue recentiorum theologorum, im„mo et philoſophorum vehementiam, qua aduerſarios ſaepe ſuos exce„perunt, vix aliter, quam canum, porcorum, nebulonum aliisque id ge„nus elogiis eos proſequentes et impetuoſi ſermonis nimbo ac grandine „obruentes. Fecerint illud Athanaſii, Nazianzeni, Baſilii, Hieronymi, alii qui doctrinae ſuae oblocutores aculeatis orationibus ac ſteliteuticis, quamuis alioquin virtutibus abundantes et imperatoria quando„que maieſtate verendos traduxere palam, infamiaeque obiectarunt. Fe„cerint illud patrum noſtrorum aetate magni illi et immortalis memo„riae heroës, quorum opera ad pellandam craſſiſſimam ignorantiae ac „ſuperſtitionis caliginem vti Deo libuit: ego iſtam verborum duritiem „ſeculi vitio hominumque illorum ingenio (nam quantumuis ſancti, ho„mines tamen fuerunt) imputare, caeterisque maximis virtutibus ipſo„rum

e) Conſulenda de arcanis Gundlinglanae vitae circumſtantiis et charactere imago eius iudicio critico deſcripta ab ill. LOSIO charact. moral. P. II. p. 218. qui meretur legi.

f) Miſcell. S. Tom. II. p. 915. vbi pia et elegans eius oratio de theologo modeſto exhibetur.

„rum condonari, quam prophetarum et apoſtolorum ipſiusque adeo „Chriſti exemplo exculpare et ad imitationem commendare malo“. Et ad hanc quidem imaginem compoſuiſſe animum ſuum noſtrum non ſcripta tantum eius exemplum ſunt, ſed patientia quoque iniuriae et infenſae litis, quam ob diſſenſum eius a ſententiis ſuis Buddeo intulerunt magni viri Chriſtianus Thomaſius et Chriſtianus Wolfius, qui inclementer et inimice eius famam aggreſſi ſunt [ff]. Id aliter inter ipſos Romanae eccleſiae aſſeclas factum eſſe, habitumque eruditioni Buddeanae honorem, vel ex ipſis ſcriptoris ex more et *officio inquiſitorum* contra hanc ſuorum conterraneorum ciuiumque modeſtiam et aequitatem latrantis querelis [g] conſtare poteſt, quas Germanus nonnemo [h] repetiit, quasque cum etiam hanc noſtri operis fortunam in Italia concernant, in fine paginae adiicimus [i], et cur nihil, ex quo illa ſcripta ſunt, repoſuerimus, et nunc quoque pro tantis viris, quos hae calumniae petunt, nil reponamus, Lectorem ex hoc loco ὡς ἐν παρόδῳ dictis iudicare volumus.

pag. 529. lin. 21. *Sint quae emendatione opus habent.* Maxime id in philoſophia Ebraeorum occurrebat nobis eam, vbi deſcribendae eius ordo nos ad iſtud argumentum duxerat, examinantibus. Quod equidem non mirandum magnopere; eo enim tempore, quo primam libri, raram cetera et plerisque ignotam notitiam ſapientiae Ebraeorum complectentis editionem meditabatur, tota fere academia Halenſis, opinione orthodoxiae Ebraicae ſapientiae ducebatur, cui colorem ſuppeditabant Thomaſius et Buddeus, ratl, ſanctius multo et *μυστικωτέρως* myſteria iſta tradi, quam in ſcholis Peripateticorum, et praeferendam eſſe arcanam iudaeorum doctrinam gentili Graecorum, vnde iſtud philoſophiae ſyſtema caput in ea ſchola erigere coepit, quod in volumine quarto H. C. P. ſub philoſophiae Cabbaliſticae, theoſophicae, Moſaicae fuſe deſcripſimus. Poſt-

ff) In iure nat. et gent. Wolfianas lites cum Buddeo infra verbo tangemus.

g) Viri eruditi, ſed immoderata intemperie furentis DANIELIS CONCINAE, Dominicanae familiae adſcripti, cuius inſtigationibus factum eſſe amicus tum in Italia praeſens retulit, vt triſulco fulmine ex arce opus noſtrum in indice expurgatorio Benedicti XIV. P. M. pag. 41. proſterneretur.

h) ANT. DESINGIVS, Bened. hodie abbas Cremoſanenſis, in praef. noui I. N. quod contra Thomaſium, Wolfium et nouatores alios compilauit.

i) Ita homo, ſingulari pietati ex religione ordinis adſtrictus in praef. Theol. Chriſt. T. VI. „Cum vel ipſas res philoſophicas et hiſtoricas ver„ſant tranſalpini vt Bruckerus (huius enim hi„ſtoria phil. alrum haereticae prauitatis inquiſi„tori vulnus adhuc dolens inflixerat) Thomaſius, „Buddeus, Moshemius, et alii ſusque deque im„miſcent eisdem Papiſmum, Romanenſem ſuper„ſtitionem, idololatriam et alia calumniarum „portenta, theologis noſtris ignorantiam, barba„riem ipſamque ſtupiditatem ruſtica ſcurrilitate „exprobrant, dicaciſſimi thraſones, vbique Lu„therum ſuum catholicorum ſpoliis onuſtum et „ouantem, tanquam omnium ſcientiarum, po„tiſſimum theologiae ipſiusque iuris naturae et „gentium inſtauratorem ſplendidiſſimum depraedicant. Contra nonnulli Italiae erudituli vix „abſque laudis praefatione haereticos iſtos ſcri„ptores nominant. Verſa hodie alea eſt. Olim „catholicorum theologi Lutheranos pro meritis „exagitabant, et interdum aliqui redundante fe„ueritate. (Nunc Lutherani Italorum modeſtia „et nimia humanitate abutentes elato ſupercilio „et incredibili ſuperbia tumentes recta et oblique „catholicis detrahendi, improperandi, illudendi „anſam arripiunt“. Haec ille, quibus ſatis apologiae pro Thomaſio, Buddeo, Moshemio ipſum ſcripſiſſe non ſine admiratione vidimus et ſubriſimus: ſatis enim nouimus, qui illi Italiae erudituli ſint, quos ſugillat, quibusque reuerentiam debebat inſulſus et agreſtis monachus.

Digitized by Google

Poſtquam autem ſerenior hiſtoriae philoſophicae lux literas illuſtrare coepit, multasque etiam in hoc argumento nebulas diſpulit, cecidit iſtud exiſtimationis praeiudicium, ipſeque Buddeus, vt erat ab omni mentis pertinacia et contradicendi tumore alienus, de hoc argumento cum viris quibusdam doctis decertandi neceſſitati implicatus, in multis mentem mutauit, certioribus ſubſcripſit, reliqua veritati hiſtoricae propius adaptauit, ſicque emendatum et illuſtratum librum anno cIↃIↃccXX. recudi curauit: quem cum de philoſophia Iudaeorum tractantes multoties in partes vocauerimus, quidque adhuc emendandum vel adiiciendum ſit, ea, quam incomparabili praeceptori debebamus modeſtia et veneratione inſignium de H. Phil. meritorum, expoſuerimus, ad eum locum lectorem remittimus. Eandem animi praeſtantiam et candorem in expolienda hiſtoria philoſophica ad finem vsque ſeruauit, virorum doctorum obſeruationes non neglexit, ſuas auxit vel etiam emendauit, nouamque compendii H. P., quod elementis philoſophicis a ſe editis praefixit, editionem auctam et obſeruationibus illuſtratam curauit, morte autem praeuentus vulgare non potuit, ſed lampadem eruditiſſimo genero tradidit, qui elegans auctumque compendium MDCCXXXI. *Halae Saxonum* prodire iuſſit, ſicque ipſe quoque huic eruditionis parti, in qua praeclare verſatus eſt, multisque ſpecimínibus pulchre meruit, adiuuandae eximiam operam praeſtitit. Ceterum cum innumeras fere obſeruationes ad H. Ph. pertinentes, ex abundante eruditionis vaſtae promtuario vbique ſparſerit Buddeana induſtria, occaſio inde nobis ſaepiſſime enata eſt, noſtros in hoc argumento labores perficiendi, quod grata, quam debemus, memoria profiteri non erubeſcimus, tantique praeceptoris oſſa molliter cubare in votis habemus.

Ibid. lin. 12. a fin. *Fratrisque in ea eruditionis parte pulchre verſati.* Caroli Friderici Buddei, tunc in academia Ienenſi priuatim docentis, ad cuius eruditionem, quam elegantiſſimam poſſidebat, et amicitiam nos cum primum in iſtam ſcholam delati eſſemus, perduxiſſe coeli prouidentiam non ſine gaudio, poſt dimidii ſeculi ſpatium, quod interim effluxit, recordamur. Ille enim erat, qui primos animo noſtro igniculos ad philoſophiae hiſtoriam accendebat, eiusque ſpecimen vrgebat, quod paulo ante praematurum eius obitum, qui el. cIↃIↃccXVI. ad rectoris gymnaſii Stettinenſis munus ſuſcipiendum vocato obtigit, de *Pyrrhonis ſcepticiſmo* in *miſcellaneis Lipſienſibus* eo curante edidimus, et in *miſcellaneis noſtris* [k] auctum et emendatum dedimus.

pag. 531. not. b. *In praefatione ad H. P. Buddei.* CEL. WALCHII ſchediaſma hiſtorico-philoſophicum *de fatis elementorum philoſophiae eclecticae S. R. IO. FRANC. BVDDEI* annuntiant *noua literaria Lipſienſia anni*

k) P. I. obſ. I. pag. 1 ſqq.

anni 1722. [l] quod non hiſtoricum tantum, ſed elenchticum quoque eſſe indicant. Nos, cum illud non viderimus, dicere de eo non licet.

pag. 532. lin. 6. *ſententiae moderatae.* Legenda eſt elegans et characterem Buddeanum ſpirans praefatio, quam vir beatus nouae, quam cum acceſſionibus mollebatur, philoſophiae ſuae editioni praefixit, et optimo conſilio a ven. editore, inſtrumentali philoſophiae eius praefixa, vbi ſimul de conſilio ſuo ſcribendi hiſtoriam philoſophicam, quaque methodo eam ſcribendam ſuſceperit, vtiliſſima multa differuit, digna, quae ab huius literaturae ſtudioſis diligenter et cum attentione legantur. Intelligitur quoque ex hac praefatione hoc, quod cum augmento iterum edidit H. Ph. compendium, ideam continere operis maioris, quod iam pridem moliebatur, et cuius iam ſpecimen dederat in ſua ad hiſtoriam philoſophiae Ebraeorum introductione. Aſt hic Aiax poſt funus eius in ſpongiam incubuit.

pag. 535. lin. 12. *Quae ter prodierunt.* Vtimur in apparatu noſtro ad H. P. editione anni clɔlɔccXI. quam titulus affirmat priore anni clɔlɔccVII. longe auctiorem et correctiorem eſſe. Exhibet autem *inſtitutiones eruditionis*, id eſt, ex vſu auctoris, *philoſophiae ſyntheticae de ſapientia, iuſtitia et prudentia methodo mathematicae aemula*, eamque analyticae opponit, quod non tantum diiudicationem veri, ſed et eiusdem inuentionem regulis facillimis proponat [m]. De cuius operis oeconomia ipſe auctor in erudita praefatione legendus eſt.

pag. 537. lin. 4. *Iuſto ſimus prolixiores.* Conferri de aduerſariis Rudigeri poſſunt ven. WALCHIVS [n], qui in *Delineatione eruditionis vniuerſalis vernacula ſcripta* eos tetigit: de *ſenſu veri:* KAHLIVS [o], qui in hac logica, febriculoſum et fallax diſcrimen inter philoſophica et mathematica ratiocinia, vt et principium, falſo ab eo dictum primum, nimirum ſenſus, notat [p] et ad BALTH. HENR. TILESII diſſertationem *de ratiocinatione philoſophica et mathematica* [q] lectorem remittit.

pag. 540. lin. 3. *Reſpondit.* Prodiere MDCCXVII. *obiectiones contra phyſicam diuinam Andreae Rudigeri P. et M. D. auctore R. G. F. S. cum notis auctoris phyſicae diuinae: acceſſit duplex appendix, quorum altero exponuntur rationes, quare auctor phyſicae diuinae auctori apparatus literarii* (Pol. Lyſero) *non ſit reſponſurus, altero reſpondetur auctori des nouvelles la republique de lettres 1717.* Vbi Thomaſiono more falſo dicendi genere aduerſarios refutat, imprimis Bernardum, qui ei in ephemeridibus iſtis grauem dicam ſcripſerat.

pag. 541. not. m. lin. vlt. *Hodie viuente.* Addendae *relationes menſtruae Ienenſes* [r].

pag.

l) n. 26. p. 261.

m) Editio tertia, anno 1717. vulgata, ſecundum variis augmentis, praecipue logicis: e. c. de ratione cauſſali et practica etc. perfecit. Primam editionem a cenſore valde mutilatam eſſe, auctor conqueritur.

n) L. III. c. 3. §. 30. p. 228.

o) Ad STRVVII bibl. phil. P. I. c. 2. §. 17. p. 112.

p) l. c. c. 4. §. 6. p. 279. not. p.

q) Lipſ. 1720.

r) 1726. M. apr. p. 350.

Digitized by Google

pag. 543. lin. 6. *Bonorum quorumlibet calculum meruit, SAMVELIS CHRISTIANI HOLLMANNI induſtria.* Cum limites operis viuentium memorias excludentes, incomparabilis philoſophi res literarias et philoſophicas tangere prohibuerint, quamuis pulcherrime in *introductione in philoſophiam* altera vice multum aucta et emendata [r] de eclectica philoſophia meruerit, isque ex philoſophica hiſtoria philoſophiam omnem multa lectionis et iudicii copia illuſtrauerit: alibi tamen praeſtantiſſimi philoſophi, et acumine iudicii atque lectionis copia multis aliis praeferendi elogium, vitaeque hiſtoriam conſcripſimus, in *pinacotheca ſcriptorum noſtra aetate illuſtrium* [s], ex quo fonte ſincero, et ex primis ſcaturiginibus propullulante illi plura haurient, qui Goettingenſem philoſophum propius noſſe geſtiunt. Quem ſciuiſſe et determinaſſe, *quod nimium eſt in philoſophando* [t], inter maximas philoſophiae laudes ponendum eſſe cenſemus. Retulerunt eum inter Wolfii aſſeclas nonnulli, quod bene et egregie dictis ab illuſtri philoſopho pollicem ſaepe premeret, methodumque mathematicae aemulam ſequeretur: ſed locis plurimis oſtendit, nullius ſtipendio ſe militare et ſua quadra viuere, Wolfiana autem placita multoties correxit et emendauit, ſed ſobrie, cuius vel vnum iuriſprudentiae naturalis ſyſtema luculenter lectorem poteſt conuincere.

Ibid. 543. lin. 3. 4. *Poſt illuſtrem Chriſtianum Wolfium, cuius immortalis, eo nomine eſt famae gloria.* Rogandus hic lector eſt, ne praecipiti iudicio finem hiſtoriae criticae philoſophiae nos impoſuiſſe non enarrata tanti et tot fatis, elogiis, aſſeclis, aduerſariis illuſtris philoſophi, qui per dimidium, quod hactenus decurrit ſeculum, in his literis vere regnauit, hiſtoria conqueratur. Iuſtas enim rationes habuimus, cur nobiliſſimum hoc caput de philoſophia Wolfiana in noſtro hiſtoriae philoſophicae pandochaeo omiſerimus; quas hoc loco tangere e re noſtra eſſe putamus, ne vel ignoraſſe nos tantae famae tantorumque meritorum virum, qui ſingulari nomine Germaniam noſtram immortali gloria ornauit, videamur vel inter eius aemulos inuidia plenos, collocemur, cum tantum abſit, vt illuſtribus meritis debitam gloriam ſubtrahere voluiſſe in annalibus philoſophicis cenſeri poſſimus, vt potius inter ſcriptores illuſtres, in *pinacothecae ſcriptorum noſtra aetate illuſtrium* opere, propter effigies magnorum virorum ſumma cura et arte a clariſſimo HOHDIO noſtrate aere expreſſas ſplendido et plauſum orbis literati conſequuto, mox in *prima decade*, quae in noſtra vrbe Auguſta anno clɔlɔccXLI. prodiit, Wolfianam effigiem et elogium vitaeque et fatorum ac laborum hiſtoriam exhibuerimus ordine virorum ſummorum, quos iſta decas tradebat, nullo,

r) Prodiit inſtitutionum philoſophicarum Tomus I. logicam et metaphyſicam complexus Viteb. 1727. 8. Tom. II. III. phil. naturalem cum pneumat. et theol. nat. exhibens 1728. 8. aucta vero multum editio 1734. 1737. 1741. cui hiſtoria dogmatum et controuerſiarum multum pretii comparant. Poſtea noua editione paulo vberiore logica 1746. metaphyſica 1747. iuriſprudentia naturalis 1751.

s) Decade VII. cuius fontes ipſe vir celeberrimus ex lege operis nobiscum communicauit, conf. GOETTEN. cur. erud. P. I. p. 601.

t) Pec. differt. Goettingae edita.

vt de loco diſceptandi occaſio non exhiberetur. Et hunc quidem conatum prius cum ipſo illuſtri viro communicatum, non ratum tantum habuit, ſed quae quoque perperam in Ludouiciana Hiſtoria Wolfii erant propoſita, manu ſua emendata nobiſcum communicauit, totumque elogium ita probauit, vt, cum inter prima viri maximi biographiae ſpecimina comparuerit, prō *αὐτογράφῳ* lectori tradere non pertimeſcamus. Quemadmodum ipſam effigiem inter omnes, quae extabant, vero ſimillimam, et ipſius faciem pulcherrime exprimentem eſſe faſſus eſt, et ad nos ſcripſit Wolfius. Aſt his tamen auxiliis, viuente adhuc philoſopho, adiuti in criticos hiſtoriae philoſophicae annales hiſtoriam Wolfianam introducere commode non potuimus, eorum conſtitutione et limitibus obſtantibus. Nempe vt modus ſcribendi narrandique operi noſtro eſſet, ſeculi XVII. finem operis quoque exitum definire iuſſimus, eos tantum in ipſa operis peroratione tacturi, qui circa finem iſtius ſeculi in philoſophia eminere coeperunt, omiſſa virorum magnorum memoria, quorum philoſophandi initia ad exordientis ſeculi XVIII. tempora debent referri. Wolfius vero ante praeſentis ſeculi initia non effloruit, et poſt Thomaſiana tantum *φιλοσοφέμενα* atque fata nomen inter philoſophos illuſtre acquiſiuit, viuente Thomaſio, vt ille nemini ſolebat parcere, impeditus et ſuo modo, quod omnibus debere ſe credebat, contemtus. Quod nemo mirabitur, qui philoſophiam Thomaſianam cum Wolfiana comparauerit, quae et philoſophandi, et ſyſtematis nexu, et dogmatum ſenſu et argumento vehementer inter ſe diſſident. Noſtro itaque ſeculo ſeruata fuit hiſtoriae Wolfianae deſcriptio, ad quam nos pro noſtrae methodi ordine et officio curis quoque ſecundis extendere velle, eſſet ſcribendi modum neſcire voluiſſe. Quem viuentium adhuc et ſpirantium res refugere, aequis rationibus in praeſentis tomi praefatione communiuimus. Quae etiam tantopere hiſtoriam Wolfianam innumeris litibus turbatam et confuſam tangunt, vt in viri ſummi *elogio* ab omni controuerſiarum hiſtoria abſtinendum nobis eſſe iudicauerimus, rati *difficillimum eſſe harum controuerſiarum veram ſolidamque et ab omni partium ſtudio alienam hiſtoriam condere. Vtriusque enim partis narrationes et acta ſaepe ſibi contradicere, arcanasque cauſſas ſuggeri paſſim inter ſe longe diuerſiſſimas, totamque controuerſiam ita nodis ſuis implicatam eſſe, vt exitum Lector vix inueniat; Experientia quoque conſtare, melius eiusmodi controuerſiarum hiſtoriam a poſteritate condi, ab inuidia et fauore praepoſtero aliena, nec vllam emolumenti partem ex victoria huius vel illius partis ſperante, vbi ex huius vitae theatro πρόμαχοι deceſſerunt, quam iis viuis conſtrui, vbi raro partis ſtudium in totum exulat.* Monuimus quoque, *nihil accurate ea de re poſſe dici, niſi iudicium interponatur rectum, quod tamen, non ab ouo, ut aiunt, inſpectis ſcriptis viri celeberrimi omnibus, magnae molis et taedioſae prolixitatis diuque conſiderata ſyſtematis vniuerſi συναφείᾳ et harmonia, adhibitis etiam eius curis et illuſtrationibus poſterioribus fieri minime poſſit, at in tanta pagellarum noſtrarum anguſtia a nobis, qui*

Digitized by G

qui arbitri partes merito refugimus, expectari nec queat nec debeat, et ab aliis expectandum sit. Nec videmus vrgentes rationes, cur in hac quoque operis noſtri appendice limites eius migrandi ſint, atque ab iſto conſilio diſcedendum, quanquam interim ad meliores ſedes delatus Wolfius, inter Germaniae philoſophos vita frui deſiit. Pertinet enim tota Wolfianae philoſophiae hiſtoria ad Seculum XVIII. cuius partem dimidiam praeclare nobilitauit: tanta quoque rerum varietate et viciſſitudinibus turget et abundat, vt in compendio, quale hae collectanae acceſſiones noſtrae tantum admittunt, ſine rei diſpendio non poſſit critica methodo enarrari. Merito itaque hanc lampada, feſſi L. annorum in hoc ſtadio curſu aliis nobis doctioribus et laborum atque annorum pondere non grauatis, auxiliorum autem omnium ſua copia et animi recti atque ſinceri charactere commendatis et inſtructis tradimus, eosque vehementer oramus, vt ſimili methodo critica famoſiſſimae philoſophiae Wolfianae ſummam, placita, opiniones, fata, aduerſitates, ſectatores critica accuratione enarrent, ſuoque tempore ſeculi XVIII. philoſophiam integram ex inſtituto delineent, quod ſaxum voluturum ſe promiſit cel. Lvdovici *), cuius introductiones in hiſtoriam huius philoſophiae, quae ſectatores quoque complectatur, quod ad partem hiſtoricam attinet, egregie adiuuarunt.

His praemiſſis iuſta nobis venia expeti poſſet, quod de hoc argumento plura non adiciamus. Sed adſtant lateri, auresque nobis vellicant amicorum monita, ad illud vitae et hiſtoriae Wolfianae compendium prouocantes, quo tanquam Iliada in nuce huius philoſophiae ſummam complexi ſumus, et inſtitutionibus hiſtoriae philoſophicae, quae breuiorem operis maioris ſummam continent, ſuffiximus, rati, aliquid tamen de tanto philoſopho adducendum eſſe in tam ſplendido theatro, et ſignum quaſi praeferendum poſteritati ad condendam philoſophiae Wolfianae hiſtoriam. Qua in re eo magis morem geſſimus, quo certius nobis multis indiciis conſtat, non ingratam fuiſſe ciuitati literariae iſtam rerum Wolfianarum ſummam atque epitomen. Itaque vt aliis quoque, qui hoc ſupplementorum volumen lecturi ſunt, rem forte gratam faciamus, inſeremus hoc loco illam narrationem, ſed non nudam, ſed rerum teſtimoniis et obſeruationibus noſtris ſtipatam et auctam, vt occaſionem exhibeant, plura et maturiora de integra huius ſcholae ſiue ſectae hiſtoria olim conferendi et elaborandi. Id tamen vnum lectorem monemus, lineas nos tantum dare, ad quarum ductum ſuo tempore, vbi Wolfiana philoſophia ſecta, vel, ſi mauis, ſchola eſſe deſinet, quod omnibus hactenus ſectis accidit, integrum aedificium poſſit extrui. Quo ſcopo en hoc loco:

*) Prodiit viri clariſſimi delineatio hiſtoriae philoſophiae Wolfianae in vſum auditorum Lipſiae 1735. quae cum manca valde eſſet, partem alteram 1737. adiecit, multa emendauit, plurima ſupplenuit, et eleganti ordine et laudabili induſtria apparatum ad hiſtoriam philoſophiae Wolfianae ſuppeditauit. De quo et aliis huc pertinentibus in ſequentibus narrabimus.

MANTISSA
AD HISTORIAM CHRISTIANI WOLFII.

I.

Dedit maximi nominis virum *Chriſtianum Wolfium* orbi philoſophico (A) Vratislauia, Sileſiae metropolis (B), genuere parentes honeſti, in lucem edidit annus cIↃIↃcLXXIX., formauere ſcholae patriae (C), praeſtantiſſimis doctoribus inſtructae, qui ingenium natura ſolers, et ſupra modum acutum et attentum praeclare ornauere Gryphius, et Cranzius (D); in omni literatura, maxime philoſophica (E) et mathematica educauit academia Ienenſis (F), et imprimis qui tantae, quantam ille poſtea poſſedit (G), mathematicae eruditionis fundamenta poſuit, Hambergerus; docentem initio habuit et nutriuit academia Lipſienſis. In qua magni nominis et acuminis philoſopho et mathematico E. W. Tſchirnhauſenio innotuit, cuius medicina mentis alas illi ad philoſophandum addidit, ipſius viri ſummi conſiliis in inquirenda veritate vſo (H). Eo tempore potiſſimum ad practicam philoſophiae partem enucleatius excolendam animum adiecit, a Menkenio vero, recenſendis in actis eruditorum libris et obſeruationibus mathematicis adhibitus (I), ſummo viro G. G. Leibnizio traditur. Is philoſophiae quidem ſyſtema non condiderat, eius tamen ſemina multis tractationibus breuioribus in actis iſtis ſparſerat, vt ſupra narratum. Quibus lectis, vt erat profundiſſimum Wolfii ingenium, tum philoſophandi methodi, tum veritatum philoſophicarum detegendarum, tum demonſtrandi artis viam perſpexit ampliſſimam, qua ſuis deinde viribus magnis paſſibus ad maximarum veritatum complexum properauit. Quo pacto cum non mediocrem famam eius doctrinae copia eſſet adepta, Gieſſenſi academiae doctor publicus deſtinatus eſt (K), in noua vero, quae Halae Saxonum tum excitata erat, academia ad ſubeundum doctoris matheſeos munus aulae Berolinenſi commendatus, et mathematicas artes anno cIↃIↃccVI. publice docere luſſus eſt, quibus naturalem philoſophiam poſtea adiecit, iis virtutibus meditationis rem aggreſſus, vt amplificaſſe has philoſophiae partes luculentis ſpeciminibus cenſeretur (L). Poſt editam anno cIↃIↃccX. theodicaeam Leibnizii, cum praeclara metaphyſici aedificii fundamenta is poſuiſſet, perſpecta rei elegantia et ſolida demonſtratione, ad metaphyſicam diſciplinam excutiendam, nouasque veritates detegendas inde accenſus eſt; vnde factum, vt, cum pluſcula ex hoc maximi philoſophi ſyſtemate, velut veriſlima recepiſſet, ſuisque cogitationibus inſperſiſſet, inter ſectatores Leibnizii nominaretur, quod inuito ipſo factum eſſe, qui ſua ſe debere ſibi norat, ſupra monuimus. Ab eo vero tempore in theatro orbis eruditi,

Digitized by Google

eruditi, de philoſophia Leibnizio-Wolfiana ſermo eſſe, incertum quo iure? coepit. Eodem tempore, vt accurato ordine mathematicarum diſciplinarum praecepta iuuentuti tradere poſſet, elementa matheſeos vulgauit, repetita poſtea aliquoties, et ab ipſo quoque auctore in ſynopſin redacta, et poſt annum clɔlɔccXXX. inſigniter aucta. Ipſe ſocietatibus ſcientiarum Londinenſi et Berolinenſi adſcriptus eſt. Sed philoſophiam quoque adiuturus rationalem philoſophiam circa illud tempus aggreſſus eſt, editisque cogitationibus de viribus intellectus humani, praeclare de hac philoſophiae parte merult, ita Leibnizianis meditationibus de cognitione, veritate et ideis inſiſtens, vt integrum inde rationalis artis aedificium exſurgeret, media autem via inter veteres et recentiores, maxime Carteſii et Thomaſii ſequaces eclectica libertate incederet (M). Anno clɔlɔccXV. ad cathedram mathematicam Witebergenſem deſideratus, a rege Halae retentus et honore atque ſtipendio auctus eſt (N). Quibus regiae munificentiae pignoribus etiam prohibitus eſt, illuſtrem, quae Petroburgi patebat, ſpartam ornare. Circa hoc tempus monadologiam Leibnizius deſcripſerat, ſed nondum vulgarat, Wolfius autem ilsdem luminibus vſus, mira ſagacitate in haec myſteria ipſe penetrauit, quibus poſtea fundamentis ad condendam nouam coſmologiae generalis diſciplinam ita vſus eſt, vt cuncta ſyſtemati nouo mira arte inflecteret, et accuratione mathematicorum ſeueritati propria demonſtraret. Quo pacto, cum praelectionibus academicis inſeruiendum eſſet, tandem cogitationes de Deo, mundo et anima humana, vernacula anno clɔlɔccXIX. prodire iuſſit, et ſcientifica methodo, nouam coſmologiam et pſychologiam in iis condidit, paulo poſt ethicam quoque, tandemque politicam philoſophiae partem adiecit (O).

II. Hactenus felici curſu fortuna Wolfiana ad gloriam et inſignem nominis famam graſſata erat, qua permotus Petrus I. Ruſſorum monarcha, de eo ſibi vindicando cogitare coeperat (P); aſt prodidit annus clɔlɔccXXI. qui interdum in herba lateat anguis. Etenim ab aliquo tempore collegis ſuſpectus factus, quod doctrinam parum ſanam et eccleſiae pariter atque pietati aduerſam foueret, depoſitis, quas geſſerat, academiae faſcibus et habita oratione de philoſophia Confucii Sinenſi, velut ſigno dato, telis vndique obrui coepit. Et primo quidem res in academiae concilio acta, mox ad aulam Berolinenſem delata, et Wolfius rationem doctrinae reddere iuſſus eſt. Qui cum fatalem ſibi neceſſitatem pietati et libertati inimicam tribui intelligeret, edita diſquiſitione, de differentia nexus ſapientis et fatalis neceſſitatis diluere imputata, et ſatisfacere ſuſpicioni anniſus eſt, ſed fruſtra. Ad regem enim impietatis et heterodoxiae titulo delatus, eius mandato ſeueriſſimo menſe Nouembri anni clɔlɔccXXIII. terris regiis iectus et in exilium abire iuſſus eſt (Q). Quod fulmen impauide expertus, Martisburgum primum, deinde Caſſellas abiit, in quem locum Haſſiae Landgrauius ad ſubeundum profeſſo-

ris

ris munus pridem eum inuitauerat. In quod aſylum delatus profeſſoris mathematum et conſiliarii principis axiomate cohoneſtatus eſt, poſtquam aliis etiam principibus doctrinae praeſtantia eum commendaſſet. Noua in cathedra conſtitutus primam in eo operam collocauit, vt metaphyſicam annotationibus illuſtratam edendo, obiectionibus aduerſariorum ſatisfaceret (R), ſed et viri docti, inter quos eminebat acutiſſimi Bülfingeri (S) eruditio, liberare a ſuſpicionibus maleſanae doctrinae Wolfianam ſapientiam ſategerunt. Ita dirae perſecutiones famam memorabilis philoſophi tunc augent, non deprimunt. Ab eo tempore dici non poteſt, in quae bella vtriusque partis acies exarſerit, cum omnes fere Germaniae academiae in partes diſtraherentur, viris acutiſſimis et piis, et philoſophis praeſtantiſſimis euincentibus, ſenſus longe moderatiores et innocuos doctrinis illis ſubeſſe. Tunc non audita modo Wolfianorum et Antiwolfianorum nomina, ſed bella quoque incruenta, in quibus libellis eriſticis velut telis et machinis pugnatum eſt, theologis quoque in partes factionum raptis (T). Quod principes paſſim excitauit, vt de ſenſu pretioque philoſophiae Wolfianae ſtatuendo doctores in academiis ſuis exquirerent (V). Feliciter autem Caſſellis dum Wolfius rem ſuam agit, etiam poſt fata principis vltima apud ſucceſſorem Fridericum I. Sueciae regem, eiusque fratrem terrarum Haſſiacarum adminiſtratorem, gratioſus, Pariſienſi academiae ſcientiarum ex exteris rege iubente adſcribitur. Tandem in aula quoque Berolinenſi fortunae aura, quae aduerſa hactenus ei reflauerat, mutari coepit, quae anno cIↃIↃccXXXII. meliora a viris grauiſſimis de Wolfio edocta, de eo reuocando cogitabat (X). Quamuis autem impedimenta expectatione plura ſuperanda eſſent, aduerſarii quoque omnem lapidem mouerent, ne vir eorum quidem opinione, periculoſae doctrinae ſuſpectus reuocaretur (Y), peruicit tamen fatorum ſeries; cumque viros doctiſſimos et philoſophiae cognitione excellentes de placitorum Wolfianorum periculis, et imprimis obiecta Spinoziſmi labe ſerio diſpicere rex iuſſiſſet, innocentia dogmatum Wolfianorum declarata, Wolfius vocante et inuitante nouo rege in priſtinas ſedes, poſtquam alias ſatis commodas, imprimis Lugdunenſem apud Batauos, renuerat, reductus, et procancellarius academiae Halenſis atque profeſſor I. N. et G. inſigni ſtipendio conſtitutus, a rege vero Sueciae gratiae teſtimoniis cumulatus dimiſſus, et ab academia Halenſi magna ouatione exceptus eſt. Ab eo tempore augendis et perficiendis inſtitutionibus philoſophiae maioribus Latino ſermone cIↃIↃccXXX. edi coeptis ſtrenue inſudauit, totumque opus ante vltima fata, excepta ſola philoſophia ciuili, multis voluminibus ſatis ſpiſſis abſoluit (Z). Cumque nominis meritorumque gloria in aulis quoque fulgeret et valde gratioſus eſſet, accidit, vt vacante anno cIↃIↃccXLV. Imperii ſede, a vicario in partibus Rheni, Bauariae electore, baronis axiomate cohoneſtaretur, rege ſuo illos honores confirmante (Aa). Quibus per decennium, in ipſo

Digitized by Googl

ipso senio nunquam otiosus sed absoluendo, quod sibi destinauerat, philosophiae perficiendae itineri totus insudans superfuit, post Ludewigii mortem cancellarius academiae constitutus, tandem mortalitati ereptus et ad beatas sedes mense Aprili anni clolocclIV. translatus est.

III. Magnis atque praeclaris praesidiis instructus erat a natura illustris philosophus, ad voluendum illud saxum, quod plerique frustra mouent. Excellebat enim ingenii vis ignea, et praeclara iudicandi acies, qua nexus rerum intimos intuebatur; quaeque aucta et sustentata a mathematicorum ordine, et rationalis philosophiae regulis, non veritates tantum singulares, sed et systematum vincula et capitum omnium inter se cohaerentium harmoniam vno quasi intuitu detegere, et qua ratione connecterentur, iudicare poterat (Bb). Ea autem ingenii magnitudine sustentatum est eius philosophandi studium, vt et totum intellectus et voluntatis humanae rerumque in mundo omnium systema vno nexu arctissime copulatum extrueret, et felicissima inueniendi virtute praeditus, integras philosophiae partes nouas detegeret, cuius generis cosmologia generalis et aerometria sunt, vt inuentiones physicas et mathematicas alias sileamus. Inde ortum praeclarum methodi, qua scripta eius effulgent, ornamentum et perspicuitas illi quidem lectorum generi luculenta, qui cohaerente omnia ordine et attentione legere norunt. Qua de re, quemadmodum de toto philosophandi scribendique genere suo, elegantem institutionem ipse edidit, ab illis consulendam, qui non sine fructu in legendis eius scriptis versari cupiunt. Quanquam autem memoriae vim mediocrem possidebat, ea tamen lectionis copia instructus erat, vt quibus fontibus vti possent scientiarum discendarum cupidi, copiose exponeret, sed et patriae linguae elegantiam tantopere tenebat totam, vt, traductis in eam vocibus philosophicis et mathematicis, praeclara illi augmenta adiiceret (Cc). His accessere virtutes animi, candor, insigne veritatis studium, libertas eclectica, quae tamen nec reuelationis, nec rationis, nec status ciuilis fundamenta conuelleret, sed ad ea firmanda et in clara luce ponenda cuncta referret (Dd). His addenda animi constantia et philosophiae vsus, quo fatis tantopere aduersis tranquillo pectore cedere nouerat (Ee), ille autem religionis cultus, quo pie eum decessisse ex hac vita constitit (Ff).

IV. Non tacendum tamen, alium longe nobis sistere Wolfium innumeros aduersarios, quibus ipsi, quae Numini debetur, pietati et religioni insidias struxisse, et perniciosis dogmatibus iuuentutem corrupisse visus est. Obiectum enim est illi (Gg), eripere eum arma demonstrandae Dei existentiae necessaria et validissima, eiicere atque conculcare humanae voluntatis praesidia, libertatem et moralitatem, cunctaque fato necessario subiicere; rerum omnium essentias ponere necessarias in diuino intellectu, nec a Deo dependentes collocare; mundum morali physicoque malo corruptissimum ponere optimum; harmoniam animae et

corporis praeſtabilitam introducere, humanis actionibus contrariam, et mere metaphyſicam, monadibus locum facere imaginariis; praeexiſtentiam animarum affirmare, animalibus brutis immortalitatem tribuere; atheiſmum ſuperſtitioni praeferre; gentes atheas et tamen ex interno principio recte agentes excogitare, ſummamque ideo Sinenſibus ſapientiam tribuere, fundamentis moralis diſciplinae multa affuere, impia, friuola, diuina attributa indecentia, et ex ſolo vniuerſi nexu deriuata; verbo in multis Spinoziſticae impietati frigidam ſuffundere. Ad quas tamen accuſationes et ipſe vir ſummus, interdum non ſine omni acerbitate (Hh) reſpondit, et viri paſſim docti apologias oppoſuerunt; ex vtraque vero parte humani quid interdum paſſa eſt contradicentium acerbitas, multa, quae perperam intellecta, odioſam ſententiam referebant, explicata melius et conciliata cum ſanis doctrinis, emendata quoque haud pauca, non ſatis prouide dicta, et cum ſacris imprimis dogmatibus in concordiam redacta ſunt (Ii). Nonnulla diſcipulorum a praeceptoris ſapientia deuiantium deliria eſſe, inique ſummo viro imputata, demonſtratum (Kk). De quibus tamen omnibus hoc loco, vbi breuitas ſectanda eſt, dicere nil attinet.

V. Magno tamen, his non obſtantibus, ſucceſſu vſa eſt philoſophia Wolfiana in Germania, adeo vt in ſectam tandem degeneraret, a qua tamen philoſophiae ſcabie virum perilluſtrem longe fuiſſe remotum, dubitandum non eſt (Ll). Certe nulla fere academia inter Proteſtantes fuit, in qua non Wolfianae philoſophiae nomen, dogmata, methodus per cathedras perſonarent, inuentique ſunt plurimi haud vulgaris doctrinae viri, qui non partes tantum eius amplexi ſunt, ſed et illas a telis aduerſariorum fortiter, quamuis turmatim paſſim vibratis, vindicarunt (Mm). Ea autem Wolfianae philoſophiae fortuna in hac noſtra patria fuit, vt, quotquot inter philoſophos Romanae eccleſiae confeſſionem ſequentes ſordium ſcholaſticarum taedebat, ad amoenitates philoſophiae Wolfianae, nequicquam ringentibus ſcholaſticis philoſophis, diuerterent (Nn). Neque inter exteros fauor hic defuit; nam non Gallorum tantum academia ſcientiarum inſignia, quo loco Wolfium haberent, teſtimonia edidit, ſed raro quoque exemplo illuſtriſſima foemina, eruditionis philoſophicae nomine celeberrima, Chateletia inſtitutiones phyſicas ad mentem Wolfii exaratas edidit (Oo). Eandem fortunam in Italia, Belgio et Polonia habuiſſe, exemplis doceri poteſt, alibi tamen, propter breuitatem huius ſcriptionis enarrandis (Pp). Nihil autem adeo huius philoſophandi inſtituti gloriam in aprico ponit, quam quod viri docti adhibuerant, ſtudium ad ſublimiores illud diſciplinas illuſtrandas et augendas adplicandi, id quod in theologiae campo fecere Reinbeccius, Bulfingerus, Canzius, et in iurisprudentia perilluſtris Cramerus.

VI. Summam dare, et compendium philoſophiae, a perilluſtri viro ingentibus voluminibus comprehenſae, in hac quidem paginae anguſtia pror-

prorſus impoſſibile eſt. Cuncta enim ita inter ſe connectuntur arctiſſime et indiuulſo nexu cohaerent, vt omittere aliquid ſaluo illo non liceat, nec intelligi ſequentia queant, niſi iuſta comprehenſione priora nota ſint omnia. Quae certe, alium plane locum, aliud inſtitutum, quam noſtrum eſt, poſtulant. Sed praeter ea totas quoque diſciplinas vir acutiſſimus inſtituit, quae non niſi ex integro complexu poſſunt intelligi (Qq). Itaque ipſa viri ſcripta, et vernacula quidem, Latinis ſtrictiora, adeunda ſunt, vt de placitis Wolfianis conſtare queat. Et in logica quidem parte quae fundamenta iecerit, quid in metaphyſico argumento ſtatuerit, ex Leibnizianis philoſophumenis ſupra enarratis, ex quibus fontibus ſua deriuauit Wolfius, cognoſci poteſt. Moralis diſciplinae et imprimis iuris naturalis fundamentum poſuit, facienda ea, quae perfectionem hominis iuuare et ad fines perducere apta ſunt, ex quo vno principio et fonte innumerarum doctrinarum riuulos deduxit.

*** *** ***

OBSERVATIONES AD PRAECEDENTEM VITAM CHRISTIANI WOLFII.

(A) *Virum orbi philoſophico.* Animus erat incomparabili philoſopho, qui acute ſatis cernebat, et ex lectione philoſophorum didicerat, quantum lucis et commoditatis afferat ſectarum ſyſtematumque notitia, vitae rerumque ſuarum, quae ad philoſophiam pertinent, hiſtoriam ipſum deſcribere, quamprimum, corporis philoſophici Latino ſermone vulgati labore finito, ab his grauioribus ad faciliora ſe conuertendi tempus ſuppeteret *a*. Fatum autem, quod tantum philoſophiae praeſidium nobis eripuit, non paſſum eſt, magnum et voluminoſum opus Latinum philoſophiae eius totum abſoluere, adeoque non ſine inſigni iactura hac vitae ſuae enarratione caremus. Interim etiam poſt funera magnas ei gratias debet poſteritas, et imprimis hiſtoria philoſophica noſtri aeui, quod partem tamen biographiae ſuae, eamque reliquis praeſtantiorem et vtiliorem viuus elaborauit, et *ſcriptorum ſuorum hiſtoriam*, natales, ſummam, ordinem, argumentum, fata elegantl ſcribendi, quo valebat, artificio patrio ſermone fuſe enarrault *b*. Non hic aridus quaerendus campus, ſterilesque auenae expectandae ſunt, ſed vireta florentia et iucunda pariter atque fructifera diſſertatio, de partibus philoſophiae ab eo traditae, de ſtilo auctoris, et cauſſis ſermonis vernaculi adhibitl, de nouis terminis technicis in vſum vocatis, de euitata, quam ei obliciebant, obſcuritate et perſpicuitatis ſtudio, tum de methodo a mathematicis ad philoſophorum ſcholas traducta, et non ſine magno emolumento ſcientiarum

a) Vid. nou. lit. Lipſ. 1734. p. 832.

b) Hal. 1726. 8.

rum a se adhibita, de libertate philosophandi, eiusque praestantia, limitibus, modo, consequentiarum pondere; porro, qua cautione, ordine et prouidentia in legendis libris suis versandum sit, de vitandis praeiudiciis et similibus, quae non tantum clauem exhibent ad reseranda Wolfianae philosophiae adyta, sed elegantem etiam introductionem ad legendos philosophorum libros, rectequc instruendum animum philosophiae cupidum magnum vsum offerunt, merenturque ab illis legi, quorum est, in philosophiae studio prudenter rectequc versari. Ab his generalibus ad speciales labores philosophicos progressus, logicae, metaphysicae in quatuor partes distributae, ontologiam, psychologiam, cosmologiam, theologiam naturalem, et controuersiarum serrae, quam ob eam reciprocare coactus est, et imprimis cur praecipue tantis molimini bus in Buddeum insurrexerit, historiam exponit: parique modo quomodo in philosophia morali, quod praecipuum philosophici studii obiectum sibi ab initio selegerat, versatus sit, quomodo ad verum iustumque moralitatis obiectiuae principium a schola Pusendorfii exsibilatum reuersus sit, qua via in exploranda conscientia, hominumque animis et inclinationibus cognoscendis inceperit: quomodo officia erga se ipsum, et imprimis intellectus et voluntatis emendationem delineauerit, corporisque atque rerum externarum curam adhiberi voluerit, vt omnia rationali inter se harmonia contineantur etc. ediserit. Maxime vero, quid in doctrina de officiis erga Deum a se praestitum, quomodo natura a gratia distincta, et cognitionis diuinae ex naturae lumine accensae latifundia ab ipso dilatata sunt, denique quo pacto, quid homo sibi debeat, quid proximo, quid statui hominum hypothetico: quo pacto occasionem nactus de statu politico in genere, et in specie coniugali, ciuili et republica ordinanda, regenda, bello defendenda principia euidentissima attulerit, cuncta autem cohaerenti serie demonstrauerit, luculenta enarratione docet. Et sic tandem ad philosophiam naturalem conuersus, primo quidem rationes exponit, secundum quas in philosophia experimentali versatus sit, quae obiecta descripserit, quid de grauitate corporum, aliisque mechanicae principiis obseruauerit, quomodo aërem speciali diligentia exploraverit tempestatumque et meteororum, frigoris item et caloris, lucis et colorum, sonitus, magnetis etc. rationem per experimentorum fidem habuerit, et cur physicam scientiam non ad causas tantum efficientes, sed finales quoque respicere, et ad Dei sapientiam pariter atque potentiam attendere iusserit. Tacemus obiecta alia, bruta, homines, eorumque partes, membra, plantas etc. quibus cogitationes suas destinauit. Quo pacto ad vtilitatem philosophiae delatus, sua se philosophia religioni viam strauisse, atque praeparauisse, moralemque disciplinam iisdem, quibus scriptura fundamentis inaedificasse, veritati praestantiae et necessitati religionis Christianae munimenta parauisse eiusque veritatem defendisse, rectumque Leibnizianarum hypothesium de optimo mundo, necessitate hypothe-

Digitized by Google

hypothetica, harmonia praeſtabilita vſum et ſenſum etc. explicuiſſe, obleciſſe Scepticiſmo validas phalangas, indifferentiſmo neruos ſuccidiſſe, materialiſmum euertiſſe, idealiſmum eleciſſe contendit. Quibus circa finem apologiam contra aduerſarios adiungit, fataque ſua cum Galilaei fatis comparat, non ſine acrimonia animi conlecta in vnum, quae apud ipſum legenda ſunt, et ſpecialia multa attingunt poſt dudum finitas velitationes exiguum vſum habentia, aſt ad ſtrepitum tamen, quem illae excitarunt illuſtrandum et cauſſas arcanas cognoſcendas aptiſſima, et ad genuinos hiſtoriae Wolfianae fontes detegendos prorſus neceſſaria, quibus tamen hoc loco inſiſtere, nec ſcriptionis temporisque noſtri determinatio nec deſiderium poſt longum curſum terram reſpiciendi patiuntur, et diligentiae lectoris inquirenda relinquuntur. Et hactenus quidem hiſtoriam philoſophiae ſuae elegantiſſima et vtili tractatione ipſe plurimum adiuuit Wolfius.

(B) *Sileſiae metropolis.* Poſt ipſum Wolfium de hiſtoria vitae, factorum et philoſophiae variis modis mereri ſtuduere viri quidam docti, viuo adhuc philoſopho. Quorum tamen nemo vel affectam perfecit, et deſiderio orbis eruditi ſatis fecit, faſſique ſunt omnes, facilius eſſe, veteris philoſophi celebris hiſtoriam eruere, quam noui et imprimis adhuc viui; ingente hinc laudis, inde inuidiae concertatione. Et anno quidem cIↃIↃccXXXIV. IOANNES LVZIVS Lindauienſis hiſtoriam Wolfianae philoſophiae ſe meditari, habereque affecta multa, publica ſcriptione promiſit [c], et ſi non hiſtoriam criticam, certe elogium tanti viri publicaturum ſe eſt pollicitus. Sed conatus laudabilis in ipſa natiuitate ſuppreſſus coruos delusit hiantes, aliisque campum hunc excolendum reliquit. Quem non ſine ſingulari diligentiae et accurationis laude biennio poſt occupauit cl. CAROLVS GVNTHERVS LVDOVICI profeſſor Lipſienſis, qui maximo ſtudio res ad Wolfianam hiſtoriam pertinentes, et imprimis literariam eius partem complectentes vndecunque collegit, et ampliſſimo apparatu literario *introductionem in hiſtoriam philoſophicam Wolfianam* edidit, primas autem lineas nouis acceſſionibus ampliſſime auxit, et *pleniorem hiſtoriam P. IV. in vſum auditorii* in vulgus exire, *Lipſiae* cIↃIↃccXXXVII. iuſſit [d]. In quo libro luce et lectione commendabili ea emendauit et auxit, quae ſtrictius prius dixerat, eaque fini partem ſecundam adiecit, qua hiſtoriam huius philoſophi et philoſophandi generis ſi non totam abſoluit et perfecit, tantam tamen rerum materiem et notitiarum literariarum apparatum inexhauſta induſtria coaceruauit, vt iam facile ſit, plenam inde meſſem inſtituere et hiſtoriam philoſophiae Wolfianae criticam deſcribere, quod ipſe quidem ſe ſuſcepturum liberaliter promiſit, tot autem, quibus diſtinetur auxiliis literariis orbi erudito

c) Vid. nou. lit. Lipſ. l. c. LVDOVICI l. c. P. II. p. 6 ſeqq. Pertinet inter eos GOETTLINVS in Eur. lit. huiusque generis alii.

d) Vid. ſupra not. u.

inſeruiendo diſtractus perficere hactenus non potuit. Vnde merito in votis habemus, vt iſta *διατύπωσις* Wolfianae hiſtoriae ad plenam, quam celeberrimus auctor deſcripſit imaginem, et ad finem vſque vitae Wolfii perficiatur, et Latino ſermone denuo, adiecta critica ſyſtematis philoſophici Wolfiani recenſione, orbi literario exhibeatur, quo pacto nobiliſſimam hiſtoriae philoſophicae ſeculi XVIII. partem etiam ab iis, qui vernaculam noſtram non callent, legendam, enarratum iri ſumus perſuaſiſſimi. Interim lectorem ad haec latiſundia eo magis dimittimus, quo plenior et concinnior ordine enitet iſta tractatio: cui ſi accedat critica et practica ipſius philoſophiae Wolfianae enarratio, habebit ſane Germania noſtra quod gentium exterarum gloriae opponat. Plenis enim cyathis inde hauſturi lectores ſunt, quicquid de Wolfii biographia, ſcriptis, recenſionibus in ephemeridibus literariis, maxime actorum Eruditorum Lipſienſium, (quarum pars magna mathematica noſtro debetur) quicquid de ſcribendi methodo ſtudioque vernaculam noſtram terminis technicis luculentis et planis ditandi, de methodo docendi, de ordine diſcendi philoſophiam Wolfianam, tum de compendiis huius philoſophiae et introductionibus magni viri ſententiam et hypotheſes ſequentibus, de vſu huius philoſophiae in diſciplinis ſuperioribus; porro de obiectis philoſophiae Wolfianae, naeuis damnisque ex ea emergere viſis, deque inſigni librorum eriſticorum et controuerſiarum hiſtoria lectori philoſophicae hiſtoriae accurate cognoſcendae cupido poteſt quaeri ac deſiderari. Paulo ſpecialius idem argumentum vrgendum ſibi ſumſit V. C. GEORGIVS VOLCKMARVS HARTMANNVS medicus Erfurtenſis [e], qui non literariam tantum, ſed dogmaticam quoque hiſtoriae philoſophicae Wolfianae partem, quae tot tamque vehementibus controuerſiis implicata fuit, enarrandam ſibi ſtatuit, edita vernaculo ſermone anno clɔlɔccXXXVII. *Manuductione ad hiſtoriam philoſophiae Leibniziano-Wolfianae, controuerſiaeque a Langio excitatae, cui hiſtoricam narrationem de concordia rationis et fidei, ſiue vſu philoſophiae in theologia, deque tribus hypotheſibus circa vnionem animae et corporis adiecit.* Praeter hos hiſtoriam rerum Wolfii enarrarunt alii quoque, imprimis elogiorum ſcriptores, qui dignam tanto viro laudis hederam ſuſpenderunt, resque eius literarias ſtrictim recenſuerunt, inter quos praeter *pinacothecam noſtram* [f] diligentem operam praeſtiterunt, continuator memoriarum NICERONII [g], et celeberrimus FORMAYVS [h], et rerum literariarum ſcriptores alii multi. Nemo autem in hoc campo diligentius verſatus eſt, quam qui haud ita pridem non ſine literarum noſtraeque amicitiae iactura nobis ereptus eſt B. Io. CHRISTOPHORVS GOTTSCHEDIVS, profeſſor

e) Vid. nou. lit. Lipſ. 1723. p. 379. KAHLE ad Struu. introd. in H. L. P. I c. 4. p. 310.

f) Dec. I. imaginem adiectam omnibus aliis ſimilitudine archetypi praeſtare iudicauit b. philoſophus. Eam itidem eleganter repetiit Bernigerothus praefixam biographiae Wolfianae Gottſchedii.

g) Tom. XX. p. 225 ſeqq. ed. Germ. qui cum reliquis comparari meretur.

h) Eloges des Academiciens de Berlin T. II. hiſt. abregés de la philoſophie p. 293.

Digitized by Google

feſſor Lipſienſis [i]. Is cum diu familiariter vſus fuiſſet philoſopho Noſtro, et, quaecunque ad hiſtoriam magni viri vel firmandam vel illuſtrandam facere aliquid poſſunt, ſua opera et imprimis ipſius Wolfii communicatione, attentione et directione congeſta conquiſiuiſſet, elogium, vel, quod rectius, biographiam illuſtris viri paulo poſt eius fata vltima edidit, ex qua velut fonte limpido omnium certiſſime Wolfianarum rerum notitia vsque ad eius finem vitae poteſt hauriri, dignamque iudicamus, quae Romana veſte induta heroëm noſtrum, orbi literario penitius cognoſcendum tradere poſſit. Tacemus in praeſentia, vbi omnis prolixitas narrationis noſtrae euitanda eſt, eos, qui ſpeciali induſtria controuerſiarum Wolfianarum hiſtoriam enarrarunt, quos cum et Ludovici indicauerit [k], breuitatis rationem habituri Lectorem ad eum amandamus. Dolemus autem poſt tot conamina et laudabilem virorum doctorum induſtriam hodie nobis adhuc *hiſtoriam criticam* vitae, philoſophiae et ſcholae Wolfianae deeſſe, quae non niſi ſingulari inſtituto et opere poteſt conſcribi, et quam poſteritatis nomine omnes poſcunt, quotquot ſapientiae incrementa auro contra cara aeſtimant.

(C) *Forma vere ſcholae patriae.* Memorabile tamen, Wolfium, IX. Cal. Febr. anni MDCLXXIX. natum in ipſa, quod nos ipſe monuit [l], pueritia prodidiſſe inſatiabilem quandam et ardentiſſimam diſcendi cupidinem, deſideriumque impatiens naturae inclinatione ſuffultum, cauſſas atque rationes rerum cognoſcendi, quam auroram quandam fuiſſe futuri, quod per eum exorturum erat, luminis, quo rationes rerum ſufficientes tot veritatum ille detexit, illi non dubitabunt, quibus ex philoſophorum hiſtoria notum eſt, philoſophandi felicitatem non acquiri, niſi bona indolis eius ſemina ſparſa ſint et natura prodita animi.

(D) Pertinet Wolfius inter praecoces pueros, qui indolis et ingenii bonitate praematura incrementa oſtendunt. „Ludendo enim et aliud „quaſi agendo pater, licet opificio intentus, filio octenni latinae linguae „principia ipſe inſtillauit, omnique virtutis ornatu animum eius expoli„uit, et inter publicas calamitates ſumtibus non pepercit in educando „puero, quem publicae ſcholae traditum, ſtupuit, in humaniorum et ſe„ueriorum literarum ſtudio effloreſcere ingenium acutum et iam tum fu„turae magnitudinis praeſagum, et ſine calcari tam impigre ad honores „perrexiſſe, vt adoleſcens in ſcientiis incrementa videret ſolito maiora et „luculentiora“. Haec vera eſſe, quae in *pinacotheca ſcriptorum illuſtrium* viuo adhuc et legente Wolfio olim ſcripſimus, tacitus quidem ob modeſtiam, non vero denegatus conſenſus probatae veritatis indicat. Reliqua educa-

i) Elogium hiſtoricum ill. Chriſt. L. B. de Wolf etc. Halae 1755. 4 mai. quod non tantum effigiei chartae, typorumque nitore et elegantia, ſed rerum quoque copia, accuratione et plena narratione ſe commendat, et imprimis ideo memorabile eſt, quod documenta et teſtimonia *ἀυτόγραφα*, Wolfium concernentia plerasque integra adduxit, et narrationis ſuae fidem magis, quam eloquentiam, probauit Gottſchedius.

k) loc. cit. c. XIV. p. 504 ſqq.

l) Pinacoth. Dec. I.

educatio magni viri, quam ex memoriis Wolfii αὐτογραφίοις descripsit GOTTSCHEDIVS m), non minus attentionem meretur exemploque probare potest, ex quibus fontibus scaturire soleant in adolescentibus recte educatis magna ingenia: Et haec fauente numine contigere Wolfio, quanquam parentibus curta supellex erat, et praeceptores, maxime Pohlius, cui se multum debere gratus solebat fateri, ei gratis lectiones suas audire ideo concedebat. Eandem beneuolentiam apud Cranzium et Gryphium, qui gymnasia publica moderabantur, propter ingenii felicitatem animique contentionem et industriam meruit, et ab hac biga VV. CC. qui in βιβλιογνωσία egregie valebant, ad fontes literarios rariores deductus non potuit non inter adolescentes mature eminere n). Quod tam efficaci stimulo continuauit adolescens Wolfius, vt communi, quae tunc tradebantur disciplinarum scholasticarum circulo non contentus, et in intimos scientiarum recessus penetrandi cupidus, semper praeceptores rogaret de rationibus et fundamentis accuratioribus, sicque communem condiscipulorum suorum sortem et incrementa literarum in veritatibus detegendis supergressus, vnanimem eorum, qui ex senatu atque ministerio gymnasio praeerant, applausum prae commilitonibus, (quorum nonnemo id publice postea fassus est o),) consequeretur.

(E) *Maxime philosophica.* Non debet praetermitti in historia tanti nominis philosophi, quo pacto adhuc inter gymnasii subsellia versatus ad philosophiam peruenerit, quamque iuuenis viam inierit, ad rerum cognitionem perueniendi. Nempe ex praeceptoribus principia philosophiae Aristotelico-scholasticae imbiberat, in quibus praeeuntem praeceptorem habebat Hanckium et obscurorum terminorum atque rationum sensus coeperat exquirere, cum isti philosophi a praeceptoribus valde commendarentur. Quo pacto euenit, vt ipse semper de scholasticis bene et honorifice sentiret p), hodieque in systemate Wolfiana inueniantur vestigia haud pauca, quibus primae institutionis philosophicae notae exprimuntur. Sed offendebant adolescentem tenebrae scholasticae, quare maiorem lucem quaesiturus, cum Cartesiana philosophumena tunc vehementer commendarentur, eius scripta inspicere, et, quid tanto philosopho persuasum fuerit, explorare coepit, et Cartesii in meditando perspicuitate, ordine et philosophandi libertate mire captus est. Dolebat autem, Cartesium practicas philosophiae partes non attigisse, ad quas Wolfius animi inclinatione propendebat. Vnde enatum illi consilium istum, qui desertus iacebat, campum ingrediendi: et cum obseruauisset, plurimum debuisse methodo geometricae Cartesium, eamque in detegendis,

m) Pinac. Scr. ill. loc. cit.
n) loc. cit. pag. 8.9.
o) AD. BERNDIVS in hist. vitae suae, p. 448.
p) Hist. script. suor. §. 70. c. VII. p. 217 seqq. §. 78. Non sine ratione itaque cl. LVDOVICI scholasticam philosophiam inter fontes philosophicae Wolfianae retulit P. I. c. 9. §. 135. p. 122 seqq. P. II. §. 379. p. 315 seqq. quod tamen cum grano salis accipiendum est.

Digitized by Google

dis confirmandisque veritatibus etiam philoſophicis innumeras vtilitates praeſtare, ad diſcendas indefeſſo ſtudio diſciplinas mathematicas animum applicuit. Cum vero viuos praeceptores non ſatis reſpondere votis ſuis experiretur, mortuos adiit, Euclidemque. Clauium et Henricum Horchium mutos magiſtros habuit [q]. Quibus facem praeferentibus eo penetrauit acutiſſimum Wolfii ingenium inter gymnaſii adhuc ſubſellia deliteſcens, quo raro inter pulpita academiarum plerique pertingunt: nactus enim iudicium acre et in nexus rerum atque rationes penetrans, quauis occaſione ingenii praeſtantia eminuit: qua in re ἐργοδιώκτην Pohlium habuit [r].

(F) *Academia Ienenſis.* Deſtinauerat ſe Wolfius iuuenis ſacrae theologiae ſtudio [s], quam ei B. Neumanni exemplum valde commendauerat: inuitabat eum Ienam celebritas et fama Hambergeri, qui cum perſpicue ſatis mathematica in iſta academia traderet, hunc ſibi praeceptorem elegerat: et hoc pacto ad haurienda interiora matheſeos myſteria pertractus, Sturmianas inſtitutiones quidem duces, ingenium autem ipſum auctorem nactus eſt.

(G) *Mathematicae fundamenta poſuit Hambergerus.* Comparandus h. l. GOTTSCHEDIVS, qui obſeruat, valde eum laudaſſe huius mathematici praelectiones, quod plenas luce demonſtrationes inueniſſet. Hunc praeceptorem quoque et ducem in intelligenda *medicina mentis Tſchirnhauſeniana* habuit, qua methodum ſibi geometricam valde commendatam fuiſſe noſter fatetur. In priuato ſtudiorum curſu, Pufendorfiana principia excuſſit, eorumque imperfectionem annotauit, et ſocialitatis principium velut inadaequatum reprobauit. Treunerum, poſtea noſtrum, ducem habuit attentionis, at ſoliditatem in eo deſiderauit. A Floerckio iurisprudentiae praecepta hauſit, totum vero encyclopaediae academicae circulum ingreſſus omnibus ſe attemperauit: maxime vero in concipienda recto ordine ratiocinatione, ex mente Tſchirnhauſenii ſollicitus, cum ipſe Lipſiae praeſentem inueniſſet, multa de recta ratione colligendi et ratiocinandi de eo ſciſcitatus, quid analyſis geometrica ad eam conferat, didicit, qualia multa maximam attentionem eius in philoſophiae ſtudio probauiſſe, memorabilibus exemplis illuſtrat GOTTSCHEDIVS [t]. Quae in theologia addiſcenda ſtudia ſecutus fuerit, quantaque id accuratione fecerit, id ex dictis colligi facile poteſt, notandumque, demonſtrationis logicae et mathematicae efficaciam Wolfium etiam in concionibus ad populum habendis, confirmationi biblicae diligenter adiunxiſſe. Quae iuuentutis literarum ſtudia aemulantis cauſſa hoc loco narramus, vt intelligant, quibus gradibus viri ſummi ſoleant ad eruditionis cacumina aſcendere.

(H) *In*

q) Pinacotheca loc. cit.

r) GOTTSCHEDIVS loc. cit. p. 9. 10. qui legiſſe tunc Agricolae Dialecticam, et contemnere coepiſſe Peripatetica refert.

s) Ex voto id factum eſſe ait IDEM h. l. p. 13.

t) p. 18 ſq. quem legi a iuuenibus ſolidam eruditionem adſpirantibus omnino cupimus, excerpere h. l. propter anguſtias paginae non poſſumus.

Digitized by Google

(H) *In inquirenda veritate vſo.* Iucunda et vtilis hoc loco obſeruatio eſt ad hiſtoriam logicae pertinens, quomodo de vſu ſyllogiſmorum, quem reiecerat Thomaſius, ad inueniendas nouas veritates agnoſcendas perductus, rectam demum demonſtrationis conſummatae viam detexerit. Cuius argumenta publica diſputatione *de philoſophia practica uniuerſali methodo mathematica conſcripta* pro more facultatem docendi obtenturus defendendo, exemplum extare voluit [w]. Has primitias Wolfianae diligentiae et accurationis philoſophicae edidit annus MDCCIII. a Tſchirnhauſenio, Neumanno, Leibnizio valde probatas.

(I) *Mathematicis adhibitus.* Laudabili conſilio indicem recenſionum librorum mathematicorum et phyſicorum itemque obſeruationum ad has ſcientias ſpectantium collegit cel. LVDOVICI [x]. Occaſio haec fuit Menckenio Wolfium Leibnizio commendandi, cuius pro Wolfio epiſtolas exhibet biographia Gottſchediana [y].

(K) Circumſtantias harum rerum accurate narrat elogium GOTTSCHEDII [z], irruptio autem exercitus ſuecici in cauſſa fuit, cur Halenſem cathedram reliquis, quae offerebantur fortunae ſuae ſedibus, praeferret.

(L) *Has philoſophiae partes luculentis ſpecimimibus cenſeretur.* Initium animumque Wolfio ad philoſophandi viam noua methodo progrediendi dederat Leibnizius, cui cum libellos academicos de loquela et de philoſophia practica miſiſſet Otto Menckenius, laudato eius philoſophandi ſtudio commendauit ei conſiderationem hypotheſeos de harmonia praeſtabilita inter animam et corpus, ſuaſitque vt nihil ſine ratione ſufficiente et determinante admitteret pro vero. Cui praeſtantiſſimo conſilio cum pareret Wolfius, rationes Carteſianas examinare coepit, quas hactenus erat ſecutus, easque quod minime ſufficerent, plerasque dimiſit, nouumque atque proprium ſyſtema, melioribus rationibus ſuffultum meditari coepit: haecque conamina edita a Leibnizio *theodicea*, quae cIↃIↃccX. prodiit, multa luce colluſtrauit [a]. Ex his circumſtantiis quaeſtio dirimenda, num philoſophia Wolfiana pro filia Leibnizianae habenda ſit? quod primum placuiſſe τῷ πάνυ Bulfingero, obſeruat elogium GOTTSCHEDII [b]. Ipſe noſter, in quo Leibnizium ſecutus ſit, non reticuit [c], et quo pacto philoſophari coeperit, luculenter edifferit, dignus qui cum attentione legatur.

(M) *Eclectica libertate incederet.* Id ex ipſis inſtitutionibus his logicis, vernacula editis omnium optime diſcitur; qui vero lectionis taedio affici ſolent, quando integra ſyſtemata perlegenda ſunt, pleraque, quae ad philoſophiam rationalem Wolfianam in genere conſideratam pertinent, in enar-

w) Legendus, qui pluribus haec tetigit GOTTSCHEDIVS p. 28 ſqq.

x) loc. cit. P. II. p. 185 ſqq.

y) App. p. 2. qui documenta actorum Wolfii continet.

z) pag. 29. et in App. p. 5 ſeqq. vbi ipſa documenta rerum iſtarum exhibentur. Conferenda quoque pinacotheca, quae has circumſtantias ex ipſius Wolfii teſtimonio exponit.

a) Vid. ipſe WOLFIVS de ſcriptis ſuis §. 71. pag. 219 ſeqq.

b) pag. 33.

c) Vid. loc. cit. §. 75. p. 225 ſqq. Simili vero ratione intelligendus eſt de philoſophia Sinenſi in vſum ſyſtematis I. N. traducenda conf. LVDOV. P. II. §. 137. p. 94.

Digitized by Google

enarratione ſcriptorum ſuorum comprehenſa inuenient, quae, etſi tota hic afferri digna eſſent, locus tamen eam diligentiam impedit. Retinuit vir illuſtris in hac logica ſua tres ſcholaſticorum operationes mentis, earumque naturam et effectus luculenter deſcripſit. Vbi candide quoque indicauit, quid Leibnizio in hac arte debeat, quid ex ſua penu addiderit, et quam prudens ſit inuentis aliorum, ſi vera deprehenſa fuerint, ita vti, vt, quid de ipſis rebus ſtatuendum ſit, iſta conſideratione planius determinetur.

(N) *Stipendio auctus eſt.* Exhibet αὐτόγραφα huius vocationis, actorumque in hac re GOTTSCHEDIVS [d]. Luculenta ſpecimina in iis eminent gratiae et fauoris erga literas in aula Berolinenſi, omnibus principibus imitanda. Commendauit eo tempore Wolfius ad cathedram Witebergenſem B. I. Matthiam Haſium noſtratem, quocum diu Lipſiae amiciſſime vixerat, quem in mathematicis diſciplinis exercitatiſſimum carum habuit Leibnizius, nos praeceptorem mathematicarum ſcientiarum habuiſſe, grati recordamur.

(O) Etiam de hac ſyſtematis ſui metaphyſici et coſmologici origine, natura et incremento ipſe WOLFIVS l. c. audiendus eſt [e].

(P) *De eo ſibi vindicando cogitare coeperat.* Non ſine iucunditate et attentione legi et expendi merentur, quae ea in re acta ſunt, et ex memoriis originalibus vulgauit *biographia Gottſchediana* [f], ex qua narratione multum gloriae accedit auguſtiſſimo Petro Ruſſorum monarchae, qui ſatis intelligebat, quantum in monarchia valeant philoſophiae praeſidia. Qualia exempla ad inuidiam veterum ſeculorum colligi hiſtoriae philoſophicae et vtilitatis communis intereſſe, non praeter rem iudicamus.

(Q) *In exilium abire iuſſus eſt.* Poſtulat hiſtoria perſecutionis Wolfianae peculiarem et acuratam tractationem, nec partis ſtudio, nec inuidiae ſtimulis, nec vehementiae impetu conſcribendam. Cum enim innumerae circumſtantiae litem valde intricarent, et pro aris atque focis antagoniſtae Wolfii pugnarent, vt impietatis maculam Wolfio magnis accuſationibus in aula et academia affricarent, ipſe magno animo et acerba controuerſia aleam literariam expertus eſt, vnde ex vna parte horrendae accuſationes, ab altera vehementes apologiae auditae ſunt, eo quod graultate argumenti et nobilitate quaeſtionum magnis animis atque iris concertatum eſt: occaſionem ſuppeditantibus, quas Wolfius anno cIↃIↃccXIX. ediderat, *cogitationibus rationalibus de Deo, mundo, animaque hominis et rebus omnibus in genere conſideratis.* „Cum enim nouum „ſyſtema ontologiae atque metaphyſicae velut nouam aliquam ſcien„tiam philoſophicam, vel plane non, vel ſub philoſophiae primae no„mine non recto ordine modoque hactenus traditam condere coepiſſet, „inque eo principia philoſophiae ſuae, a receptis paulo remotiora expli-

d) Comparanda cum his ratio praelectionum ſuarum in matheſin et philoſophiam vniuerſam, quae 1718. prodiit.

e) loc. cit. c. VII. §. 68. p. 211 ſeqq.

f) pag. 17.

„cuiſſet, ſuſpectus eſſe coepit, quod cum religionis dogmatibus philo„ſophia eius non ſatis amice conſpiraret. Erant qui ad omnes res Noſtri „attenderent, quibus nonnulla quoque in ethica, quam nouam eo tem„pore ſtruxerat, diſciplicebant, nec variae defuerunt increſcentis ſu„ſpicionis cauſſae atque occaſiones[g], donec tandem ignis ſub cinere latens „in apertam flammam erumperet. Cum enim anno cIↃIↃccXX. faſces „academicos deponeret, habita ex more oratione ſolenni de *philoſophia „Sinenſium practica*, eam ambitioſius laudando concordiamque philoſo„phiae ſuae cum Confuciana iactando, academiae doctores publicos, „praecipue theologos ita irritault, vt publice de eo eiusque philoſophiae „damno conquererentur, tandemque fatali conatu vnus ex auditoribus „pridem ſuis, Daniel Straehlerus publico ſcripto eius doctrinam metaphy„ſicam critico examini ſubiiceret, quo ſigno dato cantoque claſſico fero„ciſſimum illud bellum philoſophicum et literarium inter Cel. Wolfium „eiusque aduerſarios ortum eſt, quod totius fere Europae aures fecit ar„rectas, et circumſtantiarum momentis non in veteris tantum philoſo„phiae hiſtoria ſimile non habuit, ſed ſuo quoque modo controuerſiis „Rami, Carteſii, Pufendorfii, Thomaſii recentiori aetate celeberrimis „praeferri poteſt". Haec dudum, prodeunte *decade prima pinacothecae ſcriptorum illuſtrium* ſcripſimus, ab vtraque parte et imprimis Wolfio ante vulgatam editionem lecta et probata, vnde facile hariolari quis poſſit, in hoc bello philoſophico Iliacos intra muros et extra peccatum eſſe. Monuimus enim tunc, cum iſtud elogium ab vtraque parte publice legendum proſtaret: „vtriusque partis narrationes et acta ſibi contradicere, arca„nasque cauſſas ſuggeri paſſim inter ſe longe diuerſiſſimas, totamque „controuerſiam ita nodis ſuis implicatam eſſe, vt exitum Lector vix in„ueniat". Id eo magis eueniſſe, recteque a nobis obſeruatum eſſe concludi poteſt ex fatis Wolfianis, redeunte ad priſtinas ſedes et libertatem philoſophandi Wolfio, qui tum quidem apud regem fel. mem. a duobus ducibus bellicis delatus tanquam religionis hoſtis intra biduum ſub comminatione laquei terris regiis excedere iuſſus erat [h]. Ita vero rationem ſimul reddidimus, cur hanc famoſiſſimam controuerſiam ſpeciali enarratione non tetigerimus, rati, feliciter ſatis id eo tempore fieri non potuiſſe. Et eadem adhuc ratio nos vrget, cur in tanta praeſentis ſupplementorum operis anguſtia, rerumque dicendarum copia plura lectoris curioſitati non exhibeamus, ſed ad duumuiros in hiſtoria Wolfiana ſatis accuratos et copioſos, GOTTSCHEDIVM [i], et LVDOVICI [k] remittamus, qui curioſitatem lectoris vacuam non dimittent. Nos vnum obſer-

g) Legenda hiſtoria Wolfiana cl. LVDOVICI loc. cit. §. 138. p. 95 ſqq. qui ipſe caute incedit, non negat tamen, quandam Wolfii indignationem contra prochotrophaeum Halenſe videri primos igniculos ſuppeditaſſe.

h) Conſulendus omnino GOTTSCHEDIVS, qui acta διπλώματα, regiumque mandatum originale attulit P. II.

i) Sect. II. integra p. 53 ſqq. vbi omnia ex monumentis publicis demonſtrantur.

k) P. I. Hiſt. phil. Wolf. §. 328. p. 179 ſqq. P. II. §. 31.

Digitized by G

obſeruamus, quod multoties in actis philoſophorum deprehendimus, ſtudia hominum, partes electas, nouae ſapientiae ambitionem, neglectam attentionem, totamque *παθημάτων* philoſophis indignorum cateruam inuidia doctorum academicorum ſolenni ſufflante tales ſpeciales narrationes fatorum philoſophicorum corrupiſſe, vt hodie quoque, vbi bellum illud partisque ſtudium deferueſcere coepit, attamen ex praeſentibus auctorum libris et ſcriptionibus accuratus et veritati arcanae reſpondens commentarius nondum potuerit erui, multaque credamus, inter abdita ſeruaſſe poſteritati ſcrutanda noſtrorum temporum diligentiam [1]. Cèterum hoc quoque annotationem meretur, et Wolfii nomine quoque dignum eſt, quod in turbulenta hae annorum 1720. 1721. 1722. ſerie eam tamen animi praeſentiam, eam philoſophandi fortitudinem habuit, qua dogmaticae philoſophiae naturalis inſtitutiones titulo, *de operationibus et effectibus naturalibus* conſcribendo et ad thronum Ruſſorum monarchae deponendo iteratam clementiae eius confirmationem experiretur. Non tamen cauſſae ſuae defuit Wolfius, ſed prius, quam abire ex terris regiis iuberetur, ad obiectam ſibi praedeterminationem rerum omnium a Deo, rerumque accidentium neceſſitatem hypothetieam reſpondit edita luculenta commentatione *de differentia nexus rerum ſapientis et fatalis neceſſitatis, nec non ſyſtematis harmoniae praeſtabilitae et hypotheſium Spinozae, in qua ſimul genuina Dei exiſtentiam demonſtrandi ratio expenditur, et religionis naturalis multa capita illuſtrantur:* cui poſtea monitum quoque acceſſit. Aſt his non obſtantibus fulmen ab arce tamen effecit, vt academia Halenſis hoc doctore priuaretur.

(R) *Metaphyſicam annotationibus illuſtratam edendo obiectionibus aduerſariorum ſatisfaceret.* Praecipuus hic philoſophiae Wolfianae Achilles eſt, quocum tot viri docti congreſſi ſunt, qui vero ſyſtematis nexu, et clariori aſſertionum expoſitione plerorumque tela fortiter retudit. Quare hoc alterum metaphyſicae Wolfianae volumen eius, quod in hiſtoria ſcriptorum ſuorum dedit, compendium [2], valde illis commendandum eſt, qui ſingulares doctrinas, quae tantum puluerls oculis obiecerunt, cognoſcere cupiunt. Lectis his illuſtrationibus, quibus vir ſummus multis lucem accendit, obſcura illuſtrauit, incerta firmauit, logomachias detexit, verumque ſenſum expoſuit, factum eſt, vt multi viri docti et acuti in caſtra Wolfii tranſirent, certe illa pericula reformidare deſinerent, quae orbem theologicum et philoſophicum contra eum armarunt, cum luſtam neceſſitatis, veritatis, demonſtrandi principii indolem explicuiſſet, et ad dubia reſpondiſſet, inter quos fuiſſe CANZIVM theologum Tubingenſem

l) Huc ea pertinere putamus, quae de cauſſis arcanis huius belli philoſophici loc. cit. §. 138. p. 95. afferuntur, quae perſonatus NICOLAVS VERIDICVS IMPARTIALIS BOHEMVS, de arcanis et memorabilibus cauſſis et circumſtantiis dimiſſionis Wolfianae attulit: qui, quamuis neutri parti addictus eſſet, ipſum tamen Wolfium occaſionem conſtitrae collegarum inuidiae ſuppeditaſſe non plane praeter rem obſeruauit.

m) De ſcriptis ſuis c. 7. §. 68 ſqq. p. 211 ſqq.

alio loco [m] narrauimus, et ad eius librum de *vſu philoſophiae Wolfianae in theologia* prouocauimus. Idem euenisse aliis quoque, ſibique ipſi teſtatus eſt GOTTSCHEDIVS [n]. Sed et gratia principum Haſſiae frui indies magis expertus eſt.

(S) *Acutiſſimi Bulfingeri eruditio.* Adeunda de acris iudicii et profundae doctrinae viro *pinacotheca noſtra* [o]. Pertinent huc eius commentationes ſiue *dilucidationes de Deo, anima, mundo et generalibus rerum affectionibus*, liber *de harmonia praeſtabilita*, et *de origine mali*, in quibus potiſſimum id egit, vt ſaniores verioresque atque innocentiores ſenſus eſſe aſſertionum Wolfianarum, quam ab aduerſariis ex ignorantia vel maledicentia illis tribuuntur, euinceret; qui labor ipſi Wolfio valde probatus eſt [p].

(T) *In partes factionum raptis.* Longum ſyrma trahit catalogus Ludouicianus de libellis eriſticis in cauſſa philoſophiae Wolfianae [q], quem non exſcribimus, cum hi indices ad bibliothecam philoſophicam, non vero hiſtoriam philoſophiae criticam pertineant. Multa quoque has lites illuſtrantia, et argumentorum in Wolfium vibratorum recenſionem exhibet *ſylloge* IOACHIMI LANGII [r], qui ſe Antiwolfianorum promachum praeſtitit, Halae edita, qua auocaturum ſe omnes a partibus Wolfii amplectendis, ſperabat, oſtenſurumque promittebat, fruſtra errores palliari et ad ſaniores ſenſus reuocari.

(V) *In academiis ſuis requirerent.* Factum illud ab aula Iſenacenſi Saxonica, et Wirtembergica, quae iudicium Ienenſis et Tubingenſis academiae poſtulabant. Reſponderunt profeſſores theologi et philoſophi, ita tamen, vt ſententiis variarent, nouique inde motus orirentur. Reſcripta principum adducunt ſcriptores hiſtoriae literariae Wolfianae, qui videndi [s].

(X) *De eo reuocando cogitabat.* Arcanam huius commutationis redeuntisque ad Wolfium gratiae enarrant memoriae Wolfianae Gottſchedii, qui, ne longi ſimus, ipſe videndus [t]. Pararios ſe exhibebant, princeps Anhaltinus, belli Dux Grumkouius, et Coccelus cancellarius. Eorum teſtimoniis et commendatione factum eſt, vt cum conſiliarii intimi, et vicecancellarii academiae Halenſis dignitate ſtipendium bis mille Thalerorum offerretur. Ita qui duorum Ducum militarium accuſatione in exilium electus erat, duorum ducum militarium excuſatione et commendatione, fatis ita volentibus, cum rege irato reconciliatus et non ſine inſigni honore reſtitutus eſt. Non annuebat tamen nouae vocationi Wolfius, niſi impetrata prius regis Sueciae, in cuius ſtipendio militabat, venia et conſenſu.

(Y) Ante-

m) In pinacotheca ſcript. illuſtr. Dec. VI.
n) loc. cit. p. 78.
o) Dec. III.
p) loc. cit. §. 82. p. 239 ſqq.
q) T. II. c. 14. §. 528 ſeqq. p. 504 ſeqq.
r) Sylloge ſ. recenſio 26. ſcriptorum in nouem academiis contra Wolfianam philoſophiam editorum, quae Halae 1726. vernacula prodiit.
s) Elog. Gottſched. p. 35. LVDOVICI P. I. p. 208. P. II. p. 175. 176.
t) pag. 91 ſeqq.

Digitized by Google

(Y) Antefignanum fe iterum praebuit Ioachimus Langius, qui et fcripto et voce apud regem priftinas accufationes repetebat. Quas cum fcripto comprehendi iuffiffet rex fapientiffimus et aequiffimus, et refponfum Wolfii defideraffet, res tandem, iudicio B. Reinbeckii, prius expetito, regiae commiffioni praefide incomparabili Cocceio tradita, et theologi in partes curarum adhibiti funt [w], ex quorum fententia Wolfius ab impietatis fufpicione abfolutus eft. Redeuntis huius nouae lucis philofophiae Wolfianae memoriam conferuauit numus aere cufus, in quo huic *aeui noftri Mercurio* (ita quidem Infcio Wolfio fcribebat, qui infcriptionem defignauerat) *laus ea tribuitur, quod mathefin peruiam, philofophiam firmam et vtilem reddiderit, clare et diftincte vtramque docuerit, nemini, nifi aemulis, grauis fuerit* [x].

(Z) Prodiere opera Latina, deductiore ordine et copiofa demonftratione ad prolixitatem vfque perducta, I. *Philofophia rationalis*, 1718. II. *Philofophia prima*, 1730. III. *Cofmologia generalis*, 1731. IV. *Pfychologia empirica*, 1732. 1734. V. *Theologia naturalis*, 1736. 1737. VI. *Ius naturae qua obligationes et iura connata explicantur*, Vol. I. et II. 1740. 1742. Vol. III. et IV. De modo acquirendi dominium 1743. et de donationibus et contractibus 1744. Vol. V. De contractibus onerofis, 1745. Vol. VI. De dominio vtili et in fpecie feudi, Vol. VII. De imperio priuato et focietatibus, iureque perfonarum, 1747. Vol. VIII. De imperio publico feu iure ciuitatis, 1748. Vol. IX. Ius gentium naturale 1749. In quo vafto opere, fi nimiam prolixitatem exceperis, incertum, num folidae doctrinae et meditationis, vel improbi laboris patientiae vel perfpicuitatis maior ratio habenda fit. Succeffit I. N. *philofophia moralis*, feu *ethica methodo fcientifica pertractata P. IV. 1750-1754.* In elaboranda autem *oeconomia* verfatum morbus difficilis et infecuta mors occupauit. Lampada vero arripuit, et filum abfoluere coepit cel. HANOVIVS plaudente orbe literario, de quo fuo loco dictum [y].

(Aa) Speciales circumftantias huius honoris enarrat *elogium Gottfchedianum.* Habuit tum in aula fereniffimi electoris Bauariae, vicarii imperii, amicos potentes Wolfius, inter quos hoc loco non fine honore nominandus illuftris ICKSTADTIVS [z], qui ex difciplina Wolfii Marpurgenfi ad honorem fummi praefidis academiae Angelopolitanae eft progreffus, quique praeceptoris philofophiae aditum et praefidium contra fcholafticos parauit. Dici enim non poteft, quam auidi Wolfianam philofophiam in Bauariae electoratu amplexi fint, quicunque nugarum fcholaftica-

w) Iablonskius, Reinbeckius, Noltenius, Carftedius.

x) Appellationis huius rationem expofuit epigramma Braemii imagini Wolfianae fubiectum:

Ter magnum Hermetem coluit Memphitica tellus
Ter magno maior Wolfius ore nitet
Hermes Aegyptum fapientem reddidit olim,
Orbem luce noua Wolfius irradiat
Iure Hermete fuo Memphitica terra fuperbit
Sed quid tu grato peftore, Teute, facis?

y) Pinacoth. Dec. X.

z) Pinacoth. Dec. I. conf. LVDOVICI P. II. §. 486. p. 448 feqq.

laſticarum pertaeſi ad meliora et lucidiora adſpirabant, cuius teſtimonia certiſſima attulit FRANCISCI ROTHFISCHERI biographia et apologia [a], qui videndus. Haec enim ſpecialiora locum in noſtrae paginae anguſtia non patiuntur. Probatam autem illam ab eo tempore etiam in terris Romanae eccleſiae addictis et ſine damnationis nota publice receptam editio Veneta probat, cuius tamen plura exemplaria igne fatali deleta ſunt. Curauit eam editionem SERRERIVS medicinae doctor. Idem in Gallia euenisse, vel vnius Chateletiae, illuſtriſſimae foeminae exemplum.

(Bb) *Iudicare poterat.* Legi ea de re non ſine vtilitate philoſophiae ſtudia proſequentium, quae vir illuſtris c. 3. de methodo ſua ſcripſit, digna, quae ob egregias obſeruationes iuuenum philoſophiae ſtudia aemulantium attentioni iterum atque iterum commendentur.

(Cc) Non inter poſtrema viri ſua aetate maximi merita, hoc eius de lingua Germanica augenda et amplificanda ſtudium reputandum eſt. Quod enim Ciceroni magnae laudi datum eſſe ſupra [b] annotauimus, quod Latii ſermonem, transferendo Graecorum terminos artis in Latinam linguam valde ditauerit; id maiori iure Wolfio tribuendum eſſe putamus, cum non exiguum iudicium ſermonisque patrii poteſtas haud vulgaris requiratur, ſi quis Graecos et Latinos ſcholaſticae ſapientiae terminos Germanice ita vertere nouerit, vt ſalua perſpicuitate, ex ipſo termino Germanico minime barbaro auresque laedente, (quales ſatyricus magis, quam ſerius ZEIDLERI calamus antea ridendi cauſſa effinxerat [c]), conceptus mentis dirigantur. Qui tamen cum, quando noui adhuc ſunt, non ab omnibus intelligantur, ideo laudandum eſt cl. LVDOVICI [d] conſilium, qui eiusmodi terminorum latinorum indicem Germanice exhibuit: recteque egiſſe B. GOTTSCHEDIVS iudicandus eſt, qui vernaculis Latina ad latus marginis appoſuit. Ab eo tempore Germanica lingua philoſophari in vernacula didicit, et pulcherrime amplificata eſt.

(Dd) *Cuncta referret.* Multa praeclara de hac libertate philoſophandi eclectica attulit philoſophus Halenſis in *hiſtoria ſcriptorum ſuorum philoſophicorum vernacula editorum* [e], quae, quo magis perſpicue et eleganter enarrantur, eo magis non poſſunt non commendari veritatis ſtudioſis. Quae potiſſimum eo tendunt, vt auctoritatis praeiudicium iugulando, ſe, ſua lumina, non aliorum, ſibi criterium veritatis poſuiſſe, confirmaret. Vnde omnem eclecticam philoſophandi libertatem in eo ponit, vt quis vſum

a) Victoria veritatis, p. 38 ſeqq. qui imprimis legendus eſt, vt fortuna philoſophiae Wolfianae in lyceis et monaſteriis Rom. eccleſiae intelligi poſſit. Magnae multaeque laudes in methodum Wolfianam in eo libro a multis congeruntur, quibus fruſtra inuidet Deſingiana vitilitigatio, quae ius eius naturae ingenti ariete conuellere ſtuduit, re ipſa cognoſcendi principia confundendo et more ſcholae ſuae male cohaerentia conſarcinando, dum montem parturientem oltentabat, ridiculum murem peperiſſe iudicatus eſt.

b) Tom. II. p. 46. not. e.

c) *Metaphyſica* oder *Vbernaturlehre, aus dem Lat. Grundtext in unſere hochdeutſche Frau Mutterſprache überſetzt*, qui libellus, fauente Chr. Thomaſio, ad ridendam theologiam ſcholaſticam, prodiit. Amari lii riſus ſunt et viro ſerio rem agenti indigni.

d) loc. cit. P. II. §. 223 ſeqq.

e) §. 39. p. 184 ſeqq.

Digitized by Googl

vſum rationis ſuae rite praeparatae ita adhibeat, vt non niſi illis veritatibus aſſenſum tribuat, quae eum neceſſario extorqueant *f*. Non negat tamen philoſophus cautiſſimus, philoſophandi libertatem tunc ſuos limites pati, ſi communis ſalus et ſecuritas detrimentum capit *g*, vnde caute poſtulat, in adhibenda cogitandi libertate eo reſpiciendum eſſe, vt pura et intemerata conſeruetur diuina religio, vt virtutis incrementa promoueantur, vt legibus ſtatuique politico quod aduerſum ſit, nihil ſtatuatur, vt reipublicae et auctoritatis magiſtratus recta habeatur ratio. Quibus velut in nuce comprehenſis principia prudentiſſima poſuit, quae vero ipſum ſaepe numero migrauiſſe aduerſarii clamauerunt. Quo iure, quaue iniuria, illi tantum dicent, qui, quid diuinum, quid humanum ſit, ex iuſtis limitibus definient, et aduerſariorum accuſationes cum Wolfianis apologiis ἄνευ παθῶν examinabunt. Quem vnicum vtilem finem eſſe poſſe collectionum librorum eriſticorum *h* in hac controuerſia editorum concedent nobis, quibus experientia notum eſt, veritatem contentione et litigatione ſaepe amitti. Alia, quae vir acutiſſimus hoc loco cumulat, et imprimis docet, conſequentiarum machinis ingenti veritatis damno libertatem philoſophandi infringi, lectori ipſi legenda, examinanda, ponderanda, quod omnino merentur, relinquimus. Exemplo id Noſter luculento doctrinae de antipodibus illuſtrauit, quod robur poteſt accipere ex iis, quae de controuerſia Virgilii Salisburgenſis cum Bonifacio, Moguntinorum archipraeſule ſuo loco diximus. Euidenter vero ex his litibus philoſophicis in cauſſa philoſophiae Wolfianae eluceſcit, ex vtraque parte non minus pro auctoritate receptae hypotheſeos et ſapientiae a patribus acceptae, pro tuenda auctoritate ſua, contra amaros riſus et ſuperbum contemtum elatasque criſtas aduerſariorum, pro vocibus indeterminatis et obſcuris, et, ſi verum dicendum, nihili, pro famae aeternitate nomineque magno in orbe literato obtinendo, pro partibus ſuis augendis, firmandisque etc. quam pro veritate fuiſſe dimicatum, iuſtos vero amicae et ſapientis controuerſiae terminos maxima licentia multos fuiſſe transgreſſos, nec magnopere adiutum illo morum et philoſophorum amarore ſapientiae ſtudium.

(Ee) *Quod fatis tantopere aduerſis tranquillo animo cedere nouerat.* Legenda ea de re eſt luculenta Noſtri commentatio, qua cauſſae ſuae bonitatem ex aduerſariorum inſidiis demonſtrat, vt character animi ſummi viri poſſit perſpici. Effecit haec animi moderatio et tranquillitas, vt et conuerſatio eius iucunda eſſet, et a principibus viris amaretur, cuius exempla adduxit *Gottſchedianum elogium* *i*.

(Ff) Circumſtantias mortis Wolfii, piamque et Euangelii I. C. alumnum decentem praeparationem ad beatam analyſin attento intuenti animo,

f) pag. 132. *g*) pag. 135. *h*) Lvdov. P. I. c. 14. p. 177 ſqq. P. II. p. 504 ſeqq.
i) c. XIV. §. 814 ſeqq. p. 619 ſeqq.

animo, dulce erit ex narratione Gottſchediana [k] intelligere, qua tranquillitate humanam neceſſitatem exſoluerit; adeo bene conuenit philoſophiae cum religione.

(Gg) *Obiectum enim eſt illi.* Diuerſa fuere argumenta et obiectionum tela, quae in ſyſtema Wolfianum vniuerſum, maxime vero metaphyſicum coniecta ſunt, a variis auctoribus vario ſcopo profecta, vario fine intentata. Quaedam autem innocenti et laudabili intentione propoſita, vt quae primo valde paradoxa viſa erant, vel inſolitis phraſeologiis explicata, et ad receptos hactenus orbis tum chriſtiani, tum philoſophici ſenſus et decreta minus commode componenda, et anguem in herba latitantem prodere credebantur, examinata, et eductis in aciem rationibus in dubium vocata emendarentur, et certius et ſalubre plane cogitandi ſyſtema inde erui, pretioſum a vili ſeparari, et veritati cuique, attente prius exploratae et ſine partis ſtudio examinatae ſuum, quod merebatur, pretium tribui poſſet. A quo rectae mentis ſenſu omnes Wolfianae philoſophiae antagoniſtas excludere velle, eſſet iniquiſſimum. Certum enim, ſi huius generis diſputationes animo patiente, attento, et ſine affectus intemperie, ira, partis ſtudio, ſimilibusque veritatis impedimentis, fuiſſent ventilatae, ſi vnica veritatis cauſſa militaſſet, ſi patienter diſputantes inter ſe fuiſſent congreſſi, ſi humanitatis et modeſtiae terminis iſtae lites fuiſſent coërcitae, ſi non ſuo tantum, ſed et aliorum iudicio aliquid fuiſſet tributum, ſereniora fata, quam factum eſt, mature fuiſſe proditura: virosque doctos ſuo ſe, id eſt humano modulo ac pede metientes limites poſituros infrunitae, quae regnabat, rixandi libidini, et vel in amicos complexus ruituros, vel ſaluis ſententiarum diuortiis, tolerantiae philoſophicae et humanitatis ac *φιλανθρωπίας* rationem habituros. Aſt cum deplorandа humani animi corruptione affectuum, irae, odii, inimicitiarum, ambitionis, maledicentiae, commodi, inuidiae, quique alii morbi ſunt, quibus animus humanus in praeceps agitur, furiae acceſſiſſent [l], pudenda vbique locorum in partes raptorum ſtudia ita exarſerunt, vt in tota hiſtoria philoſophica, ſimile quod Wolfiano ſit, bellum nobis, omnes eius angulos exploranti, exemplum non occurrat. Quorum conſideratio ſemper apta nobis viſa fuit ad retundendam humani ingenii ſuperbiam, faſtum, proteruiam, et excitandam modeſtiam ſecum habitantem, nec opinioni ſuae, nec laudibus aliorum, nec eruditioni atque hominum iudiciis nimium tribuentem, ſed placido et tranquillo animo, ſine partis et praeiudiciorum ſtudio veritatem patienter excutientem, et ita decernentem, vt conſtare queat, et recte omnia nos intellexiſſe, et perſpicue quoque propoſuiſſe, et ita animum nos ſimplicem et veritatis ſtudioſum ſeruauiſſe. Quae omnia fere dum in bello iſto philoſophico deſideramus, mirum lectori non videbitur, ſi a iudicio de his controuerſiis ferendo

k) pag. 146 ſeqq.
l) Legenda quae in hiſtoria Ludouiciana P. II. §. 138 ſeqq. p. 94. ediſſeruntur, et ad arcanas rationes controuerſiae pertinent.

Digitized by Google

ferendo abſtineamus, lectoremque ipſum iubeamus paginas iſtas inter ſe comparare, quae magnis iris et commotionibus velut maiora tela ex catapultis euibrata ſunt. Quorum auctorum nomina ex vtraque parte nominare nos certe pudet pigetque, qui dolemus hodie, tantorum ex vtraque parte virorum, qui reuera ornamenta ciuitatis literariae fuerunt, otia ita fuiſſe turbata, vt ſaepe maxima de nihilo enaſceretur hiſtoria. Lector itaque aequo animo patietur, quod indicem ſcriptorum non ſubnectamus, qui in hoc puluere pugnauerunt. Dabit eum Ludouiciana diligentia [m], qui collectiones eiusmodi ſcriptorum eriſticorum inſtituere, exiguo ſcientiarum vſu et incremento conſtituerat. Eos autem, qui capita atque ſummam accuſationum ex vno ſpecimine, aſt memorabili, quod aliis exemplum extitit, totum accuſationum argumentum et capita diſcere cupiunt, ad IOACHIMI LANGII theologi Halenſis *anatomen, ſeu ideam analyticam ſyſtematis metaphyſici Wolfiani, qua illud integra compage ſua ſecundum ſuam ſic dicti idealiſmi et materialiſmi geneſin euiſceratum exhibetur*, dimittimus; quique impatienter talia longiuſcula et hodie, vbi controuerſia defiit, taedioſa legere perhorreſcit, ad neruoſum I. B. SYRBII reſponſum ad aulam Iſenacenſem de erroribus philoſophiae Wolfianae [n] ablegamus, qui, vt ſtricte ſolebat ſua conſcribere, ita aulae rem breuiter et ſuccincte conatus eſt repraeſentare et exponere. Legitur illud in LVDOVICI *hiſtoria Wolfiana* [o], et diligenter comparandum eſt cum apologetis Wolfianis, quorum quoque nomina excitat Ludouiciana Wolfii hiſtoria. Nobis enim lectorem his ſpecialioribus detinere, crambenque, quae dudum multoties poſita mors euaſit, recoquere, inſtitutum locusque non permittit.

(Hh) *Et ipſe vir ſummus interdum non ſine omni acerbitate.* Factum eſt illud ſingulari vehementia in controuerſia, cuius ferram cum B. Buddeo reciprocauit Wolfius; quaeque aliquot ſcriptis amoebaeis contra et pro Buddeo, magnam acerbitatem demonſtrantibus portam aperuit. Et optandum quidem erat, vt ex his tricis immunis fulſſet ſeruatus B. theologus, a controuerſiarum velitationibus mire natura ſua et ingenio abhorrens, et a Wolfio perſequendo vel calumniando toto coelo remotus, qui, quanquam incomparabili eruditionis copia florebat, Wolfianam philoſophiam tamen nec ſatis callebat, et exoterico ſcribendi genere exercitatus, profundam illam et eſotericam Leibnizii Wolfiique metaphyſicam non ſatis aſſequebatur, paradoxarum autem hypotheſium ſenſus, metu religionis humanae mentis audacia violandae, ſuſpicacius reliciebat, publice vero nihil decreuerat, ſed rogatus tantum ab amicis Halenſibus priuatum reſponſum ſcripſerat, ſatis ſibi cauens, ne in publicum vul-

m) c. XIV. P. I. p. 177 ſeqq. §. 272 ſeqq. P. II. p. 504 ſeqq. §. 522 ſeqq.

n) Addenda autem STRAEHLERI examen cogit. rat. WOLFII de Deo, mundo et anima, et fac. theol. Hal. annot. ad metaphyſicam Wolfianam: in quibus libellis potiores impurationes Wolfio factae comprehenduntur.

o) Exhibet illud integrum LVDOV. P. I. p. 239-249.

gatum flammas, vti factum, accenderet. Quod cum praeter fidem datam, auctoritate nominis Buddeani freti amici Halenſes feciſſent, tam aegre tulit Wolfius, vt dentatis chartis aliquot nec nomini, nec eruditioni, nec muneri Buddeano parceret, et quocunque loco poſſet, eum acerbe roderet [p]. Cuius acerbitatis a chriſtiano philoſopho vix expectandae cum non aliam rationem afferat, quam quod ipſum in Spinoziſmi et fataliſmi ſuſpicionem adducere conatus ſit, luculento ſpecimine prodidit, facilius eſſe philoſophari, quam philoſophice viuere. Buddeus autem, qua erat animi placidiſſimi modeſtia, prudentiſſimo ſilentio totum iſtum furorem compeſcuit.

(Ii) *In concordiam redacta ſunt.* Laudabilem in hac illuſtranda doctrina ſyſtematis Wolfiani et caſtioribus ſenſibus eruendis operam praeſtitit prae aliis, in Tubingenſi ſchola biga virorum *νῦν ἐν ἀγκοις* triumphantium. Vnus ISRAEL THEOPHILVS CANZIVS, cui debemus *philoſophiae Leibnizianae et Wolfianae vſum per praecipua fidei capita*, librum profunda doctrina refertum, ſed qui intellectum vſu et attentione exercitum poſtulat [q]. Alter GEORGIVS BERNARDVS BVLFINGERVS, qui magno acumine et *ἐυσοχίᾳ* lumen obſcurioribus aſſertis Wolfii in *dilucidationibus de Deo, mundo et anima*, itemque *de harmonia praeſtabilita*, accendit. Quibus tertium addimus ſuo iure B. Io. GVSTAVVM REINBECKIVM, qui in *orationibus S. ſuper A. C.* Opere immortali, dextre et luculenter demonſtrationes huius philoſophiae ad illuſtranda religionis A. C. capita adhibuit, quamuis minime ſectarius [r]. Tacemus eorum diligentiam, qui Wolfianae ſapientiae vſum, quem promittunt, egregium in diſciplinis fere cunctis oſtendere ſategerunt. Id quod Iureconſultos et Medicos quoque praeſtitiſſe ex eorum catalogo apud LVDOVICI [s], qui vſum Wolfianae philoſophiae in ſublimioribus diſciplinis expoſuerunt, conſtare poteſt. Inter quos celeberrimum nomen habet, qui pro methodo demonſtratiua in iurisprudentia vtiliter adhibenda multis ſpecimínibus vigilauit, illuſtris CRAMERVS, quae et nos ſuo loco enumerauimus [t], et diligenter recenſet Ludouiciana hiſtoria. Idem ſaxum voluiſſe illuſtrem ICKSTADTIVM ſupra monuimus. Alios, ne nimii ſimus, praeterimus.

(Kk) *Inique ſummo viro imputata, demonſtratum.* Factum id imprimis in controuerſiis propter Wolfianam ſapientiam lenae agitatis cum Carpouio et Dariesio, quaeque propter Wertheimenſis interpretis audaciam in Imperio acta, et ad inuidiam Wolfianae literaturae pertracta ſunt [u]. Quae cum

p) Vid. index hiſtoriae ſcriptorum Wolfii v. Budde. Eiusd. clara demonſtratio contra Buddeum etc. LVDOV. ll. cc. Ad retorſionis ius enim reuerſus ſcepticiſmum, materialiſmum, calumniam, inuidiam, ſophiſticen etc. imputat, et imprimis §. 121. 122. prolixe enarrat, quo pacto ſe defendendum eſſe iudicarit.

q) LVDOV. P. I. §. 189. p. 187 ſeqq. Prodiit liber 1728. 1732. Tub. 1734.

r) Vid. praef. T. II. hiſtoria celeberrimi operis in hiſt. liter. theol. quaerenda eſt.

s) Et hos quoque in ſcenam producit Ludouiciana hiſtoria phil. Wolf integro c. XIII. P. I. p. 156. P. II. p. 363 ſeqq. Adducuntur eo loco ex ICtis Rohrii, Kühnii, Sellii, Crameri, Ickſtadtii, Schierſchmidii aliorumque, et medicorum Schreiberi, Thebeſii, Bergeri nomina. Oratores, poëtas, philologos ibidem adiici videas.

t) In Pinacoth. Dec. X.

u) Etiam has turbas enarrat IDEM §. 516. p. 423.

Digitized by Googl

cum ad hiſtoriam theologiae polemicae pertineant, hoc loco pluribus tangi non poſſunt.

(Ll) *Longe fuiſſe remotum, dubitandum haud eſt.* Videnda, quae de fuga ſectariae philoſophiae a ſe diligenter adhibita paſſim loquitur [x].

(Mm) *Vindicarunt.* Nomina promachorum et ſectatorum Wolfii ordine alphabetico enarrat cl. LVDOVICI [y], inter quos Bulfingerum, Canzium, Engelhardum, Frobeſium, Riebouium, Tileſium, Wagnerum, cum reliqua turma virorum ingenii acumine eminentium eximie in hac hiſtoriae philoſophicae particula laudari videas. Fuiſſe inter eos fabrum aliquem ferrarium Smalcaldicum Io. Valentinum Wagnerum, qui contra Langianas obſeruationes Wolfianam ſapientiam tuitus eſt, in annalibus philoſophicae hiſtoriae annotari dignum eſt. Conſtat eo exemplo, non Socratis tantum tempore ſapientiam non dedignatam eſſe cerdonis officinam, ſed poſt multa ſecula ingreſſam quoque officinam ferrariam. Inter primos autem ſectatores V. C. et philoſophiae eius nimis mature ereptus fuit, *Ludouicus Philippus Thummigius*, fidus et ſtrenuus non conuictor tantum et famulitii Wolfiani aſſecla, ſed felix quoque patroni et praeceptoris diſcipulus *γνήσιος* in academia Halenſi et Marpurgenſi [z]. Is in exilium praeceptorem ſecutus, munus prae doctore ſuo deſerere maluit. Plurimum huic viro docto debet Wolfiana philoſophia, quam Latino ſermone primus nitidis et perſpicuis inſtitutionibus illuſtrauit, vnde multi hos labores Latinos, quam vernacula opera ipſius praeceptoris in vſum adhibere maluerunt, Thummigiana enim ille philoſophumena ex ſuis inſtitutionibus hauſta non probauit tantum, ſed et commendault. Nec venerandus multisque meritis de eccleſia et humanitatis literis illuſtris academiae Lipſienſis theologus Io. AVG. ERNESTI [a], et quem nuper orbi et academiae literatae ereptum dolemus cel. Io. CHRISTOPHORVS GOTTSCHEDIVS omittendi ſunt. Ille enim in elegantibus *initiis doctrinae ſolidioris* [b], Wolfianam philoſophiam puro caſtoque ore Romano, hic Germanico perſpicuo artis terminos proloqui [c] docuit. Tacemus alios, non minus praeclare de hoc philoſophandi genere promeritos, nominatos in Ludouiciana hiſtoria [d], cum prolixiora noſtra tractatio refugiat, illoque ex fonte ſpecialia, quantum hodie ſatis eſt, poſſint haurirl.

423. et P. I. §. 201. p. 163 ſeqq. De Wertheimenſi interprete, qui ſolum tantum pentateuchum Germanice vertit, notisque et obſeruationibus inſtruxit Ioanne Leonardo Schmidio videndus Ven. WALCHIVS Intr. in interiores eccl. Euang. controu. P. V. §. 52 ſeqq. p. 1276 ſeqq. qui alios quoque adducit. Res ad hiſtoriam exegeticae theologiae pertinens, ideo inter Wolfianas lites connumeratur, quod methodum quandam exegeticam ad modum Wolfii imitatus eſt. Quem ideo in ſuſpicionem communis facinoris adduxit Langius in empaecta religioms, ſecuti ſunt alii, quos nominat LVDOV. l. c. P. I. §. 580. p. 597 ſeqq. Tota autem ſchola Wolfiana iſtam impietatem deteſtata, liberque in toto imperio Rom. Germ. publice proſcriptus eſt. Ipſe pro ſe Wolfius ad regem pium ea propter apologiam ſcripſit.

x) De ſcript. ſuis §. 40 ſeqq. p. 125 ſeqq. vbi praeclaris rationibus ſtudium ſectarium, velut *φιλόσοφον* iugulat. conf. ratio praelect. §. 43. monitum de ſua philoſophandi ratione.

y) P. II. §. 463. p. 319.

z) Vitam eius enarrat LVDOV. P. I. §. 472. p. 323 ſeqq.

a) Vid. Hiſt. ſcript. ſacr. p. 180.

b) Prodiit T. I. 1734. alter 1735. teſtisque eſt accurationis philologicae et philoſophicae auctoris.

c) Lipſ. 1734. 8. Is laudabili conſilio Germanicis terminos technicos Latinos appoſuit. Dolemus, beatum virum hiſtoriam phil. quam praefixerat, cum hiſtoria phil. barbaricae abrupiſſe.

d) P. I. p. 150.

(Nn) *Ringentibus philoſophis ſcholaſticis diuerterent.* Iucundum eſt, haec prolixius ex narratione ROTHFISCHERIANA intelligere [e], cum non tantum fortunam philoſophiae Wolfianae in cathedris Romanae eccleſiae mire illuſtrent, ſed pleraque epiſtolia et teſtimonia *αὐτόγραφα* afferat. De quibus tamen cum ſupra ſuo iam loco, quae huc pertinent, adducta ſunt, nihil in praeſentia cumulamus.

(Oo) *Inſtitutiones phyſicas ad mentem Wolfii exaratas edidit.* Plura ea de re diximus, et illuſtriſſimae philoſophae vitam ex memoriis a cl. Voltairio et Bernoullio ſuppeditatis enarrauimus in vita eius [f].

(Pp) *Alibi tamen propter breuitatem huius ſcriptionis enarrandis.* Debemus pleraque narrationi GOTTSCHEDII, qui exempla ex Gallia, Italia, Polonia, Belgio, ipſaque India Orientali adduxit.

(Qq) *Ex integro complexu poſſunt intelligi.* Vtili et luculenta tractatione illuſtris philoſophus methodum legendi ſua ſcripta et philoſophumena exhibuit, ex quibus luce meridiana clarius eſt, impoſſibile eſſe iliada Wolfianam in nuce comprehendere, vt tamen perſpicua et integritate ſua conſtans ſeruetur delineatio. Adeo autem diffuſae et prolixae tractationes eius philoſophicae ſunt, rationibus inter ſe connexis, vt ex tota cogitationum catena, ne vnum quidem membrum poſſit, ſalua perſpicuitate, omitti. Id quod praeſenti loco, vbi *ὡς ἐν παρέδῳ* philoſophiae Wolfianae hiſtoriam ſalutauimus, et a fine noſtri laboris tandem aliquando imponendo ſubinde vrgemur, fieri non potuit. Nec magnopere lector paucas lineas a nobis ducendas poſtulabit, qui vel vnicam ſcriptorum Wolfianorum hiſtoriam ab ipſo conſcriptam, ea, qua par atque digna eſt, attentione perlegerit, ex qua velut ex genuino compendio ſumma totius philoſophiae Wolfianae poteſt comprehendi, ſicque dulcius ex ipſo fonte aqua limpida hauriri. Concatenatae autem *διατυπώσεως* philoſophiae Wolfianae cognoſcendae cupidis prae aliorum laboribus vel *Thummigianas inſtitutiones* commendamus, vel viri clariſſimi Io. NICOLAI FROBESII *delineationem ſyſtematis philoſophiae Wolfianae* inſpicere iubemus. Is enim ordine concinno et eleganti totam philoſophiae Wolfianae ſummam tabulis mnemoneuticis incluſam, adſcriptis §§. numeris, perſpicue complexus eſt, et in annotationibus hiſtoriam literariam doctrinarum Wolfianarum vberem ſatis largaque manu attulit, vnde velut ex promtuario philoſophico materiam in poſterum deſumere poterunt, qui in explicanda hiſtoria dogmaticae huius philoſophiae verſabuntur. Et hactenus quidem de hiſtoria philoſophiae Wolfianae ſummatim egimus, quantum appendicis et ſupplementorum ratio poſtulabat et permittebat, quae innumera, quae dici poterant et ad manus erant, poſteritatis curae et curioſitati relinquere coëgit. Iam ad ſpeciales philoſophiae partes et recentiorem eius hiſtoriam itemque ſapientiam exoticam progredientes, officio noſtro, quantum poteſt, breuiſſimis quidem, attamen non ſine commodo et vtilitate lectoris defungemur.

e) Victor verit. p. 44 ſeqq. f) Pinacothec. Dec. IV.

AD

AD LIBRVM PARTIS II. TOMI IV. SECVNDVM.

DE EMENDATIONE PHILOSOPHIAE IN SINGVLIS EIVS PARTIBVS,

CAPVT I.

DE REFORMATIONE PHILOSOPHIAE RATIONALIS RECENTIORI AETATE TENTATA.

pag. 545. lin. 11.

Discrimina, mutationes, cauſſasque eſſe adducendas. Praeluſit eiusmodi tractationi hiſtoriae philoſophiae criticae nuper incomparabilis vaſtaeque doctrinae philoſophus LVDOVICVS DVTENS, quem ſupra iam ex merito laudauimus, qui in doctiſſimo multaeque lectionis et acris iudicii opere Gallico, cui titulum: *Recherches ſur l'origine des decouvertes attribuées aux modernes*, praefixit, duobus tomis [a] veterem philoſophiam cum noua comparauit, et incredibili ſtudio et attentione vtriusque ſyſtemata inter ſe committendo et ex genuinis fontibus deducendo id egit, vt oſtenderet celeberrimos philoſophos recentiores pleraque a ſe obſeruata et velut noua in ſcenam producta deſumſiſſe ex operibus antiquorum philoſophorum: immo multas quoque veritates maximi momenti, etiam quae religionem concernunt, non ignotas fuiſſe ſapientibus gentilibus. In quo opere luculento et erudito eum omnes, qui in comparatione philoſophiae vetuſtiſſimae et gentilis, cum recentiori inter Chriſtianos verſati ſunt, longo poſt ſe interuallo reliquiſſe ſententia et conſenſus orbis literati et philoſophici merito pronuntiauit. Ita enim non tantum fontes literarii aperti ſunt, et quid cuique debeatur, quid mutuo acceptum et pro nouo venditum, demonſtratum eſt, ſed occaſio quoque aperta, quid in ſingulis philoſophiae partibus et diſciplinis veteri orbi viſum, quid aeuo noſtro relictum oſtendendi; critica autem diſquiſitione definiendi, quo ſenſu, habitu et reſpectu ad ſyſtema ſuum veteres ea affirmauerint, quae noſtri aeui philoſophi velut ſua vendicant. Quo pacto demum vera et vtilis hiſtoria critica philoſophiae poteſt emergere, fontesque veri ſyſtematum ſenſuſque eorum detegi, ſicque verae origines dogmatum philoſophicorum, ad quae H. P. ante omnia reſpiciendum eſt, erui. Quare in votis quam maxime habemus, vt vir doctiſſimus, quo meliorem atque doctiorem ad hunc finem vrgendum non nouimus, hoc praeſtantiſſimo libro auctarium addat, et hanc comparationem ſyſtematum veterum et recentiorum, porro inſtituendo quatenus haec ab illis originem acceperunt,

a) Paris 1766. 8.

Digitized by Google

runt, et quo pacto conſenſus, qua vero ex parte diſcordia intercedat, quid emendauerint in veteri philoſophia noſtrae aetatis philoſophi, quibusque ex cauſſis, hiſtorico et critico calamo delineet. Quo melius et vtilius operam hiſtoriae philoſophicae locari non poſſe, dudum ſumus conuicti. Non a ſcopo vero noſtro et ex via diuerteremur, ſi id exemplo vno alteroque oſtenderemus; aſt curſus noſtri lineam reſpicientes retrahimur, nonnulla infra ad p. 656. tangemus, haud pauca tamen in opere noſtro dicta et explicata ſunt, quae lector ad proprium iudicium experiundum adhibere poterit. Qua cautione autem eiusmodi comparationes inſtituendae ſunt, alio loco[b] multis expoſuimus, quae hoc loco repetere ſupervacaneum putamus.

Ibid. lin. 5. a fin. *IO. G. WALCHIVS.* Addendus illis, NIC. FROBISIVS, diſſ. *de praeclaris recentiorum philoſophorum meritis in logicam*[c].

pag. 546. lin. 1. *Et qui reliquos facile vicit HOLLMANNVS.* Hoc ad Ariſtoteleam proprie Metaphyſicam, quae vſque Sec. XVII. initia obtinuit, et hodie in multis Romanae eccleſiae ſcholis adhuc obtinet, pertinet. Seceſſerunt tamen etiam ex hac ipſa cohorte viri nonnulli acuti et ad veram philoſophiae primae ſiue ontologiae rationem reuocarunt, qua in parte egregie meruit Ieſuita BVFFIERIVS[d], et ex Carteſianis Clauhergius[e], qui praeceptoris ſyſtema philoſophicum hac parte auxit, et nobilitauit. Lux tamen maior effulſit, ex quo philoſophia Leibnizio Wolfiana ab his viris ſummis principiis ontologicis et metaphyſicis ſuperſtructa eſt.

pag. 547. not. i. col. 1. *Dudum is meditatus eſt.* Dolemus vehementer hunc Aiacem optimi Zimmermanni in ſpongiam incubuiſſe, nec ſperandam eſſe editionem apologiae virorum eruditorum atheiſmi accuſatorum: vt enim multa lectione et haud ignobili induſtria per multos annos in hoc argumento verſatus erat, ipſumque opus mſc. reliquerat, edere tamen noluit. De qua re in *hiſtoria arcana vitae ſuae*[f], quam paulo ante fata vernacula ſcripſit, quaeque ad nos amiciſſimi cuiusdam viri, qui ab eius ore olim pependerat, beneuolentia mſc. peruenit, ſcripta ſua recenſens ſcribit: „inter ſcripta ſua manu exarata extare diſquiſitiones „modeſtas de viris eruditis atheiſmi poſtulatis, voluminibus duobus in „forma quarta edendas: has virili aetate magno labore, ſed non ſine iu„cunditate animi conſcripſiſſe. Aſt flore praeſtantioris partis vitae et „aetatis fugiente, inter labores muneris prolixos et valetudinis rationem „ſaepe numero fluctuantem et vacillantem, deeſſe ſibi tempus operis denuo recen-

b) In otio Vindelico diſſ. I. p. 1 ſeqq.
c) Helmſtadii 1744.
d) Tr. de premiers veriter, Par. 1724.
e) Conf. HOLLANN. prol. phil. primae §. 41. pag. 77 ſeqq.
f) pag. 71 ſeqq. Digna eſſet haec biographia quae in vulgus ederetur, adeo multa cumulauit hiſtoriam arcanam literariam ſui temporis illuſtrantia, adeo ingenium, candorem, et imprimis recti ſenſus ac aequi animi imaginem in ea reliquit. Cum vero *διάφορα* haud pauca contineat, patriam, eccleſiam et literaturam tangentia, ſpes non eſt editionis.

Digitized by Google

„recenſendi et ad editionem parandi[g]“. Hoc pacto vero haud exigua pars diligentiae et doctrinae Zimmermannianae nobis erepta eſt, neſcimusque quod fatum chartae eius poſt funus relictae habuerint.

Ibid. lin. 18. *Non plane ignarus.* Conſulenda quoque hoc loco Io. GROENINGII *bibliotheca iuris gentium*, et *hiſtoria iuris principum* et *bibliotheca iuris imperantium*[h], qui de hoc argumento plerosque ſcriptores adducunt. Idem factum a B. G. STRVVIO, et qui ſupplementa adiecit cl. KAHLIO[i]. Omnium autem prolixiſſime in hoc campo verſatus eſt Cel. CHR. FRID. GEORG. MEISTERVS[k], qui in *Bibliotheca iuris naturae et gentium* haud raro de librorum huc pertinentium argumento iudicat. Allos tacemus maxime recentiori aetate prodeuntes, qui laudabili ſtudio in praefationibus *nouorum literariorum Lipſienſium* ſolent indicari.

pag. 548. lin. 4. a fin. *Aliosque ſcriptores hiſtoriae logicae.* Poſt hos omnes duo Galli eruditam operam nauarunt in hiſtoria P. Rami enarranda, NICERONIVS[l] et CREVIERIVS[m], qui cum adductis a nobis comparandi ſunt. Addendus, qui documenta quoque publica affert IO. LAVNOIVS[n]. Ad Sammarthanum autem elogium nonnulla annotauit HEVMANNVS[o] non in hac hiſtoria negligenda.

pag. 549. lin. 1. *Editus eſt in lucem P. Ramus.* Annum natalem ponit Niceronius 1515. quem deſignat quoque effigies P. Rami in collectione TH. DE BRY, ſequiturque Freherus.

Ibid. lin. 7. *Cauponariam.* L. carbonariam: ſecutus eſt filius minorennis parentem, manuariam operam vbicunque poterat praeſtans. Inter carbones autem igniculos ſentit puer octennis Pariſios contendens diſcendi cauſſa in vrbe ampliſſima et literata; et cum vix haberet, vnde viueret, ter relinquens, ſed impatienti deſiderio reuerſus. Quae flagrans contentio cum ruditate et tarditate ingenii Ramaei, quam ei SCALIGERANA ſecunda tribuunt, conſtare nequi. Vnde rectius Banoſi narrationem h. l. adductam ſequendam eſſe cum Niceronio quoque concludimus.

pag. 550. lin. 17. *XXVI. tantum annos natus.* Obiit praecox iuuenis anno MDLVIII. valde eum laudat THVANVS.[p]

Ibid.

g) Coniicimus vehementiam Gundlingianam cum eo de hoc argumento litigantem editionis taedium ipſi conciraſſe. Erat enim ſupra modum pacificus, tolerans, et ad excuſandum quam accuſandum parator.

h) Vtraque extat in bibliotheca eius vniuerſali P. II. et III.

i) In biblioth. philoſ. Vol. II. qui et ipſe copioſus eſt. Hi vero omnes libros tantum indicant, ſcientiarum practicarum hiſtoriam non tangunt.

k) prodiere III. partes Goett. 1749. 1757.

l) Mem. de literat. T. XVI. pag. 207 ſqq. ed. Germ. multa is ad acta publica in hac cauſſa pertinentia affert ex FELITIANI tent. hiſtoriae Paris. Gallice edita.

m) Hiſt. vniu. Paris Tom. V. p. 388 ſqq. qui et ipſe acta vniuerſitatis inſpexit.

n) De fort Aritt. in acad. Paris c. XIII. p. 245. ed. ELSWICHII, qui in adiecta diſſ. de fort. Ariſt. in academiis Proteſtantium eleganter de hac particula H. P. meruit. Diſſentiunt tamen in nonnullis hi ſcriptores, in argumento odioſo: vnde nec Launoius quidem iudicium libere interponere auſus, reuerentia regis ſenatusque regii impeditus.

o) p. 100. qui monet quoque, LENZII libellum academicum de vita P. Rami prodiiſſe Lipſ. 1716.

p) L. XXI. p. 403. conf. SAMMARTH. l. c.

Ibid. lin. 8. a fin. *Ad parandam ſibi gloriae viam.* Idem recte obſeruatum CREVIERIO, qui addit, academiae in adhaerendo Ariſtoteli eiusque veſtigia preſſe ſequentis tantam eo tempore inſaniam fuiſſe, vt non potuerit non iuueni ardenti et gloriae cupido, et praeterea audaci et erecto ingenio ſuffulto, et litterarum cauſſam, quam nimis academiae patres premebant, tuenti, occaſio enaſci, adeo ſuperbe et imprudenter pronunciandi, at dominantis quoque partis inuidiam irritandi, quae loco ſcholaſticae controuerſiae in actionem criminalem conuerſa eſt. Obtinuit tamen iura magiſterii.

pag. 551. lin. 18. *Multoties recuſus vterque.* Quatuor editiones curis doctorum virorum auctas recenſet NICERONIVS 1581. Frid. Beurhuſii 1583. Audomari Talaei et Ioh. Piſcatoris 1591. Guil. Tempelli et eodem anno cum appoſitis e regione Melanchthonis libris dialecticis. Addi poteſt quinta, quam nos poſſidemus, Lut. Par. 1548.

pag. 553. lin. 10. *Theologiam et artes eneruaret.* Comparandus cum hac narratione CREVIERIVS [6], qui obſeruat, in carcerem publicum (Chatelet) captiuum raptum, poſtea cauſſam per appellationem ad curiam regni, indeque ad conſilium regium pertractam eſſe. Tanti conſtabat, barbatos magiſtros ſcholae cum Ariſtotele ſuo contemſiſſe. Recte autem ſcholae Pariſienſis hiſtoricus monet, non ſatis expeditum eſſe, quo pacto res acta ſit, narrationes enim biographiae Rami inter ſe diſſident, ſine dubio a partis ſtudio profectae. Praetermiſit has difficultates Niceronii relatio. Ipſum edictum regium affert LAVNOIVS. Edidit etiam HENR. IVLIVS SCHEVRLIVS, Profeſſor Helmeſtadienſis [7]: *de Petri Rami libris Franciſci regis Galliae decretum, deque iis iudicium a iudicibus, quos tum Rex, tum partes elegerant anno 1544.* denuo poſt centum annos editum. Patet ex tota hac contentione, quam graue iugum Ariſtotelicum fuerit, quod collum academiae Pariſienſis preſſerat, quam longe a philoſophiae candore abfuerint philoſophi Pariſienſes, quamque temerarium ſaepe ſit, regnantes opiniones conuellere, quae omnia Ramus ſcire, et prudenter cogitare debebat, nec in tanta potentia aduerſariorum crabrones irritare, veritatemque caute et prudenter defendere, iactantiae autem et oſtentationis ſuſpicionem euitare, qua ratione actiones Rami, licet cauſſa eſſet melior, excuſari totae non poſſunt. Ipſos autem aduerſarios nobile ſpecimen exhibuiſſe perſecutionis et oppreſſionis cauſſae melioris, oſtendiſſeque, quid valeat calumnia, quid iudex occupatus, nec ſemper principum fauorem, quo literas Franciſci regis exemplo proſequuntur, clypeum eſſe contra perſecutionem, fatebitur, quisquis hanc Ramaeae hiſtoriae particulam ſine partis ſtudio expenderit, fatente id eruditiſſimo CREVIERIO.

pag.

6) loc. cit. p. 390 ſqq.
7) loc. cit. p. 246 ſqq Merentur eius obſeruationes ad hanc particulam hiſtoriae contentionis Ramaeae attentionem.

Digitized by Google

pag. 559. lin. vlt. *Auctoritate sua corroborante.* Legendus de hac controuersia CREVIERIVS [t], qui Iacobum Carpentarium nouae litis auctorem fuisse non negat, incertus autem haeret, quae pars victoriam obtinuerit. Illud certum, vtramque cathedram Ramum porro obtinuisse.

Ibid. lin. 12. *Quae odia Ramo honestiorem Musarum faciem cupienti obiecta sunt.* Tangit hanc liticulam, tantis tamen animis inter professores regios duce Ramo et facultatem agitatam, vt ad senatum regni, et ab eo ad regem ipsum deferretur, NICERONIVS Freigium secutus. Ex qua particula Ramaeae historiae character illius temporis designari potest.

Ibid. lin. 4. a fin. *Partibus fauentissimum ostendebat.* Accidit id anno 1552. quo motus illi ciuiles exardescere coeperunt, de qua re, quae Ramum in exilium eiecit, videndus, ex FELITIANI *historia Parisiensi* [u], NICERONIVS [x] et CREVIERIVS [y]. Non inclinasse tantum ad reformatae partis placita et confessionem, sed publice quoque id mature prodidisse, ex non obscuris indictis probauit HEVMANNVS [z], et si ADAMO in vita Bullingeri [a] fidendum, Tiguri confessionem fidei suae reformatis probatae edidit.

[b] pag. 560. lin. 10. *Ad augendas et perficiendas artes mathematicas se totum conuertit.* Nouas ei controuersias et odia conflauit illud augendae eruditionis mathematicae studium, cum anno MDLXVI. a rege obtinuisset, vt nemo cathedram regiam occupaturus admitteretur, nisi examinatus publice a regiis professoribus. Eam autem spartam cum Demsterus anhelaret, oneri vero ferendo imparem se videret, Carpentario certis conditionibus cessit. Carpentarius et ipse, mathematicarum disciplinarum parum gnarus aduersarium Ramum, decani munere tunc fungentem expertus est, ille enim in aula egit, vt ad examen vocaretur; quod cum curtae suppellectilis suae conscius omnibus viribus, declinaret, precibus tandem ab examinis molestia liberatus est, postquam senatus regius certas ei conditiones praescripserat. Id quod indignatus Ramus in iudicium eum vocauit, in quo tamen artibus suis et eloquentia se extricauit. Et hinc internecinum illud odium, et insidiae Carpentarii contra Ramum, quae interitum in caput eius cumularunt. Totam istam litem narrant fuse FELITIANVS [c], cuius verba adduxit Niceronius et CREVIERIVS [d], qui omnino videndi.

pag. 561. lin. 6. *Professioni mathematicae erigendae.* Non tamen euentum sortitum est illud testamentum Rami. Post funestam enim Rami mortem ex sententia curiae regni alii instituto describendi historiam Galliae addictum est, eo quod numerus professorum mathematum regiorum possent sufficere. Stipendium igitur Ramaeum Iacobo Gohory traditum est,

t) loc. cit. pag. 454.
u) Tom. II. pag. 1084.
x) pag. 220 seqq.
y) loc. cit. pag. 394.
z) ad loc. cit. Elog. Sammarth.
a) pag. 209.
b) loc. cit. Tom. II. pag. 1106.
c) pag. 199 - 201.

vt PAVLI AEMILII *hiſtoriam Galliae* Latino ſermone continuaret, quam quoque perfecit, ſed non edidit. Totam iſtam cauſſam ex hiſtoria Pariſienſi ſupra laudata enarrant NICERONIVS [b] et CREVIERIVS [c], qui plura ſitientibus adeundi.

Ibid. not. k. *Titulum ei fecit, Baſilea. Baſilea, ad ſenatum populumque Baſileenſem Lauſannae 1571. 4.* Infertus hic panegyricus Orationibus Rami.

pag. 562. not. r. *Efficaciſſima eloquentia.* Tanta eloquentiae Ramaeae fuit opinio, vt anno MDLXXII. noſtro fatali, magnis pollicitationibus tentaretur, vt in Poloniam iter ſuſcipiendo, poſt mortem Sigismundi Auguſti proceribus Poloniae efficaciſſima eloquentia electionem ducis Andegauenſis commendaret. Aſt contemnebat ille eloquentiam mercenariam, quam ſecutus fatalem internecionem, quae paucis poſt diebus eum deleuit, effugiſſet.

Ibid. lin. 23. *Artium mathematicarum.* His potiores ſtudiorum ſuorum curas deſtinauit, et in iis prae aliis valuit: earum auxilio autem in ipſis logicis praeceptionibus, maxime, quod ad definiendi et diuidendi artificium attinet, valde adiutus eſt.

pag. 563. lin. 3. *Quae tamen eius conſilia in ſynodo eccleſiaſtica relecta ſunt.* Fuit ea Nemauſenſis, in qua de emendando regimine eccleſiaſtico diſceptatum eſt. Diſplicebat autem Ramo forma ariſtocratica, quae in eccleſiis Gallicanis reformatorum hactenus obtinuerat. Itaque contendebat, poteſtatem eccleſiaſticam a Chriſto eccleſiae traditam, non a conſiſtoriorum et ſynedriorum ſola auctoritate, ſed conſilio tantum deriuandam eſſe, idque deinde ſingulis patribusfamilias exhibendum, vt eorum ſcitis legis eccleſiaſticae obligationem reciperet. In quo vero argumento ſynodum Nemauſenſem, quam Beza dirigebat, aduerſam et calculum ſuum denegantem expertus eſt. Ita AYMONIVS [d], et qui eum ſequi videtur NICERONIVS [e], omnium vero prolixius TH. BEZA [f].

pag. 564. lin. 5. *Et ſcriptores hiſtoriae literariae alii in vulgus noti.* Inter eos characterem animi et eruditionis Rami diligenter et accurate depingunt NICERONIVS et CREVIERIVS [g], quanquam confeſſione ſacrorum dogmatum a Reformatorum placitis, quae ſequebatur Ramus, alieni, qui magnum iudicium, improbi laboris patientiam, doctrinae varietatem et vbertatem, zelum pro methodo bona in docendo, eloquentiam efficaciſſimam, tum animum rectum, caſtum, fortem et erectum illibatumque, et ſobrium extollunt.

Ibid. lin. 8. *Et egregie in veterum voluminibus verſati.* Accurate, quod ſolet, eorum indicem confecit NICERONIVS. Memorabile autem, in mathematicarum diſciplinarum myſteriis ſcrutandis et eloquentiae praeceptis

b) NICERON. l. c. p. 230.
c) loc. cit.
d) pag. 23.). Produnt haec animum Rami nouitatis ſtudio abreptum, et reformandi cupiditate accenſum.
e) loc. cit.
f) ep. 68.
g) loc. cit. Lib. V. pag. 267.

Digitized by Google

ceptis emendandis et ad emendationem et elegantiam perducendis, simul aequali fere virtute valuisse. Cuius rationem qualem obseruauerit, in oratione *de studiis philosophiae et eloquentiae coniungendis*, quam *Lutetiae anno* cIↃIↃXLVI. habuit, et *orationum Ramearum syllogas* inserta quoque est, explicuit.

Ibid. lin. 3. a fin. *Collectas a POPE-BLOVNTIO.* Libere quoque reprehenderunt Niceronius et Creuierius temeritatem Rami, nouitatis affectationem, spiritum contradictorium, animum elatum et supra modum inclarescendi cupidum, litigiosarum pertinaciam, et viuendi quandam imprudentiam, qua sibi malum arcessiuit. BEZA autem *hominem ad turbanda optima quaeque comparatum, et pseudodialecticum iam pridem* nominans, scribit a *viris doctis vocatum ὄζον Ἄρειον*, allusione ad Rami cognomen facta, qua Graeci hominem spiritu Martio plenum, indigitare solent, id est, bellicosum ramum ex Martio stipite.

pag. 586. lin. 13. *MDCLXII.* Leg. MDLXII sub Elisabethae Angliae regina enim, desertis castris Romanis, ad Britannos Acontius transiit. De eius theologia et suspicionibus theologorum alio loco agendum et consulendus P. BAYLE [h].

pag. 589. lin. 21. *Haec omnia, cum exigui vsus sint, abiicere.* Ita quidem Thomasius, calculationum mathematicarum ignarus, quibus illa doctrina syllogistica, qualem ars cogitandi exponit, nititur: qui enim constructiones logicales exposuerunt, calculumque logicalem interpretati sunt, inter quos nuper clarissimi professores LAMBERTVS, et PLOVCQVETVS eminuerunt, ista ad certa fundamenta ratiocinandi pertinere, et determinandis accurate iudiciis et ratiocinationibus inseruire, demonstrauerunt. Idem ergo harum calculationum logicarum vsus in logicis, qui algebraicarum in arithmeticis. Certiore censura in arte cogitandi notauit LEIBNIZIVS [i], desiderari in ea doctrinam de probabilibus eorumque iusto pondere dimetiendo, quae amplioris longe vtilitatis et extensionis est, quam demonstrationis doctrina: vnde recentissimi logici hunc defectum sollicite suppleuerunt, de quo in historia speciali logicae pluribus tractandum est.

pag. 589. lin. 4. *Vtrum lucem viderit, ignoramus.* Legitur etiam biographia Mallebranchii inter NICERONIANAS [k], ideo digna, quae consulatur, quod accuratum satis librorum elenchum suppeditat.

Ibid. lin. 15. *Mense Ianuario anni MDCXL.* Leg. MDCLX. vt rationes temporum postulant, quas typotheta peruertit. Adscriptus est ordini. d. 28. Ian.

pag. 590. *A cel. LENFANTIO legendus exhiberetur.* Laudata est haec versio, teste NICERONIO [l], qui alias quoque duas Latine in Britannia comparuisse refert.

b) loc. cit. valde premebatur suspicione animi ad partes Socini inclinantis.
i) Conformité de la foi avec la raison §. 31. prooem. Theodiceae.
k) Tom. II. pag. 355 seqq.
l) loc. cit. pag. 358.

Digitized by Google

pag. 594. lin. 17. *Morum honeſtatem.* Eminebat acutiſſimus philoſophus candore, aequitate et ἐπιεικίᾳ, morum ſimplicitate, rixandi et contendendi fuga, humilitate, patientia et tolerantia eorum, quos acumine et iudicio multum ſuperabat. Quam cara autem philoſophia Mallebranchiana Quackerorum ſectae fuerit, quibus frigidam ſuffudiſſe viſus eſt, vel inde colligi poteſt, quod narrante NICERONIO [w] coactus eſt, apologia a ſuſpicione Quackeriſmi ſe defendere [x].

pag. 598. lin. 13. a fin. *Sumus certiſſimi.* Comparandus cum hoc iudicio Reimmanni de Mallebranchio acutiſſimus BVFFIERIVS [y]. Is enim cum virtutes, quibus inter philoſophos noſtri temporis effulſit Mallebranchius, candide faſſus, tum accurate quoque proſecutus eſt, quae obelo configenda iudicauit. „Obſeruat is: quamuis totus Carteſianus eſſet, in„genii tamen elegantia et dictionis nitore ſectae iſtius auctorem in ea or„nanda atque augenda ſuperauiſſe. Non enim decreta tantum Carteſii ex„coluiſſe, ſed et nouis luminibus, quantum poterat, illuſtraſſe. In eo au„tem praecipue valuiſſe ingenii Mallebranchiani virtutem, quod opinio„nes ſemel delectas, ita pingere, ornare commendareque potuerit, vt ani„mos occupando trahendoque impoſſibile ſit, ex ea parte, qua intuendas „offert, eas non recipere, certe minime oculos poſſe auerti, ſed cum iu„cunditate contemplandam eſſe idearum et cogitationum abundantiam, „quae animorum curioſitatem paſcat, eiusque attentionem mire excitet, „vt eos rei vultus intueatur, quos philoſophus conſpiciendos dederit. „Aſt monere quoque illos, qui ſententiis eius non ſubſcribunt, quamuis „contagio quodam lectores Mallebranchius trahere ſoleat, praeſeruari ta„men vno remedio mentem poſſe, ſi primis greſſibus primisque, quas „exponit, propoſitionibus examinandis lector inhaereat, cum enim pau„cis quibusdam aſſertis omnem ratiocinationum ſuarum nexum inaedifi„cauerit, ita facillime refutari poſſe; quod ſi illae admittantur, cogi le„ctorem, vt ceteris inhaereat, et rapiatur eadem, qua ille inſiſtit via. Mo„dum enim, quo principia ſua commendet, non alium eſſe, quam ca„piendi eos, qui ſe ſponte decipi patiuntur.' Nam ſolere eum difficultates „opinionum, quas refutat, in apertiſſima luce ponere, earumque con„temtum inſpirare, ſuas autem, quo licet modo et parte ea, vbi pul„cherrimae videntur, commendare. Et hoc quidem pacto in diſſertatio„nis progreſſu ea velut certa, et omni exceptione maiora ſupponere, „oblitum eas, quibus premuntur difficultates adducere. Facile itaque „confodi poſſe errores Mallebranchianos: naturam animae conſiſtere in „cogitatione actuali, Ideas eſſe obiecta immediata intellectus, res exter„nas clare, et vno oculi ictu earum modificationes exhibentia, Ideas eſſe „magis reales, quam reliqua, quae in vniuerſo videmus omnia. Habe„re animum in ſe infinitos numeros idearum, non cognoſci poſſe natu„ram,

w) loc. cit. x) Tom. XVII. p. 271 ſeqq. y) Premiers veritez p. 270.

Digitized by Google

„ram, eſſentiam et modificationes, niſi per ideas earum claras. Cauſſas „ſecundas nullius eſſe efficaciae, habere intellectum notionem infiniti, „videre nos omnia in Deo, materiam conſiſtere in extenſione". Conferendi cum his quos alto loco prolixe laudauimus, et quae more ſuo acute monuit ὁ πάνυ LEIBNIZIVS [p], qui etiam notat [q] Ieſuitam Tertraeum, quo acerbiorem aduerſarium Mallebranchius haud habuit, ſiniſtrius, quam par erat, rem ſuam contra eum vrſiſſe [r].

pag. 508. not. h. *Prodiit vita eius Germanice Gorlicii 1709. 12.* Ex ea ſine dubio biographia Tſchirnhauſeniana hauſta eſt, quae inter Ciceronianas Germanica veſte indutas comparet, legique meretur, quam praeclare Illuſtris vir de ſcientiis meruerit. Non contentus enim, ſuis meditationibus ſcientias auxiſſe, aliis quoque ad eundem curſum tenendum cohortando conſiliisque et ope adiuuando, auctor fuit. Debuiſſe ill. Wolfium hoc pacto Tſchirnhauſenio prima philoſophandi conamina, ſupra iam monuimus. De praeclaris autem eius in dioptrica meritis, in hiſtoria rerum mathematicarum et phyſicarum dicendum, quidque ad iuuandam geometriam attulerit, explicandum eſt.

pag. 602. lin. 23. *Inter quos ſuo merito palmam aliis praeripuit, praeſtantiſſimus Crouſazius.* Valde commendat has rationalis philoſophiae inſtitutiones Ieſuita BVFFIERIVS [s], ob argumenti amplitudinem, obſeruationum ſubtilitatem, veritates plurimas metaphyſicas rite detectas, et aliarum innumerarum parentes. Nexum autem tractationis, elocutionem minus diligentem et perſpicuam, et definitiones quaſdam ſibi contradicere viſas reprehendit.

Ibid. not. t. lin. vlt. *Praeſtantiſſimus HEVMANNVS.* Addenda biographia Lockii NICERONIANA [t], in qua imprimis notitia ſcriptorum Lockianorum memorari meretur.

pag. 605. lin. 5. a fin. *Iuſtellum et Tornardum laudat Clericus.* Leg. Toinardus.

pag. 609. not. f. *In hiſtoria literaria germanice edita P. I.* Strictim hiſtoriam literariam celeberrimi operis cum eius verſionibus et compendiis proſequitur *biographia* NICERONIANA [u]. Laudatur imprimis epitome eius anglica lingua a WYNNIO epiſcopo Aſſaphienſi vulgata [x] ob perſpicuitatem, vnde et ipſius Lockii aſſenſum, et iteratam editionem, et verſionem Gallicam per BOSSETVM meruit [y].

pag.

p) Examen des principes du R.P.Mallebranche, quod exhibet T. II. Recueil de diverſes pieces p. 211 ſqq qui ſuper hoc examine cum Papino et Catelano Mallebranchianas hypotheſes defendentibus, contentionis ferram reciprocauit.

q) loc. cit. Rec. p. 326. qui omnino audiendus, et in hypotheſibus Mallebranchianis ponderandis propter acumen iudicii, et aequitatem animi attendendus.

r) Conf. Hiſt. l'academie des ſciences 1699-1700. 1709. pag. 143.

s) Premieres veritez pag. 277.

t) Tom. I. pag. 317 ſeqq. Vers. Germ.

u) pag. 323.

x) Londini 1720.

y) vid. bibl. anc. et mod. Tom XIII. pag. 225. nouvelles liter. Tom. X. pag. 535.

p. 611. lin. 14. *Quod vehementer quidam in eo reprehenderunt.* Praeter laudatum h. l. Stillingfleetum et Ioannem Eduardum, pertinent huc LEVS In *antiſcepticiſmo*, Auctor libri, *account of Mr. Locks religion*, PETRVS POIRETVS [z] et alii. Praeſertim, Mallebranchii aſſeclae, reprehenſiones philoſophematum praeceptoris ſui a Lockio profectas adeo aegre tulerunt, vt ideo contemnerent librum acutiſſimum, et iniqua iudicia illi opponerent. Inter quos iniquiſſimi cenſendi ſunt, qui impietatis ſuſpicione virum optimum onerarunt, quod innatam Dei ideam negauerit. Quamuis enim ſua experientia conformiter negabat, actualem Dei ideam homini eſſe congenitam et fundamentum eſſe omnis ſcientiae, quod Mallebranchii ſcholae, quod Poireto, quod ſimilibus philoſophis adeo placuit, vt hanc pietatem velut diuiniſſimum caput commendarent; non negauit tamen acutiſſimus philoſophus, eam facultatum humani intellectus atque voluntatis harmoniam et diſpoſitionem, qua ex propriae conſcientiae teſtimonio quilibet attentione non carens, inulcto ſenſu, et deductis poſtea rationibus colligat, eſſe Deum [a]. Ceterum parum curabat Lockius obiectiones, ne ad Leibnizii quidem monita valde attentus, cuius rationem inde deriuauit Leibnizius, quod Lockius nec ingenii ſubtilitate nec calliditate carens, et quandam metaphyſicam ſuperficiariam poſſidens methodum tamen mathematicorum non intellexerit [b]. Cui tamen iudicium penetrans et haud vulgare non denegat [c].

a) De concordia rationis et fidei et in Opp. posthumis p. 172 seqq. b) Ep. ad Remondum, in collect. variar. tract. etc. T. II. p. 140 seq. a) Vid. L. IV. c. 10. c) Reflex. ſur eſſais de l'entendement de l'homme, l. c. p. 143.

AD CAPVT SECVNDVM.

DE EMENDATA AVCTAQVE PHILOSOPHIA NATVRALI.

pag. 615. not. g.

Art. Baranzan. Locus VAYERII extat in diſcurſu *de immortalitate animae* [a], NICERONII T. III. *Memoriarum biographicarum* [b], legique meretur magni Baconi epiſtola, vt intelligatur, quam auidus Baranzanus fuerit, rectiora naturalis philoſophiae principia hauriendi [c].

pag. 618. lin. 2. *Sapere auſus eſt Daniel Sennertus.* Addenda ea ſunt, quae ad Tomi IV. caput octauum de hoc philoſophiae corpuſcularis reſtauratore adiecimus. Sed etiam in iſto tomo inter ſyncretiſtas locum ei fecimus. Nondum enim in eo, quod ſeculo ſuperiore ingruebat philoſophiae

a) T. IV. Opp. p. 172. b) p. 136. ed. Germ. c) Conf. Patriniana p. 81 ſqq. Epiſtolam Baconi inſeruit B. LOTTERVS noſter comm. de Teleſio eiusque philoſophia p. 41. not. r. Ad FR. LVC. MARELLI memorias Barnabitarum P. II. de eo prouocat Niceronius.

Digitized by

phiae naturalis diluculo satis distinguebatur philosophia syncretistica a physica eclectica, quam sobrietatem huic nostro seculo tantum debemus, et ad quam lucem inter nos Io. Christ. Sturmius primus fere emersit.

pag. 620. lin. 14. a fin. *Inuisitat.* Leg. Inuiserat.

pag. 622. lin. 12. *Cuius exempla, si quis scire aueat.* Dignissimus erat, qui in hoc catalogo compareret, praestantissimus philosophus, et quadam pansophiae opinione inclarescens, philosophiae autem, quae per ignem naturae secreta aperit, promus condus, IOHANNES IOACHIMVS BECHERVS, qui, vt mechanicae spagiricaeque et chemicae artis mysteria referaret, doctissimis scriptis, ipsaque artis cultura, a principibus viris sumtibus adiutus, omnem contentionem adhibuit. De cuius tamen vita, satis, inuentionibus, consiliis hic fusius disserere, institutum nostrum obstat. Consulendus autem praeter Morhofium, de celebri viro Io. FR. REIMMANNVS, qui opusculo Becheriano, cui rubrum praefixit, *stulta sapientia* commentationem praefixit *de vita et scriptis I. I. Becheri* [d]. Inspiciendus quoque eius *mundus subterraneus*, vt, quid in cognitione naturae molitus sit, intelligatur. Iungendus hoc loco de Bechero, VRBANVS GODOFREDVS BVCHERVS, qui in schediasmate Germanico, quo *imaginem viri eruditi, ex charactere I. I. Becheri delineauit* [e], omnium prolixissime, et si iudicio Reimmanniano [f] standum, optime vitam resque Becheri descripsit, virtutes eius et merita exquisitius peruestigauit: manes, quas passus est, omnium candidissime exposuit. Qui obseruat quoque, occultos rei literariae et ciuilis morbos Becherum acute perspexisse, et remedia quoque non inepta suppeditauisse, quibus sanari possent. Sed medicum infelicem, semetipsum curare non potuisse, nedum alios et integras respublicas. Adiecit etiam Bucherus catalogum scriptorum Becherianorum ordine systematico, ex quo omnium optime intelligi potest, quo signo inter philosophos, maxime chemicos Becheri nomen excelluerit. His enim in praesenti loco immorari nobis non licet. Legendae autem ipsae viri χειρικωτάτου praefationes, quibus scriptorum suorum summam atque indolem et scopum satis declarauit.

pag. 624. not. d. *Confer si placet Pinacothecam nostram.* Elogium, quod exhibuimus, ipse legerat et probauerat. Scripsit postea elegantem commentarium de *vita Friderici Hofmanni* Io. HENR. SCHVLZIVS, qui incomparabili *systemati medicinae rationalis Hofmanniano* suffixus est.

pag. 625. lin. 8. *Collecta loquuntur.* Addemus vnum, gloria et laude Haruei dignum: inscriptionem statuae, quae conspicitur in collegio medicorum Londinensium, his verbis: *industria, sagacitate, successu nobilis, perpetuos sanguinis aestus circulari gyro fugientis primus promulgauit mundo, nec passus vltra mortales sua ignorare primordia, aureum edidit de ouo atque pullo*

d) 1706. e) Norimb. 1722. 8. f) Catal. crit. P. II. p. 637.

pullo librum: ſic nouis inuentis apollineam ampliauit artem, - - meruitque eſſe ſtator perpetuus.

pag. 629. lin. 12. a fin. *Weidlerus, aiii.* Praeter Gaſſendum [g], inter biographos excellens nomen conſecutum vitam resque Tychonis Brahei tetigit primus et elogio enarrauit, cum ritu equeſtri, Pragae d. 4. Nou. tumularetur, oratione funebri IOANNES IESSENIVS A IESSEN, quam biographiae Tychonis ſubiunxit, filumque eius ſecutus eſt biographus Dinienſis, qui, vt aſtronomiae ſcientia excellebat, ita commentarium *de vita Tychonis* nobis reliquit, omnibus numeris commendandum, cum non ſterilem rerum Brahei notitiam ſuppeditet, ſed et totam aſtronomiae circa tempus Tychonis valde exſplendeſcentis hiſtoriam, (quam ab ortu ſuo ſtrictim in praefatione ſua expoſuit,) more ſuo diligenter et iucunde enarret. Ex hac vero narratione prolixa compendium biographiae Braheanae delineauit PETRVS IOANNES RESENIVS [h], quod *memoriis philoſophorum* inſeruit WITTENIVS [i], quae quidem epitome res Brahei intelligere cupientibus poteſt ſufficere, ſi eorum obſeruationes addantur, quos h. l. nominauimus, quibus adiici poteſt praeter THOMASINVM [k], IOANNES MOLLERVS [l]. Et hos quoque ſecuta eſt narratio NICERONII [m], qui cuncta ordine ſtrictim eſt complexus. Alia paſſim collecta exhibet TEISSIERIVS [n].

pag. 630. lin. 12. *Cum femina plebeia.* Coloni cuiusdam filia, ex quo coniugio character animi Brahei praeter coelum et ſidera nihil curantis poteſt intelligi. Foecundum tamen habuit, duorum filiorum, natarumque ſex factus pater. Vehementer iſta inaequalitas coniugii offendit conſanguineos nobiliſſima gente natos, qui vix regis Daniae auctoritate cum eo potuerunt reconciliari: qui, vt regia beneuolentia ei fauebat, ita ad docendam in Hafnienſi academia aſtronomiam eum adhibere ſtatuerat. Sed incertus de vitae ſuae ſede eligenda Germaniam et Italiam percurrebat, et retractus in Germaniam viſis Ratisbonae ſolennibus coronationis Rudolphi II. Romanorum regis, Baſileam tandem elegit, qua fortunarum ſuarum ſedem transferret. Quod feciſſet quoque, niſi regia Friderici II. gratia eum intra regni ſui fines retinuiſſet, donata ad dies vitae Huena inſula, promiſſoque obſeruatorio et laboratorio exſtruendo. Quod et poſtea factum, quamuis immenſos ſumtus poſceret, cum magnifico apparatui, machinis aſtronomicis, etc. comparandis non niſi regia beneficentia ſufficeret [o]: quae ad mortem quidem regis illi conſeruata eſt, ſuccedente vero Chriſtiano IV. conſpirantibus in eius euerſionem inimicis et aemulis totus fortunarum eius flos emarcuit, regioque ſtipendio,

g) Opp. T. V. p. 480 ſeqq.
h) l. c. Quod tamen breue valde eſt, et vix primas lineas ſcriptionis Gaſſendianae exhibet.
i) Dec. I.
k) Elog. T. I. p. 43.
l) In hypomnem. ad BARTHOLINVM de ſcriptis Danorum.
m) T. XI. p. 217-239.
n) loc cit.
o) Ibid. p. 24. Accepit a rege feudum aliquod in Noruegia, canonicatum Roſchildianum, ſalarium extraordinarium MM. Thalerorum.

Digitized by Google

dio, feudo et canonicatu, quibus fruebatur, priuatus eſt. Ex his quaedam ſupplenda ſunt, quae valde conciſe in textu narrauimus. Defuncto extructus Pragae tumulus marmoreus, inſcriptione ſuperba et magnifica, laudes et encomia eius decantante, quod ſpecimen eſſe poteſt, quanta gratia in aula imperatoris vixerit.

pag. 631. lin. 22. *Superſtitioſum fuiſſe, obſeruat TEISSIERIVS.* Exemplum eſſe poteſt amor aſtrologiae apoteleſmaticae, qui a tanto aſtronomo expectari vix poterat, cuius ſpecimina affert NICERONIVS [p], qui etiam vitia eius, iracundiam, pertinaciam, inconſtantiam et ſimilia adducit. Aſt longe alium nobis Braheum ſiſtit leſſenius, qui apologiam pro eo ſcripſit, et, cum ipſi hoſpes Wittebergae conuixiſſet, erecta cervice teſtatus eſt, „eum ſe geſſiſſe erga Deum et homines, quoad chriſtianum „et literatum hominem apprime decuit: cum vxore maxima vixiſſe con„cordia, liberos ex octo ſex ſuperſtites ad pietatem et modeſtiam aſſue„feciſſe, filios duos ſtudiis, filias acu et colo occupauiſſe. Fuiſſe hoſpi„talem, liberaliſſimum in pauperes, in verbis fuiſſe veritatem, breuita„tem, in vultu grauitatem, in conſilio prudentiam; nihil fictum, nihil „ſimulatum in eo, ſed ſcapham ſcapham nominaſſe, nihil in ipſo humile, „nihil ablectum, ſed ſublimem ſupra omnes fortunae minas tuliſſe ani„mum: Nullam in eo, praeterquam temporis, obſeruatam auaritiam, „vitam ipſi fuiſſe ſtudia, delicias, meditationem, virtutem, nobilitatem, „religionem, dilectionem, non irae tenacem et offenſionum, ſed ad con„donandum facillimum, et, quod ab aliis expectaret, ad idem praeſtan„dum promtiſſimum.“ His alia addit leſſenius, de ampliſſimis fortunae bonis [q], facie, corporis decore, ſanitate, valetudine etc. apud ipſum legenda, quae omnia cum illaudabili morum diſſimilitudine, quae ei tribui ſolet, conſiſtere nequeunt. Quod hoc loco ideo obſeruamus, vt conſtet, quam difficile ſit in philoſophiae hiſtoria characteres vitae et morum virorum philoſophantium ex vero deſcribere, et quam neceſſarium, etiam in his et ſimilibus *ἐπέχειν*. Illud facile nobis perſuademus, virum ſuo genio viuentem ad omnium hominum mores componere ſe non potuiſſe, nec ſciuiſſe ſcenae temporique inſeruire, et negligere quaedam, quod ex inimicitia cum Chriſtophoro Valkendorfio aulae regiae miniſtro, quae ex leui cauſſa [r] illi ſubnata eſt, poteſt intelligi, quae regia eum gratia tandem priuauit: aſt ſciuiſſe tamen vtiliter inſeruire aulae, ex magna gratia, qua apud principes viros et imperantes diu floruit, conſtat. Fuit enim apud Rudolphum II. imperatorem, Fridericum II. Daniae regem, Iacobum IV. Scotiae regem, Erneſtum electorem Colonienſem, Guilelmum et Mauritium Haſſiae Landgrauios, Vdalricum ducem Mega-

p) pag. 233.
q) Vſus eſt manibus regum principumque apertis. Sed pleraque tamen conſumſit Vranoburgum, centena millia Braheo deuorans. Tacemus tentamina chemica.
r) Vid. NICERON. l. c. p. 335.

politanum, clementiae, liberalitatis, honoris vſu gratioſiſſimus. Tacemus amicitiam virorum inter eruditos ſummorum, ex epiſtolis eius aſtronomicis diſcendam. Habuit Braheus ſororem, mathematicarum rerum non rudem, et imprimis aſtrologiae amicam, quae nonagenaria obiit. Scriptorum catalogum exhibent WITTENIVS et NICERONIVS, qui videndi [s].

pag. 632. not. y. *Vitam eius enarrant.* His addendus NICERONIVS, cuius obſeruatio non praetermittenda: Tria habuiſſe Kepplerum cum Carteſio communia, 1. notitiam vorticum coeleſtium, 2. explicationem grauitatis, 3. notitiam opticae, in qua Kepplerum ſe ducem habuiſſe, faſſus eſt Carteſius. Plura de eo meritisque aſtronomico-phyſicis dabunt hiſtorici aſtronomiae et phyſices. Scriptorum indicem more ſuo exhibuit Niceronius. Epiſtolas Kepplerianas laudabili diligentia collegit, Kepplerianae doctrinae capita dilucide explicuit, praefationem de meritis Germanorum in matheſin, et imprimis vitam Io. Keppleri e mſctis praemiſit V. C. GOTT. MICH. HANSCHIVS Lipſ. 1718. fol.

pag. 634. not. e. *Spurium facit noſtrum Erythraeus.* Idem facit Iſaacus Bullartius in *academia ſcientiarum* apud TH. POPE-BLOVNT [t]. Legitime natum in ſcenam producit Vluianus. Quas diuerſas relationes de ortu et partu Galilaei ita forte conciliare licet, vt ex anticipato concubitu natus, et in iura poſtea familiae legitima admiſſus et receptus videatur [u].

pag. 635. lin. 14. a fin. *Naturam motus mechanici propius inſpexit.* Eius felix initium fecit inuentio communis motus mechanici per pendulum, quod ſola attentione ad motum aequalem ignis in lampade lucentis detexit, et in dialogis *de motu* primus expoſuit, ſicque viam aperuit HVGENIO [x], penduli naturam ad horologia oſcillatoria praeclare applicandi, aliisque mathematicis hoc principium ſtaticum ad praeclaras mechanicae obſeruationes traducendi [y].

pag. 639. lin. 24. *Anonymus Britannus.* Ex eius narratione Germanis noſtris breui compendio vita magni viri exponitur in *nouis literariis Lipſienſibus anni 1728.* [z]. Adducta quoque eſt in ſcenam more ſuo a NICERONIO [a].

Ibid. lin. 24. *Antiqua Newtoniorum familia ſatus.* Patriam habuit Woelſtrupium, prouinciae Lincoln dynaſtiam ad hanc ſtirpem pertinentem.

pag. 640. lin. 12. *Talis cum eſſet.* In compendio memorat, quae de felicitate ingenii Neutoniani in intimos geometriae receſſus, et infinitorum numerorum myſteria penetrandi, hic dici poſſunt, ſpeciali vero tractatione ad hiſtoriam matheſeos ſublimioris pertinent, NICERONIVS [b].

Age-

s) Tom. XIII. p. 321 ſeqq.
t) pag. 898
u) Conf. HEVMANN. Act. phil. Vol. III. p. 263.
x) De horol. oſcillatorio.
y) Conf. quos laudat WEIDLIVS lex. math. v. pendulum p. 1029.
z) p. 722 ſeqq.
a) Tom. I. p. 118 ſeqq. ed. Germ.
b) pag. 120.

Digitized by Google

Agebat eo tempore annum XXVI. Neutonus, vnde de magnitudine ingenii eius iudicari poteſt. Rem ipſam propius inſpiciendi materiam praebet *commercium epiſtolicum*, iubente ſocietate regia Londinenſi editum, quae hoc loco non moramur, cum ad ſpecialem geometriae ſublimioris hiſtoriam pertineant. Illud certum, inter maxime praecocia ingenia Neutonianum eminuiſſe. Annum enim XXIV. vix attigerat, cum fluxionum rationes iam attigiſſet. Inde vero maxima de Neutono opinio, quae Barrouio perſuaſit, vt lampada profeſſionis mathematicae ipſi traderet anno cIↃIↃcLXIX. ex quo tempore magna in academia eius auctoritas fuit, cuius iura in ſenatu regni ab hoc tempore magno animo defendit. Effecit tamen cura, quam publicis negotiis deſtinare iubebatur, vt parcius in inquirendis Matheſeos et philoſophiae arcanis verſaretur. Aſt ſuppleuerunt id philoſophiae naturalis principia mathematica, Londini cIↃIↃcLXXXVII. edita, quibus diuinam ingenii magnitudinem orbi mathematico et phyſico admirandam exhibuit.

pag. 641. lin. 12. a fin. *Depraedicauiſſe.* Vt animo aequo et liberali vtebatur Leibnizius, ita, quoties de Newtono iudicandum erat, non ſine iuſtiſſimo, quod eius meritis debebatur, praeconico de eo pronuntiauit. Exemplum ſi vis, vnum inſtar multorum eſſe poteſt. Ita enim ad Hackmannum ſcribit: *lubens abs Te intellexi, mox proditurum eſſe, quae de coloribus iam diu meditatur, digno argumento, in quo vir tantus elaboret. Itaque rogo, vt ipſi ſignifices, quantae mihi voluptati ſemper futurum ſit, videre crebra et gloriae eius apud nos, ſi modo illa augeri poteſt, et vtilitatis noſtrae ab ipſo incrementa. Ego enim ſemper candide profiteor, inter potiſſima eum ſeculi praeſentis ornamenta a me haberi, et diu vt ſit etiam proximi a me optari.* Secutus hanc Leibnizii de excellenti iudicio et acumine Newtoni philoſophico ſententiam totus fere orbis philoſophicus, maxime poſtquam principia mathematica philoſophiae prodierunt. Cuius fidem dare poſſunt editiones poſt primam Londinenſem anni cIↃIↃcLXXXVII. plures, et inter eos Cantabrigienſis [c] Coteſii et Pembertoniana, Londinenſis, quas reliquis praeſtare obſeruat NICERONIVS [d]. Certe ſignum libri praeſtantia eruditionis et iudicii incomparabilis eſſe poteſt, quod, cum ſummam legentis induſtriam, attentionem et imprimis geometriae ſublimioris notitiam poſtulet, quibus ſtrictim et conciſe ſaepe dicta, et longum argumentationum et ratiociniorum ſyrma poſt ſe trahentia ſuo ordine haud paucis animo ſuppoſitis et euictis concipiantur et demonſtratione certa et geometrica exhauriantur, meruerit tamen a ſummis viris non tantum auide legi, expendi, et poſt longum examen probari, ſed etiam aliis tandem commendari, vt vniuerſalis inde plauſus exſurgeret, quem annos et dies poſtulauiſſe lector ipſe facile colliget, certe ex attenta et repetita libri inſpectione ſatis conuincetur.

c) Prodiit altera editio, cura COTESII profeſſoris aſtronomiae et phyſicae experimentalis, Cantabrigiae 1731. 4.

d) loc. cit. p. 130.

pag. 642. lin. 14. *Supra modum foecundas demonſtrauiſſet.* Prodiit ingenioſa tractatio non ſine praeclaro lumine de luce et coloribus atque reflexionibus lucis diſputans prima vice *Londini* cIↃIↃccIV. altera cIↃIↃccXVIII. lingua *Anglica;* ex *Latina* vero a V. C. *Samuele Clarckio* confecta et ab ipſo auctore probata cIↃIↃccVI. cIↃIↃccXIX. *Gallico* ſermone, interprete *Coſteo Amſtelodami* et *Pariſiis* anno cIↃIↃccXX. et ſeq.

Ibid. lin. 22. *De quadratura curuarum comparuit.* Adiecta ſublimis diſſertatio quoque editioni principiorum mathematicorum philoſophiae naturalis Amſtelodamenſi, itemque in *collectione opuſculorum* a CASTILIONEO curata, *tomo primo.* In qua collectione reliqua quoque opuſcula minora XXVI. maximi philoſophi et geometrae laudabili conſilio comprehenſa ſunt. Indiculum earum adiecit Niceroniano elogio editor Germanus. Sunt in iis pluſcula, ſyſtemati optico illuſtrando inſeruientia, alia methodum fluxionum et ſeriem infinitarum et geometriae ſublimioris problemata diuerſa concernentia.

pag. 643. lin. 8. *Epitaphio.* Dignum omnino eſt, quod hoc loco legatur.

H. S. E.
ISAACVS NEWTON, eques auratus,
Qui animi vi prope diuina
Planetarum motus, figuras,
Cometarum ſemitas, oceanique aeſtus,
Sua matheſi facem praeferente
Primus demonſtrauit.
Radiorum lucis diſſimilitudines
Colorum inde naſcentium proprietates,
Quas nemo ante ſuſpicatus erat,
Perueſtigauit.
Naturae, antiquitatis S. Scripturae
Sedulus, ſagax, fidus Interpres
Dei O. M. maieſtatem philoſophia aperuit,
Euangelii ſimplicitatem moribus expreſſit.
Sibi gratulentur mortales
Tale tantumque extitiſſe
Humani generis decus.
Nat. XX. Dec. A. D. MDCLII. Obiit Mart. XX.
MDCCXXVI.

pag. 643. lin. 4. *Et non ciuibus modo ſuis ſtupendum.* Huc referendum, electum fuiſſe Newtonum MDCCIII. praeſidem ſocietatis regiae, quam dignitatem vſque ad vltima fata retinuit.

pag.

e) Stili vet. qui eſt d. 28. Martii, ſtilo nouo. Et ſic quoque annus intelligendus, cuius tres priores menſes ad annum elapſum referebantur. Incidit itaque mors Neutoni ſecundum calendarium nouum, 1727. d. 28. Martii, ſolennia ſepulturae regia pompa eminentis ſtrictim tetigit Niceronius. Is etiam ingenioſiſſimum et elegans epitaphium Alexandri Pope exhibet.

Digitized by Google

pag. 644. lin. 2. *Multis modis poſtponere ſtuduit.* Prodiit libellus etiam veſte Germanica indutus *f*.

pag. 645. lin. 6. *Vt modeſtia non minus, quam reliquis virtutibus emine-bat.* Adeo ſtudioſus modeſtiae ex iuuenilium annorum recordatione fuiſſe dicitur, vt cum vigeſimo quarto aetatis anno iam methodum fluxionum detexiſſet, eam tamen ſuppreſſerit: de qua re in concertatione Neutonianorum cum Leibnizianis diſputatum eſt. Humanitatem, tranquillitatem, morum facilitatem, ſocialitatem, tolerantiam eius laudant, quotquot eum nouerant. Maxime vero laudandum, virum ſummum, abſtruſis humani ingenii meditationibus, et laborioſo officio occupatum lectioni et meditationi Scripturae S. adeo diligenter vacauiſſe. Coelebs cum obierit, occaſionem habuit de facultatibus amplis pie diſponendi.

pag. 646. lin. 20. *Aliquod doctrinae aedificium minime ſufficiant.* Cupimus legi et expendi ea, quae de philoſophia naturali mathematica diſſeruit illuſtris WOLFIVS *g*, qui vehementer improbat, *ſi qui hypotheſes Newtonianas, eas praeſertim, quibus non niſi in matheſi locus conceditur, pro principiis philoſophiae naturalis ſumunt, et neſcio, quam philoſophiam Newtonianam exſculpunt, non modo phyſicam cum philoſophia, hoc eſt, cum genere ſpeciem, verum etiam cognitionem mathematicam cum philoſophica confundentes. Etſi in virorum magnorum meritis extollendis liberales ſimus, non tamen eorum laudes in praeiudicium veritatis producimus.* Addit alia apud ipſum tum hoc, tum altero, quem in textu ſuperiori iam indicauimus, loco legenda, quibus τὸ ἀφιλόσοφον in hoc argumento luculenter demonſtrauit. Quod inuito Newtono factum eſſe, vel ex ſola theſi X. heic adducta conſtat, quae ab aſſeclis non ſatis obſeruata ſunt, qui principia mathematica et phyſica inter ſe haud raro confuderunt.

pag. 656. lin. 3. *Quam felici ſucceſſu recentiori aetate phyſica philoſophiae pars promota ſit.* Hoc non ita intelligendum eſt, ac ſi omnia haec noua prorſus et incognita veteribus philoſophis fuerint, illique non viderint pluſcula, quae poſt neglectum antiquae philoſophiae ſtudium virorum acutorum diligentia velut ex ſomno reſuſcitauit, nouoque habitu produxit. Talem enim veterum ἑυρημάτων, recentiori orbi philoſophico velut nouas veritates et inuenta venditorum, indicem nuper exhibuiſſe virum longe doctiſſimum LVD. DVTENS, ſupra iam indicauimus. Vnde, quae veteres ex his recentioribus inuentis iam viderint, viro hoc optimo et diligentiſſimo duce intelligere, et hoc quoque loco indicare operae pretium eſt. Aſt effecit tamen ſitus ille teter et abominabilis, qui omnem fere literaturam ſeculis mediis obduxit et obſcurauit, tum ſeruile Peripateticae ſcholae iugum, tum ἀπαιδευσία ſeculi, vt talia pleraque alta nocte premerentur, virique docti, redeunte melioris literaturae et philoſophiae diluculo, ſtellulas iſtas, quae dudum occubuerant, noua luce irradiantes conſpicerent, ſuoque Marte id aggrederentur, quod veteribus non

f) Helmſt. 1741. 8. *g*) Elem. math. T. V. c. 9. p. 474. c. 5. p. 417 ſeqq.

non ignotum fuiſſe, ex illorum chartis probe explicatis et excuſſis eſt manifeſtum. Quod ne inuidiae cauſſa et ad eripiendam orbi veteri inuentionis gloriam dici reputetur, dignum omnino et hiſtoriae philoſophicae conueniens eſt, ea examinare, et cum recentioribus inuentis comparare, quae vir laudatiſſimus adductis veterum teſtimoniis euicit, veteri orbi non fuiſſe ignota. Non ingratus nobis, nec inutilis lectori labor eſſet, eum in rem praeſentem deducere, et in admirationem ſapientiae, etiam veteri orbi a diuina prouidentia donatae rapere, niſi longius hoc nobis iter eſſet ad ſcopum noſtrum perueniendi, et iucundius ex ipſo fonte aquae limpidae et veteris ac recentioris hiſtoriae philoſophicae plenae biberentur. Sed, vt noſtro fini hoc loco tamen faciamus ſatis, obſeruamus tamen in hac noſtra narratione, eruditiſſimum auctorem oſtendiſſe: I. non Carteſii tantum regulas, quas fulciendae ratiocinationi et meditationi praeſcripſerat, Ariſtoteli et Auguſtino fuiſſe notas, ſed Lockium quoque in Stagiritae et Stoicorum caſtris logicis deprehendi. II. Ideas innatas Carteſii et Leibnizii inueniri in Platone, Heraclito, Pythagora et Chaldaeis; exque eodem et S. Auguſtini fonte hauſiſſe Mallebranchium. III. Qualitatum ſenſibilium exiſtentiam non ignotam fuiſſe veteribus, et vidiſſe, quae magna perſpicuitate Mallebranchius detexiſſe ſibi viſus eſt, Democritum, Sextum Empiricum, Protagoram, Ariſtippum, Platonem, Stratonem; Carteſium quoque et Mallebranchium non longe abfuiſſe a ſententia Epicuri. IV. Maxime vero eruditus et ingenioſus celeberrimus auctor eſt in explorando ſyſtemate Leibnizii, Buffonii, Needhami, circa generalia naturalis philoſophiae capita: oſtendendo, plerorumque placitorum phyſicorum Leibnizii, veſtigia deprehendi apud veteres, non ignoraſſe eos entia ſimplicia eorumque compoſitionem et originem extenſionis, vidiſſeque eorum partem Pythagoreos, Platonem, Plotinum, Heraclitum. V. Comparando ſyſtema Buffonii cum placitis Anaxagorae, Empedoclis aliorumque veterum de generatione et nutritione, magnam deprehendi conformitatem, habereque imprimis ſyſtema Anaxagorae conuenientiam non exiguam cum natura eius animata. VI. Similiter de ſyſtemate Needhami ratiocinatur, et obſeruationes oculatiſſimi obſeruatoris, quas hoc loco ſupplet et exponit, comparatas cum opinione Pythagorae et diſcipulorum atque Platonis non magnopere diſſidere putat ab iis, quae de generatione iſti philoſophi veteres praeceperunt. VII. In genere autem obſeruat, Spinoziſmum fouiſſe iam Eleaticos et veteres Perſas, Indos, Sinenſes; Hobbeſiumque eosdem ſibi elegiſſe auctores atque duces. VIII. Tum ad philoſophiam corpuſcularem conuerſus, et diuiſibilitatem materiae in infinitum, Democriti, Epicuri aliorumque ſyſtema corpuſculare e puluere excitat, et in eadem opinione haeſiſſe Anaxagoram, Chryſippum, Leucippum, Democritum, qua noſtri temporis philoſophos euincere ſatagit. IX. De motu quoque eiusque acceleratione ſubtilitates veterum ex parte praeiuiſſe recentioribus oſtendit, et imprimis

primis grauitationis vniuerſalis non ignoras fuiſſe, innotuiſſe quoque veteribus vim centrifugam et centripetam, ex Empedoclis, Anaxagorae, Plutarchi teſtimoniis euincere ſatagit, imo attractionis et grauitationis leges et rationes eos iam vidiſſe ex veterum traditione probat, et erudita atque iucunda multa ad illuſtrandam veterum phyſiologiam adducit, quae legiſſe apud ipſum veteris philoſophiae naturalis cognoſcendae cupidum non poenitebit. X. Et ſic in reliquis capitibus verſatur vir doctiſſimus, vt oſtendat, inter plura incerta et falſa, multa quoque vidiſſe veteres vera, et noſtris demum ſeculis vindicata, v. g. de via lactea, de ſyſtemate ſolari, de pluralitate mundorum, de ſatellitibus planetarum, de vorticibus, de ſyſtemate colorum, apud Pythagoram et Platonem iam deprehendendo. XI. Et ſic porro quoque de ſyſtemate Copernicano, deque motu terrae circa axem ſolis, et de antipodibus verſatur, et opinionem Pythagorae et imprimis Philolai, Timai Locri, atque Ariſtarchi, quos ſecutus dicitur Plato, explicat, et veterum de cometis opinionem cum recentiorum placitis comparat, lunae quoque faciem habitatam veteribus non ignotam fuiſſe demonſtrat. Idem inſtitutum, eadem tractandi ratio et eruditio, idem ſcopus in parte tertia, vbi phyſicam particularem, medicinam, anatomiam, botanicen, matheſin, opticam in ſpecie, et mechanicam perluſtrat eo ordine et tractandi concinnitate, vt vel ex ſolo ſcribendi et differendi artificio plurimum gloriae ad notitiam veteris philoſophiae acceſſiſſe, omnino ſit fatendum. Quae tamen omnia cum a ſcopo noſtro nimis deflectant, non tangimus, ſed lectorem ad incomparabilem ſcriptorem ipſum ablegamus, certi, ſi non prorſus in omnibus conuictum, de plerisque tamen perſuaſum inclinaturum ad diuidendam inter veteres et recentiores inuentendi gloriam, relicto noſtrae aetati additae emendationis et demonſtrationis teſtimonio.

pag. 656. lin. 13. *Huius rei eum ſciuiſſe.* Luculenter haec quoque tractat ill. DVTENS, libro citato[b], aliique, imprimis qui Hippocrati iſtud myſterium iam fuiſſe notum, contenderunt, ab eo laudati. Pari ratione is veſtigia generationis ex ouo, et ex animalculis ſpermaticis, ſyſtema quoque ſexuale plantarum et apud veteres perſecutus eſt, quae apud ipſum quaerenda, diſerte in iis explicandis verſatum.

pag. 663. lin. 8. a fin. *In vita illuſtris viri iam tetigimus. Hiſtoria* celeberrimae *academiae* a potentiſſimo rege Friderico II. digna eius gloria amplificatae, vulgata eſt ſermone Gallico *anno MDCCLII.* 4. et multa exhibet, quae hiſtoriae literariae et philoſophicae noſtri ſeculi, maxime in Germania lucem accendunt. Augeri ex hac narratione quoque poteſt magni Leibnizii hiſtoria, quem primum auctorem habuit. Quae, vt ad annorum crepuſculum floreat, toto pectore precamur.

b) P. III. c. 3. pag. 39 ſeqq.

AD CAPVT TERTIVM.

DE METAPHYSICAE ET PNEVMATOLOGIAE MVTATIONIBVS RECENTIORIBVS.

pag. 669. not. ff.

Alibi nominanda. Dedit eorum indicem defideratiſſimus FABRICIVS[a], ipſe inter optimos huius generis ſcriptores numerandus [b].

pag. 682. lin. 5. *Male tamen de theologia naturali et reuelata cenſemus meruiſſe.* Confirmat hanc ſententiam iudicium G. ARNOLDI[c], qui, vt ſingulari ſtudio in excuſandis hominum heterodoxorum erroribus gloriam quaerebat, ita difficili labore, quae pro excuſando Vanino afferre poterat ἔκοντα ἄκοντα conſarcinauit, adeo vt vix ſine taedio legi poſſit, faſſus tamen eſt, negari non poſſe, Vaninum affectuum impuritate et ἀταξίᾳ, opinionis de ſe ſuisque rebus et cogitationibus ſuperbia, diſputandi acerbitate et vehementia et ſimilibus moroſae mentis erroribus ipſum ſe in manus perſecutorum tradidiſſe. Quo pacto tamen emendationem magis erroris et corrupti ingenii, quam ignem deletricem meruiſſe et prodidiſſe, clerum, quem irritauerat, non impune in eccleſia Romana laceſſiri, omnino fatendum eſt. Ita ſcilicet plerumque

Iliacos intra muros peccatur et extra.

pag. 685. lin. 1. *Infami poſtea fato ſublatus.* Laqueo ſuſpenſus propter rebellionem et inſidias, equitis de Rohan contra vitam regii haeredis anno clɔlɔcLXXIV.

pag. 686. lin. 9. *Vnde commode viuere poſſet.* Semper pauper vixit Spinoza, cum nec a parentibus neceſſaria praeter lectum accepiſſet, et inuitus ad poliendorum vitrorum artificium deſcendiſſet, vt haberet, vnde ἄλφιτα deſumeret. Itaque fruſtra illi ſunt, qui ad imitationem Rabbinorum tale eum opificium manuale arripuiſſe coniiciunt. Ipſe ſe ſerpenti caudam ſuam mordenti ideo aſſimilauit, quia finito anno, nihil facultatum ei erat reliquum, quamuis parciſſime, lacte et polenta plerumque viueret. Adeo enim ab his curis animum aduerterat, vt ne ſtipendium quidem, quo commode viuere poſſet, quodque amicus offerebat, praeter exiguam ſummam acciperet, ſummam autem mille florenorum, a Iudaeis oblatam, ſi conſtans in paterna fide maneret, generoſo pectore reiiceret. Haec COLERVS, BASNAGIVS, NICERONIVS, qui tamen

a) In praef. bonae frugis plena ad vers. Germanicam WIL. DERHAMI aſtrotheologiae, de ſcriptoribus, ex contemplatione naturae homines ad Deum ducentibus.

b) Edidit enim eadem methodo et ſcopo lingua vernacula hydrotheologiam, Hamb. 1734. 8. conf. REIMARI vita I. A. Fabricii p. 177.

c) Hiſt. eccl. et haer. P. II. c. 16. §. 13. p. 577.

Digitized by Google

men in circumſtantiis fluctuat [d], credi autem eo magis poteſt, ita abſtinenter vixiſſe, cum educationis pariter atque temperamenti atque valetudinis ratio eum ita a pueritia finxiſſet, et philoſophiae ſtudium ab omni quaeſtus cura liberauiſſet. Subleuauit hanc eius frugalitatem et ſobrietatem, qua tenuis victus ei ſufficiebat, ſolitudinis amor, quo raro inter amicos comparuit, ſibique et ſuis Muſis atque vitris vixit.

Ibid. lin. 16. *Iudaeorum perſecutioni opponeret.* Habuiſſet occaſionem cauſſamque publicam fidem implorandi, eo quod ipſe ſica a latrone clandeſtino cum ex ſynagoga exiiſſet, fuiſſet petitus: noluit tamen ea propter magiſtratum ſecuritatis cauſſa adire, contentus, omnem cum Iudaeis communionem diſrupiſſe.

pag. 688. not. r. *Non inuenit, vel vidit.* Ita quidem P. BAYLE l. c. duce Colero biographo. Aſt aliud euincit *epiſtola Cl. De Maizeaux ad Morellium*, cui intime notus erat Spinoza, ex cuius teſtimonio patet, Spinozam non tantum Condeum principem conueniſſe, ſed rogatum quoque ab eo, vt ſecum Lutetiam concederet, ſuoque in contubernio ſtipendio ſatis largo viueret, certus de ſecuritate et protectione ſua. Spinozam autem perſecutiones inuidorum metuentem hanc quidem gratiae et liberalitatis teſtificationem precibus declinaſſe; id quod moribus eius vitaeque conſuetudini omnino conſentaneum: praeſertim cum indignationem vulgi, eum proditorem agere voluiſſe ſuſpicantis, ex eo cum Gallico duce colloquio accendiſſet.

pag. 689. lin. 14. *Perturbare velle.* Conſulenda de hac vocatione Spinozae Heidelbergenſi CHEVRAEANA [e] et ANCILLONIVS [f].

pag. 691. lin. 16. *Poſtea compertum eſt.* Patet ex hoc libro [ff], qui ſero reculis noſtris acceſſit, in id conſenſiſſe totam Spinozae ſcholam, ex qua *vir ille doctus noſtri aeui* fuit, qualem titulum ſine nomine editor habet in editione Lugdunenſi anni MDCLXXVIII. vt omnem plane religionem euerteret, et ſuperſtitionis ignominia cumularet. Non patitur vel locus, vel paginae anguſtia, vt impias nugas et doloſa decreta hominis audacter de ſanctiſſimis religionis myſteriis vitiligantis hoc loco enarremus: dignus autem eſt, qui in hiſtoria theologiae naturalis totus denudetur, vt conſtet, quam turpiter in ipſam rationem et philoſophiam peccent, qui religionem et reuelationem euertere cupiunt. Conſtare quoque hoc exemplo poteſt, haud raro libros rariſſimos, qualis hic habetur [g], eſſe peſſimos.

pag. 706. not. n. *Anima humana ſibi ipſimet ignota.* Prodiit egregia tractatio *Gryphiswaldiae, 1722. Vitebergae 1723.* edita.

d) Comparandus cum Colero, Baylio et Baſnagio, mendum enim in numero apud eum eſt, notatum ab interprete Germanico.

e) Tom. II. pag. 99.

f) Melanges de literat. pag. 554.

ff) Supplebunt noſtram narrationem de hoc libro relationes de bibl. quadam Halenſi Tom. I. pag. 47-58. Tom. III. p. 58-69.

g) Vid. VOGT. Catalog. libr. rar. DE MAIZEAVX ad Epiſt. Bayl. p. 143. et imprimis NICERONVS l. c. p. 277 ſeqq. qui verſionis auctorem deſcribit Dom. de Saint Glain Andegauenſem, tribunum militum inter Batauos. Ceterum tres tituli vnum eundemque librum exhibent, mutata tantum tituli pagina. Vnde in noſtro textu p. 691. lin. 14. pro mentiebatur, nunc legendum, gerebat.

pag. 707. lin. 10. *Controuerſiis philoſophorum agitata.* Campus ſe hoc loco aperit, in quo excurſiones magni momenti facere licet hiſtoriae philoſophicae ſtudioſo. Vix enim in tota veteris et recentioris orbis philoſophia anceps magis et ambiguis concertationibus iactatum argumentum occurrit, quam pſychologia, de qua vere dici poteſt, tot capita eſſe quot ſenſus. Quamuis enim homini nihil ſit intimius anima ſua, nihil certius eius operationibus, fatendum tamen, grauem dicam ſcribi poſſe philoſophis, quod etſi totos dies, menſes et annos philoſophando tranſigant, neſciant tamen, quid ſit anima rationalis, ideoque in diuerſiſſimas, imo contradictorias opiniones diſtrahantur. Scripſit ideo eiusmodi reprehenſionem auctor *obſeruationis XIV.* in *appendice* ad *obſeruationum ſelectarum Halenſium tomos X.* [a], vbi non ſine inſigni apparatu hiſtoriae philoſophicae diſputatur, *neſcire animalia rationalia, quid ſit anima rationalis.* Id vt euincat, eundo per omnia ſectarum caſtra, ineptias, contradictiones, quisquilias, nugas detegit et deprehendit, et quam pauca et inepta ſint, quae de anima adduxerunt veteres et recentiores philoſophi, exemplis et teſtimoniis Ionicorum, Thaletis, Pherecydis, Anaxagorae, Diogenis Appolloniatae, porro Italicorum, ſiue Pythagoreorum, ſibi non conſtantium, Eleaticorum inter ſe non conuenientium, Platonicorum vehementer de anima diſputantium, Ariſtotelis et Ariſtoteliconum, quid dicant, ignorantium, Epicureorum et Stoicorum in hac quaeſtione coecutientium, et recentiori aetate Carteſianorum et Eclecticorum de anima exponit, et ad ſcepticorum ideo caſtra confugit, et nos neſcire, quid ſit rationale affirmat, et ne animam quidem ſenſitiuam et vegetatiuam cognitam eſſe contendit. Quae tractatio docta quidem et magnam lectionis copiam prae ſe ferens, colorem habet et eleganter ſceptice diſputat, aſt exoterica tantum eſt, et ex aliorum fontibus hauſta, et ita ſcripta, vt, quis auctor ſit, quas ſcaturigines in ſua arua deriuauerit, facile lector curioſus et attentus poſſit detegere. Aſt occaſionem tamen exhibet aliquam pſychologiam philoſophicam extruendi, ſi ſententiae philoſophorum diuerſae non nudis verbis et teſtimoniis adducantur, ſed ſyſtematica ſenſus connexio explicetur. Quo pacto multa eiuſmodi pſychologiae hiſtorico-criticae ſpecimina in hoc noſtro opere hiſtorico-critico et philoſophico reperientur.

pag. 707. not. o. col. 2. *Suo modo SYRBIVS.* l. *Syrbio.* Vehementer de hoc argumento concertatum eſt inter Buddeum et Wolfium [b], adeo vt omnes fere controuerſiae limites transmigrarentur. Cum enim Buddeus Wolfio in iudicio de eius philoſophia obieciſſet, reiiciendo omnes, quae pro exiſtentia Dei afferri ſolent demonſtrationes, praeter vnam ſuam, frigidam impietatis patronis eum affundere: is, vt aduerſarium fortiter refelleret, impietatis patrocinium in defenſa poſſibilitate cogita-

a) pag. 354 ſeqq.
b) Conf. HOLLMANN. obſeru. elenctic. in controuerſia Wolfiana p. 4 ſeqq. reliquos ſupra in hiſtoria Wolfii adduximus.

Digitized by Google

gitationis materiae obiecit, quam salua veritate ipsaque Dei natura affirmari non posse, multis disputauit. De qua tamen lite cum supra actum sit, hoc loco nihil repetendum est, sed apologiae Wolfianae ipsae legendae sunt, et comparanda, quae sectatores Thummigius, Bulfingerus alii ea de re Wolfiana principia sequendo disputauerunt.

Ibid. lin. 9. a fin. *Contra imposturas philosophiae.* Consulenda h. l. Acta eruditorum Lipsiensia [k], et IOANNIS RAPHSONI *epistolae miscellaneae demonstrationi* eius *de Deo* [l] annexae, qui in iisdem etiam Hobbesii et Spinosae sententias examinat [m].

pag. 708. lin. 4. a fin. *Dissertatio ipsa legenda est.* Duplici modo obseruat beatus auctor, homini facultatem vaticinandi tribui posse, tum, vt ipsi menti haec insit, tum, vt homo peculiari dispositione ad manifestationem a Deo aut genio factam, recipiendam polleat. Prius placuit Ammonio apud PLVTARCHVM [n], cuius rationes plenius exposuit et vrsit philosophus Gallus, PETRVS PETITVS [o] ratus, aeque facile animam praeuidere futura, quam recordari praesentium et praeteritorum, nihilque tam nouum, tam inusitatum in tempore futuro accidere posse, cuius non species ac signa in animo nostro pridem per sensum incepta haereant. Posterius inter Iudaeos ratum habuit MOSES MAIMONIDES [p], cui *diuinatio perfectio naturae humanae visa est, quam nemo adipiscitur, nisi studio, industria, diligentia, quae id, quod in potentia speciei inest, in actum educat, nisi impediatur.* Addit tamen *interdum istam perfectionem ita comparatam esse, vt ad illius adeptionem necessario requiratur eductor, et tunc talem quoque sine dubio habiturum. Fundamentum autem huius rei praecipuum esse dispositionem et dexteritatem naturalem, et perfectionem tam in moribus et qualitatibus externis, quam in rationalibus et intellectualibus.* Vidit facile Iudaeus supra gentis suae indolem acutus, haec tamen omnia non sufficere, ad roborandam τῆς μαντικῆς assertionem, vnde monet, esse tantum praeparationem ad indicationem futurorum a numine recipiendam, requirique influentiam intellectualem a Deo mediante intellectu agente super facultatem imaginatricem influentem, et sic distinguendam a speculationibus sapientum speculatorum, seu theoreticorum, vbi illa influentia in totam facultatem rationalem influat; cum in prophetia influentia in imaginatricem in summo gradu ex creatione perfecta oriatur. Facile videbunt Iudaicae sapientiae periti ortum hanc sententiam habere ex doctrina Cabbalistica de sephiris atque animarum classibus, esseque hanc diuinationem speciem emanationis supernae ex sephira superiore in animae partem nobiliorem defluentis, qua de causa ea consulenda sunt, quae in historia philosophiae Cabbalisticae tomo secundo perspicue tradidimus. Suspicamur autem, doctrinam de intellectu actiuo Aristotelico, apellae Peripato Ara-

k) 1707. pag. 351 seqq.
l) Lond. 1718. 8. ep. I.
m) Ep. II. III.
n) De defectu orac. Tom. I. p. m. 545 seqq.
o) De Sibyll. Lib. I. c. 8. pag. 30 seqq.
p) More neuochim P. II. c. 32.

bico vehementer deditum in ea ſententia confirmatum fuiſſe: nam et ipſe quoque ille intellectus actiuus emanatio diuina eſt, quae ab extra in hominem influit et diſponit. Et ex hac ipſa Iudaeorum ſchola veriſimile eſt BEN. DE SPINOZA ſententiam hauſtam, contendentem [q]: hominis temperamentum non excitare tantum prophetias, verum etiam variare, facultate imaginandi fortiori rem ſuam in hac operatione agenti ſuſtentata. Quae omnia tamen cum ſpecialem influentiam ſupponant, nullo argumento probabiliter perſuaderi, multo minus certo demonſtrari poſſunt. Petiti autem argumenta cum eandem naturalem indolem ſupponant, qua naturae ad prophetiae ſtudium aptiores ſint, incertum per magis probant, vel naturalem conliciendi promtitudinem et ἀγχίνοιαν cum diuinandi facultate toto coelo differentem confundunt. Reliqua, quae moneri h. l. poterant, erudite diſcuſſit Buddeana eruditio, ad quam prouocauimus. Vbi recte quoque obſeruatur, ne ſiderum quidem influxum fundamentum ſuppeditare, ex quo iſta diuinandi facultas naturalis queat confirmari.

pag. 709. lin. 11. *IO. ANDR. PLANERO.* Diximus de acuto hoc philoſopho, profeſſore mathematum ſuperiorum Vitembergenſi, magnae ſpei ſcriptore, ſed praematuro fato, poſt varias vitae vicisſitudines, rerum vanitati 1714. erepto in *germanicis erotematis* [r] H. P. Quae cum legi ob noſtra vernacula ab omnibus non queant, pauciſſimis de eius ſententia monemus, placuiſſe illi, prima corporum humanorum ſtamina eſſe concreata ſimul; adeoque animas pariter ſimul eſſe creatas, et generationem fieri modo vnione materiae et formae. Generationem eſſe iſtam vnionem formae cum materia, conſequenter et animam vnione iſta propagari. Nullum agens naturale poſſe aliquid immateriale producere, quia hoc ſit mentis infiniti; hominem bruto fore deteriorem, ſi anima non propagetur vnione, ſed ex nihilo vel immediate ab ipſo Deo, vel a parentibus creetur etc. Dicere has aſſertiones aliquid, cuius rationes ſufficientes non poſſunt euidenter explicari, videbit quilibet, qui nihil admittere conſueuit, cuius ratio ſufficiens declarari nequit. Mirum itaque non eſt, etiam in Planeriana hac hypotheſi de origine animae per vnionem, innumeras difficultates et ἀσύστατα deprehendiſſe viros doctos, quorum ſummam expoſuit ELSWICHIVS [s].

pag. 712. not. e. col. 2. lin. vlt. *NICERON. memoires.* In Germanica editione haec vita B. Bekkeri diligenter ſcripta extat *T. XX. p. 55 ſeqq.*

Ibid. lin. penult. *Quam aduerſarii eius clamarent.* Occaſionem exhibuit Bekkero, litibus atque controuerſiis Carteſianis ſe immiſcendi, conſilium ſenatus eccleſiaſtici Leouardenſis prohibendi ſtatuum confoederatorum nomine, ne quis Carteſianam philoſophiam vel in genere, vel in ſpecie, tum in cathedra, tum in ſcriptis profiteatur, niſi refutandi cauſſa. Quae

[q]) Diſc. hiſtor. polit. c. 18. 19.
[r]) Tom. VII. pag. 805 ſeqq.
[s]) Diſſ. de recent. controuerſiis de anima. §. 31. pag. 54 ſeqq.

Digitized by Google

Quae cum grauius ſtatuta eſſe, quam par erat, Bekkerus iudicaſſet, edidit *admonitionem candidam et ſinceram de philoſophia Carteſiana* [r], et nec tanta in illa pericula latere, quanta clamabant Voetii ſequaces, nec adeo abſurda de ea cogitanda eſſe, ea modeſtia demonſtratum iuit, vt Samuelis Mareſii aſſenſum mereretur. Quo pacto cum ſe his controuerſiis immiſcuiſſet, diſplicuit Ioanni van der Wayen, tum adhuc Carteſii aduerſario, cuius rei euentum notauit LILIENTHALIVS [s], qui in controuerſiis de catechiſmo Heidelbergenſi magnam ei inuidiam conflauiſſe eumque permouiſſe, vt munere Franequerano ſe abdicaret, refert: quae cum ad eccleſiaſticam Belgii hiſtoriam pertineant, hoc loco non moramur.

r) Veſal. 1668. 8. s) loc. cit. pag. 30.

AD CAPVT QVARTVM.

DE EMENDATIONE PHILOSOPHIAE MORALIS RECENTIORIS AETATIS.

pag. 723. lin. 19.

Nonnullis editionibus praefixa eſt. Apparet in editione *tentaminum* noſtra edita, vt habet titulus, *Coloniae MDCXVI.* vita eius ex propriis illius ſcriptis collecta, quae fundamenti loco eligenda eſt in deſcribenda hiſtoria Montani.

Ibid. lin. 23. *Inter huius conditionis homines eum educari curauit.* Mirum id videri poteſt in parente Montani; qui cum filium procul eſſe a ſtultitia ambitionis equeſtris eſſe cuperet, ſuoque ingenio viuere optaret, eorum hominum educationi et exemplo tradidit, a quibus nec verae virtutis vmbram, nec honeſtatis gloriam, nec morum ciuilitatem poterat diſcere. Quae primae cauſſae fuerunt, cur character Montani inter plurima pulchra et bona, quae ex naturae diuitiis habet, ſibi factus ſit diſſimilis, nec adeo accurate cohaereat vitae eius et actionum hiſtoria, quam ex narratione laudata cum attentione intelligere neminem poenitebit.

pag. 724. lin. 19. a fin. *Sexagenarius obiit.* Legendum epitaphium ab vxore Franciſca Chaſſanea ei ſcriptum [a], in quo *maritum dulciſſimum, ob morum ſuauitatem, ingenii acumen, extemporalem facundiam, et incomparabile iudicium ſupra humanam ſortem extollit, et vniuerſis populatim gratum et aduerſus omnes dolorum minacias munitam ſapientiam labris et libris profeſſum* depraedicat. Quam vitae continentiam iuuentus licentioſius tractata non promiſerat. Valde laudant eius characterem eius ſcriptores biographi, et tum ingenii excellentiam, cogitandi et iudicandi acrimoniam,

a) Exhibet NICERONVS Tom. XII. pag. 189 ſeqq. ed. Germ. vbi vitam eius enarrat.

niam, meditandi facilitatem, lectionis atque eruditionis vaſtitatem eximiis encomiis depraedicant, tum vero animum quoque incertum et profundae meditationis ignarum, iudicii quoque diſcretionem ſaepenumero neglectam culpant, et ſuſpicione grauant, quod religioni ipſique naturae legi grauis et inimicus fuerit. Adeo difficile eſt, mediam viam tenere; quae tamen Montano ignoſcenda eſſe putamus, quod in tanta cogitationum varietate, ſine certo principio diffuſus ſaepe dulcedine vitiorum ſermonis et meditationis incogitantia ad deteriora nonnulla pertractus eſt, quae ipſum non ſatis intellexiſſe omnino, certe effudiſſe magis, quam examinaſſe cenſendus eſt.

Ibid. not. e. *Hagae comit. IV. Vol. 12.* Prima *tentaminum* Montani editio prodiit *Burdig.* 1580. 8. quae duos tantum libros priores continet, *quinta Pariſienſis* 1588. 4. librum tertium adiectum habet. Poſt Montani mortem lucem vidit editio *Pariſienſis*, *anni* 1595. ad autographum auctoris emendata et aucta, et inter reliquas optima. Hanc ſecutae ſunt aliae multae inter quas COSTEI ideo ſuper ceteras eminet, quia non tantum ad veteres exacta et cum illis comparata, ſed loca quoque veterum ſcriptorum Graecorum, Latinorum, Italorum exactius citata, notulis quoque quibuſdam diſpuncta; hanc imitati ſunt bibliopolae *Pariſienſes*, *1725. IV. Vol. in 4.* qui nonnulla Montaniana adiecerunt, *Hagienſis* autem anni *1727. 5 Vol. 12.* pauca habet, quae his praeſtant. Ceterum, quanta exiſtimatio huius operis moralis in orbe erudito obtinuerit, verſiones Italicae, *Ven. 1633. 4. Anglica, Lond.* 1603. *Germanica 1753. 1754.* docent, pluribusque narrat editor nouus Coſteus, omnino de hoc libro legendus. Multa habet Montanus a veteribus deſumta et nouo lumine ſplendidiori induta, quae ſi a propriis eius meditationibus ſeparentur, longe minor erit doctrinae eius gloria[b], nec magno iudicandi acumine, nec multo ratiocinationis nexu ſuſtentata, vt appareat, voluiſſe eum tantum ἐξωτερικῶς ſcribere. Qui eius character locum ei inter philoſophos morales eclecticos deſignat tantum exotericum.

pag. 731. lin. 17. *Pulchre et concinne exponuntur.* Auctorem anonymum prodidit HEVMANNVS[c], PET. AMB. LEHMANNVM, quem ſequitur auctor *annotationum ad Niceronianam biographiam Grotii*[d]. Vterque diligentiam, iudicium, lectionis copiam in ea ex merito laudat. NICERONIVS[e] in recenſendis eum librorum Grotianorum editionibus nimium tribuiſſe bibliothecarum catalogis iudicat. Recte vero facient, qui hunc ſcriptorum Grotianorum indicem cum Niceroniano comparabunt, quo vitam ſtrictim, librorum hiſtoriam fuſe et accurate, more ſuo enarrauit[f].

Ibid. not. * lin. vlt. *Le Vaſſor Hiſt. Lud. XIII. l. 12. alii.* Exponuntur quoque vita resque geſtae Grotii in *bibliotheca Remonſtrantium*[g], in *Colle-*

b) Conf. Menagiana Tom. I. pag 305.
c) Via ad hiſt. lit. c. VII. §. 2. p. 404. miſcell. Lipſ. noua Tom. I. p. 320.
d) pag. 85. n. 53.
e) loc. cit.
f) Tom. I. mem. bigr. p. 31 ſeqq. vers. Germ.
g) pag. 78 ſeqq.

Digitized by Google

Collectione BATESIANA [h], DVPINII *Bibliotheca scriptorum a com. eccl. Rom. discedentium* [i], quo referri quoque possunt MEVRSII *Athenae Batauae* [k], MAVRERII *mem. Bat.*, et ex recentissimis scriptoribus BVRIGNIVS, qui Gallica lingua, historiam vitae, scriptorum, negotiationum, quibus interfuit GROTIVS, multo apparatu confarcinauit. Quem passim laudari quidem videas [l], timemus vero, ne partis studium luculenter prodiderit, Grotium tantum non penitus Romanae ecclesiae vindicando [m]. Quo veteri ἐγκλήματι an historicam fidem probauerit, lectori iudicandum relinquimus, recte incertum id esse, et ex meris coniecturis colligi obtenuauit ipse NICERONIVS [n]. Praecocis autem ingenii adolescens cum Grotius eminuerit, inter huius characteris pueros locum ei quoque fecit HADR. BAILLETVS [o]: et *de vita, morte ac scriptis H. Grotii observationes* complures attulit ANONYMVS [p], qui est Io. GEORG. MEVSCHENIVS, et de eius genere, pueritia, munere in republica, carcere et fuga in Galliam, exilio, legatione Suecica, itinere in Belgium, naufragio et morte, ea ex fontibus literariis cumulat, quae postea materiam biographis suppeditarunt Grotii vitam describendi.

Ibid. lin. 13. a fin. *Ob doctrinae laudem fuit commendatissimus.* Erat enim literaturae Latinae, Graecae, Hebraicae peritissimus [q].

Ibid. lin. vlt. not. o. *Exempla habes l. c. p. 9 seqq.* Legendus h. l. imprimis BAILLETVS [r]. Cecinit de hac praecoci eruditione discipuli sui IOSEPHVS SCALIGER [s]:

Hugo soboles Grotius optimi parentis
Qui limina nondum tetigit puberis aeui
Sed mente senili teneros praeuenit annos
Magnum meditans, auspiciis noluit illis
Praeludere, quae vesticipum postulat aetas
Sed maluit a grandibus inchoare coeptis.

Vna vero ex Martiani Capellae editione gloria, praeclarissimum ingenii diuini in adolescente exemplum esse potest, de qua in historia critica L. Latinae dicendum [t].

pag. 730. lin. 18. *Torque aureo testatus est.* Erattum anno cIↃIↃXCVIII. annos natus XVI. et in eo itinere summos in iure honores capessere, rarum erat et inusitatum.

pag. 735. lin. 13. *Non sine iucunditate intelligi potest.* Legenda et ponderanda hac occasione *epistola Grotii ad Erycum Puteanum* [u], liberationem ex

h) pag. 420.
i) Tom. II. p. 496 seqq.
k) pag. 205.
l) Journ. des Savans Fevr. 1753. p. 378. bibl. theol. P. VIII. p. 871.
m) Conf. nou. lit. Lipf. 1754. p. 170.
n) loc. cit. p. 44. o) p. 243.
o) Obf. select. Hal. T. VII. obf. 14. p. 329 seqq.
p) Vid. eius vita in coll. Bat. p. 421.
q) loc. cit.
r) Carm. praef. Mart. Cap. Plures addit cl. CHR. FR. G. MEISTERVS in bibliotheca I. N. G. P. I. p. 200 seqq. qui in seqq. etiam fuse eius commentatores enumerat.
s) Conf. FABRIC. bibl. Lat. T. I. p. 649.
t) loc. cit.

ex carcere illi gratulantem, in qua nescias, vtrum vel elegantia ingenii, vel pectoris pietas atque candor primas partes tueatur, adeo iusta, decora, pia, et viro sapiente atque Christianae ciuitatis alumno digna sunt omnia, vt lectio decies repetita decies placeat.

Ibid. lin. 22. *In deuinciendo sibi Grotio beneficiis certauit.* Meminit huius beneuolentiae GASSENDVS in vita Peireſcii [w], his verbis: *Anni insequentis* (1621) *primo statim vere amplius, quam mense decubuit; adeo vt neque discessurum iterato cum rege Varium comitari potuerit, neque Hugoni Grotio, tum primum in Galliam appulso, quam multa magnaque officia destinauerat, exhibere. Scilicet tanti illum ducebat, vt in vicem Scaligeri assertum Gulliae diceret* etc. Ingressus est Lutetiam Grotius anno clɔlɔcXXI. die 23. Aprilis donatiuum a rege accepit M. Thalerorum, quod eripere illi accusationes aduersariorum non potuere [x].

pag. 736. not. f. *Grotius vindicatus P. I. p. 266.* Diligenter et accurate historiam celeberrimi operis enarrauit, et imprimis fortunam libri, editiones, versiones, interpretationes, obiectiones eius recensuit NICERONIVS [y] cum his nostris comparandus.

pag. 737. not. h. *Ep. ad Gallos 66.* Pon. 76. quae est ad Peireſcium, vbi inter alia: *interim non otior, sed in illo de iure gentium opere pergo, quod si tale futurum est, vt lectores demereri possit, habebit, quod tibi debebit posteritas, qui me ad hunc laborem et auxilio et hortatu tuo excitasti.* Scripta est ista epistola 11. Ian. 1624.

pag. 739. lin. 3. *Inuentum fuisse iureconsultum Helmstadiensem.* Io. A FELDEN iurisprudentiae et mathematum professorem, qui post auctoris vltima fata *Amstelodami anno MDCLIII.* edidit *annotata in H. G. de I. B. et P.* Valde contemnit hunc Grotii censorem NICERONIVS [z]. Editiones et refutationem libri a Graswinckelio, qui Grotii amanuensis fuerat, titulo *strictvrarum ad censuram Io. Feldeni de I. B. et P. Amst. 1653.* editam, quae et ipsa non omnibus probata est, recenset *bibliotheca Grotiana*, subiuncta *vindiciis Grotianis* [a]. Non sine iurgiis et contumelia haec concertatio acta est, Feldenio par pari referente.

pag. 742. lin. 12. a fin. *Ad res magnas nato praeditum.* Vestigia eruditionis castigatae in hoc studio morali adeo commendauerunt Henningesium Friderico a Iena, electoris Brandenburgici status administro, vt eius potissimum iudicio persuasus elector eum legatum in comitiis Ratisbonensibus esse iuberet.

pag. 743. lin. 3. *Adeundi sunt.* Comparandae cum his *memoriae Niceronianae*, et quae supplevit interpres Germanus, a nobis hoc loco non exscribendus.

pag.

w) Epp. Remonstr. CCCLXXXVIII. p. 654. ed. vlt. anni 1705.

x) L. III. T. V. Opp. p. 289. Conf. Obs. sel. Hal. T. VII. obs. 15. p. 338.

y) l. c. p. 52 seqq. qui copie et accuratione commendandus.

z) loc. cit. p. 56.

a) pag. 749. 750.

Digitized by Googl

pag. 746. lin. 27. *Relictis filiis tribus.* Inter eos eminuit Petrus, tum ingenii praecocis et parentis aemuli, maxime Latini carminis laude commendatus, partim meritis de republica in legationibus ad aulas ſeptentrionales conſpicuus.

pag. 747. lin. 16. a fin. *Pulcherrimis corporibus naeui fui inſint.* Cogitandae quoque temporum et fatorum, maxime in Belgio foederato circumſtantiae, ſtudium factionis, rebelliones frequentes et mille alia, quae ingenium Grotianum a ſectario ſpiritu et remediis violentis vehementer abhorrens ferre non poterat, et interdum in contraria currere coëgerant [b].

Ibid. lin. 7. a fin. *Niſi Grotio vſa fuiſſet diuina prouidentia.* Non ingratum fore Lectori hiſtoriae fontes veros adaequatos rimanti adſcribere iudicium CH. THOMASII [c], eo quod multa complectatur, quae hanc emendandi doctrinam moralem perlodum praeclare illuſtrant: „Opus erat „eiusmodi doctore, qui iam expertus erat perſecutionem ſcholaſticorum, „et qui ab aliis eruditis non ſcholaſticis ad id opus difficile ſuſcipiendum „impelleretur. Scilicet vt ex vna parte caute verſaretur cum philoſophia „morali ſcholaſticorum, ne huius bilem aduerſus prudentiam naturalem „et rationalem ex latebris productam nimis irritaret, ex altera vero parte „non adeo metuendum haberet odium ſcholaſticorum, ſed in protectio„ne potentiorum aliquo modo fiduciam poneret. Talis vero erat vir in„comparabilis Hugo Grotius. Conueniebant ei requiſita omnia hactenus „memorata - - Erat iam in aetate tenera et iuuenili prae aliis eruditus, „et multis profeſſoribus comparandus. Promotus erat in aetate nondum „virili ad munera politica patriae magni momenti. Infelicitati, aut po„tius felicitati eius adſcribendum eſt, quod ortis turbis et diſſidiis ciuili„bus parti imbecilliori adhaereret, et propterea ad carceres perpetuos „condemnaretur, ſed tamen miro artificio vxoris fideliſſimae exinde libe„raretur. Quaerebat protectionem eamque inueniebat in Gallia et illu„ſtris Peireſcius eum inſtigabat, vt tentaret, annon tandem aliquando in „philoſophia morali vera doctrina poſſit ab ineptiis ſcholaſticis purgari, „vt ius gentium ſecundum ductum genuini luminis naturalis deſcriberet. „Obſequebatur Grotius, atque operi titulum *de iure belli et pacis* dabat, „vt oſtenderet, controuerſias regum, principum aut diuerſorum popu„lorum, vnde plerumque bella oriuntur, non ex iure Iuſtinianeo aut ca„nonico, ſed ex ſolo iure naturae decidendas eſſe. Caute procedebat, „et, quamuis operam daret, vt ea, quae hactenus Scholaſtici confuſiſſime „tradiderant, miſcendo videlicet iura diuina, communia, Moſaica cum „legibus humanis particularibus, iterum ſepararet atque diſtingueret, non „tamen ſtatim eorum fundamentales errores oppugnare tutum putabat, „ſed potius eos in prolegomenis laudabat, et operam dabat, vt eorum „fundamentalem propoſitionem de iure naturae etſi obſcuram et falſam

b) NICERON. l. c. BAILLET. l. c.

c) Hiſt. I. N. c. V. §. 15. p. 66 ſeqq.

„cum ſocialitate Ciceronis conciliaret. Atque iſta cautela ad id illi prod„erat, vt eius doctrina non cum tanto ac tam hoſtili impetu oppugnare„tur, quem poſtea alii ſunt experti, qui absque diſſimulatione grillos „ſcholaſticos aperte oppugnare inſtituerunt. Paucis: Grotius erat inſtru„mentum, quo diuina ſapientia vtebatur, vt initium faceret tollendae con„fuſionis adeo diuturnae luminis naturalis et ſupernaturalis. Dico *initium*. „Quemadmodum enim diuinum Numen pedetentim, non vno impetu ex „die noctem, et ex nocte diem facit, ita etiam eadem methodo vtitur in „mutatione veritatis et errorum. Praecedit aurora, et inter primas „diei horas et meridianam lucem magna pariter differentia eſt. Sed „manet tamen laus Grotio primae inuentionis et quod aliis ad mini„mum viam oſtenderit, erroneas doctrinas a veris ſeparandi.“ Quae vere et recte dici a Thomaſio nemo negabit, qui attente conſideraverit, quo ſenſu et ſignificatione Grotius inuentor iuris naturalis emendati dicatur. Quanquam enim ante eum quidam erant, qui ad hanc auroram oculos aperirent, coecutierunt tamen, donec Grotius tam prouidam mutandi et emendandi iuris naturalis diſciplinam occaſionem nactus orientis lucis radios cominus oſtenderet. Non tamen hoc iudicium eo trahendum eſt, vt credatur, ſine maculis hunc ſolem Grotianum diſciplinae morali fuiſſe exortum. Trahebat enim nonnihil ex iſtis tenebris, quae ingenia in campo morali obruerant, et reprehenditur non immerito, quod maluerit ad literaturae veteris igniculos, quam ad artis rationalis lumina animum ſaepe aduertere; quodque ideo in verum et genuinum principium cognoſcendi in iure naturae et gentium non attenderit, nec legis homonymiam ſuſtulerit, lumen vero reuelatum et naturale vbique fere miſcuerit, quod ius gentium ſpeciem iuris voluntarii fecerit, vt ea taceamus, quae theologi in eo notarunt puritati doctrinae ſacrae non vbique conformia [d]. Verum haec a communi humanitatis ſorte non aliena et inuſitata ſunt, vbi nihil ſimul incipitur et perficitur, hiſtoria vniuerſali teſte luculentiſſimo. Aſt fatendum tamen, plura Grotium attuliſſe, quam eo tempore expectari poterant, dignum, cuius aeterna maneat in annalibus hiſtoriae philoſophicae memoria.

pag. 748. lin. 7. a fin. *Nimia literaturae orientalis copia grauata tractatio.* Dudum id obſeruatum viris doctis, nihil minus tractandum fuiſſe, quam huius diſciplinae moralis argumentum, a Seldeno, ea confuſione ſtudiorum ſuorum perturbato, vt eodem tempore de rebus toto genere diuerſis cogitaret, digreſſiones etiam captaret adeo remotas et interdum tam longas, vt niſi ita ſtudia inſtituiſſet, non potuiſſet tantam ordinis et rerum perturbationem ferre. Addit his Io. Clericvs [e]: *ac ſane dum ordinem et perſpicuitatem negligit, non parum taedii lectoribus creat, quae vera et vtilia habet longe plurima, minus facile intelliguntur, et ſicubi in errorem delabitur,*

d) Idem loc. cit.

e) Art. crit. P. I. c. 5. §. 5. p. 96.

Digitized by Google

labitur, vix origo erroris deprehendi poteſt. - - Confuſio, digreſſiones, teſtimonia aliena et immenſa illa eruditionis vnum in opus congeſtae ſarrago facile fucum faciunt, et perſpicaces etiam occaecant. Quae in genere de Seldeno rectiſſime obſeruata eo magis ad hoc iuris Ebraei vniuerſalis ſyſtema pertinent, quo magis argumentum varietate et copia lectionis prorſus obruit, et lectorem impedit, vt intolerabilem iuris naturalis et traditiui confuſionem detegere, et quam inepte et ſine neruo rationes expediantur, intelligere ſatis poſſit. Mirandum itaque non eſt, opus cetera erudita lectione ſpiſſum atque turgens admiratores haud reperiſſe, nihilque adiutam ab eo diſciplinam iuris naturalem. Verum enim, quod C. THOMASIVS [f] pronuntiauit, iudicium, Seldeni librum eſſe ſaltem hiſtoriam ſententiarum rabbinicarum de iure naturae; malumus dicere, de traditiua philoſophia morali Iudaeorum incerta et fidem non praeſtantia exhibentem, nihil magis pertinere ad ius naturae, quam aliam quamcunque philoſophiae traditiuae enumerationem, et confundere magis, quam exponere diſciplinae huius latifundia, lectio lectorem docebit.

pag. 749. lin. 12. *Reliqua, quae de mari clauſo cum Grotio diſputauit.* Occupat Seldeni liber de *mari clauſo Tomum II. opp.* eius *Londini 1726.* editorum, laudaturque ob multam eruditionem et veritatem, quamuis naeuis non careat. Certe Grotium Seldenum peculiari opera refellere auſum non eſſe, ſed duo tantum epigrammata in eum ſcripſiſſe obſeruat cl. MEISTERVS [g]. Quod ſilentium veriſimile eſt, perſuaſiſſe Grotio non tam cauſſae deterioris materiam, quam ingratum patriae contra ipſum animum, cui tamen iſto ſcripto velificabat. Pro Grotio autem de mari libero in arenam deſcendit TH. GRASWINCKELIVS, cui vindicias oppoſuit SELDENVS [h], vt alios taceamus in hoc argumento occupatos, qui ad ſpecialem hiſtoriae I. N. tractationem pertinent, a quibus diſquiri ſolet, num ius maris libertati plenae aſſerendum omnique imperio eximendum, vel ex altera parte vnico regno oceanus obnoxius vindicandus ſit. In qua quaeſtione ex vtraque parte limites quaeſtionis tranſiliſſe hos ſcriptores, I. N. periti et accurate philoſophantes dudum decreuerunt. Verum haec obiter.

pag. 750. lin. 3. *Anonymus quidam adiecerit.* Dolemus, non eandem fortunam habuiſſe illuſtris vlri memoriam, qua Grotio frui licuit, vt integra atque iuſta, at arcana quoque eius biographia conſcriberetur. Quanquam enim res eius tetigerunt Io. PETR. A LVDEWIG [i], REIMMANNVS [k], HEVMANNVS [l], GLAFFEYVS [m], alii, certiora tamen et pleniora poſtulant

f) loc. cit. p. 88 ſeqq.

g) Bibl. I. N. et G. P. II. p. 112.

h) T. II. Opp. p. 1415. Lond. 1653. 4. Meruiſſe hac diſceptatione Seldenum, vt carcere, quo retinebatur, liber exire poſſet, tradit auctor bibl. iuris imp. c. 3. p. 233 ſeqq. vbi ceteri quoque, qui de mari libero vel clauſo ſcripſerunt, recenſentur.

i) Or. de vita Pufendorfii, Or. XVII. p. 463.

k) Hiſt. lit. Germ. P. IV. p. 612 ſeqq.

l) Act. phil. Vol. III. p. 641. 949.

m) Hiſt. iur. nat. L. III. §. 121 ſqq. p. 201 ſqq. quibus merito addi debent memoriae erud. Ni-

tanti viri in iurisprudentiam naturalem, et hiſtoriam merita. Nos quae adduximus, ex Ipſius mentione paſſim in ſcriptis ſuis facta collegimus, alia ſtrictim addidit *bibliotheca ſcriptorum iuris imperantium.*

pag. 750. lin. 11. *Affectam autem perficere non potuit.* Inſpicienda eſt acutiſſimi philoſophi et mathematici, qui imperatori et Principi Palatino Sulzbacenſi a conſiliis fuit, et cathedram mathematicam in academia Ienenſi circa finem ſeculi elapſi praeclara multaque laude ornauit *philoſophia mathematica, per ſingulas ſcientias continuata, vniuerſae artis inueniendi prima ſtamina complectens, quam Ienae 1693.* publici iuris fecit, vt intelligatur, quanta ingenii profunditate, quanto iudicio in philoſophia et matheſi verſatus ſit, quam multas veritates viderit, quas poſteri philoſophi ſuo nomine vulgarunt, et quas propter cogitandi profunditatem neglectas eſſe dolendum eſt. Ex eius ſchola prodeuntes Leibnizius et Hambergerus, qui Wolfium poſtea formauit, teſtes ſunt, quo loco ponendus ſit philoſophus praeſtantiſſimus, ſed ob conceptus mathematicos difficilior et obſcurus.

Ibid. lin. 6. a fin. *Ipſe Pufendorfius prouocat. Quae omnia* (ſermo eſt de diſciplina morali demonſtrationis capace) *non ita pridem peculiari libro perſpicue admodum et ſolide oſtendit V. C. Dn. Erhardus Weigelius, in academia Ienenſi mathematum profeſſor, amicus meus honorandus* [n]. *Qui idem primus me hortatus eſt, vt in iſto genere quid conarer, et cuius ingenium in nonnullis facem mihi vtiliſſime praetulit.* Haec Ipſe PVFENDORFIVS [o]: ex quo iudicari poteſt, In quantum iurisprudentiam ſuam moralem, quod nonnulli volunt, Weigelio debuerit, qui non erubuit honeſto pudore fateri, per quem profecerit. Eodem candore ingenuo faſſus eſt, multa ſe deſumſiſſe a Grotio, nec parum debere Thomae Hobbeſio. Verum haec pleraque poſtea refinxit, vt nouum I. N. et G. ſyſtema effingeret.

pag. 753. lin. 5. *Ad legatum Suecicum Coyetum in aula Hafnienſi commorantem vocatus eſt.* Erat tum in miniſteriis regis Suecici Eſaias frater [p], multumque apud proceres valebat, quorum commendatione poſtea ducatus Bremenſis et Verdenſis cancellarii munus accepit, vir et ipſe veteris atque recentioris literaturae cognitione celebratiſſimus, et Samueli fratri par. Is in legati Suecici domum eum introduxit, fatali quidem ipſi fratri tempore, qui cum reliquis legati domeſticis captiuus detentus eſt; aſt felici pro philoſophia, quae taedii leuamen in excutiendis moralis ſapientiae fundamentis quaerendum illi commendauit. Sed excutiendus et legendus ipſe locus *Eridis Scandicae*, quem p. 126. allegauimus, vbi in *epiſtola ad amicos* ſiue *apologia contra Nic. Beckmanni libellum famoſum*, pluſcula de vitae ſuae circumſtantiis memorauit.

pag.

CRONIANAE T. XIV. p. 239 ſeqq. itemque praefationes verſionum Gallicarum operis de I. N. et G. et Intr. in Hiſtor. Biblioth. FABRICII P. IV. p. 133.

n) Habitabat in eius aedibus per annum 1657.

o) Vid. l. c. not. a.

p) Erat is noſtro natu maior, et regis Suecine conſiliarius, et ad Galliarum regem legatus, cuius opuſcula edidit ill. LVDEWIGIVS Hal. 1699. 8.

Digitized by Google

pag. 756. lin. 9. *In hiſtoria critica et literaria iuris publici Germanici exponendum eſt.* Strictim celeberrimi libri hiſtoriam enarrant nouus editor CHRISTIANVS THOMASIVS [f] et P. NICERONIVS, qui editiones quoque, cenſuras, verſiones, commentationes ordine recenſet, ipſe adeundus [r]. Ortae inde Pufendorfio cum Scharenſchmidio I. V. L. controuerſiae, quibus ſub Io. Rolleti nomine ſe vindicauit.

pag. 759. lin. 4. *In libello de officio hominis et ciuis.* Hiſtoriam literariam elegantis compendii enarrat NICERONIVS [s], editiones et verſiones MEISTERVS [t], et *bibliotheca iuris imperantium* [u], quos vide. Inter hos vero omnes vt de maiori opere, ita et de minore epitome optime meruit Io. BARBAYRACIVS, cuius praefatio in I. N. et G. introductionem egregiam exhibet, in omnem doctrinam moralem.

pag. 759. lin. 14. *Vt ſuo loco dictum.* Recruduit hoc bellum, cum moralitatis obiectiuae ſyſtema a Pufendorfio, Thomaſio, Buddeo aliisque reiiceretur, Wolfius autem de intrinſeca et metaphyſica rerum atque actionum bonitate vel prauitate perſuaſus eam magnis moliminibus reſtauraret et acerrimis contentionibus poſtliminio vindicaret. Dici non poteſt, quantae inde lites et vehementes philoſophorum diſcordiae exortae ſint, quae in hiſtoria tamen ſpeciali I. N. debent enarrari [x]. Quod ſi cuncta probe ponderentur, apparabit, totum iſtud bellum abire in logomachiam, et rationes haud impares deprehendere ſe viſos eſſe viros acutiſſimos, cur hanc moralitatem obiectiuam cum Pufendorfio abiicerent, rati moralitatem omnem non a phyſica vel metaphyſica perfectione, ſed a lege ſuperioris vnice dependere. Hi enim [y] nihil morale dici poſſe, niſi in reſpectu ad conuenientiam cum lege aut pugna quacunque contendunt, etſi vel maxime actio aliqua, et extra relationem omnem ad legem ſpectata, ſiue agentis ipſius, ſiue aliorum hominum ſtatum nunc perfectiorem nunc imperfectiorem reddere poſſit, adeoque phyſice vel metaphyſice bona et mala eatenus dici poſſit. Ex quibus patet, totam controuerſiam tandem in definitiones vocum abire, et philoſophos etiam ſummos cum vmbra luctari. Quo de argumento tamen in ipſa I. N. tractatione diſpiciendum cauendumque, ne diſciplinarum definitiones et limites inde orti confundantur [z].

pag. 760. lin. 13. *Ex comparatione I. N. Pufendorfiani et Thomaſiani diſci debet.* Addamus cum venia lectoris iudicium cl. HOLLMANNI [a], qui

f) Acceſſerunt editioni nouiſſimae anni 1695. ſcholia continua autorem explicantia, et magnam partem aduerſus obiectiones aliorum commentatorum, potiſſimum Kulpiſii defendentia. vid. not. a. p. 1 ſeqq.

r) Mem. T. XIV. p. 246 ſeqq.

s) l. c. p. 258. t) l. c. p. 106.

u) c. I. poſ. V. §. 15. p. 43 ſeqq.

x) Dictum de ea lite in hiſtoria phil. Wolfianae. Ipſum fundamentum ſuae hypotheſeos clare deſcripſit ill. vir in narr. de ſcriptis ſuis §. 157. p. 394 ſeqq.

y) Vid. HOLLMANN. iurispr. nat. c. 1. §. 11. p. 55. quocum comparandi auctores, qui de moralitate ſcripſerunt, laudati MEISTERO Bibl. I. N. et G. P. II. p. 196. comparandus cl. HOLLMANN. metaph. §. 211 ſeq. p. 394 ſeqq.

z) Conf. quae ex Pufendorfio infra p. 770. annotauimus.

a) Iurispr. nat. § 10. p. 46.

qui de hac re ita: *amplexus in controuerſiis hac occaſione motis Pufendorfii partes et ſententias erat Chriſtianus Thomaſius, ſcriptisque ſuis ſtrenue defenderat: de ſuo etiam nonnullis, quae ad leges poſitiuas vniuerſales pertinebant, ſimul additis. Pro ſua tamen animi mobilitate et inconſtantia longe alia ſibi poſtea effinxit iuris naturalis fundamenta, quibus quadrata vero rotundis in hac iuris ſcientia miſcuit.* Opportune haec a doctiſſimo viro obſeruata eſſe, ex illis conſtare poteſt, quae de Thomaſianis *fundamentis I. N. et G.* ſupra attulimus, quae cum his comparanda.

pag. 761. not. *. *VOGT. cat. libr. rar. p. 484.* Conf. NICERONIVS loc. cit. [b] qui accurationem et raritatem narrationum laudat.

pag. 762. lin. 18. a fin. *Variis ob praeſtantiam linguis expreſſa.* Occaſionem praeſtantiſſimae *introductionis in hiſtoriam Statuum Europae* obtulerunt iuuenes Sueci nobiles, quibus priuatim eam praelegebat. Quae cum paſſim calamus deſcriberetur, et in Suecica lingua vertendi conſilium caperetur, maluit eam lingua Germanica ipſe edere, vnde nonnulla operi inſunt, quae limam paſſa eſſent, ſi ipſe in vulgus edendi conſilium initio concepiſſet. Ratio quoque inde petenda eſt, cur res Suecicas prolixius attulerit, quam alias [c].

pag. 768. lin 7. *Plurimos in republica literaria motus concitauit.* Hiſtoriam totius litis Lyſerianae de polygamia enarrauit CHRISTIANVS GOTTL. CLVGIVS in diatriba epiſtolica *de ſcriptis Io. Lyſeri ad tuendam ſuadendamque polygamiam editis*, quae *Wittebergae 1748.* 8. prodiit. Libros in ea cauſſa editos recenſet cl. MEISTERVS [d], vitam *memoria inſpectorum Portenſium*, edita a IOACH. GOTTLOB AM ENDE.

pag. 776. lin. vlt. *Nihil his, quod addamus, habemus.* Secuta eſt Pufendorfium, et Thomaſium magna caterua ſcriptorum iuris naturae et gentium, qui enumerari hoc loco non poſſunt, recenſuit autem magna diligentia cl. CHR. FRID. G. MEISTERVS, in *bibliothecae iuris naturae et gentium* partibus tribus *Goettingae* cIↃIↃccXXXXIX. *editis* [e], qui plura cupientibus adeundus eſt, cum hanc particularem I. N. hiſtoriam non recipiat noſtra tractatio. Vnum tamen ſcriptorem iuris naturae praetermittere non licet, perilluſtrem aulae Brandenburgicae nuper cancellarium SAMVELEM L. B. DE COCCEI, immortalibus meritis conſecutum, vt in republica Romani imperii nouus Tribonianus cenſeretur. Et maximi quidem viri hiſtoriam nos in veſtibulo *pinacothecae noſtrae aetatis ſcriptorum illuſtrium* [f], ex ſuppeditatis certisque ſchedis et narrationibus recenſuiſſe, recordamur, quae ab illis adeunda ſunt, qui plura de tanti legum iurisque omnis interpretis hiſtoria rebusque literariis ſcire cupiunt. Vt autem in hac recentioris aetatis hiſtoriae iuris naturalis emendatione mentionem eius faciamus, merult non tantum nomen, parens, munus, et quae ſplen-

b) pag. 264 verſ. Germ.
c) NICERON. l. c. p. 260. qui etiam verſionem Gallicam non valde commendandam recenſet.
d) Bibl. ſcr. I. N. P. II. p. 5 ſeqq.
e) pag. 18 ſeqq.
f) Dec. I.

Digitized by Google

ſplendida alia in eum cumulauit diuina prouidentia et imprimis magni et ſapientis regis fiducia atque gratia, ſed imprimis egregia de iuris naturalis emendatione cura et felicitas ſingularis, quae tolerabilem eius fatis nobis ſubducti iacturam facit, exaſciatis ſcriptis, quibus, vt iurisprudentiam omnem, ita praecipue Iuris naturalis incomparabili acumine adiuuit et auxit. Debemus ei tract. *de principio iuris naturae vnico, vero et adaequato, cum vindiciis; reſolutiones dubiorum circa hypotheſin de principio I. N. contra Iac. Frid. Ludouici; introductionem in Henrici de Cocceii* (patris) *Grotium illuſtratum, vbi ſyſtemata Grotii aliorumque Dd. I. N. illuſtrantur; introductionem in ius naturae et religionem naturalem*, et alia. In his non magni tantum parentis veſtigia ſecutus eſt, ſed pleraque demonſtrauit, auxit, illuſtrauit, et ad perfectionem opus deduxit. Maxime autem hoc loco notandus eſt propter *controuerſias de principio iuris vnico genuino et adaequato*, quod in voluntate Dei vel permittente, vel praecipiente poſuere illuſtres Cocceii vterque, in quo argumento contradicentes habuere Leibnitzium, Hertium, Ludouici Halenſem, quibus reſpondit B. Cancellarius praeſesque ſummus atque primus omnium tribunalium ciuilium et eccleſiaſticarum, ſapiens et fortis iuſtitiae reformator et promotor. Statuit autem Ius Coccelanum naturale, a patre ad filios delatum: I. Deum ſolum ius et imperium in genus humanum habere, adeoque ſolum ei legem dare poſſe. II. Eum autem talem legem dediſſe, ex ratione probari, neque alio modo probari poſſe. III. Contineri autem iſtam demonſtrandi rationem 1. ex motibus et inſtinctibus in hominibus a natura conditis, 2. ex actionibus creatoris, 3. ex actionum fine neceſſario vel probabili, 4. ex medii neceſſitate, 5. ex natura et eſſentia ſanctiſſimi creatoris, qui nihil fruſtra faciat, 6. ex conſenſu omnium gentium. IV. Ex his probandi modis conſtare, Deum cuique homini facultates quasdam habendi vel agendi proprias eſſe voluiſſe, adeoque ſingulis Ius ita habendi vel agendi quaeſitum eſſe ex voluntate creatoris. Inde neceſſario ſequi, alios homines hoc ius a natura cuique conceſſum turbare non poſſe, et Deum voluiſſe, vt ius ſuum cuique tribuatur. V. Ius ſuum autem cuique eſſe vel intuitu Dei, inde iura inter Deum et homines, praecipue perfectionum praecepta oriri: vel intuitu hominum inter ſe. VI. Ius cuique hominum ſuum eſſe, vel ex ſtatu hominum, vel ex iure rerum, vel ex obligatione perſonarum. VII. Si quis hominum ius a creatore aliis conceſſum tribuere ipſis nolit, adigi ad id poſſe vel per iudicia vel per repreſſalia et bellum. VIII. Ex his facillima methodo, ad ordinem iuris Romani compoſitis omnia iura naturae, ne vnico excepto, per illationes rationis neceſſario ſequi. Id quod in introductione ad Grotium illuſtratum illuſtrata illuſtris auctor fuſe deduxit. Alii vero aliter ſtatuunt, et naturae ius arctius conſtringendo, ea notione tantum diſciplinam iuſti et aequi inter homines obſeruandi, quod ratione quidem ſola cognoſci poteſt, intelligunt. Vnde in tam perſpicua noſtrae aetatis periodo, diuerſiſſimae

ſiſſimae aſſertiones I. N. exortae ſunt, quae alibi curioſius exponi debent. Wolfium autem iuris naturalis limites omnium latiſſime extendiſſe, ſupra monuimus, cum, ſuppoſita noua obligationis definitione, vi cuius ad omne id agendum vel omittendum obligati ſumus, cuius agendi vel omittendi rationem qualemcunque habemus, ex hac hypotheſi ſponte fluat, cogitari legem absque ſuperiori poſſe, nempe moralitatem actionum intrinſecam. Inde I. N. Wolfianum in magnam molem excreuit, quae tamen impedire non potuit, vt non emunctae naris viri iudicarent, infinitarum diſſenſionum et longomachiarum aſyla fuiſſe aperta[g]. Qua de re tamen alio loco fuſius agendum eſt, nonnulla, quae ad interna eius controuerſiae fundamenta pertinent, ſupra iam tetigimus.

g) vid. HOLLMANN. Iurisprud. nat. P. I. c. I. §. 6. pag. 53.

AD CAPVT QVINTVM.

DE EMENDATA RECENTIORI AETATE PHILOSOPHIA CIVILI.

pag. 779. lin. 14.

Niceronium alioſque. Vitam Ioannis Bodini NICERONII legimus inter *memorias literarias*[a], in quibus multa ſingularia ſunt, quibus vita viri fama dubia notiſſimi paulo curatius poteſt deſcribi. Ceteros, qui paſſim eius res tetigerunt, indicauimus in *germanico P. H. opere*[b], quod adire oportet, qui his ſpecialibus indiciis cupiunt adiuuari. Haec enim ſingularia hoc loco proſequi velle, nec locus, nec tempus ſcriptionis noſtrae patitur, et ab hiſtoriae literariae ſtudioſis, nobis etiam viam non monſtrantibus propria induſtria poteſt expediri.

Ibid. lin. 21. *Illud certum Thuani teſtimonio.* In dubium vocant hanc religionis Franciſcanae profeſſionem Menagius, Baudrius et poſt illos Niceronius, nec ſatis cohaeret cum reliquis Bodini circumſtantiis: excogitata autem videtur ad confirmandam traditionem, clanculum eum Iudaiſmo aduerſus chriſtianam religionem adhaeſiſſe.

pag. 779. lin. 9. a fin. *Oppido doctum, at quem exſcripſiſſe non nullis viſus eſt.* Tanquam certum huius plagii Bodinum incuſat Iacobus Bongarſius in *epiſtola ad C. Rittershuſium*, quam ſeruauit COLOMESIVS[c], qua ait, neminem ignorare, edidiſſe eum lectiones Turnebi in Oppianum pro ſuis. Quod tamen certo reſpectu verum eſſe monet NICERONIVS[d]. Prae-

a) Tom. XIII. p. 140 ſeqq. ed. Germ.
b) Tom. VII. p. 995 ſeqq. quibus adde, quos laudat FABRICIVS ad Galliam orientalem COLOMESII p. 87 ſeqq.
c) v. Gallia orient. p. 80. ed. Fabric. conf. Epp. RICHTER. p. 805. Scaliger. prima p. 21.
d) loc. cit.

Digitized by Google

Praetulit metaphrafin ſuam et commentarium in Oppianum omnibus ſcriptis ſuis ipſe Bodinus [e], quem tamen latino carmine *vtcunque* reddidiſſe *Cynegetica Oppiani*, viris doctis viſum eſt [f], de qua tamen re in hiſtoria literaturae graecae tractandum, vbi conſulendus Io. Alb. Fabricius [g].

Ibid. lin. 6. a fin. *Plaudente orbe literato.* Diuerſa de *hiſtoriarum methodo* a Bodino conſcripta ſententia, quam poſt alios tangit Niceronius: Commendat Lengletus, contemnit Moneta, argumentum reprehendunt, methodum laudant *Scaligerana*, de quibus in hiſtoria literaria hiſtoriae diſpiciendum.

pag. 780. lin. 11. *Vt Ioannes Serranus.* Ita quidem Menagius; aſt corrigit eum Niceronius, aliumque, Michaëlem Serranum, nobilem Prouincialem regem Henricum carceri mancipari iuſſiſſe et inuectiuam in Bodinum edendam prohibuiſſe aſſerit.

Ibid. lin. 13. *Tandem anno* cIↃIↃXCVI *peſte corruptus obiit.* Fata, munerum mutationes, coniuglum 1576. et alia ad vitae Bodini circumſtantias pertinentia, quibus in republica adminiſtranda poſt iter Anglicum eminuit, accurate perſequitur Niceronius, qui adeundus. Incidit mors eius ſeptuagenario proximi in annum cIↃIↃXCVI.

Ibid. lin. vlt. not. o. *Alii.* Satis luculenta recenſio famoſi libelli inſertа *bibliothecae Halenſi*, quae poſt Io. Diecmanni de eo tractationem omnino conſulenda eſt. In hoc colloquio regnare impietatem, ſuperſtitionem, confuſionem, nefandamque nugarum proteruiam teſtantur omnes quotquot libellum legerunt, inter quos curate eum recenſuit B. Baumgartenius [h] poſt Diecmannum potiſſimum adeundus. Solebat autem Bodinus colloquiorum anfractibus et diſputatione pro et contra inſtituta veram mentem ſuam occultare, vnde difficile, de vera eius mente et ſententia recte ſtatuere. Summam tamen totius diſputationis in hunc ſenſum contrahit: *Quae cum ita ſint, nonne praeſtat ſimpliciſſimam illam et antiquiſſimam eandemque veriſſimam naturae religionem, a qua diſcedendum non erat, amplexari, illam inquam religionem vniuſcuiusque mentibus ab immortali Deo inſitam, in qua Abel, Henochus, Sethus, Noëmus, Iobus, Abrahamus, Iſaacus, Iacobus deo cariſſimi heroës vixerunt, quam inter tot et tam varias opiniones incertum quemque vagari, nec habere certam animi ſedem, in qua acquieſcat.* Plura apud eos quaerenda ſunt, qui atheiſmi hiſtoriam ſcripſerunt, a quibus velut a ſcopo noſtro alienis nos diſtrahi non patimur. Conſulendus autem praeter allegatos etiam Reimannvs [i].

Ibid. lin. penult. *Latine et Germanice prodiit.* Adhibemus nos ex ſupellectile noſtra *Io. Bodini Andegauenſis de magorum daemonia libros IV. nunc primum e Gallico in Latinum tranſlatos per LOTARIVM PHILOPONVM Baſileae per Th. Guarinum 1681. in 4.* „Hanc daemonomaniam ſe ſcri-

e) Conf. Fabric. bibl. Graec. T. III. p. 687.
f) Bochart. hieroz. L. I. p. 761.
g) loc. cit. Menag. antibaillet. c. 19.
h) Bibl. Hal. recenſ. P. III. p. 397 ſeqq.
i) Hiſt. ath. p. 393. cat. bibl. P. I. pag. 986.

„pfiſſe ait, vt omnes, qui ipſum viderint, commonefaciat, et quaſi digito „ſpectandum ante oculos monſtret, nulla eſſe crimina, quorum tam hor- „renda ſit conſtitutio, quae tam graues poenas mereantur; praeterea vt „iis reſpondeat, qui modis omnibus in id incumbunt, vt libris palam „tueantur magos, adeo vt ſatanas eos inſpiraſſe promulgandis tam bellis „libris in ſuam maſſam videatur perduxiſſe. Talem fuiſſe Petrum de „Apono medicum, qui perſuadere volebat, nullos eſſe ſpiritus, cum ta- „men poſtea fuerit comprobatum, eum fuiſſe magorum omnium, quos „habebat Italia, facile principem. - - Dico homines exiſtere a Satana ſub- „ornatos, qui ſcribant, propalent, doceantque, id omne, quod de magis „praedicatur, fabuloſum eſſe etc. In hos vero philoſophos aciem ſuam „intendit et exemplis quoque obligationes cum Satana contractas de- „monſtrare conatur, quibus deprehenſum fuerit, contineri ſponſiones „reciprocas, inter alias autem hanc, quae iniungat, concionandum, „quicquid de magis praedicatur, fabulam eſſe, non poſſe fieri, nullam „fidem haberi oportere iſtis ſermonibus, vt a magis perſequendis ceſſa- „rent iudices“. Quae vt inſana ſomnia roboret, ad innumeras daemo- nologiae hiſtorias et ad philoſophorum quoque conſenſum prouocat, „qui „ſupplicia magis decreuerint, non negans tamen, Epicuri ſcholam aliter „cenſuiſſe refutatam a Platonicis ſequioribus, et Ariſtotelem iam ſatis me- „taphyſicis ſuis principiis ea conuellere voluiſſe neceſſaria, ex cuius do- „ctrina de intelligentiis autem conſtet, quaeſtionem de angelis daemoni- „busque phyſice tractari non poſſe, eosque non mediocriter falli, qui „negant, *id nunquam fieri, quod eſt natura ἀδύνατον*, nam tactum, motum „et locum, ſi phyſice egeris, corpori ſolum conuenire, idque in cor- „pore, veruntamen ex rei veritate, quae ubi ſemper et vbique conſtat, „de tactu quoque motu et loco fatendum eſſe, eos ſpiritibus aeque ac „corporibus conuenire, quod Ariſtoteles de angelis aut intelligentiis „coelos mouentibus in metaphyſicis demonſtrauerit: nec rationem eſſe „de iſtis actionibus reddendam, cum Deus ſolus rationes rerum omnes „poſſit pernoſcere etc.“. Non deſcribemus plura ex inſipida praefa- tione, ne nauſeam creemus lectori has naenias in laudatae doctrinae viro ſtupenti, quae cerebrum ab omni ratione vacuum, ſummamque ratio- cinandi et philoſophiae omnis ignorantiam produnt, adeo miſcentur ſum- ma imis, et adeo abutitur patientia lectorum, vt non ſine indignatione eius liber tandem abiiciatur futiliſſimis narrationibus plenus, quae euange- lii inſtar credenda exponuntur. Itaque mirum non eſt, ſeueram cenſuram ſcriptorem, ipſa ſuperſtitione craſſius ingenium nactum fuiſſe, paſſum. Talis cum fuerit Bodinus, qualem quaeſo, philoſophiae emendatioris auctorem, qualem ſe iactat, nobis pollicebimur? Totus enim in Aca- demicorum et Scepticorum caſtra transfuga bellum praeter Platonicos, indicit omnibus philoſophis, maxime vero Ariſtoteli, cuius ſyſtema pro- be videbat daemonologiae ſuae contradicere, idque dudum ab Ariſtote-

licis

Digitized by Google

licis Italiae, Pomponatio allisque didicerat, et ad faciendam lepidae ſuae daemonologiae fidem ad legem et ſcripturam ſacram et ad teſtimonia magorum prouocare neceſſe habebat. Tacemus ἀσύσκετα et omnem verisimilitudinis ſenſum atque fidem eiurantia, quibus paginam noſtram commaculare nolumus, lectori autem harum rerum curioſo ſuademus, vt illa legat, atque examinet, quae contra Wierum in fine libri diſputauit, certum futurum, ne ratiocinandi quidem regulas recte tenuiſſe Bodinum, multo minus recte adhibuiſſe [k].

pag. 781. lin. 7. 8. *Scripſit etiam theatrum vniuerſum naturae, in quo eruditio et lectionis copia cum ſuperſtitione pugnat.* Ita iudicaſſe diximus, Colomeſium et Lyſerum, inſpectionem libri a nobis tunc nondum viſi Lectori relinquentes. Inter ſcripta enim Bodini typis vulgata hoc naturae theatrum raritate reliquis praeſtat [l], et quamuis tribus vicibus editum dicatur NICERONIO et traductum quoque in Gallicam et Italicam linguam, diu tamen illud obtinere noſtrisque reculis literariis vindicare non potuimus, contenti, eius recenſionem legiſſe in *bibliotheca Halenſi* B. BAVMGARTENII [m]. Tandem, non modo cum haec iam edita eſſent, in Bibliotheca Auguſtana [n] inuenimus, ſed etiam occaſionem habuimus, aliud exemplum auctionis lege acquirendi. Ea eſt editio Wecheliana 1597. 8. Incurrimus magna auiditate in lectionem huius theatri, nouam metaphyſicam atque philoſophiam metaphyſicam, naturalem et moralem ſpondentis, ſperabamusque fore, vt eclecticum paulo antiquiorem, quam erat Verulamius, illud nobis ſiſteret. Certe titulo libri excitati de tantae celebritatis famaeque viro reipſa praeſtari, quod ille iactat, nobis promittebamus. Ille enim his verbis turget: *vniuerſae naturae theatrum, in quo rerum omnium effectrices cauſae et fines contemplantur, et continua ſerie quinque libris diſcutiuntur*". Francof. apud haeredes Andreae Wechelis MDXCVII. 8. quam ſecundam editionem eſſe, anno tantum vno Laodunenſi Veromanduorum omnium prima recentiorem, ex dedicatione a Bodino ipſo anno eius emortuali MDXCVI. Cal. Mart. ſcripta diſci poteſt. Et quinque libris quidem omnem ſapientiam naturalem et vniuerſae naturae ordinem ac deſcriptionem methodo dialogiſtica inter Theodorum diſcipulum et myſtagogum praeceptorem complexurus, „primo libro de naturae principio, qua„tenus naturae principium eſt omnium ſimpliciſſimum, deque materia et „forma, cauſſis et cauſſarum adiunctis, nempe motu, generatione, corru„ptione, incremento caeterisque motionum generibus, quaeque iis annexa

k) Miramur ideo, potuiſſe POL. LYSERVM Bodino cum ſtupenda lectione, quam ei non denegamus, iudicium ſubactius, quo omnes fere ſuperauit, tribuere App. lit. pag. 327. contrarium demonſtrantibus viris doctis Cuiacio, Grotio, Scaligero, Peſſeuino aliis collectis iudiciis apud POPPELOVENTIVM p. 746 ſeqq. BAYLE T. I. art. Bodin not. N. p. 592. qui iudicium ei denegat, ingenii et lectionis vaſtae laudem recte tribuit.

l) Conf. VOGT. cat. libr. rar. p. 131.

m) P. III. n. 386. p. 398. n. 388. p. 411 ſeqq.

n) vid. EHINGERI cat. bibl. Aug. p. 603.

o) Lugdunum quidem locum editionis fecit Niceronius et Baumgartenius, ſed perſuadet nobis dedicatio libri in ipſo mortis Bodini loco, Laon en Vermandois, vbi regius procurator fuit, typis eſſe editum.

„ſunt, loco, tempore finito, infinito diſputat, et haec duo praeſtanda „ſibi ſumit, vt perſpicuae demonſtrationes extarent de vno principio na- „turae, nec vno plura eſſe poſſe, eiusque ſumma voluntate mundum et „conditum eſſe, et ab eo moderari, et obitu concludi. Secundo libro de „elementis, tum de meteoris, quae mobilia elementorum leuiorum appen- „dices eſſe videntur: poſtea de lapidibus, metallis ceterisque foſſilibus „differit: Libro tertio de ſtirpium et animantium naturis; quarto de ani- „ma; quinto de coeleſtibus corporibus diſquirit, ſcilicet ratis orbium „omnium motibus, ſiderum magnitudine, et inter ipſa mirabili concentu. „Nihil autem ſe curioſius conſectatum eſſe profitetur, quam rerum „omnium ſeriem atque indiſſolubilem naturae cohaerentiam, contagio- „nem et conſenſum, et quemadmodum reſponderent prima extremis, me- „dia vtrisque, omnia omnibus, cauſſas autem cum hiſtoria naturali cuius- „que rei breuiter ſe coniunxiſſe, ne eadem ſaepius repetenda ſint. Quod „ſi ab aliis diſſentiat, aut neceſſariis demonſtrationibus, aut certiſſimis „argumentis falſa refellere conatum eſſe: id autem potiſſimum feciſſe ſe „in quaeſtionibus de naturae principiis et cauſſis, de mundi ortu et obi- „tu, de anima, cuius diſputationem valde perplexam et ambiguam, quae- „ſtionibus omnibus propoſitis illuſtriorem fecerit et facliorem“. Haec in propoſitione totius operis ipſe Bodinus praefatus eſt, ex quibus intel- ligi poteſt, quamuis vniuerſalem philoſophiae complexum titulus profi- teri videatur, intra naturalem tamen mundi conſiderationem et prin- cipia metaphyſica eum conſtitiſſe, nec, quam ſperare iubet totius phi- loſophiae reſtaurationem exhibuiſſe, vnde, quod quidem olim coniece- ramus, ex emendatae philoſophiae auctorum numero excludendus eſt. Et ne hoc quidem immerito, cum nihil attulerit, quo naturalis philoſo- phiae vel theologiae quoque lumina poſſint augeri atque illuſtrari. Quan- quam enim ſaepiuſcule ab Ariſtotelicis facit diuortium, obſcuris tamen et incertis aſſertionibus et rationibus meliora, quam Stagirita habet et certiora haud affert, ſed adhibitis terminis ſcholaſticis et metaphyſicis nubes ſcandit, et ventos vendit. Accedit methodus dialogiſtica, qua incertus redditur lector, quae vera ſit Bodini ſententia, num vel quae- rentis Theodori (quod multi putant, qui ſuſpectas ſententias in quae- ſtionibus Theodori latentes veram mentem philoſophiae Bodini conti- nere autumant[o], id quod tamen nimis ſuſpicioſe fieri, lectio theatri huius nos docuit) vel myſtagogi, imbecillibus ſaepe ratiunculis diſcipulum eru- dientis, et in ſententiarum diuortio valde fluctuantis. Quod in libris rarioribus hiſtoriae philoſophicae legendis ſaepius euenire ſolet, vidi- musque in eadem re de Bodino deceptos fuiſſe BAYLIVM[p], NICE- RONIVM

o) Vid. quos adducit BAYLE loc. cit. not O.

p) ibid. vbi Diecmannum et Thomam Crenium exſcribit. Neuter tamen ipſum theatrum naturae Bodini inſpexit, CRENIVS Animad. phil. Vol. II. §. 5. p. 175 ſeqq. ad ſolum VOSSIVM de idololatria c. IX. p. 386. prouocat, qui Bodinum reprehendit, quod ad Democriti ſententiam inclinauerit, ſtatuendo: „cometas eſſe illuſtrium viro- „rum

Digitized by Google

RONIVM aliosque, qui ipsum librum non inspexerunt, et innumeris exemplis posset ex hoc theatro demonstrari, et ad specialia argumenta descendi, quod limites tamen nostri refugiunt, et ad elenchticam historiae philosophicae partem, quae specialis est, pertinet. Vbique enim scopum habet, physicam et methaphysicam Aristotelis euertere et nouam surrogare, vel nouis potius vocibus et terminis veterum placitis, inuita saepius Minerua, nouos sensus supponere. Magis specialia autem de hac physica et metaphysica Bodini affere, esset terminos nostros migrare, qui ea in alium locum, vbi historia specialis naturalis philosophiae enarratur, reiiciunt. Ceterum negari non potest, lectionem et notitiam veteris philosophiae haud exiguam sparsisse in hoc commentario physiologico Bodinum, cuius specimen esse potest *liber quartus*, in quo de anima disputat, quaestiones varias proponendo et ad eas respondendo, ita tamen, vt facile videas, aquam el in ferenda de veterum mente sententia haesisse. E. c. quaestionem excutiens[q], an stirpibus vnam, bestiis duas, homini vero tres animas tribuere debeamus, eamque difficillimam propter discrepantium varietatem declarans, erudite ad eligendam sententiam verosimillimam exponit, quid Graeci, quid Aegyptii, quid Latini, quid Arabes de anima tradiderint, et docte satis ac luculenter scholae Peripateticae antiquioris et mediae doctrinam tangit, et Auerroistarum atque Themistii assertiones explicat, et scholae in Aegypto Ammonianae, siue eclecticae placita enarrat, et luculenter tradit: et Senecae, Cassiodori atque Augustini doctrinam de hoc argumento recitat et in eorum mentem ancipiti disputatione inquirit, multaque cumulat, arrosos vngues sapientia, et sententias veterum euertentia, pauca vero de sua mente decernit. Vnde impossibile putamus esse, de veris assertionibus philosophiae Bodinianae, systema clarum, quod in aliis fecimus, erigere: multae enim obseruationes verae immixtae sunt incertis, falsis, paradoxis, nihil significantibus, cuius luculentum exemplum affert B. BAVMGARTENIVS[r], plurima vel vna illa tractatio *de anima* cumulat. Obseruatum id quoque viris doctis, qui passim

„ram mentes, quae, postquam innumerabilibus „seculis viguerunt in terris, tandem obiturae, vt „omnia, quae oriuntur, occasum minantur, ex„tremos peragunt triumphos, aut in coelum stel„larum quasi splendida sidera reuocantur; ac pro„pterea sequuntur fames, morbi populares, ciui„lia bella, quasi ciuitates ac populi ducibus illis „optimis et gubernatoribus, qui diuinos furo„res placabant, desererentur". Ad quae a discipulo Theodoro regesta reponit mystagogus: de rebus tam arduis et a communi sensu remotis nec temere quicquam affirmare, nec leuiter cuiquam assentiri velim, mihi satis est, certissimis argumentis et ad assentiendum necessariis demonstrauisse, cometas non esse incendia ab exhalationibus concepta, quae ad terras propius accederent, vbi maior vis est exhalationum (quod Aristotelis placuit). Ex hoc vero loco, Vossius quidem timide, Vrsinus aperte Bodino tribuit, Theodorum, cuius verba sunt, veram Bodini sententiam, animas esse mortales, recitare, eo quod tam frigide, vt athei solent, impium assertum refutauerit. Nos inspecto in ipso theatro naturae loco frigidam et inutilem hanc esse reprehensionem deprehendimus: Nihil aliud enim atque melius discipulo, Democriti assertum proponenti praeceptori, respondere poterat mystagogus, quam Democriti auctoritatem in quaestione tam ardua et a sensu remota nullam esse, qui nullam eius rei sensuum fidem habere potuit. Locus extat in theatr. nat. L. II. p. 221 seqq.

q) pag. 482 seqq.

r) loc. cit. pag. 405. conf. Extract. ex bibl. Thomasiana P. XVII. p. 359 seqq.

Digitized by Google

ſim hunc librum recenſurunt, ad quos, ne nimil ſumus, lectorem dimittimus. Ex his vero, hiſtoria phyſicarum nouitatum ſupra ſtrictim enarrata poteſt augeri, et in ſuum locum reſtitui, vt ſupra monuimus.

Ibid. lin. 16. *COLOMESIO.* Horum obſeruationes literariae augeri, et celebris tractationis fata diſci poſſunt ex iis, quae auctor *theſauri bibliothecalis* [s], NICERONIVS [t] et BAVMGARTENIVS [u] attulerunt, quae facile apud nouiſſimos hos et accuratos auctores poſſunt inueniri. Addendum *dictionarium Baylianum* [v]. Editiones eruditi tractatus recenſent diligenter et commendant catalogi hiſtorico-literarii Gallorum, quos LENGLETI DV FRESNE et IACOBILE LONG induſtriae debemus, et in omnium manibus ſunt [w]. Scripſit libros de republica Bodinus primo Gallice, et paulo poſt vertit Latine, in compendium redegit Io. ANGELVS WERDENHAGENIVS [x].

pag. 784. lin. 14. a fin. *Machiauelli res enarrauit.* Scriptores quoque ad hiſtoriam literariam Machiauelli pertinentes, et criticam quoque virgulam in ſyſtema celeberrimi huius philoſophi politicum exercentes recenſent, *bibliotheca iuris imperantium*, STRVVIVS et KAHLIVS [y] in *bibliotheca philoſophica*, MEISTERVS in *bibliotheca I. N. et G.* [z] et anonymus editor *verſionis Germanicae principis Machiauelli et Antimachiauelli* [a] alique, qui catalogos ſcriptorum politicorum exhibuerunt. Qui cum otium nobis fecerint, pauca tantum ad ea, quae h. l. de Machiauello allata ſunt, illuſtranda ſtrictim adiiciemus.

pag. 784. not. u. *Graece Latineque doctiſſimum fuiſſe.* Comparanda NERII *hiſtoria ſcriptorum Florentinorum*, ſatis parca quidem in circumſtantiis Machiauelli enarrandis: eo tamen auctore diſcimus, parentem noſtri veteri nobilitate quidem coruſcum, aſt facultatibus deſtitutum filium Marcello Virgilio Adriano, (quod ei cognomen fuit [c]) tradidiſſe, qui cum Graeca atque Latina eruditione emineret, ad ſcriptores veteres Latinos legendos Machiauellum deduxit. Nicolaus autem ad res magis, quam verba attentus, iſti lectioni veterum ita inſudauit, vt non quidem orationis elegantiam multum curaret, et tantum mediocriter Latine ſcriberet, verum rebus et obſeruationibus veterum totus inhaerens eorum elegantiam ingenii atque artes totas detegeret ſuasque faceret, vnde factum, vt nonnullis veterum ſcrinia expilaſſe viſus ſit. Certe eam ἀπαιδευσίαν, quam ei Gentilettus aduerſarius tribuit, opera Machiauelli veteri literatura non deſtituta, luculenter refutant. Quanquam autem mores ſuae aetatis non ſecutus, eam, quae tunc inualuerat, elegantiae Latini ſermonis curam non adhibuerat, Hetruſco tamen dicendi et ſcribendi gene-

s) Tom. I. p. 284 ſeqq.
t) loc. cit. p. 150 ſeqq. vers. Germ.
u) Rel. de bibl. Hal. P. III. n. 250. p. 416.
v) loc. cit.
w) conf. bibliothecar. impart. p. 592.
x) p. 121 qui in compendio multa complexus eſt.
y) Bibl. philoſ. P. III. p. 183 ſeqq.
z) P. III. pag. 51 ſeqq.
a) Francof. 1745. 8.
b) Fuit ille poſt Leonardum Poggium et Bartholomaeum Scalam ſecretarius reipublicae Florentinae de quo videndus POCCIANTIVS cat. Sirc. Flor. pag. 119.

Digitized by Google

genere adeo eminuit, vt inter optimos gentis scriptores numeraretur. Damus testem non *συμπατριώτην* modo sed et attentum, MICHAELEM POCCIANTIVM, cuius verba, ob libri raritatem ipsa h. l. legenda tradimus. „Nicolaus Machiauellus Reipublicae Florentinae vir a secretis, „qui etsi Latinae linguae literatura esset ignarus, vel mediori certe ha„rum literarum cognitione instructus, tanta tamen eloquentia laborauit, „tanto ingenii lumine polluit, tanta inuentionis subtilitate emicuit, et „tanta varietatis foecunditate scatuit, vt iure ab omnibus orator salti iu„dicii, plenus poëta peracutus et docilis, et Historicus percelebris et grauis „commeruerit appellari: quin potius tanta rerum sententiarumque cogni„tione in suis locupletissime scriptis incessit, vt egregiorum virorum sen„tentia ad recte scribendi facultatem peruenisse iudicaretur. Complura „et ipse enarrauit patrio eloquio, sed cum vana multa miscuisset fidei „christianae et pietati catholicae aduersantia, ob id singuli eius labores a „concilio Tridentino anathemate signati sunt. Fato functus est Floren„tiae 1526. cum accepto timore pharmaco, quo se aduersus morbos vi„tae suae iactabundus illusisset, in aedibus sanctae crucis reconditus est". Ex quo loco testis domestici et coaeui incertae de Machiauello traditiones satis certo possunt iudicio emendari.

pag. 785. lin. 4. a fin. *Quo loco positus eum.* L. *cum p. 786. lin. 20 quae res eum in miseriam et inopiam detrusit.* Praeferendam hic putamus relationem Nerii Baylio: verisimile enim non est, Mediceos, si verum est, quod ipsorum tyrrannidi frigidam suffundere voluerit, passuros fuisse, vt e pristina gratia in tantam, qua pauper et contemtus obiit, miseriam incideret. Nobis valde probabile est, nimiam familiaritatem, cum Aloysio Alamanno [d] et Iacobo Diacettino aliisque, qui Mediceum primatum perhorrescebant, et exemplo Bruti et Cassii a Machiauello commendato, insidias vitae cardinali Iulio Medices, postea Clementi VII. [e] parabant, ei caussam extitisse, cur gratia Medicea excideret, et pauper atque desertus obiret. Recte itaque nos eas circumstantias h. l. retulisse, ex his confirmari potest. Illustrant eas, omnesque Florentinorum cum Mediceis decertationes enarrant *annales Italiae Muratoriani*, Tomo IX. et X.

pag. 785. lin. vlt. *Plurimum autem apud Caesarem Borgiam quoque valuit.* Excutienda historia illius ducis in annalibus Italiae famosi, vt intelligi circumstantiae Machiauelli melius possint, discenda ex *τῷ πάνυ* L. A. MVRATORII *annalibus Italiae T. IX. X.*

pag. 786. lin. 13. a fin. *MDXXVII. fato functus est.* Annum MDXXVI. ponit POCCIANTIVS [f], quem annum sequentem indicare, errauit biographus Germanus. Recepit Iugum Florentia cIↃIↃXXX, suppressa factione Soderina. Ibid.

d) De celeberrimo hoc suae aetatis poeta vid. POCCIANTIVSI l. c. p. 6.

e) Confundit Iulium Medicem cum Iuliano biographia Machiauelli libro de principe Germ. praemissa.

f) loc. cit. errat itaque bibl. Iur. Imp. p. 109. quae annum 1528. emortualem ei tribuit.

Ibid. lin. 3. a fin. *Vt libri eius ſine cenſura in Italia omnium manibus verſarentur.* Neque Clemens VII. P. M. neque ſucceſſores vsque ad Clementem VIII. venditionem librorum Machiauelli prohibuere. Hic vero inflammatus clamoribus Poſſeuini et Thomae Boſſii [g] primus in Indicem retulit, cum annos LXXII. eſſent ſine ſuſpicione lecti atque diuenditi.

Ibid. lin. 2. a fin. *Vno faſce.* Raras eſſe veteres, quas enarrat editiones operum obſeruat Nic. Fr. Haym [h] et ex eo Io. Vogtivs [i].

pag. 787. lin. 8. *Et Venetiis MDXXXII. 4. editi titulus eſt.* Aſſignat cum plerisque aliis primam editionem anno cIↃIↃXV. Struvvivs, aſt obſeruauit cl. Kahlivs ad h. l. *Machiauelli principem excepiſſe librum, quem in decadem primam T. Liuii ſtilo ſignauerat, in quo libertatis defenſorem ſtrenuum ſe geſſerat. Itaque principem Machiauelli tanquam continuationem iſtius libri conſiderandum eſſe, id quod ex c. II. appareat, et ipſa librorum comparatio euincat.* Quod ſi recte obſeruatum, non potuit Princeps anno 1515. prodiiſſe, quo nondum editae erant diſſertationes politicae in Liuium. Monendum autem, omnes editiones ſcriptorum Machiauelli paſſim occurrentes annum auctoris emortualem non ſuperare praeter editionem *principis* primam, cui annus MD. tribuitur, de cuius tamen exiſtentia dubitat Vogtivs [k] Varchium teſtem adducens, anno 1527. nondum principem Machiauelli fuiſſe excuſum. Quod ſi verum eſt, inter ſcripta poſthuma ponendus et annus 1530. aſſignandus eſt, quem plerique indicant. Vnde incerti adhuc de ea re haeremus et Niceronianam in illis accuratius annotandis induſtriam et attentionem deſideramus, quem miramur, tam celebrem virum inter multos alios minoris famae omiſiſſe.

Ibid. lin. 13. *Repetitam anno MDCLXXXVI.* Pon. cIↃIↃcLX. cIↃIↃLXIII. MDCLXXXVI. Laudat egregiam praefationem Conringii Struvvivs, in qua apologiam pro Machiauello ſcripſit, additis anno ſequente *animaduerſionibus politicis*, in quibus regulas et axiomata Machiauelli examinault atque ad lapidem Lydium exegit, quae cum ſanis de republica et principe principiis minus conueniunt.

Ibid. lin. 18. *ED. DAKES.* Leg. Edvard Dakres, et conf. Meistervs [l].

Ibid. lin. 19. *Sed Germanice quoque lucem vidit Francofurti MDCLXXXVI.* Elegantiorem et comtiorem verſionem Germanicam exhibuit anonymus et praemiſit *Antimachiauello* ſcriptoris auguſti et philoſophi Goettingae 1741. 1742. *Francof.* et *Lipſ.* 1745. *Hannouerae* 1756. cum annotationibus.

Ibid. lin. vlt. *Atheiſmi notam - - fuiſſe inuſtam.* Acceſſit huic parti auguſtus auctor *Antimachiauelli*, qui in *praefatione* monet: „librum Machia„uelli in politica eundem obtinere locum, quem Spinozae liber in theo„logia

g) Conf. biblioth. imperant. c. II. ſect. 3. §. 1. p. 115. obſeruauit Conringius ne vidiſſe quidem Machiauelli principem Poſſeuinum, cum eum condemnaret.

h) Libr. rar. Ital. p. 249.
i) Cat. libr. rar. p. 487.
k) loc. cit.
l) Bibl. I. N. et G. P. III. p. 50.

Digitized by Google

„logia tuetur, Spinozam enim fundamenta religionis euerſum iuiſſe, „Machiauellum ruinam philoſophiae moralis et ciuilis fuiſſe meditatum. „Cum autem Spinozae errores theoretici tantum ſint, Machiauelli pra„ctici, illi vero tot antagoniſtas repererint, qui pro cauſſa Dei milita„uerint, mirum eſſe, hunc et paucas tantum fuiſſe ſtricturas expertum, „et non obſtantibus periculoſis in morali argumento axiomatibus, adhuc „in cathedris politicis viuere et conſeruari. Itaque ad hunc humani ge„neris hoſtem debellandum haec praelia iniri, et rationis atque iuſtitiae „principia fraudi et ſceleribus opponi etc.“. Sed et reliqua legenda ſunt, quae ſapienter de periculis ex lectione *principis* enaſcentibus edifſeruntur.

pag. 791. lin. 9. a fin. *Quae exponi ſine deteſtatione non debent.* Egregie his addit purpuratus philoſophus: „Quod ſi ſupponatur, Machiauellum non „voluiſſe praecipere, quid principes facere debeant, ſed quae faciant, adeo„que auctor ſatyram ſcripſiſſe iudicetur: conſiderandum tamen eſſe, in„iuſte eam in principes in genere effundi, cum impoſſibile ſit inter tot „imperantes non inueniri etiam principes quandoque ſceleratos et ma„los, quibus vero non pauciores boni poſſint opponi. Iniuſtum autem „eſſe, particularium vitia exprobrari toti ordini, et ad eum deprimendum „reſpicere“.

pag. 791. lin. 8. a fin. *Prodere videntur.* Exemplum dabit *caput vigeſimum quintum Principis*, de influxu fortunae [m].

pag. 792. lin. 7. *Alii, qui videndi.* Aduerſariorum Machiauelli nomina et ſcripta, additis obſeruationibus ſuis Cl. MEISTERVS [n] enumerat. Qui ad *Antimachiauellum* regii ſcriptoris delatus haec ex vero addit: *Omnibus, quae in hunc vsque diem contra Machiauelli principem prodierunt, ſcriptis carere tuto poſſumus, ex quo illud regiae manus opus habemus, ſummi oratoris laude maius, quod ſub Antimachiauelli titulo omnium, quibus vera philoſophia et ſapientia in pretio eſt, gentium plauſum habet, atque admirationem. Ex hoc quippe cognoſcimus, omnes caeteros, qui in hoc genere aliquid poſſe voluerunt, aut nihil, aut Catone hoc infinitis numeris inferiores eſſe.* Cui iudicio aequa mente ſubſcribent omnes, quibus coronatus auctor non axiomatis tantum faſtigio, ſed et ſapientiae diuitiis eſt ſuperior. Subſcripſit eidem ſententiae quicquid prudentiam et virtutem animi, quicquid iudicium acutum et elegans, quicquid ſapientiam omni affectuum et praeiudiciorum intemperie ſuperiorem admirabatur praecipue, quod illum ſibi regius philoſophus finem conſtituiſſet, non modo vt bonos ciues, ſed vel maxime vt optimos reges atque principes terrarum formando communi orbis ſaluti et felicitati proſpiceret. Singula enim *principis* capita ſublimi meditatione examinando non artes tantum tyrannorum malas excutit, ſed et,

m) Prodidit Florentinus philoſophus voces nihili caſſasque nuces ſolere adducere ſe loco principiorum clariſſimorum.

n) P. III. p. 55. ſtemque bibliotheca philoſ. Struuiana KAHLII P. II. pag. 185 ſeqq. biblioth. imperant. pag. 113 ſeqq.

quod ipſe Machiauellus ſolet, ex noſtri aeui hiſtoria illuſtrat, ea animi excelſi moderatione et dignitate, quae vel ſola conditorem libri priuatis ſubſelliis longe ſuperiorem et throno dignum prodidit, et quam cara illi prudentia architectonica virtutis fulcro nixa eſſet, memorabilibus exemplis demonſtrauit, ſcribendi autem elegantia et artificium Lectori virtutis cultum et venerationem quandam iucundiſſimam inſtillauit. Quo factum, vt in laudes incomparabilis tractationis totus orbis eruditus rueret, multisque plauſibus eum cumularet [o], editionibus quoque aliquot et verſione Germanica et Latina, Gallicum autographum Europae legendum traderetur [p], commodante ad eius euulgationem cl. VOLTAIRIO operam ſuam, de cuius ob eam rem liticulis cum editoribus Hagienſi et Londinenſi de vero αὐτογράφῳ alio loco dicendum eſt [q]. Commodum autem et Lectoris attentione dignum eſt, quod interpres Germanus tribus partibus, et ipſum Machiauelli principem, et Antimachiauellum Friderici II. regis glorioſi et ſapientiſſimi, et hiſtoriam atque iudicia nonnulla de egregio hoc libro vno faſce comprehenderit: ad quem Lectorem plura cupientem ablegamus.

pag. 796. lin. 6. *Vitam hoc loco enarrare non licet.* Scripſit vitam ſuam biennium ante obitum ſoletque eius poëmatibus et operibus praefigi, quorum nouam editionem debemus PETRO BVRMANNO Lugd. Bat. MDCCXXV. II. Vol. 4. qui primam Thomae Rudimanni emendauit, auxit, ſuppleuit, et a fabulis et incertis rumuſculis, quibus fama elegantiſſimi poëtae valde inquinata erat, repurgauit. Huic addendus P. BAYLE, qui eruditis obſeruationibus Buchanani hiſtoriam literariam ob magnas fatorum viciſſitudines memorabilem illuſtrauit. NICERONIVS [r] autem eleganti Biographia eo pulchrius de hoc argumento meruit, quo magis ſtricta quidem, at plena tamen ac elegans eſt eius narratio.

Ibid. lin. 13. *Iniquiſſime de Maria regina in hiſtoria Scotiae ſcripſiſſe dicitur.* Extat inter ſcripta eius, *de Maria Scotorum regina totaque eius contra regem coniuratione, foedo cum Bothuele adulterio, nefaria in maritum crudelitate et rabie, horrendo inſuper et detrimo eiusdem parricidio plena et tragica plane hiſtoria*, edita MDLXXI. et poſtea Anglico et Gallico veſtitu ornata, qua imprimis vehementiſſime in famam Mariae graſſatus Buchananus dicitur NICERONIO [s]. Qua de re conſuli poteſt BAYLIVS [t], quem ipſum in argumento a noſtro ſcopo alieno Lectorem adire iubemus.

Ibid. lin. 4. a fin. *In libello, cui detectio titulum fecit.* Eadem eſt ſatyra, quem in obſ. antec. adduximus.

pag.

o) Vid. nouvl biblioth. Nov. 1740. biblioth. raiſonnée Tom. XXV. P. I.

p) Antimachiavel, ou examen du Prince de Machiavel avec les notes hiſtoriques et critiques, Hag. Com et Lond. 1708. editio Voltairiana, Amſt. 1740. 8. bis recuſa cum annot. Amelot de la Houſſaye, Lipſ. 1741. Hag. 1743. Germanice Gott. 1741. 1742.

q) Vid. Hiſtoria Antimachiauelli in ed. Germ. adiecta.

r) Mem. T. VII p. 284 ſeqq.: conf. Bibl. choiſie T. VIII. p. 106. TEISSIER T. III. p. 249 ſeqq.

s) loc. cit.

t) pag. 695. not. Q.

Digitized by Google

pag. 797. lin. 16. *Reges non imperarent.* Multa huius generis, et curiositate lectoris non indigna solent de Buchanano narrari, quae tamen hic locum non capiunt, et ex collectaneis TEISSIERI ad Thuanum [w] hauriri possunt.

Ibid. *Ex ingenio calamoque Huberti Langueti, Bugurdionis.* Dudum id probatum dedit PHILIPPVS DE LA MARRE, cui *vitam Langueti* debemus, cura Ill. LVDEWIGII Halae cIↃcc. recusam; receperunt quoque id Zieglerus, Kulpisius, Boeclerus, qui Lausannae fuisse virum doctum testatur, qui pagellas ipsius Langueti manuscriptas habuit, et cum reliquis eius scriptis comparauit [x]. Rationibus id postea P. BAYLE euicit, vt dubitandum ea de re hactenus non videatur. Eandem operam praestitit GISBERTVS VOETIVS peculiari disquisitione *de auctore vindiciarum contra tyrannos, quae sub nomine Iunii Bruti Celtae aliquoties typis editae sunt* [y], post quam Langueti nomen nouae editioni praefixum est. Editiones celebris libelli indicant *bibliotheca imperantium* [z], et *bibliotheca I. N. et G.* [a] quae etiam versionem Gallicam et Germanicam memorant. Vsus autem est auctor potissimum tum S. Scripturae auctoritate, tum Buchanani deriuatione summi imperii ex eius origine atque natura, ex qua facile iudicari potest, variantem status controuersiae mutationem in plerisque verborum pugnae praeluisse. Non tamen sine refutatione dimissa est celebris disputatio, sed inuentum esse hominem Gallum, qui Bruto se opponeret, notat STRVVIVS [b]. Biographiam celeberrimi viri et imprimis intima Melanchthonis amicitia rerumque pro principibus protestantibus gestarum memoria clarissimi Philippum de la Marre conscripsisse, supra diximus, et ad editionem Ludewigianam, vertente seculo editam prouocauimus. Repetiit eam et luculenter enarrauit NICERONIVS [c], obseruationibus Germanici interpretis auctus, qui etiam scriptorum et epistolarum Langueti catalogum instruxit, quocum comparandus PHILIBERTVS PAPILLONVS, in *bibliotheca scriptorum Burgundicorum* [d]. Nos, ne vacuum de hoc viro lectorem dimittamus, afferemus epitaphium Langueto scriptum et erectum Antwerpiae, vbi obiit, quod praefixum est eius epistolis ad Philippum Sidneyum scriptis [e], et potiores characteris eius circumstantias enumerat. „Deo patri de Domino Iesu Christo S. Huberto „Langueto viro nobili ac diserto, nato Vitelli Heduorum oppido egre„giam laudem in omni doctrinae genere iurisque ciuilis scientia propter „excellens ingenium, promtam memoriam et exactum iudicium conse„cuto, prudentia vero, quam ex diligenti historiarum perscrutatione, et „plurimum celebrium hominum sedulo quaesitis vndecunque amicitiis

w) Tom. III. p. 247 seqq.
x) Conf. Bibl. imperant. p. 123.
y) Ἀνονύμως primo Amstelodi 1661. 12. edita et postea tomo IV. Dispp. sel. eius inserta.
z) pag. 122.
a) P. III. p. 61 seqq.
b) Bibl. phil. P. II. p. 285.
c) P. IV. p. 86 - 98.
d) T. II. p. 28. add. THOV. et TEISSIER II. cc.
e) Editis Lugd. Bat. 1646. 12.

„ac variis ad quaslibet Europae nationes, gentes, vrbes et principes „miſſus, etiam ad praecipuos nonnullos peregrinationibus atque longo „rerum et annorum vſu, natura quadam vi non mediocrem eſt adeptus, „valde praeſtanti: viro conditione caelibi, morum elegantia, comitate „grauitateque perinſigni, fide porro animique magnitudine, ſapientia et „pietate, qui eas virtutes non ſolum vita, verum etiam, quod caput eſt, „moriens inteſtatus ipſe, fuſis ad Deum toto morbi, quo decubuit tem„pore, gemitibus, et ardentiſſimis in extremum vſque vitae ſpiritum pre„cibus habitis, Inſuper ad familiares vltro citroque de diuinis, humanis „publicis priuatisque rebus et de noſtri ſeculi perfidia variis ſermonibus „expreſſit. Ob quae ſcilicet vniuerſus ciuitatis Aduaticorum ſenatus „mortuo funebres honores legitime decreuit, reque ipſa exhibuit, lon„ge clariſſimo: amici ſuperſtites memoriae cauſſa bene merenti. Vixit „annis LXIII. obiit Kal. Octobr. MDLXXXI.“ Quem animi charactem non adulationem, ſed veritatem deſcripſiſſe, *epiſtolarum* Languetl lectio magnopere confirmat. Quod ea propter hoc loco monemus, vt in iudicanda I. Bruti diſſertatione aequitatem et *ἐπιείκειαν* lector adhibeat.

pag. 798. lin. 10. a fin. *Conſoederatione.* Abiit peſtilentiſſimus et implus liber in cineres et fauillas per manum carnificis, iuſſu regio anno MDXCIV. Male Gliffordum editioni obſtetricantem, vel Guilelmo Roſſaeo tribuere inuenuſtum pullum STRVVIANAM *Bibliothecam philoſophicam*[f], recte notault auctor *bibliothecae iuris imperantium*[ff].

pag. 801. not. *. *In appendice Menippeae ſatyrae.* Legenda quoque Menippea II. eiusdem perſonati vatis, in media Italia ſcripta. Noſtris vero temporibus et diebus, quid in hac re nuper euenerit, in regnis Luſitaniae, Hiſpaniae et Galliae cum vniuerſus orbis ſtupuerit, ſtupeatque hodie, ab hoc deteſtabili vlcere, cuius hiſtoria ad H. E. recentiſſimam pertinet, tangendo abſtinemus.

p. 801. *Non ſatis reuerenter habeant.* De hac controuerſia, cum ad annales philoſophicos non pertineat, ſed eccleſiaſticae hiſtoriae reſeruanda ſit, alio loco dicendum. Satis, quantum pro noſtro inſtituto eſſe poteſt, exhibebit *Bibliotheca iuris imperantium*[g]. Pertinet huc diſſertatio I. Bruti, ad Theodorum Bezam relata, cuius nomen vindiciarum editioni Amſtelodamenſi anni 1660. praefixum eſt. In quorum ſocietatem Althuſium, Boxhornium, Danaeum, Caluinum, Zwinglium, Pareum aliosque paſſim, oblique quidem, rapi videas.

pag. 804. lin. vlt. *Moenia quaſſauit.* Poterat his ſcriptorum politicae ſapientiae ſiue prudentiae ciuilis eximius aceruus addi, ſi id ageremus, vt hiſtoriam politicae condamus, in qua abundantiſſima hiſtoriae literariae atque philoſophicae latifundia hodie, vbi feliciſſime haec ſapientiae pars exculta eſt, in arua noſtra poſſent deriuari, agique de ſcriptoribus fictarum

f) P. II. p. 281. ff) c. II. p. 224 ſeqq. g) pag. 136.

Digitized by Google

rum rerumpublicarum, formandae iuuentutis regiae, arcanorum rerum publicarum, thesaurorumque ciuilis regni, rationis status, de ciue, de consiliariis, de re militari, de naeuis rerumpublicarum, de forma imperii, et innumeris aliis capitibus ad ciuitatis et imperii constitutionem et conseruationem pertinentibus. Verum cum annales nostros, qui extremos historiae intellectus humani terminos iam attingere coeperunt, vniuersalem tantum philosophiae historiam complecti iusserimus, opusque nostrum, vt scribendi modus esset, his limitibus prouide circumscripserimus, Lectorem specialem argumentorum et tractationum politicarum syllabum cupientem ad scriptores historiae literariae ablegamus, ad quos hucusque non sine magno eius commodo prouocauimus. Inter quos cum in hoc capite exponendo praeclaram operam praestiterint *bibliographia politica Naudaeana* [h], *bibliotheca philosophica Struuio-Kahliana*, *bibliotheca iuris imperantium*, et *bibliotheca iuris naturae et gentium Meisteriana*, hos catalogos, qui plura et specialiora nosse cupiunt, consulere iubemus, obuia vbique, et facili negotio adeunda. Itaque officio nostro supplendi annales nostros generales nos satisfeciisse rati, pedem iam ex Europa ad reliquas orbis habitabilis partes promouemus, pauca quaedam de philosophia exotica allaturi. Antequam tamen iucundissima prudentiae ciuilis prata deserimus, vnum, quem inter heroës prudentiae ciuilis et imprimis legislatoriae, reliquis fere omnibus praetulit aetas nostra, ad coronandum huius capitis finem adducimus, perillustrem Curiae supremae Burdegalensis in Gallia praesidem et academiae scientiarum literarumque elegantiorum apud Gallos membrum dudum fulgidissimum MONTESQVIEVM, diu iam inter splendidas coeli literarii stellas coruscantem. Qui cum omnem ingenii et doctrinae elegantiam multis speciminibus ad humanitatis circulos pertinentibus, quae inter opera eius iunctim edita emicant [i], ostendisset, maiora et digniora axiomate, quod ornat suo meditatus ad ipsos prudentiae imperatoriae et legislatoriae fontes sibi ascendendum esse, vt puros felicitatis latices in republica attingere posset, rectissime iudicans, ad nobilissimum politicae caput, acumine iudicii, elegantia ingenii, vastitate lectionis in veteri quoque historia exercitatae, et experientia cum attentione coniuncta sustentatus se conuertit, ipsamque regnandi artem legibus suffultam et populorum genio, patriae coelo, characteri, operis, et consuetudini accommodatam, et a prouidentia quasi dimensam explorare, ac imperiorum atque rerumpublicarum fatis et exemplis illustrare statuit. Quo pacto magnae molis opus concipiens [k], non

h) Post editiones in Gallia et Belgio libri vtilis et eruditi nouam editionem scriptis Scioppii, Grotii et Coleri ad propaediam politicam facientibus auctam curauit H. CONRINGIVS Helmst. 1663. 4. dolemusque H. WELSCHII nostri accessiones et emendationes, quarum meminit ὁ πάνυ SCHMEXIVS noster in memoria Welschiana p. 69. in partu suffocatas esse. Opus enim habet Naudaeus emendationibus, nec in exteros, nec in haereticos, quos putat aequus semper, quique viros de ciuili prudentia meritissimos, v. g. Forstnerum, Scip. Gentilem alios negligenter omisit.

i) Amst. 1759. vol. 6. 12.

k) Ipse haec et seqq. in praefatione edisserit.

non multorum ſcriptorum more, vt canis e Nilo deguſtare ſed multis meditationibus, et conatibus ex ſcaturiginibus practicae et ciuilis ſapientiae haurire coepit, et improbo viginti annorum labore cuncta examinans et ad omnes humanae ciuitatis circumſtantias attendens, ipſos fontes felicitatis ciuilis per tot gentes et nationes a prouida coeli cura diſſeminatae detegere ſategit. Iudicauit enim, tantam legum atque morum diſcrepantiam, quae inter populos obtinet, non ſolam quandam ingenii foecunditatem luxuriantem parentem habere, ſed exquirenda eſſe principia, ex quibus illa fluant, et quibus ipſae nationes lubenter pareant, et ex quibus particulares leges velut ex vna vniuerſali exſurgant. Vnde neceſſario euenire neceſſe erat, vt haud raro multae veritates ſe tum demum denudarent, cum tota rationum catena et connexio certitudinem principii detexiſſet. Excitauit autem eum ad ſuſcipiendum opus difficile et longum, quod videbat, vtile eſſe humano generi et ad eius felicitatem pertinere, ſi ſufficienti in ea re lumine illuſtretur, eo quod praeiudicia magiſtratuum tandem in praeiudicia nationum degenerauerint, quod quidem detegi facile non poteſt, niſi attento examine catena illa, quibus veritates iſtae ciuiles atque practicae inter ſe coniunguntur, animo diſpaleſcant. Vnde nihil ſibi magis cordi fuiſſe in hoc opere ſcribendo, nihil iucundius fieri potuiſſe, ait, quam ſi humana ciuitas nouas inde rationes hauriat, officiis ſuis libenter faciendi ſatis, amandi principem, patriam, leges, ſentiendi et guſtandi felicitatis riuulos in quauis patria et conditione; ſi et imperantibus noua lumina exſurgant, et, quibus obſequium praeſtandum eſt, id faciant promte et cum gaudio: denique vt praeiudiciorum iugis, et ignorantiae ſui ipſius nerui incidantur. Nobiliſſimo huic fini illuſtris ſcriptor totam tractationis ſeriem adaptans, in prima parte de lege in genere, tum naturali, tum poſitiua, deque eius relatione ad rempublicam democraticam, ariſtocraticam et monarchicam ipſumque tandem deſpotiſmum philoſophatur, et quid natura imperii per omnes claſſes poſcat, quid virtus valeat, quid honor et exiſtimatio, quid deſpotiſmi abſoluta et illimitata potentia: et imprimis quae educationis vis et relatio ad vnamquamque imperii et reipublicae formam ſit, adhibitis veterum Graecorum et recentiorum exemplis erudite perquirit: porro quo pacto leges cum principiis imperii et ciuitatis cohaerere debeant, quomodo amor patriae reipublicae, quomodo frugalitas et aequalitas illi conſeruanda in democratia, quidque ſimiliter in ariſtocratico et monarchico ſtatu, ipſoque deſpotiſmo adhibendum ſit, edocet. Et hac quoque methodo de conſequentibus reipublicae conſtitutionem per leges criminales, ciuiles, ſumtuarias luxuique, frena iniicientes iucunde diſputat, exemplisque Sinenſium, Romanorum, Samnitarum maxime circa foeminas et vxores illuſtrat. Et, vt e contrariis noua lumina argumento accendantur, etiam corruptiones principiorum in adminiſtrando imperio per diuerſas eius claſſes diligenter excutit, et quae iſtis malis remedia

Digitized by G

dia poſſint adhiberi, oſtendit: qua occaſione Sinenſium regnum tantam admirationem gubernationis non mereri, quam multoties miſſionarii Ieſuitae excitare conati ſunt, erudite diſputat. Poſtea ad ſecundam partem progreſſus, cum respublicas paruas facile per potentiam peregrinam poſſe euerti, magnas ſe ipſas interna labe euertere, obſeruaſſet, pergit philoſopharı, quomodo per confoederationes atque ſocietates ſecuritati eorum proſpici, quaeque vis defenſiua, quae offenſiua in ſtatu reipublicae quocunque ſit, quid bellum, quae conquaeſtorum iura, effectus, exempla, mores, euentus et ſimilia ſint, enumerat et memorabilibus exemplis Alexandri M. et Caroli XII. Suecorum regis illuſtrat. Poſtea non anguſtiorem campum ingreſſus, de libertate eiusque concurſu cum imperio in conſtituenda republica copioſe differit, et exemplis potiorum imperiorum et ciuitatum illuſtrat, quod ampliſſimam occaſionem auctori exhibuit, omnem fere veterum imperiorum exempla exponendi et diiudicandi. Dici autem non poteſt, quae argumenti vaſtiſſimi copia, quae obſeruationum multitudo, quae rerumpublicarum arcana retecta, quae obſeruata et admiſta ad lucem comparandum vtiliſſima. Nec minorem iudicandi et differendi copiam promittit pars tertia, valde curioſa tractatione explorans, quomodo climatis influxus diuerſus, diuerſas quoque leges, imperia, ſtatus, conſuetudines, religiones, ſeruitutes publicas et domeſticas genuerit, idque exemplis, maxime ex Oriente adductis illuſtrat: quod argumentum etiam in conſideratione influxus terrae et regionum, in imperia, regna, ciuitates, ſacerdotia et ipſa regum matrimonia, praeclare nec ſine varia lectione vrget, et characteres ſpeciales populorum variorum, *barbarorum*, atque gentium per omnem terrarum orbem in partes vocat: et quae vis ſit in formandis hominum moribus, demonſtrat. Tum parte quarta ad commerciorum conſiderationem progreſſus, non naturam tantum et indolem eorum examinat, ſed legum quoque conditionem pro varietate reuolutionum, quas mercatura inter diuerſos populos paſſa eſt, curioſa tractatione conſiderat, quaeque ratio apud populos ſeptentrionales et meridionales, veterum Graecorum, Aegyptiorum, Carthaginenſium, Maſſilienſium, Romanorum in India et Oriente, tum poſt detectas nouas orbis partes, et acquiſitas Americanorum diuitias obtinuerit, depingit. Et eadem diligentia atque attentione leges in conſideratione monetae eiusque vſus in partes adducit, et de precio rerum, de commutatione mercium, de vſuris, etc. multa pulchre cumulat. Ex foro ad lares et thoros conuerſus, ipſa matrimonia, liberos, ſpurios, conſenſum parentum, propagationem hominum, multitudinem eiusque augendae rationes a legibus traditas, remedia depopulationum, hoſpitalia conſiderat. In quinta operis elegantiſſimi parte magnum religionis cultusque diuini momentum attingit, et, refutato ſatis feliciter ſophiſmate Bayliano, atheiſmum eſſe in republica tolerabiliorem, quam ſuperſtitionem, religioni Chriſtianae magis conuenire cum imperio mode-

rato, Muhammedanae cum monarchia; religioni catholicae magis cum monarchia; Proteſtantium cum republica ſtatuit: multaque poſtea de ſectis, et opinionibus, criminibus inexpiabilibus praefatus, conuenientiam inter religionis et legum ciuilium efficaciam in ſcenam ducit, et quae religio legibus praeſtet, quae leges religioni, ſubtili diſcurſu detegit, multaque ad eccleſiam, nempe ſuam, pertinentia allegat, quae in hoc quidem libro non quaeſiueramus: cuncta autem eo dirigit, vt, quod pondus, quem influxum in imperium et artem legislatoriam habeant, diſerta enarratione in aprico ponat, et quam neceſſarium ſit religionem cum legibus earumque prudentia iungi, doceat. Reliqua, quae in parte V. et VI. praeſtantiſſimi operis prolixe ſatis et non ſine excurſionibus et digreſſionibus, ab argumento totius tractationis erudite diſputantur, hoc loco omittimus, cum coactam magis, quam ſpontaneam connexionem cum dictis habeant, vnde viſum nonnullis, illuſtrem auctorem lectionis variae et elegantioris copiam his libris oſtentare voluiſſe. Quam procul enim a ſcopo eſt, de metempſychoſi, de feſtis, de religionibus localibus, de templis, de miniſtris religionis, de conſtringendis diuitiis cleri, de monaſteriis, de luxu ſacro ſuperſtitionis, de pontificatu, de tolerantia religionum eiusque mutatione, de inquiſitione, de ortu Iaponenſium in religionem diſſeri? Et ea quoque, quae L. XXVI. et ſequentibus de legibus iuris naturalis et ciuilis, de ordine ſucceſſionum, de iuris canonici vſu, omnique iuris ſacri cum profano et ciuili colliſione, et quod L. XXVIII. prolixe vrget, de origine, et reuolutionibus legum ciuilium apud Gallos et c. XXX. XXXI. de legibus feudalibus diſputantur, et ad hiſtoriam magis iuris poſitiui, quam ad philoſophiam iurisprudentiae legislatoriae pertinent, quae hoc loco velut aliena a ſcopo noſtro intacta praetermittimus.

Dici vero non poteſt, quam vniuerſali applauſu opus hoc in orbe literario exceptum ſit, quam iucunda et excellens viſa tractatio, qui lepores, quae Veneres viſae in hoc opere politico. Vnde publica paſſim cenſorum expertum eſt iudicia atque laudes [l]. Cuius teſtes eſſe poſſunt et editiones complures atque verſiones, ſtudiumque virorum doctorum meliores atque praeſtantiores locos et communia politicae praecepta inde excerpendi et lectori velut nucleum quendam commendandi. Non tacendum tamen eſt, multa fuiſſe ſuſpecta viris attentis, et principiorum, quae allata fuerunt, examen inſtituentibus, multos latens aliquod venenum fuiſſe ſuſpicatos, multos Spinoziſmi ac Deiſmi maculam huic ſyſtemati politico adiperſiſſe. Fecere id auctores *nouorum eccleſiaſticorum Galliae* [m], atque

l) Vid. Eloge de Mr. D'Alembert de l'Eſprit de loix. T. IV. Opp. La defenſe de l'Eſprit de loix a laquelle on ajaint quelques eclairiſſemens Gen. 1750. 8. eiusque continuatio Berol. 1751. 8. apologie de loix Amſt. 1751. La Source, et le veritable eſprit des loix eſſais du C. L. de Cataneo Berol. L'eſprit de loix quinteſſentié par une ſuite des lettres analytiques, 1749.

m) Nouvelles eccleſiaſtiques de France 1749. Oct. Journ. des Savans 1750 Avr. Obſervations ſur l'eſprit des loix Amſt Examen de toutes les critiques particulieres ſur cet ouvrage. Etiam inter Germanos contra hunc Herculem ſurrexit Anselmvs Desingivs duabus ſcriptionibus ſuo more et genio ſcriptis.

Digitized by Google

aſilque viri docti, qui inimicis hunc librum telis in ipſa Gallia confodere tentarunt, quorum monita anonymus cum retundere conatus eſſet, variis inde libellis eriſticis de nobiliſſimo argumento diſceptandi occaſio enata eſt. Nec tacendum, noſtris quoque Germanis n), quamuis in laudes operis vehementer raperentur, diſplicuiſſe tamen et incertam auctoris atque indefinitam tractationem, et argumentum in ſe dudum tritum et excuſſum, et ordinis methodique defectum, atque inaequalitatem, et rerum ad rhombum non facientium nimiam abundantiam ordinisque logici defectum, et vagas atque indeterminatas voces atque ſententias, et nigrum rubro minime vbique reſpondens, et ſcribendi lubricitatem minime caſtigatam, et alia multa nec limam paſſa ſatis, nec titulo reſpondentia et incertam totam diſputationis aleam facientia. Quae quamuis negari omnia nequeant, habeatque opus egregium ſui ſeculi et patriae naeuos, fatendum tamen, et ſcopum tractationis, et argumentorum ſelectum et lectionis variae copiam et ſcribendi elegantiam, et multiplicem tractationis vſum adeo opus iſtud commendare, vt omittere illud velut coronidem politicorum ſcriptorum nefas nobis videretur. Lectorem autem attentum monemus, vt recordetur, eſſe opus non ſcholae vel cathedrae, ſed reipublicae, et vſui deſtinatum, et ex hoc ſcopo eſſe dimetiendum.

n) Neuer Bücherſaal Vol. IX. p. 479 ſeqq.

AD LIBRVM TERTIVM.

DE PHILOSOPHIA EXOTICA.

CAPVT PRIMVM.

DE PHILOSOPHIA GENTIVM ASIATICARVM IN GENERE.

pag. 806. lin. 20. a fin.

Ipſa docet inſpectio et experientia. Longum et taedio plenum iter eſt, per tot itineraria et narrationes peregrinantium gentium exoticarum placita, maxime, quae ad religionis myſteria et arcanas rationes pertinent, et theoria magis, quam vſu praxique conſtant perquirere. Quanquam enim de exotica hiſtoria, maxime quae ad vtramque Indiam et adiacentes inſulas pertinent, multa nimis cumulata ſunt, pleraque tamen ad nauigationem, hiſtoriam regionum naturalem, commerciorum felicitatem, imperiorum fata et ciuilis potentiae incrementa vel decrementa referri debent, religionis naturalis et traditiuae, et ſapientiae diuinae atque humanae, ſi paucos populos, e. c. Sinenſes excipias, notitiam autem illae

neque ſuppeditant, neque, ſi quaedam traduntur, certis legibus fidei hiſtoricae concluduntur, ſed plerumque vel miſſionariorum, quos vocant, vel mercatorum peregrinantium fide et relationibus nituntur, quae innumeris modis fluctuat: multa coniecturis fulciuntur, multa et aliorum magis nugacium hominum fabulis, quam ex certis et tutis fontibus hauſta ſunt, cuncta autem ita per innumeros itinerariorum labyrinthos circumducta, vt his rite colligendis et ad fidei hiſtoricae leges, imprimis autem ad ſyſtematum harmoniam reuocandis inſiſtere, cunctaque ad ſuum locum referre tantum non ſit impoſſibile, nec facilius, exoticae ſapientiae hiſtoriam ſcribere. Et neminem quidem latet, ex eo tempore, quo haec noſtra philoſophiae hiſtoria critica in vulgus prodiit, dediſſe diligentiam et laborem Britannorum gentis duplicem collectionem, qua vtraque Inſtitutum hoc valde poteſt adiuuari et augeri. Vna circa peregrinationes nauticas et itinera in diuerſas vtriusque Indiae et adiacentium inſularum partes, tum in Africam et Americam terrasque alio ſub ſole calentes verſata, cum multorum itinerariorum exempla prae ſe ferret, ad id collectorum curam reſpicere iuſſit, vt ex memorabilibus itinerariorum veterum et recentiorum relationibus et memoriis ea praemiſſo fidei et narrationis examine in vnum corpus contrahantur, quae memoria digniora viſa non ipſorum tantum peregrinantium fata, nauigationum pericula, acquiſitionum euentus; ſed naturalem quoque regionum et commerciorum hiſtoriam populorum, genus et rationes, geographiam, mores, et quaecunque ad noſcendas terrarum regiones exoticas referri debent, complectatur, vt ſic ex his fontibus critica iſtorum populorum barbarorum poſſit hiſtoria religionis, regionis, imperiorum, hominum, inſtitutorum, et quae his ſimilia ſunt, conſcribi. Quod inſtitutum vt laude ſua non caruit, et plurimorum voluminum copiam produxit, curioſitati autem Lectorum plerorumque ſatisfecit, praeſertim cum ex Anglica in Gallicam et Germanicam linguam conuerſum, auctum, emendatum et comtius inſtructum fuiſſet: fatendum tamen, expectationi eorum, qui criticam hiſtoriae fidem expectant, minime totum ſatisfeciſſe; cetera, quae pulchra multa operi ſplendido et caro inſunt, non ad ſapientiae magis, quam geographiae et mercaturae hiſtoriam augendam facere: nec ſatis quoque de teſtium fide cautum eſſe, qui, etſi ſuis nominibus adducuntur, ad vniuerſalem hiſtoriae fidem poſſint exigi. Perluſtrari tamen et poſſunt et debent ab illis, qui placita et mores gentium Africanarum, Aſiaticarum, Americanarum cognoſcere cominus cupiunt. Quare ad haec ipſa itineraria nautica et exotica in comparandis denuo noſtris attendere cupientes, quae noſtram narrationem vel augere, vel emendare poſſunt, ſubinde reſpeximus [a]. Altera collectio induſtriae Anglorum in promo-

a) Vtimur verſione Germanica longe meliore, quam Gallica Prevostii, quam diligentiae cel. Schwabii debemus, quaeque ornamentis tanto opere dignis, Lipſiae 1747. XVII. Vol. in 4. cum tabulis geographicis aliisque prodiit nitidiſſime.

Digitized by Google

promouendis literis valde illuſtri adſcribenda maius opus complexa *hiſtoriam vniuerſalem orbis habitabilis* ex iuſtis hiſtoriarum vniuerſi orbis fontibus deſcriptam exhibet, et inſignibus augmentis atque obſeruationibus illuſtrata et aucta a B. BAVMGARTENIO, et poſt eius fata a S. reuerendo SEMLERO [b] non veteris mediique tantum aeui hiſtoriam mira concinnitate, diligentia et iudicio enarrat, ſed ad recentiora quoque tempora delata tum Europae veteris, tum Aſiae antiquae et nouae res ita exponit, vt quaecunque ad imperiorum et rerumpublicarum faciem faciunt, quaeque religionem, placita, mores, ipſamque doctrinae faciem per tot regna et terras concernunt, adductis teſtimoniis eorum, qui in hac orbis parte verſati teſtimonia domeſtica explorauerunt, pulchre queant cognoſci. Vtraque vero collectio cum fontium ſuorum fidem allegauerit, gratum fore Lectoribus iudicauimus, ſi earum loca cum narratione noſtra conſonantia annotauerimus, earumque obſeruationes ad amplificandam huius capitis hiſtoriam adduxerimus, ex quibus deinde, qui plura cupiuerit, ex allegatis ſcriptoribus poſſit haurire. Scriptores vero de Aſiaticorum populorum rebus non ad regiones magis et imperia, quam ad naturalem et ciuilem ſapientiam et ad ipſa religionis decreta et enatas inde ceremonias et conſuetudines, ex quarum conſideratione quaedam philoſophia Aſiatica, velut ex arena aurum colligi debet, pertinentes enarrati a conditoribus hiſtoriae literariae ſcriptorum hiſtoricorum diſci debent, quos praeter alios multos fuſe expoſuit *bibliotheca hiſtorica* STRVVIO-BVDERIANA, quae ſcriptores rerum orientalium atque Aſiaticarum copioſe enarrauit, quibus ex laudatae hiſtoriae vniuerſalis opere adducti larga manu teſtes itinerarii et ſcriptores hiſtorici addi poſſunt. Illi enim dum *tomo XXI. XXII.* Turcarum, Mogulenſium, Tartarorum, Perſarum, *tomo XXIII.* Turcumannorum, Indoſtanorum et Indorum cis et trans Gangem habitantium, *tomo XXIV. XXV.* Siamenſium, Camboienſium, Cochinchinae, Penkingi, Tartariae orientalis, totiusque imperii Sinici, Iaponiaeque hiſtoriam latiſſime enarrant, non tantum auctores, quorum fidem ſecuti ſunt, magno numero nominant, et imperiorum, regum, et principum, rerumpublicarum fata et viciſſitudines, characterem totamque indolem et rationem politicam tradunt, ſed religionem quoque tangunt, et opiniones atque traditiones Indicarum nationum et populorum ſtrictim exhibent, vnde adhibita Indiae deſcriptione veteri cum noua, eae poſſunt reliquiae detegi, quae vel traditioni vetuſtiſſimae, vel opinionibus recentiorum ſacerdotum apud Indos debentur, et aliquam philoſophiam Indicam exhibent, licet mancam et obſcuram, quod in peregrinarum gentium hiſtoria nemo aequus mirabitur [c]. Ex quibus omnibus parca tantum

b) Prodiit verſio Germanica qua vtimur ab Anno 1745. Halae Magd. XXX. Vol. 4.

c) Monendus autem eſt lector huius generis literaturae deditus, vt eruditiſſimas praefationes legat, quas ſingulis tomis praefixit Semleriana πολυτροπία. Inuenier enim non de rebus tantum Indiae orientalis, ſed de ſcriptoribus quoque a Britannis non adhibitis diſſertationes criticas, et literarias, quas conſuluiſſe minime poenitebit.

manu allatis conſtat, perdifficile et, ſi verum fatendum, impoſſibile tantum non eſſe, Aſiaticarum nationum hiſtoriam ſacram et philoſophicam ſcribere, hactenus a plerisque ſcriptoribus plane neglectam. Quam negligentiam emendare quidem viri illi docti et religioſi conati ſunt, qui a principibus Europae ad infideles nationes miſſi ſunt ad conuertendos populos alio ſub ſole calentes, exque his molitionibus Miſſionariorum nomine inſigniuntur, quique plura multo et ſcopo noſtro affiniora ad dogmaticam hiſtoriam, Aſiae imprimis, pertinentia nobis tradiderunt. Fatendum autem, multoties ſubleſtam eorum fidem eſſe, totque incertitudinis difficultatibus cumulari, vt impoſſibile ſit, in condenda dogmatum atque placitorum orientalium hiſtoria critica non ad pyrrhoniſmum hiſtoricum confugere. Quare veniam quoque nos a lectore poſcimus, quod hunc librum vltimum H. P. incertis et alienis narratiunculis onerare noluimus, et breui manu hoc loco ſumus verſati: quem quoque non ſine veriſimilitudine ſcopum fore lectorum noſtrorum ſuſpicamur, quibus ſuffecturum eſſe ſummam tantum rerum didiciſſe coniicimus. Eos tamen, q'il iliadem in nuce, optimorum et domeſticorum teſtium fide nixam de hiſtoria Orientali cupiunt, ad praeclarum in hoc genere eruditionis ſcriptorem, celeberrimum ſuae aetatis theologum, in hiſtoria et literatura orientali ad miraculum fere exercitatum IOANNEM HENRICVM HOTTINGERVM ablegamus; is enim tum in amplo *hiſtoriae orientalis ex variis orientis monumentis collectae* opere [d], tum in *archaeologia Orientali Arabum, Perſarum, Turcarum, Tartarorum, Indorum, Maritanorum, Muhamedorum potiſſimum ſtatu politico, eccleſiaſtico, ſcholaſtico et oeconomia* [e] tantum obſeruationum ad Archaelogiam orientis pertinentium cumulum congeſſit, et optimorum auctorum teſtimonio roborauit, vt nos non pigeat, lectorem ad iucundos hos latices in hoc argumento dimittere.

pag. 808. lin. 1. *Gentis ſaeuitia.* Turcarum hiſtoriam literariam parabat G. HIER. WELSCHIVS noſter[f], ſed vix inchoauit, nihilque abſoluit, SAM. SCHELWIGIVS autem et ADAMVS EBERTI, qui philoſophiam Turcicam promiſerunt, ſtatum hodiernum literarum inter Turcas tantum ſomniant, quod fide teſtimoniorum Seculi XVII. et XVIII. conſtat, et iam monuit HEVMANNVS[g]. Qui alio quoque loco [h] teſtimonils id roborat, Turcarum eruditionem et amorem in literas meliores eſſe perexiguum, ipſorumque literatos homines nihil habere cognitum praeter Alcoranum et matheſeos logicaeque nonnihil. Quae tamen ex iis illuſtranda ſunt, quae ſupra tomo III. de theologia et Metaphytica Muhammedanorum inter Saracenos ſuſe attulimus, quaeque hodie adhuc inter

d) Tiguri 1660. 4.
e) Heidelb. 1662. 8. Dedit Hottingerus etiam in H. E. per ſingula medii noſtrique aeui ſecula, hiſtoriam literariam Muhammedanorum breuem quidem, at ſuccinctam et ex fontibus hauſtam.
f) Vid. SCHROECK. memor. Welſchiana p. 75. et ex ea quoque Ven. SCHELHORNIVS Amoen. lit. Tom. XIII. p. 556
g) Via ad hiſt. liter. c. IV. §. 75. p. 237.
h) Poecile T. III. p. 295 ſqq. Hiſt. lit. loc. cit. p. 238. not. d.

Digitized by Google

inter Sonitas, alcoranique ſequaces in imperio Turcico, Perſico, Indico mordicus obtinent. Totam autem effigiem literaturae Turcicae, qualem in bibliothecis deprehenderunt viri eruditi, qui moram Conſtantinopoli fecerunt, diſcet lector curioſus et ſtupebit ex narratione doctiſſimi IAC. APONII [i]. Certe quicquid in hac gente agreſti et bellicoſa eſt literarum, vel ad hiſtoriam gentis, vel ad elementa mathematica, vel ad explicationem theologiae ad principia ſectarum conſtat, quo de argumento lectorem ablegat HEVMANNVS ad DEMETRII CANTEMIRII [k] *Syſtema religionis Muhammedanae.* Quae vero de redeunte aurora literarum in imperio Turcico, fauente magno imperatoris Vezirio h. l. attulimus, eorum relationem in diuerſis ephemeridibus literariis [l] inuenlet lector curioſus, quae tamen interim iterum exſpirauerunt. Nihil horum vero ad philoſophiam pertinet, quae ratio iam Sec. XVI. in Feſſana academia obtinuit, teſte CLENARDO [m] et in Tunetana, teſtante THOMA SHAVIO [n]. Nec meliora multa nobis promittimus ex academia Schiraſiana Perſica, ſi THEVENOTIO credendum, ex theologis et medicis conſtante.

pag. 809. lin. 11. *Puluerem oculis obiicere.* Legenda ipſa verba BERNIERII, qui diſerte [o]: „les Cabaliſtes ou Pendets Indous, pretendent, „que Dieu ou cet Etre ſouverain, qu'ils appellent Achar, immobile „Innuable, ait non ſeulement produit ou tiréz les ames de ſa propre ſubſtan„ce, mais generalement encore tout ce, quil y a de materiel et de cor„porel dans l'univers, et que cette production n'eſt pas faite ſimplement „a la façon des cauſes efficientes, mais a *la façon d'un araignée, qui pro„duit une toille, qu'elle tire de ſon nombril et qu'elle reprend quand elle veut.* La „creation donc, diſent ſe docteurs imaginaires, n'eſt autre choſe qu'une „*extraction et extenſion que Dieu fait de ſa propre ſubſtance, de ſes rets qu'il* „*tire comme de ſes entrailles, de meme que la deſtruction n'eſt autre choſe, qu'une* „*repriſe fait de ce divine ſubſtance, de ces divins rets, dans lui meme en ſorte,* „*que le dernier jour de monde, qu'ils appellent Maperle ou Pralea dans la quél* „*ils crôient que tout doit etre detruit, ne ſera autre choſe, qu'une repriſe gene„rale de tous ces rets, que Dieu avoit ainſi tirés de lui meme.* Il n'eſt donc rien, „diſentils de réel et effectif de tout ce que nous croyons voir, ouïr ou flai„rer, goûter ou toucher, tout ce monde eſt une eſpece de ſonge et une pure „illuſion, entant que toute cette multitudine et diverſité des choſes que nous „aparoiſſent, ne ſont qu'une ſeule, unique et meme choſe, qui eſt Dieu „meme, comme tout ce nombre divers que nos avons, de dix, de vingt, „de cent, de mille et ainſi des autres ne ſont qu'une meme unité re„preſente pluſiers fois". Quibus deinde ſimilitudinem de phiolis in oceano natantibus et aqua plenis adiungit. In quibus verbis Bernierii

i) Itiner. P. I. p. m. 55 vers. Germ.
k) Lib. VI. c. 34 ſeqq.
l) Anni 1728. vid. act. er. T. VI. p. 248. Europ. fama T. II. p. 90.
m) Epp. L. I. ep. 9.
n) Itin. Tun. T. I. p. 254.
o) loc. cit. p. 203. et compara omnino BVRNETIVM archaeol. phil. app. p. 542. hoc ſyſtema toti Orienti tribuentem, et quidem rectiſſime, vt ex Malabaricis conſtat.

nierii non miramur vidiſſe acutiſſimum Baylium ſubſtantiam vnicam Spinozae, eius enim verba tantum non ipſa refert Bernierii narratio, aſt manibus palpamus, ſimilitudine phraſium deceptum Baylium ſyſtema vnius ſubſtantiae immanentis et in infinitum modificatae cum ſyſtemate emanatiuo vniuerſo emanante ex diuina ſubſtantia, et non niſi emanationis fundamento, ordine, gradu et perfectione diſtante confudiſſe, adeoque magis conuenienter ex mente Cabbaliſtarum et totius fere barbaricae philoſophiae, quam Spinozae explicandum eſſe. Cuius originem nos hoc loco ad ſyſtema Zoroaſtrianum retuliſſe, idemque dicere, quod Gauri Gebhriue hodie adhuc diſputant, ex illis, quae in hoc ſupplementorum volumine de Perſarum philoſophia annotauimus [p], ad oculum demonſtrari poteſt. Hoc enim emanationis ſyſtema non totum tantum peruagatum eſſe orientem, ſed et ad nobiliores Europae et Americae partes penetraſſe opportune monuit reu. GERDILIVS [q] et ante eum THOMAS BVRNETIVS [r], nosque per totam fere philoſophiae barbaricae hiſtoriam annotaſſe et monuiſſe ſaepius recordamur. Certe hac claue difficillima problemata philoſophiae et theologiae exoticae nos ſuis locis aperuiſſe, et difficiles nodos cabbaliſtici ſyſtematis ſoluiſſe, recordamur. Quae non ſatis inter ſe diſcernebat Bernierius, quamuis clare videbat, *emanationem extra Deum progreſſam* in hac hypotheſi Perſica ſupponi. Quae cum interno ſenſu non atheiſmum quidem, aſt pantheiſmum tamen in pietatem Numini debitam iniuriam ponant, facile inde lector de metaphyſica Perſarum philoſophorum iudicare poteſt. Quae ſi nuperus eclectismi iudex expendiſſet, et praeſentem Bernierii locum cum doctrina Pſeudo-Dionyſii ſui comparauiſſet, prudentius et ſobrie magis de myſticorum Graecorum metaphyſica ex oriente in occidentem tradu&ta iudicaſſet, nec negaſſet, pantheiſmum aliquem in eiusmodi hypotheſibus recondi. Verum de his alio forte loco pluribus diſputabuntur.

pag. 810. lin. 9. *Rituum tenaciſſimos.* Succurrit nobis dum h. l. in Perſicis verſamur, memoria aſtronomiae et aſtrologiae a Perſis magno cultu et diligentia inter diſciplinas philoſophicas cultae, quam ſub imperio Guſtaſpi literis florentiſſimo a magnae exiſtimationis philoſophis, imprimis a Giamaſpo, *κατ' ἐξοχὴν* Al Hakim, i. e. ſapiens ſiue philoſophus dicto ad ſummum apicem perduc&tam fuiſſe, Perſarum annales, et ex iis HYDEVS [s], HERBELOTVS [t] et auctores *hiſtoriae vniuerſalis orbis* [u] narrant. Non repetemus ea, quae de hoc philoſopho multa, fabulis ſatis craſſis permixta tradunt orientales, quae iucundius apud citatos ſcriptores leguntur: ſed id tantum obſeruamus, Giamaſpium aſtrologum inter decem lumina Perſiae numeratum librum ſcripſiſſe, in qua conſtellationes et coniunctiones aſtrorum adeo euidenter deſcriptae dicuntur, vt natiuita-

p) p. 85 ſeq. q) l. c. r) l. c. t) B. O. v. Giamaſp.
s) De rel. ver. Perſ. c. 31. p. 385. u) Tom. IV. §. 511. p. 413 ſeqq.

Digitized by Google

tiuitatem Iesu et Mahumedis, et euersionem religionis magicae euentura praedixerit. Neque repetemus quoque temporum rationes, quod pulchre annotauit B. BAVMGARTENIVS [x], suspectam facere existentiam huius philosophi. Sed id modo obseruamus, eiusmodi prognostica et vaticinia astrologica Persarum satis verisimiliter niti illo, de quo hactenus sermonem fecimus, systemate emanatiuo. Cum enim fata orbis emanationi lucis supremae Persae Oromasdi et victoriae eius de Arihmanio tribuerint, et in hunc finem affirmauerint, spiritus illos magnos ex suprema luce emanantes in salutem orbis astris veluti παρέδροις eorum fuisse affixos, vt suo loco probatum, necesse erat statuere ex coniunctione domicilliorum aethereorum magnorum spirituum emanatiuorum consensum et mutuam operam ad euertendum regnum tenebrarum praedictos philosophos collegisse atque praedixisse. Sine hac enim hypothesi adhibita, systematis physiologici Persarum ratio nulla euidens, et quae faciat satis, potest dari. Multa liceret hic adducere, quem influxum ea hypothesis etiam inter haereticos eius gentis et regionis habuerit, nisi paginae angustiae parcendum esset. Sed facile haec assequetur Lector attentus, si principia Persica cum consectariis considerauerit.

Ibid. 810. lin. 21. *Quorum imperio Tartarorum gens potita est.* Tartarorum siue Tatarorum res gestas, quatenus ad haec nostra arua spectant, in compendio congessit HOTTINGERVS [y], qui indicis loco adhiberi potest, ad exquirendos eos, qui Tartarorum et Persarum historiam persequuntur. Inter quos cum emineant, qui istas terras percurrendo lustrauerunt, ADAMVS OLEARIVS, et IO. ALB. DEMANDESLO, quibus *itinerarium Persicum* et *Indicum* [z] debemus, et quos literatorum in Persia et Indiae prouinciis adiacentibus consuetudine fuisse gauisos, ex albo celeberrimorum peregrinatorum, quo reculae nostrae gaudent, quaeque istis nominibus superbiunt, cognouimus, illi in partes curarum vocandi, ast exploranda quoque, quae in horrea sua de Tartaris collegerunt *orbis vniuersalis historiae* auctores Britanni [a], apud quos tamen, cum praeter allata de collegio Lamarum nihil repererimus, quod historiam philosophicam iuuare aptum, lectorem in his dumetis non detinemus.

pag. 811. lin. 7. *Viris doctis obseruatum est.* Etsi tota incerta est historia religionis magni huius Asiae conquaestoris, quem in genere parum religionis cultum curauisse tota eius historia testatur: a verisimilitudine ex circumstantiarum comparatione enata tamen alienum haud est, Ienghozkanum Confucianae theologiae animo adhaesisse [b], sed a secta Xekiana ita occupatum, vt ad istum deismum vel pantheismum potius inclina-

x) not. 194.
y) Archaeol. Orient. P. III. c. 2. p. 141 seqq.
z) Prodiit elegantissimum Itinerarium Slesuici 1646. habetque adiunctum Sadi rosarium persicum.
a) Tom. XXII. XXIII. XXIV. vbi res vtriusque Tartariae, maxime Tibethanae prolixe exponuntur.
b) Obseruatum hoc auctoribus hist. vniu. T. XXI. §. 356. p. 637. not. F.

clinaret. Quo pacto fieri potuit, quod etiam in Sinenfi regno factum, vt fub eius regimine idolorum cultus, obftetricante allegorica, quae iffis gentibus facra fuit, methodo obtineret. Et hoc quoque fundamentum atque fontem fuiffe omnis Tartaricae fuperftitionis, ex fyftematis emanatiui lacunis fcaturientis, tota, quae vaftiffimas Tartariae orientalis regiones inundault Lamarum religio exorta eft. Verum de his et fimilibus plura dicere cum non ad philofophiae, fed religionum hiftoriam, quam non fcribimus, pertineat, tanquam alienis fuperfedemus.

Ibid. lin. 15. *Omnino fatendum eft.* In genere hoc de Afiaticarum gentium religionis hiftoria tenendum eft, nihil habere per omnes fere eius orbis partes religionem, quod philofophiam fpiret, quamuis veftigia paffim inueniri negandum non effe videatur. Quicquid enim fuperftitionis apud iftos populos obtinet, ex pantheifmo emanatiuo, velut ex infelici Pandorae pyxide profiliit. Hac vna claue facile omnis Afiatica idololatria omnesque illae doctrinae explicari poffunt, quae diuerfis methodi arcanae et allegoriae tegmentis tectae et obfcuratae Oedipo opus habere videntur. In quibus hoc loco morari et philofophiae hiftoriam cum fuperftitionis hiftoria confundere velle, effet extra chorum faltare.

Ibid. lin. 23. *Nobis omnino verifimile videtur.* Longa et multiplex celeberrimi pontificis Tartarici, Dalai Lamae, id eft, facerdotis vniuerfalis, quod hoc nomen fignificat, hiftoria, tunc demum ex obfcuritate protracta, cum Ieſuitae in Sinenfi regno miffionarii occafionem nacti effent, cum imperatore Sinico et in eius comitatu Tartariam orientalem peragrandi. Vnde in cl. virorum ex hac focietate itinerariis, notitia tum de hoc viuo idolo, tum de eius vicariis (Hutuktus dictis, qui magnam quoque auctoritatem et inhabitantis Dei opinionem habent, adeo vt Kalkenfis Hutuktus a Tibethano Lama feceſſerit) et toto Lamarum ordine, dignitate, religione, non per ampliffimos tantum Tibethi tractus, in quibus fedem Putalae habet, fed totam fere Indiam, prouinciasque Sinici imperii orientales ad Tartariam vsque occidentalem diffufa, hiftoriaque omni hauriri debet. Quae cum ad noftros campos non pertineat, nihilque magnopere habeat, quod philofophiam quandam fpiret, curfum noftrum in vrgenda H. P. exotica retardari non patimur. Curiofum autem huius religionis cognofcendae lectorem ad *collectionem Anglorum itinerariam* fupra commendatam ablegamus [c], in qua ea, quae Coupletus, Gerbillonius, Gaubilius, du Halde, le Comte, Grueberus multique alii retulerunt, eleganti narratione exhibentur, et imaginibus ab iis fubmiffis illuftrantur. Sed Bernierius quoque, Bentinkius, Kaempferus alique, qui diu in his terris commorati funt, conſuli debent, vt intelligatur, enthufiafmum, fuperftitionem, impoſturam, ignoratiam, barbarasque artes plerasque adeo hunc

c) Vol. VII. L. 16. c. 4. pag. 215 ſeqq. quocum comparanda de Lamarum religione et placitis Hiſtor. vniu. Tom. XXIII. §. 497 ſeqq. pag. 670 ſeqq. quaeque ib. Tom. XXI. §. 880 ſeqq. p. 503 ſeqq. afferuntur, in conſilium adhibenda.

Digitized by Google

hunc ordinem infamem reddere, vt omni iure ex philoſophicae hiſtoriae veſtibulo elicienda ſit horum hominum memoria.

pag. 812. lin. 16. *Deriuandam eſſe, eſt probabile.* Obſeruatum id quoque *hiſtoriae vniuerſalis conditoribus* [d] et veriſimile, famam et ſyſtematis emanatiui facilitatem per mythologias et allegorias adhibitam occaſionem dediſſe ex vno homine multos, tempore, fatis, exemplis diuerſos exſculpere. Vnde ad diſſenſum Aſiaticarum traditionum in temporum notationibus non magnopere attendendum eſſe, lector cautus ipſe conliciet.

Ibid. lin. 12. a fin. *Pleraque inſuper fide ſubleſta ſuſpecta.* Miranda non eſt ignorantia rerum Indicarum, praecipue, quae ad interiorem religionis et ſcientiarum indolem et opiniones iſtarum nationum attinet, cum non tantum pauca, quae habemus teſtimonia auctore, methodo et occaſione ſcribendi, ac obſcuritate difficilia et incerta, remoras obiiciant, ſed ipſa quoque monumenta genuina et domeſtica ignota nobis lingua conſcripta ad nos rariſſime deferantur. Et extollenda quidem digna tam fulgenti axiomate Galliae regum cura, magnis ſumtibus libros Indicos colligendi, et in auguſto, quem regia Pariſiis ſeruat bibliothecae theſauro cuſtodiendi, quorum titulos atque argumentum exhibet praeſtantiſſimus bibliothecae regiae catalogus. Ex iis enim non tantum hiſtoriae ciuili et naturali regnorum Indiae citra et vltra Gangem multum lucis accendi poteſt, ſed habet quoque iſtud regium muſeum codices Indicos, ex quibus notitiam quoque theologiae et religionis, itemque philoſophiae rationalis, naturalis et moralis, itemque artis fideralis, qualis inter Indoſtani regni incolas obtinet, haurire licet [e]. Aſt dum maior, quam hucusque factum, linguarum iſtarum notitia inualeſcat, edanturque iſta Volumina cum verſionibus idoneis, vt ex iis interior ratio theologiae, religionis, philoſophiae literarumque aliarum poſſit hauriri, cuncta velut in ſepulchro recondita ignorantur. Vnde hanc lucem tandem ſurgentem etiam hiſtoriae philoſophiae exoticae merito optamus. Tacemus difficultates alias in cognoſcenda hiſtoria dogmatum Indiae occurrentium, obiecta peregrina et inſolita, nexum a noſtro cogitandi modo alienum, allegoriae vſum a noſtra conſuetudine mire abhorrentem, mutatam theologicorum et moralium in hiſtoricam narrationem, fingendique audaciam quibus merito ineptam ſcriptorum et peregrinantium conſuetudinem Indica cum ſuis comparandi et conciliandi adiicimus, quae dici non poteſt, quantum impediant hiſtoriam opinionum Indiae, earumque explicationem. Accedit, incertas eſſe origines placitorum Indicorum, nec oſtendi ſa-

d) loc. cit. §. 498. p. 671 ſeqq.

e) Plura edocet de hoc theſauro Indico S. rev. Semlervs praef. ad hiſtor. vniu. T. XXIII. p. 7 ſeqq. quae ad augendam hiſt. lit. Indicae notitiam omnino notanda ſunt. Inter codices regios Indicos maxime Siamenſes in hiſtoria Indiae multi vſus, vita Sommonacodomi; tractatus de theologia et philoſophia Siamenſium; ſcriptores de theol. Indorum; libri ſacri ad Vedam pertinentes, libri theologici explicantes Shaſtran, i. e. logicam, libri aſtronomici et aſtrologici de ſectis Siamenſium, etc. Quae, qualia ſint, quamque fidem habeant, non inſpectis iſtis ſcriptionibus, definiri non poteſt.

tis poſſe an domeſticae fuerint, an peregrinae, et ab aliis populis deſumtae: quae omnia ad ponendos hiſt. litt. Indicae limites neceſſario obſeruanda ſunt.

pag. 813. lin. 10. *Cultum diuinum ob innumera beneficia mereantur.* Relegendus locus BERNIERII ſupra ad pag. 809. iam adductus, et obſeruationibus tam accurati philoſophi dignus, qui praeclare vidit, emanatiuum illud principium, cui omnia exiſtentia debentur, quodque veteres multi animam mundi appellarunt, proram et puppim eſſe totius theologiae et phyſiologiae Indicae. Quod vt euidentiſſimis rationibus ex comparatione veteris phyſiologiae cum Indorum doctrina poteſt euinci, denudari vero et exui iſtis methodi allegoricae et mythologicae veſtimentis oportet, quae entia nobis ſingularia, diuina, θεάνθρωπα, et mirabiles apparitiones enarrant. Quae obeſae naris hominibus palpum quendam obtrudunt, ſenſum tamen alium non habent, quam illum, quem expoſuimus, rectequе obſeruatum BERNIERIO[f], inuenta eſſe ad obiiciendum oculis vulgi ſtupidi et ignari puluerem, vt mirum non ſit, nihil adeo ineptum eſſe et ridiculum, quod non ingenio humano placere poſſit. Fidem autem mereri Bernierii relationem et iudicia, qui optimos gentis interpretes conſuluit, oportune monet, et ad id recte attendit. *Compilator itinerariorum* PREVOSTIVS[g]. Ex Aegypto autem ad populos Indiae ad quos magnas excurſiones illi faciebant, peruenisſe hanc hypotheſin, quod nonnullis placet, eo minus ſtatuendum eſſe putamus, quo certius eſt, eam totum fere orbem antiquum iam occupauiſſe, et ex orientali Aſiae plaga ad meridionalem et occidentalem deſcendiſſe. Ex his omnis Indica ſuperſtitio lucem, niſi fallimur, acquiret euidentiſſimam, de cuius ad hos populos propagatione legendas commendamus cel. SEMLERI[h] obſeruationes, ex quibus migrationes harum hypotheſium poſſunt detegi. Quem campum tamen lectiori acuto et veteris theologiae non ignaro paulo curioſius explorandum relinquimus, cum e longinquo tantum atque eminus philoſophiam reſpiciat, ad laudatas V. C. obſeruationes prouocamus, quibus prudenter et caute multa de originibus placitorum Indicorum attulit, et quae cautelae in exploranda religione Indica adhibendae ſint, qua attentione legendae relationes hodoeporicorum, qui hoc tomo fuſi de religione populorum circa ſtora Gangis occidentalia et orientalia ſint, magna attentione et felicitate expoſuit.

pag. 814. lin. 17. a fin. *Qui hoc Siamenſium idolum a Budda diſtinguant.* Valde ea in re fluctuant, qui theologiae et religionis Indicae citra et vltra Gangem origines excuſſerunt, qui traditione earum gentium de tempore Buddae, Foë, Sommonacodomi, Xekiae, diuerſiſſima perſuaſi facillime ſe extricare poſſe autumant, ſi Sommonacodomum a Budda Xekiaque diſtinguant, de qua re videndus LOVBERIVS[i]. Quamuis autem iſta, quae

f) pag. 206.
g) Tom. XI. p. 238.
h) loc. cit.
i) Rel. de Siam pag. 134. conf. quae nos T. V. p. 824 ſeqq. obſeruauimus.

Digitiz by G

quae ab hiſtoricis Indis traditur temporum notatio non valde concordet cum reliquis traditionibus, quae Buddam antiquiorem multo, quam Sommonacodomum faciunt, nemini tamen, qui vel primis labiis res Siamenſium deguſtauit, ignotum eſſe poteſt, omnem Siamenſium traditionem de religionis ſuae primordiis innumeris tenebris premi adeoque confuſam et in haud paucis ἀσύστατον eſſe, vt quadrata rotundis miſceantur, ipſique nugaciſſimi Siamenſium doctores Talepoini in decantanda Sommonacodomi hiſtoria diſſentiant, nec vlla veriſimili ratione hiſtoriam idoli ſui veſtiant. Quibus ſi ex altera parte maxima ſimilitudo et conſenſus traditionis, doctrinae, religionis, ceremoniarum et ſimilia opponantur, nihil habet altera opinio, quo ſe tueri, et diſtinguere vtrumque poſſit, niſi contendere velimus, quod h. l. not. l. lectorem iam poſt Kaempferum monuimus, fieri potuiſſe, vt Siamenſes in antiquitatibus gentis ſuae incertiſſimi res et traditiones antiquiſſimas cum technis et fraudibus recentioris cuiuſdam impoſtoris confuderint. Quod in hac quidem gente facile euenire potuiſſe, character eorum Europaeis noſtris intus et in cute notus facile perſuadere poteſt. Vnde communiorem et receptam ſententiam dudum nobis probatam, re iterum penſitata abilcere non potuimus.

pag. 814. lin. 17. *P. BAYLE.* Addi his ſcriptoribus de Foë et eius ſecta ac dogmatibus impiis, ſcriptores hiſtoriae Sinicae [k] doctiſſimi, Ieſuitae LE COMTE [l] et DV HALDE in deſcriptione Chinae, et plerique iſtius regionis enarratores, ex quibus ſua hauſerunt auctores hodoeporici vniuerſalis [m], qui cuncta in compendio luculenter enarrauerunt, inter quos primam lauream ſuo merito reportauit Io. BAPTISTA DV HALDE S. I. opere ſplendido, quod deſcriptionem geographicam et hiſtoricam imperii Sinici, lingua Gallica inſcripſit [n]. Ex quibus ea ab ipſo lectore facili negotio conſarcinari poſſunt, quae inſtituti noſtri breuitate concluſi, hoc loco afferre non poſſumus, contenti, ſummam hiſtoriae famoſiſſimi impoſtoris, cum paucis comparandi, tetigiſſe.

pag. 815. not. q. *KAEMPFER. T. I. pag. 56.* Plurimum iſta confirmantur KNOXII relatione, qui viginti fere annos inter Ceylanenſes vixit, resque eorum omnes intime perſpexit. Is refert [o], inter alia Ceylanenſium numina maiora et excelſiora maxime coli Buddu, ſaluatorem animarum; apparuiſſe eum aliquoties ex gentis traditione humana forma ſub arboreſcura Bagoha, i. e. arbore diuina, quae ab iis ſacro cultu excipitur, et ex ſummo montis cacumine, relicto in monte pedis veſtigio coelum repetiiſſe: Hunc etiam in ſacellis priuatis luminibus et lampadi-

k) Plerosque nominat Biblioth. hiſtorica Struuio-Buderiana P. I. c. 10. §. 5. p. 186.

l) Nouveaux memoires ſur l'etat preſent de la Chine Par. 1696. Amſterd. 1698. 12.

m) T. VI. L. XV. c. 5. S. 2. p. 358. vers. Germ.

n) Deſcription geographique hiſtorique de l'Empire de la Chine Paris 1735. fol. IV. Tom. a la Haye 1736. 4 IV. Vol.

o) Itiner. pag. 146.

bus accenſis coli, habereque ſacerdotes primi ordinis, Ttrinanxas dictos, viros doctos et philoſophiae haud expertes, ideoque in ſumma apud Ceylanenſes ſiue Chinguleſos, quo ſe nomine vocant, dignitate florentes, vitam agentes coelibem et frugalem. Habere ex eadem diſciplina gentem dogma immortalitatis animae, et reſurrectionis mortuorum itemque praemiorum et poenarum poſt hanc vitam; multa in libris ſuis tradere de philoſophia et medicina; vocari etiam Mercurii diem Bodaha diem Buddae. Repetunt haec collectores *hodoeporicorum* Britanni [p], et materiam ſubminiſtrant coniiciendi, prope eos a veritate abeſſe, qui, Ceylanum ſi non patriam, primum tamen locum maritimum fuiſſe, quo Foë vel Buddas appulit in Aſia, contendunt. Certiora enim in tanta rerum Aſiaticarum confuſione dare vix licet.

pag. 816. lin. 12. *Tymphan nomine.* Aliis patrem In-fanyang matrem Mo-ye vocant, et prouinciam Indiae Chung-tyen-cho patriam aſſignant, vt ex Nauaretta h. l. obſeruatum.

pag. 817. lin. 1. *Atque vxore.* Et natiuitas Foë, et educatio, Ipſumque nomen impoſtoris mirabilibus circumſtantiis nobis ab Indorum hiſtoricis et theologis memorantur. Et nomen Foë quidem, quod non hominem ſignificat, ex hypotheſi illi haeſiſſe, et poſterius longe ipſius natiuitate fuiſſe, ex ſyſtemate Foëno recte concluditur: natiuitas ex elephante albo, matrem eius per os in vterum ingreſſo, aut meliorem et generoſiorem diuini feminis, ex quo natus erat, conditionem et originem depingit, aut quod multis veterum exemplis perſuaſi ſuſpicamur, illegitimum ex aliena conſuetudine originem hoc pacto ad diuinitatem relatum prodit. Quae malumus credere velut probabilia et exemplis non carentia, quam inepte cum COUPLETO [q] coniicere, infernalem genium, humanum ſemen alſunde ſuffuratum ſub elephantis figura ortus materiam matri Foëni ſuppeditaſſe. Quae in hodierna philoſophiae pneumaticae luce non ſine riſu leguntur. Natiuitatem et originem diuinam, quam primum natus erat oſtentaſſe facile credimus, et exemplo Pythagorae, centies Foëno melioris diſcimus, ab hoc mendacii ſtratagemate etiam maximos philoſophos interdum non fuiſſe immunes. Anno aetatis decimo nono, deſertis vxoribus et filio Mo-has-lo et abiecta humanarum rerum cura, cum quatuor philoſophis, ab Indis lo-ghi dictis in ſolitudinem ſeceſſiſſe, eo magis veriſimile, quo magis quietis ecſtaticae et enthuſiaſmi genti conſueti appetentior fauentiſſimam occaſionem vitae theoreticae, et quietiſmi philoſophici ita deprehendebat. Trigeſimo autem anno in diuinitatem iſtam, cuius gloriam quaerebat, tranſmutatum fuiſſe, non totum mendacium fuiſſe, et impoſturam ſuſpicamur, ſed reliter accidiſſe Foëno, quod multis mente captis accidiſſe, quotidiana experientia docemur, vt ſe totum iam humanis rebus exemtum et deificatum

p) Tom. VIII. p. 499.

q) Prooem. declar. ſcient. Sinenſ. p. 58.

Digitized by Google

catum crederet, veriſimile putamus, ideoque impoſtoris ignominia totum eum cumulare non audemus, etſi abſolui ab ea totus non poſſit. Quam miram hominis conuerſionem cum viderent diſcipuli, figmentum emoti cerebri pro reali miraculo habentes, beneficio methodi allegoricae ad fingenda ea miracula, quae Foë perfeciſſe dicitur, perducti ſunt. Neque vero diſſimile nobis videtur, innumerabile diſcipulorum agmen ad tanti miraculi et diuinitatis auditum conuolaſſe, cum coeli, climatis, educationis, praeiudiciorum auitorum etc. vis ea in hac gente ſemper fuerit, vt nihil facilius illi perſuaderi potuerit, quam eiusmodi deliria diuina. Quod cum noſtro ſeculo philoſophiae lumine tantopere colluſtrato placere potuerit toti Quietiſtarum, quos inde ab hypotheſi vocant, cohorti, quis valde mirabitur, Indorum ingenia natura ad enthuſiaſmum inclinantia tales furores ſibi perſuaderi paſſa fuiſſe, non quod omnia in nihilum priuatiuum eſſent tranſitura, ſed quod in vna totius mundi anima vera quietis felicitas poſſit obtineri, quod ſe atheis ſupra vulgus ſapere ſibi viſis non potuiſſe non placere, exemplo Foëno recte demonſtrauit illuſtris LEIBNIZIVS [r]. Aſt hanc ſectae Foënae amplitudinem et ingentem numerum caue putes inter omnes Foë ſectatores ſemper obtinuiſſe. Illis enim, ſi Indicarum rerum hiſtoricis credendum, hanc Quietiſmi hypotheſin moribundus demum diſcipulis aperuit, et cum decem tantum intimioris admiſſionis more in Oriente receptiſſimo clam iſta myſteria communicauit, donec ſublato conditore ſectae, innumeri diſcipuli abſurdam et impiam ſententiam, ad ſuſtentandam prius ſuperſtitionem et idololatriam adhibitam, fine velo publicarent, et tota agmina per omnes Indiae Orientalis et Meridionalis regiones prodierunt, in religionum Aſiaticarum hiſtoria, nomine Hoſchangiorum, Lamarum, Talopoinorum, Sammanaeorum, Bonziorum occurrentia, quorum hiſtoriam ſcriptores Sinenſes paſſim enarrant, imaginem exhibent NEVHOFIVS [s], cetera in deſcribenda ſecta Foëni ſatis luſcus, exque eo *collectio itineraria* Britannorum [t]: imaginem ipſius Foë ſiue Xekiae, qualis a ſectatoribus religioſe colitur, ſpectandam exhibet *collectio ceremoniarum religioſarum* PICCARTI, cuius interpres Heluetius [u], de Foë, eiusque hiſtoria etiam nonnulla attulit, ex adductis fontibus hauſta, quae hoc loco non moramur.

pag. 822. lin. 14. *Totius theologiae Indicae, quae cis Gangem obtinet.* Dicendum, ſi ad rem ipſam et hypotheſin variis mythologiae et allegoriae inuolucris obſcuratam eiusque fundamentum et originem attenditur, per omnem Aſiam. Eadem enim chorda oberraſſe omnes fere colonias Aegyptiorum, ex qua regione cum hoc ſyſtemate emanatiuo per omnem partem terrarum coloniis traductis vetuſtiſſima doctrina diſſeminata eſt, et in eandem ſententiam conſenſiſſe, ex iis luculenter patet, quae in hoc ſpici-

r) De la conformite de la foi, §. 10.
s) Deſcript. Sin. p. 309.
t) Tom. VI. p. 362.
u) P. I, T. II. p. 60 ſeqq. ed. Helu.

ſpicilegio de philoſophia et theologia barbarica eulcimus. In Aſiae autem regiones maxime maritimas et meridionales multa tranſiiſſe colonias, ſequenti paragrapho demonſtrabimus, et ſumma probilitate concludentes, ipſum Xekiam ſiue Fo, vel Sommonacodomum hac via ad Siamenſes, Cinguleſos, Malabares, et ab his ad orientalem Indiae plagam peruenisſe, et peſtilentiſſimum ſyſtema, quod opinione diuinae ſapientiae ſe commendabat, (qua fama Aegyptii cluebant) diſſeminauiſſe, adeoque hac claue totum Orientis myſterium referandum eſſe. Nec mirandum magnopere eſt, tot ampliſſimarum terrarum tractus hanc Xekianam impietatem potuiſſe transmigrare. Nam et genius populorum Aſiaticorum, et faſtus orientalis, diuinas ſibi origines vindicans, et methodus allegorica, et imprimis fauens cuicunque ſuperſtitioni opinio et ad populum phaleris decipiendum egregie accommodata, et harmonia dogmatum inter vicinas Indiae gentes, Perſas, Iudaeos, Arabes, ipſosque Scythas et aſtutia ſacerdotum, moribus Aegyptiis antiquiſſimis ſuffulta, et aliae cauſſae multae viam parauerunt homini callidiſſimo natura ſua et climatis diſpoſitione ad ecſtaſin et enthuſiaſmum prono et diſciplina atque ἀσκήσει attemperato, vt tam mirabilem doctrinae inſanae ſegetem inſtitueret, tantamque meſſem ſectatores colligerent. Quae omnia digna ſunt, quae accurate et adductis veteris et exoticae hiſtoriae, barbaricaeque theologiae teſtimoniis eruantur, ſed ſingularem tractationem poſtulant, quam paginae noſtrae non capiunt. Commendamus autem curioſo rerum et doctrinarum exoticarum lectori, vt ea attente legat, relegatque, quae vir praeſtantiſſimus Io. Sal. Semlervs, in praefatione ad tomum XXIII. hiſtoriae vniuerſalis cumulauit. Qui quamuis alio loco x) conicciat, Indorum nationem originalem magis et domeſticam doctrinam habere, quam exoticam et ab aliis acceptam, non hoc tamen huic coniecturae magnopere officere putamus, cum credere par ſit, Aegyptiaca deliria in peregrinum ſolum delata, et inter populos rudiſſimos diſſeminata, a verſutis ſacerdotibus et religionum cultoribus noui ſyſtematis ſimilitudinem accepiſſe, et αὐτογεάφων formam illis fuiſſe inductam. Nec magnopere nos mouet, quod probabilius ſit, has ingenii humani φλυαρίας ab Indis ad Aegyptios, quam ab his ad illos peruenisſe. Nota enim eſt et veteris hiſtoriae teſtimonio conſtat, Aegyptios domeſticam ſapientiam diu ſibi ſolis ſeruaſſe, cum antiquitate et habitationis commoditate ceteras gentes vincerent: et exemplis indubitatis conſtet, excurſiones Aegyptiacas in Indiam, qualis expeditio Seſoſtris fuit, et nauigationes ac migrationes Aegyptiorum in Indiam, et coloniarum plantationes ex Aegypto profectas frequentiſſimas fuiſſe et famoſiſſimas; et quanquam inter Indica et Aegyptiaca diſcrepantiam et diſſimilitudinem in multis eſſe negare nolimus, quod in diſperſione adeo ampla dogmatum inter diuerſiſſimas nationes euenire aliter non potuit, hypotheſes tamen

x) T. V. Suppl. ad Hiſt. vniu. p. 56 ſeqq.

Digitized by Google

men fundamentales mire concinere. Quod vero obiicitur, Aegyptios has origines sapientiae Indicae ex sua disciplina deriuatas iactaturos fuisse, si reapse exstitissent, id contra mores Aegyptiae disciplinae afferri putamus, qui nolebant sua mysteria peregrinis innotescere, arcanaque methodo eos ab adytis suis excludebant, tantum abest, vt communicationem inter peregrinos factam iactare voluerint. Et quanquam nonnulla Aegyptiaca placita recentiora Indicis dogmatibus et ritibus videri possunt, et haud pauca quoque ab aliis gentibus vicinis transsumta sint, certum tamen τὸ πρῶτον δόγμα emanatiui systematis ex rationibus theogonicis ad historicas traducti antiquitatem ad cana vetustatis tempora assurgere. Alias rationes, quibus a sententia Crosaei et aliorum recedere vir incomparabilis persuasus est, vt coniecturae sunt, ita de eorum pondere lectori iudicare permittimus, eiusque magis quam nostro arbitrio relinquimus, quaecunque ex vtraque sententia placeat, cum argumentum ad problemata historica pertineat, de quibus facile est in vtramque partem disputare.

pag. 824. lin. 2. *Rationes huius coniecturae verisimiles reddidit.* Videndus tamen CROZAEVS libro sexto historiae Christianismi Indici, CARTROV hist. generale du Mogul, HVETIVS hist. nauigationis vet. alii. Ceterum de Xekia vel Sommonakodomo, quem, non obstantibus Siamensium rationibus chronologicis, vnum eundemque esse cum Xekia siue Fo putamus, consuli non sine iucunditate possunt relationes Siamenses Iesuitarum, maxime TACHARDI et LOVBERII, quanquam Siamensium fides haud vno nomine vacillat, ipsaeque narrationes Gallorum ciuibus suis suspectae sint [y]. Diligenter ea collecta sunt, quae apud Siamenses de hoc idolo suo in libris sacris traduntur, ab *vniuersalis historiae scriptoribus Britannis* [z], queiscum comparari potest narratio inter *ceremonias sacras Piccartianas* [a] extans, vbi imago Sommonacodomi et Xekiae, prout inter Indos et Sinas depinguntur, exhibetur; quae vt putidam impostorum superstitionem intuendam lectori proponunt, ita nil habent, quod in philosophiae historia locum tueatur, et cursum nostrum detinere possit. Vnum, quod consideratione dignum nobis visum est, monemus: ex Siamensium relatione [b] habuisse Sommonakodomum fratrem Theuetatum, pessimi ingenii, si placet, philosophum propriaeque sectae auctorem et persecutorem atque aduersarium Sommonakodomi acerrimum, qui fratris numini benignissimo in omnibus aduersarius ignis infernalis dolores et catenas meruerit, quem tamen post infinitas migrationes purgatum liberationem et receptionem in Deorum numerum expectare afferunt. Quam-

y) GVYON, hist. des Indes orientales anciennes et modernes, Par. 1744. T. II. ch. 1. p. 170. conf. Hist. vniu. T. XXIV. praef. n. 28. p. 16. quae de Siamensium rerum scriptoribus multa suppeditat.

z) T. XXIV. §. 50 seqq. p. 58 seqq.

a) P. IV. p.° 44 seqq. ic. XIX. XXI. p. 62 seqq. ic. XXVIII. XXIX.

b) LOVBERE l. c. p. 145 seqq. qui biographiam vel fabulas potius huius idoli describit. Conf. Corumes relig. l. c. p. 79.

Quamuis enim haec fint μυςικώτερα καὶ ἀλληγορέμενα, lectori tamen facile fubolebit duplex illud principium Perfarum, quod hodie adhuc Parfae fiue Gauri inter Indos habitantes, et Zoroaſtreae diſciplinae aemuli amplectuntur, hanc illis fabulam de Oromaſde et Arihmanio tradidiſſe, et a gente Indica craſſo ſub aethere nato, comtam et cum patriis ſomniis Talopoinorum vno ſub iugo ire iuſſam, commendaſſe. Quod argumentum illis fauere videtur, qui Indicam ſuperſtitionem non ab Aegyptiis, hominibus auſtralibus, ſed a Perſis orientalibus natiuitatem accepiſſe contendunt e). Aſt cum reliquae rationes hoc loco adductae tantopere pro origine Aegyptiaca militent, parum nos hanc analogiam dogmatis Indici cum Perſico euincere iudicamus, recordantes, Aegyptum quoque habuiſſe non Oſiridem modo, ſed et Typhonem, et ſyſtema dualiſticum cum emanatiuo miro connubio iunctum et modificatum, maxime poſt irruptionem Perſarum in Aegyptum eandem ſimilitudinem referre, et potuiſſe hoc modo Theuetatem non minus Typhonis locum tueri, quam Arihmanii, vt Oſiris non incommode Oromaſdis perſonam exprimit.

e) Ipſe Crosarvs, qui tamen Aegyptum pro fonte Indicae ſuperſtitionis agnoſcit, a Perſis tamen ad Indos multa peruenifſe non negat. Hiſt. Chriſt. Ind. p. 569. verſ. Germ.

AD CAPVT SECVNDVM.

DE PHILOSOPHIA GENTIS MALABARICAE.

pag. 827. lin. 19.

Alius ex Batauorum eccleſiaſtis in iſtis oris BALDEVS. Valde commendatur opus Philippi Baldei, euangelii miniſtri in inſula Ceylanenſi, quo ora Malabar, et Coromandel deſcribendo, non tantum topographiam Indiae orientalis, ſed eruditam quoque et prolixam tractationem ſiue detectionem idololatriae Indiae Malabaricae gentis, Benianorum, Gentiuorum, Braminarum, ex libro Vedam ſacro, et conuerſatione ſacerdotum collegit, et Belgica primo, mox Germanica veſte indutam, *Amſtel.* clɔlɔcLXXII. fol. edidit, laudesque virorum doctorum tum ob fontium, ex quibus ſua hauſit, domeſticorum copiam, tum ob amplitudinem tractationis meruit, de quo videſis, quae ex Croſaeo, et Ziegenbalgio attulit praeſtantiſſimus Semlervs a). Rogerii relationem in compendium miſſam legimus in *ceremoniarum et conſuetudinum ſacrarum opere*, in quo ſimilem *epitomen religionis Banianorum* Lordii b) nobis editores exhibuerunt. Commodum autem erit lectori Baldeum et Rogerium cum relationibus miſſionariorum Danicorum comparare, vt de tota Braminarum religione et theologia apud Malabaricas gentes recte iudicare liceat.

pag.

a) loc. cit. T. XXIII. p. 28. Croſaeus l. c. is multa Baldeum a miſſionariis Luſitaniae accepiſſe obſeruat, non ſatis fidos auctores ſecutum. Hiſt. Chr. Ind. L. VI. p. 577. verſ. Germ.

b) Tom. III. p. 2.

Digitized by Googl

pag. 828. lin. 10. a fin. *Sunt hi homines non modo ſacerdotes et theologi Malabaricorum populorum, ſed doctores quoque et philoſophi.* Celeberrimum hominum genus, per omnes Indiae regiones non nomine tantum et dignitate alios ſuperante, ſed et ortu et maiorum gloria. Quos hoc loco ex inſtituto deſcribere velle, eſſet magnam partem hiſtoriae religionis et politicae Induſtane et adiacentium regionum enarrare, et, quae ad hiſtoriam gentium illarum pertinent, cum hiſtoria philoſophica confundere. Quare nec in his quoque moram longam nectimus, rati, ſufficere poſſe, quae hoc loco ὡς ἐν συνόψει congeſſimus, fidem Rogerii maxime ſecuti, quem de hoc argumento ex ore ipſius ordinis illius adſcripti notitiam eorum hauſiſſe, omnium accuratiſſimas narrationes de iis reliquiſſe conſtat [c]. Vt tamen Lectori de huius argumenti ſumma conſtet, ad hiſtoriam vniuerſalem Aſiae eum ablegamus, in qua [d] auctores Britanni, religionem, ordines, ſtatum prouinciarum Indicarum cis Gangem copioſa et diligenti enarratione perſecuti ſunt, et de Braminarum origine, variis ſectis, diuerſo religionis ſyſtemate, vita moribusque, viuendi ordine, matrimonio, cibo, claſſibus, muneribus etc. prolixe diſſeruerunt, quae hoc loco repetere, eſſet actum agere. Videas in iis magnam conuenientiam cum moribus Aegyptiorum et orientalium philoſophorum, quam facta comparatione cum iis, quae ſuo loco diximus, lector ipſe ſine manuductione noſtra deprehendet. Facit autem iſta comparatio ad detegendas origines dogmatum et opinionum Indicarum, et cognoſcendos errorum philoſophicorum et theologicorum fontes, quo argumento nihil celebrius eſt in hiſtoria philoſophica. Quarum peculiarium ſectarum populorumque opiniones, religiones, traditiones, mythologia, cum magnam notitiam Aſiae, vaſtiſſimae terrarum partis, contineant, manifeſtum inde eſt, hiſtoriam theologiae et religionis Aſiaticorum populorum maximam partem eius conſtituere, quod laxiori ſignificatione ad philoſophiam quandam vniuerſalem trahi poteſt: Quam tamen prolixitatem noſtrae paginae non capiunt. Quamuis autem hoc pacto religionis et philoſophiae nomen inter has gentes, vt inter omnes barbaras nationes hactenus id euenisſe deprehendimus, coincidat; non omittendum tamen hoc loco, habere Indiae meridionalis circa Gangem gentes philoſophos quoque profeſſione et vitae inſtitutione tales, qui ſacerdotibus religionis curam habentibus contra diſtinguantur, et ſpeciali ſenſu ad hanc noſtram tractationem pertinent, hosque in theologia naturali pulchrius, quam Braminos ſapere, id quod ex colloquio B. Ziegenbalgii cum eiusmodi philoſopho Malabarico habito diſcitur, ex quo conſtare ſimul poteſt, quae ratio philoſophiae myſticae in India obtineat. Legi hoc ſcopo non ſine iucunditate poſſunt, quae ab huius ordinis homine literarum maxime ſacrarum inter ſuos valde perito ad Ziegenbal-

c) Ita Cruz l. c. p. 576.

d) T. XXIII. §. 370 ſqq. p. 492 ſeqq. §. 377. p. 502 ſeqq. §. 496. p. 669 ſeqq. quae loca non exſcribimus, cum praeſtantiſſimus liber in omnium manibus ſit auideque legatur.

gium et ſocios miſſionis, quam vocant Danicae, perſcripta ſunt, in quibus ad propoſitas quaeſtiones ſuccincte reſpondet, de religionum inter Indiae Gangeticae gentes ſectis, maxime circa cultum et venerationem idolorum verſantibus, de libris legis quatuor inter myſteria clam a ſacerdotibus habitis, in quibus ſacrae illae tranſmutationes et apparitiones numinum Indicorum explicantur, et quorum ſumma atque caput primarium eſt ens illud vnum, quod Tſchiwen vocant, ſummumque atque vnicum ens entium agnoſcunt, ſed variis apparitionibus et formis manifeſtatum, ſub quibus diuerſis modis atque ritibus colatur *: de libris ſex, Saſtirangoel dictis, in quibus omnia religionis illius capita comprehendantur; de Diis Malabaricis, inter quos vnum reuera tantum eſſe, Tſchiwen enim, Wiſchtnue, Ayanar, Pirari, Iſuren, et quae alia barbara nomina ſunt, vnum tamen numen, vnum ens diuinum indicare, quod eſt omnia in omnibus, in quo ſolo nec in alio ſalutem conſequi homines queant; eius autem nomina ideo varia eſſe, prout miraculoſis apparitionibus ſe manifeſtauerit. Quod, ſi emanatiui ſyſtematis ſenſus ſupponatur, totam theologiam Gangeticam, Malabaricam, Coromandelicam etc. adhibita mythologia barbarica, magna luce perfundit. Praecepit porro theologus Indicus de Deo, effigiem id ens entium habere et non habere, nec comparari cum vlla re vel creatura poſſe, eſſe immortale et corruptioni nulli obnoxium, nec quietis vel ſomni indigens, eſſe omnipotens et omnipraeſens, aeternum et immutabile, ſine principio, ſine fine, nec imagine aliqua definiri, cognoſci autem et libris Bramanarum, legisque ſcriptae poſſe, colendumque eſſe ex more praeſcripto. Ad hunc autem cultum pertinere, vt a peccatis proaereticis quis abſtineat, peccatum quoduis perhorreſcat, iram et excandeſcentiam euitet, purgationes et ſacrificia iugiter obſeruet, et vnum ſiue ſimplex cor, ſe ipſum noſcens poſſideat, ex qua cognitione ſui ipſius cognitionem rerum extra ſe conſequi laboret. Porro idem philoſophus Indicus Chriſtianis doctoribus de creatione mundi interrogantibus tradidit, Deum eius vnicum auctorem eſſe, qui omnia, quae in mundo ſunt, produxerit, eam ob cauſſam, vt gloria ſua vbique effulgeat: eſſe creationem luſum Dei coelum et terram propter homines producentis, et nationes hominum, atque creaturas omnes imo coelum et infernum ideo formauiſſe, vt ex omnibus cognoſcatur. Quod vt dignis modis fiat, eum rationem homini dediſſe, ſenſusque, et ratiocinandi vim, qua debito modo Deum adorare, et ſecundum voluntatem eius viuere poſſit, ſuperbis autem, et praecepta contemnentibus, malitioſis deſtinauiſſe infernum. Peccatorum veniam obtenturo neceſſe eſſe, vt ſacra loca inuiſat, eleemoſynas porrigat, egenos adiuuet, beneficentiam ex facultatibus ſuis exerceat, Deo eiusque ſacerdoti fidem et amorem praeſtet, humilitatem erga eum et homines ſectetur, patientiam ad mortem vſque exerceat, caſtumque corpus et animam conſeruet, ſicque imaginem DEI, ad quam ſuo modo effictus ſit, exprimat. Tandem de

*) Rel. miſſ. Malab. cont. 7. Vol. I. p. 577 ſeqq.

Digitized by Google

de characteribus philoſophi rogatus, hos definiebat, abnegationem cupiditatis omnis, quae in nulla re mundana gaudium quaerit, cibi continentiam ſine diſcrimine, cogitationum ad pedes diuinitatis depoſitionem, quam ſolam intueantur; preces et meditationem, ſapientia et abſtractione ſuſtentatam. Preces autem eo eſſe dirigendas, vt peccata omnia agnoſcantur, eorum venia a Deo petatur, mala omnis inclinatio ex animo eiiciatur, ratio, intellectus, mens recta, neceſſaria vitae ſuſtentatio ſine anxia cura ſuppeditetur, omnis vero concupiſcentia facultatum proximi auerruncetur. Tandem vt peracto vitae periculo ad coeleſtem tranquillitatem ad pedes Dei promoueamur. Exſcribenda haec paulo prolixius erant in gratiam eorum, qui *commercium literarium miſſionariorum Danicorum* Germanica lingua ſcriptum legere non poſſunt, vt intelligant, in tam denſa ignorantiae nocte, qua regiones illae ex ſuperſtitionis infania premuntur, non adeo tamen extincta eſſe naturalis religionis lumina, et ſcintillas lucentes et philoſophiae naturalis igniculos ſupereſſe, quibus ad aeternas veritates humano cordi inſcriptas mens efformari Deusque maniteſtari poſſit. Quae cum ſuperſtitione ex allegoria et ſuppoſita emanatione diuinitatis oriunda confundenda non ſunt. Qualem vero emanationis rationem hi theologi et philoſophi ſibi concipiant, ex illis intelligi poteſt, quae in *ceremoniis religioſis gentilium* [f] ex Io. Henr. Rothii, S. I. Miſſionarii narratione afferuntur. Secundum quam tres diuerſas formas ſtatuunt in Brahma habitantes, Brahma enim ſummum illud numen ponunt, Achar ſ. immutabile, omnem eſſentialitatem in ſe continens, quod per naturam in partes poſtea diſpeſcitur, vnde res ſingulares non eſſentia, ſed figura et forma tantum vnius ſubſtantiae differre ſtatuunt. Quare duplex principium admittunt, ſupremum illum fontem et animam rerum, quibus ineſt et prouidet, et aliud mediatum, quod ex illo dependet et naturae formas ex primo fonte imprimit, pro eius beneplacito. Fieri autem, nugantur, illas tranſmutationes quaſi luſus diuinae eſſentiae ita, vt ex maxima particula veſtita materiarum quinque, impreſſiones minorum particularum ſulciantur, indeque tot varietates oriantur. Quae quidem a ſyſtematis emanatiui natura parum ſunt remota, quod non emanationis tantum fontem, ſed et emanatiuum principium aliquod minus et dependens, ſiue principiatum primum ſupponit, quo ceu inſtrumento per impreſſiones reſtrictionum et modificationum res particulares et materiales ſuſtentantur et exſurgunt: quo pacto ſyſtema hoc Gangeticum (nam populis ex vtroque fluminis litore habitantibus et philoſophantibus commune [g] eſt) cum cabbaliſtico pulchre poteſt comparari. Timemus tamen, ne Ieſuita miſſionarius veteris ſcholae Platonicae et Stoicae notionibus occupatus plus apud Indos ſe inueniſſe ſibi viſus ſit, quam reuera inuenit. Id quod totius hypotheſeos affectata nimis et inter ingenia bar-

f) P. IV. p. 20.

g) Legi meretur elegans obſeruatio CROSARII l. c. p. 566. qui veros fontes huius ſyſtematis vidit et detexit, cum plerique H. E. et P. ſcriptores illud argumentum ſicco pede tranſiiſſent.

bara Indiae vix obuia [h] ſubtilitas huius apud illum interpretationis occaſionem ſuppeditauerit. Quicquid autem eius rei eſt, de illo non dubitandum, ex mente philoſophorum Indorum fontem infinitum ens primo primum, mediantibus principiatis emanatiuis magnis, quibus ternarium numerum tribuunt, res ſingulares omnes modificaſſe, et in dies transmutare. Quae cum allegorice more orientalium delineata eſſent a ſapientibus gentis, anſam praebuere mythologiam et allegoriam in hiſtoriam conuertendi, et tot numina mirabilia inſanarumque formarum excogitandi, quae foediſſima idololatria et ſuperſtitione totum orientem replendo veritatem in mendacio detinuerunt. Verum in re ex ſupra dictis non ignota plura non addimus, ſpecimen autem hoc ſyſtema phyſiologicum et metaphyſicum eſſe volumus lectori, vt intelligat, etiam ſub Indico coelo non defuiſſe ingenia philoſophica, quae, niſi impietas ea ſeduxiſſet, facile ad puriorem Dei cognitionem peruenirent. Quanquam autem haec impura et impia ſatis ſunt, laudandum tamen inſtitutum philoſophorum Indiae, quod theoriam de Deo ad eius cultum et practicum vitae vſum retulerint. Ex quo fonte elegantia praecepta ne cathedra quidem Europaea indigna profluxerunt, quae ex ore et calamo Batrouherri philoſophi in fine capitis huius adiunximus: quaeque facile aliis Indicae doctrinae moralis exemplis poſſent augeri, ſi noſtrae id pateretur tractationis modus atque limites. Laudandum quoque in Indica et imprimis Malabarica gente, quod ſectas doctrinarum inter ſe diſtinguant, et ſingulis ſingulas diſciplinas tribuant, quas ad felicitatem reſpicere eiusque conſequendae modum et media ſuppeditare iubent, aculeatarum controuerſiarum, quales Graecae ſectae aluerunt, diſſidia cultantes, et ſcientiam cuilibet ſectae propriam apud eam vrgentes, vt curſus inter eos philoſophicus ſua integritate conſtet. Id quod ex relationibus miſſionariorum tum Proteſtantium [i], tum Pontificiorum [k] nouimus, qui narrant inter veteres Bramanas ſex ſcholas ſectasue primarias floruiſſe, Niyayam, Vedantam, Sankiam, Mimamſa, Panſanialam et Bhaſſiam. Primam excellere in logicis, ſecundam in metaphyſicis, et in ratiociniis rite connectendis non tres, ſed quatuor terminos poſcere: qua ratione mirum non eſt, quaeſtionum et controuerſiarum ſubtilium cacoëthes non minus in his ſcholis Gangeticis inualuiſſe, quam ante haec tria ſecula occidentales ſcholae per ſcholaſticam logicam paſſae ſunt. Tacemus ſectas heterodoxas quod in tali miſerabili opinionum theologicarum chao aliter euenire non poteſt. Sunt inter has ſectas heterodoxas imprimis Bauddiſtae, a Baudda, ſiue Boudda, de quo ſupra egimus, ita dicti, qui metempſychoſeos dogmati exoterico addicti, ſenſuum criterium poſtulant, eſoterice

h) Legenda confeſſio Antigoeli cuiusdam Indici in rel. Miſſion. cont. XVI. p. 187. in qua candide fatetur: hanc theologiam et philoſophiam tuae nationis ingeniis nimis eſſe ſublimem, adeo vt ad Pyrrhoniſmum quendam incliner.

i) Dani l. c. Vol. I.

k) Lettres edifiantes, Le Lane, Pons, alii T. X. p. 400. T. XXVI. p. 228. Cum iis conferendus Bernierivs hiſt. orient. l. c. p. 163 ſeqq. Lord, Ovington, Terry aliique ab illis allegati.

Digitized by Google

rice et arcana methodo foenam impietatem incruſtant, et ad vnum principium abſtractum, vacuum, et nihil priuatiuum reuocant, (negatiuum enim vel ignorant, vel plane reiiciunt) quo pacto, dum materiam et formam inter principia rerum crepant, quid ſub his vocibus intelligendum ſit, ipſi dicere non poſſunt. Laudant tamen miſſionarii meditationum moralium, gnomarum et carminum ad mores pertinentium elegantiam, quo in argumento ingenio et acumine Indos philoſophos alias gentes ſuperaſſe, negari non poteſt, et cum climate, ſub quo viuunt, conuenit [l]. Pertinent hae partes philoſophicae ad diſciplinas exotericas, et cum aliis quoque tribubus communicantur. Medicinae vero artem, experientia magis, quam ſyſtemate metiuntur, morbosque ex motu pulſuum metiuntur. Aſtronomiae autem vulgarem tantum et ſuperſtitioſam notitiam habent, huc, vbi alia agimus, non afferendam [m]. Lingua vtuntur erudita et a vulgaribus diſtincta, quam Hanskriticam ſ. Sanskriticam vocant, vt inter noſtros eruditos Latina eſt. Ea ſancta illis habetur et pura, nec cum aliis Indiae linguis commixta, vnde etiam nomen patet, ſanctitatis characterem a libris ſacris, qui in hac lingua exarati ſunt, nacta eſt. Haec et alia de literatura philoſophica gentis Indicae nos docent miſſionarii, multa confirmat BERNIERII relatio. Pertinere haec quoque ad Lanianarum diſciplinam [n], lector attentus facile ex ſupra dictis colliget. Plura cupientem hiſtoria vniuerſalis, ad quam breuitatis cauſſa prouocamus, edocebit.

pag. 830. lin. 21. *Colonias Aegyptiorum vel ſaltem ſacerdotes et philoſophos nonnullos in Indiam excurriſſe.* Digreſſas ex Aegypto eſſe ad terras alio ſub ſole calentes colonias, aliquot exemplis probat DIODORVS SICVLVS [o]. Qui quoque aliam viam narrat [p], qua religio et conſuetudines Aegypti ad Indos peruenerint. Refert enim, Seſoſtrim Aegyptiorum regem, omni gentis ſuae eruditioni innutritum poſt conſcenſum ſolium in Indiam ſoluiſſe, et magno exercitu non modo prouincias, quas poſtea cepit Alexander M., expugnauiſſe, ſed alias quoque, quas nunquam ille acceſſit, Gangem tranſiuiſſe, et vniuerſam Mediam vſque ad mare peragrauiſſe, ritus quoque Aegyptiacos inter illas gentes diffeminauiſſe. Quam quidem narrationem in dubium vocat eruditiſſimus SHVCKFORDVS [q], eo quod Herodotus, Manetho, Euſebius aliique ad Indos penetraſſe Seſoſtrim taceant, et Bactriam, Scythiam, Aſiam terminos expeditionis ponant. Aſt non ſatis firmae hae rationes videntur, vt fidem Diodori in dubium vocare poſſint. Nam nuſpiam in Indiam penetraſſe Seſoſtrim, ſcriptores hi negant, Bactriam attigiſſe diſerte tradunt, quae vicina Indiae pars eſt. Ex qua etiam regione Indi cis Gangem facile ſua haurire,

l) loc. cit.

m) Vid. ibid. §. 132. p. 164 ſeq.

n) Strictim eleganter eam exponit Hiſt. vniu. l. c. §. 484 ſeqq. p. 650 ſeqq. quae recte obſeruat, eorum religionem cum Gangetica, in regno Laos aliisque trans flumen in plerisque coincidere.

o) Bibl. l. fin.

p) Lib. II.

q) Harmon. ſcript. ſacr. et prof. L. VI. Vol. II. p. 35.

haurire, vel ſacerdotes Aegyptiaci ad eos tranſire potuerunt. Qui itaque tantam tamque frequentem religionis Aegyptiacae atque Indicae conuenientiam a Seſoſtri aetate deriuant, (quamuis poſtea per colonias ex Aegypto tempore paſtorum, et poſt eos in Cambyſis inuaſione multa quoque ad hanc gentem Aegyptiaca peruenerint,) nihil afferunt, quod veriſimilitudine deſtituatur. Seſoſtrim enim ſacris valde addictum, ipſisque ſacerdotibus admirabilem fuiſſe, (quod inſtituta Aegyptiaca ad aulam relata poſcebant,) vbique loco autem patriam religionem diſſeminauiſſe Diodorus quoque teſtatur. Attentione quoque dignum eſt, quod is narrat, columnas ſtatuiſſe Seſoſtrim, in gentibus deuictis, hominis pudenda: haec enim et Aegyptiis in ſacris habita fuiſſe, et hodie Indis ſacroſancta, et diuinitatis ſymbola haberi, peruulgatum eſt, licet Diodorus, rationibus Graecanicis occupatus, ea ad fortitudinis et timiditatis ſymbola trahat. Poſt Seſoſtris tempora ex Manethone IOSEPHVS [r] refert, Aegyptios regnante Conchari vel Timaeo diſperſos eſſe ab irruptione paſtorum ex Oriente in Aegyptum irruentium, quorum rex Salatis veteres colonias gregatim excedere Aegypto coëgerit. Quarum haud paucas ad Indiae oras fuiſſe delatas, dubitari non poteſt, ſciremusque certo, ſi extaret libellus Iſtri *de coloniis Aegyptiorum* deperditus, de quo videndi VOSSIVS [s] atque IONSIVS [t]. Colonias Aegyptiorum autem religionem, theologiam, ritus, inſtituta patriae ad peregrinas terras detuliſſe, Aſſyria Aegyptiorum colonia, a Belo deducta, ſi vera eſt Diodori narratio, oſtendit.

pag. 831. lin. 2. *Originibus religionum et philoſophiae magnam inde lucem accenſum iri.* Quatuor partibus Vedam ille, ſiue codex ſacer Induſtanorum abſoluitur, 1. Rogo Vedam, quae agit de cauſſa prima atque materia prima, angelis, anima eiusque praemiis atque poenis, de generatione et corruptione, de peccato eiusque remiſſione, 2. Iſſura Vedam, de ſuperioribus et poteſtate ſuprema praefectis, 3. Sama Vedam de virtute et vitio eiusque cohortationibus et dehortationibus, 4. Addeta Vedam de ceremoniis ſacris et ſacrificiis. Qua quaternione per omnem Indiam regitur fides et religio gentis, et ſarta atque tecta, at arcana quoque ſeruatur, etc. de quibus, vt et de formula fidei Shaſter, i. e. *ſyſtema*, dicta, et de hiſtoria ſacra, Puran appellata, videndae relationes Danorum Malabaricae, ROGERVS, Ieſuitae miſſionarii ceterique, qui Indiae res ſacras attigerunt, ex quibus omnia compendio complexi ſunt hiſtoriae orbis vniuerſalis ſcriptores Britanni, qui conſulendi: ſtricte nempe et accurate in hoc argumento verſati.

pag. 832. lin. 15. *Suis locis obſeruauimus.* Non alienum hoc loco eſſe videtur, et BERNIERII relatione diſcere, quo pacto hi philoſophi quietiſtae et enthuſiaſtae ad hunc philoſophiae gradum et ecſtaticam perfectionem

r) Contra Apionem L. I.
s) De Hiſt. Graec. L. IV. p. 469.
t) De S. H. P. L. II. c. 6. p. 170.

Digitized by Google

ctionem perueniant. Ita Ille *) „inter omnes illos, (Faquiros, homines „religioſos intelligit) inuenluntur quidam, qui omnium illuminatiſſimi „et perfectiſſimi Gaugurorum, id eſt, perfecte cum Deo vnitorum haben„tur. Hoc genus hominum, relicta ſeculi conuerſatione et communio„ne, in hortum quendam ſe abdit longe ab hominum conſortio remo„tum, Eremitarum inſtar, et nunquam vrbes adit; ſi cibus illis affertur, „eum accipiunt, ſi minus, ſine cibo ex gratia Dei inter ieiunia et auſte„ritatem perpetuam viuere et ſe meditatione profundiſſima inebriare di„cuntur. Tanta enim eſt huius abſorptionis profunditas, vt toti ecſtaſi „rapti ſenſuum externorum functione priuentur et, (modo verum id ſit) „Deum Ipſiſſimum velut certum quoddam viuidiſſimum et ſplendidiſſi„mum lumen, quod verbis explicari non poteſt, cum gaudio et tranquil„litate ineffabili videant, quod contemtum omnium mundanorum pro„ducit, et abnegationem omnium rerum extra poſitarum.“ Haec ſe accepiſſe ait Bernierius ab iis, qui multoties in hanc ecſtaſin ſe raptos eſſe profeſſi ſunt, et ex vera animi ſententia hanc confeſſionem edidiſſe teſtatum fecerunt. Vnde dubius et incertus haeret, quid de his ecſtaſeos raptibus ſtatuendum, et an non ſolitudo perpetua et ieiunia ad eiusmodi Illuſiones phantaſiae diſponant et ecſtaſes naturales prouocent, quales pro voluntate ſe ſentire poſſe iactabat Cardanus. In qua ſententia, timidiuſcule tamen fatetur, ſe confirmari, quod obſeruauerit, certum quoddam artificium eos adhibere ad prouocandam hanc ecſtaſin, certasque regulas ad obtinendum illum finem ſequi, vt ſenſim ſenſu priuentur. Quem in finem poſt plurium dierum ieiunia, ſolo pane et aqua ſuſtentata, manere eos ſolos in loco quodam abdito et ab omni turba remoto, oculos in altum elatos et immotos tenere, deinde ſenſim demiſſos et retractos blande et tenuiter ad faſtigium et extremum punctum naſi affigere, ita vt vterque (quod valde eſt difficile,) illdem puncto medio retineatur allegatus, quo pacto immote et attente expectandus ſit luminis illius aduentus, et irradiatio. Et hanc cabbaliſticam ecſtaſeos prouocandae rationem, et delectationem, magnum illud myſterium eſſe, quod Iauguri, vt facere quoque Soufyi ſolent, tantopere clam habeant, et quod ſe non ſine magna difficultate tandem cognouiſſe fatetur. Non habebat Merſenni et Gaſſendi diſcipulus cauſſam, cur adeo incertus in decernenda ſententia de hoc myſterio quietiſtico haereret, qui praeceptoribus, maxime Gaſſendo enthuſiaſtarum ecſtaticorum, qualis Fluddus erat, artificia et rationes didicerat, et ignorare non poterat, tales ecſtaſes raptusque cum priuatione ſenſuum omnibus ſeculis eueniſſe, et quotidie ab impoſtoribus iactari: facillus autem credi id poteſt, in calidiſſimo Indici coeli climate talia quotidie accidere, vt emotae imaginationis cerebrum hoc pacto ad ſtatum quendam intuitiuum, quod putat, tranſeat. Qua de re

*) P. III. p. m. 156 ſeqq.

re tamen, medicorum filiis praecipienda et explicanda relinquimus, lectoremque ex vno Iacobi Boehmii exemplo supra suo loco enarrato possibilitatem eiusmodi emoti cerebri et extra se raptae imaginationis discere iubemus. Talem ecstasin reuera Xekiam siue Foë passum esse et mutatum in diuinam naturam se credidisse supra iam enarrauimus.

pag. 832. lin. 14. *Qui Foënam tamen sectam ignorant.* Sed Sommonadocomum tamen sequuntur, quem siue eundem, quod putamus, siue parentem et anteceſſorem eadem inſtituiſſe, ſupra iam monuimus.

pag. 841. lin. 14. *Felicitas animae post mortem partim in aliis mundis, partim in coelo quaerenda est.* Fusius hunc post mortem statum animarum beatarum ex Siamensium dogmatibus explicat LOVBERIVS[x], quem sequuntur auctores historiae vniuersalis Britanni[y], qui in compendio legi merentur. Vocatur autem ille Indorum Nireupan.

x) pag. 120. y) Lib. IX. c. 1. §. 40. Tom. XXIV. pag. 47.

AD CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIA SINENSIVM.

pag. 847. lin. 2.

Alii. Nominauimus plures de rebus et imprimis sapientia Sinarum scriptores in *erotematibus* H. P. *vernacula* primum *editis*[a], vt haberent harum literarum studiosi, quos pro supellectilis suae literariae copia vel angustia possent consulere. Hos hunc in locum reuocare et in huius capitis vestibulo ponere eo magis cunctamur, quo magis plerique illi scriptores noti sunt eruditis in historia ecclesiae orbisque literarii non plane hospitibus, et quo magis plerumque posteriores anteceſſores suos in haud paucis exscripserunt. Classicos tamen de historia Sinensi scriptores cum praeclaro et erudito schediasmate non modo enarrauerit, sed accurata censura quoque, quid praestiterint in hoc argumento, quid reliquerint succeſſoribus, in quibus homines se erroribus obnoxios demonstrauerint, REIMMANNVS exposuerit, ad hunc syllabum magno iudicio et libertate paucis foliis multa complexum, lectorem remittimus, dolentes, doctum opusculum quatuor tantum plagulis egregias obseruationes comprehendens tempore quadraginta annorum, ex quo prodiit, tantum non penitus distractum euanuisse, dignum, quod in collectione quadam opusculorum rariorum iterum edatur. Erat enim Reimmannus infinitae fere lectionis, iudicii recti mentisque a praeiudicio auctoritatis liberae, in scribendo autem luminibus non destituebatur, quamuis, vt est conditio hominum, interdum verum non vidit, et nonnulla, quae ad rhom-

a) Tom. VII. pag. 1106 seqq.

Digitized by Google

rhombum facere poſſunt, vel omiſit, vel ignorauit. In quibus curioſa diligentia coaceruandis cum multum laboris impenderint, tum *itinerariorum compilatores*, tum *hiſtoriae vniuerſalis conditores Britanni*, quos ſecutus eſt anonymus *ceremoniarum et conſuetudinum religioſarum auctor*, ex his ampliſſimis collectionibus rerum et doctrinarum exoticarum ſtudioſi ſitim poſſunt reſtinguere. Addent autem quem nouiſſimum rerum Sinicarum hiſtoricum eumque in plerisque accuratum ſcriptorem habemus Io. Bapt. dv Halde S. I. cuius opus ſplendidum Gallica lingua editum titulo *deſcriptionis geographicae et hiſtoricae imperii Sinici Pariſiis 1735.* f. IV. Tomis prodiit, *Hagae Com. 1736.* 4. IV. Vol. recuſum. In eo enim geographica, hiſtorica, chronologica, politica, phyſica imperii Sinenſis, et Tartariae Sinenſis, quantum cognoſcere licuit, collegit, digeſſit, mappis geographicis et imaginibus aeri inciſis ornauit ſcriptor diligentiſſimus. Nos, omiſſis ampliſſimi imperii Sinici rebus politicis, hiſtoricis, oeconomicis, quin et literariis, quae ampliorem campum, quam decurrenti ad finem paginae reſtat, poſtulant, ad ſolam philoſophiam reſpicimus et ita ſcopum noſtrum ad extremas orientalis orbis partes delati ſtrictim virgemus. In quibus vtinam iter non ſe ſiſteret impeditum et innumeris difficultatibus obnoxium, quas tum rerum exoticarum linguaeque peregrinae et ab occidentalibus longe abeuntis ignorantia, tum aduerſa ſcriptorum iudicia partesque ſibi valde contrariae obiiciunt. Neminem enim rerum in regno Sinenſi geſtarum haud ignarum latet, quantum in hiſtoria religionis et literarum Sinenſium debeamus Ieſuitarum ſocietati virisque illis doctis, qui promouendae religionis Chriſtianae cauſſa in has oras, maxime ex Galliae regno, ablegati ſunt, horum enim narrationibus pleraque, quae de hoc argumento literario conſtant, adſcribenda ſunt. Aſt non ignotum quoque illis eſſe poteſt, quid in eorum fide deſiderauerint viri docti, a nobis nominati, ipſique aliorum ordinum ſacrorum miſſionarii, quin ipſe vicarius apoſtolicus cardinalis Tournonius [b], de quibus tamen controuerſiis annales eccleſiaſtici conſulendi ſunt. Verum nec extra eccleſiae Romanae caſtra philoſophia Sinenſis controuerſiis pugnisque acerrimis caruit. Supra enim in hiſtoria philoſophiae Wolfianae ſtrictim enarrauimus, virum illuſtrem, et acutiſſimum, ſed hiſtoriae philoſophicae notitia non tantum inſtructum et praeparatum, quam in philoſophia et matheſi fuerat, depoſitis faſcibus academiae Halenſis, orationem habuiſſe *de philoſophia Sinenſi*, cuius hiſtoriam ſuo loco ſtrictim, quantum ſatis erat, enarrauimus. In ea vero Sinenſium philoſophiam inſigniter non modo laudauit, ſed imprimis primum Confucii principium ſapientiae moralis et ciuilis, facienda ea eſſe, quae noſtra poſtulat perfectio, commendando ſuam philoſophiam tam celebris et antiqui philo-

b) Legenda et expendenda, relatio pretioſae mortis em. et reu. D. D. Caroli Thomae Maillard de Tovrnon S.R.E. card. [illegible]ummiſſarii et viſitatoris generalis apoſt. in Sinarum imperio etc. cum facultate legati a latere, 1712. 4.

ſophi ſi non filiam, alumnam tamen eſſe iactauit. Cum autem in ea laudanda non tantum modum vix poneret, quamuis fateretur, ſine Dei et prouidentiae cognitione Confucianam ſapientiam eſſe conſtructam: ſed et occaſionem ſectaretur, aduerſarios ſuos, quos inter Theologos magnos multosque habebat, mordendi et vulnerandi, tantum iſta oratione ſtrepitum excitauit, vt maximum momentum in hiſtoria philoſophiae recentiſſimae habeat. Non repetemus ea, quae ſupra iam de ea cauſſa attulimus, vel quae cel. LVDOVICI, cuius locum in *not. d. h. l.* indicauimus, pluribus attulit: omittere tamen hoc loco non poſſumus liberum de hac Wolfiana oratione multorum telis petita iudicium REIMMANNI[e], quod, quia ab auctore profectum, qui rem omnem ſcire potuit, et neutri parti addictus, cauſſam, cur perſonae inſeruiret, non habuit, et propter opuſculi breuis raritatem non omnium manibus teri poteſt et conſuli, ipſis eius verbis afferemus. Ita vero ille: „Quod attinet ad orationis eius habitum, equidem non eſt plane nullius, attamen non eius commatis, vt tantam auctoris famam et in republica literaria exiſtimationem ſuſtinere ac tueri valeat. Dictio enim eſt philoſophica, quae oratorem non decet. Iudicium de philoſophia Sinenſium ſtudio partium eſt impeditum, philoſophum dedecorat. Nec iis ſubſidiis inſtructus fuit auctor, quae ad argumentum tantum exhauriendum ſunt neceſſaria. Theophili Spizelii, Ludouici de Comitibus, Ath. Kircheri aliorumque de re literaria Sinenſium monumenta non perluſtrauit; Coupleti Confucium poſt habitam orationem demum vidit. Solius Franciſci Noëlli translationes habuit ad manus. Multa praeterea de theologis noſtris licentioſius ſunt pronuntiata, multa theologiae chriſtianae et fidei analogiae oppido aduerſa. Multa de Sinenſium philoſophia practica dicta, ſed non probata. Quaedam plane paradoxa, et oſtentandi ingenii cauſſa ſolum allata, atque hinc tantus in annotationibus retractationum et emendationum cumulus futurus maior, ſi veritatis maiorem, quam famae rationem habere voluiſſet auctor eruditiſſimus, in omnibus philoſophiae partibus egregie verſatus, ſi abnegationem ſui excipias". Repetit eandem cenſuram, alteram huius orationis editionem cum notis elencticis D. Ioachimi Langii 1726. editam, exponens; in qua non negat ignobilem, ſtomachoſam et frigidam eſſe et tanto viro vix dignam, in qua nullum eloquentiae lumen, ordo fere non nullus - - multa autem incerta, fabuloſa, nec pauca profana et licentioſius dicta, multa ſibimet ipſis non ſatis conſtantia. Sed aequus tamen his ſubiicit, multa in notis, quae eidem ab auctore adiectae ſunt, iam in aequiorem ſenſum traducta; multa etiam benignius explicari poſſe, quam a Langio explicata ſunt, et ſi qua ſuperſunt vulnera, quae medicinam reſpiciunt, ea molliori brachio contrectari et enſe ſaltem non dentato recidi potuiſſe, nec pars ſincera ſimul cum morbido ſtigmate notari". Quam vtramque cenſuram lecto-

e) loc. cit.

lectoris examini relinquimus, ideo autem ad eam prouocamus, quia ex allatis rationibus perſpici poteſt, cur ad hanc illuſtris viri orationem de philoſophia Sinenſi non prouocauerimus, de eius cetera eruditione, et acumine meritisque philoſophicis ſatis perſuaſi. Certum enim, Wolfium iſtam orationem magis ſcripſiſſe, vt aduerſariis aegre faceret, quam vt Sinenſem philoſophiam illuſtraret, quo pacto inter fontes non ſuſpectos referri non poteſt. Feliciori ergo gradu Sinenſis philoſophiae, maxime practicae, ſcrutatores eius notitiam ſibi comparabunt ex illuſtris quondam philoſophi G. BERN. BVLFINGERI *ſpecimine doctrinae veterum Sinarum moralis et practicae* ſupra iam indicato. De eo recte et ex vero pronuntiauit Reimmannus, „auctorem egregium et dignum, qui turbae, quamuis bonorum alioquin huius commatis ſcriptorum eximatur. „Primum namque eſſe, qui Confucii ſcripta ob ordinis neglectum molеſtiora lectu in ordinem redegit; primum qui philoſophiam gentium ad „rempublicam applicuit, eamque hac ratione conſtituit pragmaticam; „primum, qui philoſophiam Sinicam cum philoſophia et theologia Chriſtianorum comparauit; optimum ſane ex iis, qui ex noſtratibus de philoſophia Sinenſium ſunt commentati". Nec aliud promittebat acumen et eruditio Bulfingeri, cuius philoſophiae alio loco [d] dignam hederam appoſuimus.

pag. 850. lin. 5. *Nouam et fideliorem melioremque verſionem ſurrogare promiſiſſe.* Extat in actis eruditorum Lipſienſibus anni clɔlɔccXIII. obſeruatio circa ſcientiam vniuerſalem Sinenſium, in libro Confucii, in charta Sinenſi duobus ſpiſſis maioris formae voluminibus ſcripto, exhibitam: quod mſc. penes ipſos Ieſuitas Pariſienſes et Antverpienſes fuit, quo tempore partem eius mutilam ediderunt: iam vero a V. C. AYMONIO verbi diuini apud Hagienſes miniſtro aſſeruatur, qui editionem integram meditatur. Diſcimus ex his memoriis Aymonianis, editionem Confucianorum ſcriptorum anno 1684 publicatam, vix tertiam partem mſc. complecti; deceptos eſſe, a Ieſuitis Galliae regem, variosque pontifices et cardinales, qui de graui proceſſu ex his materiis theologicis, philoſophicis, moralibus, ritualibus et politicis inter Ieſuitas et reliquos variorum ordinum miſſionarios Sinenſes nato ſententiam tulerunt - - prolixam praefationem ſ. diſſertationem praeliminarem euidenter in parte ſecunda detegere, neceſſariam fuiſſe ſocietati Operum Confucii deprauationem, partim vt reliqui miſſionarii Romae damnarentur, partim vt Ieſuitarum de his ſcripta approbarentur. Multa falſa maximi momenti, Galliae et Italiae Ieſuitas commiſiſſe, imitatos Coupletium eiusque collegas, edendo hoc opus non niſi refectis et mutatis omnibus, quae ſyſtemati Ieſuitarum erant aduerſa: ſuppreſſo inſuper integro textu Sinenſi, vt gloſſas plane ſenſui literali aphoriſmorum Confucii aliorum-

d) Pinac. ſcript. noſtra aetate illuſtrium Dec. III.

Digitized by Google

q:e philoſophorum Sinenſium contrarias conſtituerent, id quod exemplis ſatis grauibus oſtenditur etc.

Ibid. not. a. *Ad has quaeſtiones.* Conferri hoc loco non ſine iucunda cauſſae illuſtratione poſſunt: *quaeſita in cauſſa rituum Sinenſium, ſuper mandato ſiu edicto, D. Caroli Maigrot, vicarii apoſtolici Fokienſis in regno Sinarum, nunc epiſcopi Cononienſis,* quae adiuncta hiſtoriae Turnonii cardinalis ſupra allegatae.

pag. 852. lin. 3. *Credere licere.* Quid huic argumento potiſſimum obuerti poſſit, non reticebimus lectori vt hiſtorici partibus et officio rite fungamur. Nempe cum ea de re olim monuiſſemus virum in hac literaturae parte ſummum, et celeberrimum ex notationibus temporum veterum nomen conſecutum ALPHONSVM DE VIGNOLES, ille, qua eximia erga nos viuus erat beneuolentia, fuſe tunc reſcripſit, et hunc nodum ſoluere conatus eſt. Dabimus ipſa viri magni epiſtolam, olim iam in fine operis noſtri p. 935. ſeq. exhibitam, quam omittere hoc loco eo minus licuiſſe putauimus, quo accuratior iudex harum literarum erat Vignolius. Ita vero ille:

Vôtre lettre du 14. Août m'a rappellé me vieilles idées, en me communiquant un long paſſage de M. Kortholt, qui ne m' étoit pas connu. Il ſe fonde ſur une table chronologique fort rare, que le Preſident de la Societé Royale lui avoit procurée, quand il étoit a Londres. Apparement c' eſt la méme, dont j' ai un Exemplaire depuis 6. ou 7. ans. Elle a de longueur 38. pouces et demi, et de largeur 21½. pouces meſure d'Angleterre: outre le papier blanc des marges. Elle fut gravée à Rome l'an 1729. et l'année ſuivante les Journaliſtes de Trevoux (an. 1730. Janv. 179-182.) donnerent un extrait precis de l'avertiſſement, qui eſt à la tête de cette table, et qui finit par ces mots: Edebat Franciſc. Foucquet S. I. epiſcopus Eleutheropolitanus.

Bien loin que cette table démontre que toute la Chronologie des Chinois ſoit vaine, (quatenus antiqua eſt,) *je trouve qu'elle s' accorde à merveille avec le ſyſteme, que je me ſuis fait ſur ce ſujet, et qui eſt le plus commun.*

1. Puisque M. Kortholt a un exemplaire de cette table, je le prie jetter les yeux ſur la prémiére, colomne, qui eſt à la droite ſuivant la maniere des Chinois, et de remarquer que les 52. premiers Quarrez n' ont, ni le nom d' aucun Roi, ni des Années. C' eſt ſeulement au bas de la colomne qu' on lit le nom de Guei Lie, *dont la prémiére Année repond à* Ping Chin, *qui eſt la 53'. du cycle. En effet, l'Empereur Guei Lie commenca à regner l'an 53'. du cycle 38'.* (Martini, p. 140. al. 158. Couplet Tab. p. 15. Menzel, p. 47. Fourmont reflexions etc. T. II. p. 444. col. 1) *Indices ſenſibles que ce n'eſt ici qu'une ſuite d'une Table antecedente.*

2. L'avertiſſement, qui précéde, dit que l' Epoque, par où la Table commence eſt vraie et certaine, *depuis 400. ans avant J. C. Mais l' Editeur ajoûte:* „*cum autem dico epocham veram hiſtoriae Sinenſium, intellige, Lector, non*

„*initia*

Digitized by Google

„initia Sinicae gentis, quae Diluuio ipſi proxima fuiſſe perſuaſiſſimum habeo, „ſed tempus illud, quo rerum apud gentem geſtarum narratio nixa certis argu„mentis eſſe incipit, et digna fide videri poteſt". *Ce n'eſt donc pas ici la* premiere *ou la plus ancienne Epoque des Chinois, puis qu'il faut remonter juſqu' au deluge, dont le tems n'eſt fixé, ni dans l'hiſtoire des Chinois, ni méme dans l' Ecriture ſainte et ſur quoi les Chronologiſtes ne ſont pas d'accord.*

3. Le Titre de cette Table Indique plus naturellement le terme, juſqu'où il faut remonter. La Table doit être connexa cum cyclo, qui vulgo Kia Tſe dicitur. *Comment cela? Si l'on n'y comprend pas les cycles, qui ſe ſont écoulez depuis leur inſtitution. Or depuis* Hoam-ti, *à qui on attribuë l'invention de ce Cycle, il y en a eu 37. complets juſqu'au tems de Guei-Lie: et dans nôtre Table il y en a eu environ autant juſqu' à nôtre Siecle. Ainſi cette derniére Table commence à peupres, au mi lieu de l'intervalle, qui a couru juſqu' à préſent. De ſorte que par ce moyen nous avons deux epoques Memorables: l' une depuis Hoam-ti l'autre depuis Guei-Lie: et l'on peut naturellement ſuppoſer deux Tables de méme grandeur et de méme forme.*

4. La derniere doit être remarquable a pluſieurs egards. 1°. C'eſt la que commencent, les annales de la Chine, que nous avons ici dans la Bibliotheque du Roi: ſurquoi j'ai deja publié, (Miſcell. Berol. Tom. IV. p. 25.) *une Remarque, que voici. Lorsque nôtre Grand Electeur fit venir les annales de la Chine, au-lieu qu'on lui envoyat les deux parties générales, qu'elles doivent contenir, on lui envoyát deux exemplaires de la ſeconde,* neſcio quo fato *comme je diſois alors. Ce fut, apparemment, quelque mepriſe entre le Vendeur et l'Acheteur D'ou pourtant on doit conclurre, que je ne dois compter ſûrement que ſur cette derniere Partie que nous avons: eu quoi nôtre Table ſera toujours d'un grande uſage.*

5. Cette epoque eſt véritablement importante pour l' Hiſtoire de la Chine. Ce fut ſous le Regne de Guei-Lie, que commencérent les Guerres de 300 ans, *dont ont parle communément, a la Chine comme nous faiſons aujour d'hui de la Guerre* de 30 ans *qui arriva au dernier Siécle. Voyez là deſſus* Martini, Couplet, et Mentzel, *deja citez de meme que la magnifique* Hiſtoire du P. du Halde (T. I. p. 357.)

6. En fin nos Annales démontrent aux yeux, qu'elles ne ſont, qu'une ſuite ou une continuation des annales précédentes. 1. Elles ne commencent ni au Chef de quelque famille Imperiale, ni au commencement de quelque Cycle; ni méme a la prémiére Année de Guei-Lie mais, (Miſc. Berol. IV. 26.) *a l'année 23°. de cet Empereur, nommée Vu-Ying, qui eſt la 15. du Cycle ſuivant. 2°. Sur le dernier Empereur de la Famille* Cheu *il eſt dit, que cette Famille* regna 876. ans juſqu'a l'expulſion de Nanwam. *D'ou on doit conclurre, que* Cheu *commenca à regner l'an 1122. comme cela eſt marqué dans Martini Couplet et Mentzel.*

Ces raiſons me paroiſſent ſuffiſantes *pour ſatisfaire aux difficultez de Mr. Kortholt. J'eſpére de prouver l' Hiſtoire de la Chine par des preuves directes*

dans

dans la Chronologie de Moïse *bien entendüe, dont vous avez fait Mention a la fin de mon Eloge. J'ai l'honneur etc.*

Hactenus vir celeberrimus et in temporum antiquorum difficultatibus explicandis acutus et felix. De quibus eius rationibus tamen dispicere penitius tunc eo minus possibile nobis fuit, cum exemplar istud chronologiae Sinicae a Foucqueto Iesuita longe rarissimum nondum conspexissemus. Accidit autem postea, vt illud ipsum exemplar, ex quo annotationem suam conscripsit Ven. KORTHOLTVS, ab eius beneuolentia atque amicitia reculis nostris adiiceretur. Quod cum non vulgaris momenti argumentum continere videretur, eo quod certam et non dubiis rationibus et disputationibus fluctuantem Sinensium chronologiam dxhiberet, et incerta a certis discerneret, ipsa autem tabula in paucissimorum manus peruenisset, persuasimus nos ciui nostro B. MATTHAEO SEVTERO Geographo Caesareo, vt hanc mappam chronologicam in officina sua geographica aere recusam et ad ordinariam mapparum geographicarum formam conformatam ederet, sicque vulgatiorem redderet. Sublata ita raritate insigni facile iam est, tabulam istam chronologicam parabili et exiguo pretio redimere, indeque de certo tempore chronologiae Sinicae statuere. Quem campum, ne nunc quidem ingredimur, nondum tamen nos eius sententiae poenitet, quam olim hoc loco adscripsimus, et nunc repetimus: Nobis videri, facile concedi posse, antiquiores esse rationes temporum gentis Sinicae antiquissimae, quam in his tabulis indicantur; ast non de tempore, sed epocha eius rite constituenda disquiri. Virum enim celeberrimum ipsum non negare monente editore Foucqueto, ab eo tantum tempore epocham certam inchoandam esse, quo rerum apud gentem hanc gestarum narratio nixa certis argumentis esse incipit, et digna fide videri possit. Ex quo sponte sua consequitur, antecedentis temporis rationes non esse certas et expeditas, et nec cum Sinarum traditionibus, nec cum historiae sacrae scripturae notationibus satis sibi constare. Vnde merito colligitur, ad vetustissimam gentis Sinicae historiam tuto prouocari non posse, eamque non satis solide Hebraeorum antiquitatibus vel proponi vel concilliari, de qua tamen re in historia veteris orbis pluribus disquirendum est.

pag. 853. lin. 2. *Quam opinionem recitasse est refutasse, adeo absurda et inepta est.* Quanquam ea hypothesis, qua Noachus cum Fohi primo Sinarum domino atque rege idem conditor Sinicae gentis fuisse affirmatur, non possit non videri absurda et inepta, cum maximis dubitationibus tum ex incertitudine historiae Sinicae veteris, tum ex dissensu annalium sacrorum, et historiae patriarcharum ortis ita prematur, vt conciliationem et medelam afferre impossibile videatur, ea tamen acutissimorum scriptorum quorundam inter Britannos ingenii acies fuit, vt non sine doctrinae laude istam thesin defenderent, Fohium et Noachum eandem personam in historia veteri exhiberi, nec impossibile esse, difficultatibus

me-

Digitized by Google

medicinam afferre. Poſt Whitonum enim aliosque vrgere hanc hypotheſin magno ingenii et eruditionis apparatu conatus eſt S. SCHVCKFORDVS, qui in erudito libro, quo *harmoniam ſcriptorum ſacrorum et profanorum* hiſtoriae veteris explicare tentauit, et conciliare annales veteres aggreſſus eſt. Vix prodierat verſio Germanica libri Schuckfordiani, ex qua eius mentem didiceramus, cum finis operis noſtri hiſtorici inſtans nos cogeret, pauca tantum quaedam inter ſcilimenta nonnulla tomo I. adiecta lectori de hac hypotheſi apponere, et quam in textu noſtro cum plerisque ſecuti eramus, opinionem contra rationes Schuckfordianas roborare *e*). Et haec quidem hoc loco repetere non piget, ne quid veteris editionis omiſſum videri queat. Sunt autem rationes Britanni theologi iſtae: 1. Fohium ἀπάτορα dici: Noachum vnicum hominem ex diluuio emergentem fuiſſe, hincque ſine patre extitiſſe, eſſe viſum, 2. Matrem Fohium concepiſſe, iride compreſſam, iridem autem characterem Noachiticae hiſtoriae e[illegible]3. Tradere annales ſeptem pecudum genera ſacrificiis ſpiritui ſummo coeli et terrae offerendis deſtinata Fohium domi aluiſſe; hauſtum id videri ex ſacris oraculis, ſeptena animalium genera Noachum ex arca eduxiſſe tradentibus, et ex his ſacrificium Deo immolaſſe teſtantibus. 4. Nomen Fohi a ſacrificiis deriuari: Noachi a venia ſacrificio obtenta creaturis ad hominum vſum vtendi. 5. Fohium in prouincia Xeuſi habitauiſſe, quae borealis pars Chinae contigua ſit monti Ararat, in quo demiſerit ſe arca: Noachum mature repleuiſſe populis Indiae partes, vt potuerint filii diſperſionis has orientis gentes, quae Bactriam et vicinam inhabitarunt, bello aggredi, illae vero vim vi repellere. Tandem et 6. temporum rationes ſatis accurate ſibi reſpondere. Specie has ratiunculas non carere faſſi ſumus, at examen ſeuerius non ſuſtinere coniecturas meras, nudis hypotheſibus nixas, quibus negatis omnis illa demonſtratio corruat. Nam 1. Sinas non dicere, patrem Fohi ignorari, ſed conceptum ſine patre, veſtigio hominis proceri calcato, et iride matre circumdata. Quid hoc praeter iridem, commune phaenomenon ad hiſtoriam Noachi, quem habuiſſe parentes, filii eius in arcam ingreſſi ſatis norant? 2. Quae de ſacrificiis traduntur, magis eneruare hypotheſin, quam adſtruere. Sacrificaſſe enim Fohium *y hiang xin ky*, id eſt, coeleſtibus, et terreſtribus ſpiritibus, vocem autem Sinicam *Ky* ſpecificam eſſe ad terreſtres ſpiritus ſignificandos, ita vt MINORELLIVS *f*) audacter pronuntiet, ne vnum Sinam inueniri, qui has aliter literas explicet; ita vero vehementer id diſtare a Noachi ſacrificio. 3. Argumentum a nomine petitum ſiculneum eſſe nec ſtringere: Noachum enim a tranquillitate dictum, antequam ſacrificaſſet. Quae vero 4. ex habitatione valde antiqua partium quarundam Indiae borealium concluduntur, non plus

e) Repetit. eas Hiſtor. uniu. Britannorum Tom. XXIV. Lib. XI. c. 2. §. 415 ſeqq. p. 599.

f) Ex. hiſt. Sin. Iuuencu pag. 125.

plus euincere, quam terram, quam Noachus poſt diluulum inhabitauit, non adeo remotam fuiſſe a Sinenſium regione, vt non mature coloniae deduci illuc potuerint, quod vero ipſo Noacho viuente factum eſſe ſine vlla verisimilitudine ſupponitur. Non vero 5. tempora concordare, quae, ſi vera eſſe debeant, quae de Fohio dicuntur, ſupra diluuii tempora aſſurgant. Quodſi 6. recordemur, Sinas tradere de Fohio, fuiſſe eum rudis et belluinis moribus viuentis populi magiſtrum primum, qui eos ad humanitatis ſenſum reuocauerit, apertiſſimum eſſe, Fohium cum Noacho eundem eſſe non poſſe, ſed ad ea tempora reiiciendum eſſe, quibus coloniae a filiis Noachi per Orientem ſparſae tandem veri cultus diuini omnisque rationis vſum amiſerunt. Id enim Noacho viuente fieri nondum potuiſſe, cum ab illo atque filiis eius viuentibus familiae eorum inſtitui rationis et reuelationis praeſidiis ſatis potuerint. Et haec nobis tunc quidem ſufficere poſſe viſum erat, quae incertis ſuſpicionibus et coniecturis de Noacho cum Fohio [illegible]m poſſent opponi. Vidimus poſtea eruditos auctores *Britannos hiſtoriae vniuerſalis* enumeratis iſtis rationibus, quibus plures adiecerant, his graviores addidiſſe, et imprimis monuiſſe[g], veroſimile non videri, ſi Fohius idem cum Noacho fuiſſet, annales Sinicos plane nihil de diluuio vniuerſali annotauiſſe[h]: ipſam quoque Fohii hiſtoriam apud Sinas adeo incertam fluctuare, vt ne ſatis quidem euinci exiſtentia huius conditoris gentis Sinicae et ſucceſſoris eius Sin nungh poſſit, et hiſtoria Sinica tantum a tertio rege Hoangti, initium faciat. Immo humanae ſocietatis diſperſionem ſatis euidenter toti humano generi tribui, cuius congregatio in planitie Sinear ſupponatur, quo pacto impoſſibile fuiſſe, vt Noachum Chinenſe regnum conderet. Additur his incertitudo et defectus notationum chronologiae Sinicae, cuius documenta certa ſideque digna vltra CCC. annos ante C. N. non exſurgunt. Vrſit idem eruditiſſimus DV HALDE[i], certum tempus, quo Fohius regnaſſe dicitur, eſſe incertiſſimum, qui videndus[k]. Poſſemus etiam ad traditionem Perſarum prouocare, qui Noachum mortuum eſſe et ſepultum in Perſia Nackſiuahni, vxorem Marantae narrant, ſi incerta incertis vel refellere vel firmare animus eſſet. Et his quidem nos, qui hiſtoriarum fidem, temporum harmoniam, et in incertis recenſendis modeſtiam libenter ſectamur, hactenus acquieuimus. Itaque non ſine ſingulari curioſitatis attentione nobis euenit, vt cum paucis ante annis operis incomparabilis *hiſtoriae vniuerſalis tomus XXIV.*[l] in vernacula noſtra prodiiſſet, in qua hiſtoria imperii Sinici maiorem eius partem prolixe et eleganter enarratur, obſeruaremus, virum illum doctiſſimum, cuius potiſſimum calamo iſta diſſertatio *de origine, antiquitate, chronologia nationis Sinicae*[m] conſcripta eſt, Schuckfordianam hypotheſin, qua Noachus ſub

g) Tom. I. pag. 255.
h) v. COUPLET praef. ad tab. chron.
i) Tom. III. p. 7. qui quoque Fohii circumſtantias T. I. p. 267. T. II. p. 345 ſeqq. fuſe attulit.
k) TAVERNIER. H. Perſic. pag. 30.
l) 1762. verſ. Germ.
m) Lib. XI. c. 2. pag. 597 ſqq.

Digitized by Google

ſub nomine Fohii tanquam conditor imperii Sinici ſupponitur, mira ingenii felicitate, differendi facundia, imaginationis ad luxuriam exuberantis efficacia et inuentiendi et excogitata pingendi arte expoſuiſſe tantaque copia et ſingularitate Noachi migrationem in Chinam depinxiſſe, vt, ſi poſſibile, ipſe comes eius in difficillimo iſto itinere fuiſſe cenſendus eſſet, adeo certam coniecturae fidem tribuit, adeo innumeras difficultates, aſſumtis hypotheſibus, remouere, adeo ſupponere poſſibilitates, de quarum tamen exiſtentia quaeritur, et in omnes ſe partes vertere edoctus eſt. Quae eruditionis et ingenii florentis laudem omnino poſtulant, quam aequiſſimo nos ei teſtimonio tribuimus. Aſt cum ex methodi logicae et hiſtoricae lege, regulisque fidei hiſtoricae argumentorum pondera examinauiſſemus, nihil deprehendimus, niſi hypotheſin, ex ſola poſſibilitate, et ne hac quidem rite probata, et coniecturis gratis et precario aſſumtis aedificatam, quam qui negat, totum illud aedificium corruit. Neque vero ſcopus ſcriptionis huius, neque inſtans huius vltimi Tomi finis, quem tantopere nundinarum terminus vrget, patitur, vt in his, quae longius a ſcopo noſtro abſunt, ex inſtituto excutiendis moram nectamus. Non poenitebit autem Lectorem, ad hanc diſquiſitionem diligenti examine mentem aduertiſſe et imprimis ea examinaſſe, quae acutus et ingenioſiſſimus hiſtoricus atque criticus, de emendandis et arctandis Sinenſium temporibus mira ſagacitate excogitauit, quae ſi non ſatisfaciant omnia, id tamen euincunt, totam hiſtoriae Sinenſis certitudinem euerti, niſi breuiores periodi in auxilium vocentur, et duratio quoque regni aliter, quam hucusque factum, definiatur. De qua difficili materia tamen hoc loco prolixis eſſe nobis non licet, qui Lectorem ad ipſas has origines Sinicas ex libro vbique parabili, facile eruendas ablegamus.

pag. 858. lin. 16. *Ille potiſſimum adeundus eſt.* Non omittenda, quae in DV HALDE *China illuſtrata, Vol. I.* [a] et in *hodoeporico Britannorum vniuerſali* [b] de his libris afferuntur, dictisque hoc loco prolixiora ſunt. Ex his ſcriptoribus memoriae quoque Confucianae poſſunt augeri.

Ibid. lin. 23. *Sinenſes perhibent.* Perhibebat Confucius, accepiſſe ſe ſapientiam ſuam a veteribus, maxime magno philoſopho Lao Pum, ſexcentis annis ſeniore. Ait enim in libro claſſico III. Lun Yu dicto [c], ſe praeconem tantum eſſe, et non auctorem doctrinae, quam palam faciat. *Credere ſe et amare antiquitatem, imitatum in ſe ipſo famoſum illum ſenem Pum, quippe qui prior veterum monumenta ſimili conatu poſteritati tradiderit.* Quae quidem ab omni veriſimilitudine non abhorrere, aſt nec certe dici in iſta rerum Sinicarum veterum confuſione, probe obſeruauit MOSHEMIVS [d]. Certe ſi quae ante Confucium apud Sinas philoſophia inua-

a) Eum pleraque mutuum accepiſſe ex DESMITIVS memoriis obſeruat Hiſt. vniu. Brit. l. c. pag. 232.

b) Tom. VI. pag. 323 ſeqq. Hiſtor. Vniu. Tom. XXIV. §. 304 ſeqq. pag. 417 ſeqq.

c) P. IV. pag. 36.

d) Theol. mor. P. II. c. I. pag. 330.

fuit, ea legislatoria fuit, et ad habitum aliquem philosophicum non attemperata, qualem nempe primos imperii monarchas sibi formauisse, et populis suis instillauisse omnino probabile, et exemplis barbararum gentium, imprimis orientalium confirmari potest. Qui vero coniecturam propiorem de philosophia Sinarum Anticonfuciana facere gestiunt, illis mores gentis vetustissimi, consuetudines regni, educatio iuuentutis atque scholae, leges variarum aetatum cum libris illis gentis canonicis atque sacris comparandae sunt, vt aliqualis cogitandi inter hanc gentem methodus et ratio definiri queat. Quae tamen, quod timemus, frustra vel sine laetabili successu suscepta, ingenia inquirentium vexant magis, quam eruditunt. Nam et libri isti antiquissimi et sacri luce et ordine carent, et nullo, quod sciat, fundamento nituntur.

pag. 859. lin. 1. *Qui consulendi.* Comparandi cum his LE COMTE[r], et DV HALDE[s], in notissimis de Sinensium Imperio enarrationibus.

pag. 859. lin. 10. *Editus in pago ceu ye.* Apud alios Kyo-Few-hyen vocatur.

Ibid. *Xo Ieham he.* Alii, Scho-Lyang-He, praefectus regni Song; matrem nonnulli Sching nominant, difficile est enim Sinensia nomina occidentalibus labiis et lingua exprimere.

pag. 860. lin. 13. *Proponere didicit.* Ex prima classe eminuerunt, Meng-Tse Kyen, Ien-Pe-Mycio, Schung-Kong et Yen-Ywen: ex secunda Tsay-Ngo et Tsu-Kong, ex tertia Ien-Yew et Ki-Lu in quarta Tsu-Yen et Tsu-Hya. Qui denarius alumnorum philosophiae Confucianae vel ideo in historia veteris orbis philosophica memorabilis est, quod ex eo constat, in extremis Asiae oris, scholam quandam Socraticae aemulam, melius et ad emendandos animos curatius attentam, sub iisdem fere temporibus non sine Dei prouidentia floruisse.

pag. 860. lin. 7. a fin. *Concionem dimitti.* Adiecta est *vitae Cardinalis Caroli Thomae Maillardi de Tournon, et relationi de iis, quae in vltimis V. mensibus vitae suae euenerunt*, quae *Romae 1711.* Italice prodiit et sequente anno in Latinum sermonem conuersa in Germania vulgata est, tabula aeri incisa, quae solenne sacrificium Confucii exhibet, et a *missionario quodam Apostolico e China Romam transmissa* fuit, vna cum *expositione ceremoniarum, quae in solenni sacrificio Confucii exercentur.* Ex qua icone et adiecta descriptione ritus illi omnium optime et perspicue intelliguntur totique famosissimae controuersiae lux accenditur. Hoc Σχέδιον consulendum est, et adiungenda *historia cultus Sinensis* tribus voluminibus edita; qui in hoc argumento acutius cernere cupiunt. Res enim ad annales sacros pertinet, non philosophicos, hincque inhaerere illi non licet.

pag.

r) rel. Sin. pag. 198. s) pag. 415.

pag. 863. not. p. col. 2. lin. 9. *Religioſus apud Sinas eſt.* Poteſt hoc B. Moshemii temperamentum huius controuerſiae illis non valde diſplicere, qui recogitant, ex veteriſſimarum gentium theologia, nos multoties demonſtrauiſſe, ſyſtema emanatiuum omnem fere terram habitabilem olim occupauiſſe, et omnem omnino religionem reuelatione carentem, atque idololatriam genuiſſe: nec dubitamus id de antiquiſſimorum Sinarum religione et ſyſtemate theologiae a Fohio nationi ſuae commendato et praeſcripto pronuntiare, cum eaedem rationes, quae circa alias gentes et nationes id euincunt, eaedem apud Fohium quoque obtineant, et ſacrificia coeleſtibus ſpiritibus ab eo oblata id luculenter confirment, et figmentum de Noacho eludant. Quo ſuppoſito neceſſe erat ſtatuere: fontem infinitum et ſupremum coeli i. e. omnium perfectionum dominum, poſtquam ex eo rerum omnium facies prodiit, ſpiritus ex ſe proſeminaſſe (ſit venia verbo emanatiuo) varios, variorum graduum, perfectionum, potentiarum hosque ſuo influxu ſecum concatenatos praefeciſſe mundo, maxime vero imperio Sinenſi, quod velut centrum regni diuini, et auguſtiſſimam eius partem ſuſpiciebant. Et hos quidem ſpiritus emanatiuos coeleſtibus et terreſtribus rebus praefectos tantum emanationis et potentiarum ad regendum coelum et terram, et imprimis diuinum Sinarum imperium accepiſſe, (neceſſitate emanationis, an voluntate fontis ſupremi, incertum, et probabile homines ſimplices et rudes de hac quaeſtione non cogitaſſe) vt influxus inde in coeleſtia, terreſtria, diuina, humana, perfectionem orbis efficeret: hos itaque emanatiuos ſpiritus ex diuino ſummoque fonte, quem in profundo latere, et inacceſſibilem eſſe, tota fere antiquitas aſſerult, profluentes diuinae eſſentiae partem quandam nactos eſſe ſtatuebant. Cum autem in conſeruando imperio Sinico maximum perfectionis coeleſtis ſpecimen verſari et ad illum finem totum cultum diuinum et ciuilem referendum eſſe crederent, ſapientia autem et architectonica conſtituendae et regendae ciuitatis arte fieri imperium felicisſimum prudenter affirmarent; illos quoque, qui hac ſapientia ad perfectionem hominum et imperii felicitatem neceſſaria prae reliquis erant inſtructi, ex meliori ſui parte poſt mortem propius ad emanationis ſuae ordinem euehi, adeoque ad iuuandam ſua prudentia viuentium cauſſam magis idoneos, praeſentes vtuentibus fieri, et pro ratione gradus, quo ſupremo fonti ſiue ſpiritui coeli et terrae connectebantur, vtiles et benignos eſſe concludebant, et velut ſpiritus mediatorios diuerſo modo colebant. Et in horum numero Confucium poſt mortem habitum eſſe credibile, cuius anima ſapientia ciuili plena et euecta ad coeleſtes choros, in thronis ſiue cathedris pro ea conſtructis appareat et ſapientia ſua cultores inſtruat: dignus propterea, qui ob ſingularia in prudentiam Sinicam merita illa veneratione et cultu excipiatur, qui ſpiritibus his debetur, quemque religionis partem efficere, nemo negabit, niſi qui neſcit, quid ſit religio. Ex his vero, quae nemo facile veterum

ſententiarum et doctrinarum gnarus temere inficias ibit, non difficile eſt, de cultu demortuorum, maxime eorum a quibus viuis beneficia homines in terra relicti accepere, v. c. parentum, prudenter ſtatuere: Veriſimile quoque, ſi praedictam theologiam emanatiuam ſupponamus, habitum quoque eſſe cultus et reuerentiae reſpectum eorum, quorum maior erat in vita animae praeſtantia; illi autem catenae ſpirituum adſcribendam eſſe publicam et priuatam perfectionem, id eſt, felicitatem. Quo pacto euidens nobis eſſe videtur, hunc demortuorum cultum ſine religioſa veneratione ſtare non poſſe. Hoc Chriſtianis ſyſtema, ex quo hic cultus profluxit, an dignum ſit, illis examinandum et decernendum relinquimus, qui ſummi numinis cultum caſte proſequuntur, et quae impietas in ſyſtemate emanatiuo lateat, intelligunt. Quare a priſtina ſententia diſcedendi cauſſam nullam videmus.

pag. 865. lin. 2. *Leibnizius et Kortholtus.* Addimus his auctorem commentarii *ad ceremonias populorum religioſas* [f], qui longe poſt Confuclum corruptam et in deteriorem ſenſum detortam eſſe religionem maximi philoſophi contendit, rationes tamen non addit.

pag. 869. lin. 6. *Examinare ſine praeiudicio rem ipſam malunt.* Plurimum de his meritis Confucii non modo inter eccleſiae Romanae adſcriptos, viros doctos diſputatum eſt, ſed inter Proteſtantes quoque, ex quo Confucianam ſapientiam ad perfectionem et felicitatem, etiam ſine manifeſta cognitione vel DEI vel prouidentiae ducentem, tanquam perfectiorem multo et elegantiorem ſyſtematis moralis ideam depraedicauit illuſtris Wolfius et multae ac diuturnae de hac quaeſtione contentionis occaſionem fecit, quam cum ſupra ſuo loco enarrauerimus, hoc loco iterum tangere opus non eſt. Conſideranda tamen tota iſta controuerſia, qua facile in hiſtoria philoſophica caruiſſemus, ſi ita viſum fuiſſet vtriusque partis *περιοχεις*, et diſcendum inde, quot difficultatibus, quot obſcuritatibus, quot fluctuantis et incerti ingenii contentionibus obnoxia ſit hiſtoria philoſophica, ſi prudentiae rationalis et moralis cancellis non conſtringatur, et vanis liticulis portam aperiat affectus importunitas.

pag. ead. lin. 15. *Eum cum Rooſi Iaponenſium.* Niſi Rooſi hunc eundem cum Confucio eſſe malis, quod multis placuit.

Ibid. lin. 14. *Prodiiſſe fabulantur.* Inde nomen accepiſſe Laotanum *Lanzii*, ſiue philoſophum ſenem, tradit MARTINIVS [t], fabulae originem deriuat SPIZELIVS noſter [u] e numero nouenario, qui cum a Sinis pro perfectiſſimo habeatur, et noules in ſe ductus octoginta et vnum colligat, hinc naturam etiam tot annis in productione hominis illius ſupra vulgarem modum ſapientis laborauiſſe illi dicant. Appellatus quoque eſt nomine *Lau-tſe* ſiue puer ſenex, quod canis capillis puer naſceretur, quod obſeruatum apud DV HALDE [x], ex cuius narratione, quam plerique Sinarum hiſtorici tangunt, patet, fabulis valde incruſtatam pictamque fuiſſe

f) P. III. p. 63. ed. Helu.
t) Lib. IV p. 117.
u) De re liter. Sin. Sect. VII. p. 113.
x) Tom. I. p. 649.

Digitized by Google

ſe eius hiſtoriam, quarum naenias hic repetere, eſſet otio lectoris et patientia noſtrisque limitibus abuti. Scripſit vitam celebris inter Sinas philoſophi, philoſophus ex ſecta literatorum *Chin*, cognominatus, cuius partem exhibet ex verſione *Dentrecollii* Ieſuitae Du Haldiana Sinarum hiſtoria [y], ex qua ſummam rei ſtrictim enarrant *compilatores itinerariorum Britanni* [z], ad quos, cum opus elegans et vaſtum, etiam in Gallicam et Germanicam linguam translatum ſit, lector ipſe, veteratorum veterum impoſturas ſcienti auidus hauriet. Qui ſi meminerit, ſtudio Sinas res ſuas antiquitatis et θαυμαστῆ fuco commendare, facile de fide iſtarum traditionum ferre poterit ſententiam. Iniit Laotan colloquium cum Confucio, et cum eo de reuocandis veterum moribus, diſciplina et literatura conſultando, cum antiquarum doctrinarum haud leuem notitiam haberet, emendare maxime regulorum, quos Mandarinos vocant, mores et officia iuſſit. Et ad hanc emendationem reſpexiſſe videtur libro prouerbiali in vrbe Cheus-ſche conſcripto, qui quinque παροιμιῶν millibus conſtitiſſe dicitur. Quem tamen ſolido fundamento caruiſſe Chin biographus obſeruat, eo quod vitam omni actiuitate priuando, cuncta eſſe inania et a mentis deſiderio ſatiando aliena profiteretur, etc. de quibus ſimilibusque eius philoſophumenis longe a ſolida ſapientia remotis ex laudato ſcriptore Sinico conſulenda eſt Haldiana Sinicarum rerum hiſtoria [a]. Tanta vero de eo in hac gente opinio eſt, vt poſt mortem ſuper omnes coelos elatus trinitati eſſentiarum puriſſimarum adnumeraretur. Ex quibus character philoſophiae Sinicae veteris ad impoſturam vergens facile Lectori attento ſubolebit. Dicemus hanc ſectam otioſorum et nihil agentium, et virtutem tamen vehementer commendantium, calcem ſine arena.

pag. 870. lin. 13. a fin. *Valde conqueſtus fuiſſe dicitur.* Iam finieramus opus hoc hiſtoricum, et prelo deſtinaueramus, cum egregius iam tum et inſigni literaturae veteris notitia ornatus, tunc adhuc iuuenis Io. Benedictvs Carpzovivs, quem inſignia de omni eruditione ſacra et profana merita poſtea ad cathedram theologicam academiae Iuliae et Abbatiam Mariauallenſem extulerunt, quamque Spartam vt diu ornet, merito precamur, elegantiſſimum libellum Lipſiae cIↃIↃccXXXXIII. ederet, quo *Memcium*, ſiue *Mentium Sinenſium poſt Confucium philoſophum O. M. ex tenebris in lucem* protraxit, dignum, quem ob elegantem eruditionem et breuitatem cum perſpicuitate coniunctam totum Lector harum notitiarum exoticarum cognoſcendarum auidus perlegat. Non enim ex ſolis narratiunculis, ſed ex ipſis Memcii ſcriptis a Noellio editis, eiusque praefatione exque Covpleti et ſociorum *obſeruationibus*, Menzelii *chronologia Sinica*, Spizelii *re literaria Sinenſium*, ſimilibusque fontibus Memcianam memoriam in hiſtoria philoſophiae exoticae iucunde et diligenter renouat. Quo facem praeferente paulo plenius hunc Confucianae ſapien-

y) loc. cit. p. 665. z) Tom. VI. p. 357. a) loc. cit. p. 669.

ſapientiae alumnum nouimus. Potiora, ne abeamus ἀσύμβολος huc redeunt. Erat philoſopho domeſticum nomen Ko, aut Mem-ko, quod Iaponenſes, teſte KAEMPFERO [b], in Moofi commutauerunt. Natus eſt in regno Tſeu vel Chu tunc dicto, quod hodie Xantum audit, ex illuſtriſſima gente Mem-ſun anno ante N. C. CCCLXXI. imperatore Sinarum Hie-uam, annis poſt Confucium ſeptem ſupra centeſimum. Enutritus diſciplina Confuciana a praeceptore Tſu-ſu, (qui ex ſchola Tſem-ſu prodierat, vt hic ex Confucii) tanti ſapientiae doctoris praecepta diligenter hauſit, collectisque theſauris philoſophicis, iter literarium inſtituit, eo, vt videtur, animo, vt Confucium imitaretur, et ſe gentis moribus emendandis accingeret. Profectus igitur ad regni Cy monarcham Siuen-uam, cum ſpe fruſtraretur, nec regis animus mutaretur, ſeptem regna eodem ſcopo intentus peragrare conſtituit, bellicis autem tumultibus impeditus eſt. Ideo reuerſus in patriam Chu, ſcholas aperuit, diſcipulos non plures nactus quam ſeptendecim, quibus ſapientiae Confucianae myſteria explicuit: libros quoque claſſicos Sinenſium, et annales Imperii ad normam Confucianam emendauit. Id quod ſuſceptum ab eo illam ob cauſſam memoriae Sinenſium literariae referunt, quod valde in contemtum et obliuionem eſſet adducta Confuciana ſapientia; haud pauci quoque, quam non recte intelligebant, perperam interpretarentur. Quibus cum ſe Memtſii praeceptor Tſu-ſu oppoſuiſſet, qui ſinceram ſeruauerat doctrinam Confucii, mirum non eſt, Memtſium ex eius diſciplina progreſſum, eam felici euentu reſtituiſſe. Aduerſarios autem expertus eſt philoſophos Yam et Me, quorum haud exigua apud ſectatores ſuos fuit auctoritas; quorum clamoribus cum contemtus quidam Memtſii inter Sinas acceſſiſſet, eo quod nulla dignitate, nullo magiſtratu fulgebat, valde induſtria Memciana in prouehendae philoſophiae ſtudio ſufflaminata eſt. His enim cauſſis impeditam Memcii diligentiam ſcriptores Sinici adſcribunt. Suſpicamur autem, fuiſſe hos philoſophos ex ſecta Li Lao Kiun, quam vehementer Confucianae ſcholae fuiſſe aduerſatam, magna vero auctoritate inter Sinas viguiſſe, ſupra obſeruauimus. Quod itaque viua voce efficere non poterat, ſcriptis commentariis Confucianis obtinere ſategit, feliciore longe euentu, magnam inde et apud Sinas et apud Iaponenſes laudem meritus, adeo vt poſt Confucii ſcripta, libri eius ſecundum locum obtinerent. Inerat enim viro erudito acumen ingenii et imprimis facundia, qua Confucium ſuperaſſe COVPLETVS ait, vitae autem innocentia et morum probitate multum ei conceſſiſſe: aliis tamen aliter de eo pronuntiantibus. Eminet memoria Memcii libris quatuor *Su-xu*, ſiue interpretatione librorum quinque claſſicorum, quos auctoritatem claſſicam inter Sinas et Iaponenſes obtinuiſſe, ſupra memorauimus. Ipſum opus, quod Meng-tſe, i. e. *liber Memcii* vocatur, in partes duas diſpeſcitur, quarum prior ſex capita, poſterior octo continet, quo philo-

b) Hiſt. Iap. T. II. p. m. 71.

Digitized by Google

philoſophus patriae amantiſſimus, bella ciuilia, quae tunc inualuerunt, ſopiturus pacis et concordiae conſilia ſupra belli vires eminere, eaque virtutis exemplis prouocanda eſſe docuit, methodum dialogiſticam ſecutus. Quae vel ex compendio Haldeanae hiſtoriae inferto[c], vel ex editione *ſcriptorum Memcianorum*, quam debemus FRANCISCO NOELIO diſci pluribus poſſunt. Tanto autem in pretio fuerunt apud Sinas, vt, cum imperator Ching edicto publico libros omnes Sinicos comburi iuſſiſſet, anus quaedam, veneratione ſapientiae Confucianae ducta, ſcripta Confucii et Memcii paginis diuiſis ad domus parietes agglutinans, tantos ſapientiae Sinicae theſauros ab exuſtionis fato liberaret, et poſteritati conſeruaret, quos Noëllus Ieſuita miſſionarius ex Sinico in Latinum ſermonem, quamuis ſaepe numero barbarum conuerſos *Pragae MDCCXI.* forma quarta typis vulgaret. Qui iudicium philoſophi *Tam* in prooemio attulit, monentis, *totum eum librum eo ſemper ſpectare, vt homines doceat cor ſuum dirigere, regere, colligere, cuſtodire, naturales virtutes colere et alere, prauas animi cupiditates temperare ac frenare.* Vbi *de pietate, aequitate, honeſtate, prudentia* differit, *aſſerere* eum, *cordis munus eſſe, alienorum malorum miſereri, propria vitia erubeſcere, modeſtiae et vrbanitatis leges ſeruare, honeſtatem a turpitudine diſcernere.* Docere porro *falſa dogmata et errores oriri ex peruerſi cordis malitia et bono regimini vehementer nocere* etc. Tantae autem exiſtimationis et auctoritatis libri Memciani apud Sinenſes ſunt, vt, qui ad literatorum gradus laureasque adſpirat, hunc cum reliquis tribus Confucianis, qui Tetrateuchum conſtituunt, memoria teneat neceſſe ſit. Sed nec reliqua Memcii ſcripta, quae ordine recenſet ven. CARPZOVIVS, laude carent, et magni in hac gente fiunt, de quibus tamen hic prolixius differendi locus haud eſt. Quam exiſtimationem vero an mereantur, Lectoris ea examinantis relinquimus iudicio, non confidenter ſatis iudicio miſſionariorum ex ſocietate Ieſu freti, monemus autem iudicaturum, vt cogitet, Sinicas has commentationes ſcriptas eſſe exoterice, et nec cum libris Graecorum artificioſe conſcriptis nec cum Europaeorum meletematibus ratione methodi comparandas, Sinicosque hos ſcriptores magis argumenti vbertate et monitorum atque praeceptorum, maxime ad rempublicam relatorum vtilitate, quam occidentalis philoſophiae accuratione eſſe metiendos. Certe ad genium orientalium populorum attentis mirum non videbitur, quod progenies Memciana iure et dignitate Mandarinorum, vt Confucii et Laontani floreat. Obiit Memcius anno aetatis octogeſimo quarto ante C. N. CCLXXXVII. cycli Sin. XLI. anno nono.

pag. 871. lin. 19. *Suisque locis minime poſita appareant.* Supra iam ad hanc iacturam fataque librorum Sinicorum prouocauimus, contendentes, incertum eſſe, quod libri gentis hodiernum ſuperſtites ad antiquitatem tempo-

c) pag. 415.

temporis Fohiani assurgant, postquam tam tristem deletionem passi sint. Et isto quidem ardete euerti posse, quicquid de Noacho sapientiae Sinicae parente imperiique conditore eodem cum Fohio primo eorum rege ex coniecturis solet adferri, ostendimus. Occurrendum vero his esse huius sententiae patroni [d] facile videbant, sicque omnem fidem antiquissimae historiae Sinicae labefcere sentiebant. Quem ictum vt auerterent, monuerunt, non ad libros classicos tantopere sacros et in hac gente venerabiles istam deletionem pertinere, sed ad solos historicos minoris momenti, quos imperator perhorrescebat, extendendam esse, cum incredibile sit, in quauis prouincia regni, omnes omnino subditos patienter libros suos tantae auctoritatis et opinionis igne delendos tradidisse, et in remotioribus prouinciis, verisimile, multa adhuc exemplaria ignem euasisse, vel in minoribus regnorum partibus imperatori tunc nondum subiectis non obseruatam istam seueritatem, nec suffecturum tempus vitae regis, vt omnia exemplaria delerentur. Quosdam etiam subditos libros classicos tanta felicitate memoria fuisse complexos, vt etiam sine literis totos possent memoriter recitare. Facile autem fuisse reparatori istius damni Vu-ti aliquot exemplaria in tam amplo regno superantia, detegere, et sumtis ex vno exemplari apographis multis iacturam istam resarcire. Ingenioſe haec dici et ad fallendum lectorem perquam commode fatemur: ast non satisfaciunt legibus fidei historicae, quas praescribit ars rationalis, et ad comparandas inter se et expendendas rationes applicat attentio. Nam in hac obseruatione, docta quidem et eleganti videmus opponi testimoniis domesticis, antiquis, fide dignis, et a nemine in dubium vocatis, qui rem scire potuerunt, et dicere verum voluisse censendi sunt, nudas possibilitates, factisque suspiciones et coniecturas, adeoque mutari statum controuersiae armorumque genus, quod certe cauſae non satis bonae solet esse indicium. 2. Quae vt melius tegantur, premitur silentio vera quaestio, qua non de sublatis libris historicis omnibus, sed iis tantum agitur, qui moribus et vitae principum praescripti erant, quales sunt liber Xu-kim, liber Xi-kim, liber Chum-Cieu in Pentateucho, et plerique in Tetrateucho, eos ab imperatore, vbicunque inueniri possint, comburendos iussos esse asserit. Id vero non adeo difficile, quam obseruator quidem ob magnam exemplarium per vastissimum regnum multitudinem putat. Non enim libri illi classici ab omnibus legebantur, vt sanctissimus noster codex sacer in omnium christianorum manibus est, sed a literatis tantum, quorum peculiare studium erat theologia et ethica ista historica. Ideo isti libri classici non per omnium hominum manus distribuebantur, sed ob raritatem et caritatem opus erat molestissimo laboris et studiorum genere, eos memoriter edisscere, adeo vt ne quidem doctoris vel licentiati dignitatem quis capessere posset, nisi eum hoc pacto vindicasse sibi fecisseque proprios demonstrauisset. Nempe ita auctoritati

d) Hist. vniu. T. XXIV. p. 626.

ctoritati et venerationi non librorum tantum iſtorum, ſed diſciplinae quoque regiae, quae in iis continebatur, quaeque cuſtos atque vinculum fuit imperii artisque regnandi, conſulebatur. Quod probe perſpiciens Sec. III. ante C. N. Hoam-thi ſiue Ching imperator ſeruitutis huius pertaeſus, cum proprio ingenio regnare, proprio Marte imperare, nec ſe regulis et exemplis veterum ſubiicere conſtituiſſet, ad vniuerſalem eiusmodi παιολεθρίαν progreſſus eſt. Quae eo facilior ei fuit, quo magis ſublata iſta myſteria ex templis et gymnaſiis, vbi aſſeruabantur ſancteque cuſtodiebantur, ſuam quoque auctoritatem ita amittebant, nec auderet quisquam periculo vitae monitus ea producere. Magnis enim poenarum minis iſtam deletionem librorum ſacrorum vallatam fuiſſe, et ſeueriſſimis mandatis munitam, recte ex ingenti ſtudio Sinenſium, iſtos libros vel perdendi, vel oculis tamen ſubducendi omnino debet colligi. Hos euentus cum αὐτόγραφα haberent, eo minus ἀπογράφοις parcendum eſſe iudicabant theologi et iuriſconſulti Mandarini Sinenſes, eo quod eorum vſus et auctoritas publica exſpirauiſſet. Quibus rationibus vno faſce collectis ingens argumento a teſtimonio deſumto robur accedit. Non negamus tamen, eſſe veriſimile hoc incendium vniuerſale librorum Sinicorum, quaedam exemplaria euaſiſſe, inuentumque poſtliminio vnum vel alterum, quod priſtinum textum exhiberet, et ex quibus deinde noua ἀπόγραφα poſſent deſcribi. Sed quis nobis vades eſt, et genuina illa, et integra fuiſſe, nihilque corruptum, et ex ingenio reſtitutum? quis auctoritatem fidemque illis comparauit, vt αὐτογράφων inſtar haberentur? Tandem monendum quoque, non impoſſibile eſſe, vt ſeuera magiſtratus regii, ſupremorumque imperantium iuſſu libri comburantur, qui ideo per longum tempus adeo memoria excidunt, vt de eorum exiſtentia dubitetur, quamuis multa ſimul exemplaria per artem typographicam vulgata ſint: cuius ipſi nos alio loco *e*) memorabile exemplum attulimus, libri per ducentos annos inter fictos et non exiſtentes relati, quod igne deletorio inquiſitionis omnia exemplaria eſſent ſublata, donec paucis ante annis curioſorum ſtudio tria tandem per Europam, quae ſuperabant exemplaria detegerentur. Quae omnia id certe euincunt, hanc cladem literariam Sinenſium librorum ingenioſis ratiunculis non tam facile poſſe eludi. Neque tamen haec omnia ad Pyrrhoniſmum quendam hiſtoriae Sinenſis incruſtandum dicta eſſe volumus, credimusque libenter, cum tanto ſtudio libros illos claſſicos memoriae imprimere oportuiſſet, accederent autem exemplaria nonnulla, ex abditis ruderibus tandem eruta, euenſſe, vt ſi non omnis ordo atque ſeries, attamen res ipſae reuocatae, librique ſuo modo in integrum reſtituti ſint. Cuius nobis ſatis validum argumentum eſt, quod exemplaria reſtituta priſtinam apud nationem auctoritatem ſibi iterum vindicauerint. Quae hoc loco

e) Conf. Hiſt. vniu. T. XXV. p. 39. ex Martinio et Du Halde.
f) Mitcell. P. II. obſ. 4. p. 323 ſeqq.

ad ſupplendam *p. 871. not. e.* obſeruationem noſtram referri quoque debent. Accidit hoc literaturae Sinicae fatum anno ante C. N. CCXIII. et ſequenti.

pag. 870. lin. 3. a fin. *Thienhenus.* Leg. Thien-heng. Locus MARTINII extat *hiſt. Sin. L. VI. p. 210.* ita enim *not. c.* emendandum.

pag. 871. lin. 6. a fin. *Quam COVPLETVS.* Poſt eum dignus eſt, vt comparetur, qui de inſigni hoc impoſtore, et fortuna ſectae eius in Sinenſi regno multa attulit Ieſuita DV HALDE, quem ſecuti ſunt *collectores itinerariorum*, et *hiſtoriae vniuerſalis Britanni.*

pag. 872. lin. 17. *Antea non perſonuiſſe.* Prouocaſſe dicitur Foë ad doctorem quendam ſeniorem, Sinis O-mi-to, nomine, Iaponenſibus Amidae appellatione notum, quem in Bengalae regno hominibus apparentem, tantum ſanctitatis gradum attigiſſe narrant, ſuperabundantem meritis, vt in hoc ſolo remiſſionem peccatorum omnium obtineri credant. Hunc cum Foë, coniunctum O mi-to, Foë inuocant, et ad hunc purgationem animae ita referunt, vt ad eum fontem reuocata, hunc ſolum ſeruatorem accipiat. Quae quidem ab infernali mendacii parente, ad deſtruendam praeſtitam a diuino Saluatore purificationem a peccatis diſſeminata fuiſſe, dubium non eſt, dubitandum tamen vix eſſe videtur, ἀνοδον ſyſtematis emanatiui, abſorptis ſordibus omnia ad ſuperiora reuocantem verum fontem impuri huius dogmatis praebuiſſe. Et his forte innituntur omnia, quae de ſectae Foënae ſacerdotibus, Bonzios vocant, eorumque cultu diuino referuntur, et ab iisdem auctoribus deſcribuntur, quae merito in hac dogmatum veterum διατυπώσει praetermittimus, cum ad religionis hiſtoriam pertineant.

pag. 874. lin. 24. *Spiritus et animae nomen illi vindicari poſſe.* Monemus hoc loco Lectorem, vt ſyſtema cabbaliſtico-emanatiuum recogitet, conuincendus, eosdem fontes vtramque impietatem habuiſſe in naturam Dei ſumme iniuriam.

Ibid. lin. 7. a fine. *Studium iſtud Ieſuitarum ſe commendauerit.* Potiores libros ſummamque huius partis H. E. Sinenſis ſtrictim complexi ſunt clariſſimi Theologi I. F. BVDDEVS et I. G. WALCHIVS *g*, qui conſulendi. Simile breuiarium quoque legimus in *collectione hodoeporicorum Anglicana h*, quod narrationem Ieſuitae DV HALDE *i* ſecutum eſt. Addenda his *hiſtoria vniuerſalis k* diligenter quoque, ſed ſtrictim in eo argumento verſata. Quae tamen omnia hiſtoriae eccleſiaſticae enarratoribus relinquenda ſunt. Nobis enim ſufficit, quae de philoſophia Sinenſium ancipite lite diſputata

g) Introd. in controu. relig. P. I. c. 3. §. 11. p. 276 ſeqq. P. II. p. 972. His addendus II. FABRICIVS in ſalutari luce euangelii toti orbi exorienti, c. XXXIX. p. 651 ſeqq. qui plerosque in hac cauſſa ſcriptores adduxit.

h) T. VI. L. XV. c. 2. §. 2. p. 396 ſeqq.

i) Chin. T. II. p. 1 ſeqq.

k) Tota narratio Tomi XXIV. c. 1. S. II. p. 215 ſeqq. de religione Sinenſium legenda, eſt perſpicua ſatis, docta et ſummam argumenti elegantер complexa, comparanda cum Hildei hiſtoria, cuius loca indicat. Nobis enim non licet eſſe tam prolixis.

Digitized by Google

diſputata ſunt, ita conſideraſſe, vt quid de ea ſtatuendum ſit, cui fides habenda, Lectori prouido conſtare poſſit. Quem ſcopum nos attigiſſe iudicauit HEVMANNVS [l], in his ſatis attentus.

pag. 881. lin. 16. *Plurimum Europaeorum ingeniis Sinas concedere.* Non incommode obſeruatum eſt auctori diſſertationis, de eruditione Sinenſium, quae inſerta eſt *tomo VI. collectionis itinerariorum Anglicanae* [m], non denegata quidem ingeniis Sinarum eruditionis ſemina et naturalem quandam diſcendi capacitatem, aſt parum tamen profeciſſe in ſcientiis, maxime theoreticis, meditationem et ratiocinationem poſcentibus et ex quarum vſu nulla merces operae expectanda illis videtur in ſocietate ciuili: ſed ad eas tantum reſpicere, quae in republica commendationem et vtilitatem prae ſe ferunt, ideoque linguae atque hiſtoriae patriae, legum publicarum, morum et ciuilis prudentiae cura tantum duci: reliquas diſciplinas, ſine quibus conſtare viuendi ratio commode non poteſt, i. e. arithmeticam, geometriam, aſtronomiam, geographiam et reliquarum diſciplinarum mathematicarum ac medicinae culturam ex vſu, quem habent, metiri. Vnde occaſionem nactus, de ſcientiis practicis Sinarum diſſerendi, pleraque de ſtatu eruditionis inter eos coaceruat, quae reſultae et imprimis Le Comte et Du Halde, nobis deſcripta tradiderunt. Sed legenda quoque et comparanda cum hac tractatione erudita RENAVDOTII *de ſtudiis et eruditione Sinenſium* diatriba [n], quam cum annotationibus Germanice quoque legendam dedit ὁ πάνυ HEVMANNVS. Ea enim inſtar σοφῆς φαρμάκης contra praeiudicium peregrinitatis Sinicae adhiberi poteſt, ne veritatem hiſtoriae ſupprimat peregrinarum rerum etſi tenuium admiratio. Certe de huius gentis philoſophia apparebit, non male ſcripſiſſe SCHVKFORDVM [o], *Sinenſium hodiernorum philoſophemata, eſſe nugas et naenias pueriles.*

pag. 882. lin. 11. *In confeſſo eſt.* Videnda DV HALDE [p] *deſcr. Chinae*, ex quo ſua tranſcripſere *collectionis hodoeporicae auctores* [q]. Quod tamen non ita intelligendum, ac ſi omni ratiocinationis artificio priuati nec logicam quidem et metaphyſicam naturalem ſecuti fuerint: cuius contrarium ex eorum tractationibus demonſtrari poteſt, maxime in argumento politico. Sed debent pleraque naturae, vſui, multa quoque didicerunt ab Europaeis.

pag. 890. lin. 16. a fin. *Ab eo moriente deſignatus.* Legenda vita celebris Miſſionarii in *bibliotheca ſocietatis Ieſu* [r], ex qua, quanta auctoritate per dimidium fere ſeculum miſſioni praefuerit, et quam facile illi fuerit,

l) Vid ad hiſt. lit. c. IV. §. 74. p. 236. qui addit MENON BAINGIVM de praerogatiuis imaginariis literarum Chinenſium, nobis non viſum.

m) loc. cit.

n) Extat cum notis HEVMANNI act. phil. T. II. p. 717 ſeqq. conf. Act. erud. Suppl. T. VII. p. 225.

o) Herm. ſcr. S. et prof. T. I. praef. p. 20. ed. Germ.

p) P. II. p. 124 ſeqq.

q) T. VI. p. 316. et Hiſt. vniu. T. XXIV. §. 347 ſeqq. p. 491. quae legenda.

r) pag. 631. et Rom. 1675.

rem Sinenſium literariam et eccleſiaſticam perſpicere. Digna eſt praefatio libelli Longobardi, ex qua intelligatur, quantum temporis et laboris impenderit, vt fundamenta Sinenſis theologiae vera et plana cognoſceret.

pag. 899. lin. 4. a fin. *Dogmata fere omnia ſua hauſiſſe.* Magna verisimilitudine ſe commendabit hoc Croſaei aſſertum illis, qui doctrinam Aegyptiorum, qualem in *Pantheo Aegyptiaco* [s] delineauit IABLONSKIVS comparauerunt, et ex eius obſeruatione norunt, ſyſtema Aegyptiacum cum Stoico quoad fundamenta phyſiologica amice conſpirare. Vnde hanc quidem conuenientiam ſyſtematis Sinici cum Stoico nemo mirabitur, qui origines eius Aegyptiacas detexit. Ad quas ſi comparando accurate attenderit Lector, ſperamus fore, vt totus de noſtra explicatione ſyſtematis Sinici metaphyſica conuictus abeat. Ex originibus enim ſyſtematum potiora eorum lumina deriuari poſſe, quamplurimis exemplis nos docuit hiſtoria philoſophica, modo caueamus a peruerſo conciliandi diuerſas ſententias ſtudio, quod imprimis hiſtoriam dogmaticam Sinenſium miſere corrupit.

pag. 900. lin. 20. *Ex phyſiologia Sinica a Longobardo adducta facile peti poſſunt.* Conferre poſſunt, qui plura de naturalis philoſophiae placitis apud Sinas ſcire cupiunt, LVD. LE COMTE [t] et DV HALDE [u], et quae ex his tradidere *compilationes Anglicae hiſtoriae vniuerſalis et exoticae.* Ad hanc ſpecialem tractationem enim vberior explanatio reiicienda eſt.

Ibid. lin. 22. *Eos cumulant.* Locus hic eſſet de ſyſtemate Sinarum tum phyſiologico, tum ſemiotico, quod mira ſubtilitatum inanium arte ex ſanguinis pulſibus conſtruxerunt, multa afferendi, docendique quam nugax illud ſit, et quam ſolidas rationes habeant, qui medicinam Sinenſium contemnunt: ſi id ea breuitate poſſet enarrari, quam noſtra tractatio poſtulat, ſique id ad hiſtoriam magis philoſophicam, quam artis ſalutaris pertineret. Curioſi tamen harum rerum quantum ſatis eſt, ex laudato CLEIERI libro *de medicina Sinenſi* diſcent, maxime, ſi quam DV HALDE [x] ex *libro Sinico* exhibuit deſcriptionem *myſterii pulſus* comparauerint. Qui hiſtoricus omnino legendus eſt, vt totus medicinae Sinicae ratio intelligatur, et manibus palpetur, quam longe adhuc remoti ſint a medicinae rationalis cognitione medici Sinenſes, et quam multa ſtudioſe ſectentur, quae ad circumforaneam circulatorum medicinam pertinent: hoc loco non quaerenda [y]. Ex quibus deinde iudicandum eſt, num circulatio ſanguinis, multis ſeculis antequam occidentis medicis inno-

s) P. I. L. I. c. 2. §. 6. p. 38 ſeqq.
t) loc. cit. p. 213.
u) loc cit. P. I. p. 305.
x) T. II. p. 184 ſeqq.
y) Integra ſectione erudite et cum iudicio de medicina Sinenſium agitur in Hiſt. vniu. Tom. XXIV. L. XV. c. 1. ſ. 7. p. 584. Deeſt nempe Sinis medicis cognitio anatomiae et hiſtoriae naturalis, quam ab Europaeis diſcere potuiſſent, niſi ſuperbia et praeſumtio de ſua eruditione non obſtitiſſent.

Digitized by Google

innotuit, ipſis nota fuerit [a], quid de inoculatione variolarum, quam Sinenſibus Ieſuitae tribuunt [a], deque aliis ſanandi remediis ſtatuerint, quae, vt ſimilia omnia, ſi peregrinitatis praeiudicium tollitur, parum ſingularis gloriae medicinae Sinenſi acquirunt.

pag. 902. lin. penult. *Inconcuſſum ſtare potuerit imperium Sinicum.* Eleganter id et acute ſatis longa digreſſione demonſtrauit B. MOSHEMIVS [b] ab iis attente legendus, qui hanc practicam philoſophiae Sinicae faciem altius rimari et expiſcari cupiunt, quaeque multa habent, architectonicam regendae nationis Sinicae ſapientiam depingentia: dolemus autem, ea noſtra vernacula ſcripta non ab omnibus legi poſſe, et prolixiora eſſe, quam vt more noſtro eorum compendium Latina lingua hoc loco exponamus. Summam h. l. in textu §. XXV. dedimus, ex quo vngue de leone iudicandum eſt.

a) Conf. LEIBNIZ. ot. Hanou. pag. 212.

a) DENTRECOLLES lettres edifiantes. Vol. XX. pag. 306 ſeq. dignus, qui legatur. Ex his relationibus obſeruationes ſuas collegerunt auctores Hiſt. vniu. Britanni Tom. XXIV. §. 409 ſeqq. pag. 589 ſeqq. qui videndi.

b) Theol. mor. Chriſt. T. II. pag. 330. 331-392. Qui appoſite quoque pag. 383. moner, aretologiam Sinenſium ſeorſim conſideratam in ſuis fundamentis conſpirare cum Stoica. Poteſt hoc euidenti parallelismo demonſtrari.

AD CAPVT QVARTVM.

DE PHILOSOPHIA IAPONENSIVM.

pag. 907. lin. 12.

In haud paucis ſuſpecta. Habent etiam complura de rebus Iaponenſium P. FRANCISCVS CHARDINE, et P. DE CHARLEVOIX; ſed eiusdem commatis habenda. Pluſcula etiam Iaponiae hiſtoriam attingentia tangunt epiſtolae Ieſuitarum aedificationi deſtinatorum eadem prouidentia examinanda. Vnde merito extollenda Kaempferiana diligentia, qui nullo, quam veritatis reſpectu, cum occaſionem cuncta, quae ad Iaponiam pertinent, explorandi haberet, vtiliſſimam itinerum ſuorum factarumque in iis obſeruationum partem, vſui literario orbis eruditi inuidere noluit. Ex his autem, comparatis et in partes laborum pertractis ceteris hiſtoriae Iaponicae ſcriptoribus, elegans more ſuo doctumque compendium hiſtoriae Iaponicae exhibuerunt auctores *hiſtoriae orbis vniuerſalis* Angli diligenter cum Kaempfero conferendi. Ex VARENIO autem cum additamenta ſua ROGERI *portae gentiliſmi apertae* addiderit CHRISTOPH. ARNOLDVS, etiam ille ab iis, qui prolixiora cupiunt, adeundus eſt. Idem factum a PREVOSTIO *collectionem itinerariorum ab Anglis deſertam* occupanti [a].

pag. 907. lin. 4. a fin. *Eum in hac narratione potiſſimum ſequemur.* Praemiſit Interpres Anglus *itinerarii Kaempferiani*, C. quod auctor Germanica lingua

a) Tom. XI. c. 36. pag. 501 ſeqq.

Digitized by Google

lingua conceperat) in diſcurſu praeliminari catalogum longum et curioſum ſcriptorum de rebus ad Iaponenſes pertinentibus, ab iis omnino conſulendum, qui hanc particulam hiſtoriae literariae propius inſpicere cupiunt. Inter eos regnare Kaempferum, facile, qui partis ſtudio non ducitur, conuinci poteſt, ex accuratione et diligentia, cuius auctor adhibendae occaſionem nactum ſe eſſe in praefatione narrat. Quae licet tantum non contemnat P. Charlevoix, ipſe tamen eum vbique ſecutus eſt. Nobis ſufficit quod hic fateri coniectus ſit, Kaempferum, ſapientiae et religionis acta apud Iaponenſes omnium optime expoſuiſſe, quamuis hiſtorici operis laudem ei deneget. Kaempferum quoque cum CRASSETII hiſtoria eccleſiaſtica Iaponenſium collatum ſecutus eſt auctor *expoſitionis ceremoniarum religioſarum PICCARTI.*

pag. 908. lin. 16. a fin. *A. Sinenſibus acceperunt.* Non negant hoc Iaponenſes, ſed exemplis confirmant [b], verum has colonias ex Sina in Iaponiam tunc demum tranſiiſſe contendunt, cum Iaponiae regnum iam eſſet erectum, et tunc fatentur, In ſecunda eius epocha imperaſſe genti Fuki, vel Tai Ko Fuki, quem Sinae Fohium pronuntiant, et ab eo, quem ſerpentis habuiſſe allegorice fingunt, cum excellentiſſimis naturae dotibus emineret, ſe accepiſſe et coeli et artium notitiam, ad vitam neceſſariam. Adeo vero diſſonant rationes temporum Iaponenſes in hac aera Fohiana a Sinenſium chronologia, vt anni huius Fohii ab illis ſupra creationis mundi tempora collocentur. Quin illi quoque Iaponenſes, qui moderatius annorum rationes ineunt et eorum ſeriem ordinant, attamen illum in tempora antediluuiana reiiciunt. Quod clarum ſatis teſtimonium eſt, Fohianam chronologiam eſſe incertiſſimam, et fluctuare omnia, quae de iſta aetate regni Sinenſis et Iaponici diſputantur. Etiam de his legenda eſt KAEMPFERI obſeruatio [c]. Ipſi vero Iaponenſes eſſe ſe coloniam Sinenſem ſtrenue pernegant, et ſi verum, quod Linſchotus [d] aliique tradunt, Ideo internecina inter vtramque gentem viget inimicitia. Conicit autem Kaempferus, in diſperſione gentium Babelica, cum diuerſae nationes verſus orientem ſe conuertiſſent, tandem ad Coream peninſulam quaſdam appuliſſe indeque in Iaponiam vicinam traieciſſe. Saepius autem id factum eſſe oportet, vt diuerſi populi maris et ventorum vehementia ad ora Iaponiae reiecti nouas quoque in ea colonias excitarent, ſi verum eſt, quod vrgent *hiſtoriae vniuerſalis auctores*, euidentem et luculentam deprehendi conuenientiam inter Iaponenſes et nationum Indicarum populos diuerſos morum, ſtaturae, indolis, negotiorum etc. ſimilium, vt facilis coniectura ſit, ex quibus his nationibus diuerſae in Iaponia coloniae tandem in vnum regnum coaluerint. Quae haec obiter ideo notamus, ne ex vno Sinenſium fonte omnem Iaponenſium ſapientiam profluxiſſe, lector ſibi perſuadere

b) Conferenda hiſtoria orbis vniuerſ. T. XXV. pag. 335 ſeqq. not. B.

c) KAEMPFER. loc. cit. T. I. L. II. c. 1. p. 219.

d) Vid. Hiſt. vniu. loc. cit. pag. 335. not. C.

Digitized by Google

ſuadere patiatur, id quod inter origines gentium barbararum aliquid conſiderationis momentum habet, quod tamen hoc loco pluribus excutere, eſſet extra oleas vagari: praeſertim cum pleraque coniecturis conſtent, ex variis circumſtantiis deducendis, quae in geographia vetuſtiſſima ex inſtituto debent examinari. In quo ſi quis ad vetuſtiſſimam religionis ſuperſtitionem et colendi numina ritus attendat, multum in his originibus eruendis et confirmandis luuabitur. Sed haec obiter.

pag. 909. lin. 14. *Nin-O, id eſt, optimi maximi inciperet.* Inter huius principis merita enumerant Iaponenſes; quod temporum rationes in regno Iaponiae introduxerit, annum in menſes et dies diuiſerit, fundatoque et confirmato optimis legibus et gubernatione imperio aeram magnam Nin-o conſtituerit. Obiit aetatis anno CLVII.

Ibid. lin. 14. *Communes fontes habuiſſe.* Nempe tempore Roofi et Koofi, cuius vtriusque diſciplina ad Iaponenſes tunc tranſiit, poſtquam Xekiana impietas in inſulas has orientales iam tranſiiſſet. Natus autem eſt Roofi CCCXLVIII. annis poſt mortem Xekiae, ſiue Siakae, cuius ſocii Kaſiobati anima in eum tranſiiſſe ferebatur [e]. Attamen valde a ſyſtemate Xekiano ille diſſentire viſus eſt. Tribuitur ei ſtudium alchemiae propter inueniendam medicinam vniuerſalem ad prolongandam vitam, quam ab eo tempore ad inſaniam vsque perſequuntur Iaponenſes philoſophi.

pag. 910. lin. 4. *Peregrinam religionem in illo regno ab eo fuiſſe introductam.* Tanto id factum applauſu, vt rei memoria condito templo, quod Fakubaſi, i. e. equi candidi dicto, ad poſteritatis memoriam tranſmitteretur vt ſupra dictum. Et ab eo tempore, obſeruat KAEMPFERVS, cultum gentilem Sinenſium et aliarum nationum inualuiſſe inter Iaponenſes, et innumerorum templorum et aedificiorum ſacrorum condendorum occaſionem ſubminiſtraſſe. Ex quo coniectura a nobis allata confirmatur, Sekianam impietatem ſuperſtitionem nefandam in Iaponia genuiſſe. Itaque verſimiliter ſatis peregrinis originibus ſupra Iaponenſium religionem publicam adſcripſimus.

pag. 910. lin. 14. a fin. *Radiis auratis.* Exhibent hanc figuram idoli Xekiani *ceremoniae religioſae a Piccarto collectae et aere expreſſae*, Tom. III. imag. XXVII [f].

pag. 911. lin. 17. *Sin et Kami idola, quae in Iaponia coluntur, indicant.* Id de inquilinis idolis intelligendum: quae enim aliunde regno introducta ſunt Buſd vocantur, vt infra notatum.

pag. 912. lin. 4. a fin. *Tranſmigratione in Deum primarium Ten Sio Dai Sin deſcendiſſe.* Erat hic imperator ex ſecunda ſtirpe, primusque Deorum terreſtrium ſecundum Iaponenſes, tantaeque is diuinitatis eſſe creditur, vt communem gentis originem ſuosque natales et ortum ad eum referant. Ipſi

e) IDEM L. II. pag. 250. qui tamen eandem tranſmigrationem animae Kolboſati etiam Ganquaio pag. 251. tribuit. f) pag. 62.

Ipſi Dairi, ius ſuccedendi in regno ab eo deriuant, totaque gens miraculorum eius admiratione et cultu quaſi turget. Vocantur hi ſpiritus terreſtres Camis, quo nomine et imperator quoque et viri ſummi ſanctitate et miraculis atque meritis inclyti inſigniuntur. His Camis templa et ſacella erigit ſplendida ſuperſtitio, quae ad magnificentiam Deitatis exprimendam magna et pretioſa ſuperbia ornantur. Hoc enim ſplendore reliquas ſectas ſuperare omni modo geſtiunt. Iſta templa nomine Mias inſignita immortalibus mentibus velut ſedes dicata eſſe innuunt. Multa hic curioſa de hoc cultu Iaponenſium cumulat itinerariorum collectio PREVOSTIANA [g], hauſta pleraque ex Kaempferi relationibus. In hoc cultu fruſtra aliquid quaeras, quod philoſophiam qualemcunque ſapiat. Ipſe cultus publicus laxus regulisque non alligatus fabulis et narratiunculis ſuſtentatur, quae riſum, non deuotionem mouere aptae ſunt. Totus ergo ex philoſophiae hiſtoria et exiſtimatione excludendus eſt, et relinquendus ceremoniarum religioſarum enarratoribus, qui eius imagines, feſta, beneficia etc. ſolent depingere [h].

pag. 913. lin. 16. a fin. *Ex India fuiſſe translatum.* Non poenitebit lectorem memoriae gratia ea de Siaka vel Xaca, Xeuiaque (vnum enim hoc nomen eſt, diuerſae pronuntiationis) relegere, quae ex Kaempfero de hoc impoſtore refert *collectio itineraria PREVOSTIANA* [i]. Obſeruandum autem, quamuis ad alium ſenſorem ſaepius prouocaret Bengalae in Elyſiis campis verſatum, quem a Sinenſibus O-mi-to, a Iaponenſibus Amida nuncupatum eſſe ſupra diximus, reuera tamen Xekiam ſ. Siakam ab eo non diuerſum reputandum eſſe, ſed reuera eſſe vnum idemque numen, quod diuerſis temporibus variis apparitionibus ſe manifeſtauit, et, ſi Europaeorum more philoſophiae loqui licet, primum illud principium emanatiuum repraeſentaſſe dicitur, per quod omnia formata exiſtere, omnia ad ſupremam dei felicitatem duci, omnia ſuae perfectioni reſtitui, tota clamat ſchola emanatiua, per tot ſectas in toto oriente ſparſa, et variis hypotheſibus ornata. Nihil enim in orientali theologia ſolennius, quam diuerſiſſimis formis vnum numen mediatorium repraeſentari, fabulamque ſic ornari, minus quidem aptam, attamen cohaerentem. Lucem egregiam Amidae huius ſiue mediatoris et liberatoris hiſtoriae affundit narratio *hiſtoriae vniuerſalis Anglicanae* [k], quae curioſo Lectori ea ſupplebit, quae noſtris paginis addere prohibet anguſtia. Monemus tamen, non videri, quod ibi admittitur, Foë, ſupra ſuo loco enumeratum, ab his idolis recte diſtingui, ſed fuiſſe Foë eundem cum his numinibus, verum in alia metamorphoſeos apparitione, quod ſolenne eſt harum gentium theologis. Quo obſeruato melius cohaerebit huius religionis hiſtoria, quod interdum neglectum confuſiones hiſtoriae intulit. Colitur quoque apud Iaponenſes filius Amidae, Cano, magnifico templo

g) Tom. XI. L. II. c. 37. pag. 658 ſeqq.
h) Cerem. relig. loc. cit.
i) loc. cit. pag. 659 ſeqq.
k) Tom. XXV. pag. 263.

Digitized by Google

plo Meacae, quem ex proximis emanationibus diuinis vnam muneri Amidae mediatorio intercedere fabula loquitur.

pag. 914. lin. 15. a fin. *Ad eam deficerent.* Factum id eſt anno aerae MCC. poſt N. C. DXL. ad litus lacus cuiusdam prope Naniuam vrbem; cuius memoriam introducta noua aera, quae Conguo dicitur, perpetuam eſſe Imperator voluit *l*. Translatum poſtea idolum illud in terram Sinano, et magnifico templo Sinquoſi cultum multa miracula edidiſſe dicitur ſcriptori Iaponenſi apud KAEMPFERVM *m*.

pag. 916. lin. 19. a fin. *Omni qualitate priuato.* Iucunde et non ſine luce haec comparari poſſunt cum Gnoſticorum et Alexandrinorum Deo fonte priore primo in ſolitudine quieſcenti, in quem omnia tandem reditura ſunt, vt tomo II. explicatum.

l) Ibid. pag. 306. *m*) Tom. I. pag. 262.

AD CAPVT QVINTVM.

DE PHILOSOPHIA CANADENSIVM.

pag. 919. lin. 5. a fin.

Quod vel vmbram philoſophicae meditationis referat. Diligenter quidem res ad religionem potiſſimum ſpectantes gentium, quae oras Africae maritimas accolunt, et a nauigantibus Europaeis, mercaturae faciendae gratia vſque ad extremos Africae terminos inuiſuntur, deſcripſere, qui itineraria maritima compilarunt. Cuius laudabile exemplum poſt ACHARDVM *a* imprimis exhibuit PETRVS KOLBIVS, rector gymnaſii Neapolitanni ad Aiſſam, qui cum octo annos circa praeſentis ſeculi exordia in extremis Caffrorum regionibus et ea quidem natione, quam Hotteptottos nominant, in colonia Belgica ibi plantata, vbi promontorium caput bonae ſpei nauigantibus in Indiam ſolet eſſe valde memorabile, vixiſſet, occaſionem nactus quaecunque memoria digna videbantur, accurate cognoſcendi et depingendi ex obſeruationibus ſuis nobile *itinerarium capitis bonae ſpei*, condidit, linguaque noſtra vernacula edidit *b*. In quo libro bonae frugis pleno, multa accurate et egregie obſeruata ſunt, non inutilia illis futura, qui conſuetudinum et cremoniarum, artium, inuentionum etc. populorum colligendarum ſtudio inſudant. Aſt quod in omnibus quos inſpicere nobis licuit, harum terrarum deſcriptoribus, obſeruare licuit; nihil fere eſt, quod vel leui colore ad hiſtoriae philoſophicae limites queat referri: ipſaque religionis hiſtoria apud hos populos adeo

a) Itiner. Siam. I. Prodiit quoque Anglice 1731. 8. II. Vol.

b) Norimb. 1719. fol. Kolbio rect. TEN. RHYNE, medicus, praeiuit ſocietatis Indicae ſchediasmate de promontorio Bonae ſpei eiusque tractus incolis 1686. 8. qui tamen breuis eſt ex Kolbio ſupplendus.

adeo manca et exilis atque popularis et exoterica eſt, vt vix ex ea intelligi poſſit, agnoſcere eos Numen aliquod bonum, a quo omnia profecta ſint et influxu gaudeant, cuius in terra vicarius Luna habenda ſit. Ad cetera enim non attendit barbara natio, ad honeſtatis tamen naturalis et aequitatis rationes ſe naturae Indole facilius, et ſimplicius componens, quam nationes aliae ratione magis excultae. Quicquid ergo apud has gentes ſapientiae maxime ſacrae et diuinioris vmbram oſtentat, ſolo naturae ductu et experientia a maioribus ad poſteros traducta, et traditionis obſeruantia adhibita conſtat, qualia non in hiſtoria philoſophica, ſed in enarratione religionum et ceremoniarum ſacrarum quaerenda ſunt. Quo ſcopo elegans *ceremoniarum ſacrarum et ciuilium collectio et deſcriptio* [c] iconiſmis illuſtrata, curioſitati lectoris hiſtoriam religionum reſpicientis poteſt ſatisfacere. Totius quoque Africae maritimae hiſtoriam ex hodoeporicis ſcriptoribus magna et curioſa diligentia collegit *Anglicana itinerariorum collectio*, ex qua tamen nihil diligentia noſtra eligendum deprehendit, quod inſtitutum noſtrum augere poteſt, multa, quae commentario opus habent, nonnulla, quae monent, totam harum regionum religionem naturalem a miſſionariis magis eſſe corruptam, quam emendatam. Nec meliora ſunt vel certiora, quae de ceteris nationibus Africanis [d] narrantur, quibus ſtolida et inepta ſuperſtitio omnem fere rationis vſum denegat. Non tamen ſine obſeruatione dimittendum eſt, agnoſcere barbaras iſtas gentes, quas Nigrorum nomine iam orbis vetus ab Europaeis diſtinxit, ſummum quidem Numen, at malum aliquod ei principium apponere, ſuppoſita vero creatione rerum adminiſtrationem atque curam ſpiritibus intermediis tribuere; maxime autem boni principii emanationem adeo per res omnes peruadentem extendere, vt vilſſimis quoque et ſordidiſſimis rebus, inanimatis et relectaneis diuinitatis inhabitantis ſenſum quendam tribuant: lisque a ſuis ſacerdotibus rite praeparatis diuinas operationes et effectus tribuant. Fetiſchios vocant [e], voce a Luſitanis accepta, quibus nefandam ſuperſtitionem excolunt, a peregrinatoribus fuſe deſcriptam. Ex quorum narrationibus intelligi poteſt, credere infelices nationes Deum quidem creatorem, bonum eſſe, auctorem tamen beneficiorum naturae, prouidentem omnibus, vel negare, vel ignorare, cuncta ad Fetiſchios, id eſt, ſubordinatas virtutes diuinas referre, opponere his malum quendam genium, ab his cuſtodibus exterminandum etc. Hinc illorum amuletorum vſus inſanus, quo mala auerruncare, felicitatem conſequi ſe poſſe, lepide ſibi perſuadent, reuera omnem rationem naturalem, omnem de ſacris et diuinis ſobrie cogi-

c) P. III. p. 315 ſeqq. ed. Helu. vbi de ceremoniis gentium Africam incolentium ſtrictim, at luculenter agitur.

d) Maxime de Guineae, et vicinarum terrarum ſuperſtitione T. IV. et V.

e) Pleraque curioſa diligentia complexa eſt de his amuletis, coll. itineraria T. V. p. 177 ſeqq. quae ſi cum nugis ſcholae Alexandrinae comparantur, manibus palpari poteſt, ex eodem omnes fonte hanc inſaniam hauſiſſe. Num illa quoque ſuos talismanes, Yngas et amuleta habuit, emanationibus diuinis turgidas.

Digitized by Google

cogitandi modum peſſundant. Quod exemplum ideo hoc loco adducimus, vt conſtet, quam malum et ad euertendam omnem diuinitatis rationem compoſitum ſit ſyſtema emanatiuum, quod infernalis genius per tot gentes diſſeminauit, vt totas perderet. Hisce autem principiis adſcribendum quoque eſt, quod ſpiritus animasque poſt mortem ſeparatas a corpore immo per varia corpora tranſmigrantes affirmant. Et huius quidem generis obſeruationibus liceret nobis multas paginas replere, ſi hiſtoriam criticam religionum ſcriberemus. Aſt cum haec longius a ſcopo noſtro remota ſint, Lectoris ea iudicio relinquimus.

pag. 919. lin. vlt. *Vt vix ratione eos vti inde concludi liceat.* Palpabunt id omnes, qui ſcriptores rerum Americanarum vel per tranſennam inſpexerunt: adeo nihil eſt, quod rationem tantum ſanam, mentemque ad ſua principia erectam ſapiat, multo minus, quod philoſophiam aliquam ſpiret. Cuius vt ſpecimen lector habeat, non prolixas, quas noſter ſcopus refugit, recenſiones opinionum Americanarum afferemus, et quid tantarum terrarum populi de diuinis et humanis cogitauerint, ediſſeremus, ſed Lectorem ex his noſtris hiſtoriae philoſophicae tractationibus egreſſum parantem, ad vnum Io. DE LAET, Antwerpianum ablegamus, virum doctum et in exoticarum hiſtoriarum cognitione et tractatione magna cum laude verſatum, qui cum HVGONIS GROTII diſſertationem *de origine gentium Americanarum* examinandam operam ſuam contuliſſet [f], variae et copioſae lectionis obſeruationes *de ſtatu gentium Americanarum* conſcripſit, et in vulgus prodire iuſſit. Non tangemus, quae viros iſtos doctiſſimos inter ſe vexabat, quaeſtionem, de gentium Americanarum originibus, quae ex vtraque parte ita diſceptata eſt, vt, quantum ſit, quod neſciamus, facile intelligas: nec quae vir doctus in Americae deſcriptione attulit, ſed id tantum monemus, auctorem, poſtquam ſumma capita doctrinarum, quae per vniuerſam vtriusque Americae vigent, capita ſtrictim enarrauerat, hanc tandem concluſionem confirmare: *ex omnibus, quae diximus, apparet, gentes vtriusque Americae quaſdam, habere leuem quandam Dei cognitionem, eaſque omnes eſſe idololatras; pleraſque omnino nullam, ſed a maligno ſpiritu regi, et miſere torqueri: plurimasque adeo omnem humanitatem penitus exuiſſe.* Quae quidem inductione confirmare, et pudendam gentium iſtarum ſuperſtitionem exemplis in apricum ponere ſatagit, fatemur tamen, timere nos, ne ex incerta peregrinantium in iſtis terris narratione pluſcula afferantur, quae vel incerta vel plane falſa eſſe experientia, et recentiores narrationes oſtendunt. Vnde malumus lectorem ad eas dimittere, et imprimis, quae de his gentibus Americanis congeſſerunt *itinerariorum Americanorum collectores* [g] ablegare, qui cum longa et diligenti tractatione res et opiniones Americanas deſcribant, pauca tamen et exilia et philoſophiae nomine digna

f) Amſtelod. 1643. 8. cui ſucceſſit reſponſio ad diſſ. H. Hug. Grotii 1644.
g) Tom. XIII. XIV.

deprehenderunt. Quae hoc loco in ſcenam adducere, eo minus opus eſt, quo magis pulcherrima iſta collectio variis linguis diſſeminata frequens in manibus lectorum curioſorum verſatur. Vnum nos monemus, doctrinam plerarumque gentium reuelationis lumine deſtitutarum, in Americae quoque prouinciis, ad hoc vnicum caput poſſe reuocari, eſſe quidem ens abſolute ſummum, creatorem rerum, quae in mundo exiſtunt omnium, gubernatorem ſupremum coeli et terrae: hunc autem ex ſe, ad formanda regna ſua emiſiſſe ſpiritus magnos, et potentes, qui emanationis lege cuncta in mundo efficerent, et imprimis humanae ſocietati praeſiderent. Habere hos ſpiritus ſuum caput et praefectum et hoc ipſum Numen ſe mirificis operationibus prodere. Huic materiae vitio contrariari principum alterum totum a ſuo fonte deſciſcens, malae indolis et ad felicitatem diuinae ciuitatis deſtruendam omnes vires coniungens: inde tantam inter vtrumque mundi principem, tantam euentuum diſſenſionem eſſe, hos placandos, illum cum caterua ſpirituum coeli et terrae colendos et ad beneficentiam ſupplicationibus, ſacrificiis, ritibusque ſacris inuitandos eſſe *k*. Quae pſeudophiloſophia vt omnem fere orbem habitabilem occupauit, parensque fuit innumerabilium ſuperſtitionum, ita omne ſtudium, certa doctrinarum philoſophicarum de diuinis et humanis aedificia conſtruendi confundit et euertit. Malumus itaque de philoſophia Americana in hoc noſtrae hiſtoriae ἐξόδῳ nihil dicere, quam ſcopas diſſolutas afferre, et hiſtoriae philoſophicae nebulas offundere. Non negamus tamen, optare nos, vt vir quidam doctus atque a praeiudiciis liber critticam religionum exoticarum hiſtoriam condat, vt appareat, quam ampla fuiſſet ſapientiae diuinae communicatio, niſi homines ſibi ſapere voluiſſent.

pag. 920 lin. 11. a fin. *Et eius quoque iter verum eſſe.* Confirmat hoc *itinerariorum collectio* *l*, quae ad teſtes prouocat, quorum fides Hontanum a mala fide vindicaſſe dicitur. Iniit iter illud anno cIↃIↃcLXXXVIII. Laudat huius ſcriptoris, cuius ſuſpectam cetera religionis fidem ſugillat REIMMANNVS *k* itinerarium Americae *l* ſeptentrionalis, eo quod per tria luſtra inter Canadenſes verſatus, linguarumque barbaricarum peritus, res omnes naturales, ciuiles, eccleſiaſticas et literarias accurate per-

b) Vidit id Io. DE LAET, loc. cit. p. 189. qui refert ex Thomae Harioti relatione: incolas Virginiae credere multos eſſe Deos, quos appellant Mantoai, ſed diuerſorum graduum: vnum tantum principem et magnum Deum, qui fuerit ab aeterno. Qui cum propoſuiſſet mundum condere, fecerit primum alios Deos principalis ordinis, quibus velut mediis et inſtrumentis vteretur in creatione et gubernatione ſecutura: et poſtea ſolem, lunam, ſtellas, vt paruos Deos et priorum illorum inſtrumenta. Credunt omnes illos Deos formam habere hominum, quare eos eiusmodi imaginibus repraeſentant. Has collocant in aediculis aut templis vbi orant, cantant et ſaepe immolant, credunt immortalitatem animarum, eaſque a corpore ſolutas ſtatim, ſecundum opera, quae fecerint, aut deferri ad caelum, habitaculum Deorum, vt ibi perpetua felicitate fruantur, aut ad ingentem puteum ſubterraneum in occidentali parte terrarum illarum, in quo perpetuo vrantur. Alii in eodem tractu praecipue venerantur Diabolum. En veram clauem totius ſuperſtitionis gentilis. Similia enim non in occidentali tantum America obtinent, ſed in ſeptentrionali quoque apud Hurones, Eliquimos ſimileſque, quorum hiſtoriam debemus P. CHARLEVOIX hiſtoriae nouae Franciae.

i) Tom. XVI. Lib. VI. c. 18. p. 694.

k) Cat. bibl. Tom. I. p. 1119.

l) Vtrecht 1698. 8. Lipſ. 1711. germanice.

Digitized by Google

perueſtigauit, homo a iudicandi facultate non deſtitutus, nec partium ſtudio deditus, nec religionis ſuae, i. e. pontificiae vmbris ita occaecatus, vt hallucinationes ſuorum et praecellentias barbararum prae illis vel non viderit, vel in recitationibus ſuis diſſimulauerit.

pag. 921. lin. 18. a fin. *Coniugia pacifica inueniri.* Comparandum Miſſionarii Franciſcani Lvd. Hennepini nouum itinerarium, aliique, qui has ſeptentrionales Americae partes deſcripſerunt.

pag. 923. lin. 2. *Inter gentes exoticas iniuſte vindicaſſe.* Monet nos haec clauſula hiſtoriae philoſophiae exoticae, veriſſima, et ad detegenda praeiudicia valde idonea exempli philoſophi Americani, cuius ad erigendam nouam in his terris ſcholam Peruuianae nationi non gloriam modo, ſed philoſophiae quoque famam conciliauit, meruitque in Europa non ſine admiratione conſiderari. Eſt is conditor monarchiae Peruuianae Manco Capac, Yncarum primus iſtius regni fundator, cuius tota hiſtoria meretur cum attentione legi. Eam nobis ex hac ipſa regia Yncarum familia orlundus Garcilassvs de la Vega, prolixa et iucunda enarratione edocuit, quae in linguam Gallicanam conuerſa multum lucis hiſtoriae Americanae affudit [m]. Quae cum tota philoſophum nobis vel legislatorem ſceptro et tiara ornatum exhibeat, digna eſt, quae ſtrictim et, quantum licet, breuiſſime hoc loco enarretur, addito noſtro de eo argumento iudicio, vt lectores hactenus noſtrae hiſtoriae criticae beneuolos, diſceſſuros ex eius veſtibulo non ſine corolla dimittamus. Occaſionem dedit toti Yncarum imperio, ad emendandos ferinos Peruuianorum hominum mores deſtinato, et ex orientis veteris, conſuetudine conformato, belluina vitae ratio hominum ferorum in modum inter ſe conſueſcens, herbis et radicibus agri victitans et nec agriculturae gnara, nec veſtimentorum, quorum locum arborum folia ſupplebant. Ita in cauernis et agro ſine imperio, ſine lege, ſine humanae ſocietatis vinculo palantes, greges fuiſſe dicuntur pecorum et ferarum, non hominum [n]. Horum miſertus ſummum quod coelum atque terram regit Numen, pater totius mundi vt in meliorem ordinem redigeret, et felicitatis capaces redderet, filium et filiam in terram demiſit, vt quis ſummus pater eſſet eos docerent, et quo pacto ad communem felicitatem eſſet colendus, oſtenderent, leges praeſcriberent, mores polirent, humanam rationem excolerent, ſocietatem humanam introducerent, tum domos, moenia, vrbes condere, agrum colere, pecora paſcere, beneficiis regionis et fertilitatis vti, verbo, humanam, non vt hactenus, ferinam vitam agere, ſed rationi conuenienter viuere docerent. Quam primam philoſophiae introducendae occaſionem fuiſſe, hanc ſapientiam omnium primam ad homi-

m) Ex hoc potiſſimum ſcriptore hiſtoriam Yncarum Peruuianam deſcripſit collectio itiner. L. VI. c. 5. T. XV. p. 375 ſeqq. et collectio ceremoniarum religioſarum, P. III. p. 201 ſq. ed. Helu, quae iconibus quoque ſacra Solis Peruuiana illuſtrat.

n) Hanc relationem accepit Garſileſſus ab Yncа quodam valde ſene: vid. Hiſt. de Yncas L. VII. c. 8. p. 372.

homines per legislatores magnos emerſiſſe, ſuo loco in hac noſtra H. P. demonſtratum eſt, et exemplis Graecorum legislatorum illuſtrauit FABRICIVS *). Hoc fine liberos iſtos ad paludem Titicata in terram demiſit, DCCC. milliaribus ab his terris diſtantem. Vt vero, quo loco ex voluntate coeleſtis hulus patris ipſis viuendum, nouaque ſapientia publicanda eſſet, ſcirent, auream illis virgam largitus promiſit, quo loco eam in terram immiſſuri eſſent, et terra illam ex vnico pulſu admitteret, ibi commorationis et habitationis locum illis deſtinatum eſſe. Iniunxit autem his liberis ſuis magnus ille et coeleſtis pater, vt ad rationes aequitatis atque pietatis homines adducerent, et paterno erga illos affectu vigilantes, ad ſimilitudinem ſui regiminis, vniuerſo orbi benefici, illis imperarent, regio ab eo tempore axiomate et poteſtate vſuri: vt imperii felicitate et tranquillitate diſciplinam a parente coeleſti agreſti cohorti deſtinatam diſſeminarent et confirmarent. Obſecuti tam benefico et gratioſo parenti frater et ſoror, ad ſeptentrionalem plagam conuerſi cum ſe coniugio iunxiſſent, toties virga aurea terram explorarunt, donec tandem, deſcendente in eam virga, locus deſignaretur, quem patris prouidentia ſelegerat. Fuit ille verſus meridiem in regione Peruuiana, vbi poſtea conditorum ſapientia vrbem excitauit, eo adhuc tempore, quo Americanus ſcriptor viuebat, hac origine celebrem et nobilem. In huius loci valle quadam cum virga aurea in terram demiſſa ab ea abſorberetur, nec amplius appareret, Yncas condendae ſocietatis terminum eſſe ratus, ipſe cum ſorore ad vtrumque ſedis deſtinatae latus excurrentes, conuocare homines coepere; princeps ad ſeptentrionem, ſoror coniux ad meridiem. Ibi per ſyluas et dumeta homines quaerentes, beneficum patris ſui, Solis, mandatum vbique publicabant hominibus ferarum inſtar in agro repentibus. Qui cum ornatum vtrumque, a Sole parente, pulchreque comtum intuerentur, admirati cultum et humanitatem, animos erigere, ſeque in obſequium tradere, conuocare ſocios coepere, et promiſſionibus Yncae perſuaſi ad eum ſe congregarunt. Ita primo de victu nouae ſocietatis diſpicere, cunctisque prouidere, mox domos extruere, quarum effigiem Yncas delineabat, ſicque vrbem condere coeperunt, quae poſtea Cuzco nominata ſedem imperanti praebuit. Quae prudentibus poſtea regulis confirmata, mira felicitate effloruit, de quibus tamen, cum ad noſtrum inſtitutum non pertineant, Garcilaſſus ipſe conſulendus eſt. Tantopere vero id humanitatis ſtudium nouae vrbis incolis placuit, vt omni contentione palantes reliquos quaererent, et ad nouam ciuitatem adducerent, et opificiorum, ad commoditatem vitae facientium exercitia praeeunte Ynca addiſcerent: Regina Coya, artes muliebres, lanificium, regendaeque familiae normam ſuppediſaret, ſicque ex ferina et agreſti ſorditie ad ciuilem humanitatis ſenſum et vſum traducerentur. Facile cogitabit lector, vehementer haec inſtituta Peruuiano-

*) Bibl. Gr. Tom. II. pag. 9.

Digitized by Google

uianorum animos, humanae vitae commoditates ſentientes occupauiſſe, vt ſponte nouis imperantibus parerent, et in voluntaria obſequia quaſi ruerent, auctamque intra ſeptennium nouam vrbem tot ciuibus eſſe, vt exercitus inde conſcribi poſſet, ab ipſo Ynca, armorum exercitia et vſum edoctus. Qui cum promtiſſime imperia eius reciperent, non difficile fuit bello aequiſſimo et gratia imperii fines dilatare, vrbes vicosque condere et ſapientia ac beneficiis voluntatem nouorum ſubditorum flectere, vt his ſapientiae regulis obſequerentur; quo pacto tandem ex his primordiis philoſophicis magnum atque potens Yncarum imperium enatum ſedesque regia mire amplificata eſt. Quod quibus prudentiae architectonicae regulis factum ſit, prolixius eſt, quam vt hoc loco enarrari poſſit, dignum autem, quod apud hiſtoricos regni Peruuiani Garcilaſſum et Correalem legatur, quoniam vix pulchrius ſapientiae practicae et ciuilis ſpecimen hiſtoria philoſophiae exoticae exhibet, quod cum aliorum regnorum originibus comparatum, conuincere poteſt, opus id fuiſſe philoſophi et ſapientis viri, ingento et recta voluntate vtilitatem ſocietatis humanae quaerentis, quam tanta felicitate affecutus eſt, vt cum diuerſiſſimi populi ſpontaneo obſequio ſe huic imperio ſubmitterent, vna tamen inde ciuitas ſapienter ordinata et diſpoſita emergeret. Silentio vero praeteriri non debet, ad religionem nouum regem imprimis recurriſſe, vt eius vinculis animos connecteret. Cum enim ad Solis cultum omnia reſpicere Manco Capac rex ex Yncis primus iuſſiſſet, templum Solis ſplendidum erexit, regiumque axioma, quod Yncae vox ſignificat, aucta domus ſuae magnificentia, et ſubordinatione magiſtratuum (Caciccos vocant) veneratione fecit admirandum. Nihil autem in incomparabili legislatore laudabilius et ſapientis charactere dignius, quam quod legum fundamentum, naturam ipſam ſocietatis poſuit, et amorem proximi ſui aequalem iniunxit, transgreſſores ſeuere puniuit, monogomiam inculcauit, licet ipſe ad augendum familiae Solis numerum, concubinas aleret, ſocietatis turbatores magnis poenis coërcuit, ſic vt Fohio ſimilibusque legislatoribus Orientis, ſi non praeferri, certe aequari ex merito poſſit. Et hactenus quidem Garcilaſſus.

Reſtat autem, vt hiſtoriam tanti viri abſoluamus, quaeſtio, vnde vir ille tantus et ſapientia iſta legislatoria prodierit? Ad hanc quaeſtionem dirimendam iuſſit Philippus II. Hiſpaniarum rex, in Yncarum res atque hiſtoriam, qua id fieri poſſit, accuratione inquirere. Sed inanem et fruſtraneum laborem fuiſſe, obſeruauit ſcriptor *hiſtoriae Indicae* Acosta [p]: nec magnopere admirandum. Non habet enim ea natio annales et ſcriptas memorias, ſed, quae ſingulari memoria digna ſunt, nodulis in funiculis ex cingulo dependentibus obliuioni ſubducit: ex quibus nihil certi licet concludere [q]. Mirum itaque non eſt, de Yncarum origine certum

p) Conf. coll. itiner. loc. cit. p. 328 ſeqq. not. r. q) ibid. pag. 483.

Digitized by Google

certum quid ſtatui non poſſe, cum ſcriptores in diuerſas ſententias diſcedant, ea autem, quae de circumſtantiis aduentus Manco Capac ſupra retulimus, veriſimilitudine ſuo modo careant, nec probabile, homines adeo feros, quos ſine omni rectore fuiſſe vix cogitari poteſt, tam voluntario obſequio in vnius viri ignoti imperium conſenſiſſe. Sed et tempora Yncarum diſſident, quae ante ſeptimum vel octauum ſeculum poſt C. N. computari non poſſunt, nec ad vetuſtatem aeui antecedentis aſſurgunt, ſi ipſorum Peruuianorum teſtimonium ſequimur; ante quae per tot ſecula, quae Yncarum tempora antecedunt, eiusmodi ferinam barbariem obtinuiſſe in America meridionali, et tum demum vnius viri peregrini inſtitutis ad elegantiam imperii componi et emendari potuiſſe, vix perſuadebimus Lectori naſum habenti. Quare multo magis ad veriſimilitudinem accedit, quod nonnullis placuit, Manco Capacum primum Peruuianorum imperatorem, fuiſſe principem quendam peregrinum et ignotum, qui ex regione ſeptentrionis ad meridionales has partes accedens, ex improuiſo populo terrae huius ferino et incondito vitae genere viuenti apparuerit, et, cum Solem, quem pleraeque nationes velut ſummum Numen colebant, patrem ſibi eſſe aſſeruiſſet, ingenio, et conficta origine diuiniore, cum humanitate et gratia coniuncta perſuaſerit, vt in eandem ſocietatem et religionem conſentirent. Quo pacto imperia et regna interdum orta eſſe, vnum Romanorum, ex cohorte paſtoritia et vagabunda ſapientibus Numae inſtitutis et legibus ad humanitatis rationes regnique formam effictum et conformatum exemplum ſuppeditat luculentum, et in multis Peruuiano ſuppar. Et haec quidem in tam incerta re, deficientibus monumentis neceſſariis, poſſunt ſufficere, et impoſſibile putamus eſſe, traditionem ab Ynca quodam Garcilaſſo ſuppeditatam ad leges fidei hiſtoricae componere. Fatemur tamen, aliquoties eam relegendo ſubnatam nobis eſſe coniecturam, quae multam habet veri ſpeciem, modo ſupponamus, non de emendata et ad rectiores vultus reformata olim vniuerſa America meridionali, ſed de Peruuiana tantum gente quaeſtionem eſſe r. Hodierna enim fide, vbi Europaeae nationes magnam Americae partem ſubegerunt, nouimus, apud eos populos, qui Chriſtianorum iugo nondum ſubiectae ſunt, multas adhuc nationes eſſe, propter priſtinam morum feritatem deteſtabiles, vnde non iniuſta ſuſpicio eſt, in Peruuianis quoque et Mexicanis ſtatibus, quae ſolae emendationem rationis et politiae prae ſe tulerunt, antea quoque iſtam viuendi inſolentiam et brutalitatem obtinuiſſe, quae occaſionem exhibuerit Manco Capac et ſorori de eorum emendatione et erigendo imperio cogitandi. Quanquam autem dubium non eſt in narratione Yncae illius, a quo ſua Garcilaſſus habuit, quaeque ex antiqua regiae familiae traditione Cuzcotana deſumta videtur, multa eſſe ſtudio conficta, et fabuloſa, multa diuinitatis ſpecie ad augendam regiam auctoritatem commentos eſſe Peruuianorum

r) Vid. Garc. loc. cit. c. 21. 22.

Digitized by Google

norum principes, multa ſenſim excogitata, vt os oblinant, et credulitatem nutriant, qualis eſt apparitio Viracochae, octaui [a] ex Yncarum ſerie, regis Peruuianorum; viſum tamen nobis eſt, latere quaedam ſi non certa, veriſimilia tamen, et illuſtriorem lucem huic philoſophiae Americanae foenerari apta. Quae lectori harum rerum curioſo paucis non niſi coniecturarum titulo explicabimus, iudicioque eius ſententiam relinquimus. Nempe I. illud extra dubitationis aleam poſitum videtur, Manco Capac et ſororem, quam vxorem habuit, fuiſſe non indigenas, ſed peregrinos aliunde aduenientes. Hoc non ſubitaneus tantum perſuadet aduentus hominum antehac ignotorum, ſed et totus eorum habitus, quem ſtupuiſſe, narrant, iſtius loci incolas, et diuerſa viuendi ratio, et cauſſa aduentus ad peregrinas rationes easque fabulares relata, quae iſtius terrae hominibus erat ignota. II. Ex eorum quoque relatione patet, iſtos homines verſus ſeptentrionem prius habitantes ad loca meridionalia, et quidem DCCC. milliaribus a priſtina ſede remota commigrauiſſe, et longiſſimo itinere coactos ad alias ſedes quaerendas ſe conuertiſſe. III. Habuiſſe fundamentum emendandae religionis atque morum cultum et veneration nem ſupremi numinis, hunc honorem detuliſſe ſoli, ab hoc ſole omnia beneficia terrae deriuaſſe, hunc magnificis templis et ſolennibus feſtis, ſodalitatibus, ſacrificiis coluiſſe, huic datam coniugem lunam, huius diuinitate tradidiſſe omnia repleri, his addidiſſe planetas et aſtra et imprimis Venerem; totumque cultum iſtum Solis habuiſſe inter myſteria. IV. Inter haec autem myſteria etiam in adytis culta pleraque ad effluxus, et irradiationes ſolis fuiſſe relata. V. Habuiſſe hos nouos aduenas peculiaria veſtimentorum ſigna, caput diademate recinctum, cingulum filamentis penſilibus ornatum, inaures penſiles, ſtolam in terram demiſſam, habitum Aſiaticum etc. VI. Arcanos quoque ritus, ordinesque ſeruauiſſe, et imprimis, quae ad cultum ſolis pertinent, ſollicita deuotione ſeruauiſſe. VII. Iſtum autem cultum non ad viſibilem modo ſolem retuliſſe, ſed potiſſimum ad animam mundi, Pachacamac ab eis ideo dictum, et hanc ſumma veneratione fuiſſe cultam. Tandem VIII. ceremonias multas ab hiſtoricis Peruuianis deſcriptas eo tendere, vt ex ſolis, vel qui cum anima Pachacamaci irradiatione et emanatione fauſta quaeque mundo euenire doceant, et hunc ſolis velut omnis boni fontis cultum articulum fundamentalem Peruuianae religionis ſub Yncis abſoluere moneant. Poteramus alia addere, cum his conniuentia, ſi nobis liceret eſſe prolixis, quae hoc doctrinae ſolaris et emanatiuae partes enumerant. Quae cum pleraque nobis enarrauerit Garcilaſſus, quem exſcripſere recentiores alii, ad hos ſcriptores Lectorem ablegamus. His vero circumſtantiis probe expenſis valde nobis veriſimile videtur, Manco Capac [h]ominem philoſophum magni ingenii, et conſilii maturi fuiſſe, et quidem Zoroaſtreae religionis ſequacem, cuius exemplum ſibi imitandum propoſuerat; qui cum eo

a) Vid. coll. itin. loc. cit. pag. 398.

tempore, quo a Muhammedanis Perſiam occupantibus, ignicolarum religio tota Mithrae ſiue Soli dicata toto regno eiiceretur et in extremas Perſiae et Indiae oras, magnis cladibus confugere cogeretur, perſecutionum pertaeſus et Zoroaſtris exemplo accenſus conſilium ceperit, ex ſeptentrionali Indiae regione primo ad meridionalem, quo in Suratam inſulam multi Parſae nauibus confugerant, fortunarum ſedem transferre, et, cum priſtinam Zoroaſtris fortunam ſub peregrino ſole tentare conſtituiſſet, deinde per Indicum mare, eo tempore nauigiis totum iam exploratum et peruium ad Americae meridionalis peruenerit, priſtinam fabulam Zoroaſtreae ſimillimam reuocaturus, et feros hominum iſtorum animos, ad ſupremi ignis, et qui eum velut thronus numinis repraeſentat Solis religionem perduceret, ſicque quod armis non poterat, religione eos ad ineundas ſocietates et moratiorem vitam ciuilem commoueret. Concinunt cum hac hypotheſi omnia, quae velut ſingularia Manco Capac inſtituta ſupra memorauimus. Patria peregrina tanta diſtantia a loco aduentus remota, eiusque ſitus; tempus cum perſecutione Muhammedorum et ex oriente Yncarum regno coincidens, mores Yncae Perſarum moribus ſimillimi, coniugium cum ſorore, diadema capitis, cingulus, funiculorum noduli habitus, veſtimenta Viracochae, Perſico ſacerdoti ſimillima, ſpecus eius ab Yncis aedificata ſpelaeis Mithrae ſimilis, et alia multa, ſuas origines peregrinas nempe Perſicas prodentia. Maxime vero cultus diuinus Solis throni principi rerum omnium actiui, vel animae potius diuinae in hoc templo habitantis: templa ſoli dicata, ordines ſacerdotum Solis, myſteria in adytis celebrata, ſacrificia initio pura, incruenta; Lunae et ſiderum, maxime Veneris in cultu iſto myſtico coniugatio, etc. quae pleraque mire inter ſe concordare, diligens comparatio Hydeani libri *de religione veterum Perſarum* cum Garcilaſſi de la Vega narratione nos conuicit, hancque obſcuri aenigmatis ſolutionem fecit probabilem. Reliqua, quae durante annorum circiter DCCC ſpatio Imperio Yncarum accidere, idque ad maximum ſplendorem euexere, donec ſaeuitia Hiſpanorum vna cum Atachualipa Yncarum vltimo plane euerteretur, cauſſam habuere magnorum principum prudentiam, Imperium moderatum, religionis auguſtam magnificentiam, accreſcentemque noui Imperii potentiam, terras, exercitus, quibus ex inſtituto philoſophico in politicum imperium magnae celebritatis commutatum eſt.

S. D. G.

TABVLA

Digitized by Google

TABVLA MNEMONICA HISTORIAE PHILOSOPHICAE

SECVNDVM ELEGANTISSIMVM ORDINEM CL. BRVCKERI IN VSVM STVDIOSAE IVVENTVTIS ADORNATA A I. C. B.

HISTORIA PHILOSOPHICA eſt luculenta eorum, quae circa Philoſophiae originem ac progreſſum ac circa res geſtas Philoſophorum memoratu digna ſunt, commemoratio, quae commodiſſime in antiquam, mediam *ac* nouam *diſpeſcitur. Hinc totam Hiſtoriae Philoſophicae ambitum TRIBVS PERIODIS complectemur, quas, vt memoriae conſulatur, ſpecialibus partibus ac capitibus enarrabimus.*

PERIODVS PRIMA naſcentem et adoleſcentem, quin virilem quoque Philoſophiae aetatem a mundo condito ad initia Romanae Monarchiae ſub ſe comprehendit. Huc igitur referenda venit:

I. Philoſophia ante-diluuiana. Sunt enim, qui *Adamum, Cainum, Sethum, Tubalcainum, Enochum*, in Philoſophorum claſſem referunt. Omnis autem illa Philoſophia concidet, ſi conſideres, Patriarcharum vitam experientiam magis et reuelationem, quam meditationem philoſophicam, ducem habuiſſe, experientiae vſum vero cum cognitione certa ex principiis deducta confundendum haud eſſe. Quicquid praeterea de monumentis litterariis ante-diluuianis traditur, fabulae ſunt, ab otiolis ingeniis excogitatae.

II. Philoſophia poſt-diluuiana, quae eſt vel

N Barbarica ſeu Gentium Barbararum, quo nomine Graecis omnes gentes veniunt, Graeco ſermone et elegantia carentes. Huc igitur ſunt referendae Gentes:

Orientis, quae ſunt

α. Hebraei, quo nomine Abrahami et Iſraëlis poſteri vſque ad captiuitatem Babylonicam comprehendi ſolent, qui enim ex iſta diſperſione redierunt, Iudaei vocari ſolent. Inter Ebraeos autem Philoſophos numerantur *Noachus, Semus, Chamus, Abramus, Iſaacus, Iacobus, Ioſephus, Moſes, Salomon, Daniel, Iobus.* Sapientia Ebraeorum vero in prudentia eccleſiaſtica, ciuili et oeconomica, ipſo vſu et diuini quoque luminis auxilio adiuta, non vero in ſcientia philoſophica atque ſpeculatiua quaerenda eſt, niſi vocem hanc ad omnem ingenii et ſapientiae cultum inepte velimus traducere.

β. Chaldaei, quorum Philoſophia ZOROASTREM auctorem habet, praeter quem BELVS alter ſcientiarum parens inter Aſſyrios celebratur, quorum vero aetas aeque ac hiſtoria incerta et obſcura. Serius his vixit BEROSVS,

qui Graecos Chaldaicas disciplinas primus docuit. Praeter hos *Marmaridius*, *Zarmocenidas*, *Zoromasdres*, *Teucrus*, *Zabratus*, inter Chaldaeos celebrantur.

γ. **Persae**, inter quos ZARDVSHT sapientiae conditor fuit, qui librum, *Zendauesta* vel *Zend* dictum, scripsisse dicitur. Post eum inter Persarum Magos *Hostanes*, *Hystaspes*, *Astrampsychus* et alii eminuerunt.

δ. **Indi**, qui viros celeberrimos habuere, BRACHMANES et GYMNOSOPHISTAS dictos, et in certas classes siue Sectas, in *Brachmanes* scilicet et *Germanes* seu *Samanaeos* diuisos. Celebrantur inter illos BVDDAS, DANDAMIS, CALANVS, IARCHA.

ε. **Arabes**, inter quos ZABII vel SABAEI et LOCMANNVS, elegantissimus apologorum scriptor, memorabiles sunt.

ζ. **Phoenices**, qui antiquissimae sapientiae promi condi et litterarum inuentores creduntur. Celebrantur inter eos MOCHVS vel MOSCHVS, qui Systema atomisticum inuenisse, et CADMVS, qui Graecas litteras ex Phoeniciis exsculpsisse dicitur, nec non SANCHVNIATON.

Meridiei, quo pertinent

α. **Aegyptii**, apud quos Sapientiae conditor THEVT vel THOYT fuit, quem Graeci *Hermetem*, Latini *Mercurium* dicunt. Post hunc alter quoque inter Aegyptios *Mercurius*, *Trismegistus* vocatus, eminuit, cui varii libri, variaque tribuuntur inuenta.

β. **Aethiopes**, quorum sapientia Aegyptiae originis esse creditur, quae vero de illa, deque ATLANTE, Astronomo primo, dicuntur, incerta sunt.

Occidentis, quo spectant

α. **Celtae**, apud quos Philosophi DRVIDES vocati sunt, in tres ordines, *Bardos*, *Vates* et *Druides*, siue *Drottas*, *Wysendammen* et *Scaldos*, diuisi. Sub Celtarum nomine vero Galli, Britanni, Germani veniunt, populique, qui per Cimbriam, Sueciam, Daniam, Norwegiam habitarunt.

β. **Etrusci** et **Romani veteres**, quorum illi naturae cognoscendae studuere, nec non auguriis, quae inuenisse apud eos TAGES quidam dicitur. Quae autem de Romanorum Philosophia, eiusue auctore, *Numa Pompilio*, proferuntur, vana sunt.

Septentrionis, quo sunt referendi **Hyperborei Scythae**, a Celto-Scythis distincti, **Thraces**, **Getae**, etc. inter quos sapientiae laudem consecuti sunt ABARIS, ANACHARSIS, TOXARIS et ZAMOLXIS, sapientiae apud istas gentes auctor.

ב **Graecanica**, quae fuit vel:

a. **Mythologica**, siue fabularum velo inuoluta, quam in lucem produxerunt et enutriuerunt PROMETHEVS, LINVS, qui HERCVLEM, THAMYRIN et ORPHEVM, praecipuum sapientiae Graecae auctorem, discipulos habuit, *Musaeus*, *Eumolpus*, *Melampus*, *Amphion*, *Hesiodus*, *Epimenides* et *Homerus*.

b. Poli-

Digitized by Google

b. **Politica**, quae ad ſalutem reipublicae fundandam ac promouendam erat comparata: huic obſtetricati ſunt prudentiſſimi Graeciae legislatores, *Zaleucus*, *Charondas*, *Triptolemus*, *Draco*, *Solon*, *Lycurgus*, *Rhadamantus*, *Minos*, et ſeptem illi Graeciae Sapientes, ſolenniori hoc titulo adpellati, *Thales*, *Solon*, *Chilon*, *Pittacus*, *Bias*, *Cleobulus*, *Periander*, quibus adiungimus *Aeſopum*.

c. **Dogmatica** ſiue **Artificialis**, quae natales ſuos THALETI ac PYTHAGORAE debet, et per duos quaſi ramos ac ſucceſſiones, Ionicam atque Italicam, eſt propagata, vtpote a quibus omnis Philoſophantium turba deſcendit: nam e

A. Secta **Ionica**, quae THALETEM MILESIVM conditorem, *Anaximandrum* vero, *Anaximenem*, *Anaxagoram*, *Diogenem Apolloniatem*, *Archelaum*, adſeclas et ſucceſſores habuit, propullularunt:

α. Schola **Socratica**, quam SOCRATES condidit, cuius diſcipuli praecipui fuere *Xenophon*, *Aeſchines*, *Crito*, *Simon*, *Cebes*, *Ariſtippus*, *Phaedo*, *Euclides*, *Plato*, *Antiſthenes*, *Critias* et *Alcibiades*. Ex hac ſchola prodiit

β. Secta **Cyrenaica**, quae ab ARISTIPPO ortum nacta eſt. Sectatores habuit filiam *Areten*, eiusue filium *Ariſtippum*, nec non *Antipatrum Cyrenaicum*, qui *Epitimidi*, et hic *Paraebatae*, ille vero *Hegeſiae* et *Anniceridi* Philoſophiam Cyrenaicam tradidit, quibus Secta Hegeſiaca et Anniceria nomen debent. *Areten* quoque *Theodorus*, Atheus dictus, audiuit, qui *Bionem Boryſthenitem* ſectatorem habuit.

γ. Secta **Megarica** ſiue **Eriſtica**, cui EVCLIDES MEGARENSIS originem dedit. Adſeclas habuit *Eubulidem Mileſium*, *Cleomenem*, qui primus de axiomatibus et categorematibus ſcripſit, *Alexinum Eleënſem*, fruſtra ſectam molientem, *Euphantum*, *Apollonium Cronum* et *Diodorum Cronum*, nec non *Stilponem Megarenſem*, Philoſophorum huius ſcholae facile principem.

δ. Schola **Eliaca** et **Eretriaca**, illam excitauit PHAEDO ELIENSIS, *Socratis* diſcipulus, et quamuis a *Socratis* placitis haud recellerit, nomen tamen ſcholae ſuae dedit. Hunc ſecutus eſt *Pliſtanus*, et eum *Menedemus*, qui ſcholam iſtam in patriam Eretriam tranſtulit, vnde Eretriaca dicitur.

ε. **Secta Academica**, quae PLATONI originem debet, qui in diſciplina ſua habuit *Dionem*, *Hyperidem*, *Demoſthenem*, *Iſocratem* et alios. Cum vero poſt mortem *Platonis* diſcipuli in iisdem auctoris placitis non perſtarent, exorta inde eſt

1. **Academia vetus** ſeu **prima**, quae a *Platonis* mente non receſſit. In eius cathedra vero ſucceſſerunt *Xenocrates*, *Polemo*, *Crates*, iuxta quem in Academia excelluit *Crantor Solenſis*.
2. **Academia media**, quae ab ARCESILAO PITANAEO eſt condita, cuius veſtigia preſſit LACYDES CYRENAEVS, cui ſucceſſere *Telecles*, *Euander*, *Egeſinus Pergamenus*, *Carneades*, qui Academicam diſciplinam paulilper inflexit, hinc
3. **Academia noua**, quam CARNEADES condidit. Hunc in ſchola exceperunt *Clitomachus* et *Philo Lariſſaeus*, qui, ab anteceſſoris ſui Praeceptis parumper recedens, **quartae Academiae** auctor extitit, et cum diſcipu-

diſcipulus eius ac ſucceſſor itidem alia via ſibi incedendum eſſet ratus, quintae Academiae denominationi anſam dedit, qui fuit *Antiochus Aſcalonita.*

ζ. Secta Peripatetica, quae ARISTOTELEM auctorem habet, cuius ſucceſſores in Lyceo fuere *Theophraſtus*, *Strato Lampſacenus*, *Lyco Troadenſis*, *Ariſto Ceius*, *Critolaus* et *Diodorus.* Inter Peripateticos quoque, praeter Lycei doctores, *Dicaearchus*, *Eudemus*, *Heraclides Ponticus*, *Phanias* et *Demetrius Phalereus* eruditionis laude eminuerunt.

η. Secta Cynica, quae ANTISTHENEM ATHENIENSEM auctorem habuit. Sectatores eius fuere *Diogenes*, *Oneſicritus*, *Monimus*, *Crates*, *Hipparchia*, *Metrocles*, *Theobrotus*, *Cleomenes*, *Demetrius* et *Timarchus Alexandrini*, *Echedes*, *Menippus.*

ϑ. Secta Stoica, cuius auctor ZENO CITTICVS fuit. Succeſſores eius in ſtoa ſiue porticu fuere *Perſaeus*, *Ariſto Chius*, *Herillus*, *Sphaerus*, *Cleanthes*, *Chryſippus*, *Zeno Tarſenſis*, *Diogenes Babylonius*, *Antipater Tarſenſis*, *Panaetius Rhodius*, *Poſidonius*, qui Rhodi Stoicam Philoſophiam docuit, ac *Iaſonem* in Schola habuit ſucceſſorem.

B. Secta Italica, quam PYTHAGORAS, *Pherecydis Syri* diſcipulus, condidit. Sectatores eius fuere *Ariſtaeus*, *Muſarchus*, *Telauges*, *Bulagoras*, *Gortydas*, *Areſa*, *Diodorus Aſpendius*, *Archytas*, *Empedocles*, *Epicharmus*, *Ocellus Lucanus*, *Timaeus*, *Archytas*, *Alcmaeon*, *Hippaſus*, *Philolaus*, *Eudoxus.* Quibus addi poſſunt *Ecphantus* et *Hippo Rheginenſis*, qui vero ab Italicis opinionibus defecerunt, vnde *Semi-Pythagorei* dicuntur. Ex Italica Pythagorae Schola, matre foecundiſſima, prodiere tanquam filiae

α. Secta Eleatica, quam condidit XENOPHANES, cuius in ſchola ſucceſſores fuere *Parmenides*, *Meliſſus Samius* et *Zeno Eleates*, quos alii, Syſtema metaphyſicum Eleaticorum in phyſicum mutantes, excepere, *Leucippus* nempe, *Democritus Abderita*, ex cuius diſciplina *Protagoras*, *Diagoras Melius* et *Anaxarchus* emerſerunt.

β. Secta Heraclitea, quae HERACLITVM EPHESIVM auctorem habuit, et mature exſpiravit. Interim *Zeno* ac *Hippocrates* in morem Heraclitum philoſophati ſunt, et haud pauca ex placitis Heraclitis in ſua horrea alii tranſtulere Philoſophi, *Heraclitiſtae* inde dicti.

γ. Secta Epicurea, Eleaticae propago, quae EPICVRVM auctorem, *Metrodorum* vero, *Polyaenum*, *Hermachum*, *Diogenem Tarſenſem*, *Apollodorum*, *Zenonem* et *Sidonium* ſectatores habuit.

δ. Secta Pyrrhonia ſiue Sceptica, quae PYRRHONEM parentem agnoſcit, cuiusue diſcipuli ac ſectatores fuere *Eurylochus* et *Timon Phliaſius*, poſt quem Secta haec mature extincta eſt, reuocauit tamen eam *Ptolemaeus Cyrenaeus*, quem audiuit *Heraclides*, huius vero diſcipulus *Aenefidemus Gnoſſius* fuit, a quo Secta haec duobus fere ſeculis eſt propagata.

Fata

Digitized by Google

Fata Philoſophiae Graecae extra Graeciam quoque memoratu digniſſima ſunt, quamuis enim arctis diu limitibus Graeciae et inferioris Italiae, quae Graecia magna dicta eſt, incluſa eſſet Philoſophia, tandem tamen transiit

ℵ in Aſiam: Alexandro M. enim magna Aſiae parte potito, cum Philoſophos, maxime *Calliſthenem* et *Anaxarchum* in ſuo comitatu haberet, ad colloquia cum ſapientibus gentium, inprimis Perſarum Magis et Indorum Brachmanibus inſtituenda eos ablegauit Alexander, Philoſophiam Graecanicam attemperare illarum gentium ſapientiae ſtudens. Quae cum mire a Graecorum Philoſophia diſtaret, mythologica tamen Orientalis Theologiae conditio occaſionem praebuit, ea, quae Perſae, Bactriani, populique alii de diuinis praecipiebant, cum Graecis comparandi ac conciliandi. Maxime vero Zoroaſtrea Secta id fecit, et hinc nouum tandem diſciplinae genus in Oriente enatum eſt.

ב in Aegyptum: Cum enim Alexander M. et Aegypto potiretur, coloniis, quas Alexandriam deduxerat, permiſit, ſuae adhaerere religionis placitis. Ita vero, dum omnis generis dogmata inter Graecos innotuere, ea Graecis placitis admixta et adaptata ſunt, gentis indole eiusmodi Syncretiſmo mire fauente. Poſt Alexandri mortem Ptolemaeus Lagi Graecam Philoſophiam in Aegyptum deduxit, ſic vt Athenae inueniri Alexandriae viderentur. Quem in finem et *Bibliothecam ſplendidam* condere coepit, cui Scripta Philoſophorum Graecorum intulit, Philoſophos celeberrimos conduxit, inter quos *Demetrius Phalereus* fuit. Et cum Lagidis ſucceſſores iisdem erga litteras vterentur rationibus, conuolarunt illuc Philoſophi Graeci. Hinc ab eo tempore omnium fere Sectarum Graecarum nomina in Aegypto audita ſunt, maxime vero *Platonica* inualuit. Et cum vltimi quoque Pythagorei ex Italia in Aegyptum aufugiſſent, eorum inſtituta valde arriſere genti ſuperſtitioſae. Inde factum, vt praecepta et inſtituta *Pythagorico-Platonica* in ſuos transferrent vſus. Hinc qui Graece quidem philoſophari et patriis tamen ritibus Deos colere cupiebant, *Syncretiſmum illum Pythagorico-Platonico-Aegyptiacum* commenti ſunt. Nec difficile fuit, omnia, licet diſſona, in vnum colligere, allegoriae machinis potenter torta et inflexa. Quam Theologiam reliquarum quoque religionum et opinionum homines amplexi ſunt, ita tamen, vt domeſtica illi dogmata inferrent, et ſic ex variis centonibus noua aliqua Theologia Aegyptiaca effingeretur. Cumque ſub Ptolemaeo Phyſcone Philoſophi ex Aegypto in Aſiam diſpergerentur, mature autem redirent, ab illis Orientalis quoque Philoſophia Pythagorico-Platonicae admixta eſt. Et hinc infelix illud monſtrum *Philoſophiae Aegyptiacae* enatum eſt, quod omnis ſanae doctrinae peſtis fuit.

PERIODVS SECVNDA a nascentis sensimque emergentis Monarchiae Romanae primordiis ad felicissimam scientiarum omnium et Philosophiae quoque restitutionem et reuocationem ex squalore barbariei se extendit, ac sub se comprehendit:

I. Romanorum Philosophiam, quorum Sapientia consideranda est, qualis fuerit

ℵ Ante conditam Monarchiam, vbi notandum, difficulter initio Graecam Philosophiam admissam esse. Cum enim *Carneades*, *Diogenes* et *Critolaus*, Athenienſium legati, Romam venissent, et nobilissimi Romanae iuuentutis ad audiendos Graecos Philosophos conuolarent, factum est, vt, legatis honeste dimissis, ad extinguendas relictas amoris Philosophiae scintillas SCto cautum sit, ne Philosophi Romae essent, id quod ad Rhetores quoque deinceps extensum est. Cum vero Romani iuuenes, qui dictos Athenienſium legatos audiuerant, imperium exercituum nacti in Graeciam venissent, Graecae Philosophiae gratia capti Graecos Philosophos audirent, inque eorum phrontisteria venirent, eorum placita didicerunt. Et hoc primo quidem a *Scipione Africano*, *Laelio* et *Furio* factum est, quorum primus multum *Panaetio* adhaesit, alter hunc et *Diogenem Stoicum* sectatus est, ita tamen, vt Stoica inprimis praecepta eligerent. Idem quoque a Romanis proceribus factum est, quorum tamen omnium plurimum Philosophiam Graecam promouit *Lucullus*, is enim ab *Antiocho Ascalonita* Philosophiam didicit, praestantissimam domi bibliothecam instruxit, et Philosophos Graecos Romam pellexit, cui *Sylla* iungendus, qui *Aristotelis* et *Theophrasti* Scripta, expugnatis Athenis, primus in lucem protraxit, et Romam detulit. Et ab his *Syllae* et *Luculli* temporibus Philosophiae Graecae apud Romanos florentis epocha derinanda est, et quidem circa annum 670 Vrbis Romae conditae. Ab eo tempore nulla fere Graecorum secta fuit, quae non inter Romanos patronos atque assecias inueniret. Nam Sectatores habuit

α. Secta Pythagorea, cui *Ennius*, *Cato Censorinus* et *P. Nigidius Figulus* adhaesere, post quem Pythagorica disciplina mox euanuit.

β. Academia tam vetus quam media atque noua. Veteri enim praeter *Lucullum M. Brutus*, *M. Terentius Varro* et *M. Piso*, sua dederе nomina, Academiae mediae vero *M. Tullius Cicero* assecla ac sectator fuit.

γ. Secta Stoica, cui praeter alios reipubl. Romanae proceres *Q. Lucilius Balbus* et *Cato Vticensis* addicti fuere.

δ. Schola Peripatetica, cum enim *Tyrannionis* cura ex Bibliotheca *Syllae* Scripta *Aristotelis* accepisset *Andronicus Rhodius*, Philosophus Peripateticus, iisque, commentariis scriptis, lucem intulisset, factum est, vt Peripatetica Secta Romanis quoque proceribus se commendaret. *Cato* enim *Demetrium* Peripateticum secum habuit, *Crassus Alexandrum Antio-*

Digitized by Google

Antiochenum, *Piſo Staſeam*, *Cicero* filium *Cratippo*, Philoſophiam Peripateticam Athenis docenti, inſtituendum tradidit.

ε. **Secta Epicurea**, cuius Sectae ſtudio inprimis nota ſunt illuſtria *Torquati*, *Velleii*, *Trebatii*, *Papinii Paeti*, *Verrii*, *Sanſeii*, *Albutii Piſonis*, *Panſae*, *Fabii*, *T. Pomponii Attici* et *C. Caſſii* nomina.

ζ. **Secta Sceptica**, quae quidem Ciceronis tempore pro extincta habebatur, ab *Aeneſidemo* tamen Alexandriae reſuſcitata, qui ſcriptis libris Pyrrhoniis Scepticam Philoſophiam nouo lumine perfudit, eamque iuſto ſyſtemate complexus eſt.

ב **Sub inualeſcente ac condita Romanorum Monarchia**, quo tempore, exſpirante quidem reipublicae Romanae libertate, non tamen exſpirauit Philoſophiae ſtudium. Nam praeter multos viros doctos, *Virgilium*, *Horatium*, *Ouidium*, *Lucanum*, *Manilium*, *Perſium*, Poëtas, *Liuium*, *Tacitum* ac *Strabonem*, hiſtoricos, qui Scripta ſua placitis philoſophicis, tanquam gemmis diſtinxere, hic nobis ſeſe offerunt Philoſophi

α. **Pythagorici**. Quamuis enim Secta Pythagoraeorum mature interciderit, nec illa vnquam, ſi adcurate loquendum, reſtituta ſit, fuere tamen Philoſophi nonnulli, qui et Pythagorica quaedam dogmata receperunt, et inprimis inſtitutum vitae Pythagoricum ſecuti, hanc Sectam reſtituiſſe videri voluerunt, in quem cenſum, praeter *Nigidium*, *Anaxilaus*, *Sextius*, *Sotion*, *Moderatus Gaditanus*, et qui omnibus palmam praeripit, *Apollonius Tyanaeus*, veniunt, quibus *Nicomachus Geraſenus* adnumerandus.

β. **Platonici**, quo pertinent *Thraſyllus*, *Theon Smyrnaeus*, *Alcinous*, *Fauorinus*, *Caluiſius Taurus*, *Apuleius*, *Atticus*, *Numenius*, *Maximus Tyrius*, *Plutarchus* et *Galenus*, qui in Dialecticis Ariſtotelem ſecutus, quartam illis Figuram adiecit.

γ. **Eclectici** ſiue **Platonici recentiores**, quo nomine certa Philoſophantium familia intelligi debet, quae varia diuerſarum Sectarum et religionum dogmata, ne Chriſtiana quidem excepta, in vnum coaleſcere coëgit doctrinae aedificium. Syncretiſticae huius Sectae tulit ſemina Aegyptus, Sectae autem huic Syncretiſmo dedit nomen *Potamo*, Philoſophus Alexandrinus, et cum exiguam fortunam eius conamina habuiſſent, feliciori ſucceſſu rem aggreſſus eſt *Ammonius Alexandrinus*, a vitae genere *Saccas* dictus. Diſcipulos habuit *Longinum*, *Herennium*, *Origenem*, et qui omnes commilitones ſuos acumine vicit, *Plotinum*, alterum eclecticae Scholae Alexandrinae parentem, et Platonicorum Alexandrinorum principem, a quo iſta ſucceſſio nomen obtinuit, quam propagauere *Amelius*, *Porphyrius*, *Maximus Epheſius*, *Iamblichus*, *Aedeſius*, *Euſtathius*, *Chryſanthius*, *Hierocles*. Quae haereſis ſyncretiſtica, cum Athenas commigraſſet, *Plutarchum*, Neſtorii filium, *Syrianum*, *Proclum*, *Marinum*, *Iſidorum*, *Damaſcium*, habuit doctores.

δ. **Peripatetici**, qui in duas claſſes diuidi poſſunt. Prima claſſis ab *Andronico* vſque ad *Neronis* aetatem ſingularem Philoſophiae typum ſeruauit,

ſeque a reliquis Sectis tota diſtinxit, quo pertinent *Soſigenes*, *Boethus*, *Nicolaus Damaſcenus*, *Xenarchus*, *Athenaeus*, *Alexander Aegeus*. Secundae claſſi, quae ad Sec. VII ſe extendit, tempore Neronis *Ammonias*, ab Ammonio Sacca probe diſtinguendus, originem dedit, quae iure ſuo Syncretiſtica appellatur, nam dogmata Peripatetica quidem ſecutus eſt *Ammonius*, eſt ita, vt Platonica quoque et Stoica cum illis conciliaret, quae mixta Philoſophia etiam in Lyceo obtinere coepit, donec ab *Ammonio Sacca* in formam Sectae tranſiit. Ab eo enim tempore Philoſophia Peripatetica ab iis quoque exculta eſt, qui Platonici videri volunt, *Ariſtotelis* et *Platonis* diſciplinam iungentes, quo nomine Seculo ſecundo eminuere *Taurus Berytius*, *Atticus*, *Fauorinus*, *Sotion*. Maiori Peripateticae doctrinae gloria tum inclaruerunt *Galenus*, *Eudemus* et *Alexander Demaſcenus*. Non tamen omnes Syncretiſmus ille infecit, ſed inuenti ſunt, qui caſtius *Ariſtotelem* ſequerentur, ex quibus *Adraſtus*, *Ariſtocles Meſſenius* et *Alexander Aphrodiſeus* laudandi. Magnum detrimentum autem ab *Ammonii Saccat* aetate Schola Ariſtotelis genuina iterum eſt paſſa, cum Eclectici Peripateticiſmo fauentes, Peripateticam diſciplinam Syncretiſmo ſuo, licet *Anatolius*, genuinus Peripateticus, acriter obliterit, valde corrumperent, inter quos primas tenent *Themiſtius*, *Olympiodorus*, *Simplicius Cilix*. Ab eo enim tempore Philoſophia Peripatetica ad Saracenos et Chriſtianos tranſiit.

ε. **Cynici**, quorum nomina poſt Chriſtum natum vix innotuere. Inclaruit tamen *Muſonius Babylonius*, *Demetrius*, *Demonax*, *Creſcens*, *Peregrinus* et *Saluſtius*.

ζ. **Stoici**, quorum fortuna laetiſſima incrementa cepit, cum Imperatores non ſolum illis fauerent, ſed et ipſe *M. Aurelius Antoninus* habitu Stoico philoſophans auctoritatem eorum egregie promoueret. Celeberrima illorum nomina ſunt *Athenodorus*, *Cornutus*, *Muſonius Rufus*, *Chaeremon*, *Seneca*, *Dio Pruſaeenſis*, *Euphrates*, *Epictetus*, *Sextus Chaeronenſis*.

η. **Epicurei**, inter quos *Plinius*, *Lucianus* et *Diogenes Laërtius* numerantur, quibus alii *Celſum* ſine ratione adiungunt.

θ. **Sceptici**, quorum catalogo *Claudius Ptolemaeus* ac *Aulus Cornelius Celſus* ſine ratione, praeter *Aeneſidemum* vero *Sextus Empiricus*, *Saturninus Cythenas*, *Theodoſius Tripolites*, ſuo inſeruntur merito. Haecque Graecarum Sectarum fortuna fuit vſque ad Seculum VIImum.

II. Orientalium ſiue Aſiaticorum Philoſophiam.

Horum Philoſophia cum ex *Zoroaſtreae Diſciplinae* reliquiis paulo ante natum Salnatorem eſſet enata, innumeros per Aſiam Sectatores ſparſit, ex quibus haud pauci in Aegyptum progreſſi, non Philoſophiam modo, maxime Pythagorico-Platonicam, ſed religionem quoque Chriſtianorum ac Iudaeorum contaminarunt, et inter illos *Cabbaliſtas*, inter hos *haereticos*, communi nomine *Gnoſticos* dictos, genuerunt. In Oriente vero, maxime in Chaldaea et Perſia, Sectam hanc fuiſſe enatam, indeque per Syriam, Aſiam et Aegyptum ſe diffudiſſe,

Digitized by Google

diſſe, ex indubiis certum eſt teſtimoniis. Ex quibus etiam conſtat, huius diſciplinae Sectatores ad *Zoroaſtrem*, eiusue Philoſophiam prouocaſſe, et ſe eius Propagines iactitaſſe. Id quod verum eſſe deprehendet, qui ſyſtema Zoroaſtreum cum horum hominum deliriis comparauerit, illis tamen reſectis, quae nouaturientia adiunxerunt ingenia. Quaedam autem Platonica poſtea eos recepiſſe, certum eſt.

III. Iudaeorum Philoſophiam poſt reditum ex captiuitate Babylonica, vbi conſideranda:

א Philoſophia Iudaica a tempore reditus ex captiuitate Babylonica vsque ad excidium Hieroſolymarum, in qua Periodo ſequentia potiſſimum veniunt notanda:

α. Habuiſſe Iudaeos reduces viros magnos, atque legis patriae et prudentiae ciuilis peritiſſimos, *Zorobabelis*, *Nehemiae* ac *Esdrae* exemplo patet.

β. Samaritanos mixtum aliquod religionis Iudaico-Gentilis ſyſtema fouiſſe, de ſpiritibus ex Deo emanantibus quaedam eos ex Orientali doctrina tandem recepiſſe, et inde *Simonis Magi* deteſtabilem Philoſophiam ortum accepiſſe.

γ. Coloniam Iudaeorum Aegyptiacam Philoſophiam Gentilem, maxime *Pythagorico-Platonicam* et Orientalibus dogmatibus mutatam et auctam, *Peripatetica* tamen non plane excluſa, allegoriarum machinis ad legis patriae interpretationem arcanam accommodaſſe, ac allegoricam interpretationem ab his temporibus eſſe repetendam, quod vel *Philonis* exemplo patet ac *Ariſtobuli*, qui legis interpretationem allegoricam ſcripſit, inter primos corruptae ſapientiae Iudaicae auctores referendus.

δ. Nec in Palaeſtina Cabbalam, ſine arcanam legis interpretationem ignotam fuiſſe, quam *Simeon Schetachides* tradidit, et fuiſſe viros doctos inter Iudaeos, qui Graecanicam Philoſophiam diſcerent, cuius egregium *Ioſephus* hiſtoricus eſt exemplum.

ε. Sectas Iudaeorum praecipuas fuiſſe, *Sadducaeos*, *Karaeos*, *Phariſaeos*, *Eſſenos*, *Therapeutas*, quarum tamen origines incertae et obſcurae ſunt: Nec defuiſſe Iudaeis alios eruditos viros, inter quos *Ieſus Syracides*, *Philo*, *Hillel* et *Schammai* eminent.

ב Philoſophia Iudaica ab excidio vrbis Hieroſolymae ad recentiora vsque tempora, cuius potiora momenta fere haec ſunt:

α. Viri docti, qui tempeſtatem excidii euaſerunt, Scholas erexerunt *Iamniae*, *Tyberiade*, *Bitterae*, *Lyddae*, *Caeſareae*, inter quas *Sephorienſis* celeberrima euaſit. Celebriores tum Iudaeorum doctores *Eliezer Magnus*, *Iohannan Saccaides*, *Iehuda Hakkadoſch* ſine ſanctus, *Tarphon Akibha*, *Iechoſua Ben Chanania*, *Eliezer Filius Chirmae* fuere, quibus *Talmudis* compilatio debetur. In *Babylonia* autem Scholae celebrantur *Sorana*,

Digitized by Google

Nahardeenſis, *Pumbedithana*, et minores aliae, in quibus *R. Aſche* et *R. Ioſe* docuerunt, noui *Talmudis*, *Babylonici* dicti, auctores.

β. Altera ſapientiae Iudaicae pars verſata eſt circa traditionem myſticam, *Cabbala* dictam, et Metaphyſicam Iudaeorum arcanam exhibet, quam poſt euerſam rempublicam magno ſtudio excoluerunt. Cuius diligentiae fructus ſunt *Sepher Happeliah*, *Sepher Hakkaneh*, *Sepher Habbahir*, *Sepher Sohar*. Cabbaliſtae prae aliis inſignes fuere *R. Akibha*, qui libri *Iezirah*, et *Simeon Iochaides*, qui libri *Sohar* auctor eſt. Prioris diſcipulus fuit *Schimeon Filius Iochai*, poſt cuius aetatem vsque ad Seculum X exigua Cabbaliſticae Philoſophiae notitia deprehenditur, et vnius *R. Saadias Gaon* celebris fuit, cum quo Seculo XI omnis eruditio in Oriente exſpirauit. Iudaei enim a Saracenis vehementer perſecutione preſſi ex Oriente in Occidentem profugerunt, et inprimis in Hiſpania conſederunt.

γ. Poſita in Hiſpania litterarum Iudaicarum ſede, non ſolum ſtudio *Talmudico* et *Cabbaliſtico* dediti fuere Iudaei, ſed et ad *Ariſtotelicam Philoſophiam* addiſcendam animum adiecerunt, cui ſtudio Verſiones ſcriptorum *Ariſtotelis* Hebraicae ex Arabicis confectae adſcribendae ſunt. Eminet inter eos *R. Moſes Maimonides*.

IV. Saracenorum ſiue Arabum Philoſophiam, quae *ante legem Islamiticam* latam et Muhammedis aetate nulla fuit. Familia *Abbaſidarum* vero ſceptra tenente, Seculo VIII poſt Chriſtum natum aurora quaedam eruditionis illuceſcere coepit, donec Seculo IX nouus in *Almamone* eruditioni omni, et inprimis Philoſophiae, ſol exoriretur. Ex eo enim tempore *Iohannes Filius Meſue Damaſcenus*, ſcholam *Bagdadi* aperuit, et Philoſophiam lingua Syriaca docuit. Cuius diſcipulus *Honainus* pariter ſtudium Philoſophiae mire promouit, quod auxere Bibliothecae Chriſtianorum, quae in Saracenorum venerant poteſtatem. *Galeni* et *Ariſtotelis* Opera in linguam Arabicam ſunt traducta. Scholae publicae *Bagdadi*, *Baſorae*, *Bocharae*, alibique locorum floruerunt, omnibus autem Orientis Scholis ſub Mogulenſium imperio praefectus erat *Naſiroddinus Tuſenſis*, Philoſophus celeberrimus. Nec Philoſophia Orientis terminis incluſa manebat, ſed *Saracenorum* imperio in Occidentem quoque extenſo, ab his quoque *Occidentis* populis Arabibus Philoſophia promota eſt. Verſiones librorum, inter Saracenos Orientales confectae, in has terras allatae, et ſplendidiſſimae *Bibliothecae Feſſae* et *Larrachae* ſunt excitatae: Gymnaſia ſuperba ſunt condita, ſtipendiis nutriti ſunt profeſſores, vnde magnus in iſtis locis Philoſophorum prouentus fuit, inter quos eminuere *Raſi*, *Efferiph Effachali*, *Ibnu Saig*, *Ibnu Sohar*, *Ibnu Thophail*, *Auerroës*, *Abul Haſan* ſiue *Al-Aſſhari*, praeter quos maximam nominis celebritatem nacti ſunt *Alkendi*, *Alfarabi*, *Ibn-Sina* ſiue *Auicenna*, *Auenzoar*, *Ebn-Baiiah* ſiue *Auempace*, *Al-Gazel*, *Noimodinus*, *Bachillanus*, *Abulfaraius* et alii.

V. Chri-

Digitized by Google

V. Chriſtianorum Philoſophiam, cuius hiſtoria duabus commodiſſime includitur Periodis.

א Prima Periodus Philoſophiam Chriſtianorum antiquam continet, et a nato Seruatore ad Seculum VII ſe extendit. Patres eccleſiae vero, qui doctrinae philoſophicae laudem ſunt conſecuti, ſunt Seculo IIdo *Iuſtinus Martyr*, *Theophilus Antiochenus*, *Athenagoras*, *Irenaeus*, *Clemens Alexandrinus*, *Pantaenus*, *Herminas*, qui omnes Platoniſmo tunc temporis regnanti fauent, nec non *Tatianus*, ad Gnoſticorum caſtra transiens, ac *Tertullianus*, qui, quamuis veteris Philoſophiae fuit callentiſſimus, eam tamen omnem reiecit, Sec. III *Origenes*, qui eclecticam Philoſophiam Alexandriae, Ammonio Sacca auctore, exortam, Chriſtianis doctrinis immiſcuit, Sec. IV *Arnobius*, *Lactantius*, *Euſebius*, *Didymus Alexandrinus*, *Auguſtinus*, *Chalcidius*, Sec. V *Syneſius*, et *Pſeudo-Dionyſius*, nec non in Occidente, vbi barbaries paulatim inualeſcere coeperat, *Claudius Mammertus* et *Boëthius*, qui omnes *Origenis* veſtigia prementes eclecticae Sectae dediti fuere, quamuis *Boëthius* Alexandrinae Philoſophiae Peripateticam iungeret, Sec. VI *Aeneas Gazaeus* et *Zacharias Scholaſticus*, eclecticae itidem Philoſophiae fautores, quibus *Iohannes Philoponus* iungendus, qui, quamuis eidem diſciplinae ſe dedidiſſet, potiorem tamen curam ad *Ariſtotelis* interpretationem conuertit.

ב Secunda Periodus Philoſophiam Chriſtianorum medii aeui ſub ſe comprehendit, et a Seculo VII ad reſtitutas vsque eruditionis elegantioris partes, quod Sec. XIV et XV contigit, decurrit, hicque conſideranda venit

α. Philoſophia Chriſtianorum Graecorum ſiue Orientalium a Sec. VII vsque ad expugnatam Conſtantinopolin. Vbi ſequentia veniunt notanda: Exſpirauit Sec. VII Philoſophia *Platonico-Alexandrina* inter Gentiles, ac inter ſolos Chriſtianos, praeſertim monachos, reſidua manebat. Extra monaſteria vero ab eo tempore *Ariſtotelica Philoſophia* caput efferre coepit, cuius ſtudium poſt *Philoponum* mirifice promouit *Iohannes Damaſcenus*, qui hacce Philoſophia ſacram quoque Theologiae ſcientiam adiuuit, et habitu eam philoſophico induit, hincque inter praecurſores Theologiae Scholaſticae numeratur. Poſt eum barbaries quidem inualuit, at Sec. IX reſtitutae ſunt litterae, *Michaële* et *Barda* imperantibus, a quo tempore vſque ad captam Conſtantinopolin ſequentes Philoſophi inclyti fuere, *Pſellus Senior*, *Leo Philoſophus*, *Photius*, *Nicetas*, *Dauid* et *Michaël Epheſius*, *Nicephorus Blemmides*, *Georgius Pachymeres*, *Nicephorus Gregoras*, *Georgius Cyprius*, *Georgius Lapitha*, omnes Peripatetici, et *Michaël Pſellus*, iunior, Alexandrinae Philoſophiae fautor ac promotor.

β. Philoſophia Chriſtianorum Occidentalium a Sec. VII vsque ad duodecimum, qua aetate omnia ad barbariem vergebant. Seculum enim VII praeter

praeter *Boëthium*, Conſulem Romanum, ac *Iſidorum Hiſpalenſem*, Sec. VIII praeter *Bedam Venerabilem*, *Theodorum Cilicem*, *Flaccum Alcuinum*, Sec. IX praeter *Rabanum Maurum*, *Ioannem Scotum Erigenam*, *Eginhardum*, *Adelhartum*, *Walafridum Strabonem*, *Wandelbertum*, *Grimbaldum*, Sec. X praeter *Bricfertum*, *Dunſtanum*, *Alfredum Malmesburienſem*, Anglos, *Remigium Antiſſiodorenſem*, *Notkerum*, *Ratbodum*, Gallos, *Nannonem*, *Brunonem*, *Baldricum*, Germanos, quibus omnibus palmam praeripuit *Gerbertus Aurelianenſis*, Sec. XI praeter *Oliuerium Malmesburienſem*, *Fulbertum Carnotenſem*, *Berengarium*, *Lanfrancum*, *Anſelmum*, *Iuonem Carnotenſem*, *Franconem Leodienſem*, *Petrum Damiani*, *Hermannum Contractum*, nec non *Ionnem Roſcellinum*, cuius ſtudio et auctoritate *Nominalium* et *Realium* controuerſiae *in Sectam* abiere, produxit neminem, quorum omnium eruditio in triuio ac artis dialecticae ſubtilitatibus conſiſtebat.

γ. **Philoſophia Scholaſtica**, quae confuſum quoddam Chaos erat ex Philoſophia Arabica, Ariſtotelica et Theologia compoſitum, cuius origines alii a *Lanfranco*, alii a *Roſcelino*, alii ab aliis deriuant. Tota autem Scholaſticorum turba commodiſſime in tres aetates ſiue claſſes diuiditur:

1. **Prima aetas** a Seculo XII vsque ad medium Seculum XIII extenditur, et *Petrum Abaelardum*, *Petrum Lombardum*, *Gilbertum Porretanum*, *Petrum Comeſtorem*, *Alexandrum Aleſium* ſiue *ab Ales*, *Ioannem Sarisberienſem*, *Robertum Pulleyn* etc. produxit.

2. **Secunda aetas** a medio Seculo XIII vsque ad annum 1320 vel 1330 deducitur, et *Albertum M. Thomam de Aquino*, *Bonauenturam*, *Petrum Hiſpanum*, *Rogerum Baconum*, *Aegidium de Columna*, *Ioannem Duns Scotum*, *Petrum Aponenſem*, *Arnoldum Villanouanum* et alios in lucem edidit.

3. **Tertia aetas** ab anno 1330 vsque ad litterarum emendationem ſe extendit, ad quam *Guilelmus Durandus*, *Occamus*, *Richardus Suiſſetus*, *Buridanus*, *Marſilius ab Inghen*, *Burlaeus*, *de Alliaco*, *Weſſelus*, *Gabriel Biel* referendi.

Quae Scholaſticorum caterua in varia *Sectarum* abiit diuortia, hic enim *Albertiſtarum*, *Thomiſtarum*, *Scotiſtarum*, *Occamiſtarum* nomina deprehenduntur. Contentione autem iſta *Nominalium*, vti dici ſolent, ac *Realium* in hiſtoria Scholaſticorum nihil eſt celebrius.

PERIO-

Digitized by Google

PERIODVS TERTIA Hiſtoriam Philoſophiae a reſtauratione litterarum ad noſtra tempora ſub ſe comprehendit, vbi ſe conſiderandum exhibet:

I. Sectarium Philoſophiae emendandae ſtudium.

Miſerata enim tandem generis humani, barbariei ſqualore obruti, diuina prouidentia, emendare intellectus humani morbum conſtituit. Inſtrumento autem Numinis beneuolentia vſa eſt litteris humanioribus, cum Latinae pariter atque Graecae litteraturae nitor reſtitui coepiſſet. Elegantiorum enim litterarum ac maxime Graecae linguae reſtitutioni debemus

N Primos Philoſophiae reſtituendae conatus. Surrexere enim, poſtquam iam Sec. XIII *Raymundus Lullius*, cui famoſa illa ars inuentiua ſiue Lulliſtica origines ſuas debet, reformationem Philoſophiae Scholaſticae fruſtra tentarat, Sec. XIV et XV viri cordati, qui de meliori doctrinae vultu cogitare coeperunt. Nam hic ſe nobis offerunt:

α. Viri docti, qui de externo Philoſophiae emendandae ſolliciti fuere habitu, in quem cenſum veniunt *Manuel Chryſoloras*, natione Graecus, *Ioannis Palaeologi*, Graecorum Imperatoris ad Occidentis Principes legatus, qui primus Venetiis, Florentiae, Romae, tandemque Ticini Graecarum litterarum ſtudium ſuſcitauit, quod auctum eſt, cum capta A. C. MCCCCLIII vrbe Conſtantinopoli Graecorum eruditiſſimi in Italiam aufugiſſent. Huic iungimus *Dantem Aligerium*, eiuſue diſcipulum *Franciſcum Petrarcham*, *Ioannem Boccacium*, *Leonardum Brunum Aretinum*, *Angelum Politianum*, *Hermolaum Barbarum*, *Poggium Bracciolinum*, *Franciſcum Philelphum*, *Petrum Paulum Vergerium*, *Ianutium Manettum*, *Nicolaum Cuſanum*, *Donatum Acciaolum*, *Iouianum Pontanum*, *Apollinarem Offredum*, *Laurentium Vallam*, Scholaſticorum flagellum, *Rodolphum Agricolam*, et *Ioannem Argyropulum*, qui omnes partim linguae Graecae ac Latinae nitorem reſtituendo, haſque Muſas ex exilio reuocando, partim Veterum Philoſophorum ſcripta verſionibus ac commentariis donando, vel micas elegantioris Philoſophiae ſcriptis ſuis inſpergendo, vel ſaniorem Philoſophiam docendo, vel Scholaſticam Philoſophiam falſe perſtringendo, reformationi Philoſophiae viam muniuerunt.

β. Viri Philoſophiae Platonicae reſtauratores, cuius ſemina primus in Italia ſparſit *Georgius Gemiſtus Pletho*, Byzantinus, qui in controuerſia de praerogatiua Platonicae doctrinae prae Peripatetica contentioſum et arrogantem ſe praebuit. Moderatius cauſam pro Philoſophia Platonico-Alexandrina dixit *Beſſario*, Graecorum exulum facile doctiſſimus, *Plethonis* diſcipulus, a quorum partibus et *Marſilius Ficinus*, nec non *Ioannes Picus Mirandulae et Concordiae Comes* ac princeps ſtetere.

γ. Viri Philoſophiae Ariſtotelicae genuinae reſtauratores. Cum enim viri eruditi nouas et fideliores Scriptorum Ariſtotelis curauiſſent Verſiones, in id incumbebant Ariſtotelis fautores, vt oſtenderent, magis ſobrie caſteque, quam hactenus ob peruerſas Ariſtotelis interpretationes creditum ſit, Ariſtotelem docuiſſe, quibus annumerandi ſunt *Theodorus Gaza*, *Georgius Trapezuntius*, *Georgius Scholarius*, *Andronicus Calliſti*.

2 Nouos labores Philoſophorum veterem Philoſophiam reuocantium. Cum enim *Occo I. Ellenbogius*, *Nauclerus*, *Peutingerus*, *Bebelius*, *Brandius*, *Rhenanus*, *Dalburgius*, *Pirkhaimerus*, *Cuſpinianus*, *Vadianus*, *Lazius*, *Reuchlinus*, aliique elegantiores litteras in noſtra quoque patria reſuſcitare eſſent aggreſſi, ſicque claues eſſent reſtitutae, quibus adyta ſanctioris doctrinae poſſent recludi, hoc ipſo tum emendandae religionis, tum reſtaurandae Philoſophiae, libertate ingeniorum reſtituta, materia eſt ſubnata. Cumque *Eraſmus*, *Viues*, *Nizolius*, *Rhenanus*, aliique in Pſeudo-Philoſophos amaris inuectiuis inſurgerent, naeuos eorum in aprico ponerent, et barbariem philoſophaſtrorum deridendam propinare coepiſſent; inſuperque *Lutherus*, *Melanchthon*, *Iacobus Faber Stapulenſis*, Scholaſticae Philoſophiae bellum indicerent, nec non *Iacobus Sadoletus*, *Hieronymus Fracaſtorius*, *Georgius Agricola*, *Ioachimus Camerarius*, et *Simon Grynaeus* litteraturae veteris Philoſophiae ſobriam faciem reſtituerent, et philologiae operam ad illuſtrationem Philoſophiae conferrent, factum eſt inde, vt viri acuti et litterarum gloria inclyti de reuocandis veterum Graecorum Sectis anxie et ſerio cogitarent, aliis in Scholaſticorum caſtris pro virili contra nouaturientia ingenia, eorumque conamina pugnantibus. Sic

α. Ariſtotelico-Scholaſticam Philoſophiam ficco pede ſecuti ſunt inter Dominicanos *Dominicus Scotus*, *Franciſcus de S. Victoria*, *Dominicus Bannez*, *Franciſcus Sylueſtrius*, *Michaël Zanardus*, *Ioannes a S. Thoma*, *Chryſoſtomus Iauellus*, inter Franciſcanos *Ioannes Pontius*, *Bartholomaeus Maſtrius*, *Bonauentura Mellatus*, *Ioannes Lalemandetus*, *Martinus Meuriſſe*, *Claudius Freſſenius*, alii, inter Ciſtercienſes *Angelus Manriquez*, *Bartholomaeus Gomezius*, *Marſilius Vaſquezius*, cum *Gabriele* non confundendus, *Petrus de Ouiedo*, a *Franciſco* diuerſus, aliique, quibus tamen omnibus eruditionis laude *Ioannes Caramuel Lobkowitz* eſt anteponendus: inter Ieſuitas *Petrus Hurtado de Mendoza*, *Gabriel Vaſquez*, *Paulus Vallius*, *Balthaſar Tellez*, *Franciſcus Suarez*, *Antonius Rubius*, *Rodericus de Ariaga*, qui tamen recentiorum obſeruationes Scholaſticae Philoſophiae admiſcuit, *Ioannes Baptiſta Ricciolus*, ac praeter *Conimbricenſes* alii, inter quos *Antonius Polus*, *Honoratus Fabri*, *Franciſcus Raſſlerus*, multa ex recentiorum Philoſophorum horreis in Scholaſticorum tranſtulere Syſtema.

β. Peripaticam ſiue Ariſtotelis Philoſophiam genuinam ac domeſtico habitu productam ſiſtere conati ſunt inter Pontificios poſt *Nicolaum Leonicum*

Digitized by Google

nicum Thomaeum, horum Philoſophorum anteſignanum, *Petrus Pomponatius*, *Hercules Gonzaga*, *Theophilus Folengius*, *Paulus Iouius*, *Gaſpar Contarenus*, *Simon Portius*, *Ioannes Geneſius Sepulueda*, *Lazarus Bonamicus*, qui omnes e Pomponatii ſchola prodierunt, quibus addendi *Auguſtinus Niphus*, *Maioragius*, *Daniel Barbarus*, *Petrus Victorius*, *Iacobus Zabarella*, *Alexander* et *Franciſcus Piccolomini*, *Hubertus Giſanius*, *Iulius Pacius*, *Andreas Caeſalpinus*, *Caeſar Cremoninus*, *Cyriacus Petrus* et *Ioannes Baptiſta Strozzae*, *Iacobus Mazonius*, inter Proteſtantes, in quorum ſcholis per longum tempus *Ariſtotelis* Philoſophia perſonuit, maximam Peripateticiſmi laudem conſecuti ſunt *Philippus Melanchthon*, *Simon Simonius*, *Iacobus Schegkius*, *Philippus Scherbius*, *Nicolaus Taurellus*, *Erneſtus Sonerus*, *Michaël Piccartus*, *Cornelius Martini*, *Ioannes Caſſelius*, *Conradus Horneius*, *Hermannus Conringius*, *Chriſtianus Dreierus*, *Melchior Zeidlerus*, *Iacobus Thomaſius*, *Chriſtophorus Scheiblerus*, *Daniel Stahlius*, *Paulus Steuogt*, et alii quam plurimi.

γ. **Pythagoreo-Platonico-Cabbaliſticam Philoſophiam** reſtaurare quidam adgreſſi ſunt. Poſtquam enim Pythagoreo-Platonica Philoſophia a *Plethone* eſſet reſuſcitata, *Picus* porro Cabbaliſticam addidit, cuius veſtigia *Franciſcus Catanaeus Iaketius*, *Ioannes Reuchlinus*, *Franciſcus Georgius Venetus*, *Henricus Cornelius Agrippa*, et *Morus* premere non dubitarant, *Franciſco Patricio*, *Ioanne Marco Marci a Kronland*, *Witchoto*, *Wilkinſio*, *Whortingthono*, *Widdringthono*, *Galeo*, *Cudwortho*, *Burnetio* Platoniſmum, reiectis ſomniis Cabbaliſticis, reuocantibus.

δ. **Parmenideam Philoſophiam** reſtaurare ſuſcepit **Bernardinvs Telesivs**, cui Academia Conſentina ſiue Teleſia origines debet, et cum multi, inprimis vero *Iacobus Antonius Marta* et *Andreas Chioccus*, ſententiae eius oppugnarent, in *Thoma Campanella* defenſorem nactus eſt.

ε. **Ionicam Philoſophiam** renouauit **Clavdivs Berigardvs**, Molinenſis in Circulis Piſanis, ita tamen, vt, vtrumque Syſtema, Peripateticum et Ionicum deficere, et errare in multis, non negaret, hincque ad Sceptiſmum phyſicum inclinaret.

ζ. **Stoicam Philoſophiam** reuocauit **Ivstvs Lipsivs** in manuductione ad Philoſophiam Stoicam, et in diſſertationibus de phyſiologia Stoica, cuius veſtigia preſſit *Gaſpar Scioppius*, qui elementa Philoſophiae Stoicae moralis edidit, et *Thomas Gatakerus*, qui Imperatoris *Antonini* commentariis de ſe ipſo Introductionem in Philoſophiam Stoicam praemiſit.

η. **Democrito-Epicuream Philoſophiam** in ſcenam produxit, irrito quamuis conatu, *Chryſoſtomus Magnenus*, Luxouienſis, meliori vero ſucceſſu atomiſticam Philoſophiam reuocauit *Petrus Gaſſendus*, qui *Franciſcum Bernierium*, *Michaëlem Neuraeum*, vel quo prius nomine innotuit, *Laurentium Meſmam* et *Gualterum Charletonum*, Anglum, ſectatores habuit.

3 Philoſophos nouam philoſophandi viam tentantes quidem, aſt, contemta via ſectaria eclecticam in Philoſophia infelici ſucceſſu ſecuti ſunt et de iuſto aberrarunt tramite, ad quam claſſem pertinent:

α. Sceptici recentiores, inter quos eminent *Franciſcus Sanchez*, *Hieronymus Hirnhaym*, *Franciſcus Mottaeus Vayerius*, *Petrus Daniel Huetius*, *Petrus Bayle*.

β. Philoſophi Moſaici, qui, cum ex rationis luce veram de rebus naturalibus et moralibus doctrinam aſſequi ſe poſſe deſperarent, ad ſacra oracula, maxime ad Moſis Coſmogoniam confugerunt, et ex his fontibus nouum Philoſophiae aedificium exſtruere conati ſunt, quod poſt *Guilelmum Bigotium*, *Libertum Fromondum*, *Ottonem Caſmannum*, *Henricum Alſtedium*, maxime fecerunt *Edmundus Dikinſonius*, *Thomas Burnetius*, *Guilelmus Whiſtonus*, *Ioannes Amos Comenius*, et *Ioannes Bayerus*.

γ. Theoſophi, qui arcanam quidem ſapientiam non ex rationis cultura enatam, ſed ex interna quadam luminis diuini ſcintilla promicantem iactant, ad quod Philoſophorum genus ſunt referendi *Theophraſtus Paracelſus*, qui *Ioannem Oporinum*, *Adamum a Bodenſtein*, *Iacobum Gohory*, *Gerardum Dorneum*, *Michaelem Toxites*, *Oſwaldum Crollium*, *Henricum Kunrath*, diſcipulos habuit, praeter hos *Robertus Fluddus* ſiue *a Fluctibus*, *Iacobus Boehmius*, *Ioannes Baptiſta Helmontius*, *Petrus Poiretus*, Theoſophorum ordini adſcribi ſolent, quibus alii *Roſaecrucianos* addunt.

δ. Syncretiſtae Philoſophici, quorum ſyſtema nihil aliud eſt, quam male ſana dogmatum et ſententiarum philoſophicarum toto coelo inter ſe diſſidentium conciliatio. Non vnius autem ſunt generis, quidam concordiam religionis Chriſtianae et veteris ſiue recentioris Philoſophiae demonſtrare conati ſunt, quo poſt *Guilelmum Poſtellum*, *Mutius Panſa*, *Auguſtinus Steuchus Eugubinus*, *Petrus Daniel Huetius*, *Tobias Pfannerus* et alii pertinent, quod autem hi inter omnes Sectas tentarunt, vt inter eas et reuelationem paciſcerentur, id circa Stoicam fecit *Iuſtus Lipſius*, *Thomas Gatakerus*, *Andreas Ducierius*, circa Epicuream praeter reliquos Philoſophos Moſaicos *Iacobus Rondellus*, circa Platonico-Pythagoream tota Platonicorum Sec. XV in Italia florentium cohors, inprimis [redacted] *Franciſcus Patricius*, *Galeus*, *Cudworthus*, *Morus*, circa Peripateticam *Fromondus* et *Zeiſoldus*, circa Carteſianam *Ludouicus de Beaufort*, *Io. Amerpoel*, *Chriſtoph. Wittichius* aliique. *Theophraſti* concordiam cum *Galeno* et aliis tentarunt *Iohan. Albertus Wimpinaeus* et *Daniel Sennertus*, concordiam veterum et recentiorum molitus eſt *Ioan. Baptiſta du Hamel*, Platonicorum et Peripateticorum vero, praeter *Patricium*, *Paulus Scalichius*, et quidem ad naturalem et medicam Philoſophiae partem hoc ſtudium henoticum adhibuit *Symphorianus Camperius*, ad moralem vero praecipue *Sebaſtianus Foxius*, quibus praeter *Scipionem Agnellum* alii addi poſſent. Ramaeorum et Ariſtotelicorum conciliatores quoque *Paulus*

Digitized by Google

Paulus Friſius, *Andreas Libauius*, *Io. Henricus Alſtedius*, *Bartholomaeus Kekermannus* fuere, Philoſophi mixti hinc dicti. Sic et *Chriſtophorus Sturmius* Ariſtotelem inter ac Carteſium pacis et concordiae inſtituendae ſcopum habuit.

ε. Hoſtes Philoſophiae, qui veram inter rationem et reuelationem intercedere pugnam aſſeruerunt, quo praeter Scepticos, et inprimis *Baylium* ac *Huetium*, nec non Theoſophos, inprimis *Poiretum*, pertinent *Pomponatius*, *Achillinus*, *Portius Caeſalpinus Cremoninus*, quorum ducem ſe praebuit *Daniel Hoffmannus*.

II. Eclecticum Philoſophiae emendandae ſtudium. Eſt autem hoc loco eclectica Philoſophia, non, qua ſpecioſum nomen mentita eſt, Alexandrina Philoſophia, deteſtabili Syncretiſmo coelum terramque miſcens, ſed ſobria illa philoſophandi ratio, quae abiecto omni praeiudicio ad vnam rationis regulam reſpicit, exque rerum, quas conſideranda ſibi delegit, natura atque indole clara et euidentia principia haurit, ex quibus iuſtis ratiocinationis legibus concluſiones deducuntur: et hac norma poſita, in examinandis Philoſophorum praeceptis nihil recipit, quod non rationis ſeueritati faciat ſatis. Deprehendimus autem poſt renatas litteras:

א Philoſophos eclecticos, qui totum Philoſophiae circulum innouare, aliamque orbi tradere Philoſophiam aggreſſi ſunt, inter quos praecipui ſunt:

α. Iordanus Brunus Nolanus, in quo dominabatur maxime inſolita imaginationis vehementia ac luxuria, nec non ſpiritus contradictorius ex inepta hominis ambitione enatus. Cumque mirabilis et prorſus ſingularis atque paradoxus eſſet character ingenii animique infeliciſſimi huius Philoſophi, multa praeclare quidem vidit, et animo ad emendandam Philoſophiam excelſo praeditus fuit, aſt intellectus pariter ac voluntatis morbis impeditus, reformationi Philoſophiae ineptus fuit.

β. Hieronymus Cardanus, qui eundem fere animi characterem ſeruauit, habuit enim miram magnamque ſapientiae ac ſtultitiae mixturam, ingenium exorbitans, et voluntatem ab affectuum aeſtu in praeceps tractam, quo factum, vt deliro potius, quam ſapienti interdum ſimilis eſſet. Hinc quamuis interuallis lucidis multa praeclare viderit, dixeritque, attamen ingenio phantaſtico corruptus, parum vtilitatis Philoſophiae attulit, nec magnopere eius emendationem promouit.

γ. Franciſcus Baconus, Baro de Verulamio, qui, quod nec *Brunus* nec *Cardanus* effecerunt, veram Philoſophiae faciem et natiuam pulchritudinem reſtituit. Cumque ſummo iure Parens Philoſophiae eclecticae vocetur, ab eo vera eius epocha eſt deriuanda.

δ. Thomas Campanella, qui iisdem, quibus in Britannia *Verulamius* Philoſophiam emendare aggreſſus eſt, temporibus, in Italia ſimiles conatus

ſuſcepit. Cum vero miri ac phantaſtici ingenii homo eſſet, atque παραδοξοφιλίαν, quam veritatem, ſequi mallet, ad emendationem Philoſophiae ineptus fuit.

ε. Thomas Hobbeſius, qui VERVLAMII exemplo et cohortatione in Britannia eſt excitatus, vt, quod ille coeperat, perficeret, quine, ſi methodo mathematica ſine hypotheſeos praeiudicio vſus eſſet, et in ipſis principiis precario aſſumtis non caecutiiſſet, praeſtantiſſimum dare Philoſophiae Syſtema potuiſſet.

ζ. Renatus Carteſius, inter maximos orbis philoſophici ingenia numerandus. Nemo enim recentiori aetate aut maiori conatu aut vehementiori ſtrepitu in emendanda refingendaque Philoſophia verſatus eſt, quam ille. Quamuis autem laudabili ac vera in hac palaeſtra vſus ſit libertate, diſcipulorum tamen vitio eclecticae Philoſophiae, quod dedit, Syſtema in Sectae formam abiit. Eminent vero inter eius Sectatores *Henricus Regius, Hadrianus Heerebrod, Chriſtophorus Wittichius, Ioannes Claubergius, Iacobus Gouſſetius, Tobias Andreae, Hermannus Alexander Roellius, Stephanus Curcellaeus, Ioannes Raei, Antonius le Grand, Henricus Morus*, et inter Gallos *Rohaltus, Regiſius, Clerſierius*, alii, aduerſarios vero *Aegidium Perſonnam Roberuallium, Voëtium, Schockium, Reuium, Triglandium, Huetium, Mareſium, Maſtrichtium, Spanhemium, Leydekkerum* aliosque expertus eſt.

η. Godofredus Guilelmus Leibnitzius, qui idem, quod *Carteſius* in Gallia egit, in Germania ſuſcepit. Corpus quidem Philoſophiae non ſcripſit, ſed id tantum egit, vt fundamenta daret, quibus concinnum Philoſophiae aedificium ex mente ſua ſuperſtrui poſſet.

θ. Chriſtianus Thomaſius, cuius potiſſimum curae et ingenti animo debet gens noſtra, quod electam Philoſophiam ſectariam viderit, et erigere mentem ad noua lumina in Academiis potuerit, non ſolum enim Philoſophiam ſectariam eiecit, ſed et eclecticam introduxit.

ι. Chriſtianus Wolfius, qui omnes ingenio ſuperauit, omnesque diſciplinas philoſophicas ſumma perſpicuitate pertractauit non ſolum, ſed et integras Philoſophiae partes nouas detexit, cuius generis Coſmologia generalis et Aërometria ſunt.

κ. Omnibus hisce Buddeus, Gundlingius, Rudigerus, Feuerlinus, Reuſchius, aliique ſummo iure adnumerantur.

ב Philoſophos eclecticos, qui ſingulas Philoſophiae partes reſtaurarunt atque emendarunt, nam

α. Philoſophiam rationalem poſt *Vallae, Agricolae, Nizolii* atque *Viuis* conatus ſuſcepere emendandam *Petrus Ramus, Iacobus Acontius, Verulamius, Gaſſendus*, Carteſiani, et inter eos *Grandius, Claubergius, Regiſius, Manſueltus, Arnaldus, Malebranchius, Tſchirnhauſen, Lockius.*

β. Phi-

Digitized by Google

β. Philoſophiam naturalem, poſt *Teleſium* ac praeter eos, qui vel ſectariam vel eclecticam Philoſophiam reuocarunt, iamiam nominatos, reſtaurare conati ſunt *Baſſo*, *Clauius*, *Redemtus Baranzanus*, *Bernardus Peliſſus*, *Ioannes Eſpagnetus*, *Ioannes Bodinus*, *Nathanael Carpentarius*, *Guilelmus Gilbertus*, et in Germania poſt *Paracelſum Sennertus*, ex Chemicis *Kenelmus Digbaeus*, *Thomas Anglus*, *Robertus Boyle*, ex Mathematicis *Nicolaus Copernicus*, *Tycho Braheus*, *Ioannes Keplerus* et *Galilaeus Galilaei*, ex Geometris praeter *Toricellium* et *Cauallierium* *Gregorius de S. Vincentio*, *Hariotus*, *Williſius*, *Fermatius*, *Hugenius*, *Iſaacus Newtonus*, *Bernoullii*, *Varignonius*, *Hoſpitalius*, *Hermannus*, *Eulerus*, et alii, ne iam de iis dicam, quibus noua inuenta debemus, et de Societatibus, ad augendam Philoſophiam naturalem inſtitutis.

γ. Metaphyſicam nouis luminibus perfuderunt *Carteſiani*, *Leibnitius*, *Wolfius*, alii, male ſanam vero Metaphyſicae reformationem ſuſcepere *Balthaſar Bekkerus* et *Benedictus Spinoza*, qui tamen *Tarig Iellis*, *Ludouicum Meierum*, *Lucam*, *Fridericum van Leenhof*, *Franciscum Cuperum*, *R. Moſen Germanum*, *Boulainuillerſium*, *Abrahamum Kufelaer*, *Ioannem Norris*, *Henricum Wimarſium*, *Andream Curbachum*, *Theodorum Ludouicum Lau* et alios ſectatores habuit.

δ. Philoſophiam moralem emendandam aggreſſi ſunt *Michaël Montanus*, *Petrus Charondas*, *Abrahamus Scultetus*, *Vincentius Placcius*, et Ius Naturae quidem *Hugo Grotius*, *Ioannes Seldenus* et *Samuel Pufendorfius* natiuo ſuo nitori reſtituerunt.

ε. Philoſophiae cluili praeter *Gracianum*, *Buddeum*, *Thomaſium* ac *Rudigerum* medicas attulere manus *Ioannes Bodinus*, *Traianus Boccalinus*, peſſimis autem conſiliis *Machiauellus* et ita dicti *Monarchomachi*, *Buchananus* ſcilicet, *Boucherius*, *Reginaldus*, *Miltonus*, et alii.

Exoticam Philoſophiam appendicis loco paucis perluſtraturi, obſeruamus ſequentia:

I. Indorum veterum Buddas, cuius inter omnes Aſiae populos maxima eſt auctoritas et veneratio, cum Siamenſium *Sommonacodomo*, Sinarum et Iaponenſium *Xekia* ſiue *Xaka*, poſt fata *Foë* ſiue *Fotoq* dicto, nec non cum *Puti* et *Buſdh* Indorum, Chinenſium et Iaponenſium populorum idem eſt. Duplex autem hic Philoſophus Philoſophiae genus habuit, tum vulgare, exotericum ſiue allegoricum, tum arcanum, intimae admiſſionis diſcipulis pateFactum.

II. Gens Malabarica ſuos habet *Braminas* ſiue *Brahmanas*, quorum mores et inſtituta cum iis conſpirant, quae de *Brachmanibus* Indiae veteres tradiderunt. Liber illorum ſacer *Vedam* dicitur, inque certas claſſes diuiſi ſunt, inter quos *Iogiguels*, et *Gnagiguels* dicti familiam Philoſophorum conſtituunt.

III. Sina-

III. Sinarum Gens FOHI quendam regni conditorem ac ſapientiae Sinicae parentem praedicat, qui et librum, *Yekim* dictum, ſcripſiſſe dicitur, cui acceſſere quatuor alii libri, qui quinque libros claſſicos Sinenſium conſtituentes *V-Kim* dicuntur, et a *Confucio* et *Mencio*, Philoſophis celeberrimis, commentario, *Suxu* dicto, illuſtrati ſunt, praeter quos et *Li Lalo Kuin* vel *Lao-Tan* nominis celebritatem conſecutus eſt, nec non *Cheucu* et *Chimci*, nouae Sectae *Iu-Kiao* dictae, auctores, quae hodie cum Sectis *Foë-Kiao* et *Lao-Kiao* in toto imperio Sinico obtinet.

IV. Iaponenſes KOBOTVM quendam ſummis efferunt laudibus, qui ex India in Iaponiam librum *Kio*, id eſt, Pandectas *Xekianas* adtulerit. Quamuis vero *Secta Xekiana* ſiue *Fotokiana* magnam inter Iaponenſes nacta ſit auctoritatem, tres tamen religionis Sectae in hac gente florent, *Sintoiſtarum* ſcilicet, *Budſoiſtarum* ac *Sindoſuiſtarum*.

INDEX

Digitized by Google

I. INDEX
PERSONARVM ET NOMINVM.

A.

Abaris 191 sq.
Abbadius 707
Abulpharaius 98. 470. 480. 484
Adamus 57 sq.
Adelmansfelden de 693
Aelianus 166. 179
Aesculapius Memphites 125
Agatho 562
Agricola, Rudolphus 683 sq.
Agrippa 751. 752
Ahreman 66
Albergonus, Eleuthrius 598
Albertus M. 593 seq.
Al Cendi, Iacob 483
Al Mamon 476
Al Razi 483
Alis 481
Am Ende, Ioach. Gottlob 936
Ammianus Marcellinus 115. 370. 373
Amore, Guilielmus de S. 585
Andreae, Sam. 837
Anglicana Itinerariorum collectio 1004
Anonymus cerimoniarum et consuetudinum religiosarum auctor 979
Anonymus auctor historiae criticae Eclectismi 642 seqq. 688
Anonymus Auctoris aduersarius Frisingensis 613. 635 sq.
Anonymus auctor vindiciarum aduersus Sycophantas Iuuauienses 546
Anonymus auctor Anti-Machiauelli 946
Anonymus auctor conspectus literarii Benedictini 568
Anonymi auctores historiae vniuersalis Britanni 180. 337. 476. 490. 569
Antoninus, Marcus 393
Antoninus, Florentinus 661
Antonius Nebrissensis 696
Apollonius 353
Aponius, Iac. 959
Aquilianus, Scipio 215. 220. 311. 316. 323
d' Argens 313
Aristippus 224
Aristoteles 238. 241. 318
Arnoldus, Godofr. 595
Athanasius 830
Athor 140 seq.
Athoth 116
Auctor recognitionum Clementinarum 206
Auctor libelli περὶ ἁρμονίας 288
Augustinus 13. 571. 585. 604
Augustinus Steuchus Eugubinus 27
Auicenna 485
Autolycus 235 sq.
Aymonius 981

B.

Baldeus, Philippus 970
Baleus 19. 571. 591. 605
Banierius 107
Barbayracius, Io. 935
Bartholinus, Thom. 167
Basnage, Sam. 511
Baumgartenius 42. 87
Bayerus, Theoph. Sigfr. 64. 96. 97
Beausobrius 434. 520. 522
Becherus, Io. Ioach. 913
Beerius, Ferd. Guil. 43
Beckerus 926 seq.
Benzelius, Henr. 381
Berengerius 633
Berosus 41
Bessario 22. 687 seqq.
Bibliander, Theodorus 473
Biccolo 620
Bierlingius 561
Bochartus, Sam. 43. 153
Bodinus, Io. 809. 938 sq.
Boehmerus, Just. Henn. 587
Boernerus 675
Bonifacius 567 seq. 625
Brachmanes 92 seq.
Bradley 353
Brahe, Tycho de 914 seq.
Brahma 973
Brunus, Iord. 811 sq.
Buchananus 948
Bucherus, Vrb. Godofr. 913
Buddeus, Io. Fr. 401. 872. 990
Buddeus, Carolus Frid. 873
Buffierius 904
Bulfingerus, Georg. Bernardus 900. 981
Burigny 939
Burlaeus 21
Burmannus, Petr. 948
Burnetius 258. 460. 779

C.

Cabiri 108
Caesalpinus 721
Calanna, Petr. 799
Camis 1002
Campanella, Th. 824
Cantemirius, Demetr. 959
Cantapratensis, Thom. 594
Canzius, Israël Theophilus 903
Capac, Manco 1007

Digitized by Google

Cardanus, Hieron. 816
Carneades 237
Carpentarius 907
Carpzouius, Io. Gottlob 424 seqq.
Carpzouius, Io. Benedict. 235. 246. 376. 453. 991
Carteſius, Ren. 843
Caſaubonus, Is. 587
Caſinenſis, Petr. 582
Caſperius, Io. 13
Caueus, Guil. 558
Caulacau 507
Ceillierius, Remig. 559
Cellarius, Chriſtoph. 369
Celſus 396
Centnerus, Godofr. 251
Chardine 999
Charlevoix 999
Charronius 766
Cheſne, Andreas du 590
Chin 991
Chryſoloras, Manuel 677
Chytraeus 24
Cicero 4. 244. 346 ſq.
Cleiorus 998
Clemens Alexandrinus 47. 120. 139. 515. 516. 522. 525. 527. 541
Clericus, Dan. 240
Clugius, Chriſt. Gottl. 936
Cluuerius 309
Coccaius, Merlinus 624
Coccei, Samuel de 936
Coinae, Carolus le 561
Comnena, Anna 555
Condemirius 479
Conringius, Herrm. 600. 742
Conſtantinus, Rob. 680
Coſteus 28
Cranzius, Alb. 582
Craſſetius 100
Cremoninus 726
Creſcentia 679
Creuierius 563. 565. 618. 628. 631
Criſpus, Io. Baptiſta 229. 230. 234. 745
Crophius, Phil. Iac. 239. 248. 249
Crozaeus 969
Cudworthius, Rad. 358. 359. 547. 757
Cumberland, Rich. 837
Curio, Valentinus 677

D.

Dathe, Ioh. Aug. 322
Demſterus 907
Denores, Iaſo 547
Diaconus, Io. 559
Dickinſon, Edmundus 180
Dio Chryſoſtomus 64
Diodor. Siculus 57. 130. 148. 575
Diophantus 123
Dodwellus, Henr. 396
Doletus, Steph. 35
Dreierus, Chr. 25
Druidae 157 ſeq.
Druſius, Io. 433
Durandus 602. 603
Durandellus 602
Duraz, le Page 55
Duſii 171
Dutens, Ludou. 856. 903

E.

Ebertus, Adamus 472. 958
Eduardus, Confeſſor 578
Ego, Io. 579
Eilſchouius, Fr. Chriſtian. 262
Empedocles 509 ſeq.
Epictetus 209
Epicurus 5. 320. 331 ſeqq.
Epiphanius 507. 510. 515. 521
Eraſmus 694 ſeq.
Erneſti, Io. Aug. 404 ſeqq. 415. 549. 901
Euſebius 55. 239. 513 ſeq. 533

F.

Faber, Io. 239
Fabricius, Io. Alb. 40. 251. 265. 335. 578. 599
Fabricianae bibliothecae medii aeui continuator 607
Fabricius, Chriſt. Carol. 472
Felden, Ioannes a 930
Feurlinus, Io. Conrad. 355
Ficinus Marſilius 689 seqq.
Foë 94
Folengius, Theoph. 714
Forellus, Henningus 249
Formay, Sam. 29. 32
Fredegarius 552
Freindius 475
Freytagius 27
Friſchmuthus, Io. 41
Friſius 24
Frobeſius, Io. Nicol. 902
Froelichius 18
Fugmannus, Io. Chriſtophorus 348

G.

Gagnierius 474
Galeus, Theoph. 232. 286
Gaſſendus 25. 40. 159. 231. 235. 318. 321. 336. 768 ſeq.
Gatakerus 345
Gaudentius Paganinus 240. 375
Geddeſius, Mich. 810
Gentius 497
Georgius Trapezuntius 691
Gerdilius Hiacynth. Sigiſm. 13. 217. 219. 220. 221. 262. 267. 278. 278. 280. 282. 283. 293. 296. 300. 305
Geſnerus, Io. Matthias 289. 324. 351. 392
Giamaſpus 71. 960
Gimle 177
Godofredus, Iac. 370
Gorius, Ant. Fr. 368
Gottſchedius, Io. Chriſtoph. 886. 901
Graſwinckelius, Thom. 930. 933
Gregorius, M. 78 ſeq. 550. 636 ſeq.

Groti-

Digitized by Google

Grotius, Hugo 349. 1005
Gudenius, Henr. Phil. 567
Guido Aretinus 561
Gundlingius 347. 868 sq.

H.

Haeberlinus, Franc. Dominicus 239. 563
Haldes, Io. Bapt. 979. 998
Hanschius, Mich. 5. 384
Harenbergius 502
Harpocrates 129
Hartmannus, Georg. Volckmannus 886
Hasaeus 511
Hathuanus, Steph. 420
Hautiuillensis, Io. 566
Heinius 258. 333
Hennepinus, Lud. 1007
Heraclitus 324
Herbertus, Thom. 71
Herodotus 132
Hesychius 17
Hieronymus 513. 531. 549
Hippocrates 324
Hobbesius, Thom. 830
Hody, Humfred. 226. 597. 675
Hofmannus, Io. Adolf. 394
Hollmannus, Samuel Christianus 243. 875. 936
Holstenius, Lucas 280
Horus s. Or. 121
Hottingerus, Io. Henr. 471. 488. 958
Huetius, Petr. Dan. 91. 774 sq.
Hydeus, Thomas 50. 61. 65. 74. 75. 419
Hypatia 381 seqq.

I.

Iablonskius, Paul. Ern. 102. 106. 111. 118. 119. 126. 129. 131. 137. 184. 358. 360. 440
Iamblichus 266. 269. 270. 414
Ickstadius 896
Infans 630
Inghen, Marsilius ab 609 sq.
Iobus 45
Ionsius, Io. 14
Iosephus 275. 426. 429
Iouius, Paullus 23
Irenaeus 509. 514. 516. 521. 527. 528
Iulianus, apostata 370 sqq. 375
Iustinus 225

K.

Kaempferus 1000
Kahlius, Ludou. Martinus 16
Kaiomaras 72
Kepplerus 910
Keyslerus, Io. Georg. 107
Khunrath, Henr. 785
Kircherus, Athanasius 377
Klippoth 520
Koelerus, Io. Dau. 563
Koenigmannus, Andr. Ludou. 155
Kolbius, Petr. 1003
Kuhnius, Ioach. 159
Kusterus 18

L.

Laërtius 212
Laet, Ioannes de 1005
Lakemacherus, Io. Gottfr. 429
Lambecius, Petrus 24
Lamfredus, Io. Maria 182. 187. 189
Lamius, Io. 500. 670
Lanfrancus 580
Langius, Ioach. 899
Languetus, Hubertus 949
de Lapide, Iohann 748
Launoius 534. 610. 622
Laurenbergius, Petr. 225
Laut-se s. Laotan 990
Lehmannus, Io. Iac. 29
Leibnizius, Godofr. Guil. 5. 86. 108. 857
Lelandus, Io. 205
Leopardus, Paul. 25
Leporinus 853
Leyserus, Polycarp. 494
Lightfootus, Io. 430
Lipsius, Iustus 762 sq.
Lockmannus 98
Lucanus, Ocellus 313
Lucianus 198. 356. 441
Lucretius 189. 322
Ludewig, Petrus de 97
Ludolfus, Iobus 152
Ludouici, Carolus Guntherus 885
Lullius, Raymundus 681
Luzius, Io. 885
Lycopolita, Alexander 386

M.

Machiauellus 944
Macrobius 56
Maffeius, Scipio 187
Maffeis, Raphaël Maffeus de 23
Maldonatus, Io. 622
Malmesburiensis, Guil. 575 576
Mangey, Thom. 444. 452
Mariana, Iohannes 601
Marinus 15
Mariottus 861
Marre, Philippus de la 949
Marrier, Martin 576
Martinus, Iac. 81
Martinius, Petrus 370
Massuetus 515. 519
Mastricht, Gerh. von 585
Maussacus, Iac. 11
Meierus, Gebh. Theodorus 594
Meisterus, Chr. Frid. Georg. 905. 936. 944
Melanchthon, Phil. 712
Memcius 991 sq.
Menes 133
Mercurius Trismegistus 110
Merzius, Hieron. 729
Metrodorus 5
Meursius, Io. 212
Meuschenius, Io. G. 375. 929

Digitized by Google

Meyerus, Georg. Frid. 620
Mezlerus, Io. 580
Michaëlis, Dauid 418
Middendorpius 628
Mirkhondus 72. 479
Mithras 76. 88
Montanus 927
Montefalconius 75
Monteſquieus 951
Morellus, Guil. 24
Morinus, Steph. 100
Morlierius 597
Moſes 42 ſq.
Moshemius 48. 77. 79. 87. 95. 106. 175. 189. 321. 362. 363 ſqq. 384 ſq. 395. 402. 415. 481. 532. 544. 550. 558. 572. 573. 584
Muratorius 486

N.

Nauclerus 732
Naudaeus, Gabr. 50
Neitha 136
Nerius 944
Neldelius, Io. 728
Neutonus 57. 917 ſeq.
Nicolaus V. pont. Rom. 691
Niſlheimur 177 ſeq.
Niphus 715
Niuers, Guil. Gabriel 561
Nizolius 697
Noachus 41
Noëllius, Franc. 993

O.

O-mi-to 990
Oberhauſer, Bern. 808
Occamus, Nicol. 605. 606
Ode, Iac. 428
Odinus 174
Oettingerus, Frid. Chriſtoph. 12. 461 ſq.
Olearius 497
Or ſ. Horus 121
Orpheus 206 ſq.
Orſi, Ioſeph. Aug. 444. 540
Oudinus, Caſim. 554. 579

P.

Pamelius 540
Panormitanus, Ianus Vitalis 593
Panſa, Mutius 27
Papebrochius, Dan. 534
Paracelſus, Theophr. 782
Parma, Ioannes de 585
Parue, Carolus de 542
Patricius, Franciſc. 244. 754
Paullus II. pont. Rom. 692
Pearce, Zach. 368
Pelloutierius 155. 158. 161. 163. 165. 171. 173. 186. 191. 307
Pendaſius, Fr. 718
Perron, Anquetil du 67. 78
Petitus, Petrus 312
Pezius, Bern. 579
Pfaffius, Chriſt. Matth. 361. 403
Pfannerus, Tob. 27
Pfeifferus, Aug. 491
Pflugrad, Dan. Chriſt. 351
Philaſtrius 443
Philelphus 677
Philo 4
Philodemus Gadarenſis 350
Philoſtratus 17
Photius 286
Pitha 218
Piccolominus 718
Picus Mirandulanus 690
Planerus, Io. Andr. 926
Platina 669
Plato 227 ſeqq. 314
Plethо, Georg. Gemiſtus 22
Plinius 343
Plotinus 516. 517. 529
Plouquetus 216. 285. 303. 335. 336
Pluche, de la 56. 154
Plutarchus 190. 343
Pocciantius, Mich. 945
Poiretus 789 ſq. 793
Polignac, Melchior de 332
Pollenus 590 ſeq.
Pomponatius 713
Porphyrius 11. 140. 209. 276. 412. 438
Porta 714 ſeq.
Poſtellus 27. 797 ſq.
Preuoſtius 999
Preuſerus, Io. Frid. 229.
Prideaux, Humphr. 48
Pſellus 556
Puſendorfius 934
Pythagoras 257 ſeqq. 297 ſeq.
Pythagoriſtae 342

Q.

Quintilianus 247

R.

R. Iſaac Ebn Sid 601
Ramus, Petr. 905 ſeq.
Raynaudus, Theoph. 661
Regiſius 28. 855
Reimmannus, Iac. Frid. 43. 122 ſq. 852. 978
Reinbeck, Io. Guſtau. 900
Reizius 399
Renaudotius 48
Reuchlinus 732. 747. 750
Richius, Edmundus 596
Rithalerus, Mich. 786
Rittershuſius, Conr. 587
Rogerus 976. 999
Roosi 1001
Roſcellinus 619
Roſſi, Ioannes 591
Roſweydus, Herbertus 94
Rothius, Io. Henr. 973
Rothſiſcherus, Franc. 706 808

S.

Sala, Antonius a 22
Salmaſius, Claud. 492
Sarisberienſis 641 ſeq. ſeq. 652 ſeq.
Satrus, Matth. 555
Schallerus, Iac. 391

Schelwi-

Digitized by Google

Schelwigius, Sam. 958
Scheurlius, Iul. 906
Schmidius, Io. Andr. 239
Schoettgenius, Christ. 422. 456. 457. 460. 502
Schottus, Andr. 287
Schubertus 30. 143. 150. 187. 198
Schuckfordus 57
Schultensius, Alb. 45
Schulzius, Io. Henr. 131
Schuzius, Gottf. 163. 167. 174. 175. 178
Schwabe, Io. Ioach. 159
Scioppius 763
Seelen, Io. Henr. 573
Seldenus 419. 932
Semmlerus, Io. Salomo 530. 535. 536. 537. 538. 539. 541. 542. 550
Seneca 185
Sennertus, Dan. 755
Sesostris 975 seq.
Seuterus, Matth. 32. 984
Sextus Empiricus 7. 148
Sgurobulus Sylvester 676
Siaca siue Xaca 1002
Sidonius Apollinaris 320
Silentiarius, Paulus 383
Simonius, Rich. 52. 734
Sleuogtius, Paullus 627
Socrates 222
Sommierius, Claud. 335
Sommonacodomus 969
Sorbierius 766
Spelmannus, Henr. 579
Sperberus, Iul. 795
Spinoza 922
Stanleius, Thom. 30
Standigl, Vdalr. 613. 704
Stillingfleet, Ed. 101
Strabo 198
Strato 245
Struuius, Burc. Gotthelf 16
Suidas 36
Syluius, Aeneas 640

T.

Tacitus 170
Tamerlan 487
Tartaretus, Petrus 732
Tatianus 35
Taydit, Petr. 396
Telesius 758
Tertullianus 539. 540
Thales 36. 213 sq.
Thebeth Ebn Korra 97 sq.
Themistius 388
Theodoretus 513. 524
Theut 169
Thiersius, Io. Bapt. 639
Thomas de Aquino 595
Thomas, Anglus 851
Thomasius, Iac. 26. 61. 222. 278. 286. 289. 617
Thomasius, Christ. 859. 981
Thomassinus, Ludou. 563
Thoth 110 sq.
Thummigius, Ludouic. Philippus 901
Tillemontius 353
Timur Beck 478
Tolandus, Io. 158. 380
Trapezuntius, Georg. 22
Tribbechouius 620
Trincauellus, Vict. 607
Trithemius 588
Tschiwen 972
Tubero 344
Twergi 196
Typho 149

V.

Valeis, Io. 19
Valerius Maximus 176
Valhalla 577
Vandoperinus, Desid. Iac. 24
Vayerius 772 sq.
Vega, Garcilassus de la 1007
Vellcius 297
de Verulamio, Fr. Baco 821 sq.
Victorius, Petr. 716
Vignoles, Alphonsus de 982
Villanouanus Arnoldus 600
Virgilius, Polydorus 574
Virginius Caesarinus 690
Vitringa, Camp. 401. 416
Viuis, Lud. 23. 614. 696
Voëtius, Gisb. 949
Voltarius 28
Vorstius, Guil. 42

W.

Wachterus, Io. Georg. 51. 100. 105. 128. 142. 436 seqq. 445
Wagnerus, Io. Valentin. 901
Walchius, Christ. Guil. Franc. 402. 990
Warburtonus, Guil. 202. 357
Weigelius 787 sq.
Weissius, Vdalr. 421. 614. 616
Weischius, G. Hier. 652
Welferus 571
Werdenhagenius 803
Werensels, Sam. 271
Werensdorfius, Io. Christoph. 377 sqq.
Weffelus 611
Wiesandus, G. Steph. 563
Wolfius, Christ. 878 sq.
Wolfius, Hieron. 24
Wollius, Christ. 394
Wopke, Thomas 348

X.

Xekia 94
Xenophanes 317

Y.

Yam 993
Yezdan 66
Yezidaei 66
Yncas 1007 seq.

Z.

Zeno Eleates 241. 318
Zigelbauer, Magnoaldus 559
Zimmermannus 904
Zonaras, Io. 553. 558
Zoroaster 59 seqq. 518
Zwingerus, Theodor. 620

Digitized by Google

II. INDEX
RERVM ET MATERIARVM.

A.

Abaelardus, a timore dei quare declinauerit 590

Abaridis, hominis Scythae hiſtoria, fabuloſa eſt 192 ſq. habet origines Scythicas 194. dogmata 195 ſeq. eius ſagitta 194

Abulfaraii locus quidam de ſocietate quadam literaria, Perſico-Arabica 481

Acanthius. Eius liber de antiqua philoſophia ex Platone, laudatur 228. Putat, platonicam philoſophiam ex fontibus hebraicis emanaſſe ibid.

Aegyptii antiqui, eorum ſacerdotes Viſionem dei et θεοπνευσίαν iactant, 113. praeparant ſe ad eiusmodi viſiones 114. Aegyptiacarum literarum tres claſſes 116. Aegyptiaca lingua vulgaris in cognoſcendis Aegyptiorum antiquitatibus non contemnenda eſt 117. de eorum ſacerdotibus Jablonskius optime diſputat 118. Symbola et imagines apud eos cur inuentae fuerint 119. Arcani diſciplina eorum 120. Eorum ſacerdotes ſunt fraudulenti 122. Quae fuerit eorum ſcientia arithmetica et geometrica, 122 ſq. ipſorum ſcientia Aſtronomica fuit vulgaris 123 ſq. item Muſices peritia eorum popularis fuit, 125. de ſtudio rei medicae inter eos 126. de ſcientia eorum aſtrologica 127 ſq. Eorum dii, an antea homines fuerint, 131 ſq. ſq. exiſtimarunt, naturam diuinam per totum mundum diffundi, 134 ſeq. daemonologia Aegyptiorum 139. formula precum funeralium 140. Coſmogonia 140. emanationi rerum omnium fauent 142. Cultus ſiderum 145 ſq. Iuris diſciplina, 148. de antiquiſſima eorum aetate nihil certi conſtat 102. Aegyptiacarum rerum notitiae ſumma eſt incertitudo 103 ſq. His non debet originem philoſophia graeca 105. ſacerdotum tres claſſes 440 ſeq. eorum religio et conſuetudines quomodo ad Indos tranſierint 975

Aeſculapius Aegyptiorum, quis fuerit 125 ſq.

Aethiopia vetus. Eius fines 152

Ahreman, diabolus Maguſaeorum 66

Αἰὼν et *ἄνθρωπος* ſibi opponuntur ab Epicteto ap. Arrianum, 417. alio ſenſu Orientales ceperunt ib. Eph. II, 2. *αἰὼν τοῦ κόσμου τούτου, ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος* Principem Spiritum, vel potentiam naturae aeternae ſignificat 417

Albertus magnus. Epitaphium Panormitani in eum 593. Eius ignorantiae ſpecimina nonnulla 594. diſcipuli eius aliquot ibid.

Alchemiſtica ars ab Agrippa vanitatis accuſatur 751

Alexandrinae bibliothecae incendium deſcribitur 7 ſq. philoſophiae origo 361

de Alliaco, Petrus, cardinalis. Edicto regio Ludouici XI. cum aliis Nominaliſtis, eius quoque dogmata proſcribuntur 610

Almamon codices graecos bibliothecae Alexandrinae autographos igne deleri iuſſit, 10. ad eum gloria literarum prouehendarum merito refertur 476

Alphonſus rex, quo ſenſu prouidentiam diuinam et mundi fabricam accuſauerit 601

Al-Razi, Arabs celeberrimus, laudatur ab Abulfaraio 484

Alphonſus Arragoniae rex incredibili literarum amore excellit 679

Americanae gentes, habent leuem dei cognitionem, 1005. credunt, ens ſummum ex ſe emiſiſſe ſpiritus magnos, qui emanationis lege cuncta in mundo efficiant

Digitized by Google

ciant 1006. huic enti aduersari ens quoddam contrarium ibid.
Ammonii Saccae, historia difficilis et incerta est 312 seq. eum a sacris Christianis palam non defecisse, docet Mosheimius 363 sq. sq. Eius rationes diiudicantur 365 sqq. Sectarum omnium, itemque religionum concordiam molitus est 385. docuit, Christum in animo habuisse, veterem sapientiam instaurare ibid. ex Orientali Persarum et Indorum sapientia, et ipse, et alii similes sua hauserunt ibid.
Anaxagoras. De eius systemate physico legendus est Gerdilius 219. Quo sensu vocabulis: Mens et Animus vsus sit 220
Anaxarchus, Eudaemonicus, quare hoc cognomine sit appellatus 323
Anaximandri, philosophi Ionici, ἄπειρον, quid sit, non constat, 217. Eius opinio de Terra 218. de placitis eius Astronomicis differit Weidlerus 218
Andreae, Valent. Ex *Alethea* eius et *turri Babel* excerpuntur quaedam in fraternitatem Roseae Crucis dicta 796
Anglorum institutum duplex, quo partim Historiam vniuersalem Orbis habitabilis, partim Itinera nautica complexi sunt, diiudicatur 18
Anima hominis, de ea curiose disputat Bodinus 943
— *mundi*, quo sensu Pythagoras deum hoc nomine appellet 297 sq.
Animalia rationalia nesciunt, quid sit anima rationalis 924
Animalcula spermatica fuerintne iam Hippocrati, vel omnino Veteribus nota 324-330
Ἀνθρωπογονία, de, sententia auctoris Veteris libri *de diaeta* placitis eius propositis explicatur 325 sq.
Antimachianellus meritis laudibus condecoratur 947 sq.
Antonini imperatoris Historia, vnde possit peti 391. sub eius imperio recruduit pristina Christianos accusandi licentia 392. a philosophis in Christianos exacerbatus est ibid. Qui factum fuerit, vt sub hoc imperatore philosopho Christianorum conditio tam misera fuerit 392 seq. de versione librorum Antoninorum Hofmanniana iudicatur 394 sq.
Apollonius. Vita eius a Philostrato scripta, conuersa in linguam Anglicam est a Carolo Blount 353. a Tillemontio inter biographias imperatorum edita est ibid. Imagines magicas conflasse dicitur 354
de Apono, Petrus. Recte *Apono* scribitur 599
Apuleii Lucius in asinum mutatus, quo consilio scriptus sit 356 sq.
Arabum Philosophi praestantiores ex Abulpharaio enumerantur 470 sq. item medici 475. quo tempore literarum studia inter eos efloruerint 476. libros Graecos veterum scriptorum perperam in linguam suam verterunt, et cur? 492 seq.
Aquiliani, Scip. de placitis philosophorum ante Aristotelem liber, iterum editus est 215
Arctini, Guid. inuentum in arte musica 577
Aristippus, Cyrenaicus philosophus, cur inuidorum calumnias expertus sit 224 sq. in Φιλοχωψία modum excessit 225
Aristoteles. Qui de eo scripserint 238. de eius imagine ab Vrsino proposita 239. omnes eius imagines tonsae rasaeque extant 239. historiam naturalem innumeris fabulis repleuit 240. vindicat sibi Logices inuentionem 241. Laudandus est propter conatum historiae naturali certius per exempla fundamentum substernendi 242. notatur in eo, quod physiologiam metaphysicis notionibus obscurauerit, 243. ab eius doctrina Hieron. Rhodius primus declinauit 244. eius philosophia ab haereticis contra fidem orthodoxam adhibetur 534. eius libros morales audire in Academia Paris. iubentur omnes, qui ad honores academicos adspirant 586. Ab eius placitis in Germania, in physicis discessit Sennertus

tus 765. graecus graecique eius interpretes in ſcholis proponuntur, a quibus? 701
Ariſtotelica philoſophia. Cur a reformatoribus Philoſophiae recentioribus, Platonicae praelata ſit, vt diſputatio prodeat, optatur 745
Arnoldus Villanouanus chemiae arcana tractauit 620
Aſpaſia, ſophiſtria, magni nominis inter Graecos fuit 221 ſeq. fuit vero etiam famae ſuſpectae 222
Aſtronomica ſcientia Chaldaeorum rudis et tenuis eſt 57
Atheiſmi maculam a viris doctis, perperam eo crimine accuſatis, abſtergere voluit Zimmermannus 904
Athenagoras et Clemens Alex. primi, vel inter primos fuerunt, qui Platoniſmum immiſcerent euangelicae doctrinae 531 ſeq.
Athenienſis ciuitatis ius pro temporum diuerſitate diſtinguendum eſt 248
Athor, Aegyptiorum numen, quale fuerit 140 ſq.
Atlas. Fabula de eo originis Aegyptiacae eſſe dicitur 154
Atlantici, inter Lybiae populos, qui fuerint 154
Atomorum nomen inuenit Epicurus 320. Syſtema optime expoſuit Gaſſendus 321
Auiceuna. In mortis eius genere inconſtantes ſunt ſcriptores Arabes 485
Autolyci. De Autolycis, differuit Carpzouius, Io. Bened. 235. Autolycus, mathematicus, quo tempore vixerit 236

B.

Baco. Vnus Pariſiis linguarum ſtudia cum ſtudio theologiae et philoſophiae coniunxit 596
Bagdadum vrbs, ſedes literarum atque literatorum inter Arabes 487
Barbarica Philoſophia, quid denotet? 35
Bardas, imperator, Sec. IX. ab eius tempore diluculum philoſophiae in imperio Graeco exortum eſt 553. Scholas conſtituit, iisque communem doctorem praefecit 555
Bardi, Celtarum poëtae fuerunt 160
Baſilides, Gnoſticus, quis fuerit 508. Quale eius ſyſtema fuerit ib. de eius Caulacau vehementer diſſident interpretes 508 ſeq. 511. loci Irenaei, Theodoreti et Epiphanii de eo proferuntur 509 ſeq. *Belloſobrii* ſententia repudiatur 511. ducta eſt eius philoſophia e ſyſtemate orientali 512. obſcuris vocibus implicuit philoſophiam ſuam, cur? ibid. cur voces barbaras in ſyſtema ſuum adhibuerit, 513. Calaucau fuit vnum ex principiis eius emanationis ib. quam emanationis ſeriem, ordinemque conſtituerit 514 ſq. Aeones eius fuerunt Principia ſubſiſtentia, non, perfectiones diuinae, nunquam ab ea ſeparandae 515. vnde mala in mundum veniſſe putauerit 516 ſeqq. Loci Clementis Alex. et Irenaei hac de re in concordiam rediguntur 517 ſeq. plures coelos ſtatuit 519. item, angelos mundi gubernatores 519 ſeq. Remedium malorum ſtatuit mentem diuinam, proximam a deo aeonem 521. Chriſtum non pro vero homine habuit 521 ſq. Belloſobrius, hoc negans, refellitur, 523. ſeruatorem hominum. et malorum depulſorem vocat Caulacau 524 ſeq. Initium ſalutis conſequendae capiendum putat a timore ſpirituum malorum 525. Inſignis Clementis locus in eam ſententiam explicatur ibid. ſeq. Quam *electionem* docuerit 527. Cur martyrium reiecerit, ibid. Idolothyta repudiauit, libidines conceſſit, et magiae fauit, 528. quae contra Belloſobrium defenduntur ibid. ſeq. an reſurrectionem ſaluatoris iſtius veram ſtatuerit 529
Baylius. Ephemerides eius laudantur 776. Eius Dictionarium valde commendatur 777. quid in eo opere deſiderandum ſit, indicatur ib.
Bazra, vrbs Arabiae celebris, mater et nutrix hominum eruditorum 483

Digitized by Google

Belus, quis fuerit, incertum eſt 54
Beroſus, aſtronomus, vtrum ſit idem cum eo Beroſo, cuius Hiſtoria laudatur, dubium eſt 53
Bibliotheca Alexandrina et Capitolina conflagrarunt 7, 8. item Byzantina et Antiochena 9
Blount, Carol. vertit vitam Apollonii a Philoſtrato ſcriptam 353. in ea re impie verſatus eſt ibid.
Bodinus, Io. omnibus ſcriptis ſuis praefert metaphraſin ſuam et commentarium in Oppianum 939. character eius ib. libri eius de magorum daemonia, abſurdiſſimi ſunt 939 ſeqq. eius theatrum vniuerſae naturae recenſetur et diiudicatur 941 ſeq. vbique in hoc libro conatur phyſicam et metaphyſicam Ariſtotelis euertere, 943. magnam notitiam veteris philoſophiae adſperſit in hoc libro, ib. ſcripſit etiam libros de republica, 944
Bonaventura. Laudatur propter vitae integritatem, et eruditionem tum philoſophicam, tum myſticam 595
Bonifacius, Germanorum apoſtolus. Magna fama eſt meritorum eius in rem eccleſiaſticam, 567. ſed rem literariam et philoſophiam parum iuuit, 568. Contrarium male aſſeruit *conſarcinator conſpectus literarii Benedictini* 568 ſeq. qui refutatur, 569 ſeqq. laborat in primis craſſiſſima rerum philoſophicarum ignorantia, quod illuſtri quodam exemplo demonſtratur 571 ſeq.
Brachmanes Indorum. Deliria ingenii Poſtelliani de his 90. Huetii ſententia 91. Vnde nomen eorum ſit 91. Eorum inimicitia aduerſus Sammanas 92
Bridfertus, Monachus, matheſeos et chronologiae peritiſſimus fuit 574
Britanni Sec. XVII. coepere, contemta Ariſtotelis philoſophia, Platonem ſectari 730
Bruckeri, de iis ſcytharum fabulae 196. not. g.
Brunus, quare contemſerit Ariſtotelem 811. ſed non in metaphyſicis 811. Iudicii eius inconſtantia notatur 811. hiſtoria de eius commoratione in Acad. Pariſina incerta eſt, 811. παραδοξοφιλία multos ſibi aduerſarios peperit 812. de eius exilio 813. aſſertiones eius cum ſyſtemate Spinozae non congruunt, 815. liber eius *Spaccio della beſtia trionfante* ex librorum atheorum numero eximendus eſt 816
Buchananus in famam Mariae reginae graſſatur 948
Budda, Indorum philoſophus. Nonnulla de eo 94
Buddei animus iniuriae patiens et manſuetus laudatur 872. Sententiam de Ebraeorum Philoſophia cabbaliſtica mutat 878 ſeq.
Bullo gratiarum actio publica decernitur pro egregiis fidei Nicaenae vindiciis, 531
Burignonia. Eius dogmata paradoxa 790
Burſa vocabatur medio aeuo Communio Scholaſtica, inde burſarii 608

C.

Cabbala. Cabbaliſticae philoſophiae quas origines tribuerit *Schoettgenius* 422. Purior cabbala ſ. veteris eccleſiae traditio ſeculo ante C. N. vltimo plane obſcurata fuit 424. Eius origines, ratio et triplex ſignificatio explicantur 455 ſq. Cabbala Aegyptiaca in ſyſtema fanaticum ex Aegypto in Palaeſtinam illatum corrupit cabbalam doctrinalem eccleſiae Iudaicae 459. exegetica et metaphyſica male a viris doctis confuſae ſunt 758
Cabiri, dii Aegyptiorum et Phoenicum, qui fuerint et vnde venerint 107 ſqq.
Caeſalpini religio tota fuit Peripatetica 722. Eius principia metaphyſica et phyſica proponuntur 723 ſq.
Canadenſium ſapientia exilis et manca eſt 1004
Campanella, Thom. regnum ſuperioris Calabriae adſpirat 825. qua poena ſit affectus ibid. quam methodum literarum tractandarum propoſuerit 826. quem ordinem in legendis philoſopho-

Digitized by Google

rum libris ſeruari iuſſerit, 826. quid in eo deſiderandum ſit, 827. demonſtrat immortalitatem animae 827. ex numero Atheorum eximendus eſt 828 ſeqq.

Cantus eccleſiaſtici addiſcendi difficilis methodus Sec. VII. ſeq. 561

Capac Manco quis fuerit, et quomodo feros Peruvianos ad humanitatem et religionem faniorem deduxerit 1008 ſeq. Coniecturae de tota *Capaci* hiſtoria proponuntur 1011 ſeq.

Capitolina bibliotheca, Commodo imperante, conflagrauit 8

Cardanus. Eius Ephemeron recenſetur 817. Educatio et literarum amor in eo commemorantur 817 ſq. Spiritum familiarem ſe habere profeſſus eſt, ib. de dementia eius et ἀνομαλίᾳ in agendo cauſſis 819. in ſcriptis eſt plagiarius et recentioribus inprimis Platonicis multa furripuit 820

Carteſius, Ren. Inſectatur Ieſuitas 844. ad Enthuſiaſmum propenſus eſt 846. quibus amicis vſus fuerit ib. Theologorum Leidenſium animi in eum accenduntur, 848. praeſtat Gaſſendo 848 ſeq. aduerſarium nactus eſt Huetium, et alios 850. quos defenſores habuerit ibid. incautiores ipſo ſunt eius diſcipuli 851. eius doctrina de paſſionibus innumeras contradictiones habet 856

Caulacau Baſilidianorum. Diſſertatio de eo Auctoris 507 ſq. ſq. vid. *Baſilides*.

Carneades, cur pro Philocomo Epicomus dictus ſit 237. vbi effigies eius propoſita ſit 237. aetas eius, ex auctoritate Petauii 237 ſq.

Carolus M. Quas artes iuſſerit in ſcholis docere 563 ſq. barbaries literarum iſtius aetatis 564. *Fleury* eam male ad ſolam barbariem dictionis refert 564 ſq. in eius aula Schola Palatina nobiliſſima eſt 565

Cato, M. Porc. philoſophiam Pythagoream diſcit 341 ſq. ſed Sectam Ionicam vehementer vituperauit 343

Celſus, Origenis antagoniſta, a Celſo Epicuraeo diſtinguendus eſt 395. Quis fuerit, de eius aetate, placitis, religione etc. e praefatione Moshemiana librorum eius adv. Origenem, narratur 395 ſq. ſq. pauca quaedam ad ea quae Moshem. diſputauit, notantur 398.

Celtae. Eis ignotus fuit literarum in ſcribendo vſus 156. Eorum ſedes 156. Hiſtoria de iis Pelloutieriana laudatur 156. Eorum res non debent cum rebus et antiquitatibus Romanorum et Graecorum confundi 157. Eandem Celtae et Sarmatae in Europa gentis originem habent, quam habebant Perſae et Medi in Aſia, 161. a Celtis, qui Illyricum repleuerunt, orti ſunt Vindelici, 162. Celticae religionis apud Auguſtanos memoria extat, 162. Adorauerunt deum ſpiritualem 164. Emanationem omnium rerum, vt alii antiqui populi, defendebant 165. An fuerint ab atheiſmo liberi, ib. ſq. fatum Stoicum admittebant, 167 ſq. Saxis, lucis, cauernis numina praeficiebant 169 ſq. an Spiritus intermedios eſſe tradiderint 171 ſq. Immortalitati animae aſſentiuntur 173 ſeq. eorum opiniones de futura vita poſt mortem, 176 ſqq. metempſychoſi non fauent 176 ſeq. hoſtias humanas mactabant 179

Chaldaei, non ſunt coloni antiquorum Aegyptiorum, quod contendebat Wachterus 51 ſq. eorum ſcientia aſtronomica rudis 57

Characteres philoſophantium ex vero exprimere, difficile eſt 915

Ching, Sinarum imperator, libros ſinicos ſacros iubet comburi. 993 ſqq. Cur? 995

Chriſtianorum fortitudo in obeundo martyrio, pertinaciae et animi obſtinationi a gentilibus tribuitur 393

Chryſolorae epitaphium 677

Chutaei, Samariam coloni deducti ſunt a rege Aſſyriae, 419. quiſnam populus hi fuerint ibid. ab his πυρολατρεία Samariae introducta eſt 419

Digitized by Google

Ciceronis libri de officiis. Quid tractatum sit in iis 346. Eius philosophiae moralis compendium dedit *Denores*, 347 seq. Commemorantur alii de eius Philosophia scriptores 348
Clemens Alex. inter primos fuit, qui doctrinae christianae dogmata admistis philosophiae falsae decretis corrumperent 540 sq. ἅλογα et ἄτοφα eius demonstrauit Semlerus 541. Quirinus, Cardinalis, male in Sanctorum catalogum inseruit eum 541
Cnephus s. Cnuphus Aegyptiorum quis sit 134 sq. 143
Coccei, Samuel de, laudatur propter merita et doctrinam 937. *controuersias* scripsit *de principio* iuris vnico et genuino ib. Iuris naturalis, ab eo scripti, argumentum 937
Codicum graecorum antiquorum, vnde penuria orta sit 10
Columnae Sethianae. Fabulosa sunt, quae de his narrantur 38 sq.
Confucius narrat, se suam sapientiam a veteribus accepisse 987
Confuciani philosophi principes 988
Couringii Epitaphium, auctore Meibomio 741 sq.
Constantinopolitana in aula hoc obtinuit, vt summus quidam rerum literariarum et philosophicarum moderator constitueretur 555
Constantinus, Casinensis, inter Arabes non solum Physicen et Astronomiam, sed Necromantiam quoque didicit 582
Copernicanum Systema contra Gassendum refutat Morinus 770
Coranus, (Al Coran) de coelo delapsus et increatum dei verbum dicitur 489 seq. *Motazelitae* in hac re a Sonnitis dissident 490. Caliphae ex Abasidum gente idem negant 490. Quae controuersiae et persecutiones hinc ortae fuerint 490
Corduba, multos homines eruditos protulit. 389. *Patricia* cognominata est ib.
Cosmogonia. Aegyptiorum de ea sententia 140 sqq.
Creatio mundi, ex mente Indicorum theologorum 972
Critolai, Phaselitae, Historiam exposuit Io. Bened. Carpzouius 246
Cynosarge, quid? 248

D.

Daemonologia a Cardano excogitatur 818
Damascenus. Memorabilia quaedam de eo 554
Democritus, philosophus, institutus est a sacerdotibus Aegyptiis, non autem initiatus 319. praecipit, cadauera melle condienda esse 321
Denores, Iasonis, institutio in Ciceronis philosophiam de vita et moribus laudatur 347. et quid in ea desiderandum sit, indi[illegible] 347 sq.
Deus an [illegible]ossibilia facere possit, disputatum olim est 802. quis sit, ex mente theologorum Indicorum 972
Dialectica Platonis quomodo a ceterarum sectarum Dialectica differat 231 sq.
Didymi eruditio philosophica valde laudatur a S. patribus 549 sq.
Diogenes Laërtius primum in lucem protractus est et latine versus ab Ambrosio 678. Quid de hac versione iudicandum 677
Draco, legibus Athenienſium immutabilem auctoritatem tribuit 211
Druidae Celtarum, vnde nomen habeant 158
Dunstanus Presbyteros vxoratos a sedibus suis deiicit 574. Calumniis et inuidia premitur, quare? 574
Durandus. Quae controuersia de Concursu dei cum causis secundis ei cum Thomistis intercesserit 602. Recensentur et laudantur eius Principia, in amplectenda scriptura sacra et humanae auctoritati postponenda 603 sq. in iis, quae dubia sunt, ecclesiam *catholicam* vult adiri 604. sed Romanam falso intelligit sub Catholicae nomine 604

Δύναμις in Syſtemate emanatiuo, quid? 537

E.

Ebraeorum philoſophia in magna exiſtimatione verſabatur ap. Halenſis academiae doctores 872
Ecletica philoſophia poteſt in ſectariam transire 793. eius ſtudium inde a Sec. XVI. maxime viguit 807. eam oppugnat *Oberhauſer* 808. in contemnenda ea ſubinde coecutiuerunt viri magni 808. Eam impedinit Monachiſmus 808
Eclectiſmi Hiſtoriae criticae ſcriptor Hiſtoriam philoſophicam Autoris ſuſpectam reddere tentat 644 ſq.
Eduardus, Confeſſor. Editham Godwini filiam ducit vxorem, ſed non attingit 578. Ex potiorum popu[illegible]m Legibus meliores ſeligit ib.
Eloquentia, quid valeat in fatis rerumpublicarum vrgendis 825
Emanationis Syſtema, quale ſit inter gentes Indicas 973
Empedocles, quare ſplendide vixerit 309. ſumſit coronam Delphicam ibid. Eius placita vbi explicata legi poſſint 310. Mundum partem dixit vniuerſi, quod materiam complectitur 311. non ſecutus eſt placita Anaxagorae vel Democriti et Epicuri 311
Encratitarum haereſis vnde? 536
Enthuſiaſmus apud Indas qualis ſit, et vnde? 977
Epicharmi, verſiculi quidam, a Laërtio ſeruati, explicantur et a *Gudiana* interpretatione vindicantur 311 ſq.
Epicurus. Qui de eo eiusque ſecta ſcripſerint 331. Eius philoſophia tripliciter diuiditur ib. ad moralem philoſophiae partem omnem philoſophiam reuocabat ib. Eius principium, *Ex nihilo nihil fit*, quis explicuerit 332. quo ſenſu tempus incorporeum dixerit 332. Eius ſententiam de idolis in oculos ex obiectis irruentibus explicat *Heinius* 333. Eum ſecuti ſunt cum plebe romana etiam proceres 350
Epicuraei fabularem Sapientiae methodum improbant 201. quam corporis reſurrectionem ſtatuerint 328
Epiſtolae virorum doctorum ſunt optimi hiſtoriae literariae fontes 748. Reuchlini rarae ſunt ib.
Eruditionis humanae campus in quatuor facultates diuiſus eſt 6
Eſſeni. Quaenam eorum origines ſint 433. an ſolem adorauerint 434. Tractabant medicinam quandam Empiricam 434 ſeq. eos inquatuor claſſes diuidit *Wachterus* 436. eorum *ἀγγελολατρία* ad Cabbaliſtarum mentem expreſſa eſt 437. habebant ſua ex ſyſtemate emanatiuo 437 ſq. An ſacrificia inter eos in vſu fuerint, diſceptatur, et contra Mosheimium negatur 438 ſeq. nugae *Wachterianae* de hac ſecta proponuntur 445 ſq. Ieſum eſſe Eſſaeum, idem defendit ibid.
Etruſcorum origines ſunt incertiſſimae 180. Dickinſoni de iis nugae 180 ſeq. fuerunt Celtarum propago 181 ſq. Eorum Phyſiologiae cum Stoicis aſſertis conſenſus aduerſus Lamfredum defenditur 183 ſq. ſq. In eorum ſcholis *κερανοσκοπία* tractatur 188. Eruditio rerum philoſophicarum non magna fuit 189
Euſtathii, Legati ad Saporem, eloquentia non adeo magna fuit 370

F.

Fabricii, Io. Alb. praefixa Aſtrotheologiae Derhamianae commentatio laudatur 779
Felicitas eſt finis philoſophiae 5
Fetiſchii, ſunt ſubordinatae virtutes diuinae apud Nigros 1004
Ficinus, Marſil. praeter modum laudatur a Pocciantio 689
Fluddi philoſophiam examinauit Gaſſendus 788
Fohius et *Noachus* eadem perſona fuiſſe dicitur 984 ſqq. contra hanc hypotheſin nonnulla afferuntur 985 ſeq.

Formey

Formay epitomen hiſtoriae philoſophicae edidit 32
Fraternitas Roſeae Crucis. Libelli de hoc argumento rariores quidam recenſentur 794. ſodales eius ſunt eccleſiae euangelicae addicti ib. exagitantur in libris Val. Andreae 796
Friderici II. imperatoris laus 584
Friſchmuthus traditiones Iudaeorum de praeceptis Noachiticis explicuit 41

G.

Galenus non poteſt Atheorum catalogo inſeri 359
Gaſſendus hiſtoriam philoſophiae dogmaticam propoſuit in Syntagmate Philoſophico 25. cur libros exercitationum aduerſus Ariſtoteleos non perfecerit 767. Eius liber de *Vacuo et Atomis* refutatur a Morino 770. item, eius defenſio Syſtematis Copernicani ib. cur ſectam non habuerit 770 ſq.
Gauri ſ. Ghebri Perſarum, qui fuerint 59
Geſneri, Io. Matth. diſſertatio de Ψυχαῖς Hippocratis excutitur 325 ſq. ſq.
Gerbertus. Eius ſcientia abſtruſa excuſatur 575
Giamaſpus, nomen Hakim i. e. Sapientis inter Perſas retulit 71. fuit inſignis aſtrologus, ib. alia de eo ib.
Gnoſtici veteres mire omnia confuderunt 11. eorum haereſes ex ſcriptis veterum explicuit Semlerus 530
Gnoſtica deliria, eo tempore, cum Ieſus terras adiret, orbem terrarum tenebant 499. Fons eorum eſt philoſophia orientalis 503. Eorum dogmata ſunt longe obſcuriſſima 507. tamen non omni ſenſu carent ib. ſq.
Graeci antiqui. In eorum Mythologia infantia philoſophiae in hoc populo ponenda eſt 200. haec fabularis ſapientiae methodus reprehenditur ab Epicuraeis 201. graecis ingeniis inuiſa erant barbara 36
Graeci fugitiui de philoſophicae hiſtoriae puritate reſtituenda primi cogitarunt 22
Graecos codd. multos tenebris eripit Nicol. V. 10
Graeca lingua Philoſophiam in lucem protraxit ex tenebris 676
Gregorius M. pontifex Rom. quid eum impulerit ad philoſophiam proſcribendam 558. eius character ibid. Eius barbarum dicendi genus male negatur a Zigelbauero 559 ſeq. an libros profanos comburi iuſſerit 636. recenſentur argumenta ſcholaſtici Friſingenſis cuiusdam, quibus contrarium ille tuetur 636-639. Refelluntur eadem 640 ſqq. Sarisberienſis fides denuo vindicatur 642 ſeq. Negat eandem combuſtionem Auctor hiſtoriae criticae Eclectiſmi 648. eius argumenta recenſentur 649 ſeq. quibus reſpondetur 651 ſeq. totu quaeſtio clare proponitur 652 ſeq. Sarisberienſis teſtimonia proferuntur 654. et explicantur 659 — 665. Traditionis circumſtantiae eandem rem affirmant 665 ſeq. Reſpondetur obiectionibus ab Auctore H. Cr. Eclectiſmi prolatis 668 ſeqq. Tota res et cauſſa clare exponitur 671 ſeq. Gregorii M. educatio, ſtudiorum ratio et character 677
Grotius, Hugo. Verſiculi Scaligeri in eius laudem 929. accipit a rege Franciae donatiuum M. thalerorum 530. annotationes in eius ius B. et P. edidit Felden 930. emendauit Philoſophiam moralem 931 ſqq. eius controuerſiae cum Seldeno 933
Gundlingii Obſeruationes laudantur 870. contradicendi cupiditate ſubinde tenebatur ib. et quaeſtiones inter ſe confundebat ib. Politices edendae conſilio morte impeditus eſt ib. morum eius aſperitas notatur 871

H.

Hadrianus, imperator. De eius altercationibus cum philoſophis quaedam 353
Haereſeos accuſatio temporibus philoſophiae ſcholaſticae recens natae frequentiſſima erat 600

Digitized by Google

Halenſis obſervationum literariarum collectio 869. quibus debeatur ib.
Harmoniam dogmatum philoſophicorum veterum cum S. S. inuenerunt nonnulli 12
Harpocratis nunen, inter Aegyptios quale fuerit 129
Harueus. Titulus in ſtatua eius Londinenſis 914
Hebraeorum nomen poſt captiuitatem Babylonicam interiit 418. Vno nomine tum Iudaei appellabantur 418. Eo tempore, quo Paullus ſcripſit, tributum eſt hoc nomen ei Galilaeae parti, quae ſupra Palaeſtinam Syriae fines tangebat 418
Heidelbergenſis academiae origo 608 ſeq. inſtituit eam Marſilius, e Pariſiis arceſſitus 609
Heraclitus. Eius Syſtema phyſiologicum vbi explicitum ſit 324. quid intellexerit per animam mundi ib.
Hippocrates. Geſnerus ex libri eius de diaeta loco quodam colligit, eum animalcula ſpermatica ſtatuiſſe 324. Placita veteris philoſophi huc pertinentia recenſentur 325 ſeq. Syſtema Geſnerianum ex his verbis conſtructum proponitur 327 ſq. et exploratur 329 ſqq.
Hiſtoriae cognitio in omni arte diſcenda praemittenda eſt 826
Hiſtoria philoſophica debet non ſolum dogmata, ſed etiam vitas et res philoſophorum complecti 11. ea tantum enarrat, quae legibus fidei hiſtoricae conſentanea ſunt 12. Eam ad illuſtrandam S. S. adhibuerunt Britanni catenae exegeſeos biblicae auctores 14. Cur pauci ſint, qui ad eam inquirendam et explicandam aggrediantur 14. magno temporis ſpatio opus eſt in ea recte cognoſcenda 15. Quid *Graeci* fugitiui, *Maſſeus* et *Tites* in ea praeſtiterint 22. 23. Eius ſcriptores Seculi praeſentis potiores commemorantur 29 ſeq. Tabulis comprehenſa prodiit Auctoris H. philoſophica 32 ſeq.
Hobbeſius. Th. Eius verſiculi elegantes de partu ſuo praematuro 831. Peripatetica philoſophia relicta, de noua cogitat 831. Argumentum libri ſui: *Elemens philoſophiques*, ipſe prodit 833. propter Leuiathanem theologi Anglicani apud regem calumniantur eum 835. ſibi ipſi non ſatis conſtitit in ſententiis ſuis 835 ſeq. quaenam eius principia pro impiis habita ſint a Theologis Britannis 835. diſſidet a geometris fere omnibus 836. ius naturae eius refutatum eſt a Cumberlando 837 ſq. cum Gaſſendiano ſyſtemate non conſpirat 840. Vitia eius 842 ſq.
Homerus, vnde Meleſigenes vocetur 210. Eius carmina Lycurgus Graeciae primus intuliſſe dicitur 218
Horatius. Philoſophia eius Stoica peculiari diſſertatione expoſita 351. Cur *Porcum* ſe appellauerit ibid.
Horus ſ. *Or* Aegyptiorum deus, qui fuerit 121 ſq. 144
Huetius. Eius Origeniana laudantur, et quid in iis deſideretur, indicatur 542
Humanitatis ſtudia odio habet Paullus II. pont. Rom. 692
Hydei Hiſtoria religionis veteris Perſarum et laudatores, et vero etiam reprehenſores ſat multos nacta eſt 48
Hypatia. Werensdorſianae de ea diſputationes IV. quoad argumentum, enarrantur 380. A caedis eius culpa defenditur ab eodem Cyrillus 381 ſq. annus eius natalis incertus eſt 383
Hyſtaſpide imperante floruit eruditio Perſica atque orientalis 71

I.

Iablonskii Pantheum Aegyptiacum laudatur 106
Iamblichi de Pythagora librum negat Fabricius in opprobrium relig. Chriſtianae fuiſſe propoſitum 266. Eius fides hiſtorica a Gerdilio perperam defenditur 267 ſeq. cur ei et ceteris hiſtoriae Pytha-

Digitized by Google

Pythagoreae ſcriptoribus fides haberi nequeat 270
Iaponenſes. Eorum temporum rationes in aera Fohiana diſſonant a Sinenſium chronologia 1000. negant ſe eſſe colonium Sinenſem ib. ſapientia eorum ex vno Sinenſium fonte profluxit 1000. Eorum cultus deorum *Canis* 1002
Idea dei innata an Leibnizio fuerit negata 912
Ἱερογραμματεῖς, Aegyptiorum ſacerdotes, qui fuerint 441
Ignis cultus inter Perſas in montium cacuminibus, poſt in Pyreis 74
Immortalitas animae quomodo ſit demonſtrata a Campanella 827
Indorum philoſophia, quare in ea explicanda narrationes peregrinatoriae non ſint in ſubſidium vocatae, exponitur 89 ſq. philoſophia et religionis Syſtema, valde conueniunt cum philoſophia et religione Aegyptiorum 971. Indiae meridionalis circa Gangem gentes. habent philoſophos, Braminis in Theologia naturali ſapientiores 971. Eorum theologia paucis proponitur 972 ſq. Qualem emanationis rationem defendant 973. diſtinguunt ſcholas philoſophicas et ſingulis ſingulas diſciplinas docendas tribuunt 974. laudantur propter gnomarum et carminum ad mores pertinentium elegantiam 975. medicinam magis experientia, quam Syſtemate metiuntur 975. Lingua erudita vtuntur 975. de eorum Enthuſiaſtis 977
Ioachimus, abbas Florenſis cum Lombardo controuerſias habet 589
Iobus. Ex eius libris irrito labore philoſophia Edomitarum fideralis exſculpitur 45
Ionici Graeciae philoſophi, ab atheiſmo liberi ſunt 217
Irenaei Syſtema diligenter excuſſit Semlerus 539
Iſidorus. Eius aetatis rationes chronologicas quomodo inſtituerit *Werensdorfius*, narratur 378 ſqq. nonnulla contra monentur 379
Iſis Aegyptiorum paullatim vultum habitumque Graecanicum induit 137 ſq.
Italus, Io. Pſelli diſcipulus. Eius character 355 ſeq.
Iudaei ante conſtitutum inter Aegyptios Graecorum regnum cum gentibus aliis nihil commercii habuerunt 276. magiſtrorum ſententiis coecum aſſenſum largiendum eſſe cenſent 802
Iulia Domna, Seueri imperatoris vxor, philoſophata eſt 352 ſq.
Iulianus, pater et filius. Vtrique tribuuntur a Suida carmina teleſtica 269
Iuliani, imperatoris, ingenium, mores, doctrina etc. ex praefatione Martini, *Miſopogono* praemiſſa, narrantur 371 ſq. Eum non fuiſſe Chriſtianum perperam a viro quodam docto diſputatum eſt 372 ſqq. Quare Chriſtianorum filios diſciplina Humanitatis interdixerit 375. philoſophos gentiles Athenis docere vetuit 377
Iupiter. Iouem, eius parentes, coniugem, filios etc. ingeniosa coniectura detegit Schuckfordus 210
Ius naturae a brutali Hobbeſii facie ad humanitatem reuocauit Cumberlandus 837 ſq. Eius principium ponit Gaſſendus Vtilitatem 841 ſeq. eius Principia Thomaſiana recenſentur 862 ſqq. Quid Coccei in eo ſtatuerit 938. Eius limites Wolfius omnium latiſſime extendit 938
Iuſtino, Mart. grauis dica ſcribitur propter παραράμματα in loco de Angelis 536

K.

Kaiemaras fundator Perſicae monarchiae traditur fuiſſe 72 ſq.
Καθῆκον Stoicorum, quid ſub eo intelexerint 346
Keppleri tria cum Carteſio ſunt communia 916

L.

Languetus, Aubertus, de eo et Libro eius *de auctore vindiciarum contra tyrannos*, varia afferuntur 949. Epitaphium eius ibid.

de Lapi-

Digitized by Google

de Lapide, Io. laudatur 748 ſq.
Leibnizius. Eius ſcriptorum omnium parat editionem Dutens 858. an innatam dei ideam negauerit 912
Lipſia ab ipſo reſtitutae humanitatis et literarum initio Ariſtotelico modo philoſophari didicit 735
Lipſius adicendi genere Ciceroniano, quod adoleſcens ſecutus erat, poſtea deflexit 762. eius famam proſtrauit religionis inconſtantia 763
Lockmannus, quis fuerit 98 ſeqq.
Λόγος Iohannis apoſtoli, vtrum ex Platonis an Philonis ſchola petitus ſit 525
Logices Peripateticae, diſtinctio. 241. Eius inuentionem vindicat ſibi Ariſtoteles 241
Lucanus, *Ocellus*, Editio eius, quae cura Mareſch. d' Argens prodiit, laudatur 313
Lullius, Raym. artem chemicam a Villanouano non didicit 680. quid de ea, quam inuenit, arte iudicandum ſit 681
Lutherus cum Scholaſticis Pariſienſibus ſatyricis ſcriptis congreditur 714
Lyceum Ariſtotelis. Schediaſma de eo extat Haeberlini 239

M.

Machiauellus non ſectatur orationis latinae elegantiam 944. ἀταξίαν a Gentiletto ei obiecta, in ipſum non cadit ib. Hetruſco dicendi genere eminuit 945. cur gratia Medicea exciderit ibid. Clemens VIII. eius libros in indicem librorum vetitorum refert 946. quaedam de *Principe* eius ib. ruinam philoſophiae moralis et ciuilis meditatus eſt 947
Magorum veterum ſyſtema dualiſticum 81
Magnſacorum ante Zoroaſtris aetatem ſyſtema 66
Malabaricae gentis idololatriam explicuit Phil. Baldeus 970
Mallebranchius. Eius philoſophia vehementer ſe commendat Quakeris 910. de eo iudicium *Buffierii* 910
Manes. De vita et morte eius, dogmatibus, eorumque originibus diſſeruerunt Belloſobrius, Moshemius et Semlerus 550 ſq.
Marſilius ab Inghen Pariſiis Heidelbergam euocatus inſtituit ibi Academiam 609. fauet ſectae nominalium 610. de die eius emortuali ib.
Martini, Iac. de Myſteriis Mithriaticis diſſertatio excutitur et refutatur 82 ſq.
Mauritius viros doctos Lipſiam docendi cauſſa euocat 734
Medii aeui literarum miſera conditio 592. 596 ſqq.
Medicae rei ſcientia, qualis fuerit inter Aegyptios 126. Schuckfordi ſententia de ſalutari arte a ſacerdotibus eorum tractata refellitur 126 ſeq. Sacerdotes eorum tractabant medicinam magicam 130 ſeq.
Medicina. Eius ap. Iudaeos ſtudioſi fuere Eſſeni 434 ſq. de ea Arabes medii aeui praeclare meruerunt 475. medicorum Arabum potiorum nomina, ex Abulfaraii hiſtoria 475
Melanchthon. Eius in philoſophiam merita laudantur 712. male reprehenditur a Thomaſio, quod inter Lutheranos nugas Scholaſticas, quamuis ab ipſo reprehenſas, reuocauerit 733
Memcius, Sinenſium philoſophus. Eius vita, mores, ingenium et doctrina exponuntur 992 ſq. eius ſcripta in magno pretio ſunt apud Sinas ib.
Menedemi, philoſophi, obitus quo tempore ponendus ſit 227
Mercurius. Aegyptiorum primus. Locus quidam Manethonis de eo proponitur 115. de eo Iablonskiana ſententia proponitur 110 ſq.
Metaphyſicae vocabulum, numero ſingulari, Scholaſticis antiquioribus demum dictum fuit, cum ante numero plurali dictum eſſet 248. quodnam argumentum ſit metaphyſicarum Ariſtotelis ſpeculationum 248

Metem-

Digitized by Google

Metempſychoſis Pythagorea a Celtarum ſcholis abeſt 176 ſq. vtrum a Pythagora credita ſit, nec ne 307 ſeq. Quomodo explicet eam Gerdilius 305 ſq.
Meteorum philoſophicum, de eo commentarium dedit *Centnerus* 251
Michaël, archangelus. Ad eum veteres chriſtiani memoriam eiecti gentiliſmi ſolebant referre 163
Miraculorum gloriam, qua eccleſiae auctoritas fulcitur, in dubium vocat Pomponatius 713
Mithras, Perſarum deus, qualis fuerit 76 ſqq. Herodoti de eo locus proponitur 77 ſq. Μεσίτης dicitur apud Plutarchum 79. Moshemii de hac appellatione ſententia reiicitur ib. Mithriaca myſteria explicuit Martin 81
Mithra, eſt Venus Graecorum 76 ſq. 88
Monaſticorum ordinum homines occupant cathedram Academiae Pariſinae 585
Montani character 927 ſq. Eius *tentamina* editiones variae 928
Montesquieus. Eius liber, l' Eſprit de loix recenſetur 951 ſqq.
Moralis philoſophiae partem de Officiis primus ex inſtituto expoſuit Zeno 345. omnes autem in hoc genere ſuperauit Cicero 346
Moſi male a Iudaeis tribuitur ſapientia ad encyclopaediam Graecanicam attemperata 43. Aeque perperam ſcientia aſtronomica et architectonica ipſi aſſeritur 43. Antiqua omnia ei tribuit Huetius 44
Muhammedes. In condenda eius Hiſtoria iam dudum ſcriptores Chriſtiani laborarunt 473. Quare philoſophiam noluerit e Chriſtianorum ſcholis in Arabum tuguria traducere 473. artem ſalutarem et ſcientiam naturalem tenuiſſe dicitur 474. vulgaris ea fuit 475. in propaganda ſuperſtitione tam diu a vi abſtinet, quam diu potentia caret 489. Eius apophthegmata moralia quadraginta 494 ſq.
Muhammedicae religionis Hiſtoria, vt ſcripta prodeat, optatur 494
Mundus an ab aeterno potuerit creari, a Bouillo accurate diſputatum negatumque eſt 679
Muſica. Inuentum Alcuini in ea proponitur 577. qui Sec. X. XI. hanc artem tenebat, in artibus liberalibus maxime excellere putabatur 579
Myſteria gentilium. Wachteri de conſilio eorum ſententia exploratur 202 ſeqq. nihil continuernnt, quod cognitioni veri dei iuuandae aptum ſit 294 ſq.

N.

Nemauſenſe concilium conſilia P. Rami de forma ariſtocratica ex eccleſiis delenda improbat 908
Neutonus praecoci ingenio eminet 917. de eo iudicium Leibnizii ib. Epitaphium eius 918. modeſtia eius laudatur 919
Nigri, Africae populi, ſummo numini malum principium apponunt 1004. amuletorum vſus inter eos ib. animas poſt mortem per varia corpora transmigrare aiunt 1005
Nilus. An eius incrementi cauſſas ſciuerint ſacerdotes Aegyptii, et quare eas non aperuerint aliis 145
Nizolius in reprehendendo modum excedit 608
Noachicae philoſophiae compendium ex Annii Beroſo 41
Nominalium patriarcha Roſcellinus conſtituitur 627. ducem tamen habuiſſe dicitur Ioannem Sophiſtam, ib. Eorum controuerſiae cum Realibus commemorantur 628. locus ex libello eorum ſupplice ad pontif. Ioann. XXII. de ipſorum vexationibus affertur 629. locus alius ex Aenea Syluio de nominalibus Bohemicis proponitur 630. de eorum perſecutione in Vniuerſitate Pariſienſi 631. inteſtina Vniuerſitatis diſſidia in cauſſa fue-

Digitized by Google

fuerunt, cur nominales fuppreſſi ſint 631. Aduerſarius eorum maximus erat *Bracardus* quidam 632. Ex vniuerſitate Pariſienſi cedere coguntur, ſed mox redeunt ibid. Omnes illae quaeſtiones et rixae tempore reformatae eccleſiae obmutuerunt 633

Numa, an philoſophus appellari poſſit 190

O.

Occamus Nominalium ſectam non excitauit, ſed reſuſcitauit 606

Odo Cluniacenſis. Quinam fuerint eius libri morales 576

Oettingerus vetuſtos cabbaliſtarum errores ad ſenſus ſanos reuelationis male reuocauit 12

Orientalis philoſophia. Quid ſub hoc nomine intelligatur 361. 370. 407. Origines huius philoſophiae indicantur 401. Moshemius accuratius eam conſtituit, ſecutis viris doctis aliis 401 ſq. Non tot monumenta Orientis extant, vt eius cognitio inde peti poſſit 402 ſq. Pfaffii de ea ſententia proponitur 403 ſq. Erneſtii admonitiones in bibl. Theol. propoſitae afferuntur 404 ſqq. Extitiſſe eam, fuſe demonſtratur 406 ſqq. Nomen eius non extat apud veteres ſed a Moshemio profectum eſt 407. cur ei hoc nomen conueniat 407 ſq. cur hoc nomen interierit 409. nota fuit antiquis 410 ſqq. locus Porphyrii proponitur, ex eoque demonſtratur, fuiſſe Philoſophiam Orientalem 413 ſq. vocata quoque eſt Perſica 414. et Chaldaica 415. Neque Philonis de ea ſilentium eam tollit ibid. Peſtis quoque eius eſt Harmonia omnium ſyſtematum Orientalium inter ſe ib. ſeq. Manetis haereſis eſt vna eius reliquiarum 417

Orientalium ſcriptorum de rebus patriis narrationes, quaeritur, ſintne fide digniores, quam Graecorum 48 ſq.

Origenes ſecutus eſt philoſophiam Alexandrinam ex Platoniſmo reformatam 543. Fontes philoſophiae eius 544. habuit philoſophiam duplicem ib. materiam in Deo latere aſſerit 545. filium, dixit, patri collatum, eſſe *mendacium* 545 ſq. ſyſtema emanatiuum orientale ſecutus eſt 546. angelorum θεραπείαν aſſerit ib. vocibus incertis, antiquis et obſcuris in ſyſtemate ſuo vtitur 547

Orpheus diſciplinam arcanam a ſacerdotibus Aegyptiacis didicit 205. Ex eius myſteriis nihil praeſidii cognitioni veri dei paratur 204. ſyſtematis Orphici deſcriptio proponitur ex auctore recognitionum Clementinarum 206. Eius Theogonia non poteſt cum puritate doctrinae diuinae conciliari 207 ſq. docet, omnium rerum initium fuiſſe noctem ibid. item, Ouum 208

Odinus, Celtarum deus, animae ſator ac pater 173 ſq.

P.

Pacii de vita ſua verſiculi 719 ſeq.

Paracelſus, Theophr. eſt Patriarcha Theoſophiae 782. ſumma eius principiorum proponitur ibid. ſq. Eius philoſophia ad Athenienſes eſt valde obſcura 784. phyſiologiam veterem non inſpexit ib. novum ſyſtema chemicum conflauit ib.

Pariſienſis ſchola. Eius origines et progreſſus 566. Alcuinus fundamenta eius iecit ib. Celebritas eius ib. ineunte Sec. XVII. adſtringitur ad Ariſtotelis doctrinam 731

Parſſae, qui fuerint 59

Paſchaſius. Ante eius tempora credebant Chriſtiani, vere corpus et ſanguinem I. C. adeſſe in S. coena 573

Patres eccleſiaſtici Philoſophiae origines mox deo, mox diabolo tribuerunt 36 ſq. Locus in hanc ſententiam a Suida excerptus proponitur ibid. pro cauſſa bona

Digitized by Google

bona non ſemper certis argumentis, ſed interdum affectu pugnarunt 531
Patricius, Franc. Specimen eius Principiorum phyſiologicorum 754 ſq. ſyſtema emanatiuum recepit 756. longe abeſt eius phyſica a ſyſtemate Gaſſendiano et Carteſiano 756
Paulus apoſtolus fuit hiſtoriae philoſophicae peritiſſimus 501
Peripateticae quaeſtiones Caeſalpini. Excerpta ex iis 723 ſeq iudicium de hoc ſyſtemate 725 ſq.
Peripateticiſmus ſcholaſticus, etiam reuiviſcentibus bonis literis, in ſcholis monachorum ſeruatus eſt 701 ſq.
Perſis vetuſtiſſimis male purioris doctrinae gloria aſſeritur ab Hydeo et Prideaux 76. Tenebrae eorum non confundendae ſunt cum diabolo ludaeorum, Chriſtianorum et Mahumedanorum 80 ſq. eorum qualis ſit Philoſophia metaphyſica 960. de ipſorum aſtrologia 960
Peruuianorum mores ferini, quomodo ſint emendati 1007 ſq.
Petauius aduerſatur Nicaenae de filio dei ὁμοουσίῳ ſententiae, et defendere ſe propterea opus habet 533
Phariſaiſmus, non vno tempore, ſed paullatim extitit 429 ſq. in enarrandis Phariſaeorum dogmatibus Ioſephus ſibi parum conſtat, quare? 430 ſq vtrum metempſychoſi Pythagorae addicti fuerint, an vero reſurrectioni orthodoxae 431 ſqq.
Pherecydes. Quare eius philoſophia non videatur origines Phoenicias habere 258 ſqq. primus immortalitatem animae tradidiſſe dicitur 260 ſq. Qualem immortalitatem intellexerit ibid. non nouum dogma excogitauit, ſed antiquiſſimum Graecis ſuis tradidit 261. Qui de eo ſcripſerint 262
Philo ſectatus eſt non philoſophiam Pythagorico Platonicam puram, ſed ex aliis ſectis mixtam 452. Eruditio eius rerum hebraicarum in dubium vocatur 453. eius philoſophia vt in volumen congeſta prodeat, optatur 453 ſq. Eius de animabus ex dei ſinu eductis ſententia proponitur 454
Philodemi Gadarenſis lucubrationes rhetoricae et poëmata olim extiterunt 350. Nuper inter theſauros in Herculani ruderibus effoſſos inuenti ſunt 351
Philoſophia, quem finem habeat e mente veterum 5. Eius partitio apud Veteres, vbi reperiatur 7. Noachicae compendium ex Beroſo Annii 41. graeca inuiſa eſt Romanis, quo ſenſu 341 — 343. Eius et literarum omnium ignorantia Sec. VII. ſeqq. 558 ſeqq. 564 ſeq. de ea praeclare ſenſit Lutherus 699. de naturali inſignis locus Wolfii proponitur 919. *moralis* primum emendatur ab Hugone Grotio 931 ſq.
Philoſophi veteres non ſecundum noſtra placita et notiones noſtras intelligendi ſunt 301. iam dudum vidiſſe ea, quibus recentiores tanquam ſuis inuentis glorientur, demonſtrauit peculiari libello cl. Dutens 856 ſeq. ſpeciminis loco quaedam proponuntur 920. eorum ne Platone quidem excepto principia vaga et incerta eſſe, demonſtrat Burnetius 779 ſq.
Philoſophi characteres qui ſint, ex mente Indorum 973
Philoſophari facilius eſt, quam philoſophice viuere 900
Philoſophandi libertas, inde a Sec. XVI. viguit 807. monachiſmus ei impedimenta obiecit 808. Hiſtoria philoſophica eam adiuuat 809. in Gallia atque Hiſpania laetiore ſorte fruitur quam in Germania, Polonia et Hungaria ibid. quis eius legitimus vſus ſit 897. conſequentiarum machinis infringitur ibid.
Philoſophici libri, quo ordine legendi ſint, ex Campanella 826
Philoſophicorum fatorum narrationes ſpeciales quid ſoleat corrumpere 893
Phoenices vnde originem habeant 100 ſq.

Phtha ſ. Vulcanus Aegyptiorum quis fuerit 118
Phyſicarum rerum patrocinium in ſcriptura ſ. quaeri non vbique poteſt 780
Planeri, Io. Andr. placita phyſica 926
Plato. Eius philoſophiam propoſuit Acanthius 227 ſq. Imago eius eſt apud Vrſinum et Meibomium 228. In doctrina de animae generatione et aliis turpiter ſe dat 229. dialecticam nunquam expoſuit 230. Quid ſub dialecticae nomine intellexerit et quem finem ei conſtituerit 231 ſq. Mens, quam appellat, a primo deo differt 232. Pſychologiae eius compendiolum e Criſpo 234. Eius paralogiſmus quidam notatur 234. In *Timaeo* notionibus abſtractis, ab ipſius Timaei ſenſu aberraſſe videtur 314 ſq.
Platonici recentiores materiam ex deo ortam eſſe docuerunt, aberrantes in eo ab ipſo Platone 384. eorum ſyſtema eſt Enthuſiaſmo infectum 384. a fontibus philoſophiae Alexandrinae recedunt et ad Enthuſiaſmum declinant. 686 ſq.
Plotinianae ſcholae philoſophicae ſcriptor vt prodeat, optandum eſt 368. ea Sec. VI. exoleuit 376 ſq.
Plutarchus. Ei multa debet hiſtoria philoſophica 357. Quid in eo deſiderandum ſit 358. duplex principium eum ſtatuiſſe, in dubio verſatur 358 ſq.
Poiretus Burignoniam quaerit et Hamburgi inuenit 790. eius dogmata theoſophica ib. nunquam inſtituit ſectam 792. vir laudabilis, niſi quod theoſophiam affectauit 793
Pollenus laudatur propter praeclara de literis merita 591. ſcripſit ante Lombardum ſententiarum libros ibid.
Pomarium, Musladini liber. Eius argumentum e ſingulis libris enarratur 496 ſq.
Porphyrii et *Iamblichi* libros negat Fabricius miraculis Ieſu Chriſti ab ipſis fuiſſe oppoſitos 265
Poſtellus ſyncretiſmum non ſolum iuris et legum ſed religionum etiam tentat 798
Pſellus, ipſe ſui praeco 556. quomodo definiuerit voluntatem 557
Pſychologia. Nulla philoſophiae pars magis anceps eſt et dubia, quam haec 924
Ψυχὰς Hippocratis, in libro eius de diaeta Geſnerus interpretatur de *Animalculis Spermaticis* 324 ſqq. quid contra dici poſſit 329 ſq.
Pufendorfius a Weigelio in iurisprudentia morali profecit 934
Pyrea Perſarum, quae fuerint 74
Pythagoras. In congreſſu cum Abaride deum ſe iactauit 266. Ei a Iamblicho et aliis θαυμάσια tribuuntur, ad deprimendam I. C. diuinitatem 265 ſq. 271. An Platoni et Ariſtoteli Pythagorea dogmata tradentibus fides poſſit haberi 264. Quid de eius itinere Ionico exiſtimandum ſit 272 ſq. ad Iudaeos eum acceſſiſſe, negatur contra Gerdilium 273 ſqq. Eius arcana an mulieres euulgauerint 278 ſq. Cur nihil eius dogmatum peruenire ad alios et ne ad Platonem quidem potuerit 279. de eius philoſophia qui ſcripſerint 281 ſq. cuncta ad ſyſtematis emanatiui fontem reuocauit 282. Eius dogmatibus ab inſecutae aetatis philoſophis aliena immixta ſunt 282 ſq. Eius *Numeri* quomodo cum *Ideis* Platonis conſentiant 283 ſqq. Eius *Tetractys* non eſt nomen Hebraeorum tetragrammaton 285 ſq. decem ſphaeras numerauit 289. Antichthonem i. terram, noſtrae oppoſitam ſtatuit ib. ſeq. Quomodo deum mentem intellectualem eſſe et tamen corpori aſſimilari, docere potuerit, e Gerdilii ſententia proponitur, et quid contra dici poſſit, notatur 293 ſq. Deum animam mundi eſſe docet, quod male defendit et de anima materiali a deo diſtincta explicat Gerdilius 297 ſqq. Syſtema Emanationis amplexus eſt, ſenſu proprio, non

Digitized by Google

non ſenſu creationis 305. Eius metempſychoſin male explicat *Gerdilius* de vnione animae cum aethere ſ. animae vniuerſalis 305 ſq. an erediderit *Metempſychoſin*, dubitauit *Plouquetus*, cuius ad dubitationes reſpondetur 307 ſq.

Pythagorici. Eorum ſacrum ſilentium cum Exotericorum ſilentio non confundendum eſt 281 ſq. eorum de numero denario nugae 287. item commenti de laude dei per ſeptem vocales, ratio exponitur 287 ſqq. Quid ſub igne in medio mundi conſtituto intellexerint 292. Eorum intelligibiles ſubſtantiae differunt ab ideis Platonis 300. in horum placitis explicandis ſyſtematis emanatiui ratio habenda eſt 301

R.

Rabanus de literis et ſchola Fuldenſi egregie meruit 572 ſeqq.

Ramus P. de eius contentionibus cum philoſophis Ariſtotelicis, earumque euentu 906 ſeq. Matheſeos ſtudium noua ipſi odia contrahit 907. quanta eloquentiae fama floruerit 908. quid in eo reprehendendum ſit 909

Reformatio eccleſiae, de eius initio verba Eraſmi 698

Reſurrectio mortuorum, a Gymnoſophiſtis deſenſa differt a Reſurrectione ea, quam Chriſtiana religio tradit 95 ſq.

Reuchlinus excoluit philoſophiam Pythagorico - Platonico - Cabbaliſticam 750

Richius, Edmundus, de eius vita quaedam 596

Romani. Iis inuiſa eſt philoſophia graeca, quanquam non omnis 341. 343

Roſarium Perſicum, ab *Oleario* teutonice vertitur, cum *Gentius* antea hoc moliretur 417

Roſcellinus. De eius controuerſia in loco de S S trinitate, et quomodo poſſit excuſari 580 ſq. patriarcha Nominalium eſt 627

S.

Sadducaei. Eius ſectae origines indicantur 426. Vnde dogmata eorum probabiliter fluxerint 427 ſq. pauci numero fuerunt 428

Sammanae, ſecta Indorum 92. Eorum origo, inimicitia eum Brachmanibus, et fata ib. ſq.

Sanchuniathonis fragmenta non ſunt genuina 101

Sanguinis circulationem detexit, ſed non euulgauit Caeſalpinus 721

Sapientes, quinam olim dicti fuerint 4. *Graeciae veteres*. Eorum numerus eſt incertus 212

Saraceni, de eorum nomine et origine quaedam 469

Sardes, Lydiae vrbs, philoſophos multos excepit, atque etiam protulit 236

Sarisberienſis, fides in cauſſa de Gregorii M. combuſtione librorum profanorum defenditur 642 ſq. 659 ſq.

Sceptici. Antiqui cum recentioribus confundendi non ſunt 334. Eorum placita vnde peti poſſint 335. Eorum τρόπους ſ. modos, dubitationum contra Dogmaticos fingendarum, explicuit Gaſſendus 335 ſq.

Scholaſtici. De notione huius vocabuli antiquiori et recentiori 587. Quis nominatus ſit hoc nomine in ſcholis Sec. XII. ſeq. conſtitutis 588. Horum philoſophia reipublicae eccleſiaſticae et literariae longe perniciosiſſima fuit 612. 614 ſqq. Eorum dialectica nugaciſſima fuit 614. locus *Ludouici Viuis* de nugis dialectices ſcholaſticae ib. Proponuntur Iac. Thomaſii monita in philoſophia ſcholaſtica bene notanda 617 ſq. aſſertur locus Creuicrii de futilitate methodi ſcholaſticae 618 ſq. de nugis differebant 622. Eorum con-

trouerſia de *Vniuerſali*, multipliciter ſumto explicatur 625. eorum nugas inter Germanos primus in contemtum adduxit Eraſmus 695. *Muhammedani* quales fuerint 482. Eorum mores ridet ſatyra Folengius 714

Scholaſticae philoſophiae futilitatem ipſi pontificii demonſtrarunt 703. y. 702. x. 705. d. eam laudat Vauaſſor 704. Eius in Gallia mutatio in melius 710 ſq.

Schuberti, Io. Ern. hiſtoriae philoſophicae tractandae ratio explicatur 30 ſq.

Scioppius. Mirum, quod tantae intemperantiae et maledicentiae homo philoſophiam moralem ſcripſerit 763. tot laudes ſuae aetatis, vnde ei contigerint 764. *Eccleſiaſticus* eius combuſtus eſt ibid.

Scriptura ſacra non docet Phyſicam, ſed ſalutis aeternae conſequendae modum 780 ſq.

Scytharum nomen ex Aſia ad Septentrionales Europae populos tranſiit 161. ab iis Perſae ſunt deriuandi 161

Seldenus in iure Ebraeorum ſcribendo omnia perturbat et confundit 933

Semnothei veterum Germanorum, qui fuerint, ex diſputatione Schwabii narratur 159 ſq.

Seneca, non vni Stoicorum ſectae fuit addictus 392

Sephiroticum Syſtema Iudaeorum. Quid intelligendum ſit ſub eo, Schoettgenii ſententia proponitur 461. Oettingeri 462 ſq. quae repudiatur 463 ſq.

Serapis Aegyptiorum, quis? 126

Sibylla Chaldaea. Quae de ea apud Iuſtinum Mart. narrantur, fabuloſa ſunt 52

Simon, haereticus, eius confecrationem diuinam defendit *Hathuanus* 420 ſeq. quid de ea re iudicandum ſit ib.

Simonius Lipſiam primus docuit *ἀριστοτελίζειν* 735

Simon Iochaides, Iudaeus ex vaticiniis V. T. ſyſtema doctrinae cabbaliſticum compoſuiſſe, item chriſtianus fuiſſe dicitur a Schoettgenio 457 ſeq. Quid de hoc iudicandum ſit 458

Sinenſium philoſophia incerta eſt, cur? 979. de ea orationem habet *Wolfius* 979. Reimmanni de hac oratione iudicium 980. Sinenſes fauent ſyſtemati emanatiuo 989 ſq. eorum libri hodierni ad *Fohii* aetatem non aſſurgunt 994. imperator Ching, libros Sinicos ſacros comburi iubet 993 ſeq. quales libri fuerint, qui combuſti ſint 994. Parum profecerunt in literis 997. hodiernorum philoſophemata ſunt nugae 997

Socrates contra Iac. Thomaſii criminationes defenditur 223 ſq. de eius imaginibus quaedam 223. eius dubitatio de vitae futura immortalitate non poteſt ad impietatem et incredulitatem referri 223

Solis cultus ex Aſia in Americam translatus 55. In eo conſtitit publica Perſarum religio 76

Sonnitae et *Shiitae* inter Arabes quibus diſcordiis diſiuncti fuerint 481

Sophiſtae et *philoſophi* nomina olim non adeo differebant, vt eorum mentio in philoſophiae annalibus fieri non debeat 17

Spinoza ſemper pauper vixit 922. vitrorum poliendorum artem exercuit ibid. contendit, hominis temperamentum excitare et variare prophetias 926

Stoici, de eorum philoſophia qui ſcripſerint 249. eorum coſmogonia omnem fere Aſiam literatam occupat 250. eorum Logica duabus partibus abſoluitur 251. de eorum ſophiſmatis ſcripſit Fabricius 251. ſubdoli Chriſtianorum imitato-

Digitized by Google

tatores fuerunt 253. ſyſtema eorum de reditu in vitam a puriori doctrina vehementer abhorret 255. eorum ſyſtema deterius eſt Pythagoreo 296

Stoicae philoſophiae a Romanis Iureconſultis ipſa vita expreſſae exemplum 344. officiorum ſummam, ſecundum Stoicos, expoſuit Gaſſendus, Buddeus et Schilterus 345. eam ſecuti ſunt Iureconſulti Rom. ibid. intermiſtis tamen aliarum ſectarum placitis ibid. Quid *καθῆκον* in ea ſit 346. Horatii philoſophiam Stoicam expoſuit peculiari diſſertatione *Dan. Chriſt. Pflugrad* 351

Strato, philoſophus, quid *Naturae latentis* nomine intellexerit 245 ſq.

Strigelius. Victorin. litibus ſyncretiſticis et ſynergiſticis magni Theologi famam contaminauit 729

Struuio-Kahliana bibliotheca philoſophica diiudicatur 16

Suidas in H. P. commendatur et noua editio optatur 18

Syncretiſmi Graecorum philoſophorum exemplum inſigne 349 ſq. Platonis et Ariſtotelis, quibus placuerit 717. ſyncretiſmum religionum tentat Poſtellus 798. Calanna 799. de ſyncretiſmo Peripatetico diſputat Iac. Thomaſius 800. ſyncretiſmus infelix philoſophicus et theologicus Carteſianorum et Cocceianorum 851

Syſtema emanatiuum quas origines habeat et quam late olim patuerit 301. Non eſt creatio virtute diuina in actum producta ſed a creatione valde differt 302 ſq. Neque traditione ad homines antiquos venit ibid. Quae vera ſit notio *emanationis* ibid. tres vocis huius interpretationes Gerdilianae excutiuntur 304

Syſtemata ſectae alicuius vel praeceptoris non pro vna veritatis regula habenda ſunt 12

T.

Tartareti expoſitio logica ſuo tempore celeberrima, hodie euanuit 732

Tatianus, haereticus, iam eo tempore, cum orthodoxus haberetur, a Fanaticiſmo Orientali parum aſuit 537

Taurellus. Eius dogmata potiora proponuntur 736 ſq. iudicatur de iis 739. eſt obſcurus, cur? 740

Τελεταὶ, *τελεταὶ* et *τελέσματα*, explicantur 365

Tempus incorporeum dicitur, alio ſenſu a Stoicis, alio ab Epicuraeis 332

Terminorum philoſophicorum mutatio occaſionem ſaepe affert noua ſyſtemata condendi 797

Terrae numen ab antiquis gentibus ſeptentrionalibus colitur 170

Tertullianus. Eius de deo ſententia 540

Thales, philoſophus, quale ſyſtema phyſiologicum a ſacerdotibus Aegyptiorum cognouerit 213. nihil magnopere dixit, quod Theogoniam iuuet 214. huius ceterorumque Ionicorum dogmata phyſica explicuit Gerdilius 216. anni Aegyptii diuiſionem introduxit inter Graecos, ſed non abſoluit 217

Themiſtius non ignotus fuit Iuliano, vt vult Gaudentius 375 ſq. de aetate eius et vita quaedam 388

Theophilus, qui ad Autolycum ſcripſit, videtur ſuam diſciplinam in Aegypto hauſiſſe 538

Theoſophicus liber Henr. Khunrathi recenſetur 785. nugas, iniurias et obtrectationes large copia ſpargit ib. rarus eſt ibid.

Therapeutae, qui fuerint, de ſententia Iablonskii 440 ſq. Quid in hac eius opinione deſiderandum ſit 441 ſq. non fuiſſe Religioſos Chriſtianos, opera Marci

ci e Iudaismo conuersos, demonstratur 443 sq. fuerunt gente Iudaei, sed philosophiae orientalis alumni fanatici 445

Thomae, Aquinatis; quaenam merita eius sint de doctrina philosophiae moralis 595

Thomas, philosophus Anglus. Eius principia enumerantur 852 sq. Contemta eius philosophia est a Cartesio 855

Thomasius, Iac. laudatur propter magnam historiae philosophicae veteris scientiam 26. fuit veteris literaturae longe peritissimus 743

Thomasius, Christianus, cum patre comparatur 860. nonnulli distinguunt inter Thomasium prioristicum et posterioristicum 861. notauit naeuos systematum ethicorum, quae a Graecis ad nos pervenerunt 862. infantiam suam in physicis prodidit ipse ib. Principia eius in iure Nat. enumerantur ib. seq. Cautelae eius commendantur 866. Tschirhausenium debita laude non priuat ibid. caro ipsi pretio constitit, metaphysices vsum reiecisse 867

Thot, numen Aegyptiorum. Quale fuerit 110 sq.

Thrasyllus, magicarum artium, historiae et artis salutaris peritus est 355

Timaeus Platonis. In eo Plato a veterum ipsiusque Timaei vero sensu discessit 314 sq. Eius principia explicantur ibid.

Timur Beck, Saracenorum princeps. Eius aetate, cum bellum flagraret, literae detrimentum passae sunt 478 sq.

Toleti, Franc. Epitaphium 709

Transsubstantiationis vocabulum, vnde ortum sit, et quid ante in hoc doctrinae sacrae capite creditum 621 sq.

Tubero, Romanus, Panaetii disciplina et institutione magnus fit Iureconsultus 344

Turcae, Qualis in hac gente sit literatura 959

Tycho de Brahe quis eius vitam exposuerit 914. coniugium cum femina plebeia init ibid. Huena insula donatur ib. character eius diuerse describitur 915

Typhon, Aegyptiorum numen, quale fuerit 149

V.

Valentini haeresis, longe obscurissima est 502. 506. origo eius e philosophia Orientali repetenda est 503. An inter Dualistas possit referri 504 seqq.

Valla, Laurent. inutilem scholae Peripateticae prolixitatem repudiat 682. Mordacitas eius excusatur 683

Vaninium male defendit Arnoldus 922

Vaticinandi facultas an homini tribui possit 925

Vetam s. codex sacer Industanorum quatuor partibus absoluitur 976

Velthuysius non scripsit apologiam pro Hobbesio 838. quid eius dissertatio, quae apologia Hobbesii in prima editione dicitur, contineat ib. seq.

de *Verulamio*, Baco. Qua via Historiam literarum et Philosophiae illustrari et amplificari voluerit 822 sq. Eius organi compendium dedit Gassendus 823. Philosophiae moralis viam primus stignauit 823. in scribendi genere inprimis perspicuitatem, non elegantiam secutus est 824

Victorius, Petrus, quantus vir fuerit 716

Vincentii speculum argumento sunt ignorantiae literarum aeui medii 592 sq.

Vinis merita in H. Philosophicam veterem laudantur 696

Digitized by Google

Vniuerſum aliis philoſophis antiquis idem eſt cum mundo, aliis, praeter mundum infinitum quoddam ſpatium 317

Vniuerſale, quomodo ſcholaſtici diuiſerint 626

W.

Wachterus ſtatuit Chaldaeos eſſe antiquos Aegypti colonos, minus idoneis rationibus innixus 51 ſq. notatur, cum doceat philoſophiam graecam Aegyptis originem habere 105 ſq. ſcripſit *hiſtoriam Eſſenorum*, quanquam ineditam 446. Iudicium Reimmanni de hoc libro et auctoris huius H. P. 446. 447. Summa totius libri enarratur 448 ſqq.

Weigelius, cuncta ad lumen internum reuocat 787. ſectatus eſt veteres opiniones Alexandrinas ib. theſes eius potiores enumerantur ibid. a fanaticiſmo pantheiſtico poteſt liberari 788

Wolfius Chriſtianus. Vita et fata eius enarrantur adſperſis annotationibus 878 ſqq. integras philoſophiae partes detexit 881. mediocrem memoriae vim habuit ibid. quae ei crimina facta ſint ab adverſariis ib. ſeq. Pontificii ipſi eius philoſophiam ſectantur 882. Chateletia inſtitutiones phyſicas ad eius mentem exaratas edidit 882. edidit ſcriptorum ſuorum hiſtoriam, cuius argumentum enarratur 883 ſq. ſcriptores de eius vita et fatis enumerantur 885 ſq. Critica et practica huius philoſophiae enarratio optatur 886. fuit praecoci ingenio 887. qua via ad rerum philoſophicarum cognitionem contenderit 888. Nouae philoſophandi methodi inueniendae ducem habuit Leibnitium 890. de eius perſecutionibus et calamitatibus 891 ſq. in his conſtantiam animi ſeruat 893. Cur et per quos ex exilio reuocatus ſit 894. quo ordine opera eius Latina prodierint 895. Germanicae linguae augendae ſtudium in eo laudatur 895. Quid de controuerſiis ſuper eius philoſophia iudicandum ſit 898 ſq. ſubinde acerbus fuit contra aduerſarios 899 ſq. ſectatores eius praecipui 900

X.

Xekia Iapanenſium ab O-mi-to Sinenſium non differt 1008

Xenocrates, quid nomine rerum, quae ſunt extra coelum, intellexerit 235

Xenophanes. Eius ſyſtematis dubia interpretatio eſt 316. liber eſt ab inſania Spinozae 317

Y.

Yezdan, deus Magusaeorum 66

Yezidi ſ. Yezidaei, qui ſint 66

Z.

Zabii. De eorum inſtitutis religioſis Abulpharaii locus proponitur 98

Zamolxis, Scythae, placita diuerſa fuere a placitis Pythagorae 197. non fuit auctor dogmatis de animae immortalitate inter gentes hyperboreas 198

Zendicaei non ſunt iidem cum Sadducaeis 490 ſeqq. Non diu Zendiciſmus inter Arabes durauit 498

Zeno. An et quo ſenſu ei inuentio dialecticae tribui poſſit 348. dialogorum dialecticorum praecepta eum dediſſe, male affirmat Gaſſendus 349. primus ex inſtituto *de Officiis* expoſuit 345

Zenobiae, regiae Palmyrenae res, a quibus explicitae ſint 367

Zodiaci ſigna, a quibus et quomodo inventa ſint 56

Zoroaſtris res peculiari diſſertatione explicuerunt ſcriptores Hiſtoriae orbis vniuerſi 49. Male vero narrationes ſcriptorum Orientalium de eo praeferunt narrationibus Graecorum ibid. ſq. De eodem ſcripſit Naudaeus 50. eius Hiſtoria critica valde deſideratur 60. Hydeus et Prideaux, qui de eo ſcripſerunt, fidei Perſarum Arabumque recentiorum cuncta tribuerunt 11. Quid proprie zoroaſtris nomen ſignificet, non conſtat 61 ſeq. Fuit vir ſapiens inter Chaldaeos et Perſas 62. de aetate eius ſententias collegit Bayle 62. Zoroaſtris nomen etiam aliis tributum eſt 62. de originibus Zoroaſtris ſententia libri *Sadder* 63. Non fuit Iudaeus, ſed Perſa ibid. traditio de Zoroaſtre inter Iudaeos educato videtur fabuloſa 64. Moſen ſe profitetur 65. de libris eius incerta diſputatio eſt 67. catalogum librorum eius generis a Parſis redemtorum dedit Perronius 61. de eorum antiquitate dubitatur 74 ſeq. qui tamen ad aetatem Zoroaſtris pertinere non videntur 67 ſqq. paulo ante natum Chriſtum quaedam ſententiae ſacrae Zoroaſtris in Oriente circumferebantur 69 ſeq. de eius ſyſtemate ſententia Leibnitii 86

Nota ad pag. 951. poſt MONTESQVIEVM.

*) Scripſeramus iam hanc obſeruationem de celeberrimo libro viri ſummi, cum tandem aliquando, Tomus V. ſplendidi operis, quod *encyclopaediae* titulum gerit, ad nos deferretur, poſtquam diu eum ut circumſtantiae noſtrae, quo viuimus loco ſunt, fruſtra expectaueramus. Legimus non ſine iucunditate praefixum celeberrimi Viri *Caroli de Secondat, Baronis de la Brede et de Monteſquieu* elogium florente cel. DIDEROTI, quod ſuſpicamur calamo ſcriptum, tantoque magiſtratu dignum. Ex quo didicimus, natum eſſe die 18. Ian. 1689. Bredae, caſtello Burdegalae vicino, anno aetatis 32. *epiſtolas Perſicas* ſcripſiſſe, anno 1728. academiae Gallicae fuiſſe adſcriptum, et poſt iter Germanicum, Italicum, Helueticum in patriam reducem *hiſtoriam incrementis et decrementis gloriae Romanae* edidiſſe, tandemque famigeratiſſimum XX. annorum opus *de natura et conſtitutione legum et rerum publicarum* vulgaſſe, idque contra aduerſariorum inepta et amara iudicia maſcule defendiſſe, ſenatui autem regio in curia Burdegalenſi Praefidem datum, cum magna prudentiae laude omnibus ipſique Regi cariſſimus eſſet, et ob famam eruditionis Londinenſi quoque et Berolinenſi academiae eſſet adſcriptus, Pariſiis d. 10. Febr. 1755. placide obdormiuiſſe. Quibus elegans compendium libri de genio et natura legis ſubiunxit editor, quod ab illis adeundum eſt, quibus ipſe liber nimis prolixus, noſtra recenſio nimis curta forte videbitur.

EMEN-

Digitized by Google

EMENDANDA.

Pag. 180. l. 16. leg. ſententias atque doctrinas ſi non prorſus easdem.
- 181. l. 15.]vv
- 184. l. 16. emanatiuam.
- 187. l. 27. phyſiologici.
- 205. l. 13. add. impoſterum refellere.
- 224. l. 5. a fin. MEMZIVS.
- 232. l. 3. a fin. probat.
- 236. l. 5. a fin. quos.
- 262. l. 13. Taurinenſi.
- 265. l. 7. a fin. Samil.
- 289. l. 3. notabili.
- 295. l. 20. auditae.
- 333. l. 8. [illegible]
- 338. l. 8. poſt cognoſcere add. licet.
- 361. l. 29. rapuiſſe pro inuolaſſe.
- 365. l. 4. poſt diſcordia add. cum.
- 403. l. 4. poſt dicimus, add. annalibus.
- 448. l. 18. rumuſculo.
- 473. not. x. l. 5. WIDEKIND.
- 467. l. 26. refundant.
- 474. l. 13. elegantia.
- 484. l. 24. circa
- 494. not. y. l. 9. narrant.
- 496. l. 20. comedet.
- 546. l. 33. Iumuienſes.
- 560. l. 3. a fin. infelicitatem.
- 609. l. 24. reiicienda.
- 611. l. 18. quae.
- 612. l. 13. diſci.
- 617. l. 2. vitilitigationibus.
- 624. l. 23. gambis.
- 646. l. 21. poſt obſequium.
- 653. l. 10. a fin. add. aſſ[illegible]cuiſſet.
- 663. l. 26. quae.
- 665. l. 2. perductae.
- - l. 8. allatratus.

Pag. 676. l. 12. cIↃccL.
- 683. l. 14. verl.
- 729. not. a. col. 2. l. 1. ad.
- 747. l. 10. hac.
- 748. l. 5. a fin. CHEVILLERIO.
- 791. l. 14. a fin. ſuperficiarie.
- 793. l. 6. tam.
- 797. l. 7. KAZAVERO.
- 800. l. 4. a fin. biographiæ.
- 801. l. 7. a fin. KAHLIVS.
- - l. 12. Voſſii.
- - l. 5. a fin. HEREBORD.
- 810. l. 8. quem.
- 819. l. 26. conficere et.
- 837. not. x. l. 3. pontificiae.
- 874. l. 7. a fin. quarum altera.
- 877. l. 8. collectaneae.
- - l. 18. complectitur.
- 899. l. 18. l. IAC. SYRBII.
- 904. not. d. veritea.
- 912. l. 2. del. LEPVS in antiſcepticiſmo.
- 923. l. 7. a fin. vitilitigantis
- 926. l. 11. poſt magis, add. incertum.
- 936. l. 14. calamis.
- 959. l. 5. SPONIVS.
- 956. l. 5. add. Elogium et biographiam illuſtris ſcriptoris exhibet Dictionarium literarium encyclopaediae Tom. I. in praef.
- 961. l. 2. a fin. Ienghizkanum.
- 962. l. vlt., ignorantiam.
- 979. l. 8. DV HALDE S. I.
- 984. l. 12. exhiberet.
- 986. not. k. TAVERNIER.
- 988. l. 5. Anteconſuriana.
- 997. not. r. ed.
- 999. l. 15. a fin. deſtinatarum.

FINIS.



Digitized by Google

Emendandus etiam

error in Inſcriptione Supplementi ad c. 7. de reſtauratione philoſ. Epicureae, et in titulo paginae, cuius numerus eſt 763. vbi pro *Epicureae* legendum eſt *Stoicae.*

A01
145398h

Digitized by Google

1406 ool

Digitized by Google


Digitized by Google